BIBLIOTHECA

PATRUM CONCIONATORIA.

BIBLIOTHECA

PATRUM CONCIONATORIA,

HOC EST,

ANNI TOTIUS EVANGELIA, FESTA DOMINICA,
SANCTISSIMÆ DEIPARÆ ILLUSTRIORUMQUE SANCTORUM SOLENNIA,
HOMILIIS ATQUE SERMONIBUS ADORNATA SS. PATRUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,
QUI TREDECIM PRIORIBUS SÆCULIS FLORUERUNT,

OPERA ET STUDIO

F. FRANCISCI COMBEFIS,

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM CONGREGATIONIS S. LUDOVICI.

EDITIO PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA, NOVIS MONUMENTIS AMPLIFICATA, DISSERTATIONIBUS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATA, SCHOLIIS, ANNOTATIONIBUS APPENDICIBUSQUE LOCUPLETATA.

ACCURANTIBUS UNA PRESBYTERIS

JOAN. ALEXIO GONEL,

Quondàm Parocho in Diœcesi Remensi,

ET LUDOVICO PERE,

In litteris Licentiato, olim rhetoricæ atque philosophiæ Professore.

Quod credunt, credo : quod tenent, teneo :
quod docent, doceo : quod prædicant, prædico.
S. August., contra Julian. Lib. 1, *num.* 20.

PARISIIS,

EX TYPIS FIRMIN DIDOT, FRATRUM, FILIORUM ET SOC.,

INSTITUTI GALLIÆ TYPOGRAPHORUM, VIA DICTA JACOB, 56.

1859.

ELENCHUS RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

PIO IX,

PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

Cùm, teste Apostolo, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debeat* [1] *et tributa* præstare [2], Tibi ante alios debetur hæc *Bibliotheca Patrum concionatoria*, Tibi, cujus sublimis potestas, illas omnes quæ his in terris dominantur supereminens, totum orbem Christianum, Paternitati Tuæ commissum, sceptro Pontificali moderatur. Ad Te igitur, summum *Episcopum animarum* [3], quem *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* [4], Opus hocce nostrum, tamquàm devotissimæ pietatis nostræ sacerdotale tributum, humillimè deferimus.

Tibi quoque debetur, Beatissime Pater, ut qui in Christo *positus prædicator, et Apostolus, et Magister Gentium* [5] ad confirmandos *fratres tuos* [6], *universo gregi*, quem à perversæ doctrinæ contagio arcere verbisque fidei pascere à Deo jussus es, Pastorali attendis

[1] *Rom.* XIII, 1. — [2] *Ibid.* 6. — [3] I *Petr.* II, 25. — [4] *Act.* XX, 28. — [5] II *Tim.* I, 11. — [6] *Luc.* XXII, 32.

vigilantiâ [1]. Ad hanc igitur Cathedram principalem, unicam, in quâ boni depositi custos [2], veritatisque Catholicæ judex præsides infallibilis, quasi infantuli, et cum toto prostrati animi obsequio, lucubrationem nostram substernimus. O utinàm, Deo auspice suscepta, ad illius gloriam, utilitatemque totius Cleri, animarumque salutem non mediocriter vergat! Si quid autem in eâ à fide orthodoxâ dissonum, inscii certè, non ultronei, interseruerimus, irreformabili judicio TUO imis præcordiis inhærentes, prædamnamus, et tamquàm heterodoxum exsecramur.

Accedit quòd TIBI debetur Opus nostrum, utpotè antiquitatis Christianæ Pontifici amantissimo. Omnibus enim in manifesto est ardentissimus ille TUUS, ac propemodùm immensus, zelus, quo zelatus es in fovendis et ad summum provehendis sacrarum Litterarum veterumque Patrum studiis. Testis est Paterna illa benignitas, quâ de sede Pontificali ad Theologiæ candidatos ultrò descendis, doctâque simul et facili aure excipis eruditas illas concertationes, quibus illi ad virilia eloquentiæ prælia capessenda proludunt. Testes sunt illæ Encyclicæ Litteræ, quibus Antistites Gallicanos adhortaris et obsecras ad incumbendum, ut *adolescentes Clerici humanioribus litteris severioribusque disciplinis, potissimùm sacris, imbuantur, ac germanam dicendi scribendique elegantiam et eloquentiam ex sapientissimis sanctorum Patrum Operibus addiscere valeant* [a]. Quî pro merito explicemus insignem illum favorem quo, venerabilium Prædecessorum vestigiis insistens, eruditos Patrum editores complecteris, ardoremque ignitum, quem ad hæc studia in animis suscitas? Nonne, TE vehementer adurgente, strenuorum operariorum agmen, cui præibat doctissimus Cardinalis MAI, innumeris è Vaticanis Codicibus thesauris eruendis indefessam operam impendit? Nonne viros ex omnibus Europæ christianæ regnis selectos, et sacrâ eruditione præstantes, Romam accivisti, qui ad alia Patrum scripta aurea investiganda totas ingenii vires intenderent? Indè, quemadmodùm ex unâ parte jussu tuo sacra Catacumbarum loca explorata sunt, atque reperta sunt innumera sanctorum Martyrum corpora, veneranda Catholicæ fidei pignora; ità ex aliâ parte factum est ut,

[1] *Act.* XX, 28. — [2] II *Tim.* I, 14.

[a] Litteræ Encyclicæ, datæ 21 die Martii 1853.

hortatu Tuo diligentissimè excussis Bibliothecis publicis, è tenebris emergerent alia Patrum monumenta, aliæque nobiles eorum scientiæ et pietatis reliquiæ doctorum virorum manibus versarentur.

Quid multa? Te, Teipsum, Beatissime Pater, in Opere nostro auctorem et quasi ducem antesignanum sequemur. Tu in investigandis Patrum scriptis laborâsti, et nos in labores tuos introibimus[1]. Meminimus enim (et animus meminisse horret) calamitosæ hujus tempestatis, cùm ingrati filii subjectique rebelles eò dementiæ provecti sunt, ut Te Patrem, Te Regem probris insectari solioque patriâque expellere sustinerent. Has inter procellas undiquè sævientes, Tu, Beatissime Pater, stans impavidus, oculos animumque ad Deum attollens, pendentem in fulmina dexteram Omnipotentis precibus deprecatus es : nimboso cœlo affulgens sidus, Mariam invocâsti, novosque Virgini Deiparæ honores vovisti. Quos ut executioni mandares, à Patribus ipse sciscitatus es quidquid magnificè de Mariâ elocuti fuerant, totiusque orbis Episcopos ad eumdem laborem convocâsti [a] : voce Tua exciti, Patres unanimi voce conclamârunt : MARIA SINE LABE CONCEPTA EST ! Tuque, antiquis Patribus accinens, et concordantibus Episcopis universis, summo gentis Christianæ plausu, intemeratam Virginem laudibus cumulâsti honorificentissimis. Hoc igitur Opus Tuum, doctrinæ pietatisque perenne monumentum, *Bibliothecæ Patrum concionatoriæ* superaddemus, doctissimasque paginas in honorem Beatæ Virginis manu Tua exaratas, exscribemus, quibus Festum immaculatæ Conceptionis insignire nobis in animo est.

In *hâc* igitur *Bibliothecâ* coram Te, Beatissime Pater, sistimus viros illos Apostolici pectoris, qui per tredecim priora sæcula effloruerunt. Hi viri, hi sunt qui adversùs hæreses impigrè et acriter voce et scriptis dimicaverunt : hi sunt *homines magni virtute, imperantes virtute prudentiæ populis sanctissima verba* [2] : hi sunt qui sacram fidem in animabus seminârunt, atque peccatorum corda pervicacia vi eloquentiæ suæ Christi jugo subjecerunt. En adstant Tibi et quasi è sepulchris resurgentes. Amplectere itaque hos eximios vitæ spiritualis Doctores et Magistros, cujus perficiendæ zelo flagras tàm vehementi, hos legis

[1] *Joan.* IV, 38. — [2] *Eccli.* XLIV, 3 *et* 4.

[a] Litteræ Encyclicæ, datæ Gajetæ 2 die Februarii 1849.

Evangelicæ prædicatores, quam ad ultimos orbis fines propagare summo studio eniteris.

Hos igitur Episcopos, Doctores, Sacerdotes, quos olim misit Christi Vicarius ad accendendum *ignem* quem Deus *venit mittere in terram* [1], Tu, Beatissime Pater, denuò in orbem Christianum mitte. Hos mittat Petrus in Te vivens, imò Christus, qui Te posuit Ecclesiæ suæ fundamentum et culmen; illisque præconibus iterùm dicat : *Docete omnes Gentes* [2] *: Prædicate Evangelium omni creaturæ* [3].

Ad ultimum, hoc nobis est in votis maximum, ut Operi nostro inchoato faveat benedictio tua Apostolica, faveat et filiis,

AD PEDES SANCTITATIS TUÆ,

Humillimè et devotissimè prostratis.

J.-A. GONEL,
E Diœcesi Remensi.

L.-M. PERÈ,
E Diœcesi Remensi.

Parisiis, die 7 Martii, S. Thomæ Aquinati dicato, anno 1859.

[1] *Luc.* XII, 49. — [2] *Matth.* XXVIII, 19. — [3] *Marc.* XVI, 15.

REVERENDISSIMO ATQUE EMINENTISSIMO PRÆSULI

DD. FRANCISCO NICOLAO MAGDALENÆ MORLOT,

DIVINA PROVIDENTIA

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI E TITULO SS. NEREI ET ACHILLEI,

IMPERATORIS GALLORUM MAGNO ELEEMOSYNARIO,

CAPITULI IMPERIALIS S. DIONYSII PRIMICERIO, ETC., ETC.

Cuinam aptiùs quàm TIBI, EMINENTISSIME PRÆSUL, offerre audebimus hanc *Bibliothecam Patrum Concionatoriam*, cujus novam editionem, annuente Deo, auspicati sumus? Quam in lucem proferre primùm aggredienti eruditissimo COMBEFISIO suffragati sunt olim patrocinio suo CARDINALES PAULUS et PETRUS DE GONDI, necnon HARDUINUS DE PEREFIXE, quos Archiepiscopos meritò sibi vindicat Parisiensis Ecclesia. Ad TE igitur sponte suâ vergit illa, quam novis monumentis amplificavimus editio. Hi nascentis Operis incunabulis adfuere, ô si illius incrementis benevolentia TUA adspiraret! TIBI, EMINENTISSIME PRÆSUL, quem zelus domûs Dei comedit, et nusquàm non intento ad studia Cleri tui in bonum religionis promovenda, libentissimo animo hanc lucubrationem deferimus : quæ, si benè digesta fuerit et ad finem perducta, Sacerdotibus et iis maximè qui sacræ prædicationi deserviunt, nonnihil utilitatis allatura est. TE demùm, qui Apostolico more *ministerium tuum* imples, *in omnibus laboras*, et *opus* facis *Evangelistæ* [1], juvabit

[1] II *Tim.* IV, 5.

veneranda Patrum monumenta evolvere, quibus admiscentur diserta scripta Antecessorum Tuorum PETRI LOMBARDI et GUILIELMI ALVERNI, quorum et pietas et doctrina in TE reviviscunt.

Votorum igitur nostrorum compotes erimus, EMINENTISSIME PRÆSUL, si primum hocce volumen Festorum Dominicalium *Bibliothecæ concionatoriæ* excipere non dedignatus fueris, tamquàm humillimæ reverentiæ nostræ obsidem, testemque obsequii nostri addictissimi.

J.-A. GONEL,
E Diœcesi Remensi.

L.-M. PERE,
E Diœcesi Remensi.

Parisiis, die 7 Martii, S. Thomæ Aquinati dicato, anno 1859.

NOVORUM EDITORUM

PRÆFATIO,

IN QUA SUMMATIM RECENSENTUR PRÆCIPUA HUJUS TOMI ARGUMENTA.

SYNOPSIS.

NUM. I. Explicatur titulus ille : *Bibliotheca Patrum Concionatoria.* — II. De Glossis. — III. De Catenis sanctorum Patrum. — IV. De Hermeneuticâ sacrâ apud Patres usitatâ. — V. De Homiliis seu Expositionibus Patrum Græcorum in quatuor Evangelia, quæ sive ad Vigiliam Nativitatis Dominicæ sive ad Festum ipsius Nativitatis spectant. — VI. De Homiliis Patrum Latinorum in eadem Evangelia. Rationes propter quas in hâc novâ editione in lucem editi sunt medii ævi Auctores. — VII. De Sermonibus Patrum Græcorum in Vigiliam Nativitatis. — VIII. De Sermonibus Patrum Latinorum in suprà dictam Vigiliam. — IX. De Appendice exegeticâ atque theologicâ in Evangelium ejusdem Vigiliæ. — X. Cura novæ huic editioni impensa. — XI. Utilitas totius Operis. — XII. Ad lectorem deprecatio. Commendantur fautores hujus Operis.

I. In latissimum et penè infinitum illud Patrum curriculum ingressi, cùm, hoc primo Dominicalium Festorum volumine absoluto, primam quasi metam cursu contigerimus, nobis per lectorem liceat emensum itineris spatium retrospicere, quò faciliùs innotescant tùm operis susceptio, tùm finis quem persequimur, tùm media per quæ propositum nos assecuturos esse, Deo adjuvante, confidimus.

Ac primò non abs re fuerit titulum huic Libro præscriptum : *Bibliotheca Patrum concionatoria*, rectè definire. Ad cujus intelligentiam advertendum est *Patres* sensu latiori vocari viros omnes illos scientiâ conspicuos, qui ipsi Ecclesiæ Catholicæ addicti, eamdem scriptis suis illustrârunt, doctrinam scilicet fidei aut morum, sive alia quæcumque ad religionem quocumque modo spectant, pertractantes. *Patres* verò strictiori sensu vocantur Scriptores Ecclesiastici doctrinâ et sanctitate clari, qui ab Ecclesiâ Catholicâ, ceu testes doctrinæ à Christo et Apostolis propositæ, ab Ecclesiâ semper et ubique traditæ, omni fide digni declarati sunt et approbati; et hi quidem, quorum agmen claudunt S. Thomas et S. Bonaventura, propriè *Sancti Patres* nuncupantur. Nostra autem *Bibliotheca* è Patribus conflata est in priore sensu intellectis, qui ab ævo Apostolico ad decimum tertium sæculum floruerunt.

Hoc posito, de singulis hujusce Tomi partibus quædam nobis sunt prælibanda.

II. In editionibus præcedentibus, Evangelio de die Dominicâ vel de Festo annexa erat *Glossa*, cujus Auctor vulgò habetur ANSELMUS LAUDUNENSIS, monachus Benedictinus, cognomento *Scholasticus* [a]. Qui quidem, novo atque inusitato explanationis modo, utriusque Testamenti Libros brevissimis quibusdam summariis annotationum à Patribus desumptarum exposuit [b] : quas minutissimis characteribus descriptas, inter ipsas Scripturarum lineas majoribus litteris exaratas coaptavit, eumque laborem *Glossam interlinearem* appellavit. Et huic Glossæ proximè subjecta erat alia, cujus præcipuus Auctor ab omnibus celebratur WALAFRIDUS STRABO, monachus Benedictinus cænobii Fuldensis in Germaniâ, Rabani Mauri, Benedi-

[a] Juxta LEBEUF, in Dissertatione de Historiâ Parisiorum, Tom. 2, alii *Glossam interlinearem* Anselmo Laudunensi, alii Gilberto Porretano, Pictaviensi Episcopo, alii aliis adscribunt. Hæc autem dubia orta sunt ex eo quòd Auctores, qui Scripturam interpretati sunt post Anselmum Laudunensem, ejus Glossâ plurimùm usi sunt, inter quos Gilbertus suprà dictus, Petrus Lombardus et Nicolaus Lyranus. At, inquiunt Benedictini auctores Historiæ litterariæ Galliæ, Scriptores antiqui et recentiores ferè unanimes sunt in adscribendo Glossam interlinearem Anselmo Laudunensi. Idem Anselmus amplificavit Glossam ordinariam Walafridi Strabonis : utraque edita fuit cum hoc titulo : « Glossa interlinearis in totum Vetus et « Novum Testamentum, unà cum Glossâ ordinariâ. » Basileæ, 1502-1508 in f°. Glossa interlinearis edita quoque fuit unà cum Postillis Nicolai Lyrani.

[b] De hâc Glossâ sic habet POSSEVINUS, in Apparatu, Tom. 1 : « Multa breviter et quasi punctim, sed doctè et accuratè at« tingit. »

ctini ejusdem cœnobii Abbatis, et Archiepiscopi deindè Moguntini, auditor et scriba amanuensis [a]. Hujus Collectionem expositionum in Scripturam tanti fecerunt posteri, ut quasi *ordinariam Glossam*, seu linguam ipsam Scripturæ appellarent, cùm sine eà legentes sacra verba, linguam, quam non noveramus, audire nos putaremus. Utraque Glossa, tàm *ordinaria* quàm *interlinearis*, per sex sæcula maximæ fuit apud omnes Theologos auctoritatis, ut apud Halensem Alexandrum, Petrum Lombardum, S. Thomam aliosque scholæ Magistros præcipuos, qui eorum locis passìm utuntur, cuivis potest esse manifestum. Paulatìm tamen, decurrentibus annis, maximè cùm alia in lucem prodiissent Opera pleniori doctrinâ ornatissima, adeò senuit Glossarum auctoritas, ut hodiè nullius ferè sint nominis apud viros eruditos.

Quæ cùm ita sint, nobis ambigendi locus fuit utrùm eas retineremus necne; et ipse COMBEFISIUS non sine magnâ hæsitatione Glossam ordinariam servavit. De quâ sic habet in Præfatione suâ : « Diù concertatum est, inquit, nùm retinenda « Glossa ordinaria quæ penè superflua videretur, « iis Tractatibus repræsentatis, ex quibus illius « Auctor ipsam conflàrat, ad hæc etiam, Catenâ « S. Thomæ pleraque ejus habente, majorique ferè « distinctione; volentibus tamen, præsertim Dio- « nysio PETAVIO Societatis Jesu, viro eruditissimo, « parui; quandoquè etiam, rariùsque verè inutilem « suppressi : quoad licuit, emendavi. » Incerti igitur quid faceremus, viros quosdam, res ecclesiasticas percallentes, in consilium adhibuimus. Nobis auctor fuit D. DRACH, in divinis Scripturis versatissimus, ut in locum Glossæ interlinearis breves è MENOCHIO, MARIANA atque EMMANUELE SA Annotationes subjiceremus, quibus sanè, ex omnium professo, litteralem sacri Textûs sensum, ambagibus digressionibusque resectis, facilè et non multi temporis impendio quilibet assequi potest. In his brevitatem cum perspicuitate atque ubertate conciliatam lector inveniet, et loca ex optimis quibusque Scriptoribus selecta, quæ Scripturarum sententiam planam faciunt. Insuper, doctissimi Sacerdotes, quorum unus D. GLAIRE, in Academiâ Sorbonicâ Facultatis theologicæ non ità pridem Decanus, et certè de Hermeneuticâ sacrâ optimè meritus, alter R. P. LIBERMANN, etiam non ità pridem in Congregatione sancti Spiritûs Scholasticæ Professor, nunc in Seminario Gallico apud Romanos, linguâ gallicâ, *Séminaire Français à Rome*, Director, quem avunculus multùm desideratus locupletis suæ eruditionis hæredem propemodùm instituit, censuerunt Glossæ ordinariæ vicem apprimè expleturos esse celebres MALDONATI, CORNELII A LAPIDE atque CORNELII JANSENII in Evangelia Commentarios, sanctorum Patrum doctrinali succo refertissimos. Præfatorum virorum judicio assensus D. BAUDRY, in Seminario sancti Sulpitii doctissimus theologiæ dogmaticæ Professor, optimum quidem duxit his Annotationibus Commentariisque *Bibliothecam concionatoriam* amplificandam esse, sed nihilominùs ea esse retinenda quæ COMBEFISIUS ipse retinuerat, et speciatìm utramque Glossam quæ, ut ait DUGUETIUS, « non « adeò spernenda est, utpotè apud patres nostros « magno in pretio habita [b]. »

Hisce tanti momenti consiliis obsequentes, ex unâ parte Annotationes è Menochio, Marianâ et Emmanuele Sâ excerptas, et Commentarios Maldonati, C. à Lapide et C. Jansenii ità interseruimus, ut inter se veluti catenâ colligarentur, expungereturque omnis jejuna verborum superfluitas, omne quod bis in idem jàm dictum fuerat; ex alterâ autem parte Glossam sive interlinearem, sive ordinariam retinuimus : quæ, ne nimiâ rerum supellectile lectoris animus oneraretur, translatæ sunt ad calcem cujusque Tomi, Evangelia de quibus disserunt continentis. Postremò, cùm hujus nostri laboris propositum trutinandum detulissemus ad D. DARBOY, Protonotarium Apostolicum, ac diœcesis Parisiensis Vicarium generalem, exercitatissimus ille de rebus ecclesiasticis judex, et scriptis suis verè magister in Israel, incœptum nostrum ratum habuit, eoque, quem numquàm satis laudare possumus, benigno in nos animo promptoque bona studia juvandi pollicitus est se conatibus nostris esse suffragaturum.

III. Prædictas Glossas proximè sequitur egregia S. THOMÆ AQUINATIS expositio, seu *Catena aurea* in quatuor Evangelia : de quâ plura prænotanda esse nobis videntur. Nemo nescit hoc Opus verè aureum ad petitionem Urbani IV Summi Pontificis susceptum fuisse; expositionem in Matthæum intra biennii spatium (1262-1264) completam esse atque eidem Pontifici dicatam; alias verò, quas paraverat, expositiones in Marcum, Lucam et Joannem post Urbani obitum perfectas esse, atque Hannibaldo Cardinali nuncupatas. Ipse Divus Thomas mentem suam operamque patefecit in suâ ad Urbanum Epistolâ nuncupatoriâ; in quâ declarat : 1° Sibi *commissum* à Summo Pontifice, ut *Matthæi Evangelium* commentationibus explanaret : 2° Consultis perlectisque *diversis Doctorum libris*, confectam *prædicti Evangelii expositionem continuam* : 3° Adhibita quidem *certorum Auctorum verba* ; at *Glossas* ut plurimùm quæ ferebantur, decerptas,

[a] Nonnulli opinantur Walafridum Strabonem hanc *Glossam ordinariam* excepisse ab ore Rabani Mauri, magistri sui.

[b] DUGUET, ex Epist. asceticis et moralibus. Tom. 8 earum Collectionis.

easdemque *sub Glossæ titulo prænotatas :* 4° Curam fuisse *in Sanctorum dictis, ut singulorum Auctorum nomina* describerentur, *necnon in quibus habeantur locis assumpta testimonia* indicarentur : 5° Prætermissam, utpotè supervacaneam, hanc diligentiam, *cùm decerperentur libri et expositiones super loca quæ exponebantur : undè sicubi nomen inveniatur*, exempli gratiâ, *Hieronymi, de libro mentione non factâ*, *intelligendum esse quòd hoc dicat super Matthæum, et in aliis rationem similem*, passim et ubique *servatam* : 6° In ipsis *Sanctorum testimoniis*, quæ allegantur et afferuntur, *plerumquè de medio aliqua* consultò *rescissa ad prolixitatem vitandam ;* ac etiam sententiarum verborumque *ordinem commutatum*, sive *ad manifestiorem sensum* assequendum, vel ut ipsi *litteræ* magis congrueret expositio : 7° Factum verò *interdùm*, ut *sensus* exprimeretur *verbis dimissis*, idque præcipuè *in Homiliario Chrysostomi*, *propter hoc quòd est translatio vitiosa :* 8° Neque solùm *litteralem sensum* explanatum, verùm etiam *mysticum*, itemque *errores* contra fidem *destructos, confirmatamque Catholicam veritatem.* In alterâ autem ad Cardinalem Hannibaldum Epistolâ nuncupatoriâ, dicit S. Thomas se easdem regulas in reliquo Opere perficiendo tenuisse : *Eâdem*, inquiens, *in omnibus formâ servatâ in ponendis Sanctorum auctoritatibus, ac eorum nominibus præscribendis.* Sed aliquid etiam diligentioris operæ contulit, quod his verbis patefacit : *Et ut magis integra et continua prædicta Sanctorum expositio redderetur, quasdam expositiones Doctorum græcorum in latinum feci transferri, ex quibus plura expositionibus latinorum Doctorum inserui, Auctorum nominibus prænotatis.* At viri critici testimonia, quæ à S. Thomâ allegata sunt, diligentiùs expendentes, animadvertenda nonnulla indigitaverunt : alterius Scriptoris nomen pro altero interdùm poni, supposititia quoque adhiberi Opera, ac plura sine dubio depravata inveniri loca. Neque tamen Angelico Doctori id vitio vertas, quod ipsi cæterisque ejus ævi Scriptoribus commune est. Causa fuit rudioris et impoliti sæculi conditio : difficultatem auxit extrema Codicum penuria, quâ viri docti adigebantur Patrum sententias non ex fonte haurire, sed ex Glossis aut similibus Collectionibus. Græcorum etiam Patrum latinæ interpretationes, quæ præ manibus habebantur, vitio laborabant ; ac ipsi demùm interpretes, Patrum Scriptorumque nomina, aut litteris dumtaxat initialibus, aut notis compendiariis indicata, pro libito efferebant. Id genus causas novit ipse S. Thomas ac enarrat. Candidè fatetur (in Præfatione suprà dictâ) *ut plurimùm ex Glossis*, non ex fonte, verba Patrum desumpta : adhiberi oportuisse *translationes vitiosas, in Homiliario* maximè *Chrysostomi ;* Doctorumque græcorum *quasdam expositiones in latinum*, se curante, conversas ab interprete, cujus fidem sequi debuit ipse. Verùm enimverò ea semper fuerit Operis à S. Thomâ elucubrati maxima laus : « quo factum est, ait Possevinus, ut et Evangeli« cum sensum, et Patres antiquos latinos, qui deli« tescebant aut minori erant in usu, ac græcos « ipsos interpretes assequeremur, divinâ viri chari« tate procurante ut latinè propterea verterentur. » Mendis porrò sive quæ laboriosissimi Operis conditio ferebat in rudi sæculo, sive quæ posteà exscriptorum typographorumque oscitantiâ irrepserant, improbo labore tergere ac purgare Opus ipsum aggressus est Joannes NICOLAIUS, Ordinis Prædicatorum. Non solùm ille indicibus locorum accuratè notandis, ipsisque locis vero suo Auctori restituendis operam dedit, sed etiam ultrà processit. Narrat quippè in Præfatione « se adulteratam Patrum vel « aliorum quoque Auctorum verba, et præsertim « græcorum quæ latinè perperàm reddita sunt, ex « ipsismet fontibus restituisse, corrupta repara« visse, mutila integrâsse, prætermissa supplevisse, « imperfecta complêsse, perturbata digessisse, am« bigua evolvisse, et vel in textu immutâsse, cùm « immutari absolutè necessarium fuit, vel verio« rem lectionem ac legitimam ex græcarum locu« tionum usu ad marginem posuisse, et græcas « ipsas voces vel phrases aliquandò integras ad ma« jorem certitudinem annotavisse. » Quâ in re an liberiùs egerit ipse quàm par esset, orta lis est cum nostro COMBEFISIO : qui contendebat, genuinum ac germanum S. Thomæ Opus ut habeatur, producenda esse loca sacræ Scripturæ sanctorumque Patrum, ut ea legit attulitque sanctus Doctor, variantesque et novas lectiones ad marginem, si ità videatur, apponi posse. Ipseque COMBEFISIUS in *Bibliothecâ concionatoriâ*, antiquas lectiones, quas esse S. Thomæ censuit, intactas reliquit, ad marginem immutationes à Nicolaio factas annotans, et aliquandò castigans. Cujus opinioni inhærentes, Angelici Doctoris Catenam, qualem concinnavit, exhibuimus. Candidè enim fassus est S. Thomas, in Sanctorum testimoniis *plerumquè aliqua de medio rescissa*, verborum etiam *ordinem commutatum, interdùm sensum expressum verbis dimissis*, ac *vitiosam* adhibitam latinam, præsertìm Homiliarum Chrysostomi, *versionem.* Cur ergò transformari vel supprimi hæc debeant? Cur S. Thomas mutetur ab ipso? Quocircà primigeniam editionem secuti sumus, anno 1470 cusam, et quæ tamquàm editio *princeps* haberi potest, utpotè manuscripto, ab Auctore ipso Summo Pontifici oblato, magis consentaneam : retinemus tamen indices locorum quos signavit Nicolaius, ipsosque locos vero suo Auctori restituimus; sed uncis hæc

includimus, ut hoc modo facilè dignoscatur quodcumque laudatæ editioni proprium est : item, quotiescumquè lectio mendosa est, vel mutila, vel obscura, vel adulterata, in imâ paginæ parte subjectam reperiet lector novam lectionem mendis expurgatam, vel integram, vel perspicuam, vel sinceram, quam deprompserimus sive ex editione Nicolaii, sive, et hoc quidem sæpiùs, è præstantissimâ editione speciali Operum Patris Scriptorisve ecclesiastici, ad quem pertinet illa lectio.

Huic autem S. Thomæ Aquinatis præclaræ expositioni in Evangelia quisnam fuerit ab ipso Auctore impositus titulus, dicere non est supervacaneum. Joan. Albertus Fabricius in Bibliothecâ græcâ, Lib. 5, cap. 17, num. 1, Tom. 7, ubi Catenas Græcorum in sacræ Scripturæ Libros recenset, sic habet : « *Catenæ* autem vocabulo primus, ni fallor, hoc « sensu usus ex Latinis Thomas Aquinas est; nam « Græci quidem scripta hujus modi vocant ἐπιτομὰς « ἑρμηνειῶν, ut apud Lambecium, Tom. 3, p. 60, « sive ἑρμηνείαν συνερανισθεῖσαν, sive ἐξήγησιν συλ- « λεγεῖσαν ἐκ διαφόρων Πατέρων, etc. Non absurdè « autem *Catenæ* vocabulum hisce scriptis appli- « catur, quoniam, ut catena ex pluribus constat « annulis inter se connexis, sic illæ expositionem « Librorum sacrorum ex plurimis Scriptorum cogi- « tatis contextam offerunt. » Aptissimam vocabuli *Catenæ*, hujusmodi scriptis applicati, interpretationem accipimus à Fabricio; at fallitur ille, S. Thomam Aquinatem proferens, qui primus hoc sensu usus eo vocabulo fuerit. Non alium ipse Operi suo titulum inscribendum cogitaverit, nisi quem in Epistolis nuncupatoriis disertè proponit ac exprimit; in priore ad Urbanum IV inquiens : « Sollicitè « diversis Doctorum libris, prædicti Evangelii (se- « cundùm Matthæum) *expositionem continuam* « compilavi ; » et in alterâ ad Hannibaldum : « Mi- « nisterium *expositionis* adhibui, ... ut quatuor « Evangeliorum *expositionem* complerem, ... et « ut magis integra et *continua* prædicta Sancto- « rum *expositio* redderetur. » Cuique patet Operi suo inditum à S. Thomâ titulum *Expositionis continuæ*. Antiquiores manuscripti Codices hanc offerunt inscriptionem : « Catena Thomæ de Aquino in Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem » : undè non longè à Thomæ obitu Opus de quo agitur, vulgò *Catena* vocitari solebat et *Catena aurea*; at eidem primi editores frequentiùs titulum inscripsere *Continui* et *Glossæ continuæ*, sancti Auctoris verbis convenientem, qui commentationes suas in Epistolis nuncupatoriis appellavit *Expositionem continuam*.

Hæc satis superque sunto de eximio S. Thomæ Opere.

Combefisius, qui in indefessis investigationibus, novos eloquentiæ Patrum thesauros congestos repererat, nihil non molitus est ut Catenæ aureæ S. Thomæ Aquinatis *Supplementum* adjiceret : quod pervicaci labore assecutus est. Hoc igitur Supplementum compegit : 1° *ex Catenâ regiâ*, quæ sic appellata est verisimiliter, eo quòd ex Bibliothecâ regiâ decerpsit Combefisius symbolas, partìm editas, partìm manu exaratas, quibus usus est ut eam in lucem ederet : 2° ex Catenis præstantioribus post Catenam auream, id est, *ex Catenis græcorum Patrum* in Matthæum, curâ P. Possini et B. Corderii, Tolosæ, 1646; in Marcum, ejusdem P. Possini studio, Romæ, 1673; in Lucam (latinè tantùm), curâ B. Corderii, Antuerpiæ 1628, necnon in Joannem, quæ cæteris est accuratior, ejusdem Corderii studio, Antuerpiæ, 1630; unam quidem alteramve Catenam exhibens, prout de uno alterove præscriptorum Evangelistarum agebatur. At, in Supplemento à Combefisio edito super Lucam et Matthæum [a], nihil agitur de Patribus latinis : quod quidem, nostro saltem judicio, lacuna est : itaque eam cumulare studuimus, adjicientes Patribus græcis Patres latinos, excerptos sive è Catenâ ipsâ Corderii in Lucam, sive ex ejusdem Supplemento in Matthæum. Jàm autem dudùm in Ecclesiâ mos obtinuerat, ad illustrandos sanctæ Scripturæ Libros, egregia seligendi ex præstantissimis veteris Ecclesiæ Patribus atque Scriptoribus, non modò illis qui ex instituto sacros Scriptores exposuerunt, sed etiam ex aliis omnibus, qui in Operibus suis obiter aliquid ad lucem divinis Scriptis accendendam insperserunt. Hujusmodi Collectores, laudabili planè industriâ, ex iis præsertìm qui primum inter sacræ Scripturæ interpretes locum occupant, ex Origene, ex S. Chrysostomo, ex Theodoreto, etc., excerpserant quæ ad exponenda et in usum vertenda sacra Oracula in primis facere viderentur; tantòque magis hi doctis placent ac probari solent, quòd non modò ex vastis voluminibus Commentariorum vel Homiliarum, ea quæ maximè ad rem faciunt, conati erant delibare, atque plurium clarorum virorum sensa succinctè cognoscenda, et industriæ illorum fructum brevi labore capiendum lectoribus offerunt, sed etiam quòd multa ex antiquis Scriptis servârant nunc omninò deperditis, ex quibus, nisi in hujusmodi servatum fuisset Catenis, nihil omninò ad nostram ætatem pervenisset. Attamen eruditi rectè monent cautè et circumspectè ipsis utendum esse, propterea quòd Catenarum Auctores non rarò

[a] Ne miretur lector quòd non inveniatur apud Combefisium Supplementum Catenæ aureæ in S. Joannis Evangelium : *In principio erat Verbum;* illi enim Auctores, è quibus Catena Corderii in istud Evangelium compacta est, inter alios Patres Scriptoresque græcos ab illo infrà repositi sunt : quod idem præstandum esse in hâc editione censuimus.

lectorum fidei solent imponere; vel Auctorum permutatis nominibus, vel depromptos ex variis Patribus locos in unum eumdemque conflando, vel testimonia interpolando, contrahendo, diffundendo, nec propriis Auctorum verbis, ut par erat, referendo. Sed hoc monitum non attinet ad nostram novam editionem; nam textus memoratos in Catenis suprà dictis, è quibus Supplementum Catenæ aureæ S. Thomæ Aquinatis compegimus, recognoscendos curavimus juxta optimas editiones Patrum (paucis saltem Patribus exceptis), ità ut illis fides meritò sit adhibenda.

IV. Triplex generatim est modus interpretandi sanctam Scripturam, scilicet *litteralis*, *moralis* et *allegoricus* seu *mysticus*. Expositio *moralis* omnia quæ referuntur in Scripturis, immediatè ad mores formandos pertinere statuit; *allegorica* verò docet omnia quæcumque in Scripturis reposuit Spiritus sanctus, aptè inservire posse vel debere tamquàm signa ad dogmata Christiana, sive quæ personam Christi opusque Redemptionis, sive quæ statum animæ Christianæ in vità præsenti internum aut futurum in alterà vità complectuntur, adumbranda et exprimenda; expositio deniquè *litteralis* nec moralem, nec allegoricam penitùs excludit, sed utramque certà quâdam ratione in se complectitur; dùm quippè accuratè docet quid, referente Scripturà, olim gestum sit, quid indè sive immediatè sive mediatè ad mores formandos fluat, ac quæ veritates Christianæ fidei diversis in locis, maximè Veteris Testamenti, præfigurentur, prædicantur, vel apertè doceantur. Harum interpretationum nullam omninò neglexerunt sancti Patres, ità tamen ut alius aliam potissimùm sequeretur, nonnulli etiam plures vel omnes simul jungerent. Generatìm tamen magis sensui morali et allegorico enucleando operam dederunt, quin tamen excluderent litteralem. Imò potiùs disertè testantur Patres sensum litteralem considerandum esse tamquàm basin necessariam, cui superstruatur expositio moralis et allegorica.

Diversi porrò generis sunt Opera exegetica Patrum, pro diverso fine qui, illis sanctam Scripturam interpretantibus, ob oculos versabatur. Quarè Opera ista commodè in tres classes dividi possunt. Quarum primam constituunt Commentaria, quæ sensum totius Libri sanctæ Scripturæ serie continuâ exhibent atque illustrant. Hæc ante sæculum Ecclesiæ tertium non inveniuntur: sæculo quarto frequentiùs elucubrata sunt, cùm scilicet primis post Christum et Apostolos generationibus sacra Scriptura, præsertim Novi Testamenti, tamquàm verbum vivum difficultates minimè præberet, adeòque expositione eruditâ non indigeret. Cùm verò, aliquot interpositis sæculis, plerisque littera mortua fieri cœpisset, tùm necesse erat ùt scientia exegetica mediatricis quasi vice fungeretur, ac eorum quæ olim omnes facilè perspexerant, nunc sensum plerisque aperiret, eosque ad intelligenda divina Oracula quasi manu duceret. In hisce autem Commentariis prævalet interpretatio litteralis vel allegorica. Secundum interpretationis genus, idque frequentissimum apud Patres et antiquissimum in Ecclesià, constituunt Homiliæ in totos sacræ Scripturæ Libros. Ibi, serie continuâ Concionum ad plebem habitarum, totum Libri cujusdam divini argumentum refertur: sensus plerumquè litteralis breviùs, fusiùs verò moralis et allegoricus enarratur; quia omninò persuasum habuere sancti Patres fore ut, « si hoc « tantùm velimus intelligere quod sonat in litterà, « aut exiguam, aut nullam ferè ædificationem de « divinis lectionibus capiamus[a]; » omnem verò Scripturæ usum in ædificatione corporis Christi esse reponendum minimè dubitabant. Quapropter, ut hanc ædificationem promoverent, animisque fidelium veritates fidei morumque præcepta altiùs infigerent, SS. Patrum plurimi, jàm indè à tertio Ecclesiæ sæculo, Librum aliquem sacræ Scripturæ interpretandum sibi sumpserunt, ejusque singulas partes singulis Concionibus hoc fine populo explicare aggressi sunt, donec totum Librum absolvissent. In ejusmodi Homiliis admodùm raró sensum litteralem plebi exponebant: quâ ratione, exempli gratià, S. Basilium Magnum Geneseos initium explanàsse constat in suis Homiliis novem in Hexaemeron; frequentissimè verò sensum moralem et allegoricum in Homiliis pandebant. Sic S. Joannes Chrysostomus sensum litteralem cum morali jungere consuevit aptissimo planè modo: sensum allegoricum prosequi maluit S. Gregorius Magnus; S. Athanasius verò, qui plures ejusmodi Homilias in varios Scripturæ Libros ad populum habitas, formâ posteà immutatâ, in librum congerere amavit, sensum moralem et allegoricum simul explanat. Tertium interpretationis genus complectitur diversas lucubrationes minores, inter quas referri commodè possunt Homiliæ in unum alterumve Scripturæ locum; potissimùm verò huc pertinent Scholia, seu breves explanationes quorumdam difficiliorum Scripturæ verborum seu locorum, cujusmodi Origenes reliquit, et diverso quamvis nomine, S. Hieronymus et S. Augustinus.

Quod diximus de Operibus exegeticis SS. Patrum, idem dicendum est de Operibus exegeticis illorum quos sensu latiori Patres vocitamus, scilicet Scriptorum ecclesiasticorum, qui post illustres Ecclesiæ Patres et Scripturæ interpretes, illorum lucubrationes omnes nunc etiam ex parte deperditas, in

[a] S. Cæsarii Arelatensis Sermo 20, num. 1 (In Opp. S. Augustini, edit. Maurina, Tom. 5, Append. Sermo 40).

succum et sanguinem verterunt, atque in sua Commentaria transtulerunt; cujusmodi sunt inter Græcos Procopius Gazæus, Theophylactus, Œcumenius, Euthymius Zigabonus; inter Latinos, S. Beda Venerabilis, Haymo, Halberstatensis Episcopus, S. Paschasius Radbertus, S. Thomas de Aquino, etc.

Patres Scripturæ locos aliquandò fusiores, et tunc plerumquè ex sacro Codice transcriptos exhibent, aliquandò breviores, eosque plerumquè memoriter recitant, magis sensum quàm verba attendentes; nonnumquàm verò indigitant potiùs quàm exprimunt locos, quos animo respiciunt; alibi etiam plures locos quàdam ratione inter se cognatos ità contexunt, ut unicum locum efficere videantur. Sacram verò Scripturam Veteris Testamenti in hebraico archetypo vix unus alterve legere valebat, cùm longè plerisque hebraicæ linguæ deesset peritia. Hinc Patres Græci sanctam Scripturam Veteris Testamenti juxta versionem Septuaginta Interpretum quàm plurimi fecerunt; imò aliquandò Spiritûs sancti singulari auxilio confectam crediderunt, atque legere consueverunt, licèt nonnumquàm et reliquas versiones græcas consuluerint et adhibuerint. Libros sacros Novi Fœderis iidem sancti Patres in linguâ originali græcâ adhibuere. Patres verò latini versiones plerumquè latinas, quarum magnus erat numerus, inter quas præsertìm eminebat versio antiqua *Itala*, usquè ad tempora S. Hieronymi in usu habebant, ità tamen ut complures etiam textum græcum attenderent [a]: indè à tempore S. Hieronymi, tùm nova ab ipso adornata versio multò correctior, *Vulgata* sensìm dicta, tùm etiam præter illam vetus Itala in usu obtinuit.

V. Inter Patres græcos, primus nobis obvius est ORIGENES, Presbyter, qui Scripturæ indefessam navavit operam, atque per Opera exegetica plerisque Græcorum Patrum facem prætulit. Licèt enim non primus sanctæ Scripturæ interpretandæ manum admoverit, hanc tamen artem hermeneuticam multùm provexit, et primus varia explanationum genera Scripturæ accommodavit. Nam vel diffusis *Commentariis*, quos ipse Τομούς vocavit et nos *Volumina* possumus nuncupare, quidquid suppeditabant ingenium et doctrina, prolixè congessit: vel *Scholiis* seu *Excerptis*, quæ breves erant Notæ enodandis locis intricatioribus et abstrusioribus sensibus eruendis: vel ad populi captum se demisit, et selectas quasdam Scripturæ pericopas minùs accuratè per *Homilias* seu *Tractatus* exposuit.

Quòd si de Origenis orthodoxiâ inquiramus, antiquiore ætate multa disputata, ac post obitum ejus varia diversaque judicia promulgata sunt. Vehementior autem de doctrinâ ejus disputatio instituta est, ab eo in primis tempore quo hæresis Ariana enata erat. Cùm enim Ariani varia ex scriptis ejus colligerent, suamque causam illius auctoritatis umbrâ protegere vellent, ipsi orthodoxi Origenis doctrinam oppugnare cœperunt; et quoniam alii eum defendebant, ab utrâque parte de illius orthodoxiâ lis agitata est; et in hâc disputatione inter Catholicos ipsos, sancti sanctis, martyribus repugnant martyres. Pugnaverunt contra istum Methodius et Eustathius Antiochenus, martyres, Pachomius Abbas, Theodorus Mopsuestenus, Apollinaris, Hieronymus, Theophilus, Alexandrinus Episcopus, ac præter alios præcipuè Epiphanius. Inter defensores Origenis, alii erant heterodoxi; qui cùm nimio cultu Origenem prosequerentur, tàm acriter causam ejus egerunt, ut non solùm quæ recta, sed etiam falsa ab isto tradita erant, defenderent: cujusmodi erant Ariani. Alii erant orthodoxi, qui partes Origenis tuebantur, ac merita ejus in rem Christianam laudabant, ità tamen ut errores ejus haud probarent, multò minùs defenderent; sed quæ ineptè ab eo dicta fuerant, benignè interpretari mallent, cujusmodi erant Dionysius Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Theotimus Tomitanus, Chrysostomus: imò nonnulli Origenem defendendi partes impleverunt, Eusebius Cæsariensis, Pamphilus, Didymus Alexandrinus, Joannes Jerosolymitanus, Evagrius Ponticus, Palladius, Isidorus, Rufinus, etc.

Inter recentiores Auctores, uti inter veteres, dissensio est de Origenis doctrinâ. Nonnulli eum multorum ac gravium errorum postulârunt, imò condemnârunt, Petavius [b], Horbius [c], Doucinus [d], etc. Alii pro eo pugnârunt, illumque à vitiis atque erroribus, quorum accusatus fuit, defendere tentârunt, cujusmodi labore perfuncti sunt Picus Mirandulanus [e], Halloixius [f], atque alii. Sunt quoque qui me-

[a] De auctoritate versionis Italæ et usu versionis græcæ septuaginta Interpretum etiam apud Latinos, vide S. Augustinum, de Doctrinâ christianâ Lib. 2, num. 22. Hæc versio Itala sæculo proximè elapso lucem publicam aspexit in Opere præclaro, quod inscribitur: « Bibliorum sacrorum latinæ versio- « nes antiquæ, seu vetus Italica et cæteræ quæ reperiri potue- « runt, operâ et studio P. SABATIER, ex congregatione S. Mauri. » Remis, 1743, 3 vol. fol. — Partem ejusdem Italæ ex Novo Testamento exhibet J. BIANCHINI Evangeliarium quadruplex latinæ versionis antiquæ seu veteris Italicæ. Romæ, 1749. fol.

[b] PETAVIUS, animadversionib. ad Epiphanii Hæres. 64.

[c] HORBIUS, Historia Origeniana.

[d] DOUCINUS, in Opere quod gallicè inscribitur: « Histoire « des mouvements arrivés dans l'Église au sujet d'Origène et « de sa doctrine. »

[e] PICUS MIRANDULANUS, Dissert. de salute Origenis.

[f] HALLOIXIUS, Origenes defensus.

dià incedunt vià; et quamvis agnoscant Origenem amplexum esse sententias haud probandas, non tamen illum acerbè perstringunt; sed simul laudibus, quibus dignus est, ornant, nec quæ justa illis videtur excusationem prætermittunt. Ex horum numero memorandi sunt Natalis Alexander [a], Dan. Huetius [b], Caveus [c], Alb. Fabricius [d], Car. Delarue [e], Maranus [f], etc.

Inter errores, qui Origeni exprobrati sunt ab ipsius impugnatoribus, hi sunt præcipui : Illum docuisse materiam ab æterno fuisse creatam : Plures jàm exstitisse orbes, pluresque adhuc probabiliter exstituros : Spiritus autem quosdam, perfectè pares et corporibus immunes, fuisse primùm à Deo creatos, qui in diversa peccata lapsi, secundùm diversorum peccatorum gravitatem diversis fuerunt corporibus addicti, ità ut in homines, vel astra, vel Angelos pœnaliter transmutati nunc appareant : Beatorum mentes posse ab innocentiâ et felicitate detrudi, dæmonem aliquandò Dei misericordiam, destructâ pravâ voluntate, obtinere posse : Ignem infernum nihil aliud esse quàm conscientiæ reatum, damnatorumque pœnas non fore æternas, etc. Non est nostrûm disserere utrùm singuli isti errores Origenem habeant auctorem necne, nec nobis est in animo cum fautoribus aut cum adversariis ejus militare : quos adeat, si libuerit, quicumque hanc litem perpendere voluerit. Sat erit nobis manifestos errores, prout in Homiliis aut Sermonibus Origenis occurrent, indigitare ac suggillare; et in hoc labore præstando nobis multùm proderunt Notæ criticæ sive è Marano, sive ex Huetio, sive è Georgio Bullo, sive è præstantissimâ editione Car. Delarue, quam sequimur.

Cæterùm, quidquid sit opinandum de Origenis doctrinâ, omnes sive amici, sive adversarii, laudibus extulerunt ingenium ejus altum, et subtile, et perspicax, imaginandi virtute stupendum, et in eviscerandis, si possumus ità loqui, rebus intentum. Nemo ùmquàm faciliùs dicenda invenire, nemo inventa faciliùs dicere prævaluit : undè nec in inventis satis cautus, nec in dictis politus satis deprehenditur : memoriâ potens, memoriâ, cui plùs æquo, sæpè indulgebat, non semel delusus : eruditione insignis, philosophiæque præsertìm Platonicæ magis quàm Christianum decet addictus : omni humaniore disciplinâ excultus : omni historiæ fabularumque cognitione informatus : omni Scripturæ sacræ, quam totam memoriæ commendàrat, ubertate ditatus : omni tandem ità scientiarum genere plenus, ut de quâcumque disserat, hanc unam didicisse videatur.

Ne miretur lector quòd duas primas Origenis Homilias (seu Tomos), quæ respiciunt Evangelium Nativitatis ad Missam in Die, ediderimus pp. 494-522 et 522-558; percelebres enim sunt et à Patribus sæpiùs memoratæ. Cùm in eis errores, dùm calamus liberiùs exspatiatur, aliquandò emergant, illas curavimus Annotationibus distinguendas, quarum ope lector hos errores animadvertet, aut ambages extricabit quæ malæ textûs interpretationi locum præbent. Cæteroquin permultis invictisque testimoniis ex ejus Operibus desumptis, probavit D. Maranus Origenem non solùm orthodoxè sensisse de Christo, quatenùs Verbum Dei est, de ejus æternitate, æqualitate cum Patre et substantiæ in utroque unitate, et de Spiritu Sancto; sed etiam eum fuisse tàm desertum et vehementem in defendendâ Christi divinitate, quàm accuratum et diligentem in eâ exponendâ, et, ut fert humani ingenii captus, explicandâ : hanc insignem eruditione dissertationem, sed longiorem quàm ut hìc proferatur, consulat lector in ipso Opere D. Marani, cui titulus : « Divinitas Domini Jesu Christi manifesta « in Scripturis et Traditione. »

Quod attinet ad Homiliam, quam pp. 23-25 edidimus, et quæ decerpitur ex Homiliâ 1 *in diversos*, et ad alteram Homiliam, quam videre est pp. 550-558, et quæ secunda est Homiliarum hujusmodi, omninò spuriæ sunt, ut patebit legenti Notas locis citatis submissas. Eas tamen prelo subjecimus, propter rationes quas ibidem reperiet lector.

Quæ legitur pp. 100-103, Homilia Eusebii, Cæsariensis Episcopi, in Matthæum, à nobis in *Bibliothecam Patrum concionatoriam* translata est è *Novâ Patrum Bibliothecâ*, à doctissimo Cardinali Mai recèns editâ, undè novos eloquentiæ thesauros ibi congestos eruere in animo habemus. Nemo nescit quantâ eruditione calluerit Eusebius, et quàm in divinis Scripturis fuerit versatus; stylus tamen ejus non adeò purus et elegans, imò nonnumquàm duriusculus est et parùm perspicuus.

In Homiliâ, quæ sub nomine S. Basilii legitur pp. 26-29, haud facilè dignoscetur vir ille in Scripturâ sacrâ et Patrum traditione tàm versatus, Logices et Dialecticæ tàm peritus, ipsum Ecclesiæ os, aurea doctrinæ luscinia, ideòque jure optimo dictus *Magnus*, dùm è contrà miras ingenii dotes,

[a] Natalis Alexander, Histor. Ecclesiast. sæculi tertii, Dissert. 16.

[b] Huetius, Origeniana, Lib. 2, cap. 2.

[c] Caveus, Histor. litteraria Scriptorum ecclesiasticorum, Lib. 114.

[d] Fabricius, Bibliotheca græca.

[e] Delarue, Epist. nuncupatoria ad Clementem XII et Præfat. Operum Origenis.

[f] Maranus, Divinitas D. N. Jesu Christi manifesta in Scripturis et Traditione.

quas antiqui in eo laudârunt, videre cuique licet pp. 558-562, ubi Filii divinitas ejusque ad Patrem relatio ex primis duobus versiculis Evangelii S. Joannis præclarè explanatis, à sancto Doctore luculenter exponitur et confirmatur.

Hìc enim, sicut in aliis ejus Scriptis, quæ *inæstimabilis thesaurus* ab Erasmo Roterodamo appellantur, locutiones illius sublimes sunt atque magnificæ : stylus perquàm elegans, nitidus, atque ad persuadendum accommodatus : oratio semper naturalis cum lenitate fluens, et omni carens affectatione. Hinc mirantur eruditissimi quique in scriptis Basilii orationis perspicuitatem eximiam, facundiam, singularem quamdam in Scripturis interpretandis facilitatem, verborum delectum et sententiarum gravitatem : præsertìm felicissimus est in seligendis exemplis aptis, in rerum naturâ explicandâ et in præceptis morum aptissimè deducendis [a]. Ad hæc, doctrina ejus purissima est et maximè orthodoxa.

Non est hìc locus aliquid dicendi de Homiliâ quæ legitur pp. 293-296 sub nomine S. ATHANASII, neque de aliis quæ pp. 297 et 385 S. TITO, Bostrensi Episcopo, atque pp. 298-300 et 386-387, JOANNI NEPOTI SILVANO, Jerosolymitano Episcopo adscribuntur, quippè cùm ibidem reperiet lector rationes, quæ prædictarum Homiliarum authenticitati favent aut adversantur, atque Notas criticas quæ subjiciuntur.

Quod attinet ad Homiliam sub nomine S. Athanasii editam loco suprà citato, haud sanè patefacit Athanasio inesse hanc ingenii vim, hanc eruditionis copiam, hanc illibatam orthodoxiam in rebus fidei gravissimis ac difficillimis proponendis, explicandis, defendendis, propter quas ipsius dogmata *pro fidei orthodoxæ lege* habebantur, imò ipse *Ecclesiæ columnæ*, et *magnæ veritatis tubæ* titulo decorabatur [b].

Quicumque Homiliam S. CHRYSOSTOMI perlegerit, pp. 30-36, is facilè perspectum habebit in eâ, sicut in aliis super Matthæum Homiliis, non minùs interpretem, quàm concionatorem egregium agere S. Chrysostomum. Etenim sensum hujus Evangelii litteralem rectè appositèque, adhibitis omnibus subsidiis hermeneuticis, explicat, diversorum sententias circa res obscuratè significatas affert et examinat, omniumque explicationem non subtiliorem admittit, sèd solidiorem : porrò difficultates in Evangelio obvias sagaciter excutit, ac præsertìm si qua inter Evangelistarum narrationes discrepantia deprehendi posse videatur, omnem ex Evangelio contradictionem mirâ dexteritate eliminat. Eædem insuper Homiliæ morali cujuscumque generis disciplinâ refertæ, universam Christianæ vitæ et instituti summam præ se ferunt, dùm præcepta moralia gravesque admonitiones extremam uniuscujusque Concionis partem occupant. « Ac sic reverà, ut verbis Montfau« conii utamur, nullus in orbe Christiano Liber est « tot tantaque referens Christianæ Ethices præce« pta : nusquàm Chrysostomus tantâ usus est in« ventione, facundiâ, sagacitate ad mores infor« mandos, eliminanda vitia, Christianas familias « rectè componendas. Quapropter meritò traditur « S. Thomas Aquinas tanti fecisse Chrysostomum « in Matthæum, ut totâ civitate Parisiensi permu« tare illum noluerit [c]. »

In Homiliis verò super Joannem (vide pp. 562-595), quæ multò breviores sunt Homiliis in Matthæum, Anomœos hæreticos frequentissimè oppugnat ac refutat, quia Evangelium Joannis plurima ad illos oppugnandos subministrat argumenta; sicut vicissìm hæretici illa sua ex Joanne præcipuè mutuabantur, quæ S. Doctor egregiè refellit, sicque auditorès suos adversùs illorum argutias et sophismata munit. Cæterùm sensum litteralem paucis explanat, nec raró vitia acriter insectatur, virtutes vehementer commendat, ac brevissimâ plerumquè adhortatione morali Conciones claudit.

S. Joannis Chrysostomi, hujus luminis hujusque doctoris orbis universi, orandi ratio plùs habet nativæ elegantiæ, quàm artificiosæ diligentiæ : inventione argumentorum, quibus ad scopum assequendum utitur, ubertate, varietate, vi ac novitate Oratores omnes longè superat : perspicuitate nemini concedit : sententiarum gravitate eminet : expeditâ et profluente verborum copiâ loquitur, concinnitatis leporisque plenâ : tropos et similitudines, cæteroquin aptissimas, ferè ultra modum adhibet ; et, ut verbo dicamus, oratio ejus nativa est, elegans, suavis et perspicua, vehemens atque efficax. Porrò alium in dicendo scopum ignorat, nisi auditores ad piam sanctamque vitam adducere, aut veritates necessarias, ad dogmata fidei et morum spectantes, omni tamen in rebus divinis speculatione, quam vocant semotâ, eos docere.

Homiliæ ejus vix non omnes sponte in tres partes dividuntur, quarum prima exordium est nonnumquàm satis prolixum, alterâ unum vel plures sanctæ Scripturæ locos explanat, tertia est hortatio moralis, cui tandem doxologia coronidem imponit. In omnibus ejus scriptis inexhaustus latet thesaurus doctrinæ moralis purissimæ ; in Explanationibus verò S. Scripturæ prorsùs egregia habetur institutio ad sensum S. Scripturæ optimè indagandum ac pul-

[a] Scriptores tàm veteres quàm recentiores pronuntiare non dubitant S. Basilium vel præstantissimis Græciæ Oratoribus Pericli, Lysiæ, Isocrati, Demostheni eloquentiæ palmam præripere.

[b] S. Gregor. Nazianz. Orat. 21, num. 37, 26 et 13; Cf. num. 1, 4, 7, 9 et 10 ; Orat. 25, num. 11. — S. Basilii Magni Epistola 80.

[c] Montfaucon. initio Præfat. Tom. 7.

cherrimè exponendum. Hinc Ecclesia Romana meritò declaravit Opuscula S. Joannis Chrysostomi, cujus sermo adstruens Catholicam fidem toto orbe diffusus est, in omnibus esse recipienda. Ideò etiam à tempore obitûs usquè ad hodiernum diem sanctus iste Doctor splendidissima ac ferè innumera præconia tulit, tùm ob doctrinæ puritatem, tùm ob dicendi copiam et facultatem : quâ in re Concilia œcumenica, Summi Pontifices, SS. Patres posterioris ætatis, viri eruditi omnis ævi, imò inimici ejus atque ipsius Ecclesiæ mirè consentiunt.

Ejusdem Chrysostomi Homilia, pp. 36-39, habet hunc titulum in editione Montfauconianâ : « Ecloga in sanctam diem Natalem Christi. » Porrò Eclogæ, compactæ ex diversis Homiliis, non quoad formam, sed quoad rei substantiam Chrysostomum auctorem habent. Antiquiori nempè et recentiori tempore factum est ut quidam doctrinæ S. Doctoris studiosi, sparsa in diversis ejus Homiliis loca, idem argumentum spectantia, magno lectorum commodo in unum colligerent, et pro ratione similis materiæ Homilias multas, quas Ἐκλογάς vocabant, concinnarent ac describerent. Quæ leguntur pp. 302-308, 308-312 et 312-314 tres Homiliæ in Evangelium Missæ in Nocte, suas ibi adjunctas habent Notas, quas consulere lectori percommodum erit. Idem dicendum de Homiliâ, quam videre est pp. 595-599.

Cùm nonnisi cautè legenda sit (pp. 39-43) Homilia, quæ nomen præ se fert AUCTORIS IMPERFECTI, illam quibusdam Annotatiunculis distinguendam esse curavimus. Opus autem imperfectum in Matthæum, continens expositionem cap. 1-13, v. 14, et rursùs cap. 19-25, fetus est certè spurius, cujus Auctor, juxta Montfauconianum, est homo latinus Arianus, qui vixit circa finem sæculi sexti, et multa decerpsit ex libris apocryphis [a]. P. Wastelius in suâ editione Operum Joannis Silvani Nepotis cum Vindiciis, Opus hoc Joanni eidem, Jerosolymitano Episcopo, Chrysostomi coætaneo, vindicare operosè conatur. Porrò Auctorem Operis imperfecti immediatè post S. Chrysostomum reposuimus, nixi auctoritate Benedictinorum, qui Opus illud interseruerunt in suâ editione Operum Chrysostomi, quamvis, ut diximus, Montfauconius censuerit Auctorem vixisse circa finem sæculi sexti.

Ne offendatur lector ex eo quòd inter Auctores sanctæ Scripturæ interpretes THEODORUM MOPSUESTENUM annumeraverimus; siquidem illius Commentarius in Joannem, quem edimus pp. 600-602, ab omni labe hæreticâ immunis est : « Non enim, « inquit S. Cyrillus in Epistolâ ad Eulogium, omnia quæ dicunt hæretici, continuò vitanda sunt « et rejicienda ; nam et ipsi plurima confitentur, « quæ nos quoque profitemur. » Aliundè neminem fugit consultissima illa Hieronymi sententia, quâ « Origenem propter eruditionem sic legendum esse « pronuntiat, quo modo Tertullianum, Novatum, « Arnobium, Apollinarium, et nonnullos ecclesiasticos Scriptores græcos pariter et latinos, ut « bona eorum diligamus vitemusque contraria; « neque enim propter doctrinam ejus prava suscipienda esse dogmata, nec propter dogmatum « pravitatem, si quos Commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitùs esse respuen« dos [b]. »

Deperditi sunt Commentarii S. CYRILLI ALEXANDRINI in Lucam; attamen Cardinalis MAI è Codicibus Vaticanis eruit illorum fragmenta nonnulla, è quibus excerpsimus Homiliam, quæ pp. 314-317 legitur. In Commentario super Evangelium Joannis (pp. 603-635), sanctus Doctor non tantùm sensum Evangelii litteralem et spiritualem exponit, verùm etiam falsas hæreticorum opiniones tùm de Filii divinitate, tùm de aliis doctrinæ Christianæ capitibus refutandas suscepit, quas syllogismorum armis maximè impugnat. S. Cyrillus Scripturæ sacræ interpres fuit egregius. Magnâ scribendi facilitate gaudebat, ad subtiles quæstiones tractandas natus rerumque copiâ affluens; at plerumquè puritas et elegantia dictionis desideratur.

THEODOTUS, Episcopus Ancyranus, S. Cyrilli Alexandrini συναγωνιστής adversùs Nestorium, ejusdem errores in Homiliâ super Matthæum, pp. 43-47, confutat, simulque Incarnationis Filii Dei rectam exponit rationem, et B. Virginis Mariæ Deiparæ dignitatem summis laudibus extollit.

S. PROCLUS, Patriarcha Constantinopolitanus, in Homiliâ quæ legitur pp. 636-637, non tantùm divinam Verbi naturam, ejusque æternam generationem disertis verbis exponit, verùm etiam mysterium Incarnationis Domini perquàm accuratè describit. Insignibus laudum præconiis veteres sanctum hunc Episcopum extulerunt.

De AMMONIO, cujus fragmentum interpretationis, è Catenâ græcâ excerptum, legitur pp. 638-640, sic habet COMBEFISIUS in Opusculo de recensitis Auctoribus *Bibliothecæ Patrum concionatoriæ* : « Multæ « sunt Ammonii, in Joannis præsertim Catenâ, sym« bolæ. Auctor clarus, ac qui Cyrillum ac Chrysosto« mum videatur sublegisse, postque Synodum « Chalcedonensem scripsisse. Proindè diversus est « ab aliis omnibus antiquioribus, sive Ammonio « qui, teste Hieronymo, Alexandriæ cum Origene « clarus habitus est, sive qui Historiam excisionis

[a] Vide Montfauconii Diatriba isti Commentario præfixa, in editione Operum Chrysostomi, Appendice Tomi 6.

[b] Hieronymi Epistola 56, *aliàs*, 76 ad Tranquillinum.

« Montis Sinai et Raithu scripsit, Petro Alexandrino « Episcopo : quem nec liquet scivisse græcè, cùm « suam Ægyptiacè lucubrationem ediderit. »

SEVERUS SOZOPOLITANUS, in Pisidiâ, Patriarcha Antiochenus, de quo pp. 640-641, modò *Severus*, modò *Antiochenus*, modò, apud S. Thomam, *Græcus*, modò *Severianus* vocatur, ut videre est in Commentariis super Matthæum, Lucam, Joannem et alios sanctæ Scripturæ locos, è quibus plurima fragmenta passìm in Catenis græcorum Patrum editis atque ineditis leguntur. *Servius* etiam nuncupatur in Catenâ Corderianâ ex manuscripto Mazariniano. Ex ejus Commentariis plura latinè edidit COMBEFISIUS *in Bibliothecâ Concionatoriâ*, se nihil hæretici in eis deprehendisse testatus, eo quòd nimirùm Catenarum Collectores heterodoxas opiniones de industriâ omiserunt, ut Auctor Catenæ in Joannem se fecisse expressis verbis professus fuit: quam cautelam adhibuere etiam in aliis, v. g. Apollinario, Origene, Theodoro Mopsuesteno, Eusebio, Theodoro Heracleensi, Diodoro Tarsensi, etc.

THEOPHYLACTUS (vide pp. 47-48, 318 et 641-647) ab Auctoribus græcis propter eloquentiam doctrinamque celebratur. In Commentariis super quatuor Evangelia, antiquorum interpretum, ac præcipuè Chrysostomi, vestigiis insistit.

EUTHYMIUS ZIGABONUS (pp. 648-651) Commentarios in quatuor Evangelia conscripsit, excerptos plerumquè ex antiquis Patribus græcis, Origene, Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno. Illorum autem non verba, sed tantummodò sententias reddit, in quibus seligendis maximâ usus est sagacitate. Hunc Auctorem plurimi faciunt Richardus Simon, ac præsertim Maldonatus, propter accuratam illius in verbis enucleandis doctrinam.

VI. S. HILARII, Pictaviensis Episcopi, duæ Homiliæ quæ pp. 48-49 et 104-105 inveniuntur, excerptæ sunt è Commentario in Evangelium Matthæi, quem nihil in hoc Opere ex Origene mutuatus, sed *gratiâ Spiritûs sancti adjutus*, primus aut ferè primus inter Latinos hanc arenam strenuè ingressus, anno 355 edidit. Ratio interpretandi ea est, ut sensum litteralem disertè quidem adstruat, præcipuam autem et ferè unicam operam collocet in sensu spirituali seu mystico investigando : quem ut assequatur, sedulò observare et expendere solet ordinem rerum gestarum, verborum proprietates, necnon locorum, temporum ac personarum rationem. In hoc igitur Commentario ut plurimùm Evangelica dicta et gesta strictìm percurrens sistit: paucis nonnumquàm sensum litteralem innuit : nonnihil fusiùs sensus mysticos plurimasque morales sententias, easque ferè planè egregias indicat, ità tamen ut sermo nusquàm latiùs divagetur, sed probè semper concisus paucisque multa complectens deprehendatur.

Hieronymus Hilarium vocat *eloquentiæ latinæ Rhodanum* [a], quòd scilicet, sicut ille fluvius præ cæteris Galliæ velociùs fertur, ità et Hilarii dictio gallico quodam impetu et torrentis instar decurrens, legentis animum rapiat. Quòd si porrò nonnulli sanam hujus sancti Doctoris fidem in suspicionem vocare non dubitàrunt, Ecclesia contrà ejus Opera, *in omnibus recipienda*, declaravit [b]. Si ergò alicubi imprudentem lectorem verba offendunt, orthodoxa ejus fides de vero eorumdem sensu consulatur, et benigna difficiliorum locorum adhibeatur interpretatio. Obscuritas enim quædam certè in ejus scriptis deprehenditur, partìm ob rerum, de quibus disserit, sublimitatem, partìm ob styli ipsius proprias quasdam dotes. Cùm enim primus aut ferè primus inter Latinos abstrusa dogmata pertractaret, et Commentarios sanctæ Scripturæ elucubraret, nec isto ævo ad res tàm sublimes satis jàm accommodatæ essent latinæ voces, in vocibus idoneis quæritandis tantò magis laboravit, quantò latina lingua angustior et minùs copiosa erat quàm græca. Quapropter hinc indè occurrunt verba parùm romana, sed aut Hilario propria et ad genium linguæ græcæ conformata, aut ex usu provinciæ Gallicanæ deprompta. Accedunt haud raró longæ et intricatæ periodi, densæ sententiæ, frequentes eclipses, et insolitæ metatheses.

Duæ interpretationes S. AMBROSII in Lucam, quarum prior (pp. 319-331) in Evangelium Missæ in Nocte, et posterior in Evangelium Missæ in Aurorâ, p. 388, excerptæ sunt ex Evangelii Expositione secundùm Lucam, libris decem comprehensâ, quæ constat ex Sermonibus, quibus Evangelium Lucæ S. Ambrosius fermè per biennium (386-387) populo explanavit; eosque posteà omnes in unum Opus redegit. Multus est hìc in enarrando sensu litterali atque historico : hinc non raró desudat in conciliandis iis quæ apud Evangelistas apparent contraria, atque etiam interpretatur huc translata ex aliis Evangelistis. Prætereà frequenter ad sensum mysticum indagandum convertitur, et egregia indè morum præcepta ducit. Cæterùm haud raró non solùm in exegeticis, sed etiam in dogmaticis scriptis liberè imitatur Græcos, scilicet Originem et Didymum, quorum tamen errores sedulò cavet, item S. Basilium Magnum et S. Athanasium, Philonem quoque Judæum, virum multæ eruditionis, et ipsum allegoricæ interpretationis perquàm stu-

[a] Præfat. in 2 Libr. Comment. ad Galat.

[b] S. Gelasii I Papæ Decretum de libris recipiendis, editum in Concilio Romano, anno 494 (Mansi Tom. 8, col. 148).

diosum : è quibus multa decerpsit ac propria sibi fecit, tanta dexteritate usus, ut eo in genere omnium facilè princeps videri possit, ipso etiam Hieronymo superior. Probationes, quas adhibet, ferè semper sanctæ Scripturæ auctoritate nituntur; aut si quas etiam ex naturali ratione desumit, easdem numquàm non divino quopiam testimonio confirmat; sanctam enim Scripturam assiduâ lectione et meditatione indè ab initio muneris Episcopalis familiarem sibi reddiderat. Utrùm autem sit Ambrosii Homilia quæ pp. 321-323 legitur, in dubio est; rationes autem dubitandi continentur in Notâ quæ ibidem subjicitur.

Stylus S. Ambrosii, qui summâ ingenii perspicacitate atque mirâ dicendi facilitate præditus, ac diligenter in urbanâ forensique eloquentiâ exercitatus erat, grandis est, nobilis ac copiosus, verùm insigni simul suavitate ac modestiâ temperatus, quin idcircò vi suâ vehementiâque destituatur; habet siquidem affectus suos atque aculeos, sed tantâ conditos festivitate, ut nullam morosioris agrestiorisve ingenii speciem præ se ferant. Observare licet in ejusdêm elocutione miram sententiarum densitatem, atque brevitatem periodi concinnam ac modulatam, sed in primis tàm felici varietate districtam, ut nullum tædio relinquat locum. Non ingentes in animis motus excitat, sed delectat et docet, atque leni quodam et jucundo dicendi genere in cor et animum influit. Attamen ob cogitata ejus acuta, vivida et ingeniosa, ob concisam dicendi rationem, et ob frequentem allegoriarum usum hinc indè non adeò facilè intelligitur. Cæteroquin in rebus fidei et morum, tàm vivâ voce quàm scriptis, insignem Ecclesiæ contulit utilitatem ; undè etiam *columna Ecclesiæ* audire meruit[a].

HIERONYMUS, de quo pp. 49-50, generatìm S. Scripturam triplici ratione exposuit, scilicet, juxta historiam, juxta tropologiam et juxta intelligentiam spiritualem seu anagogen. Sensum historicum semper præmisit, cui pro re natâ vel tropologicam vel allegoricam expositionem adjungere solebat. Quidquid, ad illustranda divina Oracula, aptius et eruditius omnis retrò tùm hebraica, tùm ecclesiastica antiquitas protulerat, ipse in suis Commentariis digessit, non tamen ut interpres, sed ut judex. Cæterùm præcipuum esse officium suum duxit, manifesta paucis absolvere, obscura breviter apertèque dilucidare, dubiis sedulò immorari; Ecclesiæ verò et Ecclesiasticæ interpretationi tantùm detulit, ut quodcumque illa non admitteret, ipse nihil cunctatus reprobaret. Istud tamen sedulò attendendum est quòd, ubi in Commentariis suis, more solito, diversorum interpretum, et maximè Origenis, sententias ponens, nullam reprobat, ideò nequaquàm easdem suas fecisse censendus sit; ac proindè cavendum, ne variorum sententias, minùs aliquandò probandas, quas plerumquè sine auctoris nomine affert, pro Hieronymianâ expositione accipiamus aut venditemus. Dogmata ejus adeò pura sunt, ut Ecclesia numquàm non signiferum ducemque sanæ fidei eum habuerit; doctrina autem morum perfectissima atque sublimissima est; nonnumquàm tamen, præsertìm ubi res fidei agitur, nimio affectu se abripi passus est, undè adversarii ansam obtrectandi arripuerunt. Sermo ejus, cultus ac elegans, variis floribus ornatus est, et nativâ quâdam facilitate fluit : simul orationem suam mirâ rerum sententiarumque varietate distinguit, quæ et novitate suâ admirationem movent, et blandâ festivitate lectorem suaviter trahunt.

In Homiliâ S. AUGUSTINI (pp. 50-52), quæ desumpta est è Sermone de Concordiâ Evangelistarum et Lucæ in generationibus Domini, sicut in aliis Sermonibus, S. Doctor ad captum vulgi sese demittit, non tàm leges oratorum aut regulas grammaticorum quàm salutem plebis à Deo sibi commissæ curans, quin umquàm ad sordidum dicendi genus dilabatur.

S. Augustinus, *maximus orbis Catholici magister* [b], et *validissimus malleus hæreticorum* [c], jàm indè ab antiquissimo tempore *ubique cunctis et amori fuit et honori* [d], ejusque Opera in omnibus suis partibus ab Ecclesiâ Catholicâ recipiuntur. Et sanè nemo unus reperitur ex Patribus græcis atque latinis, in quem Spiritus sanctus omnes dotes suas largiùs effuderit, quasi voluerit in unâ tabulâ vividum quoddam exemplar Episcopi repræsentare, omnibus virtutum boni Pastoris egregiique Doctoris muneris absolutum. Ingenii namque felicitas in eo prorsùs erat incomparabilis, sive spectes acumen etiam obscurissima quæque facilè penetrans, sive capacis memoriæ fidem, seu vim quamdam mentis infatigabilem, quâ principia firmissima ac fecundissima substruens, ex iisque ineluctabili ratiocinationis robore consequentias innumeras ad extremum usquè eliciens, tantùm proficit, ut universæ doctrinæ ejus partes internâ

[a] S. Hieronymi adv. Rufin. Lib. 1, n. 2 ; Rufini Apolog. in S. Hieronym. Lib. 2, n. 23. Vide etiam S. Hieronymi Comment. in Ezechiel. Præfat. Lib. 11 (Tom. 5, col. 405-406).

[b] Cardinal. H. Norisii Vindiciæ Augustianæ Præfat. (Lovanii 1702, fol., p. 1); Petri Cluniancici Epist. ad S. Bernardum (quæ est inter Epistolas S. Bernardi Epist. 229), n. 13.

[c] S. Bernardi in Cant. Cant. Sermo 80, n. 7.

[d] S. Cœlestini I Papæ Epist. 21 ad Episcopos Galliarum, n. 3. Multa in hanc rem testimonia veterum sæculi V Scriptorum congessit J. Stilting in Comment. de S. Augustino § 55 (Acta SS. Augusti, Tom. 6, pp. 359-362). Cf. Archangel. à Præsentatione in suâ edit. Confessionum S. Augustini, Florentiæ, 1757, p. XVII-LXXXV et Clausen. Aur. Augustinus S. Scripturæ interpres (Havniæ 1827), pp. 1-4 et 9.

quâdam affinitate jungantur, aptèque inter se, veluti unius systematis membra cohæreant. Ingenii plùs quam aquilinam aciem continuò ad investigationem veritatis revelatæ intendit, quâ in exponendâ, aptissimo discrimine facto, ità versatus est, ut quotiescumquè de traditâ Ecclesiæ doctrinâ disputaret, eam fidenter proponeret et adversùs impugnantes acerrimè propugnaret; opiniones verò theologicas, quas ad varias novas quæstiones solvendas mirâ ingenii fecunditate et sagacitate protulit, singulari modestiæ exemplo lectoris judicio numquàm non relinqueret. Tanta est ejus doctrinæ copia ingeniique præstantia, ut nemo alius principia fidei Christianæ, in gremio Ecclesiæ Catholicæ reposita, meliùs explicuerit ac illustraverit, nemo cunctas fidei materias pleniùs pertractârit, nemo tot adversarios fidei, destructis omnibus eorum rationibus, penitiùs prostraverit [a]. Indè accidit, ut tot Patres atque Scriptores Ecclesiæ latinæ non solùm suprema principia, quibus innitebantur, ex tanto Doctore haurirent, verùm et ipsius verba haud rarò exscriberent, atque adeò nova Opera ex ejus sententiis concinnarent. Duodecimo tandem sæculo, universæ Theologiæ compendium conscripturus, Petrus Lombardus, hoc se egregiè præstiturum existimavit, si ex universis Augustini scriptis præcipuos colligeret locos, eosque in certum ordinem digereret; undè celeberrimi illi *quatuor Libri Sententiarum* originem traxere. S. Thomas verò cæterique Scholastici, quamvis aliam secuti methodum, plerumquè tamen S. Augustini principia adoptârunt, quibus theologiæ systema superstruerent.

S. Petrus Chrysologus, in Sermonibus Biblicis è quibus desumptæ sunt duæ Homiliæ (pp. 52-54 et 54-56), sensum sanctæ Scripturæ non minori gratiâ et lepore quàm puritate et profunditate explanat; ac primò quidem litteralem exhibet, dein allegoricum, quem sæpiùs moralis quædam consideratio vel sacræ Ethices præceptum subsequitur. Sermones suos perquàm diligenter excogitavit et expolivit. Genere dicendi usus est exquisito figurisque ornato cum amplâ et sententiarum gravitate et majestate verborum, undè cognomen *Sermonis aurei* jàm olim tulit [b]. Stylus tamen non semper idem deprehenditur : modò gravis et severus docet : modò floridus assurgit et recreat animos : modò concitus est brevesque citò claudit sententias : modò periodum flectit, et ut fluvius multis membris confluentibus cum cordis exsultatione, quin et concitationibus exundat : incisa et antitheses frequenter adhibet; nimiâ tamen brevitate aliquandò obscurus fit. Licet verò declamandi studio nonnumquàm indulgeret, aulam quippè Imperatoris et Græculos delicatiores illuc confluentes respiciens ; haud rarò tamen ad plebis captum se demisit, planiori et simpliciori sermone adhibito, ut omnibus omnia factus, rudioribus quoque debitum persolveret officium. Amat breves sermones, ne lassitudo et dicenti et audienti generet fastidium. Brevitati autem tantoperè studet, ut quatuor vel quinque Chrysologi Sermones vix unam Homiliam aliorum, præsertìm Græcorum Patrum, æquare valeant.

Si Venerabilem Bedam, et S. Brunonem, Signiensem Episcopum, excipias, nullos alios medii ævi Scriptores ecclesiasticos, tamquàm Evangelii interpretes, admisit Combefisius in *Bibliothecam Concionatoriam.*

Cur autem sic egit? Quia, inquit in suprà dictæ *Bibliothecæ* Præfatione, « eis nihil rhetoricæ lucis, « nihil selectioris doctrinæ inerat. » Quisquis autem Auctores illos assiduâ manu versaverit, ei manifestum erit lectu dignos esse sive Albertum Magnum, præceptorem Divi Thomæ, sive Divum Thomam ipsum, sive S. Bonaventuram, duos illos sanctæ Ecclesiæ postremos Doctores, sive multos alios, qui tùm Sermonibus, tùm Commentariis tantoperè scientiam Ecclesiasticam promoverunt. Aliæ autem sunt rationes propter quas in hanc nostram novam editionem *Bibliothecæ concionatoriæ* medii ævi Scriptores admisimus : prima est, quia apud Auctores illos non pauca reperiuntur fragmenta quæ supersunt è permultis Operibus exegeticis deperditis Patrum antiquiorum : secunda, quia nonnulli Patres, inter quos S. Hieronymus et S. Hilarius Pictaviensis, non totum Evangelium, sed quædam solummodò Evangelii loca difficiliora explanaverunt; Scriptores autem de quibus agitur, Evangelii singulos versus pedetentìm interpretationibus prosecuti sunt : illi sæpiùs unum Scripturæ sensum; hi verò triplicem, litteralem scilicet, moralem et mysticum simul exponunt : tertia tandem, quia Auctores illi Patrum Commentarios novis Commentariis amplificârunt.

Venerabilis Bedæ Expositiones in Evangelia, è quibus duas in Matthæum, pp. 36-37, quatuorque in Lucam Homilias, pp. 323-327, 327-331, 388-390

[a] Undè meritò Aurelius Augustinus et Hieronymus *columnæ et firmamenta Ecclesiæ Catholicæ* vocantur à P. Orosio in Apologet. contra Pelagium de arbitrii libertate, n. 1 (Galland. Tom. 9, p. 157) ; imò S. Augustinus *specialis patronus fidei* meruit audire. Vide S. Prosper. Aquit. Epist. ad Augustinum (quæ est inter Augustinianas Epist. 225), n. 1.

[b] Quantoperè medio ævo æstimatus fuerit, ostendit Anonymus Mellicensis (sæc. XII) de Scriptor. eccles. cap. 28 : « Petrus, Archiepiscopus Ravennas, librum scripsit egregium « Sermonum super topazium et aurum obryzum pretiosum. » J. A. Fabricii, Biblioth. Eccles., p. 147.

et 390-392, excerpsimus, Opera exegetica sanctorum Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Basilii, Gregorii Magni, etc. ut plurimùm continent, sed methodicè et sagaciter consarcinata; in interpretationibus verò quæ ipsi propriæ sunt, illum Patribus tùm doctrinâ tùm judicio non inferiorem esse judicant optimi Critici.

Expositio S. Paschasii Radberti (pp. 58-62) desumitur ex Opere ejus præcipuo, Commentario scilicet in Matthæum. Mos erat tunc temporis, in festis solennioribus nonnulla Scripturæ loca religiosis viris exponere. Hanc provinciam, rogatus ab Abbate Corbeiensi, suscepit Paschasius tantà laude ut, invitantibus Fratribus, uno tenore explanaverit Evangelium Matthæi, è quo verisimile est illum anteà Concionum suarum argumentum esse mutuatum. In hunc Commentarium interpretationes Patrum latinorum atque S. Chrysostomi transtulit, quorum nominum initiales litteras ad marginem libri apponendas curavit; eæ autem litteræ amanuensium incurià posteà prætermissæ sunt, ità ut nunc vix fontes deprehendas, è quibus hausit Paschasius, maximè cùm antiquiorum interpretum non verba reddiderit, sed tantummodò sententias, quas suis verbis exornavit, atque alias sibi proprias interpretationes superaddiderit. Sensum litteralem ac præcipuè moralem Scripturæ explanat; mysticum verò parùm curat.

Similiter in Commentario super Matthæum, Christianus Druthmarus de quo pp. 62-64, litteralem et historicum sensum potissimùm sequitur. Sæpiùs utitur græco textu, qui eâ ætate primigenius existimabatur; nonnumquàm alia Scripturæ loca, ipsamque historiam profanam adhibet, prout ei opus est ad Evangelii elucidationem.

Haymo, Halberstatensis Episcopus, discipulus Alcuini cum Rabano Mauro, in Homilià quæ pp. 65-66 reperitur, litterali atque spirituali Scripturæ sensui adhæret. Stylus, perpicuus et concisus, satis est emendatus, pro ratione temporis quo vivebat Auctor.

Remigii Antissiodorensis Homiliæ in Matthæum, quarum unam pp. 67-69 proferimus, triplici laude insignes sunt, tùm quia præcedentium interpretum scriptis ingeniosè usus est, tùm quia de suo aliquid novi in eas contulit, tùm quia simul atque Scripturarum sensum tradit, theologicam doctrinam accuratissimè edocet. Stylus limpidè facilèque fluit. Satis constat illum græcam linguam calluisse, atque in Commentariis non solùm primigenium textum consuluisse, sed etiam antiquas sive Theodotionis sive aliorum versiones.

Anselmus, Scholasticus et Canonicus Laudunensis, celeberrimus ille scholæ Magister multorumque virorum insignium doctor eximius, de quo pp. 69-70, præter Glossam interlinearem, Enarrationes in Matthæum conscripsit Patrum doctrinâ imbutas, in quibus historicum, moralem et allegoricum Scripturæ sensum simul explanare solet.

Auctores Benedictini Galliæ litterariæ multis rationibus ac præsertim auctoritate manuscriptorum illum Commentarium Anselmo Laudunensi adscribendum esse confirmare conantur. De cujus authenticitate tamen non semel mota est controversia. Alii Auctorem esse volunt S. Anselmum, Cantuariensem Archiepiscopum, alii Gislebertum, Antissiodorensem Canonicum, alii Guilielmum de Arverniâ, Parisiensem Episcopum. Juxta alios, hic Commentarius non sapit stylum vel genium sæculi duodecimi nascentis, quo florebat Anselmus Laudunensis: undè volunt illum, inter Anselmi Opera impressum, spectare ad Petrum Babionem, Anglum, qui vivebat anno 1360, teste Possevino [a]. Quod, aiunt, experiri et noscere quisquam facilè poterit; nam indubius Petri Babionis Commentarius cum proprio Auctoris nomine habetur manuscriptus in regiâ Galliarum Bibliothecâ, ubi etiam reperitur verus Anselmi Laudunensis Commentarius manuscriptus. Hanc litem dirimat ipse lector, si potest.

S. Bruno Astensis, Signiensis Episcopus (pp. 70-71, 332-333 et 392-394) inter excellentiores interpretes sanctæ Scripturæ meritò annumeratur. In Commentariis super quatuor Evangelia, magna rerum comprehensio in summâ brevitate, cum eruditione non vulgari conjuncta, ad mores instituendos et omnem vitæ sanctitatem edocendam adhibita est. Nec verò novis sive interpretationibus efferendis, sive sententiis cudendis allaborat, sed antiquiorum Patrum floribus veluti decerpendis, ità ut nihil aliud voluisse videatur quàm qui Commentarium suum legeret, quæ in aliis omnibus utilia ac præclara inveniuntur, ea haberet in suo. Ità, quæ ab aliis annotata egregiè fuerant, huc ipse transfert : uberiùs dicta contrahit ipse, aut si obscuriùs aliquantò et breviter allata, ea diducit atque exornat. Si qua occurrant Evangeliorum difficilia loca, non modò non præterit, sed perspicuè solidèque explanat. Notandum est eum, cùm sæpissimè Veteris et Novi Testamenti loca alleget, etsi constet eum Vulgatæ perpetuò adhærere, commutare tamen voculas quandoquè nonnullas, vel quòd memoriæ suæ nimiùm confideret, vel quòd sensa afferre contentus, verba neglexerit: quod ei cum Patribus aliis commune esse jàm præmonuimus. Magnus in eo est allegoricarum et mysticarum interpretationum numerus.

Radulphus, *Ardens* cognomento, propter zeli in-

[a] Possevinus, Tom. 2 Apparatûs sacri.

geniique ardorem (pp. 333-336), in Homiliis textum sacrum in suas partes dividit, quas singulatim et ordinatè exponit, et è quibus moralem doctrinam eruit. Patres quibus utitur, sunt Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, Sulpitius Severus, S. Benedictus, monachorum Occidentalium Patriarcha, atque Venerabilis Beda. Genus dicendi simplex, perspicuum, breve, affectibus plenum. Tanti fiebant olim Radulphi Homiliæ, ut multotiès editæ fuerint; et adhuc etiam magni fierent, si magis essent notæ.

Hieronymus, Episcopus Aretinus (pp. 337-338), in interpretatione Evangelii secundùm Lucam, Ambrosium, Gregorium atque Bedam imitatus, sensum moralem unicè assequitur.

B. Ælredus, Abbas Rievallensis in Angliâ (pp. 338-342), stylo utitur brevi, simplici et vivido. Homilias suas habuit coram Fratribus laicis et illitteratis, quos *Conversos* vocamus : ideò humili et familiori sermone utitur, ignorantiæ eorum condescendens.

Jacobus de Vitriaco, Episcopus Tusculanus, in Homiliâ quæ pp. 72-78 legitur, pio et satis eleganti dicendi genere utitur, et ferè totus est in sensu morali et mystico explanando.

Guilielmus Alvernus, Parisiensis Episcopus, (pp. 78-79 et 343-345) conscripsit Sermones in Evangelia, qui potiùs tamquàm Commentarii morales et spirituales habendi sunt. In eis Scriptura sacra solerter tractatur, sæpiùsque allegantur sententiæ è Glossâ, S. Augustino atque S. Bernardo excerptæ.

Hugo de Sancto Caro, Cardinalis (pp. 80-82, 345-354 et 394-396) Postillas super quatuor Evangelia composuit. In eis reperiuntur divisiones spectantes ad theologiam Scholasticam, quam ad certam methodum *Magister Sententiarum*, Petrus Lombardus perduxerat. Stylus facilis, perspicuus, brevis, nudus autem et inornatus. Patrum interpretationes ad Evangelii explanationem apprimè accommodavit, Chrysostomum, Gregorium Magnum, Augustinum atque Glossam Bedæ in primis secutus. E litterali Scripturæ sensu moralem et mysticum eruendi peritissimus est.

S. Thomas de Aquino, *Angelus Scholæ*, *Doctor Angelicus*, *Theologorum aquila* jure cognominatus (pp. 82-86), dùm Parisiis commorabatur regebatque scholas, Evangelium secundùm Matthæum è suggestu coràm palàmque exposuit; hæc autem Postilla quam ore dictabat Thomas, excepta scripto notisque fuit ab auditoribus, Doctori Aquinati ejusque doctrinæ addictissimis. Veluti manca et defectiva proposita est à quibusdam Criticis; sive quia inchoatam expositionem non compleverit S. Thomas, aut inexplicatas et intactas reliquerit aliquas Evangelii partes; sive quia Commentarium, quem ore promebat S. Doctor, non exceperint integrum auditores. Mirum est quàm exercitato ingenii acumine unumquodque Scripturæ verbum scrutatus fuerit, quàm accuratè ad propositiones suas probandas alia Scripturæ loca sanctosque Patres convocaverit, quantâ vi hæreses suggillaverit Scripturam à vero sensu detorquentes, quantâ dexteritate obvias dissolverit difficultates.

S. Bonaventura, *Doctor* cognomine *Seraphicus*, propter ardentem pietatis affectum, Scripturam sacram in Commentariis aliisque Operibus feliciter interpretatus est (pp. 86-87, 354-361 et 396-398), methodum scholasticam plerumquè adhibens, cujus ope sententias suas Patrum sententiis, gesta Evangelica cum doctrinâ mirabili ordine conjungit. De quo sic habet Trithemius : « Bonaventura, vir di- « vinis Scripturis eruditissimus, et sæculari phi- « losophiâ nobiliter doctus, ingenio subtilis et « clarus eloquio. Profundus est, non verbosus : « subtilis, non curiosus : disertus, non vanus : « flammantia, non inflantia verba proferens. Multi « doctrinam proferunt : devotionem prædicant mul- « ti : pauci, scribendo libros, docuerunt utramque ; « Bonaventura autem et multos superavit et pau- « cos, dùm ejus doctrina devotionem, devotio « instruit doctrinam[a]. » Minimè igitur negligenda est Concionatori, qui non eloquentiam tantùm, sed pietatem ambit in dicendo, S. Bonaventuræ Operum lectio.

B. Albertus Magnus, cujus præcipua laus fuit ut S. Thomæ magister esset, easdem ferè dotes quas doctus discipulus, in interpretando Evangelio exhibuit, soliditatem scilicet doctrinæ, verborum perspicuitatem, methodum scholasticam, atque felicem Patrum experientiam (vide pp. 87-100, 361-377 et 399-403). Nonnumquàm tamen in ejus Commentariis nimia prolixitas et subtiliores quæstiones inveniuntur. Perceleber quondàm ille Auctor, et magister scientiæ in civitate Parisiensi; nunc multis ignotus, ideòque à multis immeritò malè notatur.

VII. S. Ephræm, cognomento *Syrus*, tantam apud suos sanctimoniæ et doctrinæ famam adeptus est, ut *Spiritûs sancti cithara et Ecclesiæ columna*, *totius orbis Doctor et Syrorum Propheta* audire meruerit, et post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitarentur. Varius est stylus S. Ephræm : in Parænesibus plerumquè minùs comptus magisque popularis velut ad humilitatem quotidiani sermonis descendit : sublimior assurgit in Sermonibus de Nativitate Domini, et multam vim habet in excitandis animorum motibus. In Sermone, quem pp. 106-

[a] Trithemius, de Script. ecclesiasticis.

109 edimus, declarat S. Ephræm quemadmodùm omnes Sancti Veteris Testamenti ardenti desiderio Christum præsagierint, et docet quâ ratione noctem Nativitatis dignâ vigiliâ, diem dignis operibus transigere oporteat.

Sermo S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, qui pp. 109-112 legitur, desumitur ex Homiliâ de S. Philogonio, seu contra Anomœos 6, habitâ die 20 Decembris, simul præparante ad Festum Nativitatis Domini (vide ibidem Monitum Sermoni præfixum). In hoc Sermone, sicut in cæteris ejusdem Doctoris, nativa est oratio, elegans, suavis et perspicua, vehemens atque efficax.

SYNESIUS (quem Cyrenes Episcopum dixit Petavius), Ptolemaidis Episcopus, mutilum nobis reliquit Sermonem (p. 112), in pervigilio Natalis Domini habitum. Aliquantisper hæsitavimus utrùm illius Sermonis fragmentum ederemus, utpotè pauca parùmque concionatoria continens : quod tandem edidimus, rati fore ut lectorem non pigeret pervetusti hujus monumenti reliquias inspicere.

VIII. Quantùm ad Sermones S. MAXIMI (pp. 113-118) videat ipse lector et Monitum et Notas, quæ ibidem apposuimus, ex editione præstantissimâ Brunonis Bruni excerpta. S. Maximus in declamandis Sermonibus ad populum nulli suo tempore secundus, imò et ad docendam ex tempore plebem sufficiens, tàm egregiè scripsit, ut sancta mater Ecclesia ejus scripta cum magnâ auctoritate legenda susceperit[a]. Multâ doctrinâ et nativâ eloquentiâ insignis, puritate ac suavitate lectorum animos occupat, sententiarum acumine et orationis gravitate devinctos tenet. S. Augustinum et S. Ambrosium, celeberrimos tunc Ecclesiæ latinæ Doctores atque Oratores, frequenter imitatus est. Ob eam fortè similitudinem factum est, ut tot S. Maximi Sermones inter Augustini et Ambrosii Opera irrepserint, quos Critica demùm accuratior ætatis recentioris genuino Auctori restituit. Orationes ejus breves sunt, et aliquandò, ubi argumenti ubertas id exigere videbatur, proximâ vice argumentum anteà cœptum prosecutus est.

Similiter pp. 118-122, Notas circa authenticitatem Sermonum S. CÆSARII, Arelatensis Episcopi, adjecimus. S. Cæsarius Augustinum et veneratus et imitatus, ex uberrimo sanctæ Scripturæ fonte et assiduâ meditatione divinam sapientiam hausit, eamque summo animi vigore proposuit. Eloquentia ejus non artificiosa, sed nativa mentes adeò percellit, ut nemo alius virtutis amorem, vitii odium cordibus efficaciùs inserat. Similitudines aptissimæ frequenter occurrunt : dictio ejus plana et perspicua, vivida et penetrans, prædicationis popularis norma verè dicenda est. Charitas et humilitas atque sollicitudo paterna ubique elucet.

Quanta fuerit RABANI MAURI, Moguntini Archiepiscopi observantia erga sanctos Patres docent Opera ejus omnia, quæ ipse ex eorum sententiis contexuit, appositis ad marginem nominibus, « ne « majorum dicta furari, et hæc quasi mea propria « componere dicar, » ait in Præfatione ad Matthæi Evangelium. Id autem ità præstabat, ut ibidem ipse dicit, in commodum aliorum, « ut lector pauper- « culus, qui librorum copiam non habet, aut cui in « pluribus scrutari profundos sensus Patrum non « licet, saltem in isto sufficientiam suæ indigentiæ « inveniat. » Quod optimo consilio factum ab eo nemo negaverit, qui librorum raritatem, qualis eo tempore erat, considerabit. Et hæc est, ut nos opinamur, causa cur medii ævi Scriptores ecclesiastici tot Commentarios in Scripturam sacram ex Patrum sententiis conflaverint. Rabani Mauri autem Homiliam in Evangelium Vigiliæ Nativitatis, ex ejus Commentario excerptam, non edidimus, eo quòd Commentarius ille potiùs est Catena Patrum in Matthæum quàm interpretatio, è Patrum sententiis inter se consociatis et adunatis composita. In Sermone quem edimus p. 122, oratio est fluens, perspicua, brevis, atque S. Cæsarium Arelatensem imitatur.

ATTO JUNIOR, Vercellensis Episcopus (p. 123), in Sermonibus quos edidit Dominicus Mansius et correxit Cardinalis Mai, genere dicendi utitur simplici et perspicuo, in quo sæpè et peropportunè Scriptura sancta allegatur.

VENERABILIS HILDEBERTUS, Turonensis Archiepiscopus (pp. 124-126), permultos reliquit Sermones pios, et è Scripturæ textibus totos ferè contextos, et vigilantissimi pastoris charitatem et zelum spirantes, in quibus sensui Scripturæ allegorico et anagogico præcipuè adhæret. Ex horum lectione Sermonum non modicam utilitatem percipient vitæ verè Christianæ, imò et asceticæ studiosi, necnon curiosi et avidi ipsi antiquitatis sacræ scrutatores.

S. BERNARDUS, cognomento *Doctor mellifluus* (pp. 126-146), vivâ, nobili et concisâ commendatur dictione : sublimibus exsultat cogitationibus : jucundo urbanoque placet eloquio. Dulcis simul et vehemens, ità monendo gravis, exprobrandoque efficax urget, ut charitas ubique, cupiditas nusquàm appareat. Patrem dixeris, filium quem amat castigantem. Cùm laudat, non adulatur : cùm duram intentat veritatem, non offendit : cùm undè timeatur injicit, et undè ametur inspirat : sic delectat et placet, ut non curiosæ indulgeat scientiæ, sed doctrinæ tantùm salutari studeat : sic divinarum profundit fluenta Scripturarum, ut nulla ferè occurrat linea, quæ non sacris illarum verbis consecretur : mystico et allegorico sensu maximè dele-

[a] TRITHEMIUS, de Scriptor. ecclesiasticis, c. 123, et GENNADIUS, item de Scriptor. ecclesiasticis, c. 40.

ctatur. Bernardum legat, qui propriis ambit mederi vitiis; legat et qui aliorum cupiditatibus medelam concionando apponere sibi, Deo vocante, proponit. Cùm in sanctorum Patrum scriptis, ea pars quæ Homilias seu Sermones complectitur, minùs elaborata passim et accurata, quàm reliqua eorum ingenii monumenta, videatur, hanc sibi laudem præ cæteris, aut certè in paucis, vindicat S. Bernardus, quòd ejus Sermones non minori verborum acumine, varietate sententiarum, cogitationumque sublimitate, nec dispari affectuum pietate præditi sint, quàm aliæ ejus lucubrationes. Hujus autem rei causa est, non modò ingenii ejus solertia, celeresque animi motus ad res explicandas et affectus commovendos faciles, sed etiam auditorum diversitas, quorum in gratiam Sermones ejusmodi condebantur. Nam cùm veteres illi Patres sanctissimi informandis Christianæ religionis doctrinâ ac pietate populis Sermones suos exponerent, eos ad vulgi captum et ad communes ferè locos, auditorum utilitati consulentes, humili stylo prudentes componebant. At Bernardus ad homines in rebus spiritualibus, atque in scientiâ Scripturarum instructos, plerosque in sæculo quondàm eruditione et dignitate præstantes, Sermones habebat suos, quorum doctrinæ et perfectioni accommodanda erat oratio. Undè accidit ut non modò eximii Sermones illi in Canticum qui majori studio conscripti sunt, sed etiam alii, sive de annuis festis ac diebus, sive de diversis argumentis, vulgaribus Patrum Homiliis ac Sermonibus à viris cùm piis, tùm doctis præferri soleant. De S. Bernardo sic habet S. Bonaventura : « Audîsti verba pulcherrima altissimi « contemplantis et orationis dulcedinem degu« stantis Bernardi. Rumines ea, si vis ut sapiant « tibi. Ideò autem libenter ipsius verba in hoc « Opusculo intersero, quia non solùm spiritualia « sunt et cor penetrantia, sed et decore plena, et « ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit elo« quentissimus, et Spiritu sapientiæ plenus et san« ctitate præclarus, quem te desidero imitari, et « ipsius monita et verba opere exercere : propter « quod sæpè tibi propono eumdem[2]. »

Hermanni, Abbatis S. Martini Tornacensis, Sermo qui legitur pp. 146-162, multa verba facit tùm de causis Incarnationis Verbi, tùm de satisfactionis Deo debitæ necessitate, tùm de beatâ Mariâ destinatâ ab æterno, ut ad executionem Incarnationis concurreret. In hoc Sermone elucet doctrina theologica: stylus simplex, sed lentè procedens. Notatu dignum est encomium de Virgine Mariâ : pulchrè clauditur Sermo deprecatione ad sanctissimam Matrem Jesu Christi.

Petrus Lombardus, dictus *Magister Sententiarum*, ob *Librum sententiarum* à se editum, cui, tamquàm solido fundamento, omnes ferè sive publicæ lectiones, sive theologici tractatus multis annis quodammodò insederunt, multos etiam Sermones conscripsit, quorum duos è manuscriptis Bibliothecæ regiæ excerpsimus (vide pp. 163-169). Versantur circa interpretationem prophetiæ Jacob et visionis Danielis, quæ sensu allegorico, ut moris erat eo tempore, explicantur. Accuratè et vividè describitur mysterii Incarnationis sublimitas, simul et infirmitas generis humani à Christo redimendi.

Venerabilis Godefridus, Abbas Admontensis, pp. 169-171, suis posteris illustria, non solùm industriæ ac sanctimoniæ, sed etiam ingenii sui monumenta reliquit, duos scilicet Tomos Homiliarum in dies Dominicos et solennitates Sanctorum, ordine quo in catholicâ Ecclesiâ ejus ævo celebrabantur. Diebus Dominicis plures persæpè dantur Homiliæ, non semper in Evangelium, sed vel in Epistolas in Missâ legi solitas vel in Lectiones, quæ primo loco in nocturno Officio recitari consueverunt. In omnibus verò iis sibi omninò similis est Godefridus : allegoriam videlicet vel tropologiam aut anagogen nullibi non sectatur, in eam partem se maximè vertens, quam ad emendandos perficiendosque cœnobitarum mores accommodatissimam exhibet.

Nicolaus, Clarævallensis Abbas, cui restituimus Sermonem (pp. 171-175), quem Cajetanus, et post illum noster Combefisius, S. Petro Damiano attribuerat, pulchram de mundo allegoriam adumbravit : ibi occurrunt pii affectus, et graves sententiæ, quæ ad normam vitæ spectant.

Adamus Scotus, Præmonstratensis, centum conscripsit Sermones, in quibus summa doctrinæ asceticæ piâ et satis ornatâ oratione exponitur : quatuor Sermones qui pp. 175-186 reperiuntur, tractant 1° de prostratione spirituali ante Deum : 2° de internâ gratiâ animam visitante : 3° de munditiâ, quâ videamus majestatem Dei in nobis : 4° de spirituali Verbi ad animam adventu. Totus est Auctor in mystico Scripturæ sensu tradendo.

Petrus, Cellensis Abbas, deindè Carnotensis Episcopus (pp. 186-188), stylo eleganti et sensibus referto munditiam descripsit, quâ Christo appropinquare valemus. Vide subjectam ibidem Notam criticam de Sermonibus hujus Scriptoris.

Jacobus de Vitriaco, in suo Sermone (pp. 188-190), quem exscripsimus è manuscriptis Bibliothecæ regiæ, multa paucis complectitur : pressâ et simplici oratione amplificat singulas voces hujus versûs Evangelici : *Videbit omnis caro salutare Dei*[1].

[1] *Luc.* III, 6.
[2] S. Bonavent. Meditat. vitæ Christi.

Similiter et in Sermonibus Auctorum qui sequuntur, scilicet Guilielmi Alverni, Parisiensis Episcopi (pp. 191-195), S. Thomæ de Aquino (p. 195), S. Bonaventuræ (pp. 196-200), Nicolai de Gorra, Ordinis Prædicatorum (pp. 201-204), Jacobi de Voragine, Januensis Episcopi (pp. 204-210), præmittitur textus Scripturæ sacræ, qui est velut thema totius Sermonis : distribuitur argumentum in tot divisiones, quot sunt partes in textu explicandæ, ità ut in his Sermonibus jàm appareat eadem structura quæ in hodiernis Concionibus sacris videtur.

Nicolai de Gorrâ Sermones, quos edidimus, nihil aliud sunt quàm compendium et synopsis Sermonum, quos verisimiliter sibi proponebat posteà amplificare : quos solùm tamquàm specimen hujus Auctoris protulimus, non jàm deinceps tàm breves Conciunculas edituri.

IX. Cùm Evangelii vox unaquæque multis et quidem diversis Patrum interpretationibus explanata fuerit, et aliundè textus sacer nonnullis quæstionibus theologicis solvendis ansam præberet, nobis incumbebat opus 1° illas interpretationes compendiandi, conferendi inter se, atque judicandi : 2° trutinandi atque enodandi theologicas illas quæstiones. Quod exsequi conati sumus in hâc Appendice exegeticâ ac theologicâ, quam Sacerdotum, in rebus ecclesiasticis exercitatorum, judicio subjectam suffragiisque approbatam edidimus pp. 211-250.

Ad elucidandum hunc versum Matthæi : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, disseruimus in sex Articulis, 1° de sponsâ apud Judæos : 2° de beatæ Mariæ sponsalibus cum beato Joseph : 3° de matrimonio ejusdem sanctissimæ Virginis cum beato Joseph : 4° de conceptione Christi : 5° de virginitate Mariæ in hâc conceptione : 6° de causis cur Christus ex virgine desponsatâ nasci voluerit. Similiter ad enucleandos reliquos ejusdem Evangelii versus, tractavimus 1° de appellatione *Justi* Joseph factâ : 2° de consilio Joseph dimittendi Mariam : 3° de Angelo ad Joseph legato : 4° de Angeli verbis. Demùm ex verbis Evangelii sequentibus : *Ipse enim salvum faciet populum* suum *à peccatis eorum*, occasionem arripuimus aliquid disserendi de voluntate Dei salvandi homines, de prædestinatione et reprobatione; et tàm arduam hanc dissertationem mutuati sumus ex Opere luculentissimo Cardinalis Gousset, cui titulus : *Theologia dogmatica*. In tractandis autem cæteris argumentis illius Appendicis, quæ sive ad exegesim Scripturæ, sive ad theologiam spectant, multa excerpsimus tum è doctissimo Patritio, è societate Jesu, Doctore decuriali Collegii Romani sacris Libris interpretandis et linguæ hebraicæ tradendæ, Lib. 3 de Evangeliis, Friburgi Brisgoviæ, 1853, tùm è Suarezio, Tom. 2, ed. Lugduni, 1594.

X. Omni studio atque operâ enixi sumus ut Opus hoc immensum titulo suo satisfaceret : *Bibliotheca Patrum concionatoria*. Ac primò lectori compertum erit nostram hanc editionem permultis Patrum monumentis amplificatam esse, thesaurisque à Combefisio congestis novas eloquentiæ divitias à nobis fuisse superadditas. Attamen non omnia quæ in promptu occurrebant, inconfusè et sine delectu admisimus, sed ea tantummodò quæ sive arte oratoriâ, sive doctrinæ soliditate insignia, Concionatori Christiano profutura esse speravimus. Feliciùs nobis quàm Combefisio contigit, ut in edendis Patrum Homiliis et Sermonibus uteremur editionibus præstantissimis. Quarum subsidio, Opera genuina Patrum à spuriis et dubiis sedulò discernere, textum originarium quàm fieri potest accuratissimè repræsentare, difficultates in illo obvias elucidare, aliaque adjicere nobis facile fuit, quæ viam faciliorem sternere possent ad sensum Auctoris ritè assequendum. Ità, quotiescumquè opus fuit, Editoris lucubrationes, textui vel rebus illustrandis adjectas, ut Dissertationes, Prolegomena, Monita, Observationes, Notas, etc. ad usum nostrum accommodavimus. Aliquandò etiam in Notis, si qui occurrerunt Auctoris cujuslibet errores, eos castigavimus, interpretationes locorum obscurorum vel dubiorum apposuimus, aut meliorem sententiam rationibus confirmavimus. Patrum Conciones distinximus in Paragraphos seu Numeros ; eaque distinctio valdè commoda est tùm lectori, quia oculus animusque in istis, quibus plerumquè cogitatuum series circumscribitur, quodammodò conquiescit, tùm recentiori scriptori, qui locos varios è Patribus excitat et indicat, atque etiam hujusmodi scriptorem legenti, qui, ut oportet, locos citatos in ipsis fontibus inspicere desiderat. In principio Homiliarum ac Sermonum præscribitur synopsis Numerorum, quæ lectionem multò expeditiorem reddit.

Insuper totis viribus incubuimus ut quàm paucissimis mendis typographicis editio nostra obnubilaretur : vigili curâ allaboravimus, ut indices locorum, è Scripturis excerptorum, omninò certi essent, interpunctio ritè et fidissimè servaretur, deniquè, ut, quæ in libris recentioribus latinis prætermittitur, custodiretur lex accentuum, percipiendo textûs sensui aptissimè obsecundans.

Postremò nobis destinatum fuit voto ipsius Combefisii satisfacere, qui editionem suam augendam esse et emendandam magnoperè gestiebat, ut significant hæc verba quibus ejus Præfatio clauditur : « Tu, quæso, lector .... ne, si qua Patrum alia « monumenta tibi sint, quibus uspiàm inter alia

« jàm data locus esse possit, alteri, quæ exspecta-
« tur, secundis curis auctior, emendatiorque *Bi-*
« *bliothecæ* nostræ *Patrum concionatoriæ* editio,
« et in eâ ipse nomen consecraturus tuum, velut
« illi quos tantis passìm ubique ipsâ hâc laudo, ad
« invidiam etiam propensus gratitudinis cultor,
« invideas. »

XI. Hoc est igitur propositum primi hujusce Tomi Festorum Dominicalium *Bibliothecæ Patrum concionatoriæ :* faxit Deus, quo auspice illud suscepimus, ut virorum ecclesiasticorum, doctrinâ et pietate insignium, votis satisfaciat, atque totum Opus *ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem totius Ecclesiæ suæ sanctæ* non parvo sit adjumento !

Bibliotheca verè sacerdotalis erit illa Collectio Patrum oratorum, atque Concionatoris sacri cujuslibet usui maximè inserviens, si eo judicio eâque eruditione, quibus par est, digesta fuerit. Monumentorum enim Patrum tractatione, sive dignitatem spectes, nihil est honestius; sive utilitatem, nihil compendiosius; sive demùm jucunditatem, nihil quod suavius accedere valeat, iis præsertìm hominibus, qui divinitùs vocati altari deserviunt; ex illis enim perennibus Christianæ doctrinæ fontibus, sapientia, pietas, eruditio virtutesque omnes uberrimè fluere noscuntur.

An quidquam decorum magis aut laudabilius, quàm *sapientiam omnium antiquorum* exquirere, *ac narrationem virorum nominatorum* conservare [1] ? Quantùm indè honoris et gratiæ nobis accedet, si majores nostros ingenii acie, disputandi scientiâ, doctrinæ copiâ, facultate dicendi aliisque mentis et animi egregiis dotibus præditos auscultare, atque ab ipsis, quæ Dei sunt, quæ religionis, quæ pietatis nosmet edoceri opportunè contingat. Nihil quoque Patrum lectione compendiosius. Nimirùm in sacras hujusmodi exercitationes vir studiosus sollicitè incumbens, veritatemque ad ipsam usquè originem sectatus, tùm verò ad summam rerum divinarum scientiam atque amplitudinem semet provectum gaudet. Hìc enim germanum sacrarum Litterarum sensum, luculenter illustratum, percipere : hìc fidei dogmata fideliter exposita, magnâque ingenii acie atque animi vi propugnata, cognoscere : hìc morum doctrinæ præcepta, Christianæque vitæ instituta solidè ac sine fuco explanata, perdiscere : hìc demùm Ecclesiasticæ disciplinæ placita sacrorumque rituum documenta, copiosè atque dilucidè pertractata, intelligere, in promptu est. Huc accedit, iis qui verè sapiunt omnium esse jucundissimum divinæ religionis primordia et incrementa introspicere : virorum Apostolicorum scripta, monumentaque vetustiorum nostræ fidei Doctorum evolvere : majorum natu Ecclesiæ colloquio et conversatione uti, monitis et exemplis frui : mores, vultus deniquè ipsos coràm intueri, eorum *antiquorum* quorum *sapientiam narrant populi, et laudem nuntiat Ecclesia* [2].

Erunt fortassè qui hancce *Bibliothecam Patrum concionatoriam* gallicâ linguâ versam mallent. Quorum votis lubenter satisfecissemus, nisi ratio habenda fuisset variarum orbis gentium, quarum communis lingua est latina.

XII. Cæterùm oramus viros doctos obtestamurque, ut fidei, religioni, Ecclesiæ necnon litterarum bono consultum velint, nobisque laborantibus ac tanto oneri ferendo penè imparibus, monitis subsidiisque doctrinæ ac eruditionis animos addant, quæ sint resecanda, quæ addenda, quæ emendanda nobis indigitare dignentur, quò nimirùm cœptum opus strenuè prosequi et ad finem usquè feliciter perducere, nobis tandem aliquandò, Deo favente, contingat.

Reliquum est ut in grati animi obsequium præcipuos studiorum nostrorum fautores commemoremus.

Primùm itaque nobis celebrandus D. CAILLOÜÉ, olim in magistratu optimè meritus, vir et ingenii et animi dotibus egregiis præcipuus, cujus munificentia ex locuplete ipsius bibliothecâ quidquid librorum Operi conficiendo perutile opportunumque accidebat, nobis obtulit, quique nostrorum rationem studiorum prospicere quà patrocinio, quà consilio numquàm destitit. Commendandi quoque nobis viri eruditione et singulari disciplinarum litterarumque studio præstantissimi, D. de SACY, ex Academiâ Gallicâ, D. LENORMANT, ex Inscriptionum Litterarumque Academiâ, et D. Ferd. DENIS, unus è Moderatoribus Bibliothecæ San-Genovefanæ, quibus faventibus, è Bibliothecis publicis thesauros eloquentiæ Patrum propè innumeros hauriendi lata facilisque nobis facultas suppeditata est.

Quod superest, Præfationem nostram S. Augustini verbis hisce claudere placet : « Ego autem, cùm
« per eos qui meos labores legunt, non solùm do-
« ctior, sed etiam emendatior fiam, propitium mihi
« Deum agnosco; et hoc per Ecclesiæ Doctores
« maximè exspecto, si et in ipsorum manus venit,
« dignanturque nôsse quod scribo [a]. »

[1] *Eccli.* XXXIX, 1 et 2. — [2] *Id.* XLIV, 15.

[a] AUGUSTINUS, de Dono perseverantiæ, num. 68.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

✠ MONITUM.

Nemo nescit Pervigilia conventus fuisse Fidelium nocturnos ad Deum deprecandum. Eos conventus Plinius commemorat Epistolâ ad Trajanum, in quâ mores describit Christianorum : « Quòd soliti essent « stato die ante lucem convenire, carmenque Christo tamquàm Deo dicere ; » atque eò alludit Tertullianus, Libro ad uxorem, cap. 4, ubi exponens quàm impedita esset fidelis mulier quæ infideli nupsisset viro, ait : « Quis (vir infidelis) nocturnis convocationibus, si ità oportuerit, à latere suo abscedere « conjugem suam libenter feret? »

Sancti Natalis Pervigilium inter cætera semper fuit percelebre et cum jejunio conjunctum. « Ea fuit « Ecclesiæ pia consuetudo, ut præcipuas Solennitates Sanctorumque Festivitates Vigiliis præveniret, « inter quas cùm non infimum locum semper obtinuerit Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundùm « carnem, suam etiam ab initio Vigiliam habuisse minimè ambigimus, quam cum jejunio celebratum « fuisse discimus ex S. Augustini Epistolâ 65 ad Xanthippum. » Verba sunt Martene, Tom. 4, cap. 2, n. 1. Huc accedit quod scripsit S. Cæsarius in Regulâ ad Virgines : « Natali Domini et Epiphaniâ « ab horâ tertià noctis usquè ad lucem vigilandum est. » Narrat S. Gregorius Turonensis de gloriâ Martyrum, cap. 87, in Natalis Pervigilio Episcopalibus Officiis obeundis fessum se ad paululùm somni capiendum secessisse; hominem sibi incognitum adstitisse in somnis, seque semel iterùm excitâsse ; cùmque nihilominùs in somnum esset relapsus, hominem illum ei alapam impegisse, atque in hunc modum eum increpâsse : « Itàne verò tu dormis, cujus est curare ut cæteri vigilent? » Quæ causa fuerit ut statim ad templum redierit. Gravissimis causis permota Ecclesia, ut scandala plura tollerentur, nocturnos agitari conventus vetuit, nocturnaque Pervigilia hoc tempore dumtaxat Monachæ et alia quædam Religiosorum collegia celebrant. Verùm ex eo interdicto Pervigilium Natalis Domini eximitur, quod non modò jejunio, sed ex veteri consuetudine etiam nocturnis conventibus in Ecclesiis, cantandisque Officiis, et post mediam noctem Sacrificio peragendo celebratur. Cùm autem hæc Officia, et Sacrificium quod post mediam noctem peragitur, specialiùs pertineant ad Natalis Festivitatem, vide ea quæ infrà annotabimus in Dissertatione historicâ, liturgicâ et mysticâ, quæ ponitur ad calcem diei Nativitatis Domini. BENEDICT. XIV, *de Festis Domini nostri Jesu Christi.* Romæ, 1751.

Hodiè AD PRIMAM, in Capitulis atque Monasteriis fit apparatu magno præconium solenne Festivitatis Natalis Domini. Lector, qui sæpè inter Dignitarios chori habetur, pleniori voce cantat sequentem Lectionem Martyrologii, quam assistentes stando audiunt, donec Lector BETHLEEMI nomen pronuntiaverit. Quo pronuntiato, prosternuntur omnes, donec felix nuntius omninò evangelizatus fuerit.

OCTAVO CALENDAS JANUARII.

Anno à creatione mundi, quandò in principio Deus creavit cœlum et terram, quinquiès millesimò centesimo nonagesimo nono : A Diluvio verò, anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo: A nativitate Abrahæ, anno bis millesimo quinto decimo : A Moyse et egressu populi Israel de Ægypto, anno millesimo quingentesimo decimo : Ab unctione David in regem, anno millesimo trigesimo secundo : Hebdomadâ sexagesimâ quintâ juxtà Danielis prophetiam : Olympiade centesimâ nonagesimâ quartâ: Ab urbe Româ conditâ, anno septingentesimo quinquagesimo secundo : Anno imperii Octaviani Augusti quadragesimo secundo : toto orbe in pace composito, sextâ mundi ætate, Jesus Christus, æternus Deus, æternique Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, IN BETHLEEM JUDÆ NASCITUR EX MARIA VIRGINE FACTUS HOMO : NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SECUNDUM CARNEM!

Hîc advertendum est quòd in hàc die tantummodò Ecclesia recipit Chronologiam Septuaginta Interpretum, juxta quam nascitur Salvator anno à creatione mundi quinquiès millesimo centesimo nonagesimo nono, dùm juxta Vulgatam ab Ecclesià approbatam, nascitur anno quater millesimo : in quo Vulgata cum textu hebraico concordat. Non est hîc locus explicare hanc Chronologiæ discrepantiam quam infrà explanabimus in Dissertatione posita ad calcem diei Natalis Domini; sufficiat illud factum agnoscere veluti specimen libertatis quam in hâc materià nobis relinquit Ecclesia. (D. GUÉRANGER, *Adventus liturgicus.* Cenomani, 1841, p. 494.)

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Cap. I, 18-21.

In illo tempore : [1] Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eà natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium [2], et vocabis nomen ejus JESUM : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

✠ BREVIS EXPLANATIO [a] SUPERIORIS EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII MENOCHII [b],

CUM SCHOLIIS MARIANÆ ET ANNOTATIONIBUS EMM. SA [c].

---

18. *Christi autem generatio* [d] *sic erat.* Quia generationem Christi cum aliorum generationibus connumeraverat, ne quis existimaret eodem modo atque alios genitum fuisse, sîngularem modum quo genitus est, exponit sacer Historicus.

Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph. In græco est μνηστευθείσης; verbum autem μνηστεύεσθαι potiùs significat alicui sponderi in uxorem, quàm nubere, quod Græci dicunt γαμεῖν: sed hoc discrimen non est perpetuum; nam Lucas eamdem Mariam domum ductam à Josepho μεμνηστευμένην appellat [3]. Vocant ergò Evangelistæ B. Virginem μνηστευθεῖσαν, non quòd ducta non esset, sed quòd non magis à viro cognita quàm sponsæ quæ nondum nuptæ sunt, ut notavit D. Chrysostomus. Adde proprietate aliquarum linguarum, ut Italicæ, sæpè idem esse sponsam ac novam nuptam.

Cùm esset desponsata, Syr. *mechirah*, id est, *vendita.* Machar propriè *emere* et *vendere* significat, quod Syriaci Interpres latinus non advertit. Et sanè *vendita* idem est quod *desponsata.* Sed in eo alluditur ad morem antiquum, quo viri uxores dotabant, et quasi eas emebant : quod in conjugiis Jacob, Davidis et Oseæ prophetæ cernimus. Sic illæ quasi emptæ, subditæ erant viris suis; nunc superbiunt, quasi contrà ipsos viros emant amplà sæpè dote. *Maria Joseph.* Epiphanius, Hær. 78, docet quòd Joseph erat annorum plùs minùs octoginta, cùm duxit Virginem. MARIANA.

Antequàm convenirent, id est, copularentur. Nec

[1] *Luc.* I, 27. — [2] *Id.* I, 31, *et Act.* IV, 12. — [3] *Luc.* II, 5.

[a] Supplens abundè Glossam interlinearem Anselmi, Laudunensis Canonici; quam videre est ad calcem hujus Tomi.

[b] Editio P. Tournemine S. J., Paris. 1719.

[c] Editio Antuerpiæ, an. 1624.

[d] *Generatio.* Vide Monitum in quo disserimus de genealogiâ J. C., infrà, in festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.

verò ex hoc dicendi modo colligitur eos posteà convenisse : sic enim dici solet etiam de iis quæ posteà non fiunt, ut si dicas : Antonius, antequàm pharmacum sumeret, mortuus est. Vel sensus est : Antequàm Joseph in domum suam Mariam introduceret, ut τὸ *convenirent*, domicilii communionem significet, non congressum maritalem.

Antequàm convenirent, scilicet in easdem ædes, anteaquàm duxisset eam domum. MARIANA.

Inventa est, significatur eam ità tumido apparuisse utero, ut quivis, qui modò oculos adjiceret, videre posset eam esse gravidam.

In utero habens, id est, gravida, prægnans.

De Spiritu sancto, id est, virtute Spiritûs sancti, adeòque etiam Patris et Filii; una enim totius Trinitatis virtus. Dicitur tamen Christus è Spiritu sancto conceptus; quia solet Scriptura Spiritui sancto tribuere opera benignitatis, liberalitatis et charitatis, ut Patri opera potentiæ et gubernationis, Filio autem opera sapientiæ : præthereà, quia Christi conceptio opus fuit fecunditatis ac vivificationis, hæc autem opera Spiritui sancto tribuuntur : sic enim legimus : *Spiritus Domini ferebatur super aquas* [1]; et : *Spiritus enim est qui vivificat* [2]; et : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* [3].

19. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus*, id est, perfectus, seu eximiâ probitate, quasi dicat : Cùm eâ esset virtute, ut neminem læderet.

Et nollet eam traducere, in græco est, παραδειγματίσαι, id est, publico exemplo puniendam curare, propalare, infamare, ignominiosè accusare : ad verbum, *exemplare*, ut vertit August., Epist. 59.

Voluit occultè dimittere eam. Non judicavit Josephus Virginem ex adulterio concepisse, sed undè, aut quomodò concepisset, dubitavit, et quia non ex se concepisse certò sciebat, dimittere voluit, in aliquam aliam regionem proficisci cogitans. Fortassè existimavit Mariæ vim illatam, atque ità absque illius peccato gravidam esse.

Occultè, scilicet ne infamaret. *Dimittere*, scilicet ne retinendo consentire videretur. Planè justus, qui suum cuique reddit : Deo timorem, uxori charitatem, sibi cautionem. SA.

20. *Hæc autem eo cogitante*, in græco est, ἐνθυμηθέντος, *cùm hæc cogitàsset.*

Fili David. Vocat filium David, ut in memoriam illi revocet promissionem Davidi factam de Christo ex semine ejus nasciturο.

Quod enim in eâ natum, conceptum, genitum.

21. *Ipse enim salvum faciet populum.* Ratio redditur, cur JESUS sit appellandus, quod nomen SALVATOREM significat.

Populum suum, id est, electos. Remittuntur quidem et aliis peccata, sed relabuntur, et in eis moriuntur. SA.

✠ FUSIOR EXPLANATIO [a] EJUSDEM EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII CORNELII A LAPIDE [b],

JOANNIS MALDONATI [c] ET CORNELII JANSENII [d],

INTER SE VELUTI QUADAM CATENA COLLIGATI.

CORNELIUS JANSENIUS.

18. *Christi autem generatio* seu conceptio *sic erat.* Non est epilogus præcedentium, ut aiunt quidam, sed præfatiò sequentium, ne quis ratione Joseph putaret Christum esse Filium Dei.

CORNELIUS A LAPIDE.

Christi autem generatio sic erat, id est Christi ortus hoc modo contigit : pro generatione enim græcè non est γένεσις, id est, generatio propriè dicta, sed γέννησις, id est, ortus, conceptus, generatio, nativitas, quâ quis oritur, concipitur, gignitur, nascitur.

JOANNES MALDONATUS.

Christi autem generatio sic erat. In multis græcis Codicibus est Ἰησοῦ Χριστοῦ, Jesu Christi. Sed neque noster Interpres [e] legit nomen Jesu, neque

[1] *Gen.* I, 2. — [2] *Joan.* VI, 64. — [3] *Psalm.* CIII, 30.

[a] Supplens abundè Glossam ordinariam Walafridi Strabonis *seu* Strabi; quam videsis ad calcem hujus Tomi.

[b] Editio Antuerpiæ, an. 1639.

[c] Editio Mussiponti, an. 1596.

[d] Editio Paris., an. 1677.

[e] Omnes ferè Auctores antiqui et recentiores communiter tradunt sanctum Matthæum hebraicè scripsisse suum Evangelium; quis verò deindè græcè verterit, aut ex græco in latinum, quo utimur, incertum est : emendatum quidem constat à D. Hieronymo. MENOCHIUS.

græci Auctores Chrysostomus et Theophilactus, quamvis Euthymius legat. Lectionem autem nostri Interpretis magis probo, et quia antiquior est, et quia, ut quidam ante me notavit, proximè præcesserat, *A transmigratione Babylonis usquè ad Christum generationes quatuordecim;* et est verisimile Evangelistam nomen Christi in proximo repetivisse : *Christi autem generatio.* Quidam verò nativitatem, quàm generationem reddere maluerunt, quòd generationis nomen non ad partum, sed ad conceptum pertinere videatur; quibus ego minimè assentior. Manifestum enim est voluisse Evangelistam eamdem rem, quam noster Interpres generationem vocat, tribus nominibus ab eâdem origine paululùm deflexis appellare γένεσιν [1], γενεὰν [2], et γέννησιν, hoc loco. Itaque, cùm isti ipsi verterint : *Liber generationis Jesu Christi* [3], et : *Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim* [4], etc., similiter hoc loco vertere debebant : *Christi autem generatio sic erat :* præterquàm quòd hoc loco non solùm de partu, sed multò magis etiam de conceptu agitur, de quo potiùs quàm de partu poterat dubitari; οὗτος ἦν, præteritum imperfectum pro perfecto ex linguæ proprietate, quod et latinè accidit aliquandò; *ad hunc modum se habuit.* Quod Remigius [a] existimavit posse hæc verba ad præcedentia pertinere, quasi sensus sit : « Hactenùs autem de Christi generatione, » prorsùs alienum puto. Cur autem hoc addiderit Evangelista, conjectura est facilis. Quia generationem Christi cum aliorum generationibus connumeraverat, ne quis existimaret eodem modo atque alios genitum fuisse, modum quo genitus est singularem explicavit : *Sic erat*, id est, non sicut aliorum generationes, *sed cùm esset desponsata mater ejus.* Eòdem pertinet quòd matrem ejus vocat, significans patrem non habuisse, eâdem prorsus cautione quâ dixerat : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus* [5].

CORNELIUS A LAPIDE.

Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph. Voluit Deus beatam Virginem desponderi Joseph, primò, quia Joseph videtur fuisse proximus regni Davidis hæres, ut illud ab eo ad Christum, quasi à Patre ad Filium recto successionis ordine jureque devolveretur [b] : secundò, quia Joseph fuit vir sanctissimus [c], similis Patriarchæ Joseph, cujus proindè uti nomen, sic et castitatem virtutemque sortitus est, dictusque *Joseph*, id est, *auctus*, magnisque Dei donis et virtutibus cumulatus. Ità S. Bernardus, Hom. 2 super *Missus est* [d].

JOANNES MALDONATUS.

Cùm esset desponsata, μνηστευθείσης γὰρ. Noster Interpres non legit γὰρ, causalem particulam, nec ego legendam arbitror, quòd sensum non juvet, et impediat. Nonnulli hærentes in proprietate verbi μνηστεύεσθαι existimant B. Virginem, cùm Christum concepit, nondùm fuisse nuptam, sed desponsam : eodem enim modo differre apud Græcos μνηστεύεσθαι et γαμεῖν, quo apud Latinos desponderi et nubere : itaque nondùm illam Josephum domum duxisse; atque hoc esse, quod paulò post dicitur : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* [1], quasi nondùm accepisset, id est, duxisset; in quâ sententiâ magnos etiam Auctores, Origenem, Hom. 1 in diversos Evangelistas, Hilarium hoc loco, Basilium in Hom. de humanâ Christi generatione et Epiphanium, Hær. 78, fuisse video [e]. Sed pluribus Auctoribus, Chrysostomo, Hom. 4 in Matthæum, Auctori Operis imperfecti, Hom. 1, Ambrosio, Lib. 2 in Lucam, Theophilacto [f] in Commentariis et omnibus ferè Theologis subscribo, verè jàm tùm fuisse nuptam. Præcipua enim causa cur Spiritus sanctus voluerit Christum ex nuptâ nasci, hæc ab omnibus fuisse creditur, ut Virginis honori consuleretur; atqui non est consultum, si desponsa tantùm, nondùm nupta concepit : et duobus versibus infrà, Joseph vocatur ἀνὴρ αὐτῆς, *vir ejus* [2], non νυμφίος, sponsus, et vocatur γυνὴ, uxor Joseph : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* [3]. Nam quod hæreticus interpres [g] exponit, εἰς τὸ εἶναι γυναῖκά σου, ut sit uxor tua, aut quæ desponsata tibi est pro uxore, coactum est. Nam si Hebraismum, ut ille putat, imitari voluisset, dixisset : Μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν τὴν Μαριὰμ εἰς γυναῖκά σου, aut potiùs, σοί : *Ne timeas accipere Mariam in conjugem tibi;* et exemplum quod profert Marcus [4], illi adversatur maximè; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα, *septem enim habuerunt eam uxorem :* non enim significat eam futuram fuisse; sed fuisse reverà uxorem. Quòd autem dicit eam esse vim verbi μνηστεύεσθαι, non ignoramus; sed scimus etiam non semper observari : nam Lucas [5] eamdem Mariam jàm domum ductam à Josepho vocat μεμνηστευμένην. Vocat ergò

[1] *Matth.* I, 1. — [2] *Ibid.* 17. — [3] *Ibid.* 1. — [4] *Ibid.* 17. — [5] *Ibid.* 16.

[a] Antissiodorensis.

[b] Ut dicetur in Evangelio Matthæi, I, 16, quod est Evangelium Nativitatis B. Mariæ Virginis.

[c] Ut dicetur in eodem Evangelio Matthæi.

[d] Quæ reperitur infrà, ubi agitur de Virgine Deiparâ.

[1] *Matth.* I, 20. — [2] *Ibid.* 19. — [3] *Ibid.* 20. — [4] *Marc.* XII, 23. — [5] *Luc.* II, 5.

[e] Cornelius à Lapide citat etiam Cyrillum, Catechesi 12, Abulensem et Cajetanum.

[f] Hic notandum est quòd huic opinioni non assenserint Chrysostomus et Theophilactus suprà citati, ut videre est ex ipsorum textu, p. 30 et p. 47.

[g] Beza in annotationibus.

Matthæus Mariam μνηστευθεῖσαν, sponsam, non quòd ducta non esset; sed quòd non magis à viro cognita, quàm sponsæ quæ nondùm nuptæ sunt, ut rectissimè Chrysostomus annotavit. Nolo tamen ejusdem Chrysostomi et Bernardi in Hom. in illa verba Lucæ *Missus est* [1], uti suffragiis, qui consuetudinem Hebræorum fuisse dicunt, ut generi etiam ante nuptias in sponsarum domibus habitarent. Nam generos Lothi, quorum utuntur exemplo, Scriptura docet in domo Lothi non habitâsse [2]. Teneamus ergò quod aut omnes, aut optimi Theologi tenent, verum fuisse jam tùm, cùm Christus conceptus fuit, inter Josephum et Mariam matrimonium : quod adversùs Julianum Pelagianum, qui concubitum matrimonium definiebat, probat Augustinus, Lib. 5, c. 9, et Lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, c. 2. Cur autem ex nuptâ Christus nasci voluerit, præter alias, quas facilè per se quisque excogitare potest, quinque causas veteres Theologi tradiderunt, Ignatius in Epistolâ ad Philadelphos, Origenes, Hom. 1 in diversos Evangelistas, Hilarius, c. 1 in Matthæum, Chrysostomus, Hom. 4, Basilius in Hom. de humanâ Christi generatione, Ambrosius, Lib. 2 in Lucam, et in Lib. de Institut. Virg., c. 6, Theophilactus hoc loco, Bernardus, Hom. in illa verba *Missus est Angelus.* Prima est, ne Maria, si innupta peperisset, stupri rea putaretur : maluit enim Christus filius Joseph, quàm impudicæ feminæ videri; et, ut scitè ait Ambrosius, « Maluit « aliquos de suâ generatione, quàm de matris pu« dore dubitare, nec putavit ortûs sui fidem matris « injuriis adstruendam. » Secunda, ne ipse spurius videretur, ideòque tamquàm verus Messias non reciperetur à Judæis ; nam si, cùm ex legitimo matrimonio procreatum putarent, tamen ideò contempserunt, quòd fabri filium esse crederent [3], quid facturi erant, si spurium dicere potuissent? Tertia, ut Joseph et Mariæ et infanti adjumento esset atque custodiæ. Itaque, cùm aliquid agendum est, non ad Mariam, sed ad Joseph Dei mandata mittuntur, ut : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usquè dùm dicam tibi* [4]; et : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens ; Surge, accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel* [5]. Cùmque puer perditur, quæritur à Joseph [6]. Quarta, ut Joseph testis esset virginitatis Mariæ. Nemo enim in ejus asserendâ castitate tàm dignus esse poterat fide, quàm qui custos illius erat, qui maximè et scire debuit et potuit, quemque credibilius erat naturali maritorum zelotypiâ impudicitiæ crimen, ubi non esset, suspicaturum, quàm ubi esset, defensurum fuisse. Quia Bernardi verba imitari non possum, recitabo. « Sicut, *inquit*, Thomas dubitando, palpando, con« stantissimus factus est Dominicæ confessor re« surrectionis, ità et Joseph Mariam sibi despon« sando, ejusque conversationem tempore custodiæ « studiosiùs comprobando, factus est pudicitiæ fide« lissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, « et dubitatio Thomæ et desponsatio Mariæ. Pote« rant quidem similis erroris laqueum nobis inji« cere, fidei videlicet in illo, castitatis in illâ verita« tem in suspicionem adducere. Sed valdè pruden« ter et piè factum est per contrarium, ut undè « metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et « de Filii resurrectione citiùs quidem ego (qui « infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti et « palpanti, quàm Cephæ audienti et credenti : et de « matris continentiâ faciliùs sponso ejus custodienti « et experienti, quàm ipsi quoque Virgini de solâ « suâ conscientiâ se defendenti. » Additur ferè ab omnibus quinta, ut hâc ratione mysterium nati Christi diabolo celaretur, ne infanti strueret insidias : quam malo liberè fateri me non intelligere, quàm temerè reprehendere. Non, inquam, intelligo quomodò diabolus Mariæ virginitatem, si modò animadvertit, potuerit ignorare, cùm integrum et incorruptum corpus, quamvis nuptæ, videre posset.

CORNELIUS A LAPIDE.

Vide etiam S. Thomam, 3 Part., Quæst. 29, Art. 1 in corpore, ubi multas affert causas cur ex Virgine desponsatâ natus sit Christus. Additque : « Potest et « quinta ratio esse, quòd mater Domini fuit despon« sata et virgo : quia in personâ ipsius, et virginitas « et matrimonium honoratur contra hæreticos, alteri « horum detrahentes... »

Tropologicè : Nota hîc in B. Virgine et Joseph summum angelicæ castitatis et virginitatis gradum. Aliæ enim virgines fugiunt viros, et virginitatem in claustris et cœtibus virginum conservant. At B. Virgo in ipso conjugio, assiduè versans cum viro, virginitatem illibatam servavit, quod tantùmdem est ac inter epulas esurire, inter vestes algere, inter honores se humiliare, imò in igne versari, et non ardere. Nam, ut ait S. Bernardus, Serm. 65 in Cant. : « Cum feminâ semper esse, et non cognos« cere feminam, nonne plùs est quàm mortuum « suscitare? » Quocircà B. Virgo nonnullis eximiis personis sibi devotis, hoc continentiæ in conjugio donum communicavit, ut S. Pulcheriæ et Martiano imperatori, SS. Juliano et Basilissæ, quibus primâ nocte post emissum continentiæ votum apparuit hinc Christus stipatus ingenti albatorum choro, indè B. Virgo cincta virginum cœtu. Qui cum Christo erant, succinebant : « Vicisti, Juliane, vicisti. » Quæ cum B. Virgine occinebant : « Beata es Basi« lissa, quæ terrenas nuptias spernens, ad æternam

[1] *Luc.* I, 26. — [2] *Gen.* XIX, 14. — [3] *Matth.* XIII, 55, et *Marc.* VI, 3. — [4] *Matth.* II, 13. — [5] *Ibid.* 19. — [6] *Luc.* II, 49.

« gloriam te præparâsti. » Quocircà Julianus innumeros Christo fideles et martyres, Basilissa verò innumeras virgines verbo et exemplo Christo peperit. Ità non sterilis, sed fecundissima est virginitas conjugum, uti fuit in Deiparâ, quæ genuit Jesum hominem et Deum. Vide vitam eorum apud Surium, die 9 Januarii. Sic S. Eduardus, Angliæ rex, mirè devotus B. Virgini, ejus imitatione cum conjuge Edithâ illibatum pudicitiæ florem servavit. Undè ab eâ per S. Joannem Evangelistam evocatus et assumptus est in cœlum anno Domini 1066, die 5 Januarii. Idem fecit S. Cæcilia cum sponso Valeriano, quibus proindè B. Virgo per Angelos coronas ex liliis et rosis cœlestibus transmisit. Idem S. Henricus primus, vel, ut alii numerant, secundus Imperator, cum conjuge suâ Cunegunde, quam moriens parentibus reddens : « En, *inquit*, virgi« nem à vobis accepi, virginem restituo [a]. »

Symbolicè : In hoc matrimonio et familiâ Joseph cum Mariâ fuit imago SS. Trinitatis ; Joseph enim repræsentabat Patrem æternum, B. Virgo Spiritum sanctum, quia ipsa erat sanctissima, et quia ex Spiritu sancto conceperat, Christus seipsum, putà Filium Dei. Undè primò, sicut in SS. Trinitate est una essentia deitatis in tribus personis ; sic hìc unum erat matrimonium, et una familia perfecta è tribus personis, scilicet Joseph, Mariâ et Christo. Secundò, sicut in SS. Trinitate Pater spiritualiter generat Filium, et spirat Spiritum sanctum ; ità hìc B. Virgo spiritualiter, non carnaliter, putà per virtutem Spiritûs sancti, concepit peperitque Christum. Tertiò, in SS. Trinitate Pater generat Filium, sicut lux emittit lumen ; undè in symbolo canimus : *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero* : ità B. Virgo quasi stella maris peperit Christum, qui est *candor lucis æternæ, et speculum sine maculâ* [1]. Undè sicut sine suî corruptione sidus fulgidum evibrat radium ; sic absque suî læsione Virgo genuit Christum, qui est lux mundi : « nec sideri « radius suam minuit claritatem, nec Filius Vir« gini suam integritatem, » ait S. Bernardus, Hom. 2 super *Missus est*. Undè illud S. Simeonis de Christo : *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* [2].

Fuit ergò hæc familia quasi cœlum quoddam terrenum, trium non tàm hominum, quàm corporeorum Angelorum, imò trium quasi personarum divinarum symbolicè. Quare non dubium illam plenam fuisse Angelis ministrantibus Virgini, quasi Reginæ cœlorum, ac Christo, quasi Domino Deoque suo : nimirùm stupebant illi, et summè desiderabant videre Verbum incarnatum. Igitur domus illa quasi cœlum erat admirandum celans mysterium, *nigra* foris, *sed formosa* intùs, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* [1], ait Rupertus. Undè Joannes Gerson, Serm. de Nativit., quasi attonitus exclamat : « O quàm dilecta Trinitati, Patri, « Filio, et Spiritui sancto domûs illius Trinitas, Chri« stus, Maria, Joseph ! Nil charius, nil melius, nil in « terris erat excellentius. Invidebat terris tales habi« tatores cœlum, utique cœlo digniores, quàm terris. »

Tropologicè : Conjuges imitentur B. Virginem et Joseph in castitate, sanctitate, patientiâ et charitate, ut alter alterius onera portet. Erat enim in familiâ Joseph, Mariæ et Christi summa omnium concordia, summus amor, summa reverentia, humilitas, pietas, auxilium, et obsequium mutuum : ab eâ procul aberat non tantùm rixa, sed et omnis mali vel levissima suspicio : hinc meruerunt gignere Christum, Sanctum sanctorum. Nunc sæpè in familiis sunt proles pravæ, inobedientes, superbæ, rixosæ, obscœnæ, quia tales sunt parentes ; patrem enim sequitur sua proles, quæ, quod videt et audit à patre et matre, hoc imitatur et imbibit : proles enim sunt simiæ parentum.

JOANNES MALDONATUS.

Antequàm convenirent. Hoc loco Hilarii interpretatio est : *Antequàm transiret in conjugis nomen*, quasi *convenire* significet simùl *habitare* : quam interpretationem, non quia vera, sed, ut opinor, quia nova videbatur, nonnulli novitatum sectatores hæretici secuti sunt ; nescio an secuturi, si Hilarii fuisse cognovissent. Sed jàm antè probavimus, jàm tùm veram fuisse conjugem ; et ex consequentibus manifestum est *convenire* hoc loco significare *rem matrimonii*, ut Hieronymus loquitur, *exercere*, esseque, ut Græci vocant, ὑποκορισμὸν, quo res inhonesta honesto declaratur verbo. Voluit enim Evangelista rationem reddere, cur voluerit Joseph *occultè Mariam dimittere*, *quia inventa est in utero habens, antequàm convenirent*, id est, cùm eam non cognovisset, ut loquitur infrà [2]. Nemini non statim occurrit objectio : Ergò posteà convenerunt. Hoc enim potissimùm argumento nonnulli quondam hæretici, ut Antidicomarianistæ apud Epiphanium, Hæres. 78, Jovinianus apud Au-

[1] *Sap*. VII, 26 — [2] *Luc*. II, 32.

[a] Idem non postremus S. Elzearius comes, qui (teste eodem Surio, t. 5, die 27 Sept.) decimo ætatis anno cum Delphinâ virgine purissimâ, duodecim etiam duntaxat annos natâ, matrimonium contraxit. Ambo nobiles, ambo formâ liberali. Hi se mutuò ad virginitatem illibatam servandam exhortati sunt, et perfectissimè servaverunt communi consensu absque ulla voti obligatione. Porrò hoc illis tam feliciter accessit, non sine singulari B. Virginis protectione, cujus Assumptionis festo die tàm rarum sanctimoniæ propositum conceperunt. Si ergò hæc B. Virgo in famulis suis, quid operata censenda est in Josepho sponso suo, quem super omnes post Christum diligebat, cui thesaurum cordis sui aperiebat ac confidenter communicabat ? EX CATENA CORDERII.

[1] *Cant*. I, 5. — [2] *Matth*. I, 25.

gustinum, in Lib. de Hæres., Helvidius apud Hieronymum, in Libro adversùs Helvidium, adducti sunt, ut post Christi partum Mariam à Joseph cognitam fuisse crederent, ex eoque conjugio natos fuisse eos, qui in Scripturis [1] Domini fratres appellantur. A quorum impietate nonnulli ex nostris hæreticis non procùl abfuerunt. Sed hunc errorem et Scripturis et exemplis ità Hieronymus fregit, ut si quis refutare velit, actum agat : et nos non disputationes nunc scribimus, sed Commentarios. Summa rei est, non quotiès dicitur aliquid non antè factum esse, significari factum esse posteà. Cùm enim dicimus hæreticos non acturos pœnitentiam, priusquàm moriantur (ut Hieronymi utar exemplo), non significamus eos pœnitentiam post mortem acturos : sed tacemus quod est certum, dicimus quod est dubium. Certum est post mortem neminem posse agere pœnitentiam, quia *in inferno quis confitebitur tibi* [2] ? sed dubium est an ante mortem acturus sit [a]. Certum quoque erat post Christi partum Joseph Mariam non cognovisse, cùm non alium, quàm Christum Filium habuisset [b]. Certè de eo non erat quæstio. An autem Christus ex Joseph, an ex Spiritu sancto conceptus esset, et dubitari poterat, et necessariò erat explicandum. Hoc ergò explicavit Evangelista quod dubium, quodque necessarium erat : illud prætermisit quod neque quærebatur, neque dictu erat necessarium.

Inventa est. Origenes, Hom. 1 in diversos Evangelistas, et Hieronymus in Commentariis multa ex illo mutuatus, à Joseph inventam esse dicunt, qui penè licentià maritali futuræ uxoris omnia noverat : quod, nisi me tantorum auctorum reverentia retineret, minùs reverenter dictum dicerem : satis habeo illis non assentiri; nam εὑρίσκειν græcè non significat *quærendo scrutandoque*, sed potiùs *non quærendo, non cogitando, præter opinionem exspectationemque aliquid invenire*, ut Chrysostomus, idoneus græci sermonis testis, annotavit. Non ergò Joseph vestigando, sed non quærendo ; nec tactu, sed visu, eoque purissimo, minimèque curioso, Mariam prægnantem invenit. Nec significatur ab eo potiùs quàm ab alio inventam fuisse : sed vis verbi εὑρέθη est eam subitò et inopinatò ità tumido apparuisse utero, ut quivis, qui modò oculos adjiceret, videre posset eam fuisse gravidam.

In utero habens, prægnans, gravida, uterum gerens. Illa enim græca, hæc latina est phrasis.

De Spiritu sancto. Sunt qui hæc verba cum superioribus ità jungant, ut hæc sit sententia, Joseph non solùm prægnantem Mariam deprehendisse, sed etiam eam de Spiritu sancto concepisse; ut Basilius in Hom. de humanâ Christi generatione, et Theophilactus in Commentariis, idemque videntur Origenes, Hom. 1 in diversos Evangelistas, et Bernardus, Hom. in illa verba *Missus est*, imò etiam Hieronymus in hunc locum, existimare. Auctor autem Operis imperfecti non incertò cognovisse, sed dubitasse ait, an divinitùs concepisset. Sed ex consequentibus manifestum est eum ignoràsse undè Virgo sacra concepisset; propterea enim voluit dimittere ; propterea ab Angelo docetur : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Atque ità omnes alii Auctores interpretantur.

CORNELIUS A LAPIDE.

Addit Origenes eam inventam ab Angelis : hi enim sciebant eam concepisse de Spiritu sancto.

De Spiritu sancto. Non quasi de Spiritûs sancti substantiâ decisus sit Christus, uti fit in aliis prolibus, quæ deciduntur à parentibus : nec de Spiritu sancto, ut patre [c]; quia Christus, quà homo, non erat similis Spiritui sancto, qui est Deus in naturâ; sed de Spiritu sancto, ut figulo et artifice. Ità S. Ambrosius in Lucæ I, 35. *De Spiritu sancto* ergò, non quasi de Patre, sed quasi de Patris concursum supplente ; quod enim facit pater in matre, hoc Spiritus sanctus fecit in Virgine, formando Jesum per suam potestatem et operationem, ait S. Ambrosius, Lib. 2 de Spiritu

[1] *Matth.* XII, 46, 47, et XIII, 55; *Marc.* III, 31 et 33; *Luc.* VIII, 19 et 20. — [2] *Psalm.* VI, 6.

* [a] Ità, inquit Cornelius Jansenius, rectè dicitur virga Aaronis ante plantationem floruisse, cùm tamen posteà plantata non fuerit. Nam, ut ait Ambrosius, Libro de Institut. Virginis, cap. 5 : « Consuetudo Scripturæ est, ut causam quæ suscepta « est, adstruat, incidentem differat. » C. JANSENIUS.

* [b] Alii dicunt Joseph habuisse filios ex aliâ uxore, quam, antequàm Dei matrem duxisset, habuisset. In quâ opinione omnes penè Auctores græci fuerunt, ideòque opus non est singulos nominare : monere modò lectorem volui, ut, cùm græcos legit, istud caveat. In eâdem est sententiâ ex Latinis Hilarius et Ambrosius, qui plerisque in rebus græcos imitabantur Auctores. Hos non miror : recentissimos quosdam, et doctos, et catholicos, miror eam opinionem tenuisse. Vera sententia est, quam Hieronymus validissimè probavit, fratres Christi consobrinos et cognatos ejus appellari, quales erant Jacobus minor, Joseph, Judas et Simon. Filios fuisse sororis Mariæ Virginis, quæ et ipsa Maria vocabatur, Jacobum quidem et Joseph constat. Nam Mariam Cleophæ filiam, Alphæi autem uxorem Joannes vocat sororem matris Domini, XIX, 25. Eamdem verò Matthæus, XXVII, 56, et Marcus, XV, 40, Mariam Jacobi et Joseph matrem appellant. Quòd enim eam Gregorius Nyssenus, Oratione 2 de Resurrectione, Christi matrem fuisse dicit, admittendum non est. Solitos consobrinos et cognatos fratres appellari ex multis locis manifestum est. Nam Loth, quem filium Aram fratris Abraham fuisse Scriptura testatur, Abrahàmi frater vocatus est, Genes. XIII, 8, et Laban, cùm frater esset matris Jacob, Genes. XXVIII, 2, Jacob frater appellatur, Genes. XXIX, 15. Hoc ergò sensu ill quos suprà nominavimus, fratres Domini vocantur. (Desumptum ex explicatione Matthæi, XII, 46, à Maldonato.) Vide infrà S. Hilarii expositionem in hocce Evangelium et Notam ibi subjectam. — * [c] Quemadmodùm ait Hieronymus nonnullos olim existimàsse. MALDONATUS.

sancto, cap. 5, et S. Augustinus in Enchiridio, cap. 39. Nam materiam corporis, quam aliis filiis subministrat tàm pater quàm mater, hanc sola B. Virgo subministravit Filio suo. Vide Franciscum Suarez, 3 Part., Quæst. 29, Art. 1 : alioqui propriè *de* significat causam efficientem, *ex* materialem. Undè Christus dicitur in symbolo *conceptus de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine.*

Quæres cur non æquè dicit Matthæus : *In utero habens de Patre æterno*, aut *de Filio*, sicut dicit : *In utero habens de Spiritu sancto?* Respondetur id æquè verè eum dicere potuisse; axioma enim Theologorum est : Opera S. Trinitatis ad extrà (in creaturis) omnibus tribus personis divinis esse communia : sed maluit dicere *de Spiritu sancto*, quia sicut potentia appropriatur Patri, et sapientia Filio, utpotè Verbo ; sic amor, bonitas, gratia, quæ in hoc Incarnationis opere maximè elucet, attribuitur Spiritui sancto. Nam Spiritus sanctus à Patre et Filio procedit per spirationem, quasi terminus amoris notionalis Patris et Filii.

JOANNES MALDONATUS.

Duabus ergò de causis Christi conceptio Spiritui sancto tribuitur, et quia summum fuit erga homines beneficium, omniumque beneficiorum caput ; et quia fecunditatis ac vivificationis opus fuit. Est enim Spiritus quasi divinum quoddam semen, quo omnia fecundantur, quemadmodùm illud interpretati sunt multi : *Spiritus Domini ferebatur super aquas* [1], et quasi anima, quâ animantur et vivificantur omnia : *Spiritus enim est, qui vivificat* [2]; et : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* [3]. Quod Plato aliique philosophi, et hos secuti poetæ, tamquàm in tenebris hallucinantes, Deum animam mundi esse dixerunt. Perquàm elegans est inter Christum et Christianos, id est, inter caput et membra comparatio, quam omnes ferè Auctores veteres, Ambrosius, Augustinus, Leo, observaverunt. Christus ex Mariâ Virgine natus est.; Christiani ex Virgine Ecclesiâ nascuntur : Ecclesia Virgo et Mater sine maculâ et rugâ [4], ut Maria : fons baptismi, uterus : aqua, semen Ecclesiæ, quæ producit animam viventem : Spiritus sanctus supplet semen viri. Itaque ut Christus ex semine Virginis et Spiritu sancto natus est, sic Christianus, id est, membrum Christi oportet ex aquâ et Spiritu sancto renascatur [5].

CORNELIUS A LAPIDE.

Porrò S. Thomas, 3 Part., Quæst. 32, Art. 1 et seq., ac ibidem Suarez docent τὸ *de Spiritu sancto* tria significare. Primò, ex puro amore Dei et Spiritûs sancti, sine meritis hominum peractam esse Verbi Incarnationem. Secundò, ex eâdem gratiâ Dei et Spiritûs sancti conceptum esse, sine præviis ejus meritis. Undè S. Augustinus, Lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 15, Christum quasi ideam prædestinationis et prædestinatorum proponens : « Eà gratiâ, *inquit*, fit ab initio fidei suæ homo « quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab « initio suo factus est Christus : de ipso Spiritu et hic « renatus, de quo est ille natus : eodem Spiritu fit « in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum « est, ut nullum haberet ille peccatum. » Tertiò, Christum ex vi conceptionis suæ fuisse sanctum : sicut enim homo, qui per generationem communem propagatur ex Adam peccatore, ex vi conceptionis suæ nascitur peccator : sic Christus, qui conceptus et quasi propagatus est de Spiritu sancto, ex vi conceptionis suæ conceptus est sanctus : quod enim operatur Spiritus sanctus, hoc aliud esse nequit quàm sanctum, sicut ignis non aliud producit quàm calorem et ignem. Quartò, τὸ *de Spiritu sancto*, significat Spiritum sanctum, in efformatione humanitatis Christi, omnem suam sanctitatem in eam transfudisse (quantùm creatura capax est, potestque suo Creatori assimilari), eamque quasi in se transformâsse, ità ut post se fecerit eam quasi exemplar et prototypum sanctitatis, ut ex illo et ad illud omnem deindè sanctitatem omnium tàm Angelorum quàm hominum quasi expingeret et exprimeret. Humanitas Christi ergò fuit opus eximium, proprium et sanctissimum Spiritûs sancti, in quo ipse omnis sanctitatis fontem constituit, qui suâ puritate omnes scelerum sordes ablueret, omnesque peccatores (quantùm in se est) sanctificaret.

Porrò S. Thomas, Quæst. 32 jàm citatâ, Art. 2, docet præpositionem *de*, cùm dicitur, *de Spiritu sancto*, significare Christum esse consubstantialem Spiritui sancto quoad divinitatem, non quoad humanitatem, quam in Christo operatus est. Verùm negat S. Augustinus in Enchiridio, c. 39 : « Nam, « *inquit*, de homine nascitur capillus, pediculus et « lumbricus, quorum nihil est filius, quia diversæ « sunt ab homine substantiæ : ergò præpositio *de* « non significat rem factam esse consubstantia« lem suo factori. »

Articulo verò 4, docet D. Thomas ex Aristotele, et ex utroque Suarez, B. Virginem solùm materialiter concurrisse ad generationem Christi subministrando corpori ejus materiam, putà sanguinem, non effectivè, quia sic decidisset semen, quod videtur repugnare purissimæ ejus virginitati. Verùm contrarium censet S. Bonaventura et Scotus ex Galeno, qui docet matrem non tantùm materialiter, sed et effectivè (licet debiliori actione quàm pater) concurrisse ad generationem prolis : quare valdè probabile est B. Virginem effectivè quoque concur-

[1] *Genes.* I, 2. — [2] *Joan.* VI, 64. — [3] *Psalm.* CIII, 30. — [4] *Ephes.* V, 27. — [5] *Joan.* III, 5.

risse ad generationem Christi, quia sic magis fuit mater Christi, quàm si solùm materiam subministrâsset. Nec id obstat illibatæ ejus virginitati, quia sine omni concupiscentiâ in operante Spiritu sancto purissimus ejus sanguis (qui vicem habuit seminis) decisus est ad formandum corpus Christi.

JOANNES MALDONATUS.

19. *Joseph autem, vir ejus.* Vir ejus appellatur, non quia corpore, sed quia vero illi conjunctus erat matrimonio.

CORNELIUS JANSENIUS.

Cùm esset justus, id est, quia erat justus, non illâ justitiâ vulgari quæ quarta virtus est cardinalis, nam illâ salvâ traducere potuisset; sed illâ justitiâ quæ virtutes omnes maximèque charitatem, benignitatem et mansuetudinem comprehendit.

JOANNES MALDONATUS.

Cùm esset justus, δίκαιος ὢν. Et græca et latina verba duplicem intellectum admittunt : Vel quamvis esset justus, vel quia erat justus. Hæreticus interpres adversativè accipiendum putat, quasi sensus sit, quamvis Joseph vir esset justus, tamen sinistrâ adversùs beatam Virginem suspicione non caruisse[a]. Clariùs, si ausus esset, dixisset Joseph meritò de sanctissimæ Virginis castitate dubitâsse. At quis non videt non adversativè, sed causaliter græcum participium accipiendum? Causa enim redditur eorum quæ sequuntur. Utrius autem causa reddatur, cùm duo sequantur, alterum, quòd noluerit eam traducere, alterum, quòd voluerit occultè dimittere, de eo poterat meritò dubitari. Aliqui ergò existimârunt, secundi membri causam reddi, ut Chrysostomus, Hom. in Matth. 4. Propter eà enim voluisset dimittere, quòd justus esset, nolletque, quam adulteram suspicabatur, retinere. Fuerunt enim Chrysostomus, Hieronymus, et nonnulli alii graves Auctores in eâ sententiâ, ut putaverint non licere viro adulteram uxorem retinere. Idque ne fieret, fuit aliquandò ecclesiasticis decretis constitutum. Alii causam prioris membri reddi dicunt, ut Hieronymus, Ambrosius, Lib. 2 in Lucam, Theòphilactus : quod ego multò probabilius esse arbitror. Videntur enim hæc verba : *Et nollet eam traducere*, apposita esse ἐξηγητικῶς, expositionis loco, quasi dicat : Quia erat vir justus, ideòque nolebat eam traducere, cœpit aliam dimittendi rationem honorabiliorem cogitare. Et illa Chrysostomi sententia non solùm à Theologis, sed à totâ etiam Ecclesiâ deserta est. Lex enim adulteram dimittere permittebat, non jubebat, Christo etiam interprete [1]. Dicet aliquis : Si lex permittebat, licebat ergò adulteram accusare; quarè et Joseph, quamlibèt justus, salvâ justitiâ id facere potuit. Respondeo Joseph vocari justum, non quòd justitiâ, unâ ex quatuor virtutibus moralibus, præditus esset, sed quòd omni virtutum genere cumulatus, ut Chrysostomus annotavit. Ejusmodi autem quisquis est, D. Paulum imitatus, dicit : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* [2]. Itaque potuit quidem traducere, sed non debuit; quia majoris fuit charitatis occultè dimittere. Quia ergò vir erat justus, id est, magnâ præditus charitate, in quâ, ut ait Augustinus, omnis christiana justitia consistit, noluit facere quod justitia, una privata virtus, permittebat, sed quod charitas, omnium virtutum regina, postulabat.

Traducere, παραδειγματίσαι, publico exemplo puniendam curare, ignominiosè accusare, ad verbum, *exemplare* [b], ut alicubi Augustinus, Epistolâ 59, vertit, quamquàm idem aliàs vertere solet, *divulgare*, ut Epistolâ 54 et Serm. 16 de verbis Domini. Id autem Joseph fecisset, si in judicium vocâsset, et omnium oculis, tamquàm adulterii ream, proposuisset. Usus est eodem verbo D. Paulus : *Iterùm crucifigentes Filium Dei*, καὶ παραδειγματίζοντες, et publicæ ignominiæ exponentes, ubi noster Interpres vertit, *ostentui habentes* [3]. Quod Hispani significantissimo verbo dicerent : *Sacándolo otra vez á la vergüenza :* quâ phrasi non sola Christi crucifixio, sed tota ejus passio probris plena significatur. Simili prorsùs significatione idem verbum LXX Interpretes usurpârunt, Lib. Num. [4] et Esther [5].

Voluit occultè dimittere eam. Quarè? Nonnulli existimârunt ideò dimittere voluisse, quòd videret eam de Spiritu sancto concepisse, seque ejus consortio indignum judicaret. Eodem prorsùs modo, quo Petrus dixit Christo : *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum* [6]; et Centurio ille : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* [7]. Sic Origenes, Homiliâ 1 in diversos Evangelistas; Bernardus, Homiliâ in illa verba *Missus est Angelus*, et, si benè intelligo, Hieronymus in Commentariis interpretantur [c]. Quæ interpretatio, etsi loco non convenit, eorum tamen Auctorum pietati maxi-

[a] Beza. — [b] Solebant enim adulteras in Cretâ, sicut captivos Romæ, per mediam urbem populo spectandas et deridendas traducere; indè *traducere* significat *divulgare*, *diffamare*. Undè illa lex olim, et pœna in lenas : Lenæ et polygami mitellati per publica civitatis loca efferantur, ut catamidientur et derideantur. Et Propertius :

Nec sic infamis totam traduceret urbem.

Vide Budæum in Pandectas, p. 263, in verbo καταμειδιάω, id est, derideo, traduco. CORNELIUS A LAPIDE.

[1] *Matth.* XIX, 8, *et Marc.* X, 5. — [2] I *Cor.* X, 22. — [3] *Hebr.* VI, 6. — [4] *Num.* XXV, 4. — [5] *Esther*, XIV, 8. — [6] *Luc*, V, 8. — [7] *Matth.* VIII, 8.

[c] Cornelius à Lapide citat etiam S. Basilium in Hom. de humanâ Christi generatione, et Theophilactum hoc loco (qui quidem Theophilactus à Maldonato citatur pro contrariâ opinione [a]). Id ipsum sibi revelatum asserit S. Brigitta, Lib. 7

[a] Scilicet Theophilactus duas opiniones ità exponit, ut utrique parti similiter favere videatur.

mè convenit. Alii prorsùs contrariam sequuntur opinionem, ideò dimittere voluisse, quòd adulteratam suspicaretur, ut Chrysostomus hoc loco et in Homiliâ de Susannâ, Augustinus, Epistolâ 54, Serm. 16 de verbis Domini et Serm. 18 de Tempore, si tamen illius est, Theophilactus et Euthymius in Commentariis. Quorum sententiam sequentia verba confirmant: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuàm; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est*, quasi Joseph non de Spiritu sancto, sed de adulterio natum putaret, ideòque timeret accipere, ne probare adulterium videretur; aut quia factam, ut putabat, sibi ferre nolebat injuriam. Sententia Pseudochrysostomi, media inter has duas, nec à veritate, nec à pietate discedit, non judicâsse Joseph ex adulterio Virginem concepisse, sed undè, aut quomodò concepisset, dubitâsse, et quia non ex se concepisse certò sciebat, dimittere voluisse. Quæ autem fuerit illa ratio, quam cogitabat, occultè eam dimittendi, incertum est; et quod Abulensis dicit cogitâsse illi occultè dare libellum repudii, mihi non videtur convenire. Nam quamvis occultè dedisset, omnis scriptura naturâ suâ publica est; præterquàm quòd non poterat divortium infamiaque latere, si, cùm in eâdem domo cœpissent habitare, fuissent privato judicio separati, eo præsertim tempore, quo Mariæ uterus apparebat. Itaque credibilius quod alii dicunt, esse arbitror, voluntarium in aliam regionem secessum cogitâsse, ut per speciem peregrinationis ità dimitteret, ut non vitio aliquo repudiâsse, sed necessitate deseruisse videretur. Hoc mihi videtur non solùm adverbio λάθρα, occultè; sed ipso etiam verbo ἀπολύσαι, significante quod gallicè diceretur: *S'en défaire*; eodem omninò sensu quo ille [a] dixit amicitias non disrumpendas esse, sed dissuendas.

JOANNES MALDONATUS.

20. *Hæc autem eo cogitante*, quomodò eam occultè dimitteret, antequàm aut consilium inveniret, aut inventum exsequeretur. Videtur enim Evangelista significare voluisse Deum exspectâsse opportunum temporis articulum, ut Angelum mitteret. Si enim antè misisset, quàm Joseph gravidam Mariam animadvertisset, fortassè Joseph Angelo, sicut Zacharias, non credidisset. Hanc enim Chrysostomus et Auctor imperfecti Operis rationem reddunt, si, postquàm ab eâ discessisset, nimis serò misisset. Mittit ergò Deus ad ægrotum medicum, nec antequàm incipiat, nec postquàm mortuus desinat ægrotare. Aliam iidem Auctores rationem reddunt, quòd Joseph minùs idoneus virginitatis Mariæ fuisset testis, si, antequàm de illâ dimittendâ cogitaret, ab Angelo fuisset admonitus. Quis enim marito non credat de sponsæ integritate testanti, et illi marito qui eò usquè processerit, ut suspicatus sit adulterium, et de divortio cogitaverit? Divina est Providentia, quæ ægrotare unum permittit hominem, ut multis ex ejus morbo medicinam faciat. Ea fuit quæ Petrum et Thomam permisit circa fidem cadere, ne nos caderemus. Ea exspectavit donec Joseph de Mariæ virginitate dubitaret, ne ipsi dubitaremus, ut ℣. 19 ex verbis Bernardi recitavimus. Cur ergò ad Mariam, antequàm concipiat, Angelus mittitur [1]? Causa, ut opinor, fuit, quòd à Mariâ, ut esset sponsa Spiritûs sancti, ex eo conciperet, consensus requirendus fuit: deindè, quòd non decebat ignorare Virginem, quem in utero gereret, et undè concepisset: priùs enim, ut Augustinus, Libro de sanctâ virginitate, et Leo, Sermone de Natali Domini, dixerunt, Christum fide, quàm carne concepit: quam fidem non admonita habere non poterat. Illud etiam à quibusdam quæri solet, cur Mariæ vigilanti, Josepho dormienti missus sit Angelus. Cur Mariæ vigilanti, ex iis quæ paulò antè diximus, apparet; erat enim ab eâ fides consensusque requirendus. Cur autem Josepho dormienti, difficilius est dictu. Probabiliter tamen mihi videtur, Hom. 4, Chrysostomus respondere, quòd Joseph vir justus et fidelis fuerit, quem satis erat dormientem admonere: deindè, quòd jam uterum viderat, et, undè impletus fuisset, dubitabat; itaque paulo momento inclinari poterat, ut à Spiritu sancto impletum crederet. Nam faciliùs, quæ facta sunt, divinitùs et præter naturæ leges fieri potuisse, quàm quæ facienda, fieri posse credimus. Mirum etiam videri potest, cur sanctissima Virgo, quid sibi Angelus de Christo concipiendo nuntiâsset, sponso suo non dixerit, ut et se infamiæ periculo, et illum sinistrâ suspicione liberaret. Verisimiliter etiam ad hoc idem Chrysostomus respondit Josephum maritum, de sponsæ castitate sollicitum, Virgini quamvis sanctæ pro se loquenti non fuisse crediturum. Et verò quis maritus, nisi à Deo monitus, credidisset?

CORNELIUS A LAPIDE.

Hæc autem eo cogitante (non planè decernente; fuit enim hæc prima cogitatio, et quasi primus animi motus), *ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere* (id est, acceptam retinere, eique deinceps indivulsè convivere; jàm enim duxerat in uxorem, ut dictum fuit ℣. 18) *Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.*

Natum, simùl scilicet et eodem tempore conceptum, formatum, et animatum; hoc enim pro-

Revelat., cap. 25: undè Salmeron, Lib. 3, cap. 30, tredecim rationibus hoc ipsum confirmat.

[1] *Luc.* I, 26.

[a] Cicero, *de Amicitiâ*.

priè dicitur γεννηθὲν, id est, generatum et natum. Vide Abulensem, Quæst. 53, et S. Thomam, 3 Part., Quæst. 33 et 34, ubi docet Christi corpus à Spiritu sancto primo conceptionis suæ instanti quoad omnia membra fuisse, primò, perfectè formatum et organisatum : secundò, animatum animâ rationali : tertiò, assumptum à Verbo : quartò, animam Christi fuisse impletam omni sapientiâ et gratiâ Capitis, quam scilicet infunderet in omnia membra, id est, in omnes fideles : quintò, eamdem vidisse Deum per visionem beatificam : sextò, eamdem usam ratione etiam extra visionem beatificam, per scientiam infusam, ac per eam cognovisse se unitam Verbo hypostaticè, ideòque pro hâc unione et exaltatione summas Deo egisse gratias : Deum verò ei revelâsse suam voluntatem de ejus morte et cruce, ut per illam homines redimeret et salvaret ; ipsam verò mox id acceptâsse, seseque Deo in holocaustum et victimam pro peccato ad mundi salutem ultrò summâ humilitate, obedientiâ, reverentiâ, amore, exsultatione, et jubilo mentis obtulisse, dicendo : *Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam* : *Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* [1].

De Spiritu sancto, qui, modo ineffabili et divino, hæc omnia quæ dixi in B. Virgine operatus est. Præclarè S. Augustinus, Epist. 54 ad Macedonium : « Apparuit, *inquit*, illi Angelus, qui doceret esse « Numinis, quod ille putaverat criminis.» Putat enim Augustinus Josephum voluisse dimittere B. Virginem ob suspicionem adulterii, uti superiùs dictum est.

JOANNES MALDONATUS.

De Spiritu sancto est, non, ut suspicaris, ex adulterio [a]. Omnia eò pertinent, ut tristem Joseph et incertum consilii consoletur; et ut persuadeat non doloris, sed lætitiæ eum materiam habere, quòd ex ejus sponsâ Messias ille tamdiù exspectatus Virgine nasciturus sit : propterea vocat Filium David, non solùm quia honorificus erat titulus, sed etiam ut significet eum qui ex Virgine ejusdem familiæ conceptus erat, illum esse Messiam qui Filius David futurus erat. Propterea dicit : *De Spiritu sancto est*, ut revocet illi in memoriam Isaiæ testimonium, quod paulò post sequitur : *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium* [2], ut credat et gaudeat id in suâ sponsâ fuisse perfectum.

CORNELIUS JANSENIUS.

Hæc autem eo cogitante, id est, cùm hæc animo solùm volveret curarum pleno : quo ipso indicatur magnitudo virtutis ejus, quòd ne quidem cuiquam mœroris causam indicaverit, nec adversùs uxorem in verba querelasque vel facta proruperit. Nec verò Virgo ipsa suspicionem dissipat, quia quis maritus de tali innocentiâ uxoris, nisi Deo monente, credidisset? Itaque, *Ecce*, rem scilicet novam : quod ferè semper illâ voce in Scripturis indicari solet. *Ecce Angelus Domini apparuit*, significari videtur per species imaginationi impressas, quasi modo corporeo colloquentem apparuisse. *In somnis;* tunc enim mens ab externarum rerum tumultu ac distractione libera magis idonea est ad cœlestes revelationes accipiendas. Hoc autem Deus ità facit, ut simùl homo intelligat esse non satagentis animi cogitationem, sed divinam illuminationem : quod sopore quodam, qui verbis explicari non potest, discerni testatur S. Monica, Libro 6 Confessionum S. August., c. 13.

Dicens, « colloquendo scilicet cum eo, more hominum, » inquit Augustinus in Enchiridio, c. 59, hoc est, non vocibus in aure, sed vocum similitudinibus in imaginatione formatis.

Joseph, fili David. Blandientis est et consolantis, quia suspicio justa fuerat : et simùl Davidis meminit, ut attentior fieret ad id quod de Messiâ ex familiâ David nascituro diceretur.

Noli timere. Timuerat enim, ne adulteram retinendo, Deum vel sapientûm judicia offenderet.

Accipere Mariam conjugem, græcè παραλαβεῖν, assumere scilicet constanter ac retinere in vitæ societate : « jàm enim, ut Chrysostomus ait, eam mente repudiaverat. »

Quod enim in eâ natum est, id est, quod conceptum atque formatum est. Per id tamen quod *natum* dicit, Basilius insinuatum putat, quòd Christi caro non, ut cæterorum, paulatim fingendo formata, sed statim absoluta fuerat.

De Spiritu sancto est, græcè *ex Spiritu sancto est*, id est, non de substantiâ Spiritûs sancti, sed ex operatione potestatis ejus, qui proindè non ejus pater, sed creator est, ut latiùs Augustinus in Enchiridio, cap. 38 et 39. Et propterea cùm *natum in eâ* dicit, Virginem id egisse in ordine naturæ significat, quod matris est : cùm *de* vel *ex Spiritu sancto*, miraculo suppletum esset quod patris est, atque adeò non timendum sibi esse, sed gratulandum. Et hæc de præteritis : mox autem prædicit futura, ut ex eorum eventu præterita vera esse credat.

CORNELIUS A LAPIDE.

21. *Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Si Jesus, qui, ut sequitur, est *Emmanuel*, id est, *Nobiscum Deus*, est partus et Filius B. Mariæ, ut hîc dicitur, ergò ipsa ejusdem est mater ; ideòque non tantùm Christipara, sed et Deipara, uti definivit Concilium Ephesinum contra Nestorium : mater enim et filius sunt correlativa. Rursùm damnatur hîc Valentinus, qui docebat Christum è

[1] *Psalm.* XXXIX, 8 *et* 9, *et Hebr.* X, 7. — [2] *Isai.* VII, 14. — [a] Vide ŷ 19.

cœlo corpus cœleste detulisse, ac per B. Virginem tantùm quasi per canalem transîsse: quia, quæ parit filium, hæc verè mater est filii, eique corpus et membra omnia subministrat, imò efformat.

Jesum, id est, Salvatorem. Hoc nomen fuit proprium Christo, hîc ab Angelo prænuntiatum, sed in Circumcisione illi inditum, quòd ejus officium, dignitatem, imò totam vitam quasi per compendium significat et repræsentat [a].

CORNELIUS JANSENIUS.

Pariet autem Filium. Vera mater, non ut canalis per quem transeat, sicuti aliqui hæretici nostri, et olim Valentinus apud Tertullianum, Libro de carne Christi, c. 20, ex eo colligebant quòd diceretur in eâ natus: sed nasci in aliquâ significat veram conceptionem; ex aliquâ, verum partum.

Et vocabis nomen ejus Jesum, cœlitùs impositum, « ut etiam cœlitùs conceptum et mirabilem fu« turum intelligas, » inquit Chrysostomus. Nam quibus à Deo nomen ante nativitatem impositum fuit, semper admirabiles inventi sunt, ut Isaac, Salomon, Cyrus, Joannes Baptista.

Ipse enim salvum faciet populum suum, nempè omnes prædestinatos in vitam æternam, seu omnes filios promissionis, qui ipsum fide et charitate tamquàm Regem ac Dominum complexuri sunt. Salvabit autem non ab imperio gentium, et ab hostibus visibilibus, sed *à peccatis eorum*, tàm quæ fecerant, quàm quæ facturi essent, ne faciant, et consequenter ab omnibus causis peccatorum, diabolo et concupiscentiâ eis dominante, et effectis eorum, morte, mortalitate, omnique miseriâ. Per hæc ergò verba significat Filium istum non tantùm hominem, sed et Deum futurum, qui solus tamen salutem à peccatis afferre potest. Ex quâ nominis istius *Jesus* etymologiâ, quam ipse Angelus tradit, manifestum est, nomen illud significare *salutem* vel *salvationem*, ac proindè falsum esse commentum Osiandri, qui voluit nomen *Jesus* esse idem cum nomine Dei tetragrammato, inserta littera ש, *schin*, et scribendum esse יהשוה, *Jeheschou*: nomen enim istud fictitium est, neque prorsùs quidquam significat. Nomen ergò *Jesus* idem est cum nomine יהושע, *Jehoschuagh*, quod Græci Septuaginta, Philo, Josephus per *Jesus* tradidęrunt, Latini *Josue*, et Salvatorem significat. Sed post Babylonicam captivitatem, quandò lingua hebraica in usu vulgari esse desiit, et syriaca inolevit, pronuntiatio ejus mutata fuit, et loco יהושע, *Jehoschuagh*, hebraicè, dici vulgò cœpit ישוע, *Jeschuagh*. Quod ex eo apertissimum est, quòd Jesus ille, filius Josedech, typus veri nostri Jesu, cùm ab Aggæo [1] et Zachariâ [2] semper vocetur יהושע, *Jehoschuagh*, tamen in Libris Esdræ et Nehemiæ, qui eodem vixerunt sæculo, semper vocatur ישוע, *Jeschuagh*, ut patet apud Esdram [3] et Nehemiam [4]. Imò et Josue, filius Nun, alter clarissimus typus Salvatoris, qui sexcentiès vocatur in Scripturâ יהושע, *Jehoschuagh*, tamen in Nehemiâ [5] dicitur ישוע, *Jeschuagh*. Nimirùm hi Libri post captivitatem Babylonicam scripti sunt. Ex quo usu syriaco factum est, ut Salvator noster etiam vulgò non יהושע, *Jehoschuagh*, sed ישוע, *Jeschuagh*, vocaretur: sic enim etiam in titulo Crucis, qui Romæ asservatur, etiamnùm scriptum est, ut oculatus testis Pagninus tradit. Quod ergò Judæi Salvatorem nostrum nominant ישו, *Jeschu*, sine ע, *gh*, in fine, duabus ex causis fit: partim ex contemptu, ne Salvatorem ipso nomine fateantur, ut declarat Elias in Thisbi: partim ex usu linguæ thalmudicæ, in quâ ע, *gh*, pronuntiatu difficillima sæpè facilitatis causâ absorbetur: partim deniquè fit à recentioribus Judæis ad blasphemandum Salvatorem. Nam isti tres characteres ישו, *Jeschu*, per abbreviationem apud ipsos significant ימח שמו וזכרו, *jimmach schemo vezichro*: *Deleatur nomen ejus et memoria ejus.*

JOANNES MALDONATUS.

Pariet autem Filium. Τέξεται δέ. Δὲ videtur poni pro γὰρ, *enim* [b]. Videtur enim afferri hoc ab Angelo tamquàm certum signum et argumentum ad faciendam ejus quod dixerat, fidem, eodem modo quo dixerat Isaias: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [6]; perindè ac si diceret: Sponsa enim tua non est adultera, sed Virgo illa integerrima, de quâ Isaias dixit: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium.* Pariet enim Filium, non filiam: quod cùm videbis, non dubitabis, quin ex Spiritu sancto conceperit. Cùm enim videris quæ futura prædixi, vera esse, credes quæ dixi præterita, vera fuisse.

Et vocabis nomen ejus Jesum, eòdem hoc pertinet; tribuit enim illi hunc honorem, ut infanti non ex se, sed ex Spiritu sancto nato, tamquàm proprio Filio, nomen imponat. Annotârunt quidam, non matres, sed patres solitos fuisse filiis nomen imponere. Quod etsi credibile est usitatum fuisse, constat tamen non fuisse perpetuum. Nam et Rachel vocavit filium suum *Benoni* [7], et Jabes [8], non pater, sed mater nomen dedit, quòd maximo eum cum dolore peperisset, et quemadmodùm hoc loco Josepho, ità Lucæ I, 32, Mariæ dicitur.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Hoc est certum

[a] Vide de hoc nomine S. Bernardi Sermonem 15 in Cant., quem reperies in Festo Circumcisionis Domini, et multos alios ibi, et in Festo SS. Nominis Jesu.

[1] *Aggæ.* I, 1, 12 et 14. — [2] *Zach.* III, 1, 3, 6 et 8. — [3] *Esdr.* II, 2, et III, 2, 8 et 9. — [4] *Nehem.* VII, 7, et in eod. Lib. sæpiùs. — [5] *Id.* VIII, 17. — [6] *Isai.* VII, 14. — [7] *Gen.* XXXV, 18. — [8] I *Paral.* IV, 9.

[b] Vide Matth. XXIII, 5, et aliàs sæpè.

voluisse Angelum Josephum officio patris honorare, simulque probare quod dixerat, de cœlo conceptum, cui de cœlo nomen imponeretur; observamus enim divinitùs conceptis nomina quoque, antequàm nascantur, divinitùs dari; Isaac [1], Joanni [2]; et ex nomine ipso doceri qualis sit qui conceptus est infans, ille nimirùm Missus qui populum suum à peccatis liberaturus erat : hoc enim est Jesus יהושע, *Jehoschuagh*, Servator. De quo nomine, ut multa omittam quæ à quibusdam observata sunt, certum est illud nomen Ἰησοῦς, *Jesus*, à Græcis Latinos, ab Hebræis Græcos accepisse : nam ubicumque ferè est in Veteri Testamento יהושע, *Jehoschuagh*, nomen proprium, Septuaginta verterunt, Ἰησοῦς, hebraicum vocabulum ad græcam, ut potuerunt, aut ut sciverunt, formam reducentes. Attamen Libro I Paralipomenon, VII, 27, vertunt Ἰησουὲ. Significat autem id nomen *salutem*, aut *servatorem*. Quo etsi multos appellatos fuisse legimus, ut Jesum filium Nave [3], et filium Josedech sacerdotem [4], illis tamen casu, Christo consilio, eoque non humano, sed divino, hoc datum est nomen; et illi non erant, quod hoc nomine significabatur, verè servatores; Christus plùs est quàm hoc nomine significatur. Itaque aliis nomen erat quodammodò commune, et certè vulgare; Christo proprium, et ut Propheta prædixerat, novum et singulare; quia eo modo quo de Christo dicitur, nemini prætereà convenit, quia non est in aliquo alio salus. Quòd autem recentiores Judæi non יהושע, *Jehoschuagh*, sed ישו, *Jeschu*, vocare soleant, partim ex sono vulgarium linguarum, quem illi solùm audiunt; partim irrisione et malignitate faciunt, significantes Christum non esse יהושע, *Jehoschuagh, servatorem*, sed *Jesu*, quòd illis nihil nisi vulgarem aliquem hominem significare videatur. Sed benè est, quòd non tàm facilè possunt suam Christo divinitatem detrahere, quàm facilè ejus nomini syllabas detrahunt. Hoc ergò proprium Christi nomen est, quo et ejus divina simùl humanaque natura et præstantissimum Redemptoris officium declaratur : *Hoc datum illi est nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur terrestrium et cœlestium et infernorum* [5]. Itaque rectè à quibusdam annotatum est Evangelistas, cùm Servatorem nostrum proprio nomine appellare volunt, non Christum, sed Jesum appellare, ut hoc loco, et alibi [6]. Christus enim nomen est officii, Jesus naturæ atque personæ. Dubitabit autem aliquis, quomodò Angelus Jesum vocari jubeat, cùm Isaias dixerit vocandum Emmanuelem. Id nobis Judæi, ut probent illam in Christum Prophetiam non convenire, solent objicere. Sed satis copiosè pro nobis jamdiù veteres Auctores responderunt, Justinus, Quæst. ad Orthodoxos, num. 131, Tertullianus, Libro adversùs Judæos et Lib. 3 contrà Marcionem, Lactantius, Lib. 4 de verâ sapientiâ, c. 12, et Chrysostomus, Lib. de Incarn., c. 2, Prophetam, non quî vocandus Christus, sed quî futurus; Evangelistam, quî vocandus et quî futurus esset, declarare voluisse : noluit enim dicere Propheta fore ut proprium Christi nomen esset Emmanuel, sed ut res eo nomine significata illi conveniret; ideòque meritò Emmanuelem vocari posse : quemadmodùm idem Isaias prædixerat de Jerusalem : *Posthàc vocaberis civitas justi, urbs fidelis* [7], non quòd eo umquàm nomine vocanda esset, sed quòd talis futura, ut ità meritò vocari posset. Eâdem ratione dixit : *Vocabunt te civitatem Domini, Sion, sancti Israel* [8], cùm numquàm tamen eo nomine vocata sit. Similia exempla sunt alibi [9]; et de Christo ipso idem Isaias dixit fore ut vocaretur nomen ejus, *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* [10], non quòd tot nomina, sed quòd tot res habiturus esset. Et Jeremias : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster* [11]; verè enim Christus Dominus justus noster fuit : verè quoque *Emmanuel*, quod est, *Nobiscum Deus*. Ità Evangelistam locum Isaiæ intellexisse ex eo manifestum est quòd, cùm dixisset : *Vocabis nomen ejus Jesum*, quasi ut probaret ità vocari debuisse, Isaiæ locum induxit : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [12]. Idem ergò est Jesus et Emmanuel, non sono, ut ait Tertullianus, sed sensu. Esse enim Deum nobiscum, quod *Emmanuelis*, est Deum servatorem esse nostrum, quod nomine *Jesu* significatur.

CATENA AUREA S. THOMÆ AQUINATIS

IN IDEM EVANGELIUM [a].

18. *Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

[1] *Gen.* XVII, 19. — [2] *Luc.* I, 13. — [3] *Josue* I, 1. — [4] *Aggæ.* I, 1, 12 et 14. — [5] *Philipp.* II, 10. — [6] *Matth.* II, 1, et *Luc.* I, 31; III, 23 et IV, 1. — [7] *Isai.* I, 26. — [8] *Id.* LX, 14. — [9] *Jerem.* III, 17 et *Zach.* VIII, 3. — [10] *Isai.* IX, 6. — [11] *Jer.* XXIII, 6. — [12] *Isai.* VII, 14.

[a] Editio Romæ 1470 (ideòque Editio *princeps*) curâ Joannis Andreæ, Episcopi Aleriensis.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(*Homil. I in Opere imperfecto super hoc verbum.)

Quoniam superiùs dixerat : *Jacob autem genuit Joseph*, cui desponsata Maria genuit Jesum, ne aliquis audientium æstimaret sic esse Christi Nativitatem quomodo præcedentium patrum, ipse ordinem narrationis suæ præcidens, dicit : *Christi autem generatio sic erat*, ac si dicat : Generatio quidem eorum quos exposuimus patrum, sic fuit quemadmodùm retuli : Christi autem generatio non sic, sed ità erat : *Cùm esset desponsata Mater*.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. IV (in Matth., aliquantulùm à principio.)

Quasi enim aliquid novum dicturus, præmittit modum generationis dicere, ne audiens *virum Mariæ*, æstimes natum esse lege naturæ.

REMIGIUS [b].

Potest autem ad superiora referri hoc modo : *Sic erat Christi generatio*, sicut dixi, id est, *Abraham genuit Isaac*, etc.

HIERONYMUS

(super illud : *Cùm esset desponsata*. Tom. 9.)

Sed quarè non de simplici virgine, sed de desponsatâ concipitur? Primùm, ut per generationem Joseph, origo Mariæ monstraretur : secundò, ne lapidaretur à Judæis ut adultera : tertiò, ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium mariti. Martyr etiam Ignatius quartam addit causam : « Ut partus, *inquiens*, ejus celaretur diabolo, » dùm eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf. super illud : *Cùm esset desponsata*.)

Ideò autem et desponsata et domi habita ; nam quemadmodùm in eâ quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio naturalis ; ità in eâ quæ extra domum concipit, est suspecta conjunctio.

HIERONYMUS

contra Helvidium. (Circa princip. libri. Tom. 2.)

Sciendum autem quòd Helvidius quidam, homo turbulentus, acceptâ materiâ disputandi, blasphemare contra Dei Matrem incœpit. Cujus prima propositio fuit : « Matthæus loquitur sic : *Cùm esset* « *desponsata*; ecce, inquit, habes desponsatam, non « commendatam, ut dicitis ; et utique non ob aliud « desponsatam, nisi quoniam nupturam. »

ORIGENES.

(Homil. I inter eas quæ ex variis locis Matthæi sunt collectæ, in principio.)

Desponsata fuit quidem Joseph, non tamen in concupiscentiâ juncta. *Mater ejus*, inquit. Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. *Mater ejus*. Cujus, *ejus?* Mater Dei Unigeniti, Domini Regis, omnium Plasmatoris, et Redemptoris cunctorum.

CYRILLUS

(ad Monachos Ægypti.)

Quid enim videbit aliquis in sanctâ Virgine præter alias, si Dei mater non sit, sed Christi vel Domini, ut Nestorius dicit? Nihil enim absurdum est, etiam si voluerit quis, matrem uniuscujusque unctorum, Christi nominare genitricem. Sola verò præter alias sancta Virgo et Christi genitrix simul et Dei Genitrix intelligitur ac dicitur : genuit enim non purum hominem secundùm nos, sed incarnatum potiùs et hominem factum ex Deo Patre Verbum. Sed forsitan illud ais : Dic mihi : Putasne, Divinitatis Mater facta est Virgo? Et ad hoc quoque dicimus quia natum est ex ipsâ Dei substantiâ ejus Verbum, et sine principio temporis semper [c] existens Genitori : in novissimis autem temporibus, quoniam caro factum est, hoc est unitum carni animam habenti rationalem, natum etiam dicitur carnaliter per mulierem. Assimilatur autem quodammodò nativitati quæ est secundùm nos hoc sacramentum : matres etenim terrenorum ministrant naturæ coagulatam paulatim carnem perficiendam in specie humanâ ; immittit autem animali spiritum Deus. Sed licèt sint istæ solummodò terrenorum corporum matres, attamen parientes, totum animal et non partem peperisse dicuntur. Tale autem aliquid gestum percipimus in generatione Emmanuel : natum enim est ex Patris substantiâ Dei Verbum. Quia verò carnem assumpsit, propriam eam faciens, necessarium est confiteri quia natus est secundùm carnem per mulierem. Quia igitur et Deus verè est, quomodò dubitabit quispiam sanctam Virginem Dei dicere Genitricem?

LEO PAPA IN SERM. DE NATIVITATE,

(imò potiùs Chrysologus, Serm. 148.)

Non autem te Dei conceptus turbet : partûs te non confundat auditus, quandò virginitas quidquid est humani pudoris excusat : aut quæ hìc verecundiæ læsio, ubi iniit Deitas cum amicâ sibi semper integritate consortium, ubi est interpres Angelus, fides pronuba, dispensatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptio integritas, virginitas partus, virgo mater?

CYRILLUS AD JOANNEM ANTIOCHENUM.

(Epist. 28, quæ incipit : *Lætentur cœli.*)

Sed si de cœlo, et non ex ipsâ sanctum corpus Christi factum esse diceremus, ut Valentinus, quomodò intelligeretur Dei Genitrix Maria? Nomen autem matris ostendit, cùm subdit : *Maria*.

BEDA SUPER LUCAM,

(tùm in Comment. in illum, tùm etiam in Homil. hyemalibus

* a Notæ uncis clausæ in Editione laudatâ 1470 non reperiuntur : desumuntur partim è Nicolai, partim è Combefisio ; utrùm autem illæ veros fontes semper indicent, lectori judicandum relinquimus. — b Antissiodorensis. — c Existens *subaudi* æquale.

Feriâ quartâ Quatuor Temp., super illud : *Ad virginem desponsatam.* Tom. 7.)

Interpretatur autem Maria *Stella maris* hebraicè, *Domina* syriacè, quia et lucem salutis et Dominum mundo edidit. Cui autem desponsata fuerit, ostendit subdens : *Joseph.*

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

Homil. I (in Opere imperf. super illud : *Cùm esset desponsata.*)

Ideòque fabro lignario Maria desponsata erat, quoniam Christus, Ecclesiæ sponsus, omnium salutem hominum operaturus erat per lignum crucis.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., inter princip. et med.)

Quod autem sequitur : *Antequàm convenirent*, non dicitur : Antequàm duceretur in domum sponsi; etenim jàm intùs erat. Consuetudo enim multotiès veteribus erat in domo desponsatas habere : quod et nunc quoque fieri videtur : et generi Lothi intùs cum ipso erant.

GLOSSA.

Sed dicitur : *Antequàm convenirent*, ad carnis commixtionem.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf., ubi suprà.)

Ut non ex passione carnis et sanguinis nasceretur, qui ex Deo natus est, ut carnis et sanguinis solveret passionem.

AUGUSTINUS DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIIS.

(Lib. I, cap. 12.)

Nuptialis etiam concubitus ibi non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine ullâ carnis concupiscentiâ, quæ accidit ex peccato; sine quâ concipi voluit, qui futurus erat sine peccato; ut hinc etiam doceret omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola, quæ non indè nata est, non fuit caro peccati.

AUGUSTINUS IN SERM. DE NATIVITATE,

(partim Serm. 6, partim 13, partim 14, sive in Appendice de Diversis tùm Serm. 22, tùm 23, 24 et 25, sed non iisdem verbis quoad omnia, nec eodem contextu.)

Nascitur etiam ab intactâ feminâ Christus, quia fas non erat ut virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio nasceretur. Nec poterat nisi novo ordine adventare de cœlo, qui vetustum mortis destruere veniebat imperium. Regnum igitur tenuit virginitatis, quæ Regem genuit castitatis. Ideò etiam Dominus noster virgineum sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet Deum in casto corpore portari debere. Ergò qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse gravidavit Mariam Spiritu sancto. Undè dicitur : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

HIERONYMUS

(super illud : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Tom. 9.)

Non ab alio inventa est nisi à Joseph, qui penè licentiâ maritali omnia noverat.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf., ubi suprà.)

Nam, sicut historia non incredibilis docet, quandò gesta sunt quæ refert Lucas, Joseph absens erat : nec enim conveniens est putare, præsente Joseph, introîsse Angelum ad Mariam, et dixisse quæ dixit, et Mariam respondisse quæcumque respondit. Et, si credamus Angelum potuisse intrare ad eam et loqui, planè tamen Mariam abiisse in montana et mansisse cum Elisabeth mensibus tribus possibile non fuit præsente Joseph, quia necesse erat ut absentationis ejus et mansionis diutinæ requireret causas. Postquàm autem rediit peregrè post tot menses, invenit eam gravidam manifestè.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. IV (in Matthæum.)

Propriè autem dicit : *Inventa est :* quod de non excogitatis dici consuetum est. Ne autem molestares Evangelistam, interrogando qualiter sit natus ex Virgine, breviter expedivit se, dicens : *De Spiritu sancto;* quasi Spiritus sanctus est, qui est hoc miraculum operatus; neque enim Gabriel, neque Matthæus ampliùs dicere potuerunt.

GLOSSA,

(sive Anselmus *Laudunensis* [a].)

Hoc ergò quod dicitur, *Est ex Spiritu sancto*, Evangelista ex parte suâ adduxit, ut, cùm diceretur habere in utero, omnis mala removeretur suspicio à mentibus audientium.

HIERONYMUS IN EXPLANATIONE CATHOLICÆ FIDEI,

(falsò ei adscriptâ. Tom. ult.)

Non autem, sicut quidam sceleratissimè opinantur, Spiritum sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentiâ ac virtute Creatoris dicimus operatum.

AMBROSIUS IN LIBRO DE SPIRITU SANCTO.

(Lib. 2, cap. 5.)

Quod enim ex aliquo est, aut ex substantiâ aut ex potestate ejus est : ex substantiâ, sicut Filius, quia à Patre : ex potestate, sicut ex Deo omnia, quomodò et in utero habuit Maria ex Spiritu sancto.

AUGUSTINUS AD EUSTOCHIUM.

(In Enchiridio ad Laurentium, cap. 40, in principio.)

Profectò autem iste modus, quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei, quâ homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso [b] ex ordine naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copu-

[a] Vocem *Laudunensis* adjicimus; constat enim Anselmum Laudunensem auctorem esse *Glossæ interlinearis*, imò manum admovisse *Glossæ ordinariæ* Walafridi Strabonis — [b] Ex ordine, *aliàs*, exordio.

laretur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei. Sed cùm illam creaturam, quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit (neque enim separabilia sunt opera Trinitatis), cur in eâ faciendâ solus Spiritus sanctus nominatus est? An et quandò unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur?

HIERONYMUS

(contra Helvidium, non longè ab exordio. Tom. 2.)

« Sed, *inquit* Helvidius, neque de non conven-» turis Evangelista dixisset : *Priusquàm conveni-« rent*, quia nemo de non pransuro dicit : Ante-« quàm pranderet; quasi si quis diceret : Antequàm « in portu pranderem, ad Africam navigavi, non pos-« set stare sententia, nisi ei in portu prandendum sit « quandoque. » Aut non potiùs sit intelligendum sic, quòd *antè*, licèt sæpè et consequentiam indicet, tamen nonnumquàm ea tantùm quæ priùs cogitabantur ostendit. Nec necesse sit ut cogitata fiant, cùm ideò aliud intervenerit, ne ea quæ cogitata sunt, fierent.

HIERONYMUS

(super illud : *Antequàm convenirent*. Tom. 9.)

Non ergò sequitur ut posteà convenerint, sed Scriptura quòd factum non sit, ostendit.

REMIGIUS [a].

Vel hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum, id est, quandò ea quæ fuerat sponsa, incipit esse uxor : est enim sensus : *Antequàm convenirent*, id est, antequàm ritè solennia nuptiarum celebrarent.

AUGUSTINUS DE CONSENSU EVANGEL.

(Lib. 2, c. 5, in principio.)

Hoc quemadmodùm factum sit, quod hìc prætermisit, Lucas exponit post commemoratum conceptum Joannis, ità narrans : *In mense autem sexto, missus est Angelus* [1]; et infrà : *Spiritus sanctus superveniet in te* [2]. Hoc ergò est quod Matthæus commemoravit, dicens : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Nec contrarium est, quia Lucas exposuit quod Matthæus prætermisit : sicut non est contrarium, quia Matthæus deinceps continet quod Lucas prætermisit : sequitur enim : *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus*, usquè ad eum locum ubi scriptum est de Magis, quòd *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus quæ de Christi Nativitate dicuntur, ab alterutro, si hæc prætermittuntur, ordinare sic potest : *Christi generatio sic erat : Fuit in diebus Herodis, etc.*, usquè ibi : *Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.* Et tunc addendum est quod hìc dicitur : *Et inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

19. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*

CHRYSOSTOMUS.

Homil. IV (in Matth., inter principium et medium.)

Cùm dixisset Evangelista quòd ex Spiritu sancto et sine concubitu *inventa est in utero habens*, ne suspectum haberes Christi discipulum quasi grandia de suo magistro fingentem, introduxit Joseph, per ea quæ passus est, ad fidem eorum quæ dicta sunt conferentem : undè dicit : *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus.*

AUGUSTINUS IN SERM. DE NATIVITATE,

(nempè Serm. 14, qui est in Append. de Diversis 25, nec tamen est Augustini, et de Tempore, 10.)

Intelligens enim Joseph Mariæ uterum gravidari, turbatur, quòd Mariam, quam de templo Domini acceperat, et nondùm cognoverat, gravidam sentiebat; secumque æstuabat disputans et dicens : Quid faciam? Prodo, aut taceo? Si prodidero, adulterio non consentio, sed vitium crudelitatis incurro, quia, secundum Moysi sententiam, lapidandam eam esse cognosco [b]. Si tacuero, malo consentio, et cum adulteris portionem meam pono : quoniam ergò tacere malum est, adulterium prodere pejus est, dimittam eam à conjugio.

AMBROSIUS SUPER LUCAM.

(Lib. 2, cap. 1, paulò ante finem.)

Pulchrè autem docuit sanctus Matthæus quid facere debeat justus, qui opprobrium conjugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat : et ideò dicit : *Cùm esset justus.* Ubique ergò in Joseph justi gratia et persona servatur, ut testis ornetur : lingua enim justi loquitur judicium veritatis [c]. Sed quomodò Joseph, cùm crimen celet uxoris, justus describitur?

CHRYSOSTOMUS

Homil. (IV in Matth., inter principium et medium.)

In lege enim præceptum est, non solùm reos, sed conscios criminis obnoxios esse peccato.

HIERONYMUS.

Nicolaï è contrà adjudicat CHRYSOSTOMO, Homil. IV in Matth., omnia quæ sequuntur usquè ad AUGUSTINUM.

Sed sciendum quòd *justum* hìc virtuosum in omnibus dicit : est enim justitia et avaritiam non habere, estque universalis virtus : et sic nomine justi-

[1] *Luc.* I, 26. — [2] *Ibid.* 35.

[a] Antissiodorensis. Habet eadem et Rabanus; quin et Anselmus Laudunensis partim, quoad ultimam appendicem.

[b] Colligitur ex Levit. XX, 10 (etsi minùs expressè), ut et ex Deut. XXII, 22, 23 et 24; sed expressiùs Ezech. XVI, 38 et 40 indicatur, ac Joan. VIII, 5, supponitur.

[c] Hæc phrasis et sequens à Nicolaï adjudicatur Hieronymo (super illud : *Joseph, vir ejus*).

tiæ maximè utitur Scriptura. *Justus* igitur existens, id est, benignus et mitis, *voluit occultè dimittere eam*, quæ non solùm traditioni, sed etiam pœnæ secundum legem obnoxia videbatur. Sed Joseph utrumque remisit, quasi supra legem vivens. Sicut enim sol, antequàm radios monstret, mundum clarificat, sic et Christus, antequàm nasceretur, multa signa perfectæ virtutis apparere fecit.

AUGUSTINUS DE VERBO DOMINI.

(Serm. 16, à med.)

Vel aliter : Si solus nôsti quia aliquis peccaverit in te, et eum vis coram hominibus arguere, non es corrector, sed proditor. Undè vir justus Joseph, tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus, magnâ benignitate pepercit. Æstuabat utique certa adulterii suspicio, et tamen quia ipse solus sciebat, noluit eam divulgare, sed occultè dimittere, volens prodesse peccanti, non punire peccantem.

HIERONYMUS

(super illud : *Joseph autem cùm esset justus*. Tom. 9.)

Vel : Hoc testimonium Mariæ est, quòd Joseph sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.

REMIGIUS [a],

(vel etiam Rabanus, ut jàm suprà.)

Videbat enim gravidam quam noverat castam, et quia legerat : *Egredietur virga de radice Jesse* [1], indè novit Mariam duxisse originem, et legerat etiam : *Ecce Virgo concipiet* [2], non diffidebat hanc prophetiam in eà esse implendam.

ORIGENES.

(Homil. I inter eas quæ sunt in diversos, ante med.)

Sed si suspicionem in eâ non habebat, quomodò justus erat ut immaculatam dimitteret? Ideò ergò dimittere volebat, quoniam magnum sacramentum in eâ esse cognoscebat, cui approximare se indignum æstimabat.

GLOSSA

(ordinaria super illud : *Cùm esset justus ;* minùs tamen expressè quàm Anselmus his verbis.)

Vel, cùm vellet eam dimittere, justus erat; cùm occultè, pius notatur, eam ab infamiâ defendens : et hoc est : *Cùm esset justus, voluit dimittere eam :* cùm nollet eam traducere in publicum, id est, diffamare, voluit hoc facere occultè.

AMBROSIUS SUPER LUCAM.

(Lib. 2, cap. 1, paulò ante finem, tom. 5.)

Nemo autem quam non accepit, dimittit : et ideò quam volebat dimittere, fatebatur acceptam.

GLOSSA.

(Undè suprà.)

Vel, cùm nollet eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam, *voluit occultè dimittere eam,* id est, tempus nuptiarum mutare : vera enim virtus est, cùm nec pietas sine justitiâ, nec sine pietate servatur justitia ; quæ separatæ ab invicem dilabuntur. Vel justus erat per fidem, quâ credebat Christum de virgine nasciturum : undè voluit se humiliare ante tantam gratiam.

20. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.*

REMIGIUS [b],

(vel Rabanus.)

Quia, sicut dictum est, cogitabat Joseph occultè Mariam dimittere ; hoc autem si fecisset, perpauci essent qui non magis suspicarentur eam esse meretricem quàm virginem ; idcircò repentè consilium Joseph divino mutatum est consilio : undè dicitur : *Hæc autem cogitante.*

GLOSSA,

(sive Anselmus : sic enim tantùm Glossa : « Hic docemur diù deliberandum esse in incertis, ne peccetur temeritate levitatis. »)

In quo notatur animus sapientis, qui nihil temerè vult incipere.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., paulò ante med.)

Notatur etiam mansuetudo Joseph, quia nulli enarravit suam suspicionem, neque ei quæ suspecta erat ; sed in se cogitabat.

AUGUSTINUS IN SERM. DE NATIVITATE.

(Serm. 4, de Tempore 18, à med.)

Sed Joseph ista cogitante, non timeat Maria, David filia, quoniam sicut David veniam contulit sermo propheticus, sic Mariam liberat Angelus Salvatoris. Ecce enim iterùm Virginis ille paranymphus Gabriel advenit : undè sequitur : *Ecce Angelus Domini apparuit Joseph.*

GLOSSA.

(Neque id habet Glossa quæ nunc exstat, sed colligitur ex Ambrosio super illud Lucæ : *Apparuit Angelus*, etc.)

Hoc igitur verbo *apparuit*, significatur potestas apparentis, qui, quandò vult, et quomodò, exhibet se videndum.

RABANUS.

Quomodò autem Angelus Joseph apparuit, demonstratur, cùm dicitur : *In somnis*, id est, quo modo Jacob scalam vidit per imaginationem quamdam oculis cordis ostensam.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., parùm ante med.)

Ideò autem non apparuit manifestè Joseph, sicut pastoribus, quia valdè fidelis erat ; pastores autem indigebant quasi rudes. Virgo autem indiguit, quasi prima de maximis instruenda. Similiter etiam Zacharias indiguit, ante conceptionem prolis, mirabili visione.

[1] *Isai.* XI, 1. — [2] *Id.* VII, 14. — [a] Antissiodorensis (*vide* p. 68, *ad med.* n. 2). — [b] Idem ac suprà.

GLOSSA

(interlinearis, æquivalenter, non expressè his verbis, quorum aliqua ex Anselmo etiam desumpta sunt.)

Apparens Angelus nomen exprimit, genus commemorat, et timorem excludit, dicens : *Joseph, fili David. Joseph :* eum ex nomine vocat, quasi notum et familiarem sibi ostendit.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf.)

Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine ejus Christus nasceretur.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., parùm ante med.)

Dicens autem : *Noli timere*, monstrat eum jàm timere ne offenderet Deum, quasi adulteram habens; aliàs neque cogitàsset eam expellere.

SEVERUS,

(imò potiùs Chrysologus, Serm. 145, qui « De generatione Christi » inscribitur.)

Sponsus etiam ne timeat admonetur, quia pius animus, dùm compatitur, plùs pavescit : ac si dicat : Hìc non est mortis causa, sed vitæ ; quia quæ vitam parturit, non meretur occidi.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf. super illud : *Ne timeas accipere*, etc.)

Dicens etiam : *Ne timeas*, cognitorem se cordis ejus ostendere voluit, ut per hoc futurorum bonorum, quæ de Christo erat dicturus, faceret fidem.

AMBROSIUS SUPER LUCAM.

(Lib. 2, cap. 1, paulò ante fin. Tom. 5.)

Non autem te moveat, quòd eam *conjugem* vocat : non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio et nuptiarum celebratio declaratur.

HIERONYMUS

contra Helvidium. (Non longè à princip. Libri qui incipit : « Nuper rogatus. » Tom. 2.)

Non tamen est putandum quòd, ex eo quòd *uxor* est appellata, sponsa esse desierit, cùm hanc esse consuetudinem Scripturæ noverimus, quòd sponsos *viros*, et sponsas appellet *uxores*, sicut Deuteronomii testimonio approbatur : *Si quis*, inquit, *invenerit virginem desponsatam viro in campo, et vim faciens dormierit cum eâ, moriatur* [a], *quia humiliavit uxorem proximi sui* [1].

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., parùm ante med.)

Dicit autem : *Noli timere accipere*, id est, intùs retinere; jàm enim mente dimissa erat.

RABANUS.

Vel : *Noli timere accipere eam*, nuptiali conventu et assiduâ cohabitatione.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf. super illud : *Voluit occultè*, etc.)

Propter tres autem causas apparuit Angelus Joseph, hoc dicens ei. Primò, ne justus homo, ignorans faceret rem injustam ex proposito justo : deindè, propter honorem ipsius matris; nam si dimissa fuisset, apud infideles turpi suspicione carere non poterat : tertiò, ut intelligens Joseph sanctam conceptionem, diligentiùs se custodiret ab illâ quàm priùs. Ideò tamen non ante conceptionem Virginis venit ad Joseph, ut nec cogitaret hæc quæ cogitavit, nec pateretur quæ passus est Zacharias, culpam infidelitatis incurrens de conceptione conjugis tàm longævæ : incredibilior enim erat res virginem posse concipere quàm anum.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., paulò ante med.)

Vel ideò turbato jàm Joseph Angelus venit, ut appareat Joseph sapientia, et ut hoc ipsum fieret ei, eorum quæ dicebantur demonstratio. Dùm enim audit ab Angelo quæ intra se cogitaverat, indubitabile signum erat quòd à Deo mitteretur, cujus solius est scire cordis secreta. Sermo etiam Evangelistæ insuspicabilis fit, demonstrans Joseph passum quod probabile est virum pati. Virgo etiam omnem malam suspicionem effugit ex hoc quòd vir qui zelotypiam passus est, eam suscepit, et post conceptionem servavit. Ideò autem Virgo Joseph hæc quæ Angelus nuntiàrat, non dixit, quia non æstimabat sibi credi à sponso, et maximè jam in suspicionem adducto. Virgini autem ante conceptionem annuntiat Angelus, ne si post conceptionem deferret, in angustiâ esset; oportebat autem extra turbationem esse illam matrem, quæ omnium Conditorem recepit.

CHRYSOSTOMUS IN HOMILIA.

Non solùm autem Angelus ab iniquâ commixtione Virginem excusat, sed et supra naturam concepisse demonstrat, non solùm timorem auferens, sed et lætitiam addens : undè subdit : *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.*

GLOSSA

(ordinaria super illud : *Quod in eâ natum est*, quoad priorem partem ex Anselmo desumptum, sed non quoad posteriorem, ubi perperàm *præsentiam* loco *præscientiæ* priùs positam emendamus.)

Aliud est nasci in eâ, et aliud ab eâ : nasci ab eâ, est prodire in lucem; nasci in eâ, est idem quod concipi : vel secundum præscientiam Angeli quam habet ex Deo, cui futurum quasi præteritum est, natum dicitur.

AUGUSTINUS DE QUÆST. NOVI ET VET. TESTAMENTI.

(Quæst. 52, Libro incip. : « Deus certè perfectio est. »)

Sed si de Spiritu sancto natus est Christus [b], cur

[1] *Deuter.* XXII, 24 et 25. — [a] Non simpliciter quomodolibèt, sed sic planè ut lapidibus obruatur : quod editio Vulgata solùm exprimit, sed expressiùs addunt LX, quòd *moriatur*. — [b] Id est, effectu ejus ex Mariâ caro factus.

dictum est: *Sapientia*[a] *ædificavit sibi domum*[1]? Quæstio ista geminâ ratione debet intelligi; primùm enim domus Christi Ecclesia est, quam ædificavit sibi sanguine suo; deindè potest et corpus ejus dici domus ejus, sicut dicitur templum ejus. Factum autem Spiritûs sancti, factum Filii Dei est, propter naturæ et voluntatis unitatem: sive enim Pater faciat, sive Filius, sive Spiritus sanctus, Trinitas est quæ operatur, et quidquid tres fecerint, Dei unius est.

AUGUSTINUS IN ENCHIRIDION

(ad Laurentium, cap. 38, in princip.)

Numquid tamen ideò dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem? Quod ità absurdum est, ut nullæ fideles aures id valeant sustinere. Quomodò ergò dicimus Christum natum de Spiritu sancto, si non eum genuit Spiritus sanctus? An quia fecit eum? In quantùm enim homo est, factus est, sicut Apostolus dicit: *Factus ex semine David, scilicet carne*[2]. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium, aut natum ex Deo; sed factum, vel creatum, vel conditum: hìc autem, cùm confiteamur eum natum de Spiritu sancto et Mariâ Virgine, quomodò non sit filius Spiritus sancti, et sit filius Mariæ Virginis?

(In Enchiridion, cap. 39, in princip.)

Non ergò concedendum est, quidquid de aliquâ re nascitur, continuò ejusdem rei filium nuncupandum: ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, et lumbricum[b], quorum nihil est filius, certè homines qui nascuntur ex aquâ et Spiritu, non *aquæ filios* rectè eos dixerit quispiam, sed Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergò de Spiritu sancto natus est, et Filius Dei Patris est, non Spiritûs sancti.

21. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., circa med.)

Quia hoc quod Angelus ad Joseph dixerat, supra humanam cogitationem et legem naturæ erat, non solùm ex præteritorum revelatione confirmat quæ dixerat, sed etiam ex futuris, dicens: *Pariet autem filium.*

GLOSSA

(ordinaria super illud: *Pariet autem filium*, sed ex parte tantùm et obiter; pleniùs autem Anselmus, ut jam suprà, ubi et habet *officio* pro *auxilio*, infrà.)

Ut enim non videretur Joseph ampliùs conjugio non esse necessarius, cùm conceptio esset facta sine ejus auxilio, ostendit quòd, quamvis non sit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium; et tunc matri et filio erit necessarius: matri, ut ab infamiâ (eam) defendat: filio, ut eum nutriat et circumcidat. Quæ circumcisio notatur, ubi dicit: *Et vocabis nomen ejus Jesum*; in circumcisione enim solet dari nomen.

CHRYSOSTOMUS SUPER MATTHÆUM.

(Homil. I in Opere imperf., non multùm remotè à fine.)

Non autem dixit: Pariet tibi filium, sicut ad Zachariam: *Ecce Elisabeth, uxor tua, pariet tibi filium*[3], quia mulier, quæ ex viro concipit, marito suo filium parit, quia magis ex illo est quàm de ipsâ; hæc autem quæ non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodò.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV in Matth., circa med.)

Vel indeterminatè hoc posuit, ut ostendat quòd eum peperit orbi terrarum universo.

RABANUS.

Dicit autem: *Vocabis nomen*; et non: *Impones*, quia ab æterno impositum est.

CHRYSOSTOMUS.

Homil. (IV, unde suprà.)

Hinc autem ostendit admirabilem esse partum, quia Deus est qui nomen desuper per Angelum mittit; nec nomen quodcumque, sed quod est infinitorum bonorum thesaurus: ideòque interpretatur illud Angelus, bonam substituens spem, et ex hoc ad credendum quod dicebatur inducit: ad talia enim credenda faciliùs accedere consuevimus.

HIERONYMUS

(super illud: *Vocabis nomen ejus Jesum.*)

Jesus enim hebræo sermone Salvator dicitur. Etymologiam ergò nominis significat, dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

(REMIGIUS.)

Deest in nostrâ editione, ubi quod sequitur pertinet quoque ad HIERONYMUM.

Ostendit enim eumdem totius mundi Salvatorem, et nostræ salutis auctorem. Salvat quidem, non incredulos, sed populum suum, hoc est, in se credentes salvat, non tàm à visibilibus hostibus, quàm potiùs invisibilibus, hoc est, à peccatis salvat, non armis pugnando, sed peccata relaxando.

SEVERUS,

(imò potiùs Chrysologus in Serm. 145, qui « De generatione Christi » inscribitur, circa medium.)

Veniant et audiant qui requirunt quis est quem Maria genuit: *Ipse enim salvum faciet populum suum.* Non alterius salvum faciet populum. Undè, *A peccatis eorum.* Esse Deum qui peccata donat, si Christianis non credis, crede infidelibus vel Judæis dicentibus: *Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus*[4].

[1] *Prov.* IX, 1. — [2] I *Rom.* I, 3. — [3] *Luc.* I, 13. — [4] *Id.* V, 21.

[a] Quæ utique Christus est. — [b] Sive terrenum vermem, quales in intestinis aliquandò nascuntur, et à lubricitate sic vocari dicuntur, id est, à lubrico flexu.

SUPPLEMENTUM CATENÆ AUREÆ

IN IDEM EVANGELIUM,

EX CATENA REGIA [a], SIMULQUE CATENIS P. POSSINI ET B. CORDERII [b] COMPACTUM.

---

18. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph.*

(EX CATENA REGIA.) S. CYRILLUS.

Viro desponsata concepit [c], ut tamquàm ex illo ostendat concepisse, utque ex eo texatur illius generationis series, ut deniquè habeat, qui insidiis appetito ac Herode persequente curam impendat.

(EX CATENA CORDERII.) S. BERNARDUS

Homil. 2 super *Missus*, pulchram reddit rationem desponsationis Mariæ cum Josepho, dicens:

[[d]Oportebat autem à principe mundi aliquamdiù celari divini consilii sacramentum, non quòd Deus, si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab ullo metueret; sed quia ipse, qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem, servare consuevit, ità in hoc quoque tàm magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit.] Et quamquàm illud aliter, quo modo vellet, perficere potuisset, placuit ei tamen eo potiùs et modo et ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse : ut sicut diabolus priùs seduxit feminam, et postmodùm virùm per feminam vicit; ità priùs à feminâ virgine seduceretur, et post à viro Christo apertè debellaretur : quatenùs malitiæ fraudi dùm ars pietatis illuderet, ac Maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus et prudentior appareret et fortior. Ità quippè decuit incarnatam sapientiam, spiritalem vincere malitiam.

Et paulò inferiùs ità concludit :

[e]Necessariò igitur desponsata est Maria Joseph, quandò per hoc et à canibus sanctum absconditur, et à sponso virginitas comprobatur, et virginis tàm verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius? Quid dignius divinâ providentiâ? Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis matris.

S. HIERONYMUS [f]

super cap. XI Isaiæ in illa verba : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, postquàm de beatissimâ Virgine locum illum explicuerat, dicens : « Maria « virga est, flos Christus; at numquàm flos ascendit de virgâ « foliis nudâ : priùs virga foliis adumbratur et honestatur, « quàm flos ascendat : priùs ergò Maria viro erat honestanda, « quàm Christus nasceretur, » ad nostram doctrinam sic intulit :

Ex quo colligere licebit quantâ observatione mulieres curare debent ut honorem ac bonam famam conservent, nec aliquid occasionis dent ut de eis verbum dicatur malum. Inter ea de quibus Judith commendatur, illud præcipuum est : *Nec erat qui de illâ verbum loqueretur malum* [1]. Et de Ruth ait Booz : *Scit omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis* [2]. Mulier quæ famam suam parùm curat, exemplum aliud quærat quo se tueatur : Maria illi exemplum non est, quæ ut famæ consulat, nubit. Ne ergò dixeris : Malum non committo, adultera non sum. Non id satis tibi esse debet, sed ab omni specie mali abstinendum, ut nullus de te verbum malum dicere possit, juxta illud : *Curam habe de bono nomine* [3].

Antequàm convenirent.

Non sequitur, *inquit* S. Hieronymus, ut posteà convenerint, sed Scriptura quòd factum non sit, ostendit.

Erant enim ambo pariter, Maria et Joseph, duo lilia purissima, duo lilia immaculata, miri odoris virginalis fragrantiam emittentia, inter quæ virginitatis auctor Christus Dominus pascebatur, uti pulchrè S. Bernardus in illud : *Dilectus meus pascitur inter lilia* [4], dicens :

Quænam sunt lilia, nisi amicus dilecti Joseph, et ego dilecta, cui dicit : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* [5]. Verè ambo lilia pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissimâ. Inter hujusmodi lilia pascitur dilectus. Lilia inter quæ pascitur sponsus, sunt virgines, quæ, dùm castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem, proximis quibusque suaviter olent.

Est siquidem lilium typus puritatis ac symbolum virginitatis. Illud pulchrè describit S. Isidorus, Lib. 17 Etymolog., cap. 9, dicens :

Est enim lilium herba viridis in radice, candida more lactis in flore, et suaviter efficaciterque odorifera; intùs tamen auri specie fulget : sex habet folia

---

[a] Ista Catena sic appellata est, ut videtur, quia ex Manuscriptis Bibliothecæ regiæ, linguâ vernaculâ vocatæ *Bibliothèque du Louvre*, composita est. — [b] Ambæ impressæ fuerunt Tolosæ, an. 1646-47. — [c] Theodorus Heracleotas et Severus easdem afferunt rationes in Catenâ Possini (*vide* p. 12 et p. 15 *hujus Catenæ*). — [d] E verbis uncis inclusis constat Lectio IV Nocturni II Festi Desponsationis B. M. V. — [e] Ex his ultimis verbis ferè constat etiam VI Lectio II Nocturni ejusdem Festi. — [f] Undè suprà.

[1] *Judith.* VIII, 18. — [2] *Ruth.* III, 11. — [3] *Eccles.* XLI, 15. — [4] *Cant.* II, 16. — [5] *Ibid.* 1.

candida medicinalia; intùs autem habet semen aureum, quod continet septem grana.

Quæ omnia Virgini Deiparæ apprimè conveniunt, quæ, uti ait Berchorius in Reductorio, Lib. 12, c. 86, « semen aureum, id est, Dei Filium in se continuit « et portavit : quæ septem granis, id est, septem do- « nis Spiritùs sancti est dotata, candida etiam per « virginalem castitatem. » Dignum autem consideratione, quòd lilium sicut eminùs in certâ distantiâ ac debitâ proportione positum, gratissimum odorem exhalat, itâ si manibus contractetur, easdem fetore inficit, uti ex Dioscoride observat S. Isidorus suprà citatus, dicens : « Lilium cùm carpitur, manus in- « ficit, tingens humectatione manus. » Undè scitè S. Bernardus, Sermone de Nativit. Mariæ, observat Canticorum secundo cap. dici : *Dilectus pascitur inter lilia*, non vescitur illis ; sed *pascitur inter lilia*, quia odore potiùs quàm sapore lilia placent. « Lilium enim, inquit Berchorius in verbo *Lilium*, « quamdiù fuerit integrum, castitatem, continen- « tiam et puritatem significat, tàm propter cando- « rem, quàm propter odorem : si verò fractum fue- « rit, odorem perdit, et candorem dimittit. Sic verè « castitas, dùm est integra, habet puritatis cando- « rem et famositatis odorem ; si verò fracta fuerit « per luxuriam, tunc et puritatem et famam perdit, « fetoremque et malam opinionem incurrit. »

Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

(EX CATENA REGIA ET POSSINI MIXTIM.) ORIGENES, Homil. 39 de diversis, illud sic interpretatur :

Primò inventa est ab Angelis custodientibus eam, *etc.*, p. 24, *ad finem col.* 2, *usquè ad hæc verba : Joseph autem...*, *initio col.* 1, p. 25.

EUSEBIUS.
(Undè suprà.)

Gravidam inventam esse sanctam Dei Genitricem, nec ab alio quàm à Josepho, tradidit Evangelista. Quânam verò ratione ab illo inventa sit, docebit nos quod itâ dictum est : *De Spiritu sancto.* Sancti enim Spiritûs revelatione, inquit, res ejusmodi nota facta est. Sicut enim Elisabeth ex Spiritu sancto cognovit, sic et Joseph. Nam is justus cùm esset, nihil mirum consecutum et ipsum divinum Spiritum, ut intelligeret quod futuræ uxori mysterium acciderat, et ut à virili se commercio cohiberet.

(EX CAT. CORDERII.) AUCTOR IMPERFECTI OPERIS in Matthæi cap. 1, docens quâ ratione Joseph, videns Mariam gravidam, nihil mali de illâ cogitaverit, ait :

O inæstimabilis laus Mariæ! Magis credebat castitati ejus quàm utero ejus, et plùs gratiæ quàm naturæ. Conceptionem manifestè videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilius credebat mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare. Hîc maritalem zelum et uteri clamantis accusationem, sola præteritæ conversationis documenta vincebant.

Hanc Josephi de B. Virginis integritate opinionem confirmat ipsius Deiparæ ad S. Brigittam revelatio, quæ legitur Lib. 7 Revelationum, cap. 25, in hæc verba :

Sed postquàm consensi nuntio Dei, Joseph videns uterum meum virtute Spiritûs sancti intumescere, expavit vehementer : non suspicans contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta Prophetarum prænuntiantium Filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali servire matri, donec Angelus in somnis præcepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare.

19. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*

(EX CATENA REGIA ET POSSINI MIXTIM.) EUSEBIUS.

Joseph, cùm esset justus, noluit palàm arguere Virginem, sed eam dimittere, idque occultè. Verùm, si sic decreverat, quomodò justus erat, qui ream judicio non sisteret? Erat certè et ipse divino jàm Spiritu illustratus. Quamobrem non fecit quod legitimum erat, sed supra legem sustinuit, quoad solveretur dubitatio. Et sic, apparente Angelo ac confirmante, dubitatio omnis quæ incesserat sublata est.

(EX CATENA POSSINI.) PHOTIUS.

Ancipiti Josepho et circa Virginem gravidam vario cogitationum æstu fluctuanti, apparuit Angelus, perplexitatem explicans omnem, reique in ipsius veritatem ducens : conflictatum autem ipsum in suspicione solâ vel hinc apparet, quòd velut præjudicare quidquam cavens, occultè dimittere ipsam voluit : quam si adulterii verè ream compererisset, nec clàm, nec palàm dimissurus erat, utpotè justus, sed facturus quidquid lege præscriptum erat. Hæc videlicet dubitandi cunctandique causa Josepho fuit, digno prepterea cui Angelus apparens dubitationem omnem abstergeret.

(EX CATENA CORDERII.) CHRYSOLOGUS, Serm. 1 de Christi generatione, hîc pulchrè Josephi conjunctam cum pietate justitiam commendat, his verbis :

Hoc pio magis videtur, *etc.*, p. 53, *parùm à principio Num.* 1, *usquè ad finem hujus Numeri.*

20. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.*

(EX CATENA POSSINI.) PHOTIUS.

Conjugem Josephi vocat Virginem, quòd ea nullum officii genus, quo honestam matronam adversùs virum suum fungi decet, erga eum prætermiserit.

(EX CAT. CORDERII.) D. AUGUSTINUS, de hoc agens Serm. 14 de Nativitate, introducit Angelum itâ loquentem cum Josepho :

Habe ergò, Joseph, cum Mariâ conjuge tuâ communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit

Maria sponsa Christi in carne suâ, virginitate servatâ : sis autem et tu pater Christi curâ castitatis et honorificentiâ virginitatis.

Et paulò inferiùs :

Gaude, Joseph, virginitate Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii, quia per meritum virginitatis ità separatus es à concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris.

D. BERNARDINUS SENENSIS [a],

Tom. 3, Serm. de S. Josepho, de illius virginitate consortio B. Virginis auctâ sic loquitur :

Prima gratia Josepho divinitùs data est conversationis virginalis : porrò per respectum ad sanctam Virginem, necesse est hunc virum fuisse admirandæ gratiæ et virtutis. Undè credo Josephum fuisse mundissimum in virginitate, ad similitudinem Virginis sponsæ suæ, quæ eum sincerissimè diligebat. Præthereà, cùm B. Virgo tot et tanta impetret peccatoribus, quanta, putas, impetraverit charismata huic tàm amoroso et sollicitissimo sponso sui pudoris atque castissimo amatori ?

Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.

(EX CATENA CORDERII.) HAYMON

clarè hoc explicat, ad hunc locum dicens :

Non concepit extrinsecùs quod in utero habet; sed intrinsecùs, virtute Spiritûs sancti, concepit Filium Dei. Deus Pater misit Verbum suum in uterum Virginis, ipse Filius assumpsit carnem et animam in unitate personæ, Spiritus sanctus formavit illud corpus in utero virginali ex semine Virginis, sine semine viri; et tamen credendum est quia tota Trinitas operata est illud corpus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quia quorum inseparabilis est substantia Divinitatis, eorum est inseparabilis operatio.

Quomodò autem spiritualiter de Spiritu sancto Christiani concipiant, et fructum salutis pariant, eleganter Origenes, Hom. 10 in Exodum, his verbis describit : « Mulier prægnans dicitur anima « quæ nuper Dei concepit Verbum. » De tali autem conceptione legimus alibi : *A timore tuo, Domine, in utero concepimus et peperimus* [1]. Qui ergò concipiunt et statim pariunt, isti nec mulieres existimandi sunt, sed viri et perfecti viri. Denique audi Prophetam dicentem : *Si pepererit terra in unâ die, et nata est gens de semel* [2]. Ista est generatio perfectorum, quæ statim sub die ut concepta fuerit, nascitur. Verùm, ne tibi novum videatur, quòd viros parere diximus, audi Apostolum dicentem : *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis* [3]. Perfecti ergò sunt et viri fortes, qui statim ut concipiunt, pariunt, id est, qui conceptum fidei verbum in opere producunt. Anima autem quæ concepit, et in ventre retinet, et non parit, ista *mulier* appellatur, sicut et Propheta dicit : *Dolores partûs advenerunt ei, et virtus non erat pariendi* [4].

IDEM,

Hom. 12 in Leviticum, sic ait :

Ex semine verbi Dei quod seminatur, Christus nascitur in corde auditorum. Hoc enim et Apostolus dicit : *Donec formetur Christus in vobis* [5]. Concipit ergò anima ex hoc verbi semine, et conceptum format in Verbum, donec pariat Spiritum timoris Dei; sic enim per Prophetam dicunt animæ sanctorum : *A timore tuo, Domine, concepimus in utero, et parturivimus, et peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecisti super terram* [6]. Iste est sanctarum animarum partus, iste conceptus, ista sunt sancta conjugia, quæ conveniunt magno Pontifici Christo.

21. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.*

(EX CATENA CORDERII.) ISIDORUS DE ISOLANIS.

Lib. de S. Joseph, cap. 2.

Nomen, *inquit*, Jesu imposuerunt Deus, Angelus, Maria, et Joseph; Deus quidem rem nominis præstando, Angelus prædicendo, Maria imponendo, et Joseph exsequendo.

Undè colligit dignitatem, dicens :

Non parùm attulit dignitatis Joseph legatio Angelica, quæ ei demandavit, dicens : *Vocabis nomen ejus Jesum.* Impositione enim ac sanctissimi nominis hujus publicatione, cœleste secretum mundo aperuit Joseph, Patris cœlestis vices gessit, Spiritûs sancti arcana, quæ in Canticis et Prophetis mysterio abscondita erant, patefecit, beatissimæque mundi Reginæ conjugis suæ collega fuit, atque Angelicæ majestatis sublimitatem attigit.

Quod appositissimo hoc et quotidiano exemplo statim confirmat :

Est namque mos apud homines, ut patres nomina imponendi filiis auctoritatem habeant : Jesus autem erat Filius Dei Patris : sanctus igitur Joseph Patris cœlestis vices hâc in dignitate gessit. Cùm filii regum baptizantur, ubi Christiani nomina filiis imponere consueverunt, quis, quæso, vice regum patrum nomen filii baptizandi denuntiat? Nonne rex alius, aut nuntius regis, vel magnus quispiam vir? Illâ igitur tempestate sancto Josepho apud Patrem cœlestem nemo grandior, nemo gratior, nemo præclarior. Hic est Enos Novi Testamenti, qui cœpit invocare nomen Domini, ceu in Genesi de veteri scribitur [7].

[1] *Isai.* XXVI, 18. — [2] *Id.* LXVI, 8. — [3] *Gal.* IV, 19. — [4] *Isai.* XXXVII, 3. — [5] *Gal.* IV, 19. — [6] *Isai.* XXVI, 18. — [7] *Gen.* IV, 26.

[a] Undè suprà.

EJUSDEM EVANGELII EXPOSITIO

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI.

ORIGENES PRESBYTER [a].

[*] Num. 1. Cur Maria desponsata? Mater et Virgo. — 2. Quomodò facta est Incarnatio? — 3. Angeli custodes Virginis. Joseph justus. — 4. Ex humilitate vult Mariam dimittere, se judicans ejus consuetudine indignum. — 5. Joseph datus Mariæ custos, utpotè filius David, promissionum ei factarum hæres. — 6. Maria cœlestis thesaurus. — 7. Christi divinitas designata, eo quòd populum suum salvabit à peccatis.

1. *Cùm esset desponsata* [b] *mater ejus Maria Joseph.* Quæ fuit necessitas ut desponsata esset Maria Joseph, nisi propterea quatenùs hoc sacramentum diabolo celaretur, et ille Malignus fraudis commenta adversus desponsatam Virginem nulla penitùs inveniret? Vel ideò fuerat desponsata Joseph, ut nato infanti, vel ipsi Mariæ curam videretur gerere Joseph, sive in Ægyptum transiens, sive indè denuò veniens. Ideò desponsata fuit Joseph, non tamen in concupiscentià juncta. *Mater*, inquit, *ejus.* Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. *Mater ejus.* Cujus, *ejus?* Mater Dei Unigeniti, Domini et Regis omnium, Plasmatoris et Creatoris cunctorum, illius qui in excelsis sine matre, et in terrà est sine patre, ipsius qui in cœlis secundum deitatem in sinu est Patris, et in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris. O magnæ admirationis gratia! O inenarrabilis suavitas! O ineffabile magnumque sacramentum! Ipsa eademque Virgo, ipsa et mater Domini, ipsa et genitrix, ipsa ejus ancilla, plasmatio ejus, ipsa quæ genuit! *Quis umquàm ista audivit? Quis vidit talia* [1]? Et quis cogitare potuit, ut mater virgo esset, et intacta generaret, quæ et virgo permansit et genuit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, et ignis eum non tangebat [2]: et sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, et tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis [3]: vel quemadmodùm Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis, allatum est prandium ab Habacuc [4]; ità et hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit: mater effecta est, sed virginitatem non amisit: genuit infantem, et ut dictum est, virgo permansit.

2. Virgo ergò genuit, et virgo permansit. Mater filii facta est, castitatis sigillum non perdidit. Quarè? Quia non homo iste tantùm qui videbatur, sed Unigenitus erat Deus qui in carne advenerat. Nec subitò carnaliter genitus est, sed perfecta deitas in corpore venit. Ergò integer iste et indivisus Deus, in humano adveniens, vel genitus est corpore: quique Deus et Dominus, figuram servi

[1] *Isai.* LXVI, 8. — [2] *Exod.* III, 2. — [3] *Dan.* III, 50. — [4] *Id.* XIV, 5 *et* 36.

[*] [a] Ex editione Genebrardi. Paris. 1754.—Decerpitur ex Homiliâ 1 *in diversos.* Septem autem Homiliæ Origenis in Matthæum, quæ habentur inter eas quas *in diversos* vulgò appellant, non inveniuntur in editione præstantissimâ *de Larue*, quæ solummodò in Appendice subjecit Huetii Dissertationes circa Origenem, et speciatim ejusdem Huetii annotationem sequentem de Homiliis *in diversos.* « Ante omnia notandum « est has Homilias à Merlino ex variis locis collectas, et eo « collocatas ordine quo inter se dispositæ cernuntur. Quod « præmonendus est lector, ne miretur quomodò diversa et « parùm sibi congrua membra in unum corpus confluxerint. « Prima Homilia ab Origenis stylo penitùs aliena est. Simplex « ille est et familiaris, litteram breviter exponit, tùm transit « ad allegorias et tropologias: hæc abundat schematis et tro- « pis, ludit in verbis, et aliter denique clauditur quàm Homi- « lias suas Origenes claudere solet. Planè itaque non est Ori- « genis: latinum scriptorem stylus arguit. »

Cæterùm de harum Homiliarum origine fusiùs tractatur in Dissertatione biographicâ et criticâ de Patribus atque Script. eccl., quæ primo Tomo præmittitur, post Præfationem.

Quidquid sit, quia suprà dicta Homilia non indigna lectu nobis visa fuit, illam exscripsimus, et similiter Homilias *in diversos*, prout opus erit, exhibebimus, tùm propter earum antiquitatem, tùm quia à Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis sæpè laudantur.

[*] [b] Jàm suprà, p. 4, col. 2 et p. 5, pluribus argumentis probavit J. Maldonatus quòd hîc vox *desponsata* idem significat ac *nupta*, conclusitque tenendum esse quod aut omnes aut optimi Theologi tenent, scilicet verum fuisse jàm tùm, cùm Christus conceptus fuit, inter Josephum et Mariam matrimonium. Consulat verò lector jàm primùm Appendicem exegeticam ac theologicam ad Expositionem superioris Evangelii à Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis traditam: quam Appendicem subjicimus ad calcem hujus Vigiliæ Nativitatis Domini. Valeat hoc monitum pro omnibus verbis Evangelii laudati.

suscepit. Non enim pars Unigeniti venit in corpore, nec se ipse divisit ut dimidius esset apud Patrem, et dimidius esset in Virgine, sed totus apud Patrem, totus in Virgine, totus in sinu Patris, totus in humano corpore : non relinquens superiora, venit quærere terrena; quæ in cœlis sunt conservans, et quæ in terrâ sunt salvans : ubique omnipotens, in sanctis suis indivisus, hìc sanctus Unigenitus Deus. Si enim verbum humanum et corporale immissum in aures plurimorum non dividitur per singulos, ut pars in alio, et pars sit iterùm in alio, sed in omnibus integrum et plenum habetur, ut in unoquoque totum sit, quantò magis Verbum Unigenitus ubique totus est et in cœlo et in terrâ, et apud Patrem et in Virgine, et non dividitur (ut dictum est), neque scinditur, neque in partes efficitur, sed totum totus tenet, totum implet, totum illustrat et possidet? Hujus itaque Unigeniti Dei dicitur hæc mater virgo Maria, digna digni, immaculata Sancti immaculati, una unius, unica unici. Nec enim alter Unigenitus super terram venit, aut alia virgo Unigenitum genuit. In omnibus his quæ dicta sunt desponsata legitur mater ejus Maria.

3. Et ait : *Inventa est in utero habens.* Cui inventa, aut à quo inventa est? Primò ab Angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conservantibus eam, vel ejus beatissimam animam, ad honorem illius qui ab ipsâ generandus erat. Dehinc inventa non incongruè putatur ab ipso beato Joseph, sancto et justo, qui penè licentiâ maritali, licèt eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat. *Joseph autem, vir ejus,* inquit, *cùm esset homo justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Virum eum appellavit contra Judæorum pravitatem, ut adversus Virginem non sævirent. Propterea et desponsata fuit ipsi Joseph, ut suprà dictum est. Si enim non fuisset desponsata Joseph, omnium bonorum increduli et inimici Judæi lapidibus eam occidissent. Ideò virum ejus hìc eum Evangelista appellavit : *Joseph, vir ejus, cùm esset homo justus;* justus autem in verbo, justus in facto, justus in lege, justus in consummatione, justus in judicio gratiæ. *Justus* itaque *cùm fuisset, et nollet eam traducere, voluit occultè eam dimittere.* Noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam malè diffamare, sed voluit eam occultè dimittere. Occultè à se dimittere volebat, sicut mansuetus, sicut pius, sicut misericors. Talis ergò cùm esset Joseph, cogitabat eam occultè dimittere.

4. *Hæc autem*, inquit, *eo cogitante.* Quærendum est nobis numquid cogitaverit ut occultè eam dimitteret, et si cogitabat ut eam dimitteret, et si ità suspicionem in eam habebat, quomodò justus erat? Si ergò non est suspicatus, vel tale aliquid cogitavit, cur eam dimittere volebat ut immaculatam et sanctam vellet dimittere? Injustum enim et hoc erat. Sed simplicitatem sensûs audi hujus orationis. Justus erat Joseph, et illa Virgo immaculata erat : sed ideò eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii et sacramentum quoddam magnificum in eàdem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergò humilians se ante tantam et tàm ineffabilem rem, quærebat se longè facere. Sicut et beatus Petrus Domino se humilians, aiebat : *Recede à me, Domine, quoniam peccator ego sum*[1] *:* vel sicut ille Centurio ad eumdem Dominum mittens, dicebat : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum; quia neque meipsum dignum existimavi ad te venire*[2] *:* vel sicut sancta Elisabeth ad ipsam beatam Mariam locuta est, dicens : *Et undè hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me*[3]*?* sic et Joseph justè humilians sese, in omnibus cavebat et timebat sibimetipsi tantæ sanctitatis conjunctionem adhibere. Idcircò occultè volebat dimittere eam, dicens : Dimittam eam, et à me longè faciam eam, et à cognitione meâ ; major est enim ejus dignitas, superexcellit ejus sanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideò volebat occultè dimittere eam.

5. *Hæc* ergò *eo cogitante, Angelus Domini per visum apparuit illi, dicens :* Quid dubitas, ô Joseph? Quid imprudenter cogitas? Quarè irrationabiliter meditaris? Deus est enim qui generatur, Virgo quæ generat. Hujus generationis minister es, et non largitor : servus, et non dominus : mancipium, et non plasmator. Propterea ministra, serva, custodi, fer curam, intende et huic qui nascitur, et huic quæ generat. Etenim si tibi uxor nominatur, si desponsata tibi esse dicitur, non tamen tibi uxor est, sed Dei unigeniti electa mater est. Propterea, *Joseph, fili David,* qui has promissiones accepit, cui ista fidelia data sunt testamenta, *Joseph, fili David*, non tantùm secundum carnem, sed et secundum spiritum, *Joseph, fili David:* si enim filius David, justè et hæres ejus, tamquàm filius patris : ideò in hæreditatem accipe ea quæ illi promissa sunt testamenta fidelia.

6. *Joseph, fili David, ne timueris accipere Mariam conjugem tuam.* Ne timueris, ne trepidaveris, ne conturberis, sed securus et intrepidus accipe eam secundum legis præceptum uxorem tibi nominatam, sed secundum nuptiarum consuetudinem et conjunctionem longè alienam. Accipe ergò eam sicut commendatum cœlestem thesaurum, deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut

[1] *Luc.* V, 8. — [2] *Id.* VII, 6 *et* 7. — [3] *Id.* I, 43.

perfectam justitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut Creatoris omnium propriam, sicut Regis cœlestis sponsi domum immaculatam. Itaque ergò, *Joseph, fili David, ne timeas accipere* eam tibi commendatam, tuæ religiositati creditam. Serva, fer curam, attende, fugiens ab Herode, duc in Ægyptum : iterùm remeaturus post Herodis mortem, deduc in terram Israel. *Ne timueris accipere Mariam conjugem tuam.* Conjugem audiens, ne expavescas, non conturberis, nec tu, neque quisquam sequentium usquè in consummationem sæculi. Conjugem eam dico propterea ut diabolo virginitatem ejus occultem, ut Judæorum pravitatem excludam atque dejiciam, et ut legis instituta non destruam. Et in consequentibus demonstrabo quòd ista nec tua conjux secundum consuetudinem conjugii habeatur, nec iste qui generatur, tuus filius esse credatur.

7. *Quod enim ex eâ nascetur, de Spiritu sancto est*, quia scilicet cooperator hujus Nativitatis Spiritus sanctus est. Nam unigenitus Filius, qui ante sæcula ineffabiliter ex solo Patre natus est, jàm sæculi propinquante fine, ex voluntate Patris, in humano corpore, sancto cooperante Spiritu, inter homines venit. Iste est de quo Scriptura pronuntiavit, dicens : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis*[1]. Patris etenim unigenitus Filius ex Virgine generatus est, ut illam virginem, priorem Evam, quæ ceciderat, iterùm renovaret atque erigeret, et qui per pravam voluntatem filii effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiæ filios efficeret Dei. *Pariet*, inquit, *filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Virgo generat, et tu hunc genitum vocabis Jesum, quod interpretatur Salvator; *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Vocabis*, ait, *nomen ejus*, hoc est, quod antè fuit, quod ante sæcula nominatum est. Non tu ei nomen pones, nec ex te ei vocabulum constitues, sed nomina et voca exsultando Jesum, id est, Salvatorem. Salvatorem eum esse testare, neque ex tempore cœpisse salvare, sed jàm antiquissimum Salvatorem. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Duo enim per hoc verbum præclara designantur, quòd et Deus fuerit et Dominus priùs ante Incarnationem Christus, et quòd populus ejus ab ipso salvandus jàm tunc annuntiabatur. Et ideò dictum est : *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, ut verè Deus : Dei enim virtutis est à peccato salvare, vel peccata dimittere. Iste ergò Filius Dei habens populum suum, ipsum venit, ut dictum est, à peccatis liberare, atque salvare, sive ex Judæis, sive ex Gentibus : de quo jam ipse per Prophetam fuerat locutus, dicens : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Pete à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*[2]. *Ipse salvabit populum suum à peccatis eorum*, sanguine videlicet suo cunctos redimens, morte suâ de mortis eos liberans potestate. *Ipse salvabit*, hoc est, erit Salvator omnium hominum fidelium atque credentium.

S. BASILIUS, CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ ARCHIEPISCOPUS,

ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

✠ MONITUM.

Hanc Homiliam Basilio attribuunt Combefisius et Dupinus; contradicit autem Tillemontius, vir acerrimo judicio præditus, qui ait eam in dubiis poni posse, et in hanc posteriorem sententiam inclinare videtur D. Garnier, doctissimus S. Basilii operum interpres, qui opinionem suam sequentibus argumentis stabilire nititur. 1° In Num. 2 occurrit vox græca λαμπτήριον, prorsùs peregrina et à Basilii consuetudine aliena. 2° In Num. 3 magni aliquid dicturum se pollicitus Auctor, tamen præter exspectationem nihil ejusmodi dicit : promiserat enim allaturum se eximiam quamdam causam cur desponsata fuisset Virgo Maria; sed non videtur promissis stetisse. 3° Displicet, in Num. 4, locus ille ubi Scriptor Angelum ità cum Josepho colloquentem facit : « *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, neque illud cogitaveris « obumbraturum te peccatum absonis quibusdam commentis, *etc.* ; » nam hæc ultima verba ubi legantur nescio, nisi fortè in apocryphis quibusdam scripturis. At Basilius ut veras Scripturas assiduò versabat in

[1] *Isai.* IX, 6. — [2] *Psalm.* II, 7 *et* 8.

[a] Ex editione gr. et lat. Garnier, Paris. 1721-30, in quâ hæc Homilia inscribitur : « In sanctam Christi generationem. » Porrò illam in duas partes dividimus, quarum prior (hîc posita), ad Vigiliam Nativitatis Domini, posterior verò (quam infrà reperies), ad Nativitatem ipsam pertinet.

manu, ità apocryphas non legebat; aut si legeret, eas tantoperè contemnebat, ut ipsis uti semper puduerit. 4° Christianas aures offendit propositio quæ reperitur in Num. 5; et in quâ Auctor asserit « pie- « tatis doctrinam non lædi imminutâ post partum, Mariæ virginitate. » Insuper in eodem Numero legitur ridicula fabella de Zachariâ, patre Joannis, accusato à populo, quòd Mariæ virginitatem perpetuam prædicâsset. Nemo autem Basilium putaverit tàm fœdè somniâsse, ut pro veris apocryphorum somnia narrârit. 5° Displicet imprimis quod in Num. 6 de cometis dicitur. Certè Basilius is non erat qui aut crederet regum successiones cometis significari, aut ad id credendum alios induceret : ità enim errores Genethliacorum atque commenta non raró confutat, ut ejusmodi cometarum fabulam tantùm non nominatim repudiet. Quapropter hæc Homilia videtur aut Basilii non esse, aut si ejus esse dicatur, magnoperè corrupta est variantium lectionum copiâ atque multitudine; edocet enim experientia tàm multam librorum antiquorum inter se discrepantiam νοθείας sæpiùs certissimum signum esse.

* Num. 1. Æternæ Christi generationis modus nullis ratiocinationibus excogitari potest, neque ullis humanis vocibus exprimi. — 2. Verbum caro factum mutationi obnoxium non est. Dei Incarnatio mortem enecat. — 3. Quarè Maria Virgo viro desponsata fuerit. — 4. Explanantur verba Angeli cum Josepho colloquentis. — 5. Maria virgo permansit post partum. — 6. Digressio de stellâ quæ Magis apparuit.

1. Christi generatio germana illa primaque et divinitatis ejus propria colatur silentio : imò verò cogitationibus nostris imperemus, ne hæc inquirant, neque curiosè scrutentur. Ubi enim nec tempus nec sæculum intercessit, nec modus excogitatus est, nec spectator adfuit, nec est qui enarret, quomodò quidquam sibi mens finget? Quomodò etiam lingua ipsa rei intelligendæ inserviet? Atqui Pater erat, *et Filius genitus est.* Ne dicas : *Quandò?* sed prætereas hanc quæstionem. Ne quæras : *Quomodò?* dari namque responsum nullum potest. Nam *quandò*, temporale quiddam sonat : illud verò, *quomodò*, efficit ut in generationis corporeos modos labamur. Dicere habeo ex Scripturâ esse eum velut splendorem ex gloriâ, et velut imaginem ex exemplari[1]. Quoniam tamen hæc respondendi ratio animi tui non sistit curiositatem, ad majestatis arcanum confugio, fateorque non posse divinæ generationis modum ratiocinationibus ullis excogitari, neque ullis humanis verbis exponi. Cave dicas : *Si genitus est, non erat*, neque vafris verbis sententiam ineptam arripias, ità ut exemplis humanis veritatem corrumpas, coinquinesque Theologiam. Dixi : *Genitus est*, ejus ut principium causamque exhibeam, non ut Unigenitum tempore posteriorem ostendam. Neque verò mens tua inania meditetur, transgrediens sæcula Filio antiquiora, quæ neque existunt, neque exstitere. Quî enim fieri potest ut quæ condita sunt, Conditore ipso sint antiquiora? Sed quod refugiebam, in id imprudens ex sermonis serie casu incidi. Omittamus igitur de sempiternâ illâ et arcanâ generatione loqui, illud cogitantes, mentem nostram intelligendis rebus esse imparem, sermonem rursùs imbecilliorem, quàm ut possit intellecta exprimere.

2. Considerare igitur oportet quantus sit à veritate ad sermonem lapsus. Enimverò mens non potest ad rerum incomprehensibilium naturam pertingere : neque tanta sermonis vis potest inveniri, ut ea quæ qualicumque tandem modo cogitata sunt, exæquet. Deus in terrâ, Deus inter homines, non ferens legem per ignem et tubam et montem fumantem, aut caliginem, et procellam animas audientium perterrefacientem[2]; sed per corpus mansuetè ac blandè cum iis qui eamdem atque ipse naturam habent, colloquens! Deus in carne, non intervallo operans velut in Prophetis, sed insitam sibi et conjunctam humanitatem consecutus, atque per suam carnem nobis cognatam omne hominum genus reducens ad semetipsum! Quomodò igitur per unum, inquis, in omnes splendor devenit? Quonam modo divinitas est in carne? Velut ignis in ferro, non transitu, sed communicatione. Non enim ignis excurrit in ferrum, sed manens in loco, suam ei virtutem impertit : neque hàc communicatione minuitur, sed quidquid suî ipsius particeps est, omne id replet. Sic igitur et Deus Verbum, neque emotus est ex seipso, *et tamen habitavit in nobis :* neque fuit mutationi obnoxius, *et tamen Verbum caro factum est*[3]*:* neque cœlum destitutum fuit eo qui illud continebat, sed tamen suscepit terra in suo sinu cœlestem. Noli lapsum cogitare divinitatis ; non enim transit è loco ad locum velut corpora. Neque divinitatem in carnem transmutatam putaveris alteratam fuisse; nam quod immortale est, id immutabile est. Quomodò igitur, inquis, Deus Verbum infirmitate corporali repletus non est? Hoc dicimus, ne ignem quidem proprietatum ferri participem fieri. Ferrum nigrum est et frigidum; sed tamen ignitum ac candens, ignis formam induit; splendidum efficitur, non ignem denigrat; inflammatur, non refrigerat flammam. Hunc ad modum et humana Domini caro cùm divinitatis effecta est particeps, suam

[1] Hebr. I, 3. — [2] Exod. XIX, 16. — [3] Joan. I, 14.

ipsius infirmitatem nequaquàm contulit divinitati. An divinitatem non concedis similiter sensibili huic igni operari, sed affectionem in eo qui cujuscumque affectionis expers est, ex humanâ imbecillitate tibi animo fingis, dubitasque quomodò fieri potuerit, ut obnoxia corruptioni natura, ex eâ quam cum Deo habuit communione, incorruptibilitatem obtinuerit? Disce igitur mysterium. Propterea Deus in carne est, ut latitantem in eâ mortem enecet. Ut enim si medicamenta venenis expellendis idonea corpori misceantur, causas corruptionis expugnant, utque tenebræ in domo residentes adveniente luce dissolvuntur: sic mors quæ in naturâ humanâ dominabatur, divinitatis præsentiâ abolita est. Et sicut glacies in aquâ, dùm quidem nox est et umbra, humori dominatur, sed solis calefacientis radio colliquescit: sic mors ad Christi usquè adventum regnavit; sed posteaquàm *apparuit gratia Dei salutaris*[1], *et ortus est Sol justitiæ*[2], *absorpta est mors in victoriam*[3], vitæ veræ non sustinens præsentiam. O altitudinem bonitatis amorisque Dei in homines! Servitutem excutimus magnitudine benignitatis. Rationem cur Deus inter homines sit, homines requirunt, cùm adoratam oportuisset bonitatem.

3. Quid faciemus tibi, ô homo! Manentem in supernis Deum non inquisivisti : demittentem se ad te atque per carnem conversantem non suscipis : sed cur necessitudinem cum Deo inieris causam exposcis : condiscito. Idcircò Deus in carne est, quia hanc carnem exsecratam oportebat sanctificari, debilem corroborari, à Deo abalienatam cum eo conjungi, delapsam è paradiso in cœlos reduci. Quænam verò est hujusce dispensationis officina? Virginis sanctæ corpus. Quænam autem generationis principia? Spiritus sanctus, et virtus Altissimi obumbrans. Imò potiùs ipsa Evangelii verba audi : *Cùm enim esset*, inquit, *desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et Virgo, et viro desponsata, habita est idonea ad hujus dispensationis ministerium, ut et virginitas honori esset, et matrimonium non contemneretur. Virginitas enim ut ad sanctimoniam apta, selecta est : per desponsationem verò comprehensa sunt initia nuptiarum. Simul autem ut et Joseph puritatis Mariæ esset testis domesticus, et ne foret calumniis obnoxia, quasi virginitatem contaminâsset, sponsum habebat vitæ custodem. Possum et aliam quamdam rationem proferre, nihilo his quas protulimus viliorem, quòd videlicet idoneum ad Incarnationem Domini tempus olim præfinitum, et ante conditum orbem prædestinatum, tunc instaret, in quo Spiritum sanctum et Altissimi virtutem oportebat carnem illam Dei gestatricem conformare; quoniam verò illa hominum ætas nihil puritati Mariæ æquandum habebat, sic ut Spiritûs sancti susciperet operationem, electa est beata Virgo, nihil ex desponsatione virginitate læsâ. Allata est et alia ratio à quodam ex antiquis, videlicet excogitatam fuisse Josephi desponsationem, ut Mariæ virginitas mundi hujus principem lateret. Nam in Virgine adhibitus est desponsationis apparatus, quasi quædam hæsitandi occasio daretur Maligno illi, qui jàm pridem virgines observabat, ex quo audierat Prophetam dicentem : *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium*[4]. Deceptus igitur est per desponsationem, virginitatis insidiator ille. Noverat enim imperium suum per Domini apparitionem quæ in carne futura erat, destructum iri.

4. *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Utrumque invenit Joseph, tùm graviditatem, tùm causam, quòd scilicet esset ex Spiritu sancto. Quapropter veritus talis mulieris vir appellari, *voluit occultè dimittere eam*, non ausus quæ in eà contigerant, patefacere. Cùm autem justus esset, mysteriorum assecutus est revelationem. *Hæc autem eo cogitante, Angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens : Noli timere accipere Mariam conjugem tuam;* neque illud cogitaveris[a] obumbraturum te peccatum absonis quibusdam commentis : nam vocatus es justus ; non est autem viri justi silentio scelera contegere. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ostendit se indignatum ei non fuisse, neque ipsam aversatum, sed veritum esse se eam tamquàm Spiritu sancto repletam ; quod enim in eà generatum est, de Spiritu sancto est. Et indè compertum est non secundùm communem carnis naturam fuisse Domini compagem. Statim enim carne perfectum erat quod utero gestabatur ; non, ut indicant verba, per conformationes paulatim formam accepit ; non enim dictum est : Quod conceptum est, sed : Quod generatum est. Caro igitur ex sanctitate compacta, digna erat quæ Unigeniti conjungeretur divinitati. *Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Observavimus, quibus de industriâ nomina imponuntur, in his per ea naturam subjectam ostendi, ut Abrahamo, Isaaco, Israëli. Horum enim appellatio non corporis characterem magis quàm virtutis ab eis excultæ proprietatem significabat. Idcircò etiam nunc Jesus vocatur, hoc est, *Salus populi.* Jàm verò mysterium et ante sæcula ordinatum, et olim per Prophetas nuntiatum exitum habuit : *Ecce Virgo in utero suscipiet et pariet Filium, et vocabunt no-*

[1] *Tit.* II, 11. — [2] *Malach.* IV, 2. — [3] I *Cor.* XV, 54. — [4] *Isai.* VII, 14.

[a] Vide Monitum suprà.

men ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus[1]. Atque hæc appellatio jàm à longo tempore mysterium totum declarat, fore videlicet, ut Deus inter homines versaretur, quandoquidem, inquit, vocem Emmanuel si interpreteris, sonat: *Nobiscum Deus.* Nec quisquam judaicis fraudibus pervertatur, qui aiunt, non virginem, sed puellam dictam esse à Prophetâ : *Ecce enim,* inquit, *puella in utero suscipiet*[2]. Primùm enim res est omnium absurdissima, quod à Domino pro signo traditum est, id existimare commune esse, et omnis naturæ confessione notum. Ecquid enim ait Propheta ? *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum, sive in excelsum. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum.* Mox paucis interjectis subjungit : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo in utero suscipiet*[3]. Quoniam enim non petivit Achaz signum, neque in profundum, neque in excelsum, ut disceres eum qui in inferiora terræ descendit, eumdem esse qui et ascendit super cœlos omnes[4], idcircò Dominus ipse signum dedit, signum autem inauditum, et prodigiosum, et valdè à communi naturâ alienum : Eadem mulier, et virgo et mater, et in virginitatis sanctimoniâ manens, et gignendæ prolis benedictionem sortita. Quòd si nonnulli ex his qui hebraicam vocem interpretati sunt, pro virgine puellam reddidere, tamen nihil vitiatur sententia. Invenimus enim id in more Scripturæ positum, ut *puella* pro *virgine* sæpè usurpetur, velut ait in Deuteronomio : *Si quis invenerit puellam virginem, quæ desponsata non sit, et vim faciens dormierit cum eâ, et deprehensus fuerit, dabit homo qui dormivit cum eâ, patri puellæ quinquaginta didrachmata*[5].

5. *Et expergefactus accepit uxorem suam.* Quamquàm et affectu, et amore, et omni studio conjugibus convenienti uxorem suam esse rebatur, tamen à nuptialibus operibus abstinuit : *non enim,* inquit, *cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*[6]. Jàm autem hinc oritur suspicio, Mariam posteaquàm generationi Domini per Spiritum sanctum factæ purè inservivit, tùm demùm consueta nuptiarum opera non denegâsse. Nos autem etiamsi hoc[a] pietatis doctrinam nihil lædat (siquidem[b] ad desponsationis usquè ministerium necessaria erat virginitas : quod verò posteà evenit, id ratio mysterii curiosiùs inquirere non cogit), cùm tamen Christi amantes audire non sustineant quòd Deipara aliquandò desierit esse virgo, testimonia illa sufficere arbitramur. Quod quidem attinet ad illud : *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum,* respondemus videri illud, *donec,* multis locis aliquod quidem tempus definitum indicare, sed tamen indefinitum verè significat : quale est quod dictum est à Domino : *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usquè ad consummationem sæculi*[1]. Non enim futurum erat, ut Dominus post hoc sæculum non ampliùs cum sanctis versaretur : sed promissio præsentis denotat perpetuitatem, non rescindit futurum. Eodem igitur modo hìc etiam illud, *donec,* acceptum fuisse dicimus. Cùm autem dictum est, *primogenitum,* non continuò primogenitus habet comparationem ad succedentes : sed qui primùm aperit uterum, primogenitus appellatur. Declarat autem et Zachariæ historia Mariam perpetuò virginem permansisse[a]. Ferunt enim, et id ex traditione ad nos usquè pervenit, Zachariam, cùm Mariam in virginum loco post Domini partum posuisset, templum inter et aram occisum à Judæis fuisse, videlicet accusatum à populo, quòd hâc ratione confirmaret admirabile illud et perquàm decantatum signum, Virginem peperisse, nec virginitatem violâsse. *Cùm autem natus esset Jesus,* inquit, *in Bethleem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum*[2]*?* Genus persicum, Magi[b], vaticinationibus incantationibusque et naturalibus rerum affectionibus inter se oppositis intenti, ac rerum sublimium contemplationi vacantes. Videtur autem hujus vaticinationis particeps fuisse et Balaam, qui accersitus est à Balac, ut quibusdam ritibus dira Israëli precaretur : qui et in suâ parabolâ[c] quartâ, talia de Domino dicit : *Homo videns,* inquit, *audiens eloquia Dei, sciens scientiam Altissimi, ac Dei visionem in somnis videns : revelati oculi ejus. Ostendam ei, et non nunc : beatum prædico, et non appropinquat. Orietur stella ex Jacob, et consurgit homo ex Israel*[3]. Quamobrem locum Judææ cùm inquirerent, recordati vaticinii veteris, accesserunt ut discerent ubi esset qui natus est rex Judæorum. Fortassè autem et adversâ potestate per Domini adventum jàm debiliore effectâ, vim agendi suam destrui sentientes, potentiam magnam nato tribuebant. Quarè inventum puerum muneribus oblatis adoravere. Magi, gens aliena à Deo, et peregrina à testamento ac fœdere, primi habiti sunt digni qui adorarent, quòd inimicorum testimonia sint fide digniora. Etenim si Judæi adorâssent primi, suum ipsorum genus exor-

[1] *Matth.* I, 23. — [2] *Isai.* VII, 14. — [3] *Ibid.* 10, 11, 12 *et* 14. — [4] *Ephes.* IV, 9 *et* 10. — [5] *Deut.* XXII, 28 *et* 29. — [6] *Matth.* I, 24.

[a] Videsis Monitum. — [b] Cautè legendum.

[1] *Matth.* XXVIII, 20. — [2] *Id.* II, 1 *et* 2. — [3] *Num.* XXIV. 16 *et* 17.

[a] Vide Monitum. — [b] Vide Monitum in quo disserimus de Magis, infrà, in festo Epiphaniæ. — [c] Vide Notam *b*, p. 62.

nare visi fuissent : nunc verò qui eum cognatione nullà attingunt, iidem velut Deum adorant, ut hi qui ei affines sunt condemnentur, quòd crucifigant quem alienigenæ adoraverunt. Sed cùm animum appellerent ad cœlestium motus, non oscitanter mirum illud cœli spectaculum contemplabantur, stellam scilicet novam atque insolitam, quæ in Domini Natali exorta fuerit.

6. Nec quisquam apparatum astrologiæ trahat ad exortum stellæ explicandum. Qui enim sidus natalitium in numero stellarum quæ jàm exstant reponunt, harum hanc vel illam figuram putant causam esse rerum quæ cuique in vitâ accidunt : hìc verò nulla ex stellis quæ jàm erant, Nativitatem regiam designavit, neque ipsa ex consuetarum numero fuit. Quæ enim ab initio conditæ sunt, aut omninò immobiles sunt, aut motum irrequietum habent : stella verò quæ tunc apparuit, utrumque habuisse videtur, cùm et moveretur et staret. Et inter eas quidem quæ jàm sunt, fixæ numquàm moventur; errantes verò numquàm conquiescunt : hanc autem, cùm in seipsâ utrumque complectatur, et motum et quietem, ad neutras pertinere liquet. Nam mota est quidem ex Oriente usque Bethleem; sed stetit supra locum ubi erat Puer. Quapropter profecti Magi ab Oriente, et ductum stellæ secuti, cùm pervenissent in Jerosolymâ, ut civitatem omnem adventu suo conturbârunt, ità regi Judæorum timorem incusserunt. Itaque cùm invenissent quem quærebant, muneribus cohonestârunt, auro, thure et myrrhâ. Fortassè hìc quoque prophetiam Balaam secuti sunt, qui de Christo talia protulit : *Recumbens requievit ut leo et ut catulus. Quis suscitabit eum? Qui benedicunt te, benedicti sunt, et qui maledicunt te, maledicti sunt*[1]. Quoniam igitur dignitatem regiam Scriptura indicat per leonem, per recubitum passionem, per facultatem verò benedicendi, divinitatem, Magi vaticinio adhærentes, velut regi aurum, velut morituro myrrham, velut Deo thus obtulerunt. Neque verò iis qui curiosè exponunt quæ ad partum attinent, illud dicere licet, stellam fuisse cometis consimilem, qui maximè ad significandas regum successiones videntur in cœlo consistere[a]. Et hi enim ferè immobiles sunt, in circumscripto loco factâ inflammatione. Cometæ enim sive trabes sive scrobes fuerint, diversæ figuræ sunt, et nomina peculiaria figuris imponuntur. Omnium autem eadem est origo. Cùm enim aer redundat circum terram, diffunditurque in æthereum locum, et cùm quidquid crassum est ac turbidum in hâc exhalatione, id veluti materiam igni præbet, ità tùm stellæ conspectum manifestum reddit. Quæ autem stella in Oriente apparuit, et Magos ad eum qui natus erat quærendum excitavit, rursùs non videbatur, donec ipsis consilii inopibus dedit se iterùm in Judæâ conspiciendam, ut discerent cujus stella esset, cuique inserviret, et propter quem esset oborta. Veniens enim *stetit supra locum ubi erat Puer*[2]. Quamobrem etiam cùm vidissent *stellam Magi, gavisi sunt gaudio magno*[3].

✠ S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, ARCHIEP. CONSTANTINOP., ET ECCLESIÆ DOCTOR[b].

NUM. 1. Concipit Maria, in sponsi jàm domum traducta, ut pravam omnem suspicionem effugiat. — 2. Spiritûs operatio in Virgine non exploranda. — 3. Josephi Mariæ sponsi laudes. — Angelus Josepho nuntiat post rem gestam, ne is fidem neget. — 5. Nuntiatur Mariæ ante conceptionem, ut imperturbata mysterio obsequeretur. — 6. Cur Josepho in somnis facta visio, non pastoribus, Zachariæ, Virgini. — 7. Angelus Josephum non corripit, sed ab eo depellit timorem offensæ Dei, propter quam Mariam cogitabat dimittere. — 8. Jubetur Joseph accipere Mariam, id est, domi retinere, animo jàm dimissam. — 9. Quomodò Joseph Christo patris loco fuit. — 10. Nomen Jesu mille bonorum thesauros continet. Populus Christi non tantùm Judæi sunt, sed et universi in eum credituri. — 11. Fidelis ex vitæ instituto dignoscendus. — 12. Mores Christiano indigni. Mali fideles deteriores sunt bestiis et ipso diabolo; illud autem deterrimum est, quòd animæ fœditatem nesciunt aut non attendunt. — 13. Vita Sanctorum speculum Christianorum. Bestia humano studio mansuescit : homo naturâ mansuetus in bestiam efferatur. — 14. Iracundiæ mali effectus : sanguis Christi morbos animi exstinguit. — 15. Viventibus animi morbis, nos vivere nequimus. Affectus erga creaturas amorem Christi minuit. — 16. Gloriam consequitur qui gloriam contemnit. — 17. Trium puerorum laudatio : eorum historia. Sancti nihil saluti proximi anteponunt. — 18. Allegoria statuæ aureæ in avaritiam : La-

[1] *Num.* XXIV, 9. — [2] *Matth.* II, 9. — [3] *Ibid.* 10.
[a] Vide Monitum.

[b] Edit. D. Bernardi de Montfaucon. Paris. 1718-38. Ex Homiliâ 4 in Matthæum.

zarus clarus exit de fornace paupertatis, dives ex parte adorantium, gehennæ deputatus. — 19. Pauperes Deo gratias agentes pueris in fornace similes sunt, et libentiùs in paupertate quàm in suis opibus divites, gloriantur. Misericordiæ commendatio.

1. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria.* Non dixit : Virgo, sed simpliciter: *Mater*, ut sermo facilè caperetur. Ideò cùm priùs præparàsset auditorem ad aliquid eorum quæ ex more veniunt, audiendum, et in hàc cogitatione retinuisset, tunc percellit, rem admirandam subjungens his verbis: *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Non dixit : Antequàm duceretur in domum sponsi: intùs enim jàm erat. Nam mos priscis erat sponsas, ut plurimùm, domi tenere, imò etiam nunc id videre est : et Lothi generi cum ipso habitabant [a]. Habitabat ergò et ipsa cum Josepho. Sed cur non ante sponsalia concepit? Ut res occultaretur, et ut Virgo pravam omnem suspicionem effugeret. Quandò enim ille, qui plùs quàm omnes zelotypià corripi poterat, videbatur eam non modò non traducere, nec inhonorare, sed etiam in consortium accipere, ipsique ministrare prægnanti, palàm est eum non sic facturum, nisi persuasum habuisset eam ex Spiritu sancto concepisse; alioquin illam nec apud se retinuisset, nec in aliis suo ministerio dignatus esset.

2. Appositè autem et illud adjecit : *Inventa est in utero habens*, id quod dici solet in rebus stupendis, quæ præter spem et exspectationem omnem accidunt. Ne igitur ultrà procedas, ne quid quæras ultra ea quæ dicta sunt, neque dixeris : Quomodò Spiritus sanctus id ex Virgine operatus est? Si enim, naturà operante, nemo potest formationis modum explicare, quomodò, Spiritu mirabiliter agente, poterimus hæc explanare? Ne enim Evangelistam vexares et importunis quæstionibus exagitares, ipse, enuntiato miraculi auctore, sese his omnibus liberavit. Nihil ultrà scio, inquit, nisi hoc à Spiritu factum esse. Erubescant ii qui supernam generationem curiosiùs explorant. Si enim hanc quæ innumeris testibus celebratur et ante tot sæcula prænuntiata fuerat, quæ et oculis et tactui pervia fuit, nemo potest explicare , in quem non insaniæ cumulum deveniunt ii qui arcanam illam curiosè scrutantur et explorant? Neque enim Gabriel, neque Matthæus aliud quidpiam dicere potuerunt, nisi quòd ex Spiritu natus sit; quomodò autem et quà ratione ex Spiritu natus sit, nullus eorum interpretatus est; neque enim id fieri poterat. Neque arbitreris te totum edidicisse, cùm audis: *Ex Spiritu:* nam postquàm hoc edidicimus, multa adhuc ignoramus; exempli causà, quomodò is qui immensus est, in vulvà continetur; quomodò is qui omnia continet, in utero mulieris gestatur; quomodò virgo pariat, et virgo maneat. Quomodò, quæso te, Spiritus templum illud efformavit? Quomodò non totam carnem ex matre sumpsit, sed partem ejus, quam auxit et formavit [b]? Nam quòd ex carne Virginis prodierit, declaravit his verbis : *Quod enim in eà natum est :* et Paulus, *Factum ex muliere* [1]: *ex muliere*, inquit, ora obstruens eorum qui dicerent, quasi per quemdam canalem per eam transiisse Christum. Nam si hoc esset, quid utero opus fuisset? Si hoc esset, nihil haberet nobiscum commune; sed alia esset illa caro, non ex massà nostrà. Quomodò ergò ex radice Jesse? Quomodò virga, vel Filius hominis? Quomodò flos? Quomodò Maria mater esset? Quo pacto ex semine David? Quomodò formam servi acceperit? Quomodò *Verbum caro factum est* [2]? Quà ratione Paulus Romanis dixit : *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus* [3]? Quòd igitur ex nobis, ex massà nostrà et ex utero Virginis prodierit, palàm est ex dictis exque aliis plurimis : quomodò autem, non item. Ne igitur id tu quæras, sed accipe id quod revelatur, et ne curiosè scrutare id quod tacetur.

3. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus,* inquit, *et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Cùm dixisset : *Ex Spiritu sancto,* et sine ullo congressu, sermonem suum etiam aliundè confirmat. Ne quis enim diceret: Undè hoc manifestum est? Quis novit, quis audivit tale quidpiam factum esse? Ne suspicareris discipulum in gratiam magistri hoc commentum esse, inducit Josephum, per ea quæ passus est, his fidem facientem, ac si diceret : Si mihi fidem non habes, si testimonium meum tibi suspectum est, crede viro illius : *Joseph* enim, ait, *vir ejus, cùm esset justus.* Justum hìc omni virtute præditum dicit : ad justitiam enim pertinet non esse avarum, estque justitia omnis virtus : et hoc maximè sensu Scriptura justitiæ voce utitur, ut quandò dicit : *Homo justus, verax* [4]; ac rursùm : *Erant ambo justi* [5]. *Justus* ergò *cùm esset*, id est, benignus, moderatus, *voluit occultè dimittere eam.* Ideò id quod contigit enarrat ante notitiam datam, ut ne fidem deroges iis quæ re cognità gesta sunt. Certè si talis illa fuisset, non modò digna erat quæ traduceretur, sed etiam illam supplicio affici lex jubebat. Verùm Joseph non modò ei quod majus, sed etiam ei quod minus erat consuluit, nempè pudori. Non modò enim punire nolebat, sed ne traducere quidem. Vidis-

[1] *Gal.* IV, 4. — [2] *Joan.* I, 14. — [3] *Rom.* IX, 5. — [4] *Job* 1,1. — [5] *Luc.* I, 6.

[a] Vide Maldonatum, suprà, p. 5. — [b] Vide Cornelium à Lapide, p. 8.

tisne philosophum[a] virum, et tyrannico illo affectu vacuum? Nôstis enim quantus morbus sit zelotypia. Quamobrem is qui id probè sciebat, dixit: *Plenus zelo est furor viri ejus: non parcet in die vindictæ*[1]; et: *Dura sicut infernus æmulatio*[2]. Certè multos novimus, qui malint animam amittere, quàm in zelotypiæ suspicionem incidere. Hìc porrò non mera suspicio erat, cùm uteri tumor rem palàm faceret. Attamen ità erat ab hoc animi morbo liber, ut ne in minimis quidem vellet Virgini mœstitiam inferre. Quia ergò illam intùs apud se retinere per legem non licere videbatur, traducere autem illam et in judicium trahere, id necessariò erat ad mortem tradere, neutrum fecit, sed supra legem jàm se gerere cœpit. Oportebat enim, jàm adveniente gratià, multa signa adesse sublimis hujusce instituti. Quemadmodùm enim sol, nondùm radios ostendens, eminùs tamen partem maximam orbis illustrat: sic quoque Christus ex utero illo exoriturus, antequàm egrederetur, orbem totum illuminavit. Idcircò vel ante partum Prophetæ exsultabant, et mulieres futura prædicebant, et Joannes nondùm è vulvà egressus, ab utero exsultabat. Hìc itaque multam Joseph ostendit philosophiam: neque enim accusavit illam, neque exprobravit illi, sed dimittere tantùm cogitabat. In hoc rerum statu, et in hàc negotiorum difficultate, advenit Angelus qui anxietatem omnem tollat.

4. Quærendum autem est cur Angelus non antè venerit, quàm vir ille hæc in animo versaret, sed cùm hæc ille cogitaret, tunc venerit: nam ait: *Hæc illo cogitante, Angelus venit*, quamquàm etiam antequàm illa conciperet, nuntius accesserit; undè etiam alia quæstio oritur. Nam etsi Angelus viro non dixerat, cur Virgo tacuit hæc ab Angelo audita, et cùm sponsum suum anxium videret, non ejus anxietatem sustulit? Cur ergò antequàm ille turbaretur, Angelus non rem illi aperuit? nam operæ pretium est priorem quæstionem primò solvere. Quarè rem illi non aperuit? Ne dicto fidem negaret, et idipsum accideret illi quod Zachariæ. Nam re oculis perceptà, facile erat tunc credere: cùm autem nondùm cœpisset, non facilè credi poterat. Ideò id Angelus initio non dixit, et Virgo eàdem de causà tacuit. Neque enim putàsset sibi rem incredibilem nuntianti à sponso fidem esse habendam; imò timuisset se illum in iram concitaturum esse, quasi admissum peccatum tegentem. Si enim etiam ipsa quæ tantam gratiam perceptura erat, humanum quid passa est, et dixit: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco*[3]? multò magis ille dubitàsset, cùm maximè id audisset à muliere hinc sibi suspectà.

5. Ideò Virgo quidem nihil ipsi dicit: Angelus verò tempore congruenti advenit. Quarè, inquies, idipsum erga Virginem non fecit, nec post conceptionem ipsi rem nuntiavit? Ne in perturbatione magnà foret. Nam timendum erat ne illa rei veritatem non clarè sciens, de se quid acerbum decerneret, neu dedecus non ferens ad laqueum vel ad gladium properaret. Admiranda quippè Virgo erat, ejusque virtutem declarat Lucas, cùm ait eam, quandò salutationem accepit, non statim gaudio perfusam fuisse, nec dicta suscepisse; sed turbatam quæsivisse qualis esset ista salutatio. Quæ autem sic comparata erat, mœrore confecta fuisset, rei infamiam secum reputans, nec sperans posse se quempiam audientium ad credendum inducere quòd id non ex adulterio profectum esset. Ne itaque id eveniret, ante conceptionem venit Angelus. Etenim oportebat imperturbatum esse uterum illum, in quem omnium Creator ingressurus erat, et omni tumultu vacuam animam illam, quæ mysteriorum tantorum ministra futura erat. Propterea Virgini ante conceptionem, Josepho autem, cùm gestaret uterùm Virgo, locutus est. Quod multi simpliciorum non intelligentes, hìc dissonantiam esse dixerunt, quoniam Lucas dixit Mariæ nuntium venisse, Matthæus autem Josepho, non advertentes utrumque gestum fuisse: id quod etiam in omnibus historiis observandum est: sic enim multas dissonantias, ut quidem putantur, expediemus. Venit itaque Angelus, perturbato Josepho. Nam et propter ea quæ suprà dicta sunt, et ut ejus philosophia appareret, adventum suum differt. Cùm verò res jàm esset implenda, advenit demùm.

6. *Hæc autem eo cogitante, Angelus in somnis apparuit Joseph.* Videsne viri moderationem? Non modò non punivit, sed nemini dixit, ac ne illi quidem quæ in suspicionem veniebat; sed rem secum cogitabat, et secessûs causam Virgini obtegere studebat. Neque enim dixit ipsum voluisse illam ejicere, sed dimittere: usquè adeò benignus et moderatus vir erat! Hæc autem cogitanti in somnis apparet Angelus. Et cur non apertè, ut pastoribus et Zachariæ visus est, necnon etiam Virgini? Admodùm fidelis vir erat, neque egebat tali visione. Nam Virgo cui annuntiabatur res tanta et longè major quàm Zachariæ, etiam ante rem ipsam egebat mirabili quàdam visione: pastores verò, utpotè qui agrestiores essent, apertiore visione opus habebant. Hìc autem post partum[b], cùm pravà

[1] *Prov.* VI, 34. — [2] *Cant.* VIII, 6. — [3] *Luc.* I, 34.

[a] Summoperè observandum est Chrysostomum, et virtutem in genere, et virtutes speciatim quaslibet, *philosophiæ* nomine passim celebrare; ideòque hominem virtute præditum *philosophum* dicere. — [b] Quod hìc dicere videretur, nempè hæc *post partum* facta esse, cum Evangelio Matthæi pugnaret, ubi dicitur illum ante partum suspectam Virginem habuisse, et ab Angelo monitum fuisse.

suspicione animi teneretur, et paratus tamen esset ad bonam spem facilè reduci, si quis hâc in re dux illi appareret, revelationem accipit. Ideò post suspicionem adest bonus nuntius, ut hoc ipsum illi foret vera dictorum demonstratio. Cùm enim nemini dixisset, sed animo solùm hæc cogitâsset, et hâc de re loquentem Angelum audiret, indubitatum ipsi signum erat, Angelum à Deo jussum, hæc dictum venisse : ipsius enim solius est cordis arcana scire. Vide itaque quanta efficiantur : viri philosophia ostenditur, et illud opportunè ab Angelo prolatum ad fidem ejus firmandam confert, dictumque ipsum sine suspicione manet, quod ostendit ipsum ea passum esse, quæ vir quivis jure pati poterat.

7. Quomodò autem fidem ipsi facit Angelus? Audi et mirare dictorum sapientiam. Accedens ait : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Statim Davidem in memoriam revocat, undè nasciturus erat Christus; neque sinit illum turbari, dùm per majorum nomen promissionem universo generi factam in memoriam revocat. Sed cujus rei gratià filium David ipsum appellat [2] ? *Ne timeas :* quamquàm alibi Deus non ità fecit : sed quodam de uxore Abrahæ secùs quàm oportuerat cogitante, terroribus minisque in loquendo usus Deus est, etiamsi ibi quoque res per ignorantiam fieret : neque enim rerum gnarus ille Saram acceperat : attamen perterrefecit eum [1]; hìc autem mitiùs agitur. Ingens enim erat rerum quæ agebantur magnitudo, magnumque inter virum utrumque discrimen : quapropter non erat increpatione opus. Cùm autem dixit : *Ne timeas,* declarat ipsum metuere ne Deum offendat, si adulteram uxorem habeat : ità nisi hoc fuisset, illam dimittere ne cogitâsset quidem. His igitur omnibus declaratur à Deo venisse Angelum, qui omnia quæ cogitavit et animo passus est Joseph, in medium attulit et exposuit. Virginis autem pronuntiato nomine, non hìc stetit, sed addidit : *Conjugem tuam,* quam non ità vocâsset, si vitiata fuisset. Conjugem verò hìc sponsam vocat, quemadmodùm et generos vocare solet Scriptura sponsos, ante nuptias.

8. Quid verò significat illud, *Accipere?* Domi retinere : jàm enim illam animo dimiserat. Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes : tradit autem non ad nuptias, sed ut cum illà habites ; tradit porrò per vocem meam. Ut illam posteà Christus tradidit discipulo, ità et nunc Josepho traditur. Deindè rem obscurè indicans, pravam suspicionem non memoravit, sed honestiore congruentioreque modo conceptionis expositâ causâ, illam sustulit, ostendens eum, propter eamdem ipsam causam quâ timebat et illam dimittere volebat, jure illam recipere et retinere debere : sicque ex abundanti ejus mœstitiam resolvit. Non modò, inquit, illicito congressu pura est, sed etiam supra naturam uterum gestat. Ne igitur metum ponas tantùm, sed in magnam erumpe lætitiam : *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Stupendum dictum, humanam cogitationem superans, legesque naturæ transcendens ! Quomodò igitur credet vir tales non expertus narrationes ? A præteritorum, inquit, revelatione. Ideò omnia quæ mente cogitabat, revelavit, quæ passus est, quæ timuit, quæ facere meditabatur, ut illis in medium adductis, etiam his fidem haberet; imò non ex præteritis tantùm, sed etiam ex futuris ad credendum illum inducit.

9. *Pariet autem,* inquit, *filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Ne putes enim, quia ex Spiritu sancto est, te ideò alienum esse à ministerio œconomiæ illius. Etiamsi enim nihil ad generationem conferas, sed intacta virgo maneat, attamen, quod est patri proprium, etsi virginitatis dignitatem non labefactet, hoc tibi confero, ut nato nomen imponas. Tu enim vocabis illum. Etsi namque filius tuus non sit, tu paternam erga illum geres curam. Ideò vel ab ipsâ nominis impositione, nato te parentis loco adjungo. Deindè ne quis ideò eum patrem esse suspicaretur, audi quam accuratè sequentia ponat : *Pariet,* inquit, *filium;* non dicit : Pariet tibi ; sed indeterminatè posuit : non enim ipsi peperit, sed universo orbi.

10. Ideòque nomen ejus ex cœlo detulit Angelus, hinc ostendens mirabilem esse partum, quòd Deus ipse nomen ejus de cœlo per Angelum Josepho miserit. Neque enim ipsum casu et sine causâ datum fuit, sed est mille bonorum thesaurus. Idcircò ipsum Angelus interpretatur, optimamque spem offert, et hâc ratione fidem ipsi conciliat : nam propensiùs inclinamur ad res hujuscemodi ; ideòque illis faciliùs credimus. Cùm igitur ex omnibus ad fidem ei habendam præparâsset, ex præteritis, ex futuris et ex præsentibus, necnon ab honore ipsi debito, inducit Prophetam opportunè his omnibus calculum dantem. Priusquàm verò ipsum inducat, bona per ipsum orbi conferenda prænuntiat. Quænam illa sunt? Ereptio à peccatis : *Ipse enim,* inquit, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hìc quoque stupendum quidpiam indicatur. Non enim à bellis sub sensum cadentibus, non à barbaris, sed quod longè majus erat, à peccatis liberandum populum ipsius annuntiat : id quod nemo antè facere potuerat. Et quà de causà, inquies, *Populum suum* dixit, neque Gentes adjecit? Ne statim auditorem percelleret. Alioquin verò intelligentià præditus auditor hìc Gentes quoque subindicari perspicit. Populus enim ejus sunt non Judæi tantùm, sed omnes qui accedunt, et ejus doctrinam cognitionemque suscipiunt. Animadverte

[1] *Gen.* XII, 11-20. — [2] Desideratur hìc responsum.

autem quomodò ejus dignitatem nobis aperuerit, populum suum appellans populum Judaicum. Hoc enim nihil aliud significat, quàm eum, qui natus est, esse Filium Dei, ac de Rege superno sermo ipsi est. Neque enim alia potestas peccata remittere valet, nisi ea quæ ad illam substantiam pertinet.

11. Quoniam * igitur tantum accepimus donum, nihil non agamus ne tantum beneficium dehonestemus. Si enim ea quæ ante hunc honorem gesta sunt, digna ultione erant, multò magis post ineffabile illud beneficium. Hæc porrò non sine causâ nunc dico, sed quia multos video post baptisma segniores, quàm ii qui nondùm initiati sunt, neque ullam habentes instituti nostri notitiam. Ideòque nec in foro, nec in ecclesiâ potest distingui fidelis à non fideli, nisi quis adsit tempore mysteriorum, et videat qui ejiciantur et qui maneant. Oporteret autem eos non à loco, sed à moribus distingui. Nam externæ quidem dignitates ab externis notis et ornamentis jure dignoscuntur : nostra verò ab ipsis animis nota esse oportet. Fidelem namque non à dono tantùm, sed etiam à novo vitæ instituto agnosci par esset. Fidelis et luminare et sal mundi esse debet. Cùm autem nec tibi quidem ipsi luceas, nec propriam putredinem constringas, undè tandem te nôsse poterimus ? An quia in sacris fluentis ingressus es? Sed hoc te ad supplicium deducit. Magnitudo enim honoris, iis qui vitam hujusmodi honore dignam non agunt, additamentum supplicii est. Fidelem enim non ab iis tantùm quæ à Deo accepit, sed etiam ab iis quæ ipse intulit, fulgere par est, et undique se notum præstare, ab incessu , ab aspectu, ab habitu , à voce. Hæc autem dixi, non ut ad ostentationem, sed ut ad utilitatem videntium nos componamus.

12. Nunc autem undecumquè te voluero dignoscere, undique te invenio à contrariis dignosci. Si à loco, qui sis velim ediscere, in circo te, in theatris, et iniquis occupationibus video dies transigere, in fori cœtibus improborum, in corruptorum hominum consortio ; si à vultûs compositione, assiduè te cerno cachinnis deditum ac dissolutum, haud secùs quàm perditam meretricem aperto ore sese dehonestantem ; si à vestibus, perindè te amictum video atque histrionem ; si à clientibus, parasitos circumducis et adulatores ; si à verbis , nihil sanum, nihil necessarium, nihil ad institutum vitæ nostrum conducens loquentem audio ; si à mensâ, major hinc accusationis materia orietur. Undenam igitur, quæso, potero te fidelem agnoscere, cùm suprà dicta omnia contrarium arguant? Et quid dico, fidelem? Neque enim si homo sis possum evidenter agnoscere. Nam cùm calce impetas ut asinus, exsilias ut taurus, ad mulieres hinnias ut equus, voraciter edas ut ursus, carnem impinguare studeas ut mulus , injuriarum memor sis ut camelus, rapias ut lupus, irascaris ut serpens, ferias ut scorpio, versipellis sis ut vulpes, virus iniquitatis serves ut aspis et vipera, adversùs fratres bellum geras ut crudelis ille dæmon, quomodò te potero inter homines annumerare, cùm humanæ naturæ characteres in te non videam? Quærebam differentiam catechumenum inter et fidelem, et periculum est ne invenire nequeam virum inter et feram discrimen. Ecquid te dicam esse? Feram? At feræ uno tantùm vitio tenentur : tu verò qui omnia circumfers vitia, longè magis quàm illæ rationis es expers. Sed dæmonem te vocabo? Atqui dæmon neque ventris tyrannidi subditus est, neque divitias amat. Cùm ergò plura vitia quàm feræ et dæmones habeas, quomodò, quæso, te hominem vocabimus? Si verò te hominem vocare non licet, quomodò fidelem appellabimus? Quod autem deterius est, cùm ità malè simus affecti, ne cogitamus quidem animæ nostræ deformitatem , neque ejus fœditatem novimus. Sed apud tonsorem sedens, comam detondens, arrepto speculo cæsariem consideras, et adstantes ipsumque tonsorem interrogas, num ornatè frontem concinnaverit, ac sæpè, senex cùm sis, non vereris juvenilibus studiis insanire : animam verò nostram , non modò deformem , sed etiam ferinæ formæ esse , instar Scyllæ et Chimæræ, quæ in fabulâ feruntur, ne minimùm quidem sentimus, quamquàm tamen hîc spirituale speculum habeamus longè melius et utilius illo. Non modò enim deformitatem monstrat, sed etiam mutat illam in pulchritudinem immensam, si quidem velimus.

13. Hoc porrò speculum est proborum virorum memoria, necnon beatæ ipsorum vitæ historia, Scripturarum lectio, leges à Deo datæ. Si vel semel volueris Sanctorum imagines contemplari, deformitatem animæ tuæ videbis : quâ semel conspectâ, nullo alio egebis ut ab hâc turpitudine libereris. Ad hoc enim utile nobis est hoc speculum, facilemque nobis reddit hanc mutationem. Nemo itaque in brutorum formâ maneat. Si enim servus in domum patris non intrat, cùm feræ formam habeas, quomodò tu in limina illa ingredi poteris? Ecquid, feram, dico? Ferâ enim deterior est hujusmodi homo. Feræ enim etsi naturâ suâ feroces sint, humanâ tamen arte sæpè mansuescunt : tu verò qui illarum naturalem feritatem in mansuetudinem quæ contra naturam earum est, transmutas, quam habebis excusationem , qui mansuetudinem quam

* In hâc Homiliâ, sicut in omnibus, moralia præcepta gravesque admonitiones extremam Concionis partem occupant, scilicet subditi sibi populi vitia recenset, illumque ad virtutem capessendam acuit ; hîc autem invehitur in iracundiam atque avaritiam, et misericordiam commendat erga pauperes.

ex naturâ habes, in feritatem quæ contra naturam est, convertis, et qui quod ferum erat mite reddens, teipsum naturâ mitem, contra naturam ferocem constituisti, ac qui leonem cicuras mansuetumque reddis, animum tuum leone ferociorem efficis, etiamsi duo illic impedimenta adsint, et quòd fera illa sit rationis expers, et quòd omnium sit ferocissima? Attamen vi inditæ tibi à Deo sapientiæ, naturam ipsam vincis. Tu igitur qui ferarum naturam vincis, cur in teipso et naturæ et voluntatis bonum prodis? Ac si quidem te alium hominem mitem reddere juberem, ne sic quidem tibi ea mandare viderer, quæ fieri nequirent, posses tamen tu objicere te non dominum esse voluntatis alterius, nec penès te id totum esse. Nunc autem bellua tua est, in tuo posita arbitrio. Quam ergò habes defensionem, dùm naturam tuam non subigis? Quem excusationis colorem proferre poteris, dùm leonem in hominem convertis, teque ex homine leonem factum videns, id non curas; ac dùm illi ea quæ supra naturam ejus sunt, largiris, tibi ne ea quidem servas quæ ex naturâ habes, sed dùm feras agrestes ad nobilitatem nostram deducere contendis, teipsum ex solio regni detrudis, et in belluarum furorem depellis?

14. Cogita namque, si placet, iram esse feram, et quantam alii circa leones curam impendunt, tantam et tu impende circa teipsum, atque animum tuum mitem mansuetumque redde: nam et ille sævis dentibus et ungulis instructus est, ac nisi cicures ipsum, omnia perdet. Neque enim leo et vipera sic viscera lacerare possunt, ut ira, quæ ungulis ferreis assiduè laniat. Neque verò corpus tantùm labefactat, sed et animæ sanitatem corrumpit, vim ejus omnem corrodens, dilanians, discerpens, et ad omnia inutilem reddens. Nam si is qui vermes in visceribus nutrit, ne respirare quidem poterit, cunctis intùs corruptis, quomodò talem serpentem habentes, viscera omnia corrodentem, iram dico, generosum aliquid parere poterimus? Quomodò ergò poterimus ab hâc peste liberari? Si illam potionem bibamus, quæ possit intùs positos vermes et serpentes exstinguere. Ecqua potio illa est, inquis, quæ tantam vim habeat? Pretiosus sanguis Christi, si cum fiduciâ sumatur; morbos quippè omnes exstinguere poterit: huic adde divinarum Scripturarum lectioni attentionem, huicque adjicias eleemosynam: per hæc quippè omnia exstingui poterunt morbi animam labefactantes.

15. Tuncque solùm vivemus, cùm jàm non meliore conditione simus quàm mortui: nam illis viventibus, nos vivere nequimus, sed necessariò perimus. Nisi enim hîc illos occiderimus, illic nos omninò interficient: imò et ante extremum obitum de nobis hîc ultionem sument. Etenim unusquisque morbus hujuscemodi, crudelis, tyrannicus et insatiabilis est, nec nos quotidiè corrodendi finem facit: nam dentes leonum sunt dentes ipsorum, imò etiam longè sæviores. Leo quippè ubi exsatiatus fuerit, à cadavere discedit: hi verò morbi animi numquàm satiantur, neque cessant, donec captum hominem diabolo proximum statuerint. Tanta enim illorum vis est, ut quam servitutem Christo Paulus exhibuit, ità ut propter illum et gehennam et regnum despiceret, eamdem ipsam à captivis suis exigant. Nam sive in corporum, sive in divitiarum, sive in gloriæ amorem quis inciderit, et gehennam deridet, et regnum contemnit, ut amatâ re potiatur. Ne igitur Paulo fidem negemus dicenti se Christum ità amâsse. Cùm enim inveniantur quidam animi affectibus ità servientes, cur illud incredibile nobis videatur? Etenim ideò amor erga Christum infirmior est, quia tota vis nostra in vitiorum amore consumitur, et rapimus, et avaritiæ dediti sumus, et vanæ gloriæ servimus, quâ quid vilius fuerit? Etiamsi enim admodùm sis conspicuus, nihilo melior eris iis qui infimæ sortis sunt; imò ob hoc ipsum illis inferior eris. Quandò enim iidem ipsi qui te gloriosum ac splendidum reddere student, ob hoc ipsum te derident, quòd gloriam ab ipsis requiras, quomodò non hæc cupiditas tibi in contrarium vertetur? Nam illi, quidquid agant, accusatores tui sunt.

16. Quemadmodùm enim adulterio vel fornicationi deditum si quis laudaverit, vel ipsi adulatus fuerit, eo ipso potiùs accusator, quàm laudator illius est: sic et vanæ gloriæ cupidum cùm laudamus omnes, accusatores potiùs ejus quàm laudatores sumus. Cur ergò rem venaris, cujus contrarium tibi solet accidere? Nam si gloriam consequi vis, gloriam contemne, et omnium gloriosissimus eris. Cur id pateris quod passus est Nabuchodonosor? Nam et ille statuam erexit, ex ligno [a] et ex insensibili formâ putans se sibi famam conciliaturum esse, et qui vivus erat, ex non vivente illustrior apparere cupiebat. Videsne ingentem insaniam? Dùm sibi putat honorem conciliare, contumeliam potiùs sibi parit. Dùm enim videtur inanimatæ rei magis fidere, quàm sibi ipsi et animæ suæ viventi, atque ideò lignum in tantum honoris culmen provehit, quomodò non fuerit risu dignus, dùm non à moribus, sed ab asseribus ornari studet, quemadmodùm si quis ex pavimento domûs aut ex pulchritudine scalæ suspici malit, quàm ex eo quòd homo sit? Hujusmodi virum multi nunc imitantur; quemadmodùm enim ille ab imagine, sic alii à vestibus,

[a] Hic memoriâ labi videtur Chrysostomus, cùm dicit statuam illam à Nabuchodonosore ligneam fuisse. Nam aurea illa in exemplaribus omnibus hebraicis, græcis, latinis fuisse dicitur.

alii ab ædibus, à mulis, à carpentis, à columnis quæ sunt in domibus, in admiratione haberi cupiunt. Nam cùm illud quod homines sint amiserint, circumeunt ut sibi aliundè gloriam multo risu dignam concilient.

17. Verùm generosi illi et magni Dei famuli non indè, sed ex quibus par erat, effulserunt. Etenim et captivi, et servi, et juvenes, et peregrini, et rebus omnibus domesticis vacui, multò clariores visi sunt, quàm ii qui illis omnibus circumdati erant. Certè Nabuchodonosori nec tanta illa statua, nec satrapæ, nec duces, nec immensi exercitus, nec auri vis, nec quævis alia pompa, secundùm concupiscentiam ejus fuere satis ut magnus appareret; his verò qui illis omnibus destituti erant, sola philosophia satis fuit, quæ illo qui diamedate et purpurà ornatus, et tot aliis circumseptus erat, eos qui nihil eorum habebant, tantò splendidiores faciebat, quantò sol est margarità splendidior. Etenim in medium orbis universi adducebantur juvenes, captivi, servi, iisque adductis, statim rex ignem ab oculis emittebat, adstantibus ducibus, toparchis, principibus ac toto diaboli theatro, dùm vox fistularum ac tubarum omnisque musici instrumenti ad cœlum usquè ascendens, illorum auribus personaret. Fornax succendebatur, et flamma ad immensam altitudinem usquè ad nubes ascendebat. Omnia metu terroreque plena erant; verùm illos quidem nihil horum exterruit. Sed adstantes quasi ludentes pueros deriserunt, ac virtutem mansuetudinemque suam ostenderunt, ipsisque tubis clariorem emittentes vocem, dicebant: *Notum sit tibi, rex.* Neque enim verbis tyrannum dehonestare volebant, sed tantùm pietatem suam exhibere. Quapropter non longis sermonibus sunt usi, sed paucis cuncta declarârunt: *Est,* inquiunt, *Deus in cœlo, qui potest nos eruere.* Quid nobis tantam multitudinem ostendis? Quid fornacem, quid gladios acutos, quid terribiles illos satellites? His omnibus superior et potentior est Dominus. Deindè cogitantes contingere posse Deum ità velle, ac permittere ut ipsi comburerentur, ne, illo accidente, viderentur mendacia locuti esse, hoc etiam addunt: *Quod si hoc non fiat, notum sit tibi nos deos tuos non colere.* Si enim dixissent: Deus ob peccata non eruet nos: quòd si non eripiat, fides ipsis non habita fuisset. Ideò hìc illud tacent; id verò dicunt in fornace, frequentissimè peccata commemorantes. Coram rege autem nihil hujusmodi; sed, etiamsi comburendi sint, piam religionem se non prodituros esse dicunt. Non enim pro retributione atque mercede id agebant, sed ex solâ charitate, etiamsi in captivitate et in servitute essent, nullo fruentes bono. Nam et patriâ et libertate et omnibus bonis exciderant: ne mihi enim illos in regali aulà commemores honores. Cùm enim sancti et justi essent, sexcentiès domi stipem cogere maluissent, et templi bonis frui: *Elegi* enim, inquit, *abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* [1]; et: *Melior est dies una in atriis tuis super millia* [2]. Longè potiùs ergò maluissent abjecti esse domi, quàm in Babylone regnare: id quod palàm est ex iis quæ in fornace declarant, ægrè se ferre nempè habitationem Babylonicam. Etsi enim illic multo fruerentur honore, magno ipsis dolori erant cæterorum, quas ipsi videbant, calamitates: quod sanctis maximè proprium est, non gloriam, non honorem, non aliud quidquam proximorum saluti anteponere. Vide igitur quomodò in fornace pro omni populo supplicarent. Nos autem ne quidem, cùm tranquillè agimus, fratrum recordamur: et cùm somnia explorarent, non sua, sed aliorum commoda in scopo habebant: quòd enim mortem contemnerent, multis posteà declarârunt. [a] Ubi autem præstò sunt Deum placare studentes: deindè quia se non ad id sufficere putabant, ad patres confugiunt: ipsi autem non aliud afferre dicunt, quàm spiritum contritum [3].

18. Hos itaque et nos imitemur. Nam etiam nunc stat aurea imago, mammonæ nempè tyrannis. Sed non attendamus tympanis, non tibiis, non cinyris, non reliquo divitiarum apparatui: verùm etiamsi in paupertatis fornacem incidere oporteat, id potiùs deligamus, ut ne ipsum adoremus; et erit in medio fornacis ros sibilans. Ne itaque paupertatem horreamus, dùm fornacem audimus. Nam tunc etiam ii qui in fornacem inciderunt, illustriores effecti: qui autem statuam adoraverunt, occisi sunt. Sed tunc omnia simul facta sunt; nunc verò alia hìc, alia in futuro sæculo, alia et hìc et in futuro sæculo. Nam qui, ne mammonam adorarent, paupertatem elegerunt, et hìc et illic splendidiores erunt: qui verò hìc injustè divitias possederunt, tunc extremas luent pœnas. Ex hâc fornace Lazarus exiit, non minùs conspicuus quàm tres illi pueri; dives autem, qui adorantium statuam instar fuit, ad gehennam damnatus est. Nam quæ dicta sunt, figura illorum erant. Ut igitur ii qui in fornacem inciderunt, nihil passi sunt, qui verò foris erant, magnâ cum vehementià sunt abrepti; sic et tunc erit: sancti qui per fluvium igneum incedunt, nihil ingratum patientur, sed læti apparebunt; qui autem imaginem adoraverunt, ignem videbunt in se quàvis ferà sæviùs irruentem, et intùs attrahentem. Itaque si quis gehennam non credit, hanc videns fornacem, à præsentibus futura credere ediscat, ac ne timeat paupertatis fornacem, sed potiùs fornacem peccati. Hæc enim et flamma et dolor

[1] *Psalm.* LXXXIII, 11. — [2] *Ibid.* — [3] *Dan.* III, 1-90.

[a] *Ubi* Græcè, πανταχοῦ, quoquomodò.

est; illa verò ros et requies. In illâ fornace stat diabolus; in hâc Angeli excutientes flammam.

19. Hæc audiant divites, qui paupertatis flammam accendunt. Pauperibus enim nihil nocebunt, rore ipsis superveniente; se verò ipsos flammis tradent, quas ipsi propriis manibus accenderunt. Tunc Angelus descendit ad pueros; jam verò nos ad eos qui in fornace paupertatis sunt, descendamus, et per eleemosynam rorem pariamus, flammamque excutiamus, ut cum illis coronarum simus consortes, utque gehennæ flammam Christi vox excutiat, dicens : *Esurientem me vidistis, et pavistis* [1]. Hæc enim vox tunc nobis pro rore aderit per mediam flammam sibilans. Descendamus itaque cum eleemosynâ in fornacem paupertatis : videamus philosophantes illos qui in ipsâ ambulant, et carbones calcant : videamus rem novam atque stupendam, hominem in fornace psallentem, hominem in igne gratias agentem, extremâ inopiâ colligatum, et multas Christo laudes referentem. Etenim pueris illis pares sunt ii qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt. Nam igne terribilior est mendicitas, magisque incendere solet. Sed flamma pueros illos non incendit; verùm, quia gratias Domino reddiderunt, vincula ipsorum subitò soluta sunt. Ità et nunc, si in paupertatem lapsus, gratias agas, vincula solvuntur et flamma exstinguitur; si non exstinguatur, id quod mirabilius est, pro flammâ fons efficitur; quod tunc etiam contigit : nam n mediâ fornace rore puro fruebantur. Ignem quidem non exstinxit, sed ne comburerentur qui eò injecti fuerant impedivit. Hoc etiam in philosophantibus videre est : etenim in paupertate timoris magis expertes sunt, quàm divites. Ne itaque extra caminum sedeamus, nullâ erga pauperes misericordiâ affecti, ne patiamur quod tunc illi passi sunt. Si enim descendens ad pueros cum illis steteris, nihil mali tibi inferet ignis : si autem supernè sedens, despexeris illos in flammâ paupertatis, te flamma comburet. Descende igitur in ignem, ne incendaris ab igne : ne sedeas extra ignem, ne te flamma abripiat. Si enim te viderit cum pauperibus, à te abscedet; sin ab illis separatum, statim in te insiliet, teque abripiet. Ne igitur abscedas ab illis eò conjectis : sed cùm diabolus jusserit eos qui aurum non adorent conjici in fornacem paupertatis, ne fueris ex injicientium, sed ex injectorum numero, ut sis ex servandorum, non ex urendorum numero. Nam verè ros est copiosus, non detineri concupiscentiâ divitiarum, et cum pauperibus versari. Hi omnium sunt opulentissimi, qui cupiditatem divitiarum conculcaverunt. Quandoquidem illi qui tunc regem contempserunt, ipso rege clariores sunt effecti. Et tu igitur si res hujus mundi despicias, toto mundo pretiosior eris, ut et sancti illi, *quibus dignus non erat mundus* [2]. Ut itaque dignus fias cœlestibus, deride præsentia. Ità enim et hîc splendidior eris, et futuris bonis frueris gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

✠ EJUSDEM HOMILIA II [a].

Num. 1. De generatione carnali Christi, quæ facta est, cùm esset desponsata Maria Joseph. — 2. Explananlur verba quæ locutus est Angelus ad Joseph.— 3. Explicatur Prophetia Isaiæ quæ nasciturum Emmanuelem prænuntiat. — 4. De virginitate Mariæ ante partum. — 5. Quo sensu Christus Emmanuelis nomen adimplevit.

1. *Jesu Christi autem generatio sic erat.* Quam mihi generationem dicis? Carnalem certè. Nam de illâ generatione, quæ principio caret, nemo novit, nisi ipse unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris [3]. Quomodò igitur fuit generatio Christi secundum carnem? *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Observandum autem est non dicere illum : Cùm esset desponsata virgo; sed simpliciter : *Cùm esset desponsata mater ejus.* Hoc autem facit, ut narratio faciliùs accipiatur, et ne percellat per rem stupendam quam subjungit, dicens : *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Cur autem non ante sponsalia concepit et prægnans fuit? Ut rem interim obtegeret, et ut Virgo malam omnem opinionem effugeret. Nam cùm sponsus, quem zelotypiâ moveri par erat, non modò non illam traduceret, sed etiam acciperet et curaret post partum, hoc omnibus palàm faciebat quòd, cùm persuasum haberet rem ex Spiritûs sancti operatione esse, ipsam retineret

[1] *Matth.* XXV, 35. — [2] *Hebr.* XI, 38. — [3] *Joan.* I, 18.

[a] Excerpitur ex Homiliâ quæ est trigesima in edit. de Montfaucon, et quæ hunc habet titulum : « Ecloga in sanctam iem Natalem Christi. » Porrò duo primi Numeri hujus Homiliæ nihil nisi synopsin exhibent Numerorum 1, 2, 3, 7, 8, 9 et 10 Homiliæ præcedentis, dùm è contrà tres ultimi Numeri, id est, Num. 3, 4 et 5 pulchram offerunt amplificationem hujus Prophetiæ : *Ecce Virgo in utero habebit*, jàm laudatæ p. 29, in Homiliâ S. Basilio attributâ.

et ipsi ministraret. Quod autem in rebus inexspectatis dici solet, hîc etiam declarans, ait : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Audiens porrò : *De Spiritu sancto*, nihil aliud curiosè inquiras : exempli causâ, quomodò qui est immensus, in utero sit ; quomodò qui omnia continet, in utero gestetur à muliere ; quomodò virgo pariat, et maneat virgo; quomodò Spiritus sanctus templum illud efformaverit; et similia. Etenim virtus Altissimi obumbravit Virginem, et Filius Dei erat id quod natum erat. *Joseph autem vir cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Tam mirabilis enim vir erat, ut non modò non illam puniret, sed nec cuipiam dixerit, neque etiam illi quæ in suspicionem veniebat; sed secum cogitabat illam non ejicere, sed dimittere. Quamobrem, cùm in tali cogitationum dubio versaretur, adstitit Angelus cogitationum contentionem solvens. Quòd enim dubitaret, ex iis quæ cogitabat perspicuum est : *Voluit* enim, inquit, *occultè dimittere eam.* Neque omninò emittere illam voluisset, si ex adultero semine prægnantem putavisset, sed et legi et supplicio tradidisset, justus cùm esset. Sed neque illud, neque etiam ex divinâ operatione prægnantem esse putabat : nam supra humanam cogitationem hoc opus erat. Ideò etiam cogitationibus fluctuabat.

2. Cùm ergò his agitaretur cogitationibus, tunc adstitit Angelus, et ait : *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eâ natum est, ex Spiritu sancto est.* Ostendit illum timore et tremore captum fuisse, ne Deum offenderet, cùm dixit : *Ne timeas,* et ut intùs illam retineret; hoc enim sibi vult illud, *accipere*, neque illam dimittere. Non modò enim, inquit, ab iniquo libera est coitu, sed etiam supra naturam concepit. Hoc enim significat id quod subjunxit : *Quod enim in eâ natum est, ex Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Ne putes, inquit, quoniam dixi : *Ex Spiritu sancto est*, te alienum ab eo ministerio esse, quod secundum œconomiam est, tibi curam committo imponendi nomen nato. Etiamsi enim ad generationem ejus nihil contuleris, attamen tu illi nomen impones. Etsi enim filius tuus non est, attamen quæ patris sunt, erga illum exhibebis, atque ex nominis impositione nato conjungeris. Non dixit autem : Pariet tibi filium, sed : *Pariet ;* non enim ipsi pariebat, sed toti orbi. Ideò subjunxit : *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Cùm dixit autem : *Populum suum*, non de Judæis solùm loquitur, sed etiam de Gentibus : populus enim ejus sunt omnes qui cognitionem ejus accipiunt. Et in hoc ostenditur esse Filius Dei, quòd peccata remittat : neque enim remittere peccata, alterius est potestatis, quàm essentiæ divinæ tantùm. *Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium; et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.* Vellem hìc adesse Judæos et Græcos omnes, et librum hunc à Judæis accipere, ac legere Prophetiam. Scitis enim, in tribunalibus et ubique, tunc non suspectum esse testimonium, cùm ab inimicis affertur. Non enim hæc à nobis conficta fuisse dicere poterunt : non enim nos, sed ii qui Christum crucifixerunt, libros nobis præbent, qui de ejus œconomiâ loquuntur. Sed sive adsint, sive non adsint illi, nos quod nostrum est faciemus, et interpretationem aggrediemur.

3. Sed, si placet, paulò altiùs Prophetiam resumamus, ut conspicua vobis sint ea quæ dicta sunt. *Et adjecit Dominus,* inquit, *loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum sive in excelsum. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit Isaias : Audite ergò, domus Israel : Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, et quomodò molesti estis Domino? Propterea dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*[1]. Quia enim Propheta dixerat : *Pete tibi signum*, ille verò se valdè fidelem simulans, dicebat : *Non petam, et non tentabo Dominum*, vide quomodò cum multâ vehementiâ sectionem admoveat Propheta, jure post probationem[a] graviorem faciens accusationem. Ideò illum neque responsione dignatur, et ad populum convertitur, dicens : *Audite, domus David : Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, et quarè molesti estis Domino?* Obscurum est dictum : ideò oportet illud accuratè explicare. Hoc autem vult significare : Nùm mea sunt verba? Nùm mea sententia? Si autem hominibus temerè et absque ratione fidem negare grave est et criminatione dignum, multò magis Deo. Molestum ergò esse, nihil aliud est quàm non credere. An hoc igitur, inquit, parvum crimen est? An levis accusatio est hominibus non credere? Quod si hoc grave est, multò magis Deo non credere. Hoc autem dixit, ut discant omnes Prophetam non deceptum fuisse, nec à dictis illis circumventum, sed ab iis quæ in Achazi mente erant, sententiam tulisse. Postquàm enim cum mansuetudine multâ cum illo disseruerat, ipsumque ab ærumnis liberaverat, et considere jusserat circa præsentia, et hujus rei signa dederat, consilium hostium aperiendo et proditionem detegendo, et excidium Israëlis extremum prædixerat, tempus-

[1] *Isai.* VII, 10-14. — [a] Græcè, μετὰ τὴν ἀπόδειξιν τῆς ὑποκρίσεως, post probationem simulationis.

que addiderat, non his contentus fuit, sed ulteriùs procedens non exspectat ut ille signum petat; sed etiam cùm ille ob incredulitatis exsuperantiam id nollet, hortatur illum, neque utcumquè, sed signi dat optionem: neque enim dixit: Hoc vel hoc signum, sed undecumquè volueris. Dives est Dominus, omnimoda potestas, ineffabilis potentia: si ex cœlis volueris, nihil impedit; si ex terrâ, nihil vetat. Hoc enim sibi vult illud: *In profundum, aut in excelsum.* Quia verò neque sic illum attraxit, neque hic tacuit, sed arguens illum, idque ad correctionem audientis, et ut ostenderet ipsum neque fefellisse, neque rationibus decepisse, arcanam Prophetiam revelat, quæ in salutem orbi futura erat, et ad emendationem rerum omnium; aitque signum jam non Achazo dandum esse, sed communi Judæorum populo. Ab initio enim ad hunc sermonem intendebat; sed quia ille se indignum declaravit, communem populum alloquitur. Ideò *Dabit,* non tibi, sed *vobis signum. Vobis,* quibusnam? Iis qui in domo David erant: nam illinc signum illud germinavit.

4. Quodnam igitur est signum? *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Observandum, ut priùs dixi, non jam Achazo dari signum. Et quòd id non ex conjecturâ dicatur, ipse Propheta et accusavit et criminatus est, dicens: *Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus?* et addidit: *Propterеà dabit Dominus vobis signum: Ecce Virgo in utero habebit.* Quòd si dixerint Judæi Prophetam non dixisse virginem, sed juvenculam, sic quoque victoria penès nos est: nam juvenculæ seu puellæ nomen solet Scriptura pro virgine ponere, ut in Psalmis scriptum est: *Juvenes,* inquit, *et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini* [1]. Et de puellâ cui insidiæ parantur, dicit Moyses: *Clamavit puella* [2], id est, virgo. Itaque nisi virgo esset, neque signum esset: signum enim communem rerum consequentiam debet excedere, naturæ consuetudinem superare, ac stupendum inexspectatumque esse, ità ut singuli qui vident et audiunt id significent. Ideò namque signum dicitur, quod insigne sit: insigne autem non fuerit, si inter res communes oblegatur. Itaque si hìc ageretur de muliere, quæ ex lege naturæ pariat, cur signum vocat id quod fit quotidiè? Ideò initio non simpliciter dixit: *Ecce virgo,* sed cum articulo præposito, quo insignem illam et solam hujusmodi fuisse subindicat. Quòd enim hoc additamentum id significet, possumus ex Evangeliis discere. Cùm enim miserunt Judæi ad Joannem interrogantes: *Quis es,* non dixerunt: Esne Christus, sine articulo præposito? Similiterque: *Propheta es tu* [3], cum articulo? quorum utrumque eximium erat. Similiterque incipiens Joannes, non sine articulis dicebat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* [4]. Sic et hoc loco non dixit: *Ecce virgo,* sine articulo. Et cum dignitate quæ Prophetæ conveniebat, dixit: *Ecce:* erant enim hæc quasi videntis et imaginantis ea quæ facta sunt, et multam habentis dictorum certitudinem. Illi enim oculi ea quæ tunc non videbantur clariùs conspiciebant, quàm nostri ea quæ videntur. Potest enim sensus noster falli; gratia verò Spiritûs infallibilem præbebat sententiam. Cur verò non addidit, inquies, quòd ex Spiritu futurus esset? Prophetia erat id quod dicebatur, et adumbratè prænuntiare oportebat ob audientium improbitatem, ut ne hæc clarè discentes libros omnes comburerent. Si enim Prophetis non pepercerunt, multò minùs à scriptis abstinuissent. Hoc autem non ex conjecturâ dicitur: alius enim rex, Jeremiæ tempore, ipsos libros conscidit et igni tradidit [5]. Vidistisne furorem intolerabilem? Vidistisne iram irrationabilem? Non satis habuit scripta abolere, sed illa combussit, ut irrationabili affectui faceret satis. Attamen, etsi obscurè loquitur hic admirandus Propheta, totum tamen exhibuit. Virgo enim manens virgo, undè pariat nisi à Spiritu sancto? Nam naturæ legem solvere, non alterius quàm Creatoris naturæ fuerit. Quapropter dicens: *Virgo pariet,* totum declaravit. Partum igitur dicens, nati quoque nomen dicit, et ait: *Pariet autem filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

5. Et cur, inquies, non vocatus est Emmanuel, ut Propheta dixerat, sed Jesus Christus? Quia non dixerat: Vocabis, sed: *Vocabunt* turbæ, hoc est, rerum exitus. Ut enim Jerusalem vocat urbem justitiæ [6], etsi nusquàm sic vocata fuit, sed à rebus ipsis hanc habuit appellationem, quòd ea urbs multùm in melius mutata fuerit, et justitiæ præfuerit (etenim cùm illam meretricem vocat [7], non quòd sic appellata fuerit, sed à nequitiâ nomen illi imposuit; sic etiam posteà à virtute illam nuncupavit), hoc ipsum ergò etiam de Christo dicendum, quòd à rebus ipsi nomen imposuerit. Tunc enim maximè nobiscum Deus fuit, in terrâ visus et cum hominibus conversatus, ac multam de nobis ostendens sollicitudinem. Non jàm enim Angelus, non Archangelus nobiscum est, sed ipse descendens Dominus, universam suscepit emendationem, meretrices alloquens, cum publicanis recumbens, in peccatorum domos ingrediens, latronibus dans fiduciam, Magos attrahens, omnia circumiens et corrigens, ipsam naturam secum jungens. Hæc

[1] *Psalm.* CXLVIII, 12. — [2] *Deut.* XXII, 27. — [3] *Joan.* I, 19, 20 *et* 21. — [4] *Ibid.* 14. — [5] *Jer.* XXXVI, 23. — [6] *Isai.* I, 26 — [7] *Ibid.* 21.

igitur omnia Propheta prænuntiat, partum simùl dicens, et lucrum inenarrabile et immensum ex partu factum. Cùm enim Deus cum hominibus est, nihil oportet tunc metuere neque tremere, sed de omnibus confidere, ut etiam factum est. Etenim prisca illa et immobilia mala soluta sunt, sententia illa contra commune genus sublata est, peccati nervi concisi, diaboli tyrannis soluta, et omnibus inaccessus paradisus, homicidæ et latroni primùm apertus fuit: cœli fornices aperti sunt, et Angeli cum hominibus commiscebantur, ad regiumque thronum natura nostra efferebatur: inferni carcer inutilis fuit, et mortis nomen tantùm mansit, re privatum, martyrum chori, mulieres inferni stimulos frangentes. Hæc igitur omnia prævidens Propheta exsultabat et choreas agebat, et uno verbo hæc omnia nobis significavit, cùm Emmanuelem nobis prophetaret. *Butyrum et mel comedet: priusquàm sciret aut præeligeret mala, eliget bonum. Quia priusquàm sciat puer bonum aut malum, malitiæ non confidit, ut eligat bonum* [1]. Quia puer natus nec simplex homo erat, nec Deus tantùm, sed Deus in homine, jure Propheta sermonem variat, nunc hoc, nunc illud dicens, et inexspectata ponit, nec sinit fidem œconomiæ negare ob miraculi exsuperantiam. Cùm dixisset enim parituram esse Virginem, quod supra naturam erat, et quòd vocandus esset Emmanuel, quod et ipsum majus exspectatione erat, ne quis Emmanuelem audiens, eadem quæ Marcion, pateretur, et in Valentini morbum incideret, propter œconomiam, apertè subjunxit œconomiæ clarissimam demonstrationem, à mensâ illam credibilem reddens. Quid enim ait? *Butyrum et mel comedet :* hoc autem divinitatis non fuerit, sed naturæ nostræ. Ideòque non hominem simpliciter efformans, in illo habitavit, sed uteri gestationem sustinuit, illamque novem mensium, et partum et cunabula et illum in tenerâ ætate cibum, ut per omnia obstrueret ora eorum qui œconomiam seu incarnationem negare auderent. Hæc itaque jàm olim prævidens Propheta, non tantùm parturitionem et mirabilem partum dicit; sed etiam illam in tenerâ ætate escam, in ipsis cunabulis, quæ in nullo differt à cæterorum hominum escâ, neque in hoc extraneum aliquid habet. Neque enim omnia in illo differentia erant, neque omnia communia : ex muliere enim nasci commune erat; ex virgine autem, majus quàm nobis competat. Nutriri rursùm secundum communem naturæ legem, hoc quoque multis commune; templum verò illud inaccessum esse nequitiæ, neque in experimentum malitiæ venire, hoc stupendum et ejus solius est. Ideòque et hoc et illud posuit: cùm dixisset enim: *Butyrum et mel comedet*, subjunxit : *Quia priusquàm sciat puer bonum aut malum, malitiæ non confidit, ut eligat bonum.* Rursùs iisdem verbis eamdem sententiam subindicat, et in iisdem moratur verbis. Quia enim admodùm sublime erat quod dicebatur, ex narrationis frequentiâ id credibile reddit. Nam quod suprà significavit dicens : *Antequàm sciat ille præeligere mala*, idipsum posteà subindicavit dicens : *Non confidit malitiæ ut eligat bonum.* In hoc enim tantùm erat hæc eximia facultas.

AUCTOR OPERIS IMPERFECTI IN MATTHÆUM [a].

*NUM. 1. Par fuit ut Christus communi hominum more, et ex corruptione non nasceretur. Nascitur ex peccatoribus. — 2. Desponsata Maria fabro lignario, Christi et Ecclesiæ typo. Concepit Maria in domo sponsi. — 3. Digressio de statu conjugali et de conjunctione maritali. — 4. Josephi angustia, dùm vidit Deiparam in utero habentem. Mariæ mores honestissimi. — 5. Josephus mysterium in eâ subodoratur. Eximia laus Mariæ. — 6. Tumultus cogitationum in mente Josephi. — 7. Solatur Josephum revelatio ei facta. Angelus triplici de causâ apparet ei. — 8. Christus natus est de Spiritu sancto. — 9. Parit Maria sibi, non Josepho, filium.

1. *Generatio autem Christi sic erat.* Quoniam superiùs dixerat : *Jacob autem genuit Joseph*, cui desponsata Maria genuit Jesum, ne aliquis audientium æstimaret sic esse Christi Nativitatem, quo modo præcedentium patrum, ipse ordinem suæ narrationis præcidens addidit, et dicit : *Generatio autem Christi sic erat*, ac si dicat : Generatio quidem eorum quos exposuimus patrum, sic fuit quemadmodùm retuli : Christi autem generatio non ità, sed sic. Quomodò? *Maria* [b] *cùm esset desponsata Joseph, priusquàm convenirent, inventa est in utero habens :* id est, ex virgine sine patre, ut

[1] *Isai.* VII, 15 et 16.

[a] Ex Homiliâ I in cap. 1 Matthæi, quæ duos titulos habet in Codice Vallis Dei Carthusianorum. Primus : « Incipit originale S. Joannis Chrysostomi super Matthæum. » Secundus : « Incipit Commentarius S. Joannis Episcopi in S. Matthæo Evangelistâ. » Quisnam verò sit Auctor ille Operis imperfecti, expenditur in Dissertatione biographicâ et criticâ, quæ Tomo primo præmittitur.

[b] In Codice Vallis Dei è quo transcripta est illa editio Operis imperfecti, hîc incipit Homilia secunda.

ejus generationem enumerans, de semine David eum descendisse ostendat secundum Dei promissa, et extra naturam humanam Nativitatem ejus exponens factam, mysterium deitatis ejus aperiat. Nec enim dignum erat, ut Unigenitus Dei, non propter se, sed propter homines nascens, more nasceretur humano. Homo enim in carne nascitur, ut corruptioni subjaceat : Christus autem natus est, ut sanet corruptionem. Sicut ergò non est consequens, ut corruptibilis homo nascens ex incorruptibilitate virginitatis nascatur : sic non erat consequens, ut Unigenitus Dei, qui ideò nascebatur ut corruptionem sanaret, nasceretur ex corruptione conjugii. Homo ex necessitate nascitur, ut sit : Christus autem non ex necessitate naturæ, ut esset, sed ex voluntate misericordiæ ut salvaret. Quomodò ergò justum est, ut unum eumdemque habeant nativitatis honorem necessitas et voluntas? Meritò ergò contra naturæ humanæ regulam natus est, quia erat super naturam. Vide autem novam et admirandam Christi Nativitatem, id est, per homines peccatores, per mulieres meretrices, et adulteras, et gentiles. Sed talis generatio non sordidat dignitatem Christi, sed commendat misericordiam ipsius. Sic erat mirabilis, ut qui patres per adoptionem fecit et genuit, à filiis nasceretur. Facti sunt patres ejus, quorum non erat filius. Iste illis beneficium præstitit, ut esset filius eorum. Illi autem nihil isti præstiterunt, ut essent patres ipsius. In [a] hominibus patres filios sibi adoptant, quos ipsi desiderant : hîc autem filius sibi adoptavit patres, quos ipse elegit. Illic filii à patribus suscipiunt generositatis dignitatem, hîc autem patres à filio susceperunt.

2. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, priusquàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quoniam futurum erat ut omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesià, desponsatà Christo, ideò Christus nascitur de virgine desponsatà, ne digniùs nascerentur servi quàm Dominus. Sed ut per omnia filii paternæ Nativitatis perfectum imitarentur exemplum, ideò et Maria desponsata erat fabro lignario, quoniam et Christus, sponsus Ecclesiæ, omnem salutem hominum et omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus. Ideò autem et desponsata et domi habita, ut desponsatio ipsa fidelis esset, et fornicationis opprobrium à matre repelleret, [b] et virginitatis gloriam nascituro Domino reservaret. Si enim, quia in domo sponsi peperit, infideles Judæi dixerunt : *Nonne hic est Jesus filius Joseph?* quantò magis, si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant : Nonne hic est Jesus filius meretricis? Nam quemadmodùm in eà quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis : sic in eà quæ extra domum concipit, est suspecta conceptio. Magis ergò voluit Dominus, ut haberet mater ejus maritalem suspicionem, quàm fornicationis opprobrium pateretur. *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens.* Non dixit : Priusquàm acciperet, sed : *Priusquàm convenirent, inventa est in utero habens*, quia jàm accepta erat in domo. Virginitas enim est incorruptibilitas : [c] incorruptibilitas autem virginitas ipsa sincera.

3. Ideò ergò, antequàm convenirent, conceptus est Christus, ut nec de corruptione incorruptibilitas nasceretur, nec ex passione corporis utriusque templum sibi Dominus fabricaret. Dico autem, non ad desperationem et confusionem nuptorum, sed ad consolationem et gloriam continentium, quoniam hæc ipsa conjunctio maritalis malum est ante Deum [d] : non dico peccatum, sed malum. Nam quantùm ad naturam rei ipsius, peccatum est; concessione autem Dei factum est ut non sit peccatum. Quomodò? Oportebat enim, ut homo corruptibilis nasceretur in mundo, ut posset tentari, ut tentatus coronetur. Si autem incorruptibilis factus fuisset, tentari non poterat. Si verò non tentabatur, nec coronabatur, quia incorruptibilitas tentationem non sentit. Ideò ergò factum est, ut ex passione carnis et sanguinis, et igne fervido in visceribus, succedente humore, homo corruptibilis nasceretur, ut ne de bono malum nascatur, aut ex impassibilitate corruptio, sed ut de malo malum procedat, et ex passione corruptio generetur. Ideò ergò ista conjunctio maritalis cùm esset peccatum, quantùm ad naturam rei ipsius, concessione Dei facta est licentia. Licentia, dico, facta est, non justitia. Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse desiit, tamen justitia esse non meruit [e]. Ideò utentibus se, etsi pœnam non infert, mercedem tamen non præstat : etsi non occidit, tamen non salvat. Undè et Propheta non ad indulgentiam Dei respiciens, sed ad spurcitiam ipsius operis, dicebat : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* [1], id est : Quid mirum si peccavi, qui de peccato sum natus? Secuta est enim generationem suam natura peccati. Nam si matrimonium ipsum placitum esset Deo, numquàm abstinentibus se ab illo gloriosa promitteretur corona, nec sic amarentur à Deo, qui odiunt illud. Non enim ille remuneratur qui bonum fugit, sed qui malum. Vis au-

[a] *Aliàs*, in omnibus. — [b] *Aliàs*, ut virginitatis gratiam. — [c] *Aliàs*, incorruptibilitas autem veritas ipsa. *Et paulò post*, antequàm convenirent, natus est Christus. — [d] Legendus est cautè hic Numerus. Nuptiæ enim non sunt malæ, imò bonæ; sed melior virginitas, aut continentia. Vide locum hunc pulchrè expositum ac vindicatum apud Wastelium, Lib. 2 Vindiciarum, art. 7.

[e] *Aliàs*, incipit.

[1] *Psalm.* L., 7.

tem scire quomodò licitum est matrimonium, quomodò aliquandò licuit et sorores habere uxores, quomodò habuerunt Caïn et Abel? Hæc nomina filiarum Adam [a], quas in initio habuit post Caïn et Abel, Rifan et Edoclam, et non peccaverunt, quia peccatum illud raritas hominum et necessitas excusabant. Posteà, crescente numero hominum, ipsum malum reversum est in naturam suam, et cœpit esse peccatum. Remansit autem in usu, ut uni viro liceat habere plures uxores. Amplificato posteà mundo, etiam hoc malum recepit naturam suam, et cœpit esse peccatum. Remansit autem in usu, ut unus unam haberet uxorem. Nunc autem postquàm venit plenitudo temporis, et senuit mundus, scimus quale est consilium Dei, et quid vult, et quid est placitum coràm illo. Sed ausi non sumus dicere propter homines incontinentes, in quorum corpore anima nihil agit, sed in toto illos possidet sanguis et sordidissimus ille vapor, de illo insano igne procedens. Denique [b] commendavit Angelus Tobiæ in nuptiis ejus, ut, [c] cùm veniret ad illam consuetudinem humanam, surgeret priùs, et oraret, et sic diceret : *Domine, tu scis quia non propter libidinem accepi uxorem, sed propter liberos procreandos* [1] *:* quia, si aliter oràsset, oratio ejus Deo non fuerat placitura. Vides ergò quia turpissimum opus illud carnis filiorum causa excusat. Nunc autem multiplicato sæculo, creandorum hominum occasio est exstincta. Jàm Deum non multitudo hominum, sed charitas sanctorum delectat. Ecce una est libido, quæ fornicationem generat, et quæ maritalem usum ministrat. Sed sicut posuit mari terminos littora, dicens : *Usquè hùc venies, et hìc te* [d] *constringes* [2] *:* sic libidini carnali terminum posuit conjugium, ut usquè illuc veniens, illic se constringat. Sicut ergò mare, si littora sua supergressum fuerit, peccat : ità et homo, si transgressus fuerit licentiam maritalem. Si ergò una est libido in maritis et in adulteris, quomodò potest fieri ut una eademque res pro dimidià quidem parte sit justitia, pro dimidià autem sit peccatum? Aut enim tota est peccatum, aut tota justitia, quia una est res. Verum est autem quia libido justitia non est, ergò tota peccatum est. Sed peccati illius pœna non imputatur, donec iste odibilis et corruptibilis transeat mundus. Ideò ergò Dominus conceptus est, priusquàm convenirent, ut non ex passione carnis et sanguinis nasceretur, qui ideò venit, ut carnis et sanguinis solveret passionem, et mutaret in spiritum.

[1] *Tob.* VIII, 9. — [2] *Job* XXXVIII, 11.

[a] Ex apocryphà historià desumptum : puto ex parvà Genesi quam vocant. — [b] *Aliàs*, cùm mandaret. — [c] *Aliàs*, antequàm. — [d] *Meliùs*, confringes.

4. Cui *inventa est in utero habens de Spiritu sancto?* Sine dubio à sponso suo Joseph, qui zeloso amore semper se admonente, vitam circumspiciebat Mariæ. Nam, sicut historia quædam non incredibilis neque irrationabilis [a] docet, quandò gesta sunt quæ refert Lucas, Joseph absens erat : nec enim conveniens est putare, præsente Joseph, introïsse Angelum ad Mariam, et dixisse quæ dixit, et Mariam respondisse quæcumque respondit. Si concedamus Angelum potuisse intrare ad eam et loqui, planè confestim Mariam abîsse in montana cum festinatione, et introïsse domum Zachariæ, et salutàsse Elisabeth, et mansisse cum eà mensibus tribus, possibile non fuit præsente Joseph, quia necesse erat ut absentationis ejus et mansionis diutinæ requireret causas. Postquàm autem rediit peregrè post tot menses, et invenit eam gravidam manifestè, forsitan ei comminatus est, quasi sponsus, et de judicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus. Illa autem cùm videret se innocenter in suspicionem criminis decidisse, nec posse se jàm excusare, testimonio ventris convictam, cum lacrymis et suspirio clamans juravit dicens : Vivit Dominus, nescio undè sit hoc [b]. Quo audito, timuit valdè Joseph, et ex parte credidit in eà aliquid esse divinum. Nec enim timuisset, nisi ex parte aliquatenùs credidisset. Ad hæc autem fidem verborum ejus commendabat conversatio ejus sancta. Forsitan autem, cùm esset justus, cœpit sibi cogitare de illà : Comessatrix aut vinolenta numquàm fuit : quoniam omnis mulier quæ vinolenta est et comessatrix, etiam meretrix est. Nam sive in cibis, sive in libidinibus delectatio carnis est, quæ præcipitat hominem. Mulier quoque, quæ suavitatibus gulæ suæ non contradicit, multò magis neque libidini suæ resistere acquiescit, sicut etiam Apostolus dicit : *Quoniam vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est* [1]. Non levis, non jocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerùmque puellæ, quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt. Si quidem impudentiores sunt, libenter loquuntur : si autem verecundiores, etsi loqui talia erubescunt, tamen delectantur audire. Non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectum. Hæc enim sunt documenta mulieris meretricis, sicut ait Salomon : *Fornicatio mulieris in extollentià oculorum ejus* [2]. Hæc et alia similia tractans, nihil horum inveniebat in eà : sed ex diverso omnia laudabilia, omnia admiranda, quæ sine Spiritu sancto possibile non erat esse in naturà humanà.

[1] I *Tim.* V, 6. — [2] *Eccli.* XXVI, 12.

[a] Historia hæc Jacobi est ἀδελφοθέου, ubi illa Josephi absentia habetur. Nec est alius Liber de ortu S. Mariæ cujus meminit Epiphanius. — [b] Verba sunt Apocryphi.

5. Omnibus igitur documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi et argui solet, deficientibus, sola apud eam remanebat suspicio gratiæ Dei. Propter hæc omnia æstimavit eam habere in utero de Spiritu sancto. Nam nulla res sic castitatem mulieris viro commendat, sicut vita ejus disciplinata. Ubi enim timor Dei est, ibi et castitas est : ubi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Caro enim urget, securitas mulieris adjuvat carnem : si timor Dei non fuerit qui resistat, quis eam teneat indagatam? O inæstimabilis laus Mariæ! Magis credebat castitati ejus quàm utero ejus, et plùs gratiæ quàm naturæ. Conceptionem manifestè videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare. Et quod majus est videre, ut sponsus de sponsà suà haberet, sic habuit Joseph apud se. Frequenter enim viri, etiam si leviter viderint mulieres suas aspicientes in alterum, mox excitantur in zelum, et quod non est illud suspicantur, quia ex magno amore nascitur zelus [a]. Hic autem et maritalem zelum et uteri clamantis accusationem, sola præteritæ conversationis documenta vincebant.

6. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Cogitabat enim forsitan apud se : Si peccatum ejus celavero, facio contra legem Dei : et si propalavero filiis Israël, lapidabunt eam. Timeo enim ne hoc quod est in utero ejus, divinitùs sit. Numquid non Sara nonaginta annorum concepit et peperit? Si illam quasi lignum jàm siccum fecit florere, quid, si divinitas partum isti voluit sine viro donare? Numquid ad virum pertinet ipsa conceptio mulieris? Nam si conceptio mulieris pertinet semper ad virum, sine dubio quandò vult vir, tunc conciperet et mulier : nunc autem non quandò vult vir, tunc concipit mulier, sed quandò vult Deus. Si ergò conceptio mulieris non in viro posita est, sed in Deo, quid magnum, si voluit isti fructum sine viro præstare? Quid ergò faciam? Dimittam eam occultè, quia in re incertà meliùs est, ut meretrix constituta evadat, quàm ut innocens moriatur. Justius enim est injustum injustè evadere, quàm justum injustè perire, quia, etsi reus semel evaserit, iterùm potest perire, innocens autem si semel perierit, jàm non potest revocari. Expedit ergò ut dimissa opprobrium patiatur, quàm tradita morti moriatur. Hæc autem talia cogitare et agere velle, est hominis valdè justi.

7. *Hæc eo cogitante, apparuit ei Angelus in somnis, dicens.* Quoniam ergò auditio verborum Mariæ, et consideratio vitæ ejus, mala suspicari de eà non sinebat Joseph, consideratio autem conceptionis ejus non permittebat eum ad plenum bonà æstimare de eà, et sic animus ejus inter utrasque partes fluctuabat, et tenere eam timebat, et tradere eam non audebat, propter hoc necessaria fuit ei revelatio illa divina. Si enim ipsa Maria, quæ Angelum viderat et audierat sibi loquentem tàm de suà conceptione quàm de Elisabeth, ascendit in montana, ut videret Elisabeth, et ipso confirmaretur aspectu [b], quantò magis Joseph, post verbà conceptionis Mariæ, post considerationem vitæ ejus, adhuc nutabundus necessariam habuit revelationem divinam? Propter tres ergò causas apparuit ei. Primùm, ne justus homo, ignorans faceret rem injustam ex proposito justo : deindè, propter honorem matris ipsius ; nam si dimissa fuisset, etsi non apud fideles, tamen apud infideles turpi suspicione carere non poterat : tertiò, ut intelligens Joseph sanctam conceptionem, diligentiùs se in futurum custodiret ab illà quàm priùs. Priùs enim servavit se propter disciplinam justitiæ, posteà autem et propter timorem partûs hujusmodi. Quarè non ante conceptionem Virginis venit ad Joseph? Ut nec cogitaret quæ cogitavit, nec pateretur quæ passus est Zacharias, qui culpam infidelitatis incurrit de conceptione conjugis tàm longævæ [1] : incredibilior enim erat res virginem posse concipere quàm anum. Si ille, sacerdos constitutus, rem faciliorem fore non credidit, quantò magis iste popularis rem difficiliorem fieri non credidisset? Si ipsa Maria, Angelo sibi dicente de conceptione suà, penè non credebat propter virginitatem suam, dicens : *Quomodò fiet hoc, quoniam virum non cognosco* [2]? quomodò Joseph fuerat crediturus [c] referenti de alterà quòd sine viro conciperet?

8. *Joseph, fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam, quoniam quod nascetur ex eà, de Spiritu sancto est.* Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine ejus Christus nasceretur. Dicens autem : *Ne timeas*, cognitorem se cordis ejus ostendere voluit, ut per hæc futurorum bonorum, quæ de Christo erat dicturus, faceret fidem, quia *quod nascetur de eà, de Spiritu sancto est.* Spiritum sanctum, ipsum dicit unigenitum Deum [d], sicut ipse de se testatur in Evangelio : *Quia Spiritus est*, inquit, *qui vivificat : caro autem nihil prodest* [3]. Et Joannes ait :

[1] *Luc.* 18 et 20. — [2] *Id.* I, 34. — [3] *Joan.* VI, 64.

[a] Vide Notam *a*, p. 71.

[b] Lege cum judicio : vide autem castigatoria in Ambrosio.

[c] Alii dicunt eum non dubitàsse de re, sed de modo quæsivisse.

[d] Spiritus sanctus dicitur ab Auctore ipse Filius, non tamen Spiritus Paracletus, et quem Spiritum sanctum communiùs dicimus. Locus hic adeò displicuit Wastelio, ut expungendum duxerit, reipsaque expunxerit', tamquàm Trinitatis my-

Dominus Spiritus est[1]. Non enim Spiritus advocatus ingressus est in Mariam, ut suscipiens corpus nascatur in mundum, sed ut sanctificaret Virginis vas. Dicens autem : *Quod nascetur ex eâ, de Spiritu sancto est*, hoc dicere vult, quia de semine viri alicujus non fuerat nasciturus, sicut æstimans metuebat Joseph, sed de Spiritu sancto. Sicut enim secundum præceptum Raphaelis Angeli ad Tobiam[2], viro et uxore more solito venturis ad coitum, oratio præcedere debet, ut quod concipitur, in sanctificatione concipiatur : sic unigenito Deo Virginem ingressuro, Spiritus sanctus præcessit, ut, præcedente Spiritu sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, divinitate ingrediente pro semine.

9. *Et pariet filium, vocabisque nomen ejus Jesum.* Non dixit : Pariet tibi filium, sicut ad Zachariam : *Ecce Elisabeth, uxor tua, concipiet et pariet tibi filium*[3] : quia mulier quæ ex viro concipit, marito suo filium parit, quia magis ex illo est quàm de ipsâ : hæc autem quæ non de viro conceperat, non filium illi peperit, sed sibi tantummodò. Vide quomodò similitudinem ipsius rei per omnia sequitur, quæ facta est in Adam. Sicut enim tunc mulier gustans de ligno, sola seducta est, et peperit mortem ; Adam autem non fuit particeps in seductione illius ; non enim à diabolo seductus peccavit, sed quia consensit mulieri : sic et modò accipiens Maria de Spiritu sancto, sola credidit, dicens : *Ecce jàm nunc beatam me dicent omnes generationes*[4]. Joseph autem tunc in fide conceptionis illius nihil habuit commune, sed posteà tacendo et consentiendo tantùm salvatus est. Ideò et in somniis adstitit ei, non palàm, ut quemadmodùm, dormiente Adam, creavit mulierem, sic et isti dormienti divinitùs consignaret uxorem. Ipse autem Evangelista interpretatur quid intelligitur Jesus hebraicà voce, dicens : *Ipse salvabit populum suum à peccatis eorum.* Si ergò medicus, qui nullam potestatem habet salutis humanæ, propter solam confectionem herbarum non erubescit medici sibi nomen imponere, quantò digniùs iste vocatus est Salvator, per quem totus salvatus est mundus!

THEODOTUS, EPISCOPUS ANCYRANUS[a].

[a] NUM. 1. Festus Christi dies Natalis parens est omnium Festivitatum. — 2. Reprehenditur Nestorius, qui ex eo naufragium in fide fecit, quòd mysterium Incarnationis non intellexit. — 3. Christus ex desponsatâ Virgine nasci voluit, quia suspecta Virgo futura erat, nisi Joseph, qui desponderat, custodem habuisset. — 4. Secunda ratio propter quam Christus ex desponsatâ nasci voluit, nempè ut ejus Nativitas diabolo celaretur, qui virginitati insidiabatur. — 5. Prior Adam à Patre formatur, et novissimus, id est Christus, à Spiritu sancto, ut æqualis Spiritûs sancti ac Patris virtus significetur. — 6. Incarnationis inventum mirabile. — 7. Joseph Mariam habet suspectam; sed Angelus eum docet quid res habeat, veniam ignorantiæ præbens; et tunc ipse mysterio huic minister lubens accedit. — 8. Signum magnum et ineffabile à Deo Judæis promissum est partus Virginis, ipsis quidem Judæis scandalum, fidelibus verò salus. — 9. Paulus ex muliere cur factum Christum dicat?

1. Hodierna solennitas parens est omnium solennitatum. Ex hàc namque festivà die festivitatum circulus omnis exoritur. Sive enim Martyrum memoriam colimus, is hodiè natus est, cui illi testes exstiterunt, istud festivitatibus illis præbens initium. Sive Christi passiones celebramus, ex quibus medelam nobis adsciscimus, hodiè qui eas perpessus est, in hunc mundum homo factus advenit;

[1] *Joan.* IV, 24. — [2] *Tob.* VI, 18. — [3] *Luc.* I, 13. — [4] *Id.* I, 48.

sterio contrarium, ac à Sabelliano aliquo aut Macedoniano insertum. Nihil ego tale invenio ; imò miror Auctorem ex eo pati calumniam, quo clarè distinctio Filii et Spiritûs sancti expressa habeatur. Apertè enim, *Spiritum advocatum*, Παράκλητον (quam vocem ubi de tertiâ Personâ in Evangeliis est sermo, retinuit Vulgata,) negat ingressum Mariæ uterum ut corpus susciperet; Spiritum verò sanctum, quem Filium exponit dictum à Matthæo, ipsum verè sumpsisse corpus : ergò illi palàm alius est qui est incarnatus Filius, et alius qui non est incarnatus Spiritus Paracletus, tametsi ipse etiam Filius dictus sit Spiritus sanctus. Sic passim Græci Dei Filium aiunt sibi in sanctæ Virginis utero ὑποστῆσαι σῶμα, velut *condidisse*, ac condendo suum fecisse, sicque ferè omnes explicant Incarnationem : Latini verò Spiritui sancto ac Paracleto Christi corporis formationem appropriare solent. Nihil ergò hîc suspectum, nisi quantùm obscurior Interpres tenebrarum aliquid offudit : utinam nec in aliis, ac quibus videatur apertiùs Ario et Eunomio patrocinari! Quorum hæresis extremè adversatur hæresi Sabellianæ.

[a] Ex Bibliothecâ veterum Patrum antiquorumque Scriptorum quæ prodiit Venetiis, an. 1765-81, curâ Andreæ Gallandii, presbyteri Congregationis Oratorii, ubi inscribitur : « Oratio in Domini nostri Jesu Christi diem Natalem. » Porrò duo primi Numeri hujus Homiliæ pertinent tantùm ad hunc diem Christi Natalem : reliqua pars, et quidem major, Evangelium Vigiliæ Nativitatis ejus exponit; ideòque Homiliam totam ponimus in hàc Vigiliâ Nativitatis Domini.

ut earum nobis efficeretur socius. Erat quidem et ante partum Deus, et apud nos erat, sed non nobis conspicuus. Nobiscum erat, sed nos eum non videbamus. *In mundo* enim, inquit, *erat, et mundus eum non cognovit* [1]. Quamobrem erat quidem apud nos, at non videbatur à nobis : post partum autem adest is ipse ut semper erat, nosque eum videmus. Idcircò ejus Adventum manifestationem dicimus. Nam nobis quoque tunc aderat, cùm eum videre minimè poteramus. Iis qui ignorabant tunc advenit, cùm illis est cognitus. Bellè sanè. Priùs quidem suâ præsens naturâ erat; mihi tamen, ut videretur, præsens non erat. Nunc autem cùm à nobis visus est, etiam nobis advenit, qui et priùs nobiscum erat. Quia enim ejus ignoratione tenemur, qui minimè nobis conspicuus exsistit, ut ipsum quis sit assequi non valeamus, fit homo qui per naturam mansit invisibilis. Atque is qui est semper, partu hodiè editur, ut tu esse eum cognoscas, non ut ille in rerum productus naturam esse incipiat. Sive ergò Martyrum memoriam colimus, hodierna solennitas ejusmodi parens est solennitatum. Sive ejus celebramus passiones qui nostrî causâ pati dignatus est, qui voluit pati, hodiè in mundum venit, hodiernamque festivitatem passionibus antiquiorem facit. Sive vivificam ejus mortem recolimus, nunc advenit qui se pro nobis in mortem erat traditurus. Sive denique magnam resurrectionis ejus festivitatem agimus, quam nobis is præbuit, seipsum primitias efficiens eorum qui sunt resurrecturi (in se namque universum suscitavit humanum genus, communem universi illius suscitandi promissionem faciens), hodierna festivitas illâ etiam exsistit antiquior. Etenim triduanus è sepulchro surrexit Salvator, non suum dumtaxat sepulchrum aperiens, sed et multorum sepulchra sanctorum reserans [2]. Cum suo enim etiam sanctorum sepulchra aperuit, resurrectionem suam arrhabonem ac pignus præbens communis resurrectionis. Resurgens è sepulchro sepulchra aperuit; natusque è vulvâ vulvam non aperuit. Ex morte enim ac terræ sinu emergens monumenta aperit; nascens verò ex Virgine uterum non aperuit; sed et nascitur, et Virginis sinum clausum relinquit. Quamobrem, quæso? Video enim et te ejus sciendi desiderio teneri. Nùm hæc causa ritè dicatur ob quam monumenta aperiuntur, vulva virginalis aperta non fuit? Quòd nimirùm ejus resurrectio universorum resurrectionis causa exstitit, partus verò miraculum ejus solùm qui illo editus est fuerit, non ut quisquam alius tali modo nativitatis in rerum naturam edendus sit. Solus enim cùm esset ac præsens esset, natus est; nos autem post partum in hunc mundum advenimus : ac nos quidem tùm primùm sumus, cùm partu effundimur; ipse verò cùm natus est, tùm primùm oculis conspicuus fuit. Quia ergò resurrectio communis erat, partus verò ejus exstitit singularis, universis aperiuntur sepulchra, uterus autem non aperitur, soli Christo servans mirabilem illum pariendi modum. Idcircò Virgo mansit virgo, tametsi verè matris nomen obtinuit. Mater namque effecta est lactentem pariens puerum; mansit nihilominùs virgo, Verbum edens carnem factum. Eum itaque qui natus est, et hominem Virgo ostendit et Verbum : hominem ostendit effecta mater; sed et Verbum eumdem prodidit, virgo perseverans, quod et priùs fuit. Neque enim illud amisit, hocque assumpsit. Mansit ergò virgo, quod erat; ac mater effecta est, quod non erat : quippè quæ eum erat paritura, qui homo factus, Deus perseveravit.

2. Ne jam ergò quæstionum nodos Dei necte miraculis, neque admirandam dispensationem dubitatiunculis fatiga, quas tu secutus in fide naufragasti. Ratiunculis enim teipsum credens, velutque navem tutissimam fidem relinquens, ac tuis quæstionibus Dei signorum pelagus trajicere cupiens, necessariò naufragium facis, qui et quod tutum erat reliqueris, nec pelagus quantùm est superare possis. Ex me quæris quomodò Deus permansit? Vicissim et ego quæro quomodò mansit virgo quod erat virgo, et mater exstitit? Hæc vides : illa credis. Quod enim oculis conspicuum est, ejus est probatio quod conspicuum non exsistit. Verùm ad Evangelicum sermonem animum reducamus, quo indè petitis narrationibus jucundè vos excipiamus.

3. *Jesu Christi*, inquit, *generatio sic erat*. Hæc ait Matthæus Evangelista, qui et Christum Deum sciat sæculis anteriorem, et ejus nunc narret generationem. Hæc ergò, ait, nosce : eum me sermone describere qui et semper est, et factus est. Ejus, inquit, generationem narro, qui est semper : ejus partum, qui Patri coæternus exsistit. Generationem dico, non quâ ratione erat, sed quâ postmodùm exstitit. Meam itaque tibi dico generationem, quam Conditor meus amplexus est. *Cùm enim esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Quorsùm verò ex Virgine nasciturus Dominus, non ex eâ quæ non desponsata, sed quæ viro desponsata esset, nascatur, operæ pretium noscamus. Plures enim hæc nobis objiciunt, qui sapientis ejus consilii utilitatem oppidò cognoscere velint. Quidni ex virgine non desponsatâ natus est? Quidni omnis exsors suspicionis mansit virginitas, quæ Domino nascituro ministratura erat? Secùs planè se res habet : suspecta nam-

[1] *Joan.* I, 10. — [2] *Matth.* XXVII, 52.

que Virgo futura erat, nisi Joseph, qui desponderat, custodem habuisset. Verùm sponsam eam justus accipit, ut virginitatis custos exsistat, ac partûs testis. Quamobrem etiam custos in ejus veniens suspicionem, quamquàm putaverat benè custodisse sibi desponsatam, *voluit occultè dimittere eam.* Enimverò testis ipse Virginis efficitur, qui sapienti consilio disponit miraculum. *Ait* enim *in somnis Joseph : Noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eà natum est, de Spiritu sancto est.* Nulla tibi fraus contigit custodienti Virginem : partûs enim mysterium de Spiritu sancto exsistit. Non adulterium est quod ità gestum est, sed adulterii sublatio. Virgo, virgo est. Deus Verbum est qui in illà gestatur : qui et si nasciturus est, siquidem est factus caro, nihil tamen sponsæ tuæ virginitatem lædet. Custos ergò Joseph effectus est Mariæ, ac ejus virginitatis testis omni major exceptione. Idcircò igitur ex desponsatà virgine nascitur Dominus, sponsum testem virginitatis faciens.

4. Porrò cùm mysterium mysticè ac arcanà ratione fieri oporteat, oportuit Incarnationis miraculum novà quàdam ac insolità exhiberi ratione. Debuit gratia hominibus ea salutem consecuturis fieri manifesta, eademque diabolo, hominum semper bonis insidianti, reddi obscura. Erat quidem Mariæ virginitas, iis qui vellent quod res haberet considerare, perspicua; desponsatio autem diabolum deceperat, tamquàm corporis exstitisset commixtio, ac necdùm Emmanuel natus esset, quem Isaias Propheta ex Virgine nasciturum annuntiaverat, in hæc verba loquens : *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod interpreteris : Nobiscum Deus*[1]. Quòd audisset diabolus communem gratiam ex Virgine nascituram, insidiabatur virginitati, nusquàm eam consistere sinens. Nec sanè apud Judæos virgo ulla erat, nec Ethnici rem honori habebant, contendente dæmone ut hanc apud homines virtutem exstingueret. Quia ergò virginitas insidiis à dæmone appetebatur, cùm et ille tùm virtutem odio prosequeretur, tùm etiam munus humano generi salutare timeret, desponsat Mariam Joseph, ac matrimonii exhibetur species, ut Virgo, inscio diabolo, virgo perseveret, virginitatem divinæ ordinationi servans, fiatque Virgo ex se nascituri Domini organum, desponsationis illo colore dæmonis insidias latens. Idcircò igitur Joseph in sponsam accepit.

5. Verùm *ait Angelus Joseph*: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eà natum est, de Spiritu sancto est.* Hìc sancti Spiritûs dignitas ostenditur, ejusque creatrix potestas palàm evincitur. Creator quippè fetûs Spiritus sanctus Angeli sermone significatur, exque eo factus puer ab Angelo proditur. Quî verò, ac quà ratione? Quia enim Christus factus est secundus Adam, emendante Deo prioris transgressionem (vocatur enim Christus novissimus Adam, sic Apostolo eum appellante : *Factus est* enim, inquit, *primus Adam in animam viventem; novissimus Adam in Spiritum vivificantem*[2]. Nec dicit secundus Adam, quamquàm non ignorabat secundum ex adverso prioris distingui : sed *novissimum* eum dicit Adam, ne tertium quartumve alium speraveris) ; erat ergò Dominus novissimus Adam, quòdque prior à Patre formatus sit, novissimus à Spiritu sancto formatur, quò æqualem Spiritûs sancti ac Patris virtutem significet. Neque tamen primus sine Spiritu aut Unigenito non cooperante conditus est, vel à solo Patre creatus : sancta enim Trinitas erat quæ condebat hominem, eòque etiam dicebat Pater : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[3], Unigenito suo sanctoque Spiritu adjutore ac consultore utens, hoc est, ipse secum cum suà sapientià ac vi sanctificante colloquium habens. *Christus* quidem, *Dei virtus est*, *et Dei sapientia*[4]; Spiritus autem sanctus sanctificans Conditoris vis exsistit. Non ergò alius cum alio consilium habitum est, sed ipse suam sapientiam consilii sociam ac adjutricem accepit, vimque illam sanctificantem ad creationis opus assumpsit, cujus illuc munus ut creata servet, eisque sanctitatem impertiat.

6. *Jesu Christi* ergò *generatio sic erat. Cùm* enim *esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Neque dixit : Accepisse in utero : non enim ex virili semine erat, quod illo gestabatur ; sed : *Inventa est in utero habens.* Planè siquidem erat qui factus est, salutare dispensationis inventum. Ait namque : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Inventus est iis qui fide receperunt Incarnationis miraculum. Inventus est salutem consecuturis fidelibus, ac iis qui in eo quod erat conspicuum, non offenderunt. Inventus est non ex homine exsistendi sumpto principio, sed novà quàdam ac insolità ratione ex Spiritu sancto editus. Fuerat sanè ex virgine aratrum non expertà terrà primus Adam formatus; exque vulvà virgine formatur novissimus, quò hàc quoque parte Dominus Adam effectus fidelibus, Adæ lapsus emendet.

7. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Solvit paululùm memoriam mysterii novitas. Non enim Joseph miraculi reputavit magnitudinem. Non pro eo ac decebat consideravit quod etiam naturam superabat et rationem, sed suspectam

[1] *Isai.* VI . — [2] I *Cor.* XV, 45. — [3] *Gen.* I, 26. — [4] I *Cor.* I, 24.

habebat Virginem, clàm se virginitatis jacturam passam eam existimans. Existimabat solutam virginitatem, mirabilem fetum in utero videns. Incautam suspicabatur virginitatis jacturam, admirandam œconomiam. Nescivit Joseph quod novum factum erat, et voluit occultè dimittere Virginem, morem veteri legi gerens. Verùm corrigit Angelus quod ità suspicabatur, ei qui deceptus esset ignoscens. Suspicioni dat veniam. Non enim ejusmodi erat mysterium, ut humanis illud rationibus assequi posset. Quamobrem non increpat Joseph ut qui calumniam struat, sed docet quid res habeat, veniam ignorantiæ præbens. Ait namque illi: *Joseph, fili David.* Etiam nobilitatem honorans commemorat, suspicionem curans. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Cognito ergò Joseph mysterio, citòque fidem Angelo habens, factum ex Virgine Emmanuelem certò conjiciens, ac Legislatorem sequestrâ Virgine adesse intelligens, legem reliquit, nec desponsationis necessitudinem solvit, qui et ipse mysterio huic minister lubens accederet. Accipit itaque Virginem, non jàm ut conjugem, sed ut Arcam; non legem, sed ipsum Legislatorem ferentem. Habebat igitur Joseph Virginem mysterio serviens, servansque virginitatem. Cognovit quæ priùs Prophetæ locuti erant. Intellexit Prophetarum sermones; quippè justus erat, eosque sermones meditari usu didicerat.

8. Verùm videamus et prophetiam, ut mirandum hunc signaret partum. In medium Prophetam adducamus, Dei explicantem partum, salute humanum genus donaturum. Altiùs itaque propheticum sermonem repetamus, ac vobis prophetiam ex abundanti explicemus. [a] Ait ergo Isaias Propheta: *Dixit Dominus ad Achaz: Pete tibi signum à Deo tuo in excelsum, sive in profundum* [1]. Pete, inquit, à Deo miraculum ac signum, quod ostendat universorum ipsum esse opificem. Quære miraculum, ut Creatoris potentiam noveris. Pete rem novam et insolitam, quæ de Deo doceat virtutem, servumque te fidelem Dei efficiat. Quid ergò, fidelis Achaz? Mihi, inquit, fides sufficit. Ad eam minimè requiro probationem, quæ in rerum exhibitione consistit. Filius sum Abrahæ qui fide justificatus est, nec miracula requisivit. Non indiguit Abraham miraculorum probatione, ut Deum doceretur. Non opus habuit prodigiis, quibus illi universorum opifex declararetur. Mihi ergò, inquit, satis est paterna hæreditas. Fidelis esse volo filius fidelis Abrahæ. Majorum fidem suscipio, non curiosiùs inquiro. *Non petam*, inquit, *et non tentabo Dominum* [2]. Non jam divinæ virtutis experimentum capiam. Docet me fides, quanta Deus valeat. Hæc quidem rex Achaz. Quia verò Davidis cognatio ad Judæos deducta quotidiè signa et miracula atque portenta à Deo flagitabat, miraculorumque probationes ad Dei præstandam cognitionem, ait Propheta domui David quæ rex dixerat. *Audite*, inquit, *nunc, domus David*, quid dicat Achaz, non quærere se signum ut fidem Deo habeat: vos autem Domino certamina movetis, miraculorum ex eo exigentes probationes, velutque in stadium ac certamen Deum trahitis, potentiæ opera exquirentes, neque credentes, nisi videritis signa: quod et Dominus de Judæis ait: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* [3]. Hoc significavit Isaias, Davidis familiam increpans. Ait namque: *Audite nunc, domus David: Numquid parum vobis est certamen præbere hominibus, et quomodò Domino præbetis certamen* [4]? Judæorum improbitatem arguit, eorumque dementiam qui miracula peterent ad fidem veritati præstandam. Quia verò vos, inquit, stadia ac certamina quotidiè Deo prætenditis, miracula exquirentes, *dabit Dominus ipse vobis signum.* Hoc dicto, subjungit dicens: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* [5]. Hoc dabit signum, cui mundus quidem credet, solique omninò Judæi negabunt fidem: quod Gentes recipient, repudiabitque genus Israel. Dabit signum Gentibus quidem salutare, at quod Judæis incredulis causa erit ut dispergantur. Dabit signum quod ii quærant qui pereunt, quodque credant qui salvi fiunt. Quod sanè et magnus Paulus de cruce ait: *Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est* [6]. Hoc nos quoque dicemus, novum illum exponentes partum. Virginis enim prædicamus partum, Judæis quidem scandalum, fidelibus verò salutem. Dabit igitur vobis Dominus, ait Propheta, ejusmodi signum, quod Gentibus quidem salutem importet, Judæis autem creet scandalum. Vides fuisse partum signi exhibitionem? Ex his ergò disce Judæorum reprehensionem qui prophetiam depravent. Vide veram prophetiam cavillantes. Postquàm enim manifestum factum est Christi mysterium (significabat enim partum virginalem ducentem nos ad Deum; Emmanuel namque, is qui utero gestatur ac partu editur, interpretatione valet: *Nobiscum Deus*), ab hoc Judæi sensu prophetiam detorquentes, atque à Christi adventu sermonem abstrahentes, non audiunt: *Ecce Virgo in utero habebit*, sed: Ecce juvencula in utero habebit, prophetiam adulterantes ut Christi testimonium obscurent. Nam alii quidem dicunt: Ecce juvencula

[1] *Isai.* VII, 11. — [2] *Ibid.* 12. — [3] *Joan.* IV, 48. — [4] *Isai.* VII, 13. — [5] *Ibid.* 14. — [6] I *Cor.* I, 18.

[a] Confer, si vis, hanc explicationem cum præcedentibus p. 27-28 et p. 37-39.

in utero habebit; alii: Ecce adolescentula, Christi partum volentes separare à prophetiâ. Verùm ait Propheta: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus.* Tu verò id quoque in prophetiâ considera. *Ecce*, inquit Propheta, futurum quid annuntians. *Ecce*, inquit, ut videns quod posteà erat futurum. Tale quid enim est propheticus oculus, id quod est futurum videns ac si in præsentiâ gereretur. Sic videns, sic loquitur: *Ecce*, pro eo ac est: Ego video quod vos hodiè auditis: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Non vocabit Joseph, autve mater: non sic vocabunt qui ejus fratres videbantur: nam et illi offendebantur [1]; sed vocabunt Gentiles, qui nimirùm fide Judæos prævenient. Vocabunt ii qui cùm longissimè abessent, prope gratiam venerunt, ad quos etiam Paulus aiebat: *Vos, qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi* [2]. Vocabunt ergò isti infantem Emmanuel priores Judæis, ac eum qui natus est Deum nobiscum cognoscent.

9. Hæc quidem Propheta ait, non ità Paulus, sed ait: *Misit* enim, inquit, *Filium suum, factum ex muliere* [3]. Quid ais, Paule? Propheta ex Virgine dicit, tuque ex muliere partum esse prædicas? Planè, inquit: benedictionem communem reddo, totius eam esse volens feminei sexûs. Non dico ex Virgine, ne benedictionem intra solas virgines restringam. Dico ex muliere, ex sexu universo gratiam esse declarans, quo sexus omnis femineus benedictionem decerpat, exque illis in viros gratia transeat: ut ex quâ prævaricatio accidit, ex ipsâ proveniat etiam gratia, humano generi regnum cœlorum præstans: quod utinam nos omnes consequamur gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. VII, 5. — [2] Ephes. II, 13. — [3] Gal. IV, 4.

✠ THEOPHILACTUS, ARCHIEPISC. ACRIDIS IN BULGARIA [a].

NUM. 1. Maria desponsata fuit ut curatorem haberet, et ut partus lateret diabolum. — 2. Joseph justus lege se superiorem ostendit, ex eo quòd vult clàm dimittere Mariam. — 3. Angelus apparet in somnis Joseph, quòd in fide multùm esset firmus. In memoriam reducit quòd Christus futurus esset ex semine David. — 4. Maria peperit Filium toti orbi. — Jesus non solùm salvabit populum Judaicum, sed et Gentilem.

1. *Jesu verò Christi Nativitas erat. Nam ut desponsata est mater ejus Maria Josepho.* Quarè Deus permisit ut ipsa desponsaretur, et omninò suspicionem daret hominibus, quasi cognosceret eam Joseph? Ut haberet in adversis curatorem; nam hic in fugâ in Ægyptum curam ejus habuit, et servavit eam. Est et alia causa: ut lateret diabolum, propterea desponsata est. Diabolus enim cùm audisset quòd Virgo uterum gereret, observavit virgines: ut igitur deceptor decipiatur, desponsat semper virginem Mariam: et figura quidem fit conjugii, non autem res ipsa. *Priusquàm convenirent ipsi, inventa est uterum gerens ex Spiritu sancto.* Convenire hìc significat congressum. Priusquàm enim congrederentur, concepit. Undè et Evangelista obstupescit, et clamat: *Inventa est*, quasi de re quâdam admirabili dicens.

2. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit clàm dimittere eam.* Quomodò erat justus Joseph, cùm lex præceperit adulteram traducere, hoc est, denuntiare et punire, ipse autem adumbraturus peccatum, et prævaricaturus legem, eam dimittere voluerit? Solvitur autem hoc, primùm quidem, quòd propter hoc ipsum justus erat: nolebat enim crudelis esse; sed præ multâ benignitate, misericordiâ eam prosequebatur, ostendens se superiorem lege, et jàm super legalia mandata viventem. Deindè quia et ipse cognovit de Spiritu sancto eam concepisse, propterea noluit traducere et affligere eam quæ de Spiritu sancto, non ex adultero, conceperat. Vide enim quid dicat, quoniam *inventa est in utero habens.* A quo inventa est? A viro; hoc est, innotuit quòd ex Spiritu sancto concepit. Undè clàm voluit eam dimittere, quasi non auderet habere uxorem quæ tantam habebat gratiam.

3. *Hæc autem ipso cogitante, ecce Angelus Domini in somno apparuit ei, dicens.* Cùm angeretur justus, Angelus ei adstitit, docens eum quid faciendum esset. In somno autem apparet ei, quòd in fide multùm esset firmus. Nam Angelus quidem pastoribus, ut agrestibus, manifestè locutus est; huic autem, ut justo et fideli, per somnum. Quomodò autem non crediturus esset, cùm Angelus

[a] Editio Caroli Morelli. Paris. an. 1631 (Editio princeps). — E Commentariis in Matthæum, cap. 1.

doceret eum de iis quæ ipse animo versabat, et de iis quæ nulli dixerat? Nam cùm ipse cogitaret et non loqueretur, adstitit Angelus. Meritò igitur credidit ex Deo esse; Dei enim est scire quæ non effamur. *Joseph, fili David.* Filium David eum dixit, in memoriam reducens quod prædictum erat, futurum Christum ex semine David. Et hæc dicens, admonuit ut non discrederet, sed cogitaret David, qui promissionem acceperat de Christo. *Ne timeas accipere.* Ostendit hìc quòd meruerit habere eam, ne fortè offenderet Deum, uti adulteram fovens: et aliter: *Ne timeas*, hoc est, tu quidem times adjungi illi, quia ex Spiritu concepit; sed ne timeas accipere, hoc est, domi et intùs tenere. Cogitatione enim et mente jàm amandaverat eam. *Mariam uxorem tuam.* Hoc dicit: Tu quidem fortassè putas adulteram esse: ego autem tibi dico quòd uxor tua sit, hoc est, quòd à nullo vitiata, sed tua sit sponsa. *Quod enim in eâ natum, ex Spiritu sancto est.* Non enim solùm libera est ab illicito coitu, sed et diviniore quodam modo concepit, et propter-eà rectiùs gaudere debes.

4. *Pariet autem filium.* Ut ne quis dicat: Et undè tibi credam quòd ex Spiritu sancto est? dicit de futuro, quòd paritura sit filium. Nam si de hoc verum dixero, manifestum quòd et hoc, quòd ex Spiritu sancto, verum est. Non dixit autem: Pariet tibi, sed simpliciter: *Pariet.* Non enim peperit illi, sed toti orbi: neque illi soli gratia facta est, sed in omnes effusa est.

5. *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Tu vocabis, utpotè pater et curam gerens Virginis, neque suspiceris, Joseph, quòd, quia à Spiritu est conceptio, Virginem ideò dimittere debeas adjutorio destitutam, sed ministrabis ei in omnibus. *Is enim salvabit populum suum.* Hoc loco interpretatur quid significet Jesus, nempè Salvatorem. *Ipse enim*, inquit, *salvabit populum suum*, non solùm Judaicum, sed et Gentilem, qui credere et fieri populus ejus non addubitaverit. Quomodò autem salvabit? Nùm ab hostibus? Minimè, sed *à peccatis suis:* undè manifestum Deum esse qui nascetur; solius enim Dei est condonare peccata.

II. PATRES ET SCRIPTORES LATINI.

S. HILARIUS, PICTAVIENSIS EPISCOPUS, ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

[a] Nom. 1. In eos qui nolunt Mariam virginem permansisse. — 2. Josephi ex priore conjugio filii.

1. Generationis autem [b] ratio simplex est. Nam conceptum ex Spiritu sancto, natum ex Mariâ Virgine, omnium opus Prophetarum est. Sed plures irreligiosi et à spirituali doctrinâ admodùm alieni, occasionem ex eo occupant turpiter de Mariâ opinandi, quòd dictum sit: *Priusquàm convenirent, inventa est in utero habens;* et illud: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam;* et illud: *Non cognovit eam, donec peperit* [c] [1]: non recordantes desponsatam fuisse, et dictum hoc Joseph volenti eam abjicere, quia justus ipse nollet in eam lege decerni. Igitur, ne qua partu ejus ambiguitas exsisteret, ipse concepti ex Spiritu sancto Christi testis assumitur: dehinc, quia desponsata esset, in conjugem recipitur [d]. Cognoscitur itaque post partum, id est, transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim: non admiscetur. Denique, cùm transire Joseph ad Ægyptum admonetur, ità dicitur: *Accipe puerum et matrem ejus* [2]; et: *Revertere cum puero et matre ejus* [3]; et rursum in

[1] *Matth.* I, 25. — [2] *Id.* II, 13. — [3] *Ibid.* 20.

[a] Ex editione Paris. 1693 curâ P. Coustant ex Congregatione S. Mauri, quæ recusa fuit Veronæ, 1730, et novis curis aucta à Scip. Maffei. E Comment. in Matth., c. 1, n. 3 et 4.

* [b] In germano Lectionario: *Ratio non simplex.* Generationis ratio simplex hìc asseritur, quia ex unâ virgine, non ex viro et feminâ.

* [c] Eosdem videtur notâsse Epiphanius, Hær. 78, n. 7, ubi ait: « Certò ex Auctore cognovi nonnullos id de illâ (scilicet « Mariâ) affirmare ausos esse, postquàm Salvatorem peperit, « cum viro consuetudinem habuisse, » nisi fortè hæc Epiphanii ad Helvidium aut Jovinianum Hilario posteriores referenda sint. At potuit Hilarius Ebionis discipulos respicere. Certè Tertullianus, Lib. de velandis virginibus, n. 6, adversùs eorum magistrum asserit Mariæ virginitatem, « quam utique, *inquit*, « virginem constat fuisse, licèt Ebion resistat. »

* [d] Badii, Erasmi et Lipsii cum pluribus Mss. « ut in conjugem « reciperetur » lectio non spernenda. Reprehendit Hilarius « non recordantes desponsatam fuisse: » tùm duplicem subjicit rationem cur Joseph dictum sit: *Noli timere accipere Mariam conjugem*, scilicet et ut testis esset concepti ex Spiritu sancto Christi, et ut Maria, quæ hactenùs tantùm desponsata erat, deinceps etiam in conjugem reciperetur. Non servantur quidem hic grammaticæ leges; sed eas ne nimis scrupu-

Lucâ : *Et erat Joseph et mater ejus* [1]. Et quotiescumque de utroque fit sermo, mater potiùs Christi, quia id erat, non uxor Joseph est nuncupata, quia non erat. Sed hæc quoque ab Angelo ratio servata est, ut tùm, cùm desponsatam eam justo Joseph significabat, conjugem nuncuparet; nam ità ait : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ergò et conjugis nomen sponsa suscipit, et post partum in conjugem recognita, tantùm Jesu mater ostenditur, ut, quemadmodùm justo Joseph deputaretur ejusdem Mariæ in virginitate conjugium, ità venerabilis ejus ostenderetur in Jesu matre virginitas.

2. Verùm homines pravissimi hinc præsumunt opinionis suæ auctoritatem, quòd plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum. Qui si Mariæ filii fuissent, et non potiùs Joseph ex priore conjugio [a] suscepti, numquàm tempore passionis Joanni Apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente : *Mulier, ecce filius tuus,* et Joanni : *Ecce mater tua* [2], nisi quòd ad desolatæ solatium charitatem filii in discipulo relinquebat [b].

S. HIERONYMUS, STRIDONENSIS PRESBYTER,

ET ECCLESIÆ DOCTOR [c].

* Num. 1. Mulierum in generationibus ordo non texitur. — 2. Cur Christus de desponsatâ concipitur? — 3. Maria inventa est prægnans à Joseph. — 4. Iste Mariam castam concepisse putavit. — 5. Sponsa uxor appellabatur. — 6. Jesus salvator dicitur.

1. *Christi autem generatio sic erat.* Quærat diligens lector et dicat : Cùm Joseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usquè ad Joseph? Cui respondebimus, primùm, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; deindè, ex unâ tribu fuisse Joseph et Mariam : undè ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quòd simul censentur in Bethleem, ut de unâ videlicet stirpe generati.

2. [d] *Cùm esset desponsata mater ejus Maria* [e] *Joseph.* Quarè non de simplici virgine, sed de desponsatâ concipitur? Primùm, ut per generationem Joseph, origo Mariæ monstraretur : secundò, ne lapidaretur à Judæis ut adultera : tertiò, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium [f] mariti. Mar-

[1] *Luc.* II, 33. — [2] *Joan.* XIX, 26 *et* 27.

losè exegeris : brevitatis enim studio sæpenumerò negliguntur.

* [a] In germano Lectionario : *Ex priore conjuge.* Etenim, si fidem nonnullis antiquitatis monumentis adhibeas, credas S. Josephum viduum fuisse, antequàm Mariæ desponsaretur, imò ex priore conjugio liberos suscepisse. Ità Evangelia apocrypha, — Protevangelium Jacobi, n. 9, — Epiphanius, Hæresi 78, n. 7, — Theophilactus in c. 13 Matthæi, — Hippolytus Thebanus in Syntagmate chronico, p. 59 edit. Fabric., — Nicephoras, Lib. 2, c. 3, — Gregorius Turonensis, Hist. eccl., Lib. 2, c. 1, — Eusebius, Hist. Eccl., Lib. 2, c. 1, — S. Hilarius, suprà, — Ambrosius, Lib. de Institutione Virginis, c. 6, n. 43, — Ambrosiaster in Epist. ad Galat. c. 1, ỷ. 19, — S. Amphilochius, Homil. 4, — Gregorius Nyssenus, Homil. 2 de Resurrectione, — aliique, quos Origenes (nam sanè ratio eadem esse debet pro omnibus) in Matthæum, ex editione Huetii, p. 223, observat ad id adductos esse « traditione Evangelii quod secundum Petrum inscribitur, vel Libri Jacobi. » His ipse adjecit se rationi consentaneum ducere « castitatis virorum primitias fuisse Jesum, mulierum autem Mariam. » Contendunt verò plures alii Auctores S. Josephum illibatam virginitatem servâsse. Hanc opinionem patrocinatur S. Hieronymus, Libro adversùs Helvidium, c. 9, et in c. 13 Matthæi, ubi dicit « etiam ipsum Joseph virginem fuisse, ut ex virginali conju« gio virgo filius nasceretur... Mariæ autem, quam putatus « est habuisse, custos fuit potiùs quàm maritus. » Quinimò S. Petrus Damianus hæc dicit : « Ecclesiæ fides est ut virgo « fuerit et is qui similatus est pater. » Insuper Benedictus XIV, Lib. de Festis Domini, etc., p. 432 edit. Romæ 1751, memorans hanc opinionem, Josephum scilicet è priore conjugio liberos suscepisse, hæc ait : « Quod quantùm à vero absit, demonstravit « Baronius in Apparatu, n. 61 : cui assentitur Andreas Schmi« dius, licèt heterodoxus, in Prolusione Marianâ 3, Tom. 77 « Miscellaneorum Bibliothecæ Cardinalis Passionei. » Certa est igitur opinio quæ perpetuam Josephi virginitatem propugnat.

* [b] Eodem argumento adversus eamdem hæresim (scilicet Mariam non permansisse virginem) utuntur Chrysostomus, Homil. 5 in Matth., Epiphanius, Hær. 78, n. 9, Ambrosius, Lib. 2 in Luc., n. 4; quamquàm hic Josephum passionis tempore superstitem ponens, eo argumento aliter utatur.

[c] Ex edit. Veronæ 1737, curâ Dom. Vallarsii, et March. Scipionis Maffei. E Comment. in Matth., Lib. 1, c. 2.

[d] Ex hoc loco usquè ad finem Num. 4 hujus Homiliæ includuntur tres Lectiones Vigiliæ Nativitatis Domini.

* [e] Pro *Joseph* nomine, quod Mss. omnes tacent, unus Cisterciensis substituit : « Quæritur quarè, etc. »

* [f] Vocem *mariti* plerique vulgati libri tacent. Unus Ms. Sorbonicus, Martianæo teste, habet *maritale*, quæ et ipsa videtur abundare. Pseudo-Theophilus Antiochenus, Lib. I Commentariorum in Evangelia, cùm hunc ex Hieronymo locum totidem exscripsisset verbis, *viri* tamen pro *mariti* legit. Quoad quartam causam, quam addit S. Ignatius martyr, vide Notam *c*, p. 22, ubi propria ejus verba legere poteris : verùm S. Hieronymus potiùs ex Origene, Homiliâ 4 in Lucam, quàm ex Ignatio ipso forsan recitavit.

tyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsatâ conceptus sit : « Ut partus, *inquiens*, ejus celaretur diabolo, » dùm eum putat, non de virgine, sed de uxore generatum.

3. *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Non ab alio inventa est nisi à Joseph, qui penè licentiâ maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quod autem dicitur : *Antequàm convenirent*, non sequitur ut posteà convenerint : sed Scriptura quòd factum non sit, ostendit.

4. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens.* Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur. Et in lege præceptum est non solùm reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati : quomodò Joseph cùm crimen celet [a] uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimonium Mariæ est, quòd Joseph sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.

5. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam* [b]. *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium.* Jàm et suprà [c] diximus sponsas uxores appellari : quod pleniùs Liber adversùs Helvidium docet. Et blandientis affectu ei per somnium Angelus loquitur, ut justitiam silentii comprobaret. Simulque notandum, quòd Joseph filius esse dicatur [d] David, ut Maria quoque de stirpe David monstraretur.

6. *Et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Jesus hebræo sermone *Salvator* dicitur. Etymologiam ergò nominis ejus Evangelista signavit, dicens : *Vocabis nomen ejus* [e] *Jesum, quia ipse salvum faciet populum suum.*

S. AUGUSTINUS, EPISCOPUS HIPPONENSIS,

ET ECCLESIÆ DOCTOR [f].

* Num. 1. Sincera Josephi justitia, non sæva. — 2. Jesus, Salvator. — 3. Paternâ Joseph auctoritate puero nomen imponit : Maria quoque Josephum Jesu patrem dicit. — 4. Mariæ modestia et humilitas feminis imitanda. Jesus subditus Mariæ et Joseph ut parentibus. — 5. Obedientia pueri Jesu pueris imitanda.

1. Quomodò autem [g] natus sit, et inter homines apparuerit, narrari jàm debet; et consequens est ipsa narratio, per quam credimus Dominum nostrum Jesum Christum non solùm natum de Deo sempiterno, coæternum ei qui genuit ante omnia tempora, ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia : sed etiam jàm natum de Spiritu sancto ex Virgine Mariâ, quod pariter confitemur. Reminiscimini enim et nôstis (Catholicis quippè loquor fratribus meis), hanc esse fidem nostram, hoc nos profiteri et confiteri. Pro istâ fide interfecta sunt millia Martyrum toto orbe terrarum. Hoc enim quod sequitur volunt illi ridere, qui volunt fidem derogare libris Evangelicis, ut nos veluti ostendant temerè credidisse quod dicitur : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit eam occultè dimittere.* Quia enim de se gravidam non esse sciebat, jàm velut consequenter adulteram existimabat. *Cùm esset justus*, sicut Scriptura dicit, *et nollet eam traducere*, id est, divulgare (nam hoc etiam multi Codices habent), *voluit eam occultè dimittere.* Turbatur quidem maritus, sed non sævit justus. Tanta enim justitia tribuitur huic viro, ut nec vellet habere adulteram, nec auderet punire vulgatam. *Voluit eam*, inquit, *occultè dimittere*, qui non solùm eam punire noluit, sed nec prodere. Attendite sinceram justitiam. Non

[a] *Aliàs* celaret.

[b] Tres Palatin. Mss., *uxorem*, quam et in subnexâ expositione vocem Hieronymus probat.

[c] In expositione ỳ. 17, Hieronymus dicit esse consuetudinem Scripturarum, quòd sponsi viri, et sponsæ vocentur uxores.

[d] *Aliàs* dicitur.

[e] Iidem Mss., addito Cisterciensi, *nomen ejus Salvatorem, quia ipse salvum faciet; etc.* Eamdem lectionem in aliis exemplaribus Martianus reperit.

[f] Ex editione PP. Maurinorum (DD. Franc. Delfau, Th. Blampin, Pet. Coustant et Claud. Guesnié). Paris. 1679-1700. Hæc Homilia desumpta est è Sermone de Concordiâ Evangelistarum et Lucæ in generationibus Domini. Possidius in Cap. 8 Indiculi recordatur Sermonis « De Generationibus secundùm Matthæum. »

[g] E Capite 6.

enim propterea parcere volebat, quòd habere cupiebat. Multi enim amore carnali adulteris uxoribus parcunt, volentes eas et adulteras habere, ut eis per carnalem concupiscentiam perfruantur. Hic autem vir virtuosus habere eam non vult : ergò non carnaliter diligit. Et tamen non vult punire : ergò misericorditer parcit. Qualis hic justus est? Nec tenet adulteram, nec propterea parcere videtur, quia libidinosè diligeret : et tamen nec punit, nec prodit. Meritò planè testis est electus virginitatis uxoris. Qui ergò humanâ infirmitate turbabatur, divinâ auctoritate firmatus est.

2. Sequitur enim [a] et dicit Evangelista : *Hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens : Joseph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Quarè, *Jesum? Ipse enim,* inquit, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Intelligitur ergò *Jesum* linguâ hebraicâ, latinè interpretari Salvatorem : quod ex ipsâ nominis expositione advertimus : tamquàm enim quæreretur : Quarè, *Jesum?* continuò subjecit, rationem vocabuli aperiens : *Ipse enim,* inquit, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc piè credimus, hoc firmissimè tenemus, natum Christum de Spiritu sancto ex Virgine Mariâ.

3. Jubetur [b] Joseph ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato. *Pariet,* inquit, *filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Sed hoc intendit Scriptura, quòd non sit natus de semine Joseph, cùm sollicito undè esset illa gravis utero, dicitur : *De Spiritu sancto.* Et tamen paterna ei non aufertur auctoritas, cùm jubetur puero nomen imponere. Deniquè et ipsa Virgo Maria benè sibi conscia quòd non ex ejus complexu et concubitu conceperit Christum, tamen eum patrem Christi dicit. Attendite quemadmodùm. Cùm esset duodecim annorum Dominus Jesus Christus secundum hominem, qui secundum Deum est ante tempora et sine tempore, remansit ab eis in templo, et disputabat cum senioribus, et admirabantur super doctrinâ ejus [1]. Illi autem redeuntes de Jerosolymis quæsierunt illum in comitatu suo, inter eos scilicet qui secum ambulabant, et non eum invenientes, turbati redierunt Jerosolymam, eumque disputantem in templo cum senioribus invenerunt, cùm esset, ut dixi, annorum duodecim. Sed quid mirum? Verbum Dei numquàm tacet : sed non semper auditur. Invenitur ergò in templo, et dicit ei mater ejus : *Quid nobis fecisti sic? Pater tuus et ego dolentes quærebamus te* [2]. Et ille : *Non sciebatis quia oportet me in his esse quæ Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum. Hoc propterea dixit, quia Filius Dei erat in templo Dei. Templum enim illud non erat Joseph, sed Dei. *Non sciebatis quia in his oportet me esse quæ Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei. Filius enim Dei, semper Filius Dei, creans illos ipsos. Filius autem hominis ex tempore natus de Virgine sine semine maritali, parentem habebat utrumque. Undè hoc probamus? Jàm dixit Maria : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

4. Primò [a] non est prætermittenda, fratres, maximè propter disciplinam feminarum, sororum nostrarum, ista sancta modestia Virginis Mariæ. Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, et dixerat ei : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur* [1]. Meruerat parere Filium Altissimi, et erat humillima : nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret : Ego et pater tuus; sed : *Pater tuus,* inquit, *et ego.* Non attendit sui uteri dignitatem ; sed attendit ordinem conjugalem : non enim humilis Christus matrem suam superbire docuisset : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te : Pater tuus,* inquit, *et ego,* quia *caput mulieris vir* [2] : quantò minùs debent superbire cæteræ feminæ? Nam et ipsa Maria mulier dicta est, non corruptâ virginitate, sed appellatione propriâ gentis suæ. Dixit enim de Domino Jesu Christo et Apostolus : *Factum ex muliere* [3] : non tamen interrupit ordinem et textum fidei nostræ, quâ confitemur natum de Spiritu sancto ex Virgine Mariâ. Illa enim virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. Sed mulieres omnes feminas illi appellaverunt, proprietate linguæ hebrææ. Audi evidentissimum exemplum. Prima femina quam fecit Deus sumptam de latere viri, antequàm cum viro concumberet, quod, posteaquàm de paradiso exierunt, scribitur factum, tamen mulier jàm vocabatur, dicente Scripturâ : *Formavit eam in mulierem* [4]. Quid ergò respondet Dominus Jesus Christus? *Oportebat me esse in his quæ Patris mei sunt.* Non sic indicat Patrem Deum, ut neget patrem Joseph. Undè hoc probamus? Secundum Scripturam, quæ sic ait : *Et dixit ad illos : Non sciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Illi autem non intellexerunt quid illis locutus est. Et cùm descendisset cum illis, venit Nazareth, et erat subditus illis* [5]. Non dixit : Erat subditus matri, aut erat subditus ei; sed : *Erat,* inquit, *subditus illis.* Quibus

[1] *Luc.* II, 42-47. — [2] *Ibid.* 48
[a] E Capite 7. — [b] E Capite 10.

[1] *Luc.* I, 31 et 32. — [2] *Ephes.* V, 23. — [3] *Gal.* IV, 4. — [4] *Gen.* II, 22. — [5] *Luc.* II, 50 et 51. — [a] E Capite 11.

subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat dignatione quâ filius hominis erat.

5. Jamdudùm [a] præcepta feminæ accipiebant: nunc pueri accipiant, ut obsequantur parentibus, eisque sint subditi. Christo mundus subditus, Christus parentibus subditus. Videtis ergò, fratres, quòd non ità dixerit: *Oportet me in his quæ sunt Patris mei esse*, ut intelligeremus quasi dictum: Vos, non estis parentes mei: sed parentes illi temporaliter; Pater ille sempiternè. Parentes illi filii hominis; Pater ille Verbi et Sapientiæ suæ, Pater Virtutis suæ, per quam cuncta formavit. Si per illam formantur universa, quæ *attingit à fine usquè ad finem fortiter*, quæ *disponit omnia suaviter* [1], per Filium Dei et illi formati sunt, quibus idem ipse posteà filius hominis subderetur.

S. PETRI CHRYSOLOGI, ARCHIEP. RAVENNATIS,

ET ECCLESIÆ DOCTORIS, HOMILIA I [b].

* Num. 1. Sacramentum generationis Christi. Penès Deum, nec est pietas sine justitiâ, nec vicissim. — 2. Josephi prudentia ac modestia. In dubiis continenda sententia. — 3. In personâ Josephi genus vocatur. Generis aperitur arcanum, fides promissionis impletur. — 4. Josephus admonetur ne sponsæ causas timeat. — 5. Quem Maria genuit, Deus est.

1. Audituri estis hodiè, fratres, quemadmodùm nobis beatus Evangelista generationis Christi retulit sacramentum. *Christi*, inquit, *generatio sic erat: Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Et quomodò justus, qui conceptum sponsæ duxit non discutere, suspecti non exquirit causam pudoris, conjugii famam non vindicat, sed requirit [c]? *Voluit occultè dimittere eam.* Hoc pio magis videtur convenire quàm justo; sed humano judicio, non divino. Penès Deum neque pietas sine justitiâ est, neque sine pietate justitia: cœlesti sensu, sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes, si separatæ fuerint, dilabuntur: æquitas sine bonitate sævitia est, et justitia sine pietate crudelitas. Joseph ergò meritò justus [d], quia pius; et pius, quia justus. Deniquè, dùm pietatem cogitat, crudelitate caruit: dùm causam temperat, judicium custodivit: dùm vindictam differt, crimen evasit: dùm refugit accusatorem, fugit sententiam.

2. Æstuabat animus sanctus, negotii novitate percussus: stabat sponsa prægnans, sed virgo: stabat plena pignore, sed non vacua pudore: stabat de conceptu sollicita, sed de integritate secura: stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa. Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiæ testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pudoris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intùs, quod evenerat, continere. Cogitat dimittere, et dicit Deo totum, quia quod homini dicat non habeat. Et nos, fratres, quotiès res turbat, fallit species, facit color negotii interna nescire, declinemus judicium, subtrahamus vindictam, sententiam fugiamus, dicamus Deo totum, ne, dùm facilè innocentûm fortè gestimus in pœnam, ipsi nobis noxiam sententiam proferamus, dicente Domino: *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* [2]. Certè, si nos tacuerimus, clamabit Deus: respondebit Angelus, qui Joseph, ne innocentiam desereret, sic prævenit: *Joseph*, inquit, *fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

[1] *Sap.* VII, 1. — [2] *Matth.* VII, 2.

[a] E Capite 12.

[b] Ex editione quæ prodiit Venetiis, an. 1750, curâ P. Sebastiani Pauli, et recusa fuit Augustæ Vindelicorum, an. 1758. Hic est Sermo 145, et inscribitur: « De generatione Christi, » et de Joseph Mariam dimittere volente. » In aliquibus Cod. inscribitur tantùm: « De generatione Christi: » reliqua desunt.

* [c] *Requirit.* Aliàs, *relinquit.*

* [d] *Joseph meritò justus.* Uti justus, id est, patriorum rituum observator, retinendam uxorem minimè censuit: uti pius, dimittere cogitavit, sed sine strepitu forensi et criminis infamiâ.

3. *Joseph, fili David.* Videtis, fratres, in personâ genus vocari : videtis in uno totam prosapiam [a] nuncupari : videtis in Joseph seriem Davidici stemmatis jàm citari [b]. *Joseph, fili David.* Vicesimâ octavâ generatione [c] natus, quomodò David filius dicitur, nisi quia generis aperitur arcanum, fides promissionis impletur, superna conceptio cœlestis partûs virgineâ jàm signatur in carne? *Joseph, fili David.* Tali voce ad David prolata fuerat promissio Dei Patris : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [1]. Quod factum quidem tali gloriatur in Cantico : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis* [2]. *De fructu ventris tui*, benè *fructus ventris tui*, benè de utero, quia cœlestis hospes, supernus habitator sic in uteri descendit hospitium, ut corporis claustra nesciret : sic de habitaculo ventris exiit, ut virginalis janua non pateret, et impleret illud quod cantatur in Cantico Canticorum : *Hortus clausus, soror mea sponsa : hortus clausus, fons signatus* [3].

4. *Joseph, fili David, noli timere.* Sponsæ causâ sponsus ne timeat admonetur : et verè pius animus dùm compatitur, plùs pavescit. *Joseph, fili David, noli timere* ne, cùm de conscientiâ securus sis, de sacramenti cognitione succumbas. *Joseph, fili David, noli timere:* quam vides, virtus est ista, non crimen : hìc non humanus lapsus est, sed est divinus illapsus : hìc præmium est, non reatus : hìc incrementum cœli est, non corporis detrimentum : hìc non est proditio personæ, judicis est secretum : hìc palma cognitoris est, non supplicii pœna : hìc hominis furtum non est, thesaurus est Dei : hìc non est mortis causa, sed vitæ ; et ideò noli timere, quia quæ vitam parturit, non meretur occidi [d]. *Joseph, fili David, noli timere Mariam conjugem tuam accipere.* Sponsam vocari conjugem, legis est hoc divinæ : sicut ergò, manente virginitate, mater est ; ità conjux [e] dicitur, pudore permanente. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.*

5. Veniant, audiant, qui requirunt quis sit quem Maria genuit : *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Veniant, audiant, qui græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem [f], Ἀνθρωποτόκον, Χριστοτόκον, ut Θεοτόκον tollerent, blasphemantes : *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est; et quod de Spiritu sancto natum est, spiritus est* [1], quia *Deus spiritus est* [2]. Quid ergò requiris quis est qui de Spiritu sancto natus est, cùm tibi, quia Deus est, Deus ipse respondeat; cùm te Joannes increpet, qui dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et Verbum Deus caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus* [3]? Joannes vidit gloriam, respicit infidelis injuriam. *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Et vidimus gloriam ejus.* Cujus, *ejus?* Qui natus est de Spiritu sancto, ejus qui *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quòd in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Virgo concepit, sed de Spiritu : Virgo parturiit [g], sed eum quem prædixit Isaias : *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur : Nobis-*

[1] *Psalm.* CXXXI, 11. — [2] *Id.* CIX, 1. — [3] *Cant.* IV, 12.

[1] *Joan.* III, 6. — [2] *Id.* IV, 24 *et* I *Cor.* III, 17. — [3] *Joan.* I, 1 *et* 14.

* [a] *In uno totam prosapiam.* Promissio Dei de Christo nascituro, non judaicam gentem tantummodò, sed privatam Davidis prosapiam spectabat.

* [b] *Jàm citari.* Aliàs, *non mutari.*

* [c] *Vicesimâ octavâ generatione.* Corruptè legebatur *tricesimâ octavâ.* (Facile enim fuit Librariis pro *vicesimâ* scribere *tricesimâ.*) *Omnes generationes ab Abraham usquè ad David, generationes quatuordecim : et à David usquè ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim : et à transmigratione Babylonis usquè ad Christum, generationes quatuordecim.* (Matth. I, 17.) Ergò vicesimâ octavâ generatione à David, natus est Christus. MITA.

* [d] *Meretur occidi.* Lege Moysis statuebatur lapidatio in uxores adulterii reas. (*Deut.* XXII, 22 *et Levit.* XX, 10.)

* [e] *Conjux dicitur.* Sponsa est, quæ alicui pacta est uxor : nam quæ desponsata erat, uxor habebatur destinatione, ac proindè uxor vocatur in Genesi, XXIX, 21, ubi punitur tamquàm adulter, qui alterius sponsam corruperit. Vox autem hæc *conjux* sponsalibus de futuro, usitato hominum sermone, non convenit, quia inter Virginem ac Josephum matrimonium ratum, non consummatum, intercesserat. Vide Du-Hamel in Notis hìc, et Augustinum, Lib. 5 contra Julianum, cap. 12, qui eidem Juliano suffugium quærenti, et Evangelistam ex vulgi opinione locutum effutienti, dùm Mariam Josephi conjugem dixit, argutâ hâc observatione occurrit : « Hoc « putemus Evangelistam facere potuisse, cùm vel sua vel cu« juslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opi« nionem populi loqueretur. Numquid et Angelus loquens « unus ad unum, contra conscientiam suam, et ipsius cui « loquebatur, secundum opinionem potiùs quàm secundum « veritatem fuerat locutus, cui et dixit : *Noli timere acci« pere Mariam in conjugem tuam?* »

* [f] *Latinam nubilare puritatem.* Vixerat Chrysologo coævus Theodorus Mopsuestenus, secundum cujus pravam doctrinam, « Deus Verbum erat in illo Homine quem Virgo peperit « κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem, κατ' ἀναφορὰν, secun« dum relationem, κατ' ἐνέργειαν, secundum operationem; undè « ipsa Virgo Maria Ἀνθρωποτόκος, *Hominipara*, et Χριστοτό« κος, *Christipara*, non Θεοτόκος, *Deipara*, dici poterat. » Verisimilius autem est hìc à Chrysologo vellicari hæresim Eutychetis, ut putat Bacchinius in Agnello, Tom. 1. Ex hoc enim eruit vir doctissimus Petrum, Episcopum Ravennatem, diversum esse à Petro Nostro, qui recentiori ætate vixit : observavitque illud Tillemontius, Tom. 5, p. 864, col. 2. Nota in hoc Sermone nonnulla legi, quæ occurrunt etiam in Epistolâ Chrysologi contra Eutychetem.

* [g] *Parturiit.* Aliàs, *concepit.*

cum Deus[1]. *Nobiscum Deus*, cum illis homo. *Et maledictus homo, qui spem ponit in homine*[2]. Audiant, qui requirunt quis est qui natus est de Mariâ: *Paries filium*, inquit Angelus, *et vocabis nomen ejus Jesum*. Quarè, *Jesum?* Apostolus dicit: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum*[3], et tu quis sit Jesus, dolosus cognitor, nunc requiris? Omnis jàm lingua confitetur *quia Dominus Jesus in gloriâ est Dei Patris*[4], et tu adhuc inquiris quis est Jesus? *Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum.* Non alterius salvum faciet[a]. Undè: *A peccatis eorum.* Esse Deum qui peccata donat, si Christianis non credis, crede, infidelissime, vel Judæis dicentibus: *Cùm sis homo, facis teipsum Deum*[5]. *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus*[6]? Illi eum negabant Deum, qui eum peccata dimittere non credebant: tu ab eo peccata dimitti credis, et Deum dubitas confiteri? *Verbum caro factum est*, ut hominis caro promoveretur[b] in gloriam Dei, non ut Deus in carnis verteretur injuriam, sicut dicit Apostolus: *Qui se jungit Domino, unus spiritus est*[7]. Et quomodò non, quandò se jungit Deus homini, unus est Deus? Humanæ leges[c] intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones, et Christus circa quingentos annos[d] Nativitatis suæ causas præstat, ortûs sui lites patitur, statûs sui sustinet quæstiones? Hæretice, desine judicare judicem tuum, et adora in cœlis Deum, quem Deum Magus adoravit in terris[8].

EJUSDEM HOMILIA II[e].

* Num. 1. Christi Nativitas, signum, virtus, potestas, et cœleste miraculum. — 2. Cur Mater sponsa? Cur Joseph sponsus? Cur Mariæ maternum nomen? — 3. Mater sponsa est, ut Ecclesia Christi sponsa signetur. — 4. Joseph sponsus, ut in eo Patriarcha Joseph Christi figuram impleat passionis. — 5. Mariæ maternum est nomen, quia plenum decoris est. — 6. Cur Virgo sponsa? Ut celetur Virginis partus, ideòque ut crimini non detur locus.

1. Quotiès, transcursis anni metis, dies Dominicæ Nativitatis adventat, et Virginei partûs fulgor toto orbe diffunditur flammeo corusco, voluntatis, non pavoris est[f], quòd tacemus. Quæ mens in ipso ortu divini Regis objicere se præsumat? Solis radii cùm erumpunt, visus hebetatur humanus: radiante Deo, quomodò non totus animorum sauciatur aspectus? Reparatis ergò sensibus novi luminis post stuporem, tempus est quo jàm nos, visâ Christi generatione per carnem, ipsius etiam Divinitatis contemplemur arcana. *Christi*, inquit Evangelista, *generatio sic erat.* Fratres, si volumus intelligere quæ dicuntur, divina verba modis non pensemus humanis: seponendus est humanus sensus, ubi totum quod dicitur est divinum. Sic Christus quòd nascitur, non est consuetudo, sed signum: non est natura, sed virtus: non ordo est, sed potestas; et est cœleste miraculum, ratio non humana. Hîc mundana scientia quid capiet? Hîc carnis intelligentia quid requiret? *Christi*, inquit, *generatio sic erat.* Non dixit: Sic facta est; sed: *Sic erat*, quia Christi generatio erat apud Patrem, quandò generabatur ex matre. Quod erat, semper erat: quod factum est, hoc reddebatur:

[1] *Isai.* VII, 14, *Matth.* I, 23 *et Luc.* I, 31. — [2] *Jerem.* XVII, 5 *et* XLVIII, 7 *et Isai.* XXX, 2 *et* XXI, 1. — [3] *Philipp.* II, 10, *Isai.* XLV, 24 *et Rom.* XIV, 11. — [4] *Philipp.* II, 11. — [5] *Joan.* X, 33. — [6] *Marc.* II, 7, *Job* XIV, 4 *et Isai.* XLIII, 25. — [7] I *Cor.* VI, 17 et 18. — [8] *Matth.* II, 11.

* [a] Cùm SS. Patres et Scriptores per illas voces *populum suum* intellexerunt, alii *omnes homines*, alii tantùm *prædestinatos*, vide, ad calcem hujus Vigiliæ, Appendicem, ut jàm monuimus lectorem, in quâ, collectis hisce variis sententiis, damus doctrinam theologicam de Prædestinatione.

* [b] *Ut hominis caro promoveretur.* Mss. Cæsenatensis et Vallicellanus: *Ut homo carne promoveretur.*

* [c] *Humanæ leges.* Legem tangit à Valentiniano datam, Arturo et Protogene Consulibus, 15 Calendas Julii, de triginta annorum præscriptione. Cap. de Præscriptione.

* [d] *Circa quingentos annos.* Ex his nonnulli eruerant ætatem Chrysologi, sed perperàm (vide Mitam in responsionibus ad opposita de vitâ Chrysologi, in hujus Operibus). Antiquos parùm diligentiæ in annis computandis impendisse fatentur omnes, præcipuè D. Ceillier in Historiâ generali Auctorum ecclesiasticorum, Tom. 4, p, 13. Quin hic ipse Sermo supputationis hujus errorem evincit. Ejusdem enim styli est, quo scripta fuit Epistola ad Eutychetem, dubio procul data anno 449, ni velimus dicere, 50 jàm ab eâ transactis annis, adhuc Chrysologum in habendis ad populum concionibus exerceri.

[e] In Operibus S. Petri Chrysologi est Sermo 146, et inscribitur: « De eâdem (scilicet generatione), ac Josepho sponso et sponsâ matre. » Aliàs, titulum præfert: « De eâdem. » Cætera desiderantur.

* [f] *Voluntatis, non pavoris est.* Aliàs, *pavoris, non voluntatis est, quòd tacuimus.* Verba hæc juxta mentem Tillemontii, Tom. 5, p. 187, innuere videntur Chrysologum in die Nativitatis Domini à concionibus abstinuisse.

erat Deus, reddebatur homo : ex utero nos suscepit ille, qui nos plasmaverat ex luto [a]. *Cùm desponsata esset mater ejus Maria.* Suffecerat dixisse : *Cùm desponsata esset Maria.* Quid sibi vult sponsa mater? Si mater, non sponsa : si sponsa, non adhuc mater. *Cùm desponsata esset Maria mater ejus.* Virginitate sponsa, fecunditate mater : mater viri nescia, partûs conscia. Aut quomodò non ante conceptum mater, quæ post partum virgo mater? Aut genitrix quandò non, quæ sæculorum generavit auctorem, principium dedit rebus? Natura virgo mater semper, sic semper [b] noverca corruptio. Est ergò muneris virginalis, ut regeneret per Deum virgo, quod per Deum virgo generavit : Deus et integritas sunt cœleste consortium : virginitas juncta Christo copula est perfecta virtutis. Quòd virgo concipit, est honor spiritûs, non onus est carnis : quòd parturit virgo, secretum est Dei, non est ministerium conjugale : quòd nascitur Christus, divinæ majestatis est, non est imbecillitatis humanæ : est gloria deitatis tota, ubi nulla carnis sentitur injuria.

2. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quid est quòd ad sponsam, et non ad liberam, cœlestis innocentiæ destinatur arcanum? Quid est quòd sic zelo sponsi, sponsæ periculum comparatur? Quid est quòd virtus tanta putatur crimen, salus certa discrimen? Quid est quòd inter innocentes taliter laborat pudor, verecundia succumbit, fatigatur castitas, sauciatur fides, exstat accusatio, urget causa, facultas tota excusatione aufertur? Quis excusat sponsam, quam conceptus accusat? Aut quid proficiet defensor externus, quandò facti testis internus assistit?

3. Quid tenemus, fratres? Non apices, non litteræ, non syllabæ, non verbum, non nomina, non personæ in Evangelio divinis vacua sunt figuris. Sponsa quæritur, ut jàm tunc Ecclesia Christi sponsa signetur, juxta illud Osee Prophetæ : *Sponsabo te mihi in justitiâ et judicio, et in misericordiâ et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide* [1]. Hinc Joannes ait : *Qui habet sponsam, sponsus est* [2]; et beatus Paulus : *Sponsavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* [3]. Verè sponsa, quæ virginali partu novam Christi regignit infantiam.

4. Procurator Joseph sponsus, ut iste in illo Joseph Christi figuram impleat passionis : Joseph prophetalibus somniis incurrit zelum, Christus propheticis visionibus suscepit invidiam : Joseph missus in lacum mortis, vivus emergit à lacu, Christus mortis sepulchro datus, vivus remeat à sepulchro : Joseph venundatus est, pretio taxatus est Christus : Joseph transducitur in Ægyptum, ad Ægyptum fugatur Christus : Joseph esurientibus populis panem copiosè ministrat, Christus cœli pane manentes orbe toto exsaturat nationes. Sic lucet, cur Joseph iste cœlestis sponsi typum prætulerit, portaverit imaginem, ambulaverit in figuram.

5. Maria mater vocatur, et quandò non Maria mater? *Congregationes,* inquit, *aquarum appellavit maria* [1]. Nonne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit uno utero, ut emergeret cœlestis in novam creaturam renata progenies, juxta illud Apostoli : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* [2]? Et ut semper Maria humanæ prævia sit salutis, populum, quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa jure præcessit in Cantico : *Maria,* inquit, *soror Aaron, sumens tympanum in manu suâ, dixit : Cantemus Domino; gloriosè enim honorificatus est* [3]. Nomen hoc prophetiæ germanum est [c], hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis : meritò ergò matris Christi nomen est hoc maternum. Diximus quarè mater sponsa, quarè Joseph sponsus, quarè Mariæ maternum nomen, ut totum circa ortum Christi fuisse mysticum panderemus.

6. Nunc quarè sponsa quæsita sit ad partum Christi, aliis prodamus ex causis. Prædixerat Isaias et Virginem parere Deum cœli, Regem terræ, orbis Dominum, reparatorem mundi, mortificatorem mortis, redditorem vitæ, perpetuitatis auctorem [4] : hoc quàm esset mundanis triste, terribile regibus, pavendum Judæis, ipse Dominicæ Nativitatis probavit eventus. Namque, ubi natum Christum, nuntiantibus Magis, audivit Judæa, Herodes didicit, mox perdere Judæi, Herodes occidere molitus est Christum; et dùm successorem sibi timent, omnium perdere conati sunt Salvatorem [5]. Denique, quia

[1] *Osc.* II, 19 *et* 20. — [2] *Joan.* III, 29. — [3] II *Cor.* XI, 2.

[a] *Ex luto.* Aliàs, *ex limo.*

[b] *Natura virgo mater semper, sic semper...* Ms. Cæsenæ : *Natura virgo vitiata finem attulit naturæ : sicut rerum natura virgo mater, sic rerum semper noverca corruptio,* hoc est, cùm natura, quæ virgo à Deo creata fuerat, ob peccatum protoplasti vitiata remansit, finem attulit ipsi naturæ virgini, quæ ulteriùs parere nequivit virgo, sed corrupta, ut dicat plurimus generationem unius, alterius esse corruptionem : quâ de re natura non ampliùs dicitur mater, sed appellatur noverca. MITA.

[1] *Gen.* I, 10. — [2] I *Cor.* X, 1 *et* 2, *Exod.* XIII, 23 *et* XIV, 22 *et Num.* IX, 21. — [3] *Exod.* XV, 20 *et* 21. — [4] *Isai.* VII, 14. — [5] *Matth.* II, 3 *et* 16.

[c] *Prophetiæ* (fortè, *Prophetissæ*) *germanum.* Maria, Aaronis soror, prophetiæ dono claruit.

ipsum invenire nequierunt, delent patriam, lac miscent sanguini, coævos ejus parricidali furore collidunt, laniant innocentiæ socios, quia culpæ participes invenire non poterant, quos punirent : et si jàm nato Christo hæc faciunt, concepto Christo, tanta feritas quid fecisset? Hinc est quòd providetur sponsus, providetur maritalis species, ut celet miraculum, ut tegat signum, ut velet Virginis partum, ut crimini non det locum, ut furentis insidias sic eludat. Christus quamvis morti deditus, in utero si fuisset exstinctus, mors præceps quod nostræ saluti venerat abstulisset. Et quia locus iste multa nobis conferre poterit, si dicatur, prælibâsse nos hodiè, fratres, Dominicum sufficiat sacramentum.

✠ VENERABILIS BEDÆ, ANGLO-SAXONIS PRESBYTERI,

HOMILIA I[a].

Num. 1. Quarè Christus ex virgine, et tamen desponsatâ, nasci voluit? — 2. Hominem Jesum tota Trinitas in utero Virginis formavit. — 3. Quo sensu verbum *justus* hìc accipiendum est? — 4. Qualem populum à peccatis ejus salvare debet?

1. *Christi autem generatio sic erat.* Superiùs jàm nominatis progenitoribus[b], si illam sententiam ad priora vis addere : si verò ad sequentia, demonstrat quòd isto modo incipiebat fieri : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph.* Interrogari solet quarè Christus ex virgine, et tamen desponsatâ, nasci voluisset. Sed respondendum est quòd quatuor causis hoc ità gestum esse credimus, ut Maria in Ægypto fugiens, solatium ministerii haberet à Joseph, et ne quasi adultera lapidaretur, et Christus quasi fornicationis filius despiceretur, et ut genus Christi per Joseph ostenderetur (qui fuit propinquus Mariæ), quia non erat consuetudo historicis, mulieres in genealogiâ numerare, et ut diabolum lateret Nativitas ejus, æstimantem Christum de Joseph semine natum : aliter enim in eum manus extendere non auderet.

2. *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* A Joseph in utero eam habere dicit inventam : et licèt quasi specialiter dicat *de Spiritu sancto*, tamen credere debemus quòd hominem Jesum non solus Spiritus sanctus, sed tota Trinitas in utero Virginis formavit. Ideò namque specialiter quasi *de Spiritu sancto* dicit, quia illum Deus trinitas formavit in Virgine, qui adventu suo donum Spiritûs sancti in se credentibus largè ministravit.

3. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Eâ quippè justitiâ ut misericorditer propinquæ consuleret, justus erat, de quâ Scriptura dixit : *Misericordiam volo, et non sacrificium*[1], non eâ quâ Scribæ et Pharisæi elati justos se quasi æmulatores legis æstimabant, cùm crudeliter proximorum sanguinem effunderent propter transgressionem legis, quam nequaquàm ipsi observabant.

4. *Ipse autem salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, illum, de quo dictum est in Evangelio, populum sine dubio : *Quotquot autem receperunt eum*[2], et reliqua : non illum, de quo dictum est : *In propria venit, et sui eum non receperunt*[3].

✠ EJUSDEM HOMILIA II[c].

Num. 1. Decebat ut Filius Dei de virgine nasceretur. — 2. Quarè Joseph voluit Mariam occultè dimittere? — 3. Modus conceptionis Christi, et dignitas partûs ejus.

1. *In illo tempore, cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, et reliqua. Cùm Nativitatem Domini et Salvatoris

[1] *Matth.* XII, 7 *et* IX, 13; I *Reg.* XV, 22; *Eccle.* IV, 17 *et Ose.* VI, 6. — [2] *Joan.* I, 12. — [3] *Ibid.* 11.

[a] Ex editione Coloniæ Agrippinæ 1612. E Libro 1 Expositionis Evangelii in Matthæum, cap. 1.

[b] Scilicet in Vers. præcedentibus.

[c] Hæc Homilia non reperitur in editione laudatâ Coloniæ Agrippinæ 1612 ; sed, juxta D. Mabillonium legitur in duobus pervetustis Codicibus qui in Bibliothecâ Thuaneâ habentur : reperitur quoque in editione nuper à Giles Londini datâ, ubi est Homilia 5. Quamvis igitur illa reposita sit etiam in Operibus Haymonis, Halberstatensis Episcopi, ubi priorem Homiliæ 8 partem efficit, nobis videtur illam potiori jure Venerabili Bedæ adscribendam esse.

nostri Jesu Christi, quâ æternus ante sæcula Dei Filius, hominis ex tempore filius apparuit, Matthæus Evangelista brevi quidem sermone, sed ab Abraham usquè ad Joseph virum Mariæ perduxisset, omnesque communi humanæ creationis ordine genitos simul et generantes ostendisset, mox de ipsâ locuturus, quantùm ejus generatio à cæteris distaret aperuit : quia videlicet cæteri per conjunctionem maris et feminæ solitam, ipse autem per virginem, utpotè Filius Dei, nasceretur in mundum. Et quidem decebat omnibus modis, ut, cùm Deus homo propter homines fieri vellet, non ex aliâ quàm de virgine nasceretur; cùm virginem generare contingeret, non alium, quàm qui Deus esset, filium procrearet. *Cùm esset*, inquit, *desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quo ordine, vel in quâ civitate sit celebrata conceptio, Lucas Evangelista sufficienter exponit. Quod quia vestræ sanctitati constat esse notissimum, dicendum est paucis de his quæ Matthæus scribit. Notandumque imprimis, in eo quod ait : *Antequàm convenirent*, verbo *conveniendi* non ipsum concubitum, sed nuptiarum, quæ præcedere solent, tempus insinuari, quandò ea quæ priùs sponsata fuerat, esse conjux incipit. Ergò *antequàm convenirent* dicit : Antequàm nuptiarum solennia ritè celebrarent, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto;* siquidem memorato ordine posteà convenerunt, quandò Joseph ad præceptum Angeli accepit conjugem suam ; sed non concumbebant, quia sequitur : *Et non cognoscebat eam.* Inventa est autem in utero habens à nullo alio quàm Joseph, qui licentiâ maritali futuræ uxoris penè omnia noverat, ideòque tumentem ejus uterum mox curioso deprehendit intuitu. Sequitur :

2. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Videns autem Joseph sponsam concepisse suam, quam benè noverat à nullo viro fuisse attactam, *cùm esset justus*, et justè omnia vellet agere, optimum duxit ut neque hoc aliis proderet, neque ipse eam acciperet uxorem ; sed, mutato occultè nuptiarum proposito, in conditione eam sponsæ manere pateretur, ut erat. Nam et in Isaiâ legerat Virginem de domo David esse concepturam et parituram Deum, de quâ etiam domo noverat genus duxisse Mariam, atque ideò non discredebat in eâ prophetiam hanc fuisse complendam. Sed si eam voluisset occultè dimittere, neque accipere conjugem, et illa sponsa pareret, nimirùm pauci essent qui eam virginem, et non potiùs autumarent esse meretricem. Undè Joseph consilium repentè consilio meliore mutatur, ut videlicet ad conservandam Mariæ famam, ipse eam, celebrato nuptiarum convivio, conjugem acciperet, sed castam perpetuò custodiret. Maluit namque Dominus aliquos modum suæ generationis ignorare, quàm castitatem infamare genitricis. Nam sequitur :

3. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quibus profectò verbis modus conceptionis ejus simul et dignitas partûs edocetur, quia videlicet et de Spiritu sancto conceperat et paritura sit Christum. Quem etsi apertâ voce Angelus Christum non appellet, in eo tamen quòd, etymologiam nominis Jesu exponens, ipsum salutis ostendit auctorem populorumque Salvatorem eum nuncupat, manifestâ ratione quia sit Christus, significat ut per hæc et quæ nescierat, discat Joseph ut à contactu Dei Genitricis funditùs mentem amoveat. Quam tamen dispensatione justæ necessitatis accipere jubetur, solo de nomine conjugem, ne videlicet quasi adultera lapidaretur à Judæis, et ut in Ægyptum fugiens, haberet solatium masculi, qui familiari curâ et custos femineæ fragilitatis et testis ejus perpetuæ virginitatis exsistat. Produnt et Catholici alias causas, quarè Dei Genitricem Joseph accipere debuit conjugem, quas in suis, qui vult, inveniet locis. Adhibet Evangelista partui virginali etiam prophetici sermonis exemplum, ut tantæ miraculum majestatis eò certius videretur, quò hoc non solùm ipse factum crederet, sed etiam à Prophetâ prædictum recoleret. Nam et huic Evangelistæ, id est, Matthæo, moris est omnia quæ narrat etiam propheticis affirmare testimoniis. Scripsit namque Evangelium suum ad eorum maximè causam qui ex Judæis credebant, nec tamen legis ceremoniis, quamvis renati in Christo, valebant avelli. Et propterea satagebat eos à carnali legis et Prophetarum sensu ad spiritualem, qui de Christo est, erigere, quatenùs sacramenta fidei christianæ tantò securiùs perciperent, quantò hæc non alia esse quàm quæ Prophetæ prædixerant, cognoscerent. *Ecce Virgo*, inquit, *in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.* Nomen Salvatoris, quod *Nobiscum Deus* à Prophetâ vocatur, utramque naturam unius personæ ipsius significat. Qui enim ante tempora natus ex Patre Deus est, ipse in plenitudine temporum Emmanuel, *Nobiscum Deus*, in utero matris factus est, quia nostræ fragilitatem naturæ in unitatem suæ personæ suscipere dignatus est, quandò *Verbum caro factum est et habitavit in nobis,* mirum videlicet in modum incipiens esse quod nos sumus, et non desinens esse quod erat, sic assumens naturam nostram ut quod erat ipse non perderet.

✠ PASCHASIUS RADBERTUS, ABBAS CORBEIENSIS[a].

NUM. 1. Quibus de causis Christus ex virgine desponsatâ nasci voluit? — 2. Virginitas Mariæ illibata. — 3. Josephi dubium circa Mariam quam prægnantem videbat. — 4. Quarè Joseph, sponsus Mariæ, dicitur vir ejus? — 5. Joseph justus et pius. — 6. Quarè Angelus ei apparuit? — 7. Promissiones quas Deus ad David locutus fuerat, in Mariâ completæ fuerunt. — 8. Ex eo quòd Christus de Spiritu sancto natus est, non licet inferre eum esse filium Spiritûs sancti. — 9 et 10. Christus verè adimplevit nomen Jesu.

1. *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph.* Ubi primùm rectè quæritur quid sit quòd Isaias simplicem tantùm virginem repromittat, dicens : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium*[1], beatus verò Evangelista desponsatam eam nominat, quam etiam pari assensu virginem confitetur. Nequaquàm autem vacat ab officio divinæ dispensationis, quòd Sapientia quæ *à fine usquè ad finem pertingit et suaviter cuncta disponit*[2], maluit de desponsatâ nasci quàm de simplice virgine, nisi fortè fatendum quòd Isaias hoc prædixerit nondùm credentibus, ex vocabulo quod fieret omnibus in miraculum ; Evangelista verò rei veritatem aperiens, insinuat quod est etiam et nobis in mysterium ; quia, quamvis Evangelium non sit jàm umbra, sed veritas, propter mystica tamen doctrinarum eloquia, [[b] non apices, non litteræ, non syllabæ, non verbum, non nomina, non personæ in eo divinis vacua sunt figuris. Hinc est nimirùm rei negotium quòd hîc sponsa quæritur, ut per eam omninò jàm tunc futura Christi universalis Ecclesia signetur ad desponsandum, et colligatur genus in specie, juxta illud quod Osee Propheta fatetur, dicens : *Sponsabo te mihi in misericordiâ et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide*[3]. Quid enim aliud est dicere : *Desponsabo te mihi in fide,* nisi monstrare quòd Maria per fidem de Spiritu sancto Christum conceperit? Ubi nimirùm universalis Ecclesia præsignatur tandem de Spiritu sancto replenda, per quem in cordibus credentium et ipsa Christum quotidiè non solùm parit, quia mater et virgo est, sed etiam sponsa in omnibus appellatur. Hinc Joannes ait : *Qui habet sponsam, sponsus est*[4] ; et beatus Paulus : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*[5]. Verè sponsa, quæ virginali partu novam Christi gignit infantiam.] Undè hîc, ut diximus, præparatur jàm in specie mater sponsa, ut postmodùm per hanc carnis unitionem Ecclesia in genere congregetur ; quippè quia tota, per hoc quòd Verbum caro factum est, velut membra colligitur in corpore, et unita Christo per gratiam, jàm tùm sponsa Christo paratur in thalamum. Hanc igitur volens beatus Evangelista electionis gratiam præsignari in Mariâ, primùm commendat sponsam, quam virginem per omnia posteà confitetur, et totum, ut dixi, simùl præfigit in specie, quod faciendum adhùc erat in genere. Nam et ideò de sponsâ jure potiùs quàm de simplici virgine nasci voluit, ne per feminam, contra Scripturarum consuetudinem, sed per virum, ut mos erat, Christi genealogia texeretur. Inducitur namque et alia probabilis causa, ne lapidaretur à Judæis ut adultera. Quis enim illo in tempore virginem credidisset de Spiritu sancto concepisse, ac non magis velut adulteram condemnâsset? Et ne fortè dicat aliquis quòd aliis ex causis divinitas Christi poterat subvenire, ne viro esset indigna, sciat profectò quia consilium Dei quod sæculis ac generationibus ignotum fuit, medendi officio, carne tegeretur. Et ideò intereà necesse fuit ut ex infirmitate parentum cunabula tegerentur; ità dumtaxat ut aliis virtutum indiciis paulatim Deus in homine latens credentibus panderetur. Alioquin novum non esset, nisi contra naturam ; imò ultra naturam virgo Deum et hominem sine coitu genuisset. Assumitur namque Joseph sponsus adhùc aliâ ex causâ velut testis idoneus, non solùm ut eam servaret illæsam, virginitatis pudore servato à suspicionis infamiâ ; verùm etiam ne virginibus velamen excusationis fieret, quòd mater Domini criminibus fuerit infamata. Hinc est quòd testis eligitur castitatis, et adhibetur velut maritus qui possit cuncta virginitatis refellere opprobria, et celando protegere puerperium, etiamsi non agnosceret sacramentum, quia præmium conjugii partus est feminarum. Undè nulli datus est locus mentiendi ex eo, quia virginitas desponsata criminari non potuit se obumbrâsse mendacio, dùm testis assumitur castitatis, et super eum eloquia concinunt Prophetarum, ubi Angelorum discurrunt officia, et confirmant Deum natum in puero eorum præconia; dùm, stellâ duce, hoc ipsum testantur Magorum munera, et pastorum, ut prædictum fuerat, confirmant præcordia. Talibus igitur et aliis hujuscemodi causis provisum est divino consilio, ut de desponsatâ Patris Sapientia nasceretur, in quâ sibi, sicut per Salomonem testatur, *domum ædificavit, et*

[1] *Isai.* VII, 14. — [2] *Sap.* VIII, 1. — [3] *Osc.* II, 19 *et* 20. — [4] *Joan.* III, 29. — [5] II *Cor.* XI, 2.

[a] Editio P. Sirmondi. Paris. 1618. E Libro 2 Expositionis Evangelii in Matthæum, cap. 1. — [b] Quod uncis includitur, nil aliud est quàm amplificatio Numeri 3 Hom. 2 S. Petri Chrysologi, p. 55.

scidit columnas septem [1], quibus sanè columnis omnis domus quam sibi ædificavit, videlicet sancta Dei Ecclesia, toto orbe terrarum sustentatur, fulcitur ac regitur. Et notandum quòd idem qui de Spiritu sancto concipitur, ipse sibi domum primùm ædificat et scidit columnas septem, dona scilicet sancti Spiritûs ex quo concipitur, per quem in se credentes confirmat ac roborat et perpetuos facit: quod nequaquàm faceret, nisi ejusdem esset potestatis cum Patre et cum Spiritu sancto, qui concipitur. Et ideò sibi ipse columnas scidisse rectè dicitur, dùm eàdem potestate cum Patre manens æternus, dedicavit Mariam, et per eam sibi univit Ecclesiam, cui septem principalia dona Spiritûs sancti divisit. Alioquin eam non solùm, exemplo Susannæ, ad mortem velut adulteram condemnâssent; verùm etiam Christum quasi de stupro natum jure se occidisse mentirentur. Hinc namque est, quòd interim Joseph penè ab omnibus pater credebatur, in tantùm ut Evangelistæ opinionem vulgi sequentes, juxta legem historiæ eum patrem expresserint Salvatoris. Sed et in Ægyptum fugiens, solatium præstitit ut nutritius, ne Virgo viribus destituta rerum molestiis frangeretur. Occultatur autem et per hoc diabolo, velut quidam aiunt, partus Virginis, dùm videt sponsùm devotionis affectu sub castitate servire conjugio, quia fortassis nequivit satis dignoscere utrùm sine semine an simpliciter de Virgine sit natus. Undè sequens Evangelista adjungit, dicens:

2. *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Indè itaque est quod concipitur, quod generatur. Et non dicit, *antequàm convenirent,* sic quasi post partum continuò eos convenisse velit intelligi, sicut quemdam desipuisse dolemus; sed simpliciter volens proximum tempus nuptiarum ostendere, designat, *priusquàm convenirent,* rem conveniendi effectum jàm in utero sine coitu habuisse, ut quæ priùs sponsa fuerat, sine viri opere uxor esse inciperet; quasi dixerit: Antequàm oscula amplexusque miscerent, antequàm rem agerent nuptiarum, inventa est magis quàm res naturæ in utero, quia de Spiritu sancto est quod nascitur, et Filius Altissimi juxta Angeli testimonium vocatur. Non enim intellexit miser, de quo dixi, virorum insipientissimus, quòd modus iste locutionis frequenter fiat, non solùm in Scripturis sacris, verùm et in sæcularibus; velut dicamus: Matthæus, antequam obîsset, nusquàm aberravit à veritate, et alius nescio quilibet, antequàm pœnitentiam egisset, morte præventus est. Nec ideò rectè consequens videtur quòd aut hic post mortem erraverit à veritate, qui tunc omnem veritatem est ingressus, aut ille, postquàm obiit, pœnitentiam egerit quam antè non gesserat. Undè planè non est consequens ut Maria post partum miscuerit se, quòd ante conceptionem constat penitùs non fecisse. Quòd si hujusmodi locutio ità consequens esset, multa Scripturarum testimonia in contrarium venirent. Undè nos tali eloquio rectè præmoniti, dicamus quòd antè fidelem quemque oporteat mori, quàm credere post partum Mariæ quempiam se miscuisse. Et si ingruerit hinc persecutio, ante mortem non est fatendum quod post mortem impossibile erit cuipiam confiteri. Non enim intellexerat hic pistillo retusior, callidus disputator, quòd de hàc specialiter dictum sit in Canticis, quamvis generaliter de Ecclesià significatum intelligamus, nimirùm, quia quidquid in eà speciali narratur affamine, totum expressiùs monstratum signatur in genere. Ait enim sponsus ità: *Hortus conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus* [1]. Itaque *hortus conclusus*, quia uterus Virginis modis omnibus integer atque incorruptus fuit; hortus autem ideò est appellatus, quia universæ deliciæ Paradisi in eo effloruerunt, et signatus est venter pudoris, ubi fons emicuit nostræ redemptionis: signatus, inquam, quia incontaminatus atque incorruptus exstitit sanguis, ex quo manavit unda liquoris. Ergò quia signatus fuit sigillo pudoris, *inventa est* à sponso *habens in utero* non aliundè quàm de Spiritu sancto, ut idem investigator mysterii etiam testis fieret castitatis; *habens*, inquit, *in utero*, non aliundè accipiens, si quo modo expleretur illud Jeremiæ vaticinium: *Ecce faciet Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum* [2]. Circumdabit autem, non aliundè quàm ex se gignendo, ut sit novum et sæculis inauditum quòd virgo conceperit, et demùm manserit incorrupta: alioquin novum non esset, nisi contra naturam, imò ultra naturam, virgo Deum et hominem sine coitu genuisset. Et notandum quòd, quam hìc mulierem appellat, Isaias, ut mirabilius illud enuntiaret, Virginem designavit: ille siquidem mulierem, ut sexum monstraret, et ostendit, et præmisit *novum*, ut Virginem explanaret: iste verò ut incredulos mulceret ad fidem, manifestiùs parituram pro miraculo Virginem præsignavit.

3. Intereà, sicut diximus, à Joseph *inventa est habens de Spiritu sancto.* Non absurdè quæritur cur posteà velut dubius cogitando secum deliberet eam dimittere. Quo profectò patet quia *inventa est* ab eo *habens in utero;* sed utrùm *de Spiritu sancto*, aut alio quolibet ex facto, penitùs ignorabat. Sciebat namque se virginem accepisse et servâsse intactam; de quà tamen dubius elegit aliquod medium, per quod effugeret, ne videretur celare quod ignorabat, et ne traderet velut ream ad pœnam,

[1] *Prov.* IX, 1.

[1] *Cant.* IV, 2. — [2] *Jerem.* XXXI, 22.

quam procul dubio inculpabilem noverat. Illud verò quod additum est, *habens de Spiritu sancto*, Matthæus ardenti probatur amore præveniendo addidisse, antequàm Angelus id exponeret, maximè ne lectoris animum mox subreperet suspicio quæ posteà dictis Angelicis purganda esset. Joseph autem, quamvis nôsset eam habere non de carnali concubitu, tamen ignorabat quòd esset *de Spiritu sancto*; et ideò dubius inter utrumque, mediam, ut dixi, subterfugiendi elegit viam, ut occultò dimitteret eam, quia undè vel quid esset in eâ, profectò hactenùs nesciebat. Quòd autem *de Spiritu sancto*, vel sicut in græco est, *ex Spiritu sancto*, dicitur *inventa*, sciendum quòd quidquid ex altero est, aut ex substantiâ ejus est, aut ex potestate. Ex potestate quidem, de Deo, ut est *ex quo* [a] omnia; ex substantiâ verò, idem Spiritus ex Patre Filioque procedit. Et ideò hìc potiùs ex potestate quàm ex substantiâ accipiendum est: nec incarnatus intelligatur Spiritus, etsi unius substantiæ sint Filius et Spiritus sanctus.

4. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere.* Virum autem hìc, sicut et in aliis quibuslibet locis, non aliud quàm sponsum, secundum consuetudinem divinarum Scripturarum accipere debemus, sicut nec uxorem aliud quàm sponsam intelligimus; consuetudo namque est Scripturarum sanctarum sponsos viros dicere, et sponsas uxorum nomine nuncupari. Undè pauca de plurimis ex Deuteronomio sumenda sunt testimonia, ut pateat quod dicimus : *Si quis*, inquit, *invenerit virginem desponsatam viro in campo, et vim faciens dormierit cum eâ, morte moriatur, quia humiliavit uxorem proximi sui* [1]. Et in alio loco : *Quis est homo cui desponsata est uxor, et nondùm accepit eam? Vadat, et revertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, et alius accipiat eam* [2]. Necnon et alibi : *Si autem fuerit adolescentula sponsata viro, et invenerit eam homo humiliaveritque eam, ambo moriantur : adolescentula quidem, quia non clamavit; vir autem, quia humiliavit uxorem proximi sui* [3]. Ex his ergò et aliis Scripturarum locis, manifestum est sponsos viros appellari. Et ideò hìc rectè virum eum accipimus, maximè cùm in eo affectus servatur amoris, quod est verum conjugium, et in eâ fructus sine coitu inventus est nuptiarum. Jàm ultrà in negotio quid obsistat ne vir Joseph et Maria uxor rectè dicatur, omninò non video, nisi quòd sola libido intervenire non potuit, ubi ad informandam vitam perpetua virginitas servabatur.

5. [[b] Sed quid sit quòd Joseph rectè *justus* dicatur, qui non modò castitatis non accenditur zelo, verùm nec causam exquirit? Pudoris utique Mariæ est testimonium quam innocentem noverat, ut eam servando justus valeat appellari. Verumtamen pio magis videtur congruere quàm justo, ne velit prægnantem tradere homicidio. Sed quarumlibet tunc divino judicio vera est virtus, quandò neque pietas sine justitiâ, neque sine pietate justitia invenitur? Quæ profectò, si separatæ fuerint ab invicem, dilabuntur, ità ut justitia sine pietate crudelitas appelletur. Et ideò rectè justus quisque, quia pius.] Sed sanctus Evangelista justum eum magis commendat, ut ex hoc Mariæ castitatis testimonium esset. Cæterùm pium eum demonstrat, dùm dicit quòd noluerit eam traducere. Quod verbum *traducere* videtur ad utramque partem posse referri, videlicet quòd distulerit quam sponsam acceperat ducere in conjugium, et quòd eam traducere nollet ad pœnam, in quâ noverat non esse traditionis infamiam. Sed hoc *traditionis* verbum ad reatum magis quàm ad aliam quamlibet significandam causam sæpiùs in Scripturis positum invenitur. Undè quia de radice peccati originalis non conceperat, justum fuit ne eam ipse traduceret, quia castitatis ejus conscius erat: propter cujus justitiam et ipse justus meritò appellatur. Ex timore quidem inventus est pius; sed ex conscientiâ quam habebat castitatis, quia nôluit eam traducere, justus utique approbatur. Quidam sanè dicunt quòd significantiùs hoc verbum in græco dicatur παραδειγματίσαι, et *propalare* interpretetur, ut sit sensus, quia noluerit conceptum ejus omnibus palàm facere. Sed nos auctoritatem nostri Interpretis sequentes, verius existimamus quod ex hebraico fonte translatum bibimus, quia in eâ linguâ hoc Evangelium scriptum primitùs minimè dubitamus. *Voluit*, inquit, *occultè dimittere eam.* Et quarè, *occultè?* Ne, si palàm esset, omninò velut adultera plecteretur ad pœnam, aut certè si apud se eam servaret nesciens rei eventum, velut peccati conscius, ipse se reum faceret coram Domino. Quod velim audiant temerarii, et discant, inter causarum incerta, diù secum ex reverentiâ timoris Dei deliberare negotia, ne discrimine levitatis pressi in deterius cadant.

6. *Hæc autem*, inquit, *eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis.* Quid igitur est, *hæc eo cogitante*, nisi quæ per anticipationem Evangelista præmisit? Ubi profectò talis videtur sensus reddendus, ac si diceret : Hæc eo ante deliberationem inter angustias cogitante quid ageret, utrùmne occultè dimitteret, an deberet traducere. Cùmque itaque hæc jàm secum deliberare cœpisset, quòd vellet eam occultè dimittere, *ecce Angelus Domini apparuit ei in somnis, dicens : Jo-*

[1] *Deut.* XXII, 25 et 24. — [2] *Id.* XX, 7. — [3] *Id.* XXII, 23 et 24.
[a] Vide Notam c, p. 69.

[b] Verba uncis inclusa sunt ferè S. Petri Chrysologi (vide p. 52, n. 1, parùm à principio usquè ad finem hujus Num.).

seph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. [ª Cùm igitur æstuaret sanctus animus, negotii novitate perculsus, cùmque pietatem inter caligines ignorantiæ potiùs elegisset, ne quasi ex justitiâ crudelitatem incurreret, subitò in somnis Angelico consolatur affectu, et certus redditur de conceptu. Undè profectò liquet quia inter moras totum committebat Deo, nesciens quid ageret. Idcircò mox meruit consolari, ne culpam incurreret. Et nos, fratres, quotiès turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdùm interiora veritatis nescire, declinemus præsens judicium, subtrahamus sententiam, fugiamus discrimen, dicamus totum Deo, ne, dùm temerè gestimus definire sententiam, nobis paremus ex discrimine alieno ruinam.] Quòd autem Angelus Domini *in somnis*, et non in aliâ manifestiùs revelatione illi apparuit, dubietas animi designatur, quia, dùm inter angustias anxietate dubius velut infidelitatis somno opprimitur, Angelum conspicuâ visione videre non meruit; sed tamen, quia timore devotus, circa pietatem justus apparuit, saltem per somnum visionem videre potuit, ne diutiùs premeret culpa dubietatis quem æquitatis justitia commendabat. Et notandum quòd non in somno, sed *in somnis* illi Angelus apparuisse dicitur: quo fortè plurimis visionibus usquè ad sufficientiam fidei monstratur ostensus, quem somnus aliquantisper occultabat, eo quòd esset caligine circumductus. Sed sanè requirendum puto, secundum proprietatem verbi, si fortè sermo divinus certius aliquid *in somnis* velit significare, quàm si dixisset in somniis: quia somnus ipsa quidem dormientium quies est; somnium verò nonnumquàm delusio dormientis. Hinc est quòd dicitur Angelum apparuisse, quia res insolita ultra somniorum phantasias præmonstratur. Non enim ejus natura fuit Angelum videre cùm vellet, sed in potestate ipsius apparentis, quomodò et quandò se præbuisset. Nam hoc verbo divina Scriptura, frequenter tali utens eloquio, potestatem semper significat apparentis, ut nos altiùs erigat ad consideranda causarum negotia, quibus penè se semper confirmat exhibitio demonstrantis. Hinc quia Joseph angore dubius illo prægravatur somno, quo in Passione Apostolorum oculi premebantur, quamquàm non ex duritiâ cordis hæc dubietas eveniret, sed de admiratione rei magnitudinis, saltem in somnis instruitur, ut ex eo patesceret interiùs quid corde gestaret. Signanter quoque additur: *Angelus Domini,* ob distinctionem alterius Angeli, ne fortuitò delusio putaretur. Undè quia in eo pietas ac justitia decertare videntur, mox pellitur dubietas et revelatur arcanum. Panditur planè quod primùm per Angelum ostensum fuerat Mariæ, et fit continuò mysterium. Quod mirum satis admodùm videtur, si quod olim Mariæ narratum fuerat, Joseph per eam non potuit agnoscere. Sed quia perscrutari etiam quæ potiora sunt mysterii, propter fastidiosos quosque brevitati studentes, omisimus, ad reliqua quæ sequuntur commenta tendamus.

7. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Hæc quidem vox blandientis affectu familiarissimum eum sibi ac notum designat, cujus nomen ac genus signanter nuncupat. Sed ideò profectò fit ut hanc vocem, dudùm ad David prolatam, recognoscat: *Juravit,* inquit, *Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem meam*[1]. Noverat enim se de David stirpe descendisse, et ideò monendus erat ut recoleret ex Prophetâ quod jàm in se compleri cernebat et in Mariâ: nimirùm qui cùm hìc David filius dicitur, datur intelligi de Mariâ, dùm eam ex eàdem stirpe cognoverat descendisse, de quâ ipse filius David ab Angelo vocabatur. Quod volens idem ostendere: *Joseph,* inquit, *fili David,* ac si patenter dicat: Recognosce quid dictum sit domui David; quia quod ibi promissum est ex prophetiâ, jam sanè completum est per Mariam: undè: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam,* quia si non ex tuo coitu quod nascetur, tamen per eam, quia ex te propinquitatem carnis ducit, tibi filius generatur. Et ne suspiceris quòd genitus sit ab alio: noveris quia de Spiritu sancto est, ut totum percipias in mysterio quod olim habueras in promisso. Et quomodò me audis in personâ genus vocare et in te totam prosapiam reiterare, ità ut tricesimâ octavâ generatione [b] natus filius David dicaris; sic propinquiùs intellige Mariam ex reciproco de tuâ carne quodammodò derivari. Moneo ut habeas filium sine coitu, et possideas eam uxorem plenissimo charitatis affectu; propter quod: *Ne timeas*, inquit; ac si diceret: Ne timeas de reatu, imò amplectere conjugem tuam charitatis officio, quia charitas foràs mittit omnem timorem. Conjugem autem quarè dixerit, jàm suprà exposuimus, etiam inter reliqua, quòd nihil defuerit operis conjugii, nisi sola commixtio libidinis, in tantùm ut ad Joseph juxta carnem pertineat ortus Christi, si quo modo dici possit idem per hoc pater Salvatoris.

8. *Quod enim in eâ natum est,* inquit, *de Spiritu sancto est.* Videtur quoque hìc subtilis valdè nasci intelligentia, ne fortè *quod natum est in eâ,* filius ejusdem Spiritûs, de quo conceptus est, juxta quod ipsi confitemur in symbolo, absurdè intelli-

ª Verba uncis comprehensa, rursùs depromuntur è Num. 2, 52, Hom. 1 S. Petri Chrysologi.

[1] *Psalm.* CXXXI, 11.

[b] Vide Notam c, p. 53.

gatur. Dicimus enim quòd conceptus sit de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine. Si enim sic accipimus ut eum filium Spiritûs sancti dicamus secundum humanitatem, profectò in sanctâ Trinitate duos patres intromittimus, videlicet unum divinitatis, et alterum humanitatis ejus propagatorem Spiritum sanctum. Sed quis hoc dicere audebit? Undè aliter datur intelligi, et quærendum si non ideò dicatur de Spiritu sancto natus, quia fecit eum nasci de Virgine: quippè quia hoc opus mirabile totum dono Dei factum est, et donum Dei propriè Spiritus sanctus dicitur. Sed et ipse Spiritus charitas Patris ac Filii ubique catholicè prædicatur: quæ charitas profectò sola eum ad incarnandum adduxit. Et ideò quòd natus est de Mariâ Virgine, utique de Spiritu sancto rectè interpretatur, quia causa nascendi sola charitas fuit. Neque adeò, quia mundum istum fecit Deus, eum dici fas est Dei filium, aut natum de Deo ullatenùs prædicari; sed factum, creatumve, aut institutum, aut conditum ab eo, vel certè si quid hujusmodi, rectè dici potest. Quin neque concedendum, ut quidquid de aliquâ re nascitur, continuò ejusdem rei filius prædicetur. De quarum rerum exemplis pauca de pluribus pandam. Certè omnes qui Christiano censentur nomine, profectò nascuntur ex aquâ et Spiritu sancto, quia omninò aliter Christiani esse non possunt; sed numquid eos rectè quisquam filios aquæ aut Spiritûs sancti dixerit? Imò Dei Patris et sanctæ matris Ecclesiæ filii nuncupantur. Sic itaque quamvis longè differentiùs natus de Spiritu sancto Filius Dei Patris dicatur, tamen non est filius ejusdem Spiritûs sancti ullo modo appellandus. Videtur autem adhuc quosdam movere, quia dictum est ab Angelo: *Quod natum est in eâ;* cùm nostræ consuetudinis non sit natum dicere, priusquàm in lucem hujus mundi quisque veniat, quòd omninò nativitas illa nondùm expleta sit. Sed fortè dictum putamus juxta sanctarum Scripturarum loquendi consuetudinem, ubi sæpè præteritum jàm narratur quod novit esse futurum; vel certè secundum præscientiam ipsius Angeli quam habebat ex Deo, cui futurum jàm quasi præteritum erat, rectè natus accipitur.

9. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Aliàs autem idem juxta Lucam idipsum Mariæ legitur dixisse: *Ne timeas, Maria*, inquit, *invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit*, inquit, *magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* [1]. Hoc ideò totum dixerim, ut saltem vox Angelica credatur Mariam de stirpe David venisse, quod Faustus contradixerat, et intelligat fidelis auditor quia omnes promissiones Patriarcharum et omnia Prophetarum eloquia super hanc promissionem concinant, ut is qui promittitur, regnare debeat in æternum. Cæterùm quia huic dixerat: *Vocabis,* quod olim jàm Mariæ dixerat, debemus animadvertere quòd idem Angelus in suâ perdurat sententiâ, utrique præcipiendo, quatenùs Scriptura divina quæ Jesum multis in locis, scilicet Salvatorem vel Salutare repromittebat ex nomine, eumdem jàm venisse, tàm viris quàm feminis, repræsentet ex voce.

10. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Volens itaque Angelus nomen ejus interpretari, addidit: *Salvum faciet populum suum;* quia nostra vitiorum ægritudo aliter sanari nequiverat, si non salus credentium advenisset. Nam licèt multi Jesus olim fuissent, hic tamen substantialiter salus est appellatus. Et notandum quia non, sicut Judæi falluntur, terrenam Jerusalem venturus est salvam facere; sed venit salvare *populum suum à peccatis eorum: populum,* inquit, *suum,* quia etsi venditi eramus sub peccato, tamen legibus naturæ, ejus eramus. Undè Zacharias: *Et fecit*, inquit, *redemptionem plebis suæ in domo David pueri sui* [2]. Ergò quam suam præscivit, illam procul dubio venit salvare: reliquos omnes occulto suo judicio in massâ damnationis reliquit.

✠ CHRISTIANUS DRUTHMARUS, CORBEIENSIS MONACHUS [*].

Num. 1. Quibus de causis Mater Jesu desponsata fuit? — 2. Joseph justus et pius erga Mariam quam invenit in utero habentem. — 3. Multiplex genus visionum quibus Deus ante Incarnationem hominibus locutus est. — 4. Verbis Angelus solatur et confirmat Josephum. — 5. De nomine Jesu.

1. *Cùm esset desponsata.* Sponsus et sponsa à *spondendo* dicti sunt, eo quòd antè spondebant sibi cautiones matrimonii consentire, et dabant fidejussores, etiam annulo subarrhabantur. Tali ergò

[1] *Luc.* I, 30-33. — [2] *Ibid.* 68 et 69.

[*] Desumitur hæc Homilia è Druthmari Expositione in Matthæum, quæ reperitur in Bibliothecâ Lugdunensi Veterum Patrum, Parte 2 sæculi noni. Juxta Fabricium (Biblioth. mediæ tinfimæ latinitatis), Druthmarus pertinet ad sæculum laben undecimum et ad Gregorii VII tempora; sed huic assertioni contradicunt viri docti quotquot de illo Druthmaro egerunt: Sigebertus, Trithemius, Sixtus Senensis, Cave, Auctores Galliæ litterariæ hunc ad medium circiter sæculum nonum reducendum esse opinantur: quæ sententia nobis videtur esse amplectenda.

modo desponsata erat Maria Joseph, non tamen in concupiscentiâ juncta. Quarè desponsata fuit? Videlicet pro quatuor causis. Prima, ut per generationem Joseph Mariæ nosceretur origo, quia de unâ generatione fuisse noscuntur, quia præceptum erat ut unusquisque homo de suâ tribu uxorem sumeret: quod Joseph, qui justus erat, hoc custodiebat, sicut apparuit in censûs professione, quia, cùm præceptum esset ut unusquisque reverteretur in terram et in patriam suam, et ibi profiteretur nomen suum et artem et solveret censum, *ascendit autem et Joseph a Galilæâ in civitatem David quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ* [1]. Secunda causa, ne lapidaretur à Judæis, si esset sine viro et habuisset filium : omnium enim incredibiles Judæi lapidâssent eam, si Joseph ab illâ se separâsset. Maluit enim de ortu suo dubitare quosdam quàm matrem suam falsis suspicionibus infamari, vel etiam per tormenta cruciari. Tertia causa, ut in Ægyptum iens, vel revertens, is qui vir erat procuraret quæ necessaria feminæ erant, focum vel victum, et ut infantem tanto itinere ferret ac referret. Quarta causa, ut partus ejus diabolum lateret, qui, si eum de virgine natum scîsset, numquàm eum crucifigere suasisset Judæis. Undè et hoc requisivit per tentationes, si esset Filius Dei. Sciebat namque per Scripturas quia nasceretur de Virgine, sed in hoc deceptus est, quia de muliere putavit eum fuisse natum.

2. *Mater ejus.* Cujus, *ejus?* Mater Immaculati, mater Unici, qui in cœlis sine matre, in terrâ sine patre natus est. Mater dicta, quia exindè efficiatur aliquid. *Maria.* Dicitur *illuminatrix*, sive *stella maris :* genuit enim lucem mundi. Sermone syro *domina* vocatur, et justè : genuit Salvatorem mundi Dominumque universi orbis. *Antequàm convenirent,* hoc est, eâ convenientiâ quâ usus erat convenire sponsum et sponsam. *Inventa est :* videlicet ab ipso Joseph inventa, qui penè licentiâ maritali, ut putabatur, futuræ uxoris omnia secreta noverat. Erat enim usus in illâ gente, ut, qui uxorem debebat accipere, ad templum eam desponsaret, et posteà, si dives esset, haberet missos suos cum eâ, aut si pauper, ipse custodiret simul cum patre et matre usquè ad præfinitum tempus. Eo igitur tenore inventa est à Joseph : *In utero habens de Spiritu sancto*, quia pro certo sciebat quòd nullus homo ad eam eo modo junctus fuisset, ut concipere potuisset. De istâ solummodò hoc scriptum est, quòd et in utero habuerit de Spiritu sancto : ista autem et in mente et in utero. Ἅγιον Πνεῦμα dicitur, quandò de Spiritu sancto intelligitur; quandò verò de alio, ὅσιον πνεῦμα dicitur. *Cùm esset justus.* Testimonium Evangelistæ est de Joseph, quia justus erat et in consummatâ lege erat, et hoc etiam ex apparitione Angeli credere possumus, ex verbis ipsius dicentis : *Noli timere ;* si enim in eam malam suspicionem habuisset, nec ipse justus esset, nec Angelus dixisset : *Noli timere ;* sed : Noli despicere. *Et nollet eam traducere,* hoc est, diffamare, sive transducere. *Voluit occultè dimittere eam.* Si justus erat et nullam malam suspicionem in eâ habebat, quarè sanctam et justam vellet dimittere? Sed sciebat conversationem ejus fore sanctam, et appropinquare se indignum reputabat. Sicut beatus Petrus faciebat, cùm, viso miraculo piscium, dicit : *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum ;* [2] vel sicut Centurio mittens missos ad Dominum, dicens : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, nec meipsum dignum existimavi ad te venire* [3]; ità et iste dicebat : Longè faciam eam à me et à cognatione meâ, quia perspicio in eâ quoddam magnificum sacramentum [a].

3. *Hæc autem eo cogitante*, hoc est, indignum se judicante ei appropinquare (si enim aliud iniquè cogitâsset, Angelus ei non apparuisset ; à superbis enim potiùs refugit quàm appropinquat, et idcircò apparet non fuisse despectum superbiæ, sed humilitatis elongationem) ; *ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens.* Visionum quibus Deus omnipotens locutus est ante Incarnationem, quibus loqui voluit, septem genera sunt. Primum genus per aures corporis, ut sicut vidit Moyses rubum ardere et audivit vocem Dei per aures corporis [4], et omnis turba exercitûs Israelis audivit Dominum dicentem decem verba legis [5]. Secundum genus, extasis, sicut Petro, quandò misit ad eum Cornelius: *Et cecidit super eum mentis excessus, et vidit vas linteum submitti de cœlo* [6]. Tertium sicut Nabuchodonosor, quandò vidit statuam de metallis [7], vel arborem abscissam radicitùs [8], et nihil intellexit. Quartum per nubem, sicut ad Job post plagam locutus est [9]. Quintum in corde, sicut multis sanctis, vel etiam Balaam, quandò misit verbum in ore ejus, et assumptâ parabolâ [b] locutus est [10]. Sextum repletio Spiritûs sancti, sicut replevit septuaginta senes in eremo [11]. Septimum in somnis. Alii, quod verius est, tria genera esse dixerunt : unum per corporeos oculos, sicut Abraham [12] et Loth [13] Angelos viderunt et locuti sunt cum eis : aliud in corde,

[1] *Luc.* II, 4 et 5. — [2] *Id.* VII, 6 et 7. — [3] *Id.* I, 43. — [4] *Exod.* III, 2 et *Act.* VII, 30. — [5] *Exod.* XX, 18. — [6] *Act.* X, 10 et 11. — [7] *Dan.* II, 31-33. — [8] *Id.* IV, 7-15. — [9] *Job* XL, 1. — [10] *Num.* XXIII, 5 et 7. — [11] *Id.* XI, 25. — [12] *Gen.* XVIII, 2-8. — [13] *Id.* XIX, 1-22.

[a] Eadem verba leguntur in Auctore Homiliæ 1 in diversos (vide p. 24, ad finem Num. 4).

[b] Vox græca παραβολή, *parabola*, sententias et gnomas sapientes significat, sive adjunctam habeant comparationem aut allegoriam aliquam, sive non habeant.

sicut Danieli locutus est in corde, quæ Baltassar oculis corporeis viderat et non intellexerat[1] : tertium in somnis et in corde, sicut ad Isaiam et ad omnes Prophetas et ad istum Joseph : quæ visio excellentior est aliis. Nihil enim prodest oculis videre corporalibus sicut vidit Baltassar, nisi quis et mente videat, sicut vidit Daniel eamdem visionem. Similiter nihil prodest videre in somnis ut viderunt Pharao et Nabuchodonosor, nisi adsit qui sic videat sicut viderunt Daniel et Joseph. Eo ergò modo quo perfectis ab initio locutus est Deus, eo etiam isti Joseph; quia quæ vidit in somnis intellexit et credidit, quia sicut Deus omnipotens inter cæteros Archangelos Gabrielem, qui *fortitudo Dei* dicitur, ordinavit ad annuntiandum mysterium Salvatoris nostri, quem etiam et huic Joseph locutum esse credimus, sic ordinavit perfectos viros ad tractandum Incarnationem Domini nostri, et non curavit per divites hoc agere qui solent esse pleni vitiis, sed per pauperes plenos virtutibus. Undè iste unus fuit, qui dignus habitus est nutritius fieri Dei, et custos matris ejus; et dignum hoc erat, ut qui totos homines in potestate habebat, sanctiores et perfectiores sibi appropinquare faceret.

4. *Joseph, fili David :* non solùm filius, quia de ejus prosapià, sed etiam imitando fidem ejus. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Noli trepidare : noli te indignum judicare illi vel matri ejus servire, quia illa digna et ordinata inventa fuerat ad generandum eum, et tu ad nutriendum electus es. Fuit autem tuus æquivocus castus inventus et bonus, sed non tu eo inferior, cui credita est virginitas matris et bajulatio nascentis. Dicatur interim conjux tua, ut liberes eam de persecutionibus Judæorum; sed melior tibi erit quàm si habuisses tantas uxores quantas habuit Salomon. Ipse qui nascetur ex eà, dicetur ad tempus filius tuus, sed est et Creator tuus, qui melior erit tibi quàm si habuisses quadraginta filios, ut Abdon habuit. Propterea servi ut Domino dominorum et Regi regum. Conjugem tuam dicito, ut diabolus et Judæi nesciant de virgine natum qui nasciturus est. Si non est conjux tua more aliorum hominum, erit conjux tua ut recipias mercedem : cùm illa receperit pro generatione, tu recipies pro educatione in vità æternà. *Quod enim in eà natum est, de Spiritu sancto est.* Instruitur Joseph meliùs quod antè sentiebat de sanctà Marià, videlicet quòd de Spiritu sancto sit quod in eà videbat. *Pariet autem filium:* quamvis de Spiritu sancto sit quod in eà natum est, tamen pariet filium : quod numquàm audìsti ut femina peperisset filium de Spiritu sancto.

5. *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Ego dico tibi nomen ejus quod ante sæcula. Non tu pones ei nomen ex libitu tuo, vel mater ejus; sed voca eum nomine quod habuit ante sæcula. Salvatorem eum testare, quia ipse salvum fecit ab initio omnem mundum. Jesus hebræum nomen est, et Angelus Dei expressit etymologiam et interpretationem, quandò dixit : *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Scribitur autem Jesus *iota*, et *eta*, et *sigma*, et apice desuper, ΙΗΣ, apud nos. Nam in Græcorum libris solummodò per *iota*, et *sigma*, et apice desuper, invenitur scriptum, ΙΣ[2], et sicut alia nomina Dei comprehensivè debent scribi, quia nomen Dei non potest litteris explicari : quandò purum hominem significat, per omnes litteras scribitur. Debemus autem scire ubi primitùs istud nomen fuerit inventum, hoc est, à Moyse primùm impositum filio Nun, quandò reversus victor de pugnà Amalec ad quam miserat eum Moyses cum aliquà parte populi. Tunc ierunt ei obviam reliquus populus cum sacerdotibus, et imposuere ei hoc nomen, ut vocaretur Josue, hoc est, Salvator, quia salvavit populum de Amalec. Et nomine et in facto ille Josue figuram gessit Domini, quia Amalec qui interpretatur *populus lambens*, diabolum significat, de cujus lambitione, id est, seductione, semper liberat populum suum, hoc est, qui suì esse festinat ore et opere, et à nomine ejus Christiani vocantur. Non etiam absolutè dixit populum, sed *suum* addidit, id est, qui fidem et spem suam in eo posuerunt.

[1] *Dan.* V, 17-28.

[2] Græci breviatè scribebant litteris majusculis ΙΗΣ; idem posteà, servatis characteribus græcis, fecerunt Latini. Hinc factum ut in hodiernum diem Latini litteris reverà græcis quas imperiti romanas putant, idem nomen pingant hoc modo : IHΣ. Quod moneo, non ut scriptura mutetur, sed ut ejus origo noscatur. ESTIUS, *Comment. in cap.* 1 *Epistolæ ad Rom.*

✠ HAYMO, HALBERSTATENSIS[a] EPISCOPUS[b].

Num. 1. Quibus de causis Christus de desponsatâ virgine natus est? — 2. Cur Joseph justus dicitur? Adam terrenus et Adam cœlestis. — 3. De variis apparitionum generibus Dei ad homines. — 4. De allocutione Angeli ad Josephum.

1. *Cùm esset desponsata.* His causis non de simplici virgine, sed de desponsatâ natus est Christus : ne per feminam, sed per virum, juxta morem Scripturæ, genealogia texeretur : ne lapidaretur à Judæis ut adultera : ut in Ægyptum fugiens, haberet viri solatium : ut partus ejus celaretur diabolo, dùm putat non de virgine, sed de uxore genitum : ne temeratæ virginis adureretur infamia; maluit enim Dominus aliquos de suo potiùs ortu quàm de matris pudore dubitare : ne virginibus velamen excusationis fieret quòd infamata sit mater Domini : ne dicente Domino : *Non veni solvere legem, sed adimplere* [1], ullus objiceret quòd cum legis injuriâ natus sit : ut testis pudoris maritus adhiberetur qui posset delere et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum : ne videretur Maria culpam obumbrare mendacio; causam enim mentiendi desponsata non habuit, cùm conjugii præmium partus sit feminarum : ne Herodi et Judæis excusandi præberetur occasio, quòd natum ex adulterio persequerentur : ut fidelibus conjugatis ex pari consensu continentia insinuaretur : ut, nisi prævaricationi esset obnoxia, qualiter humana progenies multiplicari sine virginitatis detrimento potuisset, demonstraretur. *Desponsata*, id est nondùm nupta. *Mater ejus.* Mater ejus, inquit, non uxor Joseph. In ipsâ januâ amborum ponuntur nomina quæ factis congruunt. *Antequàm convenirent.* Proximum nuptiarum tempus ostendit; non quòd sequeretur ut posteà convenirent, sicut hoc dicit Helvidius. *Inventa est,* à nullo alio nisi à Joseph, qui maritali licentiâ futuræ uxoris omnia noverat. Hîc Matthæus prætermisit multa quæ Lucas narravit, dicens : *In mense*, inquit, *sexto missus est Gabriel Angelus à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, gratiâ plena, Dominus tecum* [2], etc. ; nimirùm enim ad id usquè genealogiam deduxit, ut diceret : *Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Christus* [3]. Et ideò conceptum ejus quem transcenderat, Lucæ narrandum reliquit. *In utero*; non in uterum accipiens, id est, non aliundè acceptum, sed interiùs veniente Spiritu sancto habitum, ut illud : *Femina circumdabit virum* [4]. *De Spiritu sancto.* Quæritur, si *inventa est* à Joseph *habens de Spiritu sancto*, cur dimittere eam voluit? Ideò scilicet quia nec totum scivit, nec totum ignoravit. Noverat in utero habentem, non de carnali concubitu, sed spiritali virtute. De quo verò spiritu conceperit ignorabat : quod ei aperitur quasi nescienti *de Spiritu,* dùm inducit, *sancto*, et reliqua. Item quæritur cur Matthæus anticipavit quod mox Angelus dicturus erat? Pro spiritali fervore, et ne lectoris animus paucissimis licèt lineis dubitaret, et *ut in ore duorum vel trium testium stet omne* [*verbum* [5].

2. *Joseph, vir ejus.* In Scripturis sponsæ uxores, et sponsi viri vel mares dicuntur. *Cùm esset justus.* Cùm conscii criminum obnoxii sint peccato, cur Joseph, cùm crimen celet, justus vocatur? Id est ut idoneum ejus testimonium commendet. In plerisque exemplariis additur : « *Cùm esset* homo *justus,* » ut ostendat secundum humanam justitiam Joseph justum fuisse, quia, comparatione justitiæ Dei, pro nihilo ducitur. Et ideò rectè sequitur : *Et nollet eam.* Non solùm celat, sed nec audet contingere templum Dominici corporis : rectè justus justitiæ templum non corrumpit. *Traducere.* Ac si diceret : Nollet ducere sponsam quam suspicatus est esse adulteram. Aut aliter : Traducere ad pœnam, quam sciebat non ab homine concepisse : *traductionis* enim verbum sæpiùs in malâ quàm in bonâ parte invenitur : quod etiam græcus non absurdè sermo significat παραδειγματίσαι, id est, *propalare*, quod est palàm facere, et omnibus notum facere conceptum. *Occultè :* ne, aut dimissâ uxore suâ, alieni coitûs reatum super eam induceret, aut liberatâ, seipsum quasi adulterii innocentem liberaret. Ecce Adam cœlestis nova opponit veteribus. Priori vice, ex solo viro femina facta est sine matre; secundâ verò, vir ex solâ muliere natus est sine carnali patre. Ex feminâ decuit nova redemptio, à quâ præcessit antiqua prævaricatio.

[1] *Matth.* v, 17. — [2] *Luc.* i, 26-28. — [3] *Matth.* i, 16. — [4] *Jerem.* xxxi, 22. — [5] *Matth.* xviii, 16; *Deut.* xix, 15; *Joan.* viii, 17; II *Cor.* xiii, 1 *et Hebr.* x, 28.

[a] Halberstadt est urbs in Saxoniâ Borussâ.

[b] Editio Coloniæ 1536, ubi hæc Homilia posteriorem partem efficit Homiliæ 8 Haymonis, quæ præfert hunc titulum : « In Vigiliis Nativitatis Domini. » Quoad priorem illius partem, quæ etiam reperitur in eâdem editione sub eodem nomine Haymonis, illam sub nomine Venerabilis Bedæ edidimus suprà, p. 56, ob rationes allatas in Notâ *c*, ibidem.

Terrenus Adam de incorruptâ terrâ formatus est, secundus Adam de incorruptâ carne Virginis Mariæ[1].

3. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini.* Bono viro et justo bona et justa cogitanti bonus et justus apparet nuntius; ideòque additur : *Domini*, ad distinctionem apostatarum angelorum. Hunc Angelum Gabrielem multi putant, juxta Lucæ videlicet narrationem, non quasi ipse sit nuntius nativitatis omnium, sed quia interpretatur *fortitudo Dei*, et victoria bellorum ei commissa est : ideò in nativitate Joannis et Christi nuntius venientium rectè mittitur. Rectè quoque de Deo cogitanti opportuna adhibetur consolatio, sicut duobus in viâ ambulantibus ostensus est Christus[2]. *In somnis apparuit.* Sermo *apparendi* insolitam rem significat. Duobus modis locutio divina distinguitur , aut per Angelos, aut per semetipsum. Sed cùm per semetipsum fit, solâ inspiratione interiùs sine verbis et syllabis cor docet, qui auditum aperit et habere sonitum nescit, sicut Philippo Spiritus dixit : *Junge te ad currum istum*[3]. Cùm verò per Angelum, his modis fit. Aliquandò verbis, sine ullâ imagine, sicut Christo dicente : *Pater, clarifica filium*, protinùs respondetur : *Clarificavi, et iterùm clarificabo,* et reliqua[4]. Aliquandò rebus, sine verbis, sicut Ezechiel electri speciem vidit in medio ignis[5], per hanc Christi Incarnationem designans. Aliquandò verbis et rebus, sicut Adam ambulantem Dominum in paradiso post meridiem vidit[6], significans lucem veritatis à se recessuram. Aliquandò imaginibus cordis oculis ostensis, sicut Jacob innixam cœlo scalam[7], et Petrus vas plenum animantibus in exstasi viderat[8]. Aliquandò imaginibus ante corporeos oculos ex aere assumptis, sicut Abraham tres viros non solùm vidit, sed in domum accepit, et insuper etiam pavit[9]. Aliquandò cœlestibus substantiis, sicut baptizato Domino vox insonuit, dicens : *Hic est filius meus*[10]. Aliquandò terrenis et cœlestibus, sicut coram Moyse in monte ignem rubumque sociavit[11], significans se doctorem populi fore, qui legis flammam acciperet, tamen peccati spinam non relinqueret, sive quòd ex illo populo exiret qui ignem divinitatis in humanitatis nostræ spinas imponeret. Aliquandò humanis cordibus secreta præsentia inspirat; undè Zacharias ait : *Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me*[12]. Cùm verò huic beato Joseph apparuisse dicitur, imagine cordis oculis ostensâ apparuit.

4. *Joseph, fili David.* [[a] Blandientis affectu loquitur, notum eum significans et familiarem cujus nomen et genus designantur. Hinc apparet quòd ex eâdem tribu erant Joseph et Maria, juxta illud : *Nemo copuletur, nisi de tribu suâ*[13]. In quo notandum quòd non tàm carne quàm spiritu filium David illum dixerit, ut justum virum ex genere justi propagatum hoc meruisse declararet.] *Noli timere.* Apparet quòd causâ timoris appetierit dimittere eam, qui timebat profiteri spirituale conjugium. Vide quòd metus ille non coercitus quo accipere uxorem prohibitus est, sed jubetur ne ad suam præsentiam illam accipere expavescat. Priùs timor expellitur, ut libentiùs dicenda posteà audiantur. *Conjugem tuam.* Solet Scriptura sponsas conjuges vel uxores vocare : sive ideò Maria conjux dicitur, quia sub eodem jugo educatura Salvatorem erat. *Quod*, inquit, *natum est*, non extrinsecùs seminatum, *de Spiritu sancto est.* Hic solvitur quòd Joseph scierit quod ignoravit; sed non ob hoc Spiritus pater Christi existimandus est, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus verò hominem; sed quia ejus ministerio Nativitas Christi adimpleta est. *Pariet autem filium;* parere tamen faciet sine dolore pariendi, sicut sine peccati voluntate fuit conceptus. Hic monstrantur quatuor incerta uniuscujusque nascentis, quia pariet filium qui vocabitur Jesus, qui *salvum faciet populum suum.Et vocabis.* O Joseph, vocibus Prophetarum non contradicas. Notandum quòd juxta Matthæum ad Joseph, juxta Lucam ad Mariam vocare nomen pueri prædictum sit, quia Jesus ad salutem utriusque sexûs venit. Jesum sequitur etymologia nominis, cùm ait : *Ipse enim salvum faciet populum suum:* verè suus, qui salvus esse possit. *A peccatis* : contra Judæos qui putant populum de captivitatibus, non de peccatis per Christum liberandum. *Eorum.* Nota quòd ejus est salus, nostra verò sunt peccata.

[1] I *Cor.* XV, 47. — [2] *Luc.* XXIV, 15. — [3] *Act.* VIII, 29. — [4] *Joan.* XVII, 1 et 4. — [5] *Ezech.* I, 4. — [6] *Gen.* III, 8. — [7] *Id.* XXVIII, 12. — [8] *Act.* X, 11 et 12. — [9] *Gen.* XVIII, 2-8. — [10] *Matth.* III, 17; *Luc.* IX, 35 et II *Petr.* I, 17. — [11] *Exod.* III, 2 et *Act.* VII, 30. — [12] *Zach.* II, 3. — [13] *Num.* XXXVII, 6 et *Tob.* VII, 14.

[a] Intra hos uncos, noster Haymo S. Paschasium Radbertum, p. 61, initio Num. 7, imitatur.

✠ REMIGIUS, MONACHUS S. GERMANI ANTISSIODORENSIS,

ORDINIS S. BENEDICTI [a].

NUM. 1. Decebat ut Dei Filius ex virgine nasceretur, et ut ea quæ virgo paritura erat, Dei Filium pareret. Quarè Christus è desponsatâ nasci voluit? — 2. Laudatur Josephi justitia. — 3. Christus Salvatoris nomen verè adimplevit. — 4. Matthæus Evangelista omnia quæ dicit, exemplis Veteris Testamenti confirmat. — 5. Virgo Filium Dei concepit et peperit. — 6. Vox *Emmanuel* divinitatem et humanitatem Jesu Christi in unâ personâ designat.

1. Nativitatem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, quâ Dei Filius homo fieri dignatus est, Matthæus Evangelista brevi quidem sermone, sed plenâ veritate descripsit. Cœpit namque ab Abraham generationem patrum describere, et perduxit eam usquè ad Christum, et, ut ostenderet quantùm distaret Nativitas Domini nostri Jesu Christi à cæterorum hominum nativitate, subjunxit: *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph.* Ostendit enim illos secundum solitam copulam maris et feminæ generantes et generatos; Justum verò nec generantem nec generatum, sed de Spiritu sancto ex Virgine conceptum et natum. Et quia Dei Filius nasciturus erat in carne, decebat ut non ex aliâ nasceretur, quàm ex illâ quæ virgo erat: et quia virgo paritura erat, decebat ut non alium pareret quàm qui Dei Filius esset. Sed sciendum quòd beatus Matthæus non tempus, non locum, non ordinem conceptionis narrat, quæ omnia manifestissimè beatus Lucas demonstrat, cùm dicit: *In mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria* [1]. Et quia virgo paritura erat Dei Filium, decebat ut priùs ab Angelo salutaretur, deindè divinâ virtute illustraretur, ac sic demùm Dei Filium in se susciperet. Quærendum nunc est quarè Dominus noster Jesus Christus non de simplici virgine, sed ex desponsatâ nasci voluerit, et sciendum quòd plurimæ rationabiles causæ à sanctis Patribus traduntur; verumtamen præcipuæ hæ sunt: Prima est ut per Joseph origo demonstraretur beatæ Mariæ, cùm ambo de unâ eâdemque tribu fuerint: secunda, ne quasi adultera lapidaretur à Judæis, si virum non haberet et filium procreâsset; tertia, ut fugiens in Ægyptum haberet maritale solatium quo sustentaretur, hoc est, haberet virum qui Dominum in Ægyptum ferret et referret, et necessaria femineæ fragilitati subministraret, et fidelis custos et tutor integerrimæ virginitatis et testis certissimus; et nutritius esset Domini fidissimus; quarta, quam addidit martyr Ignatius, ut partus ejus celaretur diabolo, id est, ut non haberet diabolus suspectum partum, dùm videret eum ex conjuge natum. Si enim de simplici virgine nasceretur, facilè diabolus eum Dei Filium agnosceret, et nunquàm crucifigeretur: undè est illud Apostoli: *Si enim agnovissent, numquàm majestatis Dominum crucifixissent* [2].

2. Sequitur: [[b] *Antequàm convenirent.* Hoc verbum *conveniendi*, non ipsum concubitum, sed tempus significat nuptiarum, id est, quandò ea quæ fuerat sponsa incipit esse uxor; et est sensus: *Antequàm convenirent*, id est, antequàm ritè solennia nuptiarum celebrarent; nam quòd posteà acceperit eam, Evangelista in subsequentibus manifestat, cùm dicit, quia, monente Angelo, accepit eam Joseph; et quia non concumbebant, idcircò subjungit: *Et non cognoscebat eam.* Tamen *inventa est habens in utero*, et certè à nullo alio nisi à Joseph, quia maritali scientiâ penè omnia futuræ conjugis noverat, et idcircò tumentem ejus uterum curioso deprehendebat intuitu. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Benè justus, quoniam justitiæ custos erat; videbat namque sponsam concepisse suam, quam noverat à nullo viro fuisse attactam: videbat gravidam, quam verè noverat castam, et quia legerat in Prophetâ: *De radice Jesse exiet virga, et flos de radice ejus ascendet* [3], et noverat beatam Mariam originem duxisse de stirpe David, qui fuit filius Jesse, legeratque etiam: *Ecce Virgo in utero concipiet et pariet filium* [4], idcircò non discredebat vel diffidebat hanc prophetiam esse implendam in eâ; et cùm esset justus, et omnia justè vellet agere, dignum existimavit ut hæc nulli proderet, et tamen eam non acciperet uxorem, sed, mutato proposito nuptiarum, dimitteret eam, ut maneret sponsa, sicuti fuerat. Et hoc est quod dicit Evangelista: *Et nollet eam traducere*, id est, palàm facere; sed occultè voluit

[1] *Luc.* I, 26 *et* 27. — [2] I *Cor.* II, 8. — [3] *Isai.* XI, 1. — [4] *Id.* VII, 14.

[a] Ex Fontanio, *Novæ Eruditorum deliciæ*, Tom. 3. Hic est Homilia 4, et inscribitur: « In illud Matthæi: *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* »

[b] Ferè sunt intra hos uncos verba Venerabilis Bedæ, p. 57, Num. 1 et 2.

dimittere, id est, tempus nuptiarum mutare : quod si fecisset, perpauci essent qui non magis autumarent eam meretricem quàm virginem ; et idcircò repentè consilium Joseph divino mutatum est consilio ; nam *hæc eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei.*] Justo Joseph, justè omnia cogitanti et disponenti benè, justus directus est nuntius, qui ad conservandam Virginis famam monuit ut eam acciperet uxorem. Hinc beatissimus Ambrosius ait : « Maluit Dominus quosdam de suo « ortu quàm de matris pudore dubitare : maluit « aliquos modum suæ conceptionis ignorare, quàm « castitatem suæ Genitricis infamare, hoc est, ma- « gis elegit ut filius fabri diceretur, quàm ut ejus « mater adultera vocaretur. Per hoc verò quòd « Angelus in somnis apparuit Joseph, requies de- « signatur mentis, et quia requiescebat à curis sæ- « cularibus, idcircò Angelicâ visitatione pariter et « locutione meruit perfrui.»

3. *Joseph, fili David, noli timere.* Blandientis affectu Angelus alloquitur Joseph[a], cùm eum proprio nomine, et filium David, vocet : erat enim filius David non tantùm genere, sed fide et imitatione. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Monuit ut acciperet ad nomen conjugii, non ad operis officium ; *quod enim natum est in eâ, de Spiritu sancto est ;* et ut dignitas partûs ostendatur, ait : *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum*, hoc est, totius mundi Salvatorem, et universorum salutis Auctorem. Salvat ipse quidem non infideles, non incredulos, sed populum suum, hoc est, in se credentem ; salvat non tàm à visibilibus hostibus, quàm potiùs ab invisibilibus, hoc est, à peccatis ; salvat non armis pugnando, sed peccata relaxando. Quòd autem tali nomine nuncupari debuisset, longè antè prædixerat per Isaiam, cùm ait : *Justus et salvans Dominus non est præter me* [1]. Et quòd tali nomine vocari debuisset, etiam antequàm nasceretur, ipse prædixit per Prophetam : *De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo* [2]. Sequitur : *Hoc totum autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam.*

4. Quærendum est in hoc loco quarè dixerit sanctus Evangelista totum factum esse, cùm superiùs solam narraverit conceptionem. Sciendum tamen quòd idcircò sanctus Evangelista totum factum esse dixit, ut per hoc demonstraret, quòd antè in præscientiâ Dei totum factum fuit quàm fieret apud homines, sive quia præteritarum rerum erat narrator, et ideò totum factum erat : mos namque fuit hujus sancti Evangelistæ penè omnia quæ dixit exemplis Veteris Testamenti confirmare, maximè propter illos Judæos qui ità crediderunt in Dominum Jesum Christum, ut timerent recedere à carnali observatione legis, ut tantò faciliùs retraheret eos ab ipso timore, quantò jàm viderent et agnoscerent ea esse completa in gratiam Evangelii, quæ prædicta vel gesta fuerant in Veteri Testamento.

5. *Ecce Virgo in utero habebit* [1]. Quòd virgo esset conceptura et Dei Filium paritura, multis demonstratur exemplis. Salomon enim dicit : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* : Sapientia Christus est, de quo Apostolus dicit : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* [3] : hæc Sapientia itaque ædificavit sibi domum, vel matrem de quâ sumpsit carnem, vel corpus in Virgine, in quo apparuit visibiliter inter homines. Et Psalmista dicit : *Mater Sion dicet : Homo et homo natus est in eâ ; et ipse fundavit eam Altissimus* [4]. *Mater Sion* ipsa est beata Virgo Maria, et Christus *homo factus est in eâ*, quia Filius Dei carnem sumpsit ex eâ ; *et ipse fundavit eam Altissimus*, quia ipse Altissimus, qui homo factus est, fecit sibi matrem de quâ nasceretur secundum humanitatem. Hinc et Isaias : *De radice*, inquit, *Jesse exiet virga, et flos de radice ejus ascendet* [5]. De radice Jesse exivit virga, quia de stirpe David qui filius Jesse fuit, ut diximus, originem duxit beata Maria, quæ florem munditiæ, id est, Dominum Jesum Christum, absque maculâ peccati concepit et genuit. Hæc est virga illa Aaron quæ fronduit, et frondes in amygdalum produxit ; nam sicut illa absque humore ullo terræ flores et frondem in amygdalum produxit, ità et beata Virgo Maria absque ullo humano semine concepit et peperit Christum. Et benè Dominus noster Jesus Christus similatur amygdalo ; nam sicut amygdalum constat ex osse, cortice et medullâ, ità Dominus noster Jesus Christus constat ex divinitate et humanitate, carne scilicet et animâ ; et qui absque humano semine natus est de Virgine, ideò per Prophetam loquitur, dicens : *Ego autem sum vermis et non homo* [6] ; nam sicut vermis ex ligno absque ullo semine nascitur, ità et Christus de Virgine. Indè est etiam quòd, secundum septuaginta Interpretes, scarabeus de ligno clamat.

6. Quærendum est etiam quarè dicat sanctus Evangelista : *Habebit*, cùm Propheta dicat : *Concipiet ;* et sciendum quòd, quia Propheta futura prædicabat, idcircò posuit *Concipiet ;* nam illud concipitur quod non habetur : Evangelista verò quia de præterito narrabat historiam, ideò mutavit *Concipiet*, et posuit *Habebit*, quoniam illud quod habetur jàm non concipitur, sed tenetur. Quòd autem dicit : *Vocabitur nomen ejus Em-*

[1] *Isai.* XLV, 21. — [2] *Id.* XLIX, 1.

[a] Idem sensus ac suprà, p. 61, n. 7 et p. 66, n. 4.

[1] *Matth.* II, 23. — [2] *Prov.* IX, 1. — [3] I *Cor.* I, 24. — [4] *Psalm.* LXXXVI, 5. — [5] *Isai.* XI, 1. — [6] *Psalm.* XXI, 7.

manuel [1], putandum est hoc nomen sic interpretatum fuisse ab aliquo translatore, non à Prophetà vel Evangelistà, ne hoc haberetur obscurum vel confusum apud Latinos; hoc namque nomine, duæ substantiæ Domini nostri Jesu Christi, divinitatis scilicet et humanitatis, in unâ personâ designantur, quia qui ante omnia sæcula ineffabiliter genitus est à Deo Patre, idem ipse in fine temporum factus est Emmanuel, id est, *Nobiscum Deus*, ex Virgine matre. Quod autem dicitur : *Nobiscum Deus*, potest intelligi hoc modo : Nobiscum factus est, hoc est, passibilis, mortalis, esuriens, sitiens, lassescens, et per omnia nostri similis absque peccati affectione : sive *Emmanuel*, hoc est, *Nobiscum Deus* factus est, quia substantiam nostræ fragilitatis quam assumpsit, substantiæ suæ divinitatis in unitate personæ univit et conjunxit, quandò *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [2], ut mirum in modum inciperet esse quod nos sumus, nec tamen desineret esse quod erat.

✠ ANSELMUS, LAUDUNENSIS SCHOLASTICUS ET CANONICUS [a].

NUM. I. Quarè Christus de virgine desponsatâ nasci voluit ? — 2. Alio modo natus est de Mariâ, alio modo de Spiritu sancto. — 3. Anxietas et deliberatio Josephi. — 4. Expenduntur singula verba Angeli Josephum alloquentis.

1. *Cùm esset desponsata*. Desponsatio fiebat per aliquod tempus ante assiduam cohabitationem, et interim erat sub custodiâ mariti sui uxor et frequenti visitatione, donec solennia nuptiarum celebrarentur. Quæritur quarè de desponsatâ Christus virgine voluit nasci. Multis scilicet de causis, ut scilicet per Joseph generatio texeretur, et Maria ab infamiâ defenderetur ; cùm enim mulier sit fragilioris sexûs et magis pudibundi, voluit matrem suam, non seipsum, ab infamiâ tueri ; ipse enim dæmonium habere dicebatur [3], *filius fabri* [4] *et potator vini* [5] vocabatur ; et tamen hæc et talia opprobria libenter patiebatur. Prætereà noluit virginibus dare occasionem excusationis, eo quòd mater Domini infamata fuisset. Propter etiam aliam causam voluit de virgine desponsatâ nasci, ne de fornicatione damnata lapidibus obrueretur, et etiam ut haberet qui eam procuraret, et puerum et eam in Ægyptum duceret et reduceret, et ejus nutritius esset. Deniquè est et alia principalis causa, ut diabolo partus Virginis celaretur, ut, cùm eam gravidam videret, à sponso, cui liceret etiam in desponsationis tempore, gravidatam esse putaret. Significatur etiam per Mariam Ecclesia quæ virgo et sponsa est.

2. *Maria mater ejus;* non quòd jàm mater esset, sed eam matrem Evangelista secundum suum tempus vocat. *Antequàm convenirent*, id est, nuptiarum solennia celebrarent, vel : Antequàm communi cohabitatione convenirent, vel : Antequàm convenirent ad carnis commixtionem ; non tamen ideò dictum est quòd posteà convenissent ; sed hic modus locutionis similis est illi, ac si aliquis diceret : Antequàm pœniteret, mortuus est ; nec tamen sequitur quòd post mortem pœnituisset. *Inventa est,* à Joseph, sicut à viro curioso circa uxorem suam, *habens in utero*, id est, gravida post tres menses, scilicet cùm de Elisabeth rediisset. Divinâ voluntate factum est quòd Virgo noluit annuntiationem Angeli marito suo aperire. Si enim puella ei revelaret, non facilè sibi crederet, imò aliquam culpam forsitan suspicaretur. Ideò sibi celandum erat, donec Angelicâ demonstratione illud secretum sibi detegeretur. Sequitur : *De Spiritu sancto*. Hoc ex parte suâ Evangelista adjunxit, ut, cùm diceretur habere in utero, omnis mala removeretur suspicio à mentibus audientium. Notandum est quòd alio modo natus est Christus de Mariâ, alio modo de Spiritu sancto. Cùm enim dicitur de Mariâ natus esse, de substantiâ ejus intelligendum est, et tunc de materiali est. Cùm autem de Spiritu sancto natus esse dicitur, quasi ex potestate Spiritûs sancti Nativitas illa fuisse intelligitur, et tunc de potentiali est, juxta illud : *Ex quo omnia* [b], id est, ex potestate cujus, non ex substantiâ sunt omnia. Ideò dicitur natus esse ex potestate Spiritûs sancti, quia Spiritus sanctus matrem ab omni peccato mundavit. Locum etiam præparavit in quo divinitas incarnaretur ; et sicut concupiscentia libidinis semen à patre separat, sic operatio Spiritûs sancti carunculam illam à matre

[1] *Matth.* II, 23. — [2] *Joan.* I, 14. — [3] *Id.* VIII, 48 *et alibi*. — [4] *Matth.* XIII, 55. — [5] *Id.* XI, 19.

[a] Ex Enarrationibus in Matthæum, quæ, sicut cætera Anselmi Laudunensis opera, sub nomine S. Anselmi, Cantuariensis Archiepiscopi, editæ fuerunt Coloniæ 1573 et 1612 ; sed juxta Manuscriptorum auctoritatem Anselmo Laudunensi restitui debent. HISTORIA LITTERARIA GALLIÆ.

[b] *Ex quo omnia*, scilicet principium de quo sæpiùs loquimur infrà, in Expositione Evangelii *In principio erat Verbum*.

separavit [a], cui Verbum conditum est, et paulatim crevit in utero sicut et alii pueri, et quandò cæteri vivificantur animâ, ipse Christus animâ vivificatus est. Quamvis hæc operatio Spiritui sancto attribuatur, tamen toti Trinitati communis est. Sed quæ ex solâ gratiâ et bonitate Dei fiunt, Spiritûs sancti dona dicuntur, qui bonitas, amor et concordia Dei vocatur, quia ab utrâque personâ Dei procedit.

3. *Joseph autem*, etc. Cùm rem adeò mirabilem inveniat Joseph, in dubium ponitur quid faciat. Cùm enim eam castam novisset, et undè malum posset suspicari de eâ nesciret, impium esset, si eam diffamaret. Ex alterâ parte, justitia non exigebat ut rei incognitæ se copularet, quia aut bona erat aut mala. Si mala erat, rei malæ sociari non debebat: si bona erat, timebat quòd non esset dignus. Itaque medium consilium invenit, ut occultè eam dimittat, ut eam dimissam non videatur dimisisse, sed semper loquatur cum eâ, et semper procuret eam, et tamen in assiduâ cohabitatione non recipiat. Cùm vellet eam dimittere (quia justus erat) occultè, pius nominatur, eam ab infamiâ defendens, et hoc est: *Cùm justus esset, voluit dimittere;* cùm nollet traducere in publicum, id est, infamare, voluit hoc facere occultè. Ubi nos habemus *traducere,* Græci habent *propalare.* Vel noluit eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam. Itaque diù cogitavit: in quo notatur animus sapientis qui nihil temerè vult incipere.

4. *Hæc autem eo cogitante*, meruit divinum consilium. Angelus impressit imaginem suam dormienti animæ, non quòd animus videret aliquod corpus, sed videbatur videre. Duobus modis fit apparitio Angelica: vigilanti, assumendo aereum corpus: dormienti, imprimendo imaginationem; et tamen Angelus qui præsens Joseph erat, nullum corpus habebat. Hæ visiones Judæis erant notæ et frequentes. *Angelus Domini* dicitur, ne malignus putetur. Et ait: *Joseph.* Cùm ex nomine vocat, quasi notum et familiarem sibi ostendit, et attentum reddit. Cùm dicit: *Fili David*, quodammodò hortatur ut ad memoriam revocet se et Mariam esse de stirpe David cui promissio facta est, et ideò nullatenùs diffidat illam promissionem posse impleri in Mariâ. Cùm subdit: *Noli timere,* ostendit quarè hoc cogitabat, quia scilicet timebat se rei incognitæ sociare. *Accipe Mariam conjugem tuam,* nuptiali conventu et assiduâ cohabitatione. Cùm vocet eam conjugem suam, secundum Augustinum, hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sensu, sed custodito mentis affectu. *Quod enim in eâ natum est*, etc. Quasi diceret: *Noli timere*, quia non est malum; *quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Aliud est nasci in eâ, aliud ab eâ; nasci ab eâ, est prodire in lucem; nasci in eâ, concipi. *Pariet autem filium.* Et ne videretur sibi Joseph ampliùs conjugio esse necessarius, cùm conceptio esset facta sine officio ejus, ostendit quòd, quamvis non sit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium, et tunc matri et filio erit necessarius: matri, ut ab infamiâ defendat: filio, ut eum nutriat et circumcidat: quæ circumcisio notatur, ubi dicit: *Et vocabis nomen ejus Jesum:* in circumcisione enim solet dari nomen: quod dicit: *Vocabis*, sed non impones, quia ab æterno impositum est. *Ipse enim salvum faciet.* Causam nominis ponit, quia *salvum faciet* non quoslibet, sed *populum suum* in fide, non ab hostibus corporalibus, sicut Josue et David, sed *à peccatis eorum:* quod non est hominum, sed solius Dei.

✠ S. BRUNO ASTENSIS [b], ABBAS MONTIS CASINI,

ET EPISCOPUS SIGNIENSIS [c].

NUM. 1. Cur Christus ex virgine desponsatâ nasci voluit? — 2. Mirabilis infans qui nascitur; mirabilis et Virgo quæ parit. De hæsitatione Josephi. — 3. Hanc Josephi dubitationem expellunt verba Angeli.

1. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Primùm autem quærendum est cur beata Maria desponsata fuerit, quæ ante partum virgo, in partu virgo, post partum virgo, numquàm virum cognitura erat? Multæ ex hoc rationes reddi possunt. Si enim virum non habuisset et gravida videretur, nulla excusatio subvenire posset, ut quasi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet sine viro concepisse?

[a] Vide Cornelium à Lapide eo in loco, p. 7, 2 col., et p. 8 et 9.
[b] *Asti*, urbs Sardiniensis regni.
[c] *Signi*, urbs in regione dictâ olim *Latium*, hodiè verò in *Pontificiis Ditionibus.* — Ex editione Romæ 1791, curâ Brunonis Bruni: ubi hanc Homiliam excerpsimus è Commentariis in Matthæum, Part. 1, Cap. 2, Sect. 6.

Quis ei crederet de Spiritu sancto ejus uterum intumuisse? Erat enim hoc inusitatum, inauditum, et sine exemplo. Melius ergò fuit ut semper virgo, ad tempus non virgo putaretur, quàm ut accusata secundum legem lapidaretur. Non enim violatur virginitas falsâ opinione; occiditur autem innocens plerumquè falsâ accusatione. Poterat enim Dominus et aliter matrem suam, non solùm ab injustâ damnatione, verùm etiam à falsâ opinione defendere, si vellet. Cur autem hoc magis voluerit, ipse scit, non ego. Sic ei placuit : placeat ergò et nobis. Indigebat prætereà viri auxilio multis modis Virgo Maria, quoniam secundum Dei dispositionem in Bethleem paritura erat, et eam simul cum filio in Ægyptum fugere oportebat. Sic enim à Domino fuerat dispositum, sic à Prophetis anteà nuntiatum : sic futurum erat, et mutari non poterat. Hæc est ergò causa cur desponsata fuerat.

2. *Cùm autem esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quæris fortassè : Qualis mater? Quære priùs : Qualis filius? Non habet filius in hominibus parem : non habet mater in mulieribus similem. *Speciosus* ille *præ filiis hominum*[1] : speciosa illa, *quasi aurora consurgens*[2]. Fecit ille matrem suam; quod nemo alius fecit : peperit illa filium, et virgo permansit; quod nulla alia fecit. Fuit ille antequàm natus : non fuit ista antequàm filius. Quid enim horum mirabilius tibi esse videtur? Utrumque mirabile est, quia neutrum nec priùs, nec posteà factum est. *Antequàm convenirent*, inquit, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quid est : *Antequàm convenirent?* Antequàm simul in unâ domo habitarent : nondùm enim convenerant, nondùm simul habitabant; ille in suâ, et illa adhuc in suâ domo manebant. Et tamen *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quærerem ego à quo inventa fuisset, si talem invenire difficile esset. Multa enim signa sunt, quibus gravidæ mulieres cognoscuntur. Videbatur igitur gravida ab his qui ei familiares erant : nemo tamen eam in aliquo suspectam habebat, quoniam desponsatam esse sciebant. Intellexit hoc tandem et Joseph, et sponsam suam gravidam esse cognovit. Mirabatur ergò, et circa sponsam suam zelotypiâ [a] movebatur. Quid faceret? Prodere eam timebat, ne occideretur. Dimittere eam cogitabat : quod et sibi facile, nec illi periculosum esse sentiebat; daret enim ei libellum repudii : sic enim præcipit lex. Hoc est autem quod sequitur : *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Quia enim justus et sanctus erat, potiùs eam occultè dimittere, quàm accusare volebat. Nolebat enim eam traducere [b] in domum suam, quia videbat gravidam esse, non de suo.

3. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Cùm, inquit, ità cogitaret, cùm his angustiis æstuaret, cùm quid faceret dubitaret, ecce Angelus Domini, ecce nuntius cœlestis, ecce [c] Gabriel, consiliator Virginis, ejusque conscius castitatis, cui hæc secreta commissa erant, cui hæc mysteria revelata fuerant, apparuit Joseph *in somnis.* Et benè quidem *in somnis.* Si enim Joseph non dormîsset, si extra se non fuisset, si mentis oculos apertos habuisset, si Solem, qui jàm in Mariâ oriebatur, Spiritu sancto revelante, cognovisset, procul dubio nihil tale cogitare potuisset. Audiamus autem quod Angelus dixerit : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Noli, inquit, timere, noli dubitare, tolle hanc zelotypiam, pelle suspicionem : non est ut cogitas : nondùm cognoscis hanc Virginem : nondùm benè vidisti Mariam conjugem tuam. Ipsa enim est templum Dei : ipsa est porta cœli : ipsa est domina tua, quam putas esse sponsam tuam : accipe ergò eam jàm nunc quasi dominam : accipe eam non tibi traditam, sed commendatam : sis ei obediens ut servus, non imperans ut maritus. Quarè hoc? Vis audire quarè? Quia *quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Sufficiat hoc audire, sufficiat et credere : non quæramus qualiter de Virgine incarnatus, et qualiter de Spiritu sancto natus est Christus. Credidit enim Virgo, et concepit : hoc enim testatur Elisabeth : *Beata,* inquit, *quæ credidisti : perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*[3]. Credidit Virgo, et operante Spiritu sancto, *Verbum caro factum est*[4]. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Quarè autem tali nomine vocetur, protinùs subinfertur, cùm ait : *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Manifestum est ergò quòd Jesus *Salvator* interpretatur.

[1] *Psalm.* XLIV, 3. — [2] *Cant.* VI, 9. — [3] *Luc.* I, 45. — [4] *Joan.* I, 14.

[a] *Zelotypia.* In malam partem recipi solet hoc nomen, et nomen ipsum *zeli* ab Auctoribus Ecclesiasticis. Hinc titulus Tractatûs Cypriani : « De zelo et livore, » ubi de diabolo. « Postquàm hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in « zelum malevolo livore prorupit, non priùs alterum dejiciens « instinctu zeli, quàm ipse zelo antè dejectus. » *Vide cætera.* Dictam aiunt zelotypiam ex ζῆλος et τύπος, quòd non amore vero nascatur, sed amoris velut falsâ quâdam origine. — Apud profanos quoque idem valere videtur. Undè illud Ciceronis, 4 Tuscul., n. 18 : « Obtrectatio autem est ea quam intelligi « zelotypiam volo, ægritudo ex eo quòd alter quoque potiatur « eo quod ipse concupiverat. » Auctorem tamen nostrum accepisse in bonam partem omninò credimus.

[b] Obstat huic significationi Evangelici verbi *traduco*, græcus textus παραδειγματίσαι, quod est *cum infamiâ prodere.*

[c] Hoc idem posteà sensit S. Bernardus, Homil. I in *Missus est.*

✠ JACOBUS DE VITRIACO, S. R. E. CARDINALIS,

EPISCOPUS TUSCULANUS[a].

NUM. 1. Necessitas vigilandi. Christus fons egrediens de domo Domini, scilicet de B. Virgine, et irrigans torrentem spinarum, id est, peccatores, fons primò parvus, deindè crescens in fluvium, et inundans totum mundum. Proprietas hujus fontis. — 2. Præsens vita est quasi vigilia claritatis æternæ. Ex hoc adest consolatio veris confessoribus Domini, non autem eis qui vinculis suarum cupiditatum expediri nesciunt. — 3. Oportet occurrere obviam Domino venturo non solùm declinando à malo, sed faciendo bonum. — 4. Incarnatio Christi post desponsationem B. Mariæ, hujusque visitatio ad Elisabeth. Hæsitatio Josephi post reditum Mariæ, cùm videt eam utero tumescente prægnantem. — 5. Consilium sapiens quod capit Josephus, eo quòd esset justus, et misericors, et prudens. — 6. Antequàm verò illud exsequeretur, Angelus apparens ei, totam rem aperuit, ideòque eum invitavit ut nihilominùs acciperet Mariam in conjugem suam. Harmonia virginitatis et conjugii in personis B. Mariæ et S. Josephi. — 7. Christus procedit de prato Virginis tamquàm flos amœnissimus, et *ascendit sicut virgultum coram Domino*. — 8. Perpetua virginitas B. Mariæ. — 9. Cur voluit Dominus ut desponsaretur Maria Josepho? — 10. Maria mater simul et virgo. Figuræ Mariæ in Veteri Testamento. — 11. Obligatio Regem venturum bonis præveniendi operibus.

1. Tempus est, fratres charissimi, ut in hàc sanctâ Vigiliâ Nativitatis Dominicæ totâ mentis intentione vigilemus, et ad proximæ lucis fulgorem cordis oculos habeamus apertos. Cràs enim *revelabitur gloria Domini*[1], ut videat *omnis caro salutare Dei nostri*[2]; *cràs* enim *erit vobis salus, cùm incaluerit sol*, sicut in Libro Regùm legitur[3]. Sol justitiæ per fervorem charitatis incaluit, quandò dignatus est nasci pro nobis, qui radiis suis carnales et noxios vitiorum humores desiccavit, et nebulam peccatorum nostrorum effugavit, sicut per Isaiam Prophetam ait: *Delebo ut nubem iniquitatem tuam*[4]. Crastinâ enim die delebitur iniquitas terræ, et regnabit super nos mundi Salvator. Oportet igitur ut vigilemus cum pastoribus quos Angelus vigilantes invenit, non ignavos, nec torpentes; et idcircò gaudium magnum annuntiavit illis[5]. Vigilemus igitur animo: in proximo est Dominus Deus noster. Vigilemus supra gregem cogitationum et actionum nostrarum, et non sinamus perfodi domum conscientiæ nostræ. Vos igitur qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate. Solus enim pulverem à vobis potest excutere, cujus manus caruit pulvere. *Oportet* igitur *prævenire Solem ad benedictionem et ad ortum lucis adorare*[6]: non enim sine copiosâ benedictione venturus est Sol iste, qui cràs nasciturus est, de stellâ Christus, scilicet de Mariâ. Cràs enim *egredietur fons de domo Domini, et irrigabit torrentem spinarum, et Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis*, sicut in Joele Prophetâ dicitur[7]. Fons sanctificationis et ablutionis, fons irrigationis et fecunditatis est Dominus noster Jesus Christus, *fons aquæ salientis in vitam æternam*[8], ardorem refrigerans, et sitim exstinguens, arenulas, id est, pauperes et humiles scaturiendo sursùm levans: fons juxta quem peregrini requiescunt et fessi recreantur, sicut Isaias ait: *Non est investigatio sapientiæ ejus, qui dat lasso virtutem*[9]. De hoc fonte Psalmista ait ad Patrem: *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*[10]. Sonus hujus fontis scaturientis, lacrymæ sunt pueri vagientis. Domus autem Domini quam sibi Sapientia cum septem columnis, id est, septem donis Spiritûs sancti ædificavit[11], est mater Domini, cella custos unguentorum, cella pigmentaria, cella aromatum, asylum et refugium pauperum, ad quam pauperes et infirmi confugiunt, tamquàm ad hospitale constitutum in introitu civitatis. De hàc domo fons egrediens, irrigat torrentem spinarum, spinosos, scilicet, peccatores, qui torrenti comparantur propter inundationem peccatorum, de quâ Osee dicit: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*[12]. De his autem spinis Sophonias ait: *Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon ut Gomorrha, siccitas spinarum, et acervus salis, et desertum usquè in æternum*[13]. Moab, id est, peccatores *ex patre diabolo*[14], qui muti sunt à laude Dei, et Deum exasperantes (nam Sodoma *mutus*, et Gomorrha *asper* interpretatur), dicuntur *siccitas spinarum*, in morte succendentes ignem gehennæ, post mortem verò *acervus salis*, quia dùm viventes considerant quòd sudores mortuorum deliciæ sunt vivorum, sale sapientiæ condiuntur, lavantes manus suas in sanguine peccatorum: memoria enim

[1] *Isai.* XL, 5. — [2] *Luc.* III, 6. — [3] I *Reg.* XI, 9. — [4] *Isai.* XLIV, 22. — [5] *Luc.* II, 8 *et* 10. — [6] *Sap.* XVI, 28. — [7] *Joel*, III, 18 *et* 19. — [8] *Joan.* IV, 14. — [9] *Isai.* XL, 28 *et* 29. — [10] *Psalm.* XXXV, 10. — [11] *Prov.* IX, 1. — [12] *Osc.* IV, 2. — [13] *Sophon.* II, 9. — [14] *Joan.* VIII, 44.

[a] Editio Antuerpiæ, 1575, ubi hæc Homilia hunc titulum præfert: « In Vigiliâ Natalis Domini, Thema sumptum de Evangelio secundum Matthæum: *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* »

eorum condit cibos operum nostrorum : in inferno autem erunt *desertum usquè in æternum*, quia sine fine à Deo deserentur. *Ægyptus autem in desolationem erit* : Ægyptus *tenebræ et mœror* interpretatur. Primum, id est, tenebras peccatorum, in primo adventu Dominus destruxit. Secundum, id est, mœrorem pœnæ, destruet in secundo. Idumæa autem *terrena* interpretatur : quandò autem caro à spiritu conculcatur et subjugatur, Idumæa *in deserto perditionis* esse dicitur. De hoc iterùm fonte legimus in Libro Esther, quòd Mardochæus in visione viderit *parvum fontem, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit* [1]. Fons iste Christus est, qui populum suum, consilio Aman, id est, diaboli condemnatum, à morte liberavit. Parvus fuit fons iste in Nativitate Domini, quandò de aquis ipsius Maria tantùm et Joseph hauserunt, posteà pastores invenientes puerum in præsepio reclinatum [2], postmodùm tres reges cum muneribus natum Regem adorantes [3]. Tandem verò fons iste in fluvium redundavit, dùm totus mundus ex ipso hausit. In lucem autem et solem conversus est, ubique notus, et mundum universum illuminans. Ità fuit *fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ* [4], sicut Zacharias prædixerat. Patens enim fuit, dùm se omnibus obtulit, abluens peccatorum sanguinem. Habuit autem occultam originem, sicut fontes per occultos meatus scaturiunt : undè Isaias ait : *Generationem ejus quis enarrabit* [5] ? Fons iste calidus est in hieme, ut calefaciat frigidos et torpentes; frigidus autem in æstate, ut præstet refrigerium contra incentiva vitiorum. Fons igitur iste cràs *egredietur de domo Domini. Hodiè* igitur *scietis, quia veniet Dominus, et manè videbitis gloriam ejus* [6], gloriam scilicet Incarnationis, per quam Dominus glorificetur et laudetur, de quâ ipse ait per Isaiam : *Gloriam meam alteri non dabo* [7]. Hodiè enim vigilare debemus ad adventum ipsius, et de ipso jugiter meditari, si enim hodiè sciamus cogitando et desiderando, quia veniet Dominus manè, et videbimus gloriam ejus.

2. Præsens etiam vita quasi dies hodierna est in promissione, crastina autem dies erit in exhibitione. Hodierna enim dies præsens tempus intelligitur, quæ est quasi vigilia magnæ solennitatis, quâ, scilicet, illucescente mane claritatis æternæ, videbimus gloriam Dei. Propterea in Libro Paralipomenon dicitur : *O Juda et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum* [1]. Judæ enim, id est, veris confessoribus, quorum omnia interiora confitentur Domino, quorum *ossa dicunt : Domine, quis similis tibi* [2] ? et Jerusalem, id est, videntibus et desiderantibus veram pacem, *super quam Jerusalem orietur Dominus, et gloria ejus in eâ videbitur* [3], annuntiatur futura consolatio. Aliis autem non annuntiatur, quia non egrediuntur, sed magis compedibus suis delectantur, compedes necessitatis aggravando, et subeundo compedes curiositatis, et vanitatis, et voluptatis. Hi igitur non egrediuntur *de lacu miseriæ et de luto fæcis* [4], quia non lucem diligunt, sed tenebras [5].

3. Judas et Jerusalem cràs egredientur, currentes ad nuptias Agni, qui crastinâ die *tamquàm sponsus procedet de thalamo suo* [6], et ità Dominus erit cum eis verus Emmanuel, qui interpretatur : *Nobiscum Deus.* Cràs etiam, id est, in proximo, egrediemini de carcere corporis, et Dominus erit vobiscum, et vos cum illo sine fine; ipse enim venit prædicare *clausis apertionem* [7], sicut in Isaiâ dicitur. Egrediamur igitur corde per contritionem, ore per confessionem, aure per satisfactionem. Egrediamur per oculos, de ipso cogitando, per aures, ipsum audiendo, per odoratum, ipsius corde memoriam recolendo, per gustum contemplationis, gustando quoniam suavis est Dominus, per tactum, brachiis desiderii ipsum amplexando. *Sanctificamini igitur hodiè, et estote parati, quia die crastinâ videbitis majestatem Dei in vobis.* Cràs enim Rex noster adveniet Christus, quem Joannes prædicavit Agnum esse venturum, qui omnia peccata nostra projiciet in profundum maris [8], *qui sanabit omnes infirmitates nostras, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui redimet de interitu vitam nostram, qui replet nos misericordiâ et miserationibus, ut renovetur sicut aquilæ juventus nostra* [9]. Non igitur fugiamus à facie Domini, quia venit, quoniam non venit judicare, sed salvare terram [10]. *Quò* igitur *ibis à spiritu ejus, et quò à facie ejus fugies* [11] ? *Canite* igitur *tubâ in Sion, quia propè est dies Domini* [12]. Et idcircò tubâ prædicationis et divinæ laudis hodiè canendum est in Sion, id est, in Ecclesiâ. Sanctificamini igitur ut dies sanctificatus illucescat vobis, ut videre mereamini Sanctum sanctorum. Non enim Sol gloriæ orietur vobis, nisi priùs in cordibus vestris oriatur Sol justitiæ. Ecce venit Rex : occurramus obviam Salvatori nostro. Præparemus nos, ut cum veste nuptiali ad nuptias Agni ingredi mereamur. Nulla nos luxuria inquinet, nulla

[1] *Esther*, XI, 10 et 11. — [2] *Luc.* II, 7. — [3] *Matth.* II, 1 et 2. — [4] *Zach.* XIII, 1. — [5] *Isai.* LIII, 8. — [6] *Exod.* XVI, 6 et 7. — [7] *Isai.* XLVIII, 11.

[1] II *Paralip.* XX, 17. — [2] *Psalm.* XXXIV, 10. — [3] *Isai.* LX, 2. — [4] *Psalm.* XXXIX, 3. — [5] *Joan.* III, 19. — [6] *Psalm.* XVIII, 6. — [7] *Isai.* LXI, 1. — [8] *Joan.* I, 29. — [9] *Psalm.* CII, 3-5. — [10] *Joan.* III, 17. — [11] *Psalm.* CXXXVIII, 7. — [12] *Joel.* II, 1.

turpis cogitatio accuset, nulla malitia mentem mordeat, non invidiæ rubigo consumat, non elatio inflet, non ambitio per terrena oblectamenta dilaniet. Nihil prorsùs in nobis turpitudinis relinquamus, ne à solennitate et nuptiis regalibus excludamur, sed cum sponso splendidè epulantes gaudeamus. Si enim Abraham à longè vidit diem istum, et gavisus est, quantò magis nos qui de propinquo quasi præsentem videmus, gaudere debemus et laudare, ut ubicumquè congregentur aquilæ, ut ità ad nos intrare dignetur, nuntios suos, quos ante faciem suam præmittit, cum omni reverentià et devotione in hospitio nostro recipiamus. Scriptum est enim de ipso : *Justitia ante eum ambulabit*[1] : *justitia enim et judicium præparatio sedis ejus*[2] : et iterùm David ait : *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam*[3]. Justitiam igitur et judicium, misericordiam et veritatem, tamquàm nuntios adventûs sui præmittit Dominus ante faciem suam. Judicium sive discretio est quasi janitor hospitii ipsius, discernens quales admittendi sunt, et quales repellendi. Justitia verò tamquàm præpositus indignos ejicit, et dignos introducit. Misericordia autem tamquàm eleemosynaria Regis, esurientibus cibum, sitientibus potum, nudis ministrat vestimentum, et alia misericordiæ opera, Domino præcipiente, exercet : veritas autem facta diligenti computatione pretium reddit expensarum, et promissa Domini sui sine fraude et diminutione persolvit. Recipiamus igitur in hospititio cordis nostri justitiam et judicium, quibus sedes Domino præparetur in nobis. Mala quæ commisimus in nobis, puniamus per justitiam, ejiciendo lapides de plateis, id est, peccata de cordibus nostris, sicut in Isaià præcepit Dominus. Per judicium autem nosmetipos districtè discutiamus. Si enim hìc nosmetipsos dijudicamus, à Domino non judicabimur. Misericordiam autem per compassionem cordis et eleemosynarum largitionem in nobis recipiamus. Nec fiant opera nostra in vanitate, sed in veritate, ut ad Deum oculum habeamus, et ità veritatem simul cum misericordià recipiamus. Non solùm autem prædictos nuntios, sed et Gabrielem et Joannem præmisit Deus ante faciem suam. Recipiamus igitur Joannem, id est, *Dei gratiam*, ut à peccatis purgemur. Hic est enim nuntius, per quem remissio fit peccatorum. Recipiamus etiam Gabrielem, id est, *Dei fortitudinem*, ut in servitio Domini fortiter perseveremus. Gabriel autem non solùm præmissus est ad Mariam, sed insuper ad Joseph, virum Mariæ, sicut in hodierno Evangelio habemus : *Cùm enim desponsata esset mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto; inventa*, scilicet à Joseph, *habens in utero*, sed non statim cognovit utrùm esset à Spiritu sancto, donec per Angelum in somnis certificatus fuit.

4. *Cùm* enim *Maria desponsata esset Joseph*, sed nondùm in domum ejus traducta ad cohabitandum, nec solennitas nuptiarum esset celebrata, commisit eam Joseph aliquanto tempore parentibus ejus ad custodiendam; post desponsationem siquidem virgines in custodià sponsorum erant, licèt eas nondùm traduxissent. Quia igitur Joseph curam Mariæ gerebat, eam parentibus ejus commisit custodiendam. Interim autem dùm in hàc custodià esset, salutata ab Angelo, de Spiritu sancto concepit[1]. Audiens autem quòd Elisabeth cognata ejus concepisset, *abiit in montana cum festinatione*[2], ut ministraret cognatæ suæ. Cùmque nato Joanne post tres menses reversa fuisset, visitavit eam vir ejus, et invenit eam utero tumescente prægnantem. Cœpit autem mirari et cogitare intra se undè hoc esset, et animo fluctuare : videbatur enim ei quòd si concepisset, cum viro concubuisset ; sed iterùm de sanctitate et innocentià Mariæ tantùm præsumebat, quòd ipsam facilè adulterium commisisse credere non poterat. Cùm igitur esset vir bonus, justus, et timoratus, cogitabat intra se quòd eam non traduceret ad cohabitandum, ne fortè contra legem faceret, quæ gravidam et non à viro suo, ejiciendam esse et lapidandam dicit. Timebat igitur ne, si teneret gravidam, cùm ignoraret à quo gravida esset, contra legem et Deum peccaret, et quasi conscius esset peccati, si retineret, nesciens eventum rei. Ex alià autem parte nullam in Marià sciebat notam infamiæ, et illam inculpabilem vehementer opinabatur. Sciebat enim quòd eam virginem desponsaverat, et eam diligentissimè tàm per seipsum quàm per religiosos parentes ejus servaverat. Cœpit igitur cogitare et deliberare diù intra se. [[a] In quâ re instruimur diù deliberandum esse in incertis, ne peccemus temeritate levitatis.

5. In hâc igitur dubietate, mediam et securam viam elegit, scilicet, ut eam non traduceret, ne rei incognitæ consentiendo reum se faceret coram Deo; et quòd eam occultè dimitteret, ne innocentem diffamaret. Nam si dimitteret, crimen incognitum publicando, peccaret. In dubiis igitur noluit præcipitare sententiam : sciebat enim quòd si apertè eam dimitteret, tamquàm rea infamaretur, et lapidaretur tamquàm adultera. Occultè verò eam dimittere poterat, quia occultè et non solenniter cum illà contraxerat. Fuit igitur in hoc facto non solùm justus, sed et misericors. Justus erat, quia contra legem agere metuebat : misericors, quia famam Mariæ integram conservare satagebat. Sed insuper prudens

[1] *Psalm.* LXXXIV, 14. — [2] *Id.* LXXXVIII, 15. — [3] *Ibid.*

[1] *Luc.* I, 28-38. — [2] *Ibid.* 39.
[a] Quod legitur intra uncos, reperitur eodem sensu, pp. 17 et 78.

fuit, dùm secum diù deliberans, mediam et quasi securiorem viam elegit. In hàc igitur mentis angustiâ constituto, apparuit ei Angelus, ne ulteriùs premeret dubietas, quem commendabat æquitas.] Visum est tamen aliquibus sacræ paginæ Expositoribus, quòd de virginitate Mariæ Joseph numquàm dubitaverit. Sciebat enim quòd desponsaverat virginem, et servaverat intactam. Audierat etiam ex Isaiæ prophetiâ, quòd Messias venturus de Virgine nasciturus esset [1], de tribu, scilicet Judæ, et de familiâ David, de quâ Mariam esse non ignorabat. Ipse autem justus erat ex fide, nec sanctis Scripturis incredulus erat. Sciebat prætereà Virginis intentionem, quæ votum fecerat virginitatis, sicut et ipse Joseph virgo erat, ut dicunt, et in virginitate vivere proposuerat, et idcircò ex humilitate se reputabat indignum tàm beatæ Virginis cohabitatione, et timebat ipsam traducere in domum suam, vel etiam propalare, sive manifestare; nam pro *traducere*, Græci habent *propalare* : non enim crederetur ei, si diceret intactam, quam videret prægnantem; et idcircò voluit occultè dimittere eam; maximè, quia postquàm in utero habuit usquè ad horam quâ Christus natus est, ex eâ quidam splendor exibat (ut dicunt) à facie ejus, nec poterat à Joseph videri in facie præ nimiâ claritate, sicut etiam legimus de Moyse; undè consortio ejus se reputabat indignum, quæ frequentabatur obsequio Angelorum.

6. *Hæc autem eo cogitante*, Angelus confortavit eum, *ne timeret accipere Mariam conjugem suam* ad cohabitandum, non ad commiscendum, vel carnaliter cognoscendum. Ostendit etiam illi quòd de Spiritu sancto conceperat, id est, operâ Spiritûs sancti. Licèt enim tota Trinitas Incarnationem illam et Conceptionem operata sit specialiter, tamen Spiritui sancto attribuitur, sicut et alia opera intimæ charitatis; sola enim dilectio et charitas inæstimabilis Deum incarnari fecit. Dixit autem Angelus, quòd *non timeret accipere Mariam conjugem suam*. Et Lucas similiter Mariam appellat uxorem Joseph. Ait enim quòd Joseph ivit in Bethleem, *ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante* [2]. Non solùm enim per verba de futuro contracta erant sponsalia inter Joseph et Mariam; sed per verba de præsenti, in ipsa consentiendo, contraxerant matrimonium; undè in rei veritate Maria conjux ipsius erat et uxor, quod idem est, et verum erat matrimonium inter Mariam et Joseph. Teste enim beato Ambrosio, « non defloratio virginalis facit matrimonium, sed pactio conjugalis. » Non solùm igitur fuit initiatum matrimonium per sponsalia, sed fuit consummatum per mutuum consensum; non tamen fuit ratum per carnalem commixtionem. Erat igitur conjux non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed commixtione animorum, ut in eis servarentur affectus animi et dignitas sacramenti, quod est verum conjugium, et in eâ sine coitu est fructus nuptiarum. Voverat autem beata Virgo virginitatem, id est, in animo firmiter proposuerat se virum non cognituram, nisi Deus aliter disponere vellet; undè beatus Gregorius ait quòd beata Virgo proposuit se servaturam virginitatem in corde, sed ipsum votum non expressit ore. Consenserat nihilominùs se cohabitare cum Joseph sicut cum marito suo : nam sine mutuo consensu nullum est matrimonium. Consensit igitur in Joseph, ut individuam vitæ consuetudinem cum illo retineret et societatem conjugalem. Undè beatus Augustinus ait : « Beata virgo « committens virginitatem suam divinæ dispensa« tioni, consensit in carnalem copulam, non illam « appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque « obediendo. Patet igitur quòd utrumque, scilicet « votum virginitatis et consensum in carnalem co« pulam, non simpliciter, sed sub conditione fecit, « scilicet, si Deo placeret. » Licèt enim simpliciter consenserit in maritalem societatem, sub conditione tamen consensit in carnalem copulam [a]. Nesciebat enim utrum magis placeret Deo, et idcircò utrumque divino reliquit arbitrio. Legerat enim in Lege : *Maledicta sterilis, quæ non relinquit semen in Israel* [b]; et iterùm : *Crescite et multiplicamini* [3] [c]. Legerat enim ex alterâ parte, quòd parientes erant sub maledictione, ex quo dictum est Evæ : *In*

[1] *Isai.* VII, 14. — [2] *Luc.* II, 5. — [3] *Gen.* I, 22.

[a] Vide, in Appendice ad calcem hujus Vigiliæ, Articulum 4 de Matrimonio B. Virginis cum S. Josepho, ad responsionem secundæ objectioni quæ asserit votum virginitatis repugnare cum vero matrimonio, Num. 8.

[b] Hæc non habentur in Vulgatâ editione.

[c] In his verbis sicut et in præcedentibus viderunt quidam obligationem naturalem matrimonium contrahendi, seclusâ Dei dispensatione. Hoc autem, ait Suarezius, hæreticum est, perfectioni et consilio virginitatis contrarium, quod docuit Paulus in Epistolâ primâ ad Corinthios, c. 7, ℣. 1, 37 et 38, et contra naturalem rationem, quia hæc verba neminem obligant ad contrahendum matrimonium, nisi in communis necessitatis articulo, extra quem, per se loquendo, consilium est ut castitas conjugio præferatur. Insuper in Lege veteri nullum fuerat præceptum quod omnes ac singulos obligaret ad generandum filios, quodve castitatem prohiberet. Quæ sententia apertè colligitur ex Hieronymo, Lib. 1 contra Jovinianum; Abulensi in Levit., c. 30, Quæst. 32; Soto, Quæst. 2, Art. 2 ad primum, et Medinâ hîc. Et probatur primò, quia vel tale præceptum erat naturale; et hoc non, quia, tempore in quo vivebat B. Maria, jàm erat genus humanum satis propagatum, et quamvis multi virginitatem servarent, poterat per alios tàm genus humanum, quàm Dei populus sufficienter conservari et augeri : vel erat hoc præceptum positivum divinum illius Legis proprium; et hoc non, quia nullum tale præceptum in totâ Lege invenitur. Illa enim testimonia : *Non erit infecunda, nec sterilis in terrâ tuâ* (Exod. XXIII, 26); et : *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs* (Deut. VII, 14), non continent præceptum, sed promissionem; nam, sicut Deus promittebat illi populo carnali, si legem servaret, pluviam temporibus suis et fructus

dolore paries filios[1]: Legerat etiam quòd ex viri commixtione non fit conceptio absque peccato et carnali delectatione, maximè dicente Prophetâ: *In peccatis concepit me mater mea*[2]. Quia igitur nesciebat utrum magis Deo placebat, utrumque suspendit, donec edocta ab Angelo et certificata quòd conciperet sine peccato[a], ait: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum*[3]. Ex tunc absque ullâ retractatione in virginitatem simpliciter consensit, et ex tunc non solùm illi, sed et aliis virginibus dicitur: *Crescite et multiplicamini, et replete cœlos.* Neutram autem maledictionem Christi mater incurrit, sed per omnia benedixit Dominus terram suam. Concepit enim sine culpâ, et peperit sine pœnâ. Attulit enim filius fecunditatem, non abstulit integritatem. *Ecce*, inquit Dominus, *nova facio omnia*[4]: mutata est maledictio Evæ in benedictionem Mariæ: sola à generali maledictione fuit liberata, quia à dolore partûs fuit aliena. Duo enim sunt quæ timet humana fragilitas, pudor, scilicet, et dolor. Hæc duo à matre suâ Christus removit, ut nec in conceptione pudorem, nec in partu haberet dolorem, nec in mente vel corpore corruptionem: à sæculo non est auditum. Fecunditas enim et virginitas in solâ Mariâ obviaverunt sibi, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Apes pariunt, et commixtionem nesciunt: Phœnix sine coitu procreatur: vermiculus de terrâ sine carnali semine producitur: radius de stellâ, flos de virgâ, fructus ex arbore, absque aliquâ corruptione, prodeunt et oriuntur: ros de vellere sine læsione comprimitur, et Christus de virgine sine matris corruptione nascitur. Rubus accenditur, illuminatur, sed non comburitur: ex crystallo aquâ consperso ad radios solis scintilla ignis educitur: Maria aquâ Spiritûs sancti perfusa, peperit Salvatorem, non amisit integritatem: Spiritus sanctus obumbravit illi, ut in conceptione non sentiret libidinis ardorem: *Deus in medio ejus*, id est, in ipsius utero, et idcircò *non commovebitur*[5], nec dolorem sentiet pariendo: undè Isaias ait: *Antequàm parturiret, peperit*[6]. Maria enim peperit, non parturiendo, quia dolorem non sensit in pariendo. Sicut autem peperit sine dolore, ità prægnans fuit et gravida sine magnâ gravitate. Portabat enim à quo portabatur; undè non retardata aliquo pondere, *abiit cum festinatione ad montana Galilææ.*

7. Sicut enim radix procedit de arbore, et tamen nihil virtutis habet arbor sine radice; ità Christus non solùm tamquàm flos et fructus, sed insuper tamquàm radix processit de Virgine; et quidquid habuit boni, processit ab hâc radice. Undè Isaias de Christo ait: *Ascendet sicut virgultum coram Domino, et sicut radix de terrâ sitienti*[7], id est, de beatâ Virgine, quæ fontem vitæ sitivit, Dominum nostrum Jesum Christum. Undè Sapientia, id est, Christus de se ait: *In Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi*[8], id est, in Virgine Mariâ. De quâ civitate Psalmista ait: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*[9]; et iterùm: *Homo natus est in eâ*, id est, in Mariâ, quæ fuit civitas ejus, *et ipse Altissimus fundavit eam*[10], scilicet, secundum quòd Altissimus, id est, secundum divinitatem, qui tamen natus est in eâ secundum humanitatem. Ascendit autem Dominus noster sicut virgultum, quia elevatus est et exaltatus usquè ad solium Majestatis. Gracilis autem fuit paupertate, flexibilis pietate, rectus bonâ voluntate, virens in se et virorem præstans Ecclesiæ. Non solùm tamquàm virgultum de terrâ sitienti, sed tamquàm flos amœnissimus de prato Virginis absque

[1] *Gen.* III, 16. — [2] *Psalm.* L, 7. — [3] *Luc.* I, 38. — [4] *Apoc.* XXI, 5. — [5] *Psalm.* XLV, 6. — [6] *Isai.* LXVI, 7. — [7] *Id.*, LIII, 2. — [8] *Eccl.* XXIV, 15. — [9] *Psalm.* LXXXVI, 3. — [10] *Ibid.* 5.

terræ, et filiorum procreationem spondebat; undè post illa verba: *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs*, additur, *neque in hominibus, neque in gregibus tuis;* non poterat autem præceptum pecoribus imponi; omnia etiam præcedentia verba promissiones temporales continent. Denique in ipsismet verbis hoc contemplari licet; aliud enim est non esse sterilem, aliud non abstinere à conjugio: hoc posterius potest esse materia præcepti, quia est in hominis potestate: illud autem prius præcipi non poterat, cùm non sit in hominis voluntate, sed sit vel naturale, vel speciale Dei beneficium: undè post illa verba: *Non erit infecunda nec sterilis in terrâ tuâ*, subdit Deus: *Numerum dierum tuorum implebo*, ut intelligamus utramque esse divini muneris promissionem. Et hinc etiam contrariâ ratione sterilitatem comminabatur Deus legis prævaricatoribus. Undè, quod interdùm Patres citant dictum esse in veteri Lege: *Maledictus sterilis, qui non facit semen in Israel* (ut videri potest in Hieronymo in Isaiæ caput 56 et in Augustino, Lib. 14 contra Faustum, capite ultimo), intelligendum est vel à contrario sensu, vel quia (ut legitur in Deuteronomio, XXV, 5), frater qui nolebat uxorem fratris sui defuncti ducere ad suscitandum semen ejus, quâdam veluti infamiâ notabatur: nullum ergò est fundamentum ad asserendum hujusmodi præceptum. Et confirmatur: nam apud Isaiam, LVI, 4 et 5, *spadonibus*, id est, virginibus et servantibus castitatem, simulque alia divina præcepta custodientibus, promittit Deus *nomen æternum et locum insignem in domo suâ*, ut Augustinus et Hieronymus suprà exponunt, et Cyrillus, Lib. 5 in Isaiam, Tom. 3: ergò virginitas non erat contra Dei præceptum et voluntatem. Significatur etiam illo loco (ut notavit Bernardus, Homil. 3 in *Missus est*), sterilitatem non esse ignominiosam apud Deum, quamquàm inter homines illius populi, veluti in quoddam opprobrium haberetur. D. Thomas, Distinctione 33, Art. 2 ad 2, apertè etiam docet, post factam sufficientem humani generis propagationem vel populi colentis Deum, non fuisse peccaturum, qui in Lege Moysi virginitatem servaret, quia non ageret contra, sed supra præceptum. SUAREZ, Quæst. 28, Art. 4, Disput. 6, Sect. 1.

[a] *Certificata quòd conciperet sine peccato*, id est, quòd conciperet quin ullo modo læderetur ejus virginitas, cujus absolutum et perfectum votum emiserat B. Virgo ante filii sui conceptionem, ut dicimus in Appendice ad calcem hujus Vigiliæ, Art. 4, n. 8.

cultu humano processit. Pratum autem Virginis tamquàm terra non arabilis, non sulcata aratro, non defossa sarculo, cum honore et integritate, procreavit ex se florem candidum et rubicundum, florem odoriferum, immarcescibilem, pulcherrimum, et suavem, *in quem desiderant Angeli conspicere* [1], qui solatium est ægris, ad cujus odorem mortui reviviscunt. Fuit igitur Virgo beata tamquàm pratum floridum, delectabilis et amœna, quæ placuit Angelis castitate, hominibus fecunditate, Deo humilitate, fuit inviolata et intacta. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans dedit suavitatem odoris* [2]. Cinnamomum autem et balsamum odorem spirant sine suî corruptione.

8. Et Virgo beata Christum peperit cum integritate; undè et Matthæus de Joseph ait : *Accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, id est, non cognovit eam ante partum. Multò fortiùs post partum, visis tot signis et miraculis, non cognovit eam. Accepit autem eam ad cohabitandum, ut matri et puero ministraret, non ut eam cognosceret. Ponitur igitur hoc adverbium, *donec* pro *æternò ;* et est sensus : *Non cognoscebat eam, donec peperit*, id est, numquàm eam cognoscebat, et peperit; sicut dicitur : *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* [3], non quia posteà non sedebit à dextris, nam et antè et pòst et usquè in æternum à dextris Patris Christus sedebit. Non igitur conveniens est ut eam, postquàm peperit, cognovisset, si non cognovit eam, donec peperit. Sicut cùm dicitur : *Oculi nostri semper ad Dominum, donec misereatur nostri* [4], non sequitur, postquàm miserebitur Dominus, quòd ad Dominum non sint oculi nostri. Pari modo cùm dicitur : Iste non manducabit, donec habeat cibum, non sequitur necessariò quòd, postquàm habuerit cibum, comesturus sit; nam tunc poterit mori vel mutare voluntatem. Quidam autem sic intelligunt, quòd Evangelista ait quòd Joseph non poterat cognoscere Mariam, id est, intueri in faciem ejus, quamdiù Christus in utero Virginis fuit, propter radios qui de vultu Mariæ procedebant. Similiter in hodierno Evangelio idem ait : *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto;* nec ob hoc sequitur quòd posteà convenerint carnaliter; sicut cùm dicitur : Iste homo, antequàm pœnituerit, morte præventus est, non sequitur quòd posteà pœnituerit. Vel potest intelligi quòd, antequàm convenissent ad cohabitandum per nuptiarum solennitatem, *inventa est habens in utero de Spiritu sancto.*

9. Non enim ut eam cognosceret, accepit Joseph in uxorem eam : sed voluit Dominus ut desponsaretur Maria Joseph, multiplici ratione : ut Joseph justus esset testis castitatis Mariæ, defendens eam ab infamiâ suspicionis, et ut Virgo viri solatio sustentaretur : ut puero ministraret, et ejus nutritius esset : ut Mariam, ne tamquàm adultera lapidaretur, nomine mariti excusaret : ut per ipsum Joseph Mariæ origo ostenderetur, quia de eâdem tribu fuit de quâ et Maria, scilicet, de tribu Judâ : et ne virginibus esset excusatio infamiæ, quòd mater Christi infamata esset : et ut matrimonio Mariæ expressè significaretur matrimonium Christi et Ecclesiæ, quæ virgo est et sponsa, et sine corruptione suî à Christo fecundata. In matrimonio etiam Joseph et Mariæ signatur matrimonium Prælati et Ecclesiæ, quæ ab uno desponsatur, et ab alio, scilicet, à Spiritu sancto fecundatur. Nova autem causa fuit, ut partus occultaretur diabolo, qui nescivit discernere an esset ex semine viri natus, an ex Virgine. Cùm enim quatuor sint nativitates hominis, prima in utero, dùm concipitur, secunda ex utero, dùm in lucem per partum producitur, tertia in baptismo, dùm per gratiam renascitur, quarta in resurrectione, cùm sederit Filius hominis in regeneratione, has omnes Christus in se mutavit, *innovans signa et immutans mirabilia* [5]*;* et ità diabolum decepit. Prima enim semper fieri solebat cum culpâ, secunda cum pœnâ, tertia cum peccatorum remissione, quarta autem fiet in mundi fine. Christus autem natus est in utero sine culpâ, ex utero sine pœnâ, baptizatus est sine peccatorum quibus caruit remissione, resurrexit autem post mortem, non exspectatâ generali resurrectione; et ità solitum naturæ cursum mutavit, et astutum serpentem sapientiâ suâ decepit.

10. *Cùm* igitur prædictis rationibus *desponsata esset mater Jesu Maria Joseph*, *inventa est prægnans* simul et virgo; *inventa est habens in utero de Spiritu sancto*, mater simul et filia, mater sancta, mater immaculata, mater inviolata et intacta, virga Jesse [6], columba ferens ramum olivæ [7], fiscella Moysi intùs et exteriùs bituminata, ut ad eam non intraret aqua luxuriæ [8], arca intùs et forìs deaurata, continens in se cœleste manna [9], vellus veri Gedeonis, thronus veri Salomonis, porta clausa in templo Ezechielis [10], via viris invia, cella pigmentaria, *pulchra ut luna*, *electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* [11], templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti [12], *vitis fructificans suavitatem odoris* [13], *mater pulchræ dilectionis et sanctitatis* [14] *:* undè et Angelus ait illi :

[1] I *Petr.* I, 12. — [2] *Eccl.* XXIV, 20. — [3] *Psalm.* CIX, 1. — [4] *Id.* CXXII, 2. — [5] *Eccl.* XXXVI, 6. — [6] *Isai.* XI, 1. — [7] *Gen.* VIII, 11. — [8] *Exod.* II, 3. — [9] *Gen.* VI, 15. — [10] *Ezech.* XLIV, 1-3. — [11] *Cant.* VI, 9. — [12] *Ex Antiphonâ ad Bened. ad Laudes Officii B. M. in Sabbato.* — [13] *Eccli.* XXIV, 23. — [14] *Ibid.* 24.

Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei[1]. Hoc autem sanctum non dabit ipsa canibus, nec ante porcos sparget margaritas[2]. Ecce enim veniet Dominus princeps regum terræ : beati qui parati fuerint occurrere illi.

11. Oportet igitur nos hodiè sanctificari, et mentris nostræ thalamum exornare, hospitium cordis cum gaudio dilatare, Regemque venturum bonis prævenire operibus. Propter quod Propheta Ezechiel ait : *Montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo ; propè est enim ut veniat ad vos*[3] ; montes enim id est, solidi et sublimes terram excedentes, ut veri solis radios in se recipiant, virtutibus et bonis operibus fructificare debent, non solùm sibi, sed et aliis germinantes flores virtutum, et ramos exempli boni ad proximos expandentes, et fructus bonorum operum. Apis autem quæ pascit inter lilia, quæ florigeram inhabitat regionem, id est, Christus, qui de se ait per Psalmistam : *Pulchritudo agri mecum est*[4], sicut ad florem virginitatis advolavit, ità in cordis ejus hospitio requiescet, si flores virtutum in illo reperiat, et ramos virentes cum fructibus bonorum operum : *deliciæ* enim *ejus sunt esse cum filiis hominum*[5]. Rogemus ergò beatam ipsius matrem, ut nos commendet apud Filium suum, et *loquatur pro nobis bonum, et ut avertat indignationem suam à nobis*[6] : ejus humilitas vanitatem et elationem nostram excuset apud Dominum, ejus virginitas corruptioni nostræ veniam impetret, ejus *charitas nostrorum operiat multitudinem peccatorum*[7], ejus fecunditas nobis fecunditatem conferat meritorum, ut per eam nos recipiat, qui per eam ad nos venit in mundum, et qui eâ mediante particeps fieri dignatus est infirmitatis nostræ, ipsâ intercedente participes nos faciat beatitudinis suæ Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

✠ GUILIELMUS ALVERNUS, EPISCOPUS PARISIENSIS[*].

NUM. 1. Triplici testimonio probatur Christum conceptum esse de Spiritu sancto. Quatuor imitanda in Josepho proponuntur. — 2. In Angelo tria officia imitanda concionatoribus. — 3. De nomine Jesu tria notanda : est bonum, gloriosum et benedictum. — 4. A quibus et quos salvat Jesus ?

1. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam.* In Evangelio hodierno ostenditur quòd Christus patrem carnalem non habuit, sed de Spiritu sancto conceptus fuit, id est, operante vel operatione Spiritûs sancti, et ad hoc ostendendum introducuntur Joseph super hoc dubitans et Angelus de hoc eum certificans. Et notandum quòd conceptio Christi tripliciter probata est esse non de patre carnali, sed de Spiritu sancto, testimonio scilicet Dei, et Angeli, et hominis. Testimonio Dei, scilicet miraculo : splendor enim procedebat de facie Virginis, ut legitur in Evangelio Nazaræorum. Testimonio Angeli, de quo habetur hîc. Testimonio hominis, scilicet Isaiæ Prophetæ dicentis : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium*[8]. Item notandum quòd in Joseph quatuor nobis commendantur. Primò justitia, ibi : *Joseph*, ait, *cùm esset homo justus*. Joseph, tamquàm homo justus, volens cavere offensam Dei et scandalum proximi, et facere quod eum decebat, nolebat eam secum retinere, ne, si res mala esset, videretur conscius esse peccati et reus : *qui tenet adulteram, stultus est et insipiens*[9]. Secundò, commendatur nobis ejus pietas, ibi : *Et nollet eam traducere*, ne sicut adultera puniretur. Glossa interlinearis : « Pro *traducere*, Græci habent *propalare*. » Tertiò commendatur nobis ejus prudentia in hoc quòd mediam viam elegit ut occultè eam dimitteret. Dimittere eam voluit, quia justus, occultè, quia pius. Glossa : « Vera virtus « est, cùm nec pietas sine justitiâ, nec justitia sine « pietate est, quæ separatæ ab invicem dilabuntur. » Quartò maturitas, ibi : *Hoc autem eo cogitante*. Glossa : « Hîc docemur diù deliberandum esse in incertis, ne peccemus temeritate levitatis. »

2. In Angelo verò certificante Joseph, primò attendendum est quòd, cùm Joseph incertus esset an res esset bona vel mala, ipse hoc in meliorem partem determinat : exemplo ergò ejus, dubia in meliorem partem interpretari debemus. Interpretatio dubii in meliorem partem, est interpretatio Angelica; interpretatio verò in deteriorem, est diabolica. Talem interpretationem fecit diabolus per

[1] *Luc.* I, 35. — [2] *Matth.* VII, 6. — [3] *Ezech.* XXXVI, 8. — [4] *Psalm.* XLIX, 11. — [5] *Prov.* VIII, 31. — [6] *Jerem.* XVIII, 20. — [7] I *Petr.* IV, 8. — [8] *Isai.* VII, 14. — [9] *Prov.* XVIII, 23.
[*] Edit. Aureliæ 1674, ubi est Sermo 12 de Sanctis.

serpentem loquens Evæ dubitanti [1]. In Angelo etiam attendenda sunt tria pertinentia ad officium Angelicum. Secundum beatum Dionysium, purgat enim, et illuminat, et perficit. Purgat ab inordinato timore quantùm ad effectum, dicens Joseph : *Noli timere*, etc. Item purgat à noxiâ dubietate quantùm ad intellectum, dicens : *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Glossa : « De eâ nasci est in lucem produci; in eâ verò nasci est concipi. » Illuminat, ostendens prolis sexum et nomen, dicens : *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Perficit verò, prolem commendando, et sic ad amorem ejus inflammando, dicens : *Ipse enim salvum faciet populum suum.* Hæc tria, scilicet purgare, illuminare, et perficere, pertinent etiam ad homines quorum est evangelizare : debent enim purgare ab errore et inordinatâ affectione, illuminare ad cognitionem visûs veritatis, et perficere accendendo ad ordinatum amorem bonitatis.

3. De nomine verò ipsius, notandum quòd est nomen bonum, nomen gloriosum, et nomen benedictum. Nomen bonum est : *Exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum* [2]. Hoc nomen bonum erat in conspectu beati Bernardi, sicut ipse ostendit super illud : *Oleum effusum nomen tuum* [3]. « Si dis- « putes, *inquit*, aut conferas, non sapit mihi, nisi « sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure « melos, in corde jubilus : cui fons fortè sic- « catus est lacrymarum, invocato Jesu nomine, « continuò erumpit uberior, fluit suavior. Nomen « Salvatoris bonum est timenti suam damnationem « et amanti suam salutem. » Et notandum quòd quatuor sunt quæ deberent hominem movere ad amorem propriæ salutis. Primum est desiderium salutis, quod videmus in creaturis inferioribus. Columba manens super aquas, ubi videt umbram accipitris, fugit : *Et residet super fluenta plenissima* [4]. Item vix potest lapis ità cautè accipi ut in aves projiciatur, quin agnoscant et fugiant. Ovis naturaliter fugit lupum : oculus statim se claudit, si aliquid ei noxium appropinquaverit : omnia illa faciunt creaturæ irrationales desiderio propriæ salutis : quomodò ergò est excusabilis creatura rationalis, si propriam non dilexerit salutem? Secundum est magnitudo et multitudo infirmitatum humani generis. Infirmitas ipsius tanta est ut multis sensum auferat. Bernardus in Libro de Consideratione sic habet : « Scio membrum longiùs à « salute assistere quod obstupuit, et ægrum se non « sentientem periculosiùs laborare. » Tertium est multitudo periculorum quæ sunt in mari hujus mundi. Quod periculum probat, secundum Bernardum, transeuntium raritas et pereuntium multitudo. In mari Massiliæ vix ex quatuor navibus transfretantibus perit una : in mari hujus mundi vix ex quatuor animabus salvatur una. Quartum est futuræ damnationis prævisio. Dives epulo ignem infernalem sentiens, rogat ut adjutor salutis ad fratres ejus mittatur, ne ad locum tormentorum veniant [5]. Sic peccator, si frequenter cogitaret suam damnationem, confugeret ad Salvatorem. Hoc nomen Jesu est gloriosum. Ad gloriam hujus nominis primò facit auctoritas nuntiantis illud, quia Angelus [6] : item nuntiavit illud Joseph, de quo habetur hic. Secundò facit ad gloriam hujus nominis hoc quòd ipsum est terribile dæmonibus : *Sanctum et terribile nomen ejus* [7]. *Quid nobis et tibi, Jesu, fili Dei? Cur venisti ante tempus torquere nos* [8] *?* Tertiò hoc quòd in isto nomine facta sunt miracula : *In nomine meo dæmonia ejicient*, etc [9]. Quartò, quòd in hoc nomine impetrabant Apostoli quod volebant : *Quiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* [10]. Quintò, hoc quòd in ipso *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum* [11]. Hoc nomen etiam est benedictum : *Sit nomen ejus benedictum in sæcula* [12]. Item : *Benedictum nomen majestatis ejus in æternum* [13]; et meritò nomen ejus benedicitur à quo benedictio æterna obtinetur.

4. Ratio verò nominis ostenditur, cùm subditur : *Ipse enim salvum faciet populum suum*, etc. Circa quam rationem duo attendenda sunt, scilicet à quibus salvet, et quos salvet. Dicitur enim salvare à peccatis, non ab hostibus corporalibus, sicut fecit Josue; salvare enim à peccatis solius Dei est dicit. Glossa interlinearis : « Undè in hoc ostenditur esse Deus. » *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me* [14]. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus* [15] *?* Salvat autem populum suum, scilicet veros Judæos peccata sua confitentes. Undè Bernardus : « Quidquid remordet conscientiam, confitere humiliter, et purè, et fideliter. « Ipse salvat circumcisos, noxia desideria vel superflua resecantes. Item ipse salvat Israelitas, in speculo sacræ Scripturæ Deum videntes. Ipse salvat veros Hebræos visibilia ista transeuntes, qui loquuntur linguâ hebræâ, ut faciebat Paulus : *Præterit*, inquit, *figura hujus mundi* [16]. Sic etiam loquebatur Job : *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi* [17] *?* Sic loquebatur Jesus : *Stulte, hâc nocte repetent animam tuam à te* [18].

[1] *Gen.* III, 1-5. — [2] *Psalm.* LI, 11. — [3] *Cant.* I, 2. — [4] *Id.* V, 12. — [5] *Luc.* XVI, 27 *et* 28. — [6] *Id.* I, 26-38. — [7] *Psalm.* CX, 9. — [8] *Matth.* VIII, 29; *Marc.* V, 11 *et Luc.* VIII, 32. — [9] *Marc.* XVI, 17 *et* 18; *Act.* XVI, 18; II, 4; X, 46 *et* XXVIII, 5 *et* 8. — [10] *Joan.* XV, 16. — [11] *Philipp.* II, 10; *Isai.* XLV, 24 *et Rom.* XIV, 11. — [12] *Psalm.* LXXI, 17. — [13] *Ibid.* 19. — [14] *Isai.* XLIII, 25. — [15] *Luc.* V, 21. — [16] I *Cor.* VII, 31. — [17] *Job* X, 20. — [18] *Luc.* XII, 20.

HUGO DE SANCTO CARO,

ORDINIS PRÆDICATORUM, CARDINALIS E TITULO S. SABINÆ [a].

NUM. 1. Christus matrem suam desponsatam esse voluit propter multas causas. — 2. Non est curiosè scrutanda Nativitas Christi de Spiritu sancto. — Anxietas Josephi, cujus commendantur justitia, pietas et prudentia. — 4. De apparitione et allocutione Angeli ad Josephum. — 5. Anagogicè interpretatur Mariæ matrimonium, quo significatur desponsatio animæ. — 6. De nomine Jesu.

1. *Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater Jesu*, etc. Multa prætermittuntur hîc, quæ Lucas narrat. Annuntiatio scilicet Domini per Gabrielem, et qualiter factâ annuntiatione, *exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth, et exsultavit infans præ gaudio in utero ejus*; et qualiter *mansit ibi tribus mensibus, et reversa est in domum suam*[1]. Post reversionem autem illam *inventa est habens de Spiritu sancto*. Et ab hoc loco incipit Matthæus dicens : *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*. Desponsatio enim fiebat per aliquod tempus ante communem cohabitationem, et interim erat uxor sub custodiâ mariti et frequenti visitatione, donec solennia nuptiarum celebrarentur. Propter multas autem causas voluit Christus matrem suam desponsari. Unam causam ponit Chrysostomus : aliæ extrahuntur à Glossis. Prima est, quia futurum erat ut omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesiâ, Christo desponsatâ; undè Christus de desponsatâ natus est, ne indigniùs nasceretur Dominus quàm servi [b]. Secunda, ut per Joseph genealogia Mariæ texeretur, quia de eâdem tribu erant, et per mulieres genealogia non texitur. Tertia, ut Joseph esset testis castitatis ipsius, et defendens eam ab infamiâ suspicionis. Quarta, ne adultera combureretur[2] : de aliâ tribu lapidabantur[3]. Quintam causam dicit Origenes, ut Virgo viri solatio sustentaretur, et tàm puer quàm mater officio viri sustentarentur [c]. Sextam ponit beatus Ignatius, scilicet ut diabolo partus ejus occultaretur, quia nequivit discernere an de virili semine, an ex virgine nasceretur. Septima causa, ne fatuis virginibus daretur causa vel occasio excusandi de infamiâ, dicendo quòd et mater Christi infamata fuerit. Octava causa potest assignari, ut per hoc quòd de virgine et desponsatâ natus esset, et uterque status approbaretur, scilicet conjugatorum et virginum.

2. *Antequàm convenirent*, communi cohabitatione. Sed non sequitur quòd posteà convenerint; sicut non sequitur : Iste non pœnitebit, donec mortuus sit; ergò pòst. Et est similis modus loquendi : *Corvus non est reversus, donec siccarentur aquæ super terram*[4] : neque enim posteà reversus est. Et in Psalmo : *Donec ponam inimicos tuos*, etc.[5]. Item : *Oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri*[6]. *Inventa est* à Joseph, sicut à viro curioso circa uxorem, *in utero habens de Spiritu sancto*. Id est, operâ Spiritûs sancti conceperat. Non quia Joseph hoc cognoverat; sed ipsa *habens in utero de Spiritu sancto, inventa est* à Joseph *habens in utero*. Vel sic distingue : *Inventa est in utero habens*, et hoc fuit *de Spiritu sancto*; id est, *de Spiritu sancto erat habens in utero*. Chrysostomus : « Confundantur vani inquisitores quomodò natus est Christus de Spiritu sancto, cùm nesciant naturam suam explicare. Neque Gabriel, neque Matthæus ampliùs potuerunt dicere, quàm quòd de Spiritu sancto natus est : et tu vis linguam tuam super Gabrielem et Matthæum erigere? *Generationem ejus quis enarrabit*[7]? *Ecce illud novum : Mulier circumdabit virum*[8]. »

3. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere*, id, est in domum suam ducere, *voluit occultè dimittere eam*. Nota quòd priusquàm Angelus Virginem salutâsset, et priusquàm de montanis rediisset, Joseph eam desponsaverat per verba de præsenti : quod patet per illud Lucæ : *Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam Joseph*[9]; et diligenter eam custodiens apprehendit gravidam. Erat ergò in ambiguo, quia poterat res esse bona, et poterat esse mala. Credebat enim Joseph Filium Dei de Virgine nasciturum, et poterat esse quòd de istâ : quod si contigisset, reputabat se indignum cohabitatione ejus; si autem aliundè concepisset, videretur conscius adulterii, et adulterium celare, si cohabitaret ei; et ideò eligens viam mediam, voluit occultè dimittere eam. Aliter potest distingui, et accipitur *traducere* pro *propalare*. Et notantur tria circa Joseph : scilicet justitia, pietas et prudentia. Justitia notatur in hoc quòd volebat inno-

[1] *Luc.* I, 26-56. — [2] *Levit.* XXI, 9. — [3] *Deut.* XXII, 21. — [4] *Gen.* VIII, 7. — [5] *Psalm.* CIX, 2. — [6] *Psalm.* CXXII, 3. — [7] *Isai.* LIII, 8. — [8] *Jerem.* XXXI, 22. — [9] *Luc.* I, 26.

[a] E Postillâ super Evangel. Matthæi. Paris. 1508.

[b] Ista ratio non est Chrysostomi, sed Auctoris Operis imperfecti in Matthæum (vide p. 40, n. 2).

[c] Non sunt verba Origenis, vel potiùs Auctoris Homiliæ 1 in diversos, sed est sensus (vide p. 23, n. 1).

centem servare ab infamiâ; pietas, quia nolebat eam traducere, id est, propalare, id est, publicè adulteram promulgare; prudentia, quia volebat eam occultè dimittere.

4. *Hæc autem eo cogitante.* Quia piè et prudenter præcogitat, consolari meretur, et consilium suum meliori consilio mutatur. *Ecce Angelus.* Glossa : « Ne ulteriùs premeret dubietas, quem commendabat æquitas.» *Domini ;* non ille qui *transfigurat se in Angelum lucis* [1]. *Apparuit in somnis*, scilicet corporis et dubietatis. *In somnis.* Chrysostomus : « Sic dormienti Adam creavit mulierem ; sic isti dormienti divinitùs consignavit uxorem. » Nota quod dicitur : *Apparuit.* Apparere enim propriè dicitur subita et invisibilis rei visibilis exhibitio. Et quandoquè apparent Angeli invisibiliter, id est, sine subjectâ creaturâ, ut in somnis, ubi nihil videt homo, sed videtur videre. Et eleganter : *Apparuit ei in somnis*, ut ostenderet eum sopitum quasi somno ambiguitatis : quodam enim modo dormit animus, cùm in ambiguo fluctuat. *Dicens : Joseph, fili David.* Notum et familiarem se ostendit, cùm genus et nomen dicit : *Ego novi te ex nomine* [2]. Filium David vocat, ut revocet ad memoriam se et Mariam ex eâdem tribu esse, et ideò nullatenùs diffidat hanc promissionem posse compleri in Mariâ. *Noli timere.* Nota quòd quater dixit Angelus : *Ne timeas ;* Zachariæ [3], Mariæ [4], Joseph, ut hîc, et pastoribus [5]. *Accipere Mariam conjugem tuam.* Glossa : « Conjux erat, non concubitu, sed affectu ; non commixtione corporis, sed in unione sive copulatione animorum. » Undè Augustinus : « Hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere arctarique conjugium, non mixto corporis sexu, sed mentis affectu. » *Quod enim in eâ natum est*, non de eâ : aliud enim est nasci de eâ, et aliud in eâ : de eâ nasci est in lucem produci; in eâ verò nasci est concipi. *De Spiritu sancto est* : non dicit de Patre vel Filio, quia de solâ bonitate Dei fuit quòd incarnaretur : quod attribuitur Spiritui sancto.

5. Moraliter. *Hæc autem eo cogitante*, etc. Quilibet justus debet habere Mariam conjugem, id est, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda enim est pœnitentia in uxorem, quæ pulchra, quæ dives, quæ nobilis ; soror enim Regis cœlestis est ; dolorem enim et miseriam Christus ab utero habuit. Sed multi dormiunt cum Joseph ; quibus ait Apostolus : *Surge qui dormis, et illuminabit te Christus* [6]. Sicut autem non curatur de verbo dormientis ; sic non multùm ædificantur homines in prædicatione Prælati in peccato jacentis. Multi autem timent accipere Mariam, quousquè timor Domini, quasi Angelus, monet eos dicens : *Noli timere, fili David*, scilicet, si vis esse imitator Christi qui fuit irrisus, flagellatus, crucifixus, *noli timere, sed confortare, et esto robustus* [7]. Hoc matrimonium inchoatur per contritionem : *Sponsabo te mihi in judicio* [8]; quandò enim homo dijudicat se per contritionem, tunc contrahuntur sponsalia. Ratum fit per confessionem : *Rabbi, ubi habitas? Venite et videte. Et venerunt et manserunt apud eum* [9]. Consummatur autem per satisfactionem : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* [10]. Et tunc *quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Tres enim filios genuit pœnitentia : testimonium conscientiæ : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* [11] : prælibationem jucunditatis æternæ : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* [12] : adeptionem gloriæ : *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* [13]! *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ* [14], quia ducunt ad epulas satietatis æternæ. Item mater Jesu, id est, salutis, est religio quæ est amarum mare per pœnitentiam, quia non potest in se mortuum pati. Hæc habet in utero de Spiritu sancto, quandò scilicet de inspiratione divinâ aliqui intrant. Uterus ejus conventus. Sed hodiè habet quosdam similes Jacob, id est, bonos qui luctant cum Domino, et habitant in tabernaculis; et ideò obtinent benedictionem. Et Esaü habet, id est, malos : hi invicem collidunt, ut dicere possit religio : *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere* [15]? Nota : Monachi vel claustrales in conventu sunt quasi pueri in utero, quia non sunt curiosi de cibo, et vili cibo utuntur; secundò, quia calidi sunt, nec timent frigus, nec videntur, silentium tenent. Tunc nascuntur, quandò mittuntur ad Prioratum, vel fiunt Abbates. Sed multi sunt progenies viperarum, tempus nascendi non exspectantes. Hinc Rachel periclitatur in ortu Benjamin. Hodiè fit contentio quis nascatur Prior ; sed Esaü primò nascitur, quia priùs promoventur mali quàm boni : *Non hunc, sed Barabbam* [16].

6. *Pariet autem filium*, non filios. Chrysostomus : « Non dicit : *Pariet tibi filium*, sicut dicitur Zachariæ [17]. » *Et vocabis nomen ejus Jesum*, in circumcisione, quoniam tunc imponuntur nomina. *Vocabis*, non dicit : Impones, quia ab æterno impositum est. *Jesum*, Salvatorem. Ista vocatio significata fuit in Libro Genesis, ubi legitur de Joseph : *Vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvato-*

[1] II *Cor.* XI, 14. — [2] *Exod.* XXXIII, 12. — [3] *Luc.* I, 13. — [4] *Ibid.* 30. — [5] *Id.* II, 10. — [6] *Ephes.* V, 14. — [7] *Jos.* I, 9. — [8] *Ose.* II, 19. — [9] *Joan.* I, 38 et 39. — [10] *Matth.* III, 8. — [11] II *Cor.* I, 12. — [12] *Psalm.* XXXIII, 9. — [13] *Id.* XXX, 20. — [14] *Id.* CXXVII, 3. — [15] *Gen.* XXV, 22. — [16] *Joan.* XVIII, 40. — [17] *Luc.* I, 13.

rem mundi[1]. *Ipse enim salvum faciet.* Causas nominis subdit, quòd benè dicitur Jesus; quia salvabit non quoslibet, sed *populum suum*, quos scilicet prædestinavit : *quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; et quos justificavit, hos et magnificavit*[2]. Et benè dicit : *Salvum faciet,* in fide et spe, non ab hostibus corporalibus, sicut Josue et David, sed : *A peccatis eorum,* quod non est hominum, sed solius Dei : *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus*[3]*? Ego sum, ego sum ipse qui iniquitates tuas deleo propter me*[4].

✠ S. THOMAS DE AQUINO, ORDINIS PRÆDICATORUM,

ET ECCLESIÆ DOCTOR[a].

NUM. 1. Quarè Christus voluit matrem suam desponsatam? Maria verè est mater Dei. — 2. Maria virgo fuit et post partum. — 3. Christi Incarnatio quibus de causis Spiritui sancto spiritualiter attribuitur? — 4. Quarè Christus de virgine nasci voluit? — 5. Probatur modus generationis ex revelatione Angelicâ Josepho factâ. — 6. Quomodò Joseph sese virum justum ostendit? — 7. Commendatur Josephi sapientia et clementia. — 8. Quarè non à principio facta est Josepho revelatio, et quarè Maria non ei revelavit annuntiationem Angelicam? — 9. Quarè Angelus apparuit Josepho in somnis, et quarè facta est Mariæ visibilis apparitio? — 10. Expenduntur singulatim prima verba allocutionis Angelicæ ad Josephum. — 11. Quibus verbis Angelus aperit mysterium Incarnationis? — 12. Prænuntiat Virginis partum, et obsequium quod puero nato Josephus exhibebit.

1. *Cùm esset desponsata Mater Jesu Mariâ Joseph.* Sed hîc statim oritur quæstio. Cùm Christus voluerit nasci de virgine, quarè voluit matrem desponsari? Ratio, secundum Hieronymum, triplex assignatur. Prima est ut credibilius esset testimonium virginitatis ejus; si enim non fuisset desponsata, et diceret se esse virginem, cùm esset imprægnata, non videretur ob aliud dicere, nisi ut celaret crimen adulterii; sed, cùm desponsata erat, non habebat necesse mentiri; et ideò magis esset credendum ei : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*[5]. Alia ratio est ut haberet præsidium viri, sive cùm fugeret in Ægyptum, sive cùm indè rediret. Tertia fuit ut partus ejus diabolo celaretur, ne scilicet, si ipse sciret, impediret passionem ejus et fructum nostræ redemptionis. *Si enim cognovissent, numquàm Dominum gloriæ crucifixissent*[6], exponitur de dæmone; id est, non crucifigi permisisset. *Cùm ergò esset desponsata.* Sed cui? Joseph. Secundum Chrysostomum, Joseph fuit faber lignarius[b]; et signat Christum qui per lignum crucis omnia restauravit. *Mater ejus,* id est, Dei. Hîc ostenditur ejus dignitas. Nulli enim creaturæ hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, ut esset pater, aut mater Dei; sed hoc fuit privilegium gratiæ singularis, ut non solùm hominis, sed Dei mater fieret : et ideò dicitur : *Mulier amicta sole*[7], quasi tota repleta divinitate : quod negavit Nestorius, et hoc, quia divinitas non fuit accepta à Virgine. Contra quem Ignatius martyr pulchro exemplo utitur ad ostendendum quòd fuit mater Dei. « Constat, *inquit,* quòd in generatione hominum communium mulier dicitur mater; et tamen mulier « non dat animam rationalem, quæ à Deo est, sed « ministrat substantiam ad corporis formationem. « Sic igitur mulier dicitur mater totius hominis, « quia id quod sumptum est de eâ, unitur animæ rationali. Similiter cùm humanitas Christi sumpta « sit de beatâ Virgine, propter unionem ad divinitatem dicitur beata Virgo non solùm mater hominis, sed etiam Dei, quamvis ab ipsâ non sumatur divinitas, sicut nec in aliis anima rationalis sumitur à matre. » Maria, proprium nomen, interpretatur *maris stella,* vel *illuminatrix,* et suo sermone *domina :* undè describitur *luna sub pedibus ejus*[8].

2. *Antequàm convenirent.* Hîc objicit Helvidius: « Si antequàm convenirent, ergò aliquandò convenerunt. » Undè iste negavit virginitatem matris Christi. Non ante partum, nec in partu, sed post partum dicit quòd fuit cognita à viro. Et respondet Hieronymus, quòd sine dubio hoc quod dicitur *Antequàm,* semper importat ordinem ad futurum; sed hoc potest esse dupliciter : vel secundum rationem,

[1] *Gen.* XLI, 45. — [2] *Rom.* VIII, 30. — [3] *Luc.* V, 21. — [4] *Isai.* XLIII, 25. — [5] *Psalm.* XCII, 5. — [6] I *Cor.* II, 8. — [7] *Apoc.* XII, 1. — [8] *Ibid.*

[a] Edit. Venet. 1775, curâ B. Mariæ de Rubeis : ubi hæc Homilia excerpta fuit è Commentariis S. Thomæ in Matthæum.

[b] De arte quam exercuit Joseph, loquimur in Dissertatione quæ ponitur ad calcem ipsius Festi, die 19 Martii.

vel secundum intellectûs acceptionem. Si enim dicatur : Antequàm comederem in portu Romæ, navigavi ad Africam, non est intelligendum quòd, postquàm navigârim ad Africam, comederim; sed quia proposueram comedere, et præventus navigatione non comedi. Ità est hìc : non est ità intelligendum quòd posteà realiter convenerint, sicut dicit impius ille, sed quia ex hoc ipso quòd sibi desponsata erat, secundum communem opinionem licebat eis aliquandò convenire, quamvis numquàm convenerint. Remigius[a] aliter exponit, ut intelligatur de solenni celebratione nuptiarum. Antè enim erat et fiebat per aliquos dies desponsatio, et interim sponsa non erat sub custodiâ viri; posteà autem fiebat solennis celebratio nuptiarum, et tunc traducebatur ad domum viri. De his nuptiis loquitur Evangelista hìc : et secundum hoc, non habet locum objectio Helvidii. *Inventa erat.* Nota proprietatem verbi. Propriè enim illud : *Inventum*, dicitur de quo non sperabatur, nec putabatur; et Joseph tantam habebat opinionem de pudicitiâ Mariæ, quòd præter æstimationem ejus fuit quòd invenit eam gravidam.

3. *In utero habens.* Supple, ab ipso Joseph, qui, sicut dicit Hieronymus, « maritali licentiâ penè omnia secreta ejus rimabatur. » *De Spiritu sancto.* Hìc tangitur actor conceptionis. Hoc autem legendum est divisim ab illo præcedenti. Non enim legendum est aut intelligendum quòd Joseph invenerit eam habentem in utero de Spiritu sancto; sed solùm quòd invenit eam gravidam. Et ne oriretur auditoribus interim suspicio adulterii, addidit : *De Spiritu sancto*, id est, de virtute Spiritûs sancti, non de substantiâ, ne filius Spiritûs sancti credatur : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* [1]. Quamvis autem, secundum Augustinum, indivisibilia sint opera Trinitatis, et ideò ipsam conceptionem non solùm Spiritus sanctus, sed etiam Pater et Filius operati sint; tamen per quamdam appropriationem Spiritui sancto attribuitur : et hoc tribus rationibus. Prima ratio est quia Spiritus sanctus amor est. Hoc autem fuit signum maximi amoris, quòd Deus Filium suum incarnari voluerit : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* [2]. Secunda, quia Spiritui sancto attribuitur gratia : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* [3]. Et hoc fuit maxima gratia. Tertia ratio assignatur in gestis Nicæni Concilii; et est quòd in nobis est duplex verbum : verbum cordis, et verbum vocis. Verbum cordis est ipsa conceptio intellectûs, quæ occulta est hominibus, nisi quatenùs per vocem exprimitur, sive per verbum vocis. Verbo autem cordis comparatur Verbum æternum ante Incarnationem, quandò erat apud Patrem et nobis absconditum; sed verbo vocis comparatur Verbum incarnatum, quòd jàm nobis apparuit et manifestum est. Verbum autem cordis non conjungitur voci, nisi mediante spiritu; et ideò rectè Incarnatio Verbi, per quam nobis visibile apparuit, mediante Spiritu sancto facta est.

4. Nota hìc quatuor rationes quarè Christus de virgine nasci voluit. Quarum prima fuit, quia peccatum originale contrahitur in prole ex commixtione viri et mulieris : undè si Christus natus fuisset de concubitu conjugali, peccatum originale contraxisset[b]; hoc autem esset inconveniens, cùm ipse ad hoc venisset in mundum ut peccata nostra tolleret : undè peccati contagione infici non debuit. Secunda, quia Christus præcipuus fuit doctor castitatis : *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum* [1]. Tertia, propter puritatem et munditiam : *In malevolam animam non introibit sapientia* [2]. Undè decuit ut venter matris ejus nullâ corruptiòne pollueretur. Quarta, propter proprietatem verbi : quia sicut verbum sine corruptione cordis emanat à corde, ità Christus de virgine nasci voluit et debuit sine corruptione.

5. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus.* Postquàm posuit generationis modum, hìc confirmat ipsum per testimonium. Cùm enim suprà dixerit Evangelista, quòd mater Jesu *inventa est in utero habens*, et quòd hoc erat *de Spiritu sancto*, posset aliquis credere quòd Evangelista hoc apposuisset ob gratiam Magistri : ideò hìc Evangelista confirmat generationis modum suprà dictum. Et primò prænuntiatione propheticâ : *Hoc autem factum est* : secundò revelatione Angelicâ, ibi : *Exsurgens autem Joseph.* In primâ parte sunt tria. Primò introducitur persona cui facta est revelatio : secundò persona revelans, ibi : *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit* : tertiò ponuntur verba revelationis, ibi : *Joseph, fili David.* Persona autem cui fit revelatio commendatur ex duobus : scilicet ex hoc quòd est justus, et ideò non mentiretur : secundò ex hoc quòd sponsus, sive vir, et ideò crimen in eâ non pateretur : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ* [3]. Dicit ergò ità : *Inventa est* à Joseph *habens in utero. Sed Joseph, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere.* Hìc est duplex sanctorum sententia, Ambrosii videlicet et Augustini. Augustinus enim vult quòd Joseph qui non erat præsens quandò facta est annuntiatio Ange-

[1] *Luc.* I, 35. — [2] *Joan.* III, 16. — [3] I *Cor.* XII, 4.

[a] Antissiodorensis (vide suprà, p. 67, in principio Num. 2); similiter et alii, ut videre est, sicut jàm monuimus lectorem, in Appendice ad calcem hujus Vigiliæ, Art. 4, n. 3.

[b] De quo vide Art. 7 in eodem Appendice.

[1] *Matth.* XIX, 12. — [2] *Sap.* I, 4. — [3] *Prov.* VI, 34.

lica, rediens, et inveniens eam gravidam, habuit suspicionem adulterii [a].

6. Sed tunc statim oritur quæstio. Quomodò justus erat, si eam quam suspectam habebat de adulterio, nolebat traducere, id est, crimen ipsius propalare? In hoc enim videbatur ejus peccato consentire; et dicitur quòd *non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte* [1]. Sed ad hoc est triplex responsio. Prima est, secundum Chrysostomum, quòd duplex est justitia. Una enim est justitia quæ est virtus cardinalis, quæ dicitur justitia specialis; alia est justitia legalis, quæ includit omnem virtutem, et pietatem, et clementiam, et hujusmodi. Quandò ergò dicitur quòd Joseph justus erat, intelligendum est de justitiâ generali, ut justitia accipiatur pro pietate. Undè quia justus erat, id est, pius, noluit eam traducere. Alia est responsio Augustini, qui dicit quòd duplex est peccatum: scilicet peccatum occultum, et peccatum manifestum: peccatum enim occultum non est publicè arguendum, sed aliter est ei remedium adhibendum. Suspicio ergò adulterii, quam habuit Joseph, erat suspicio peccati occulti, et non manifesti, quia ipse solus sciebat: et iterùm si alii scirent eam gravidam, non possent opinari nisi quòd de ipso esset, et ideò crimen ejus non debuisset propalàsse. Tertiò vera responsio est Rabani, quòd etiam Joseph justus fuit et pius. In hoc enim quòd pius, non voluit crimen propalare; sed in hoc quòd voluit eam dimittere, apparuit justus. Sciebat enim quòd *qui tenet adulteram, stultus et insipiens est* [2]. Secundum autem Hieronymum et Origenem [b], non habuit suspicionem adulterii. Noverat enim Joseph pudicitiam Mariæ: legerat in Scripturâ quòd *Virgo concipiet* [3]; et: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* [4]: noverat etiam Mariam de David generatione descendisse: undè faciliùs credebat hoc in eâ impletum esse, quàm ipsam fornicatam fuisse. Et ideò indignum reputans se tantæ cohabitare sanctitati, voluit occultè dimittere eam, sicut Petrus dixit: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum* [5]: Undè nolebat eam traducere, id est, ad se ducere, et in conjugem accipere, se indignum reputans: vel, secundum aliorum sententiam, ignorans finem, ne tamquàm reus haberetur, si celaret, et secum eam teneret.

7. *Hæc autem eo cogitante.* Hîc persona revelans introducitur, et tanguntur tria. Primò enim tangitur tempus: secundò persona revelans introducitur: *Ecce Angelus*: tertiò revelationis modus exprimitur: *Apparuit in somnis Joseph.* Dicit ergò: *Hæc autem eo cogitante,* id est, dùm ista secum in mente revolveret, *ecce Angelus Domini apparuit.* Nota quòd duo commendantur hîc de Joseph, scilicet sapientia et clementia; sapientia quidem, in hoc quòd ipse antequàm ageret, deliberavit: *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos* [1], hoc est, nihil facias sine judicio et deliberatione rationis: item clementia sive pietas, in hoc quòd factum ejus non propalavit vel promulgavit, contra multos qui statim illud quod habent in corde volunt exteriùs publicare: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ità vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* [2]: et ideò meruit instrui, sive consolari. Undè sequitur: *Ecce Angelus Domini apparuit:* quasi in promptu fuit adjutorium Dei: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* [3]: *ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ* [4]. *Angelus Domini*: nihil enim meliùs potuit excusare quàm ille qui conscius erat virginitatis servatæ: undè ille idem Angelus qui missus est ad Mariam [5], creditur missus ad Joseph: *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum* [6], scilicet Mariæ et Joseph, ut ipsam liberaret ab infamiâ, et Joseph in perturbatione non dimitteret.

8. Sed hîc quæritur quarè non à principio facta est Joseph revelatio, antequàm ità perturbaretur: item quarè Maria ei non revelavit annuntiationem Angelicam quæ sibi facta fuerat. Et dicendum ad primum, quòd hoc fecit, ut testimonium ejus esset credibilius. Sicut enim Dominus Thomam Apostolum permisit dubitare de suâ resurrectione, ut scilicet dubitans palparet, et palpans crederet, et credendo infidelitatis in nobis vulnus amoveret; sic permisit Dominus Joseph de pudicitiâ Mariæ dubitare, ut dubitans, revelationem Angelicam acciperet et accipiendo firmiùs crederet. Ad hoc quod quæritur secundò, dicendum quòd, si Maria ei dixisset, ipse non credidisset.

9. *Apparuit ei in somnis.* Ecce modus revelationis. Nota quòd apparere propriè est illius rei quæ de naturâ suâ est invisibilis, tamen in suâ potestate est ut videatur, sicut est Deus, vel Angelus. Illa enim quæ de suî naturâ habent ut videantur, propriè apparere non dicuntur. Undè dicitur apparitio Divina vel Angelica: undè propriè loquitur: *Apparuit in somnis.* Sed hìc quæritur quarè *in somnis.* Ratio redditur in Glossâ, quia Joseph quodam-

[1] *Rom.* I, 32. — [2] *Prov.* XVIII, 23. — [3] *Isai.* VII, 14. — [4] *Id.* XI, 1. — [5] *Luc.* V, 8.

[a] S. Doctor, nescimus quâ de causâ, Ambrosii sententiam non exponit. Illud fortassè omissum est incuriâ amanuensium, qui docentis magistri verba scribebant.

[1] *Prov.* IV, 25. — [2] *Id.* XXV, 28. — [3] *Psalm.* IX, 10. — [4] *Id.* LIII, 6. — [5] *Luc.* I, 26-38. — [6] *Psalm.* XXXIII, 8.

[b] *Origenem*, vel potiùs Auctorem, quisquis sit, Homiliæ I in diversos (vide Notam *a*, p. 23).

modò dubitans erat : undè quasi quodammodò dormiebat, et ideò rectè in somnis dicitur Angelus apparuisse ei. Alia ratio potest assignari melior. Sicut enim dicit Apostolus : *Prophetia data est fidelibus, signa autem infidelibus* [1]: propriè autem revelatio quæ dicitur prophetica fit in somnis: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum* [2]. Et ideò quia Joseph justus erat et fidelis, ipsi tamquàm fideli debuit fieri apparitio quæ competit credentibus, scilicet revelatio quasi prophetica. Quia verò apparitio corporalis est miraculosa, talis apparitio sibi non competebat, cùm ipse crederet et esset fidelis. Sed tunc quæritur quarè Mariæ facta est visibilis apparitio, cùm ipsa esset fidelissima. Et dicendum est quòd mysterium Incarnationis à principio revelatum est Virgini Mariæ, quandò difficilius erat ad credendum, et ideò oportuit quòd sibi fieret apparitio visibilis : ipsi verò Joseph non est revelatum à principio, sed magis quandò jàm pro magnâ parte erat impletum, cùm jam videret alvum ejus intumescere : undè faciliùs poterat credere, et ideò sufficiebat sibi apparitio quæ fit in somnis.

10. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Hìc revelationis verba ponuntur. Et dividitur in tres partes, secundum tria quæ facit Angelus. Primò enim Mariæ et Joseph prohibet divortium : secundò Incarnationis aperit mysterium, cùm dicit : *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est :* tertiò, ipsius Joseph futurum prænuntiat obsequium, quod scilicet puero exhibebit, ibi : *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Dicit igitur : *Joseph.* Vocat eum, ut reddat eum attentum ad audiendum, et ut revocet eum ad seipsum. Hoc commune est in Scripturâ, quòd scilicet, quandò præmittitur apparitio quæ est de superiùs, requirit in auditore quamdam mentis elevationem et attentionem : *Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum* [3]; et infrà : *Fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, et noli esse exasperans* [4]. *Fili David.* Ideò genus exprimit, ut advertat illud quod dicitur : *Audite, domus David : Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo* [5]? Signum enim datum fuit non uni personæ, sed toti tribui sive domui : undè quia de hoc debebat eum instruere, jubetur in expressione generis sui, vaticinium Prophetæ ad memoriam reducere. *Noli timere.* Omnis apparitio, sive sit boni vel mali Angeli, timorem quemdam incutit; et hoc, quia talis apparitio est inconsueta, et quasi extranea naturæ hominis; et ideò ponit hominem quasi extra se. Sed in hoc est differentia, quia apparitio mali angeli terrorem incutit, et in ipso terrore hominem dimittit, ut scilicet hominem quasi extra se positum faciliùs pertrahat ad peccatum : sed boni Angeli apparitio, quamvis terrorem incutiat, tamen statim subditur conclusio et assecutio consolationis, ut scilicet homo ad se redeat, et quæ sibi dicuntur advertat. Undè ubi dicitur quòd apparuit Angelus Zachariæ, statim sequitur : *Ne timeas, Zacharia* [1]: et similiter : *Ne timeas, Maria* [2]. Undè post apparitionem factam Joseph, statim subditur consolatio. Duplicem habebat iste timorem, scilicet Dei et etiam peccati, ne scilicet, Mariæ cohabitando, peccaret tamquàm conscius peccati; et ideò, *Ne timeas*, subditur, scilicet metu peccati, *accipere Mariam conjugem tuam.* Nota quòd conjux dicitur, non propter matrimonium, sed propter desponsationem; consuetudo enim est Scripturæ et sponsas vocare conjuges, et conjuges sponsas. Sed quæritur quomodò jubet eam accipere, cùm eam nondùm dimisisset. Et dicendum quòd, licèt eam corporaliter non dimisisset, tamen in animo eam dimiserat : et ideò jubetur eam accipere. Vel : *Ne timeas accipere*, quantùm ad solennitatem et nuptiarum celebrationem.

11. *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Hìc aperit Incarnationis mysterium : et nota quòd, cùm tria ibi fuerint, scilicet ipsa Virgo concipiens, Filius Dei conceptus, et virtus activa Spiritûs sancti, duo benè exprimit Angelus, scilicet concipientem et conceptionis actorem, sed tertium, ipsum Dei Filium conceptum, non exprimit nisi indefinitè : *Quod enim*, inquit, *in eâ natum est;* et hoc, ut denotetur quòd ipsum est ineffabile et incomprehensibile, non solùm homini, sed etiam ipsis Angelis. *Quod enim*, inquit, *in eâ natum est* : non dicit : De eâ, quia nasci de matre est in lucem prodire : in matre nasci est ipsum concipi. *De Spiritu sancto est :* hoc est ergò testimonium Angelicum, quod inducit Evangelista ad probandum quod suprà dixerat : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto* [a].

12. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Hìc prænuntiat obsequium quod exhibebit Joseph puero jàm nato : et facit tria. Primò enim

[1] I *Cor.* XIV, 22. — [2] *Num.* XII, 6. — [3] *Ezech.* II, 1. — [4] *Ibid.* 8. — [5] *Isai.* VII, 13.

[1] *Luc.* I, 11-13. — [2] *Ibid.* 26-30.

[a] Omittimus hìc explicationem D. Thomæ, juxta quam ostendit quòd Christus de Spiritu sancto conceptus sit, quin eo Spiritus sanctus Christi pater fuerit. De quo vide Appendicem ad calcem hujus Vigiliæ, Art. 5, Num. 5. Omittimus etiam S. Doctoris responsionem objectioni quæ eruitur ex his verbis : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX, 1). De quo vide Catenam auream suprà, p. 18, ad finem col. 2, et p. 19.

prænuntiat Virginis partum: secundò præmonstrat obsequium ab ipso Joseph puero exhibendum, cùm dicit: *Et vocabis nomen:* tertiò aperit nomen impositum ipsi puero, cùm dicit: *Jesum.* Dicit ergò: *Pariet*: ità concepit de Spiritu sancto quidem primò; sed: *Pariet filium*: non dicit: Tibi, quia ipse puerum non genuit. Dictum est Zachariæ: *Uxor tua pariet tibi filium* [1], quia ipsum Zacharias genuit. Vel ideò non dicit: Tibi, ut ostendatur quòd pro omnibus natus est: non solùm tibi, vel ipsi pariet filium, sed toti mundo: *Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David* [2]. Sed quia Joseph posset dicere: Ità concepit ipsa de Spiritu sancto, et pariet filium: quid ergò ad me? in nullo sum ei necessarius. Ideò subdit ipsius Joseph obsequium: *Vocabis nomen ejus.* Consetudo erat apud Hebræos, et est hodiè, quòd die octavo circumcidebant puerum, et tunc imponebant ei nomen, et hoc factum est per Joseph: undè in hoc opere minister fuit. Undè dicitur ei: *Vocabis*: non dicitur: Impones, quia jàm est sibi impositum: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit* [3]. *Jesum.* Hìc est nomen à Deo impositum. Et reddit causam: *Ipse enim salvum faciet populum suum,* quem sibi acquisivit sanguine suo, hoc est, populum ejus. Dicitur: *Non erit populus ejus, qui est eum negaturus* [4]. Undè est populus Domini per fidem: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* [5]. *A peccatis eorum.* In libro Judicum frequenter dicitur quòd talis vel talis salvabit Israël, sed à quibus? Ab inimicis carnalibus. Hìc autem: *A peccatis,* remittendo peccata, quod soli Deo competit: *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata* [6]. Nota quòd hìc confunditur Nestorius, qui dicebat quòd illa quæ Dei sunt, ut esse ab æterno, esse omnipotens, vel hujusmodi, non conveniunt ulli homini. Ecce quòd ille idem homo qui natus est de Virgine, qui vocatur Jesus, *ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Undè cùm peccata dimittere non possit nisi solus Deus, oportet dicere quòd iste homo sit Deus, et quod ea quæ Dei sunt, ei verissimè conveniunt.

✠ S. BONAVENTURA, EPISCOPUS ALBANUS,

S. R. E. CARDINALIS ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

Num. 1. Magna tribulatio et anxietas fuit Josepho et Mariæ, cùm ea *inventa est in utero habens.* — 2. Compatiamur Jesu recluso in utero Mariæ, et reclusi stemus ad servitium ejus.

1. Cùm autem simul habitarent Domina et sponsus ejus Joseph, et crescente Jesu in utero matris, perpendens Joseph ipsam gravidam esse, doluit ultra modum. Attende hìc benè quia multa pulchra discere poteris. Si dubitas quarè Dominus voluit matrem suam habere virum, cùm semper vellet eam virginem esse, respondetur propter tria, ut scilicet ne gravida infamaretur, ut viri ministerio et societate frueretur, et ut diabolo partus Filii Dei occultaretur. Conspiciebat ergò Joseph conjugem suam semel et pluriès, et dolebat, et turbabatur, et eidem vultum ostendebat turbatum, et oculos avertebat ab eâ tamquàm à malâ, suspicans eam ex adulterio concepisse. Vides quomodò Deus permittit suos tribulationibus vexari et tentari ad ipsorum coronam. Cogitabat autem *eam occultè dimittere.* Verè de hoc dici potest quòd ejus laus est in Evangelio: dicitur enim ibi quòd erat *vir justus*; magnæ namque virtutis erat. Cùm enim communiter dicatur quòd quasi summæ verecundiæ, doloris et furoris sit viro adulterium uxoris, tamen ipse virtuosè se temperabat, et accusare nolebat: patienter hanc magnam pertransibat injuriam, non se vindicans; sed pietate victus, cedere volens, occultè volebat eam dimittere. Sed nec Domina pertransivit absque tribulatione: perpendebat enim et videbat eum turbatum, et de hoc etiam ipsa turbabatur. Humiliter tamen tacebat et occultabat donum Dei. Potiùs volebat reputari vilis quàm ipsum sacramentum Dei propalare, et de se aliquid loqui quod ad jactantiam putaretur pertinere. Rogabat autem Dominum, ut ipse remedium apponere dignaretur, et hanc sibi et viro suo tribulationem auferret.

2. Vides quàm magna tribulatio et anxietas erat eis; sed Dominus providit utrique. Misit ergò An-

[1] *Luc*, I, 13. — [2] *Id.* II, 10 et 11. — [3] *Isai.* LXII, 2. — [4] *Dan.* IX, 26. — [5] I *Petr.* II, 9. — [6] *Luc.* V, 24.

[a] Editio Moguntiæ 1609, post Romanam Vaticanam. — Decerptum è Meditationibus vitæ Jesu Christi, Cap. 6, quod hunc habet titulum: « Quomodò Joseph voluit dimittere Mariam, » et quomodò Deus permittit suos tribulari. »

gelum suum qui dixit Joseph in somnis, quòd uxor ejus de Spiritu sancto conceperat, et ut confidenter et gaudenter staret cum eà. Undè tribulatione cessante, rediit consolatio magna. Sic et nobis contingeret, si in tribulationibus patientiam habere sciremus: nam Deus *post tempestatem tranquillum facit*[1]. Nec dubitare debes: quia non permittit eas ad suos venire, nisi pro utilitate eorum. Quæsivit Joseph de hâc conceptione mirifica quæ ei Domina diligenter narravit. Remanet ergò et stat Joseph gaudens cum suâ conjuge benedictâ, et ultrà quàm dici possit, eam casto diligit amore, et curam ipsius fideliter gerit, et Domina cum eo confidenter moratur, et in suâ paupertate lætanter vivunt. Stat ergò Dominus Jesus reclusus in utero usquè ad menses novem more aliorum, stat benignè ac patienter sustinet et exspectat tempus debitum. Compatere sibi, quòd ad tantam humilitatis profunditatem devenit. Multùm ergò deberemus hanc affectare virtutem, nec umquàm deberemus ad elationem vel ad nostrî reputationem tumescere, quandò tantùm se inclinavit Dominus majestatis. Et de hoc secundo beneficio hujus tàm prolixæ pro nobis reclusionis numquàm ei dignè possemus satisfacere. Sed saltem corde hoc cognoscamus, et gratias eidem toto affectu agamus quòd nos ex aliis assumere dignatus est, ut vel hoc modicum rependamus eidem, ut reclusi stemus ad servitium suum. Ipsius quippè beneficium est hoc, non nostrum meritum, et quidem maximum, multùmque acceptabile ac venerabile est. Non enim ad pœnam, sed ad tutelam reclusi sumus, et in arce religionum tutissimâ collocati; ad quam hujus nequissimi mundi venenosæ sagittæ vel tumultuosi maris procellæ, nisi nostrâ temeritate, attingere non poterunt. Conemur ergò toto posse, mente reclusâ et abstractâ ab omnibus caducis, eidem cordis puritate vacare, quia corporalis reclusio nihil aut parùm sine mentali prodest. Eidem etiam Domino Jesu in hoc compatere quòd est in continuâ afflictione, et fuit à suæ conceptionis primordio usquè ad mortem; ex eo scilicet quòd Patrem quem summè diligebat, cognoscebat propter idola relinqui à peccatoribus et inhonorari, et ex compassione quam habebat ad animas ad imaginem suam creatas, quas cernebat miserabiliter, quasi universaliter damnari: et erat sibi major pœna quàm fuerit passio corporalis; nam propter hanc tollendam sustinuit illam. Vides quàm pulchra fercula hìc tibi propinata sunt: si vis eorum sentire dulcedinem, ea rumina diligenter et sæpè.

✠ B. ALBERTUS MAGNUS, ORDINIS PRÆDICATORUM,

EPISCOPUS RATISBONENSIS[a].

---

1. *Christi autem generatio sic erat.* Peractâ generatione Christi secundum materialem descensum genealogiæ, tangit Christi generationem secundum modum causæ tàm efficientis quàm formalis et finalis. Sed primò præmittit titulum, et posteà exsequitur tractatum. Dicit ergò titulum: *Christi autem generatio sic erat.* Non quòd ad plenum effabilis sit et ista humana generatio, nisi in communi, quòd scilicet fuit de Spiritu sancto et ex Virgine. Qualiter autem de Spiritu sancto, et qualiter ex Virgine fuit secundum singula, indicibile est. *In sole posuit tabernaculum suum*, etc.[2] Sol enim nimio splendore reverberat oculos intuentium: ità fulgor mirabilium hujus Nativitatis reverberat intellectum. *Quoniam ignoras quæ sit via Spiritûs, et quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium*[3]. Quæ enim sit via Spiritûs purificantis, et segregantis, et congregantis, et convertentis, et formantis Spiritûs in beatâ Virgine: et quâ ratione membra Christi compingantur, et simul animentur et uniantur deitate, ignoramus; quia omni humilitate, et devotione, et obsequio procumbentes cum Joanne Baptistâ, non

[1] *Tob.* III, 22. — [2] *Psalm.* XVIII, 6. — [3] *Eccle.* XI, 5.

[a] E Comment. in Matth. Edit. Lugduni 1651. — In *Nostrâ Bibliothecâ Concionatoriâ* Albertus Magnus S. Thomâ, ipsius discipulo, posterior est, quia, in ordine chronologico Auctorum non nativitatis, sed obitûs epocham sequimur.

sumus digni per subtilem intellectum solvere corrigiam unionis, quâ calceamentum nostræ mortalitatis cum pede deitatis, quem in Idumæam nostram extendit, colligatum est [1]; multò autem minùs scimus opus Dei, quo omnium fabricator Trinitas in fabricam uteri virginalis sicut in nobile triclinium intravit, et eum, quo omnia fabricaverat, filium veri fabri, fabricando perfecit. *Confortavit faber ærarius eum qui cudebat tunc temporis, dicens : Glutino. Et glutinatus respondit : Bonum est ; et confortavit eum malleis, ne moveretur de cætero* [2]*:* quia ab humanitate, cui agglutinatus est, numquàm est remotus. Sic ergò est generatio, ut dicitur in communi. Per singula autem nulli hominum est ad plenum nota.

2. *Cùm esset desponsata.* Duo dicit circa generationem : sinceritatem à carnali commercio, et diligentiam quam ordinavit in obsequio generationis, et puero, et necessariò matri. Et hanc tangit ibi : *Joseph autem, vir ejus.* Circa primum, tangit conceptûs et generationis sinceritatem. Et tangit septem per ordinem, quorum primum est custodiæ, contra malam opinionem : et hoc est desponsatio. Secundum pertinet ad summam beatitudinem, quòd est *mater Jesu.* Tertium ad dignam clari nominis cognitionem, quòd vocatur et est *Maria.* Quartum ad virtutis laudem, quòd justum Joseph accepit sponsum et conservatorem. Quintum ad munditiæ sincerissimæ pudorem, quòd *antequàm convenirent, inventa est,* etc. Sextum ad mirabilium Dei stupendam admirationem, quòd *in utero est habens.* Septimum ad completam et omnimodam ejus sanctitatem, quòd est conceptus ejus *de Spiritu sancto.* Primum horum, sicut diximus, est custodiæ; desponsatæ enim custodiebantur. Quod notatur ex tribus : exhibitione, scilicet, ornatu, et promisso. Exhibitione ; quia viris exhibebantur, sicut dicunt Glossæ. Ornatu; quia ornamenta custodiam significantia dabantur. Promisso ; quia non loquitur Scriptura de sponsione factâ in futurum, quâ aliquandò sponsalia per alium contrahuntur ; sed de sponsione quæ fit per verba de præsenti, quâ femina in suam dat se sponso, et è converso vir in suum dat se sponsæ. Et hi vocantur conjuges : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* etc. Et per istam sponsionem vir est habitus à sponsâ, et è converso habet sponsam. Propter hoc dicit Philosophus « quòd extraneissimus « modus est habendi, quo uxor habet virum, quia « per idem vinculum uterque conjugum habens « habetur à reliquo. » Et est relatio paritatis, et superpositionis, et suppositionis. In jure enim quod uterque habet in reliquo, relatio est paritatis, quia in illo ad similia judicantur conjuges. In hoc tamen, quòd *vir caput mulieris est* [1] in regimine, superpositionis est. Et in hoc quòd mulier est in adjutorium data viro, et non è converso, quia vir est faciens et operans per se, suppositionis est. Et sic individua vita tripliciter [a]. In jure enim uterque pariter obligatus est debito. In regimine, caput non est sine corpore, nec vir sine muliere, quia secum participat regimen, licèt informatio regiminis sit ex parte viri. Et ideò dicitur quòd *docuerunt eam diligere maritum* [2] in recognitione juris matrimonii, et regere familiam in participatione regiminis, à viro informari, quia directio pertinet ad virum. In adjutorio etiam est individuitas, quia, licèt sit secunda, tamen in omnibus quæ sunt matrimonii, eosdem actus participat generando, subserviendo in omnibus. Hoc enim dicit adjutorium. Et hoc est, quod dicitur : *Faciamus ei adjutorium simile sibi* [3]. Non enim adjutorium simile sibi diceretur, nisi in omnibus eosdem actus participaret subministrando in eis, et in aliquo ad similia judicaretur. Hanc individuitatem notat Apostolus : *Neque mulier sine viro, neque vir sine muliere, in Domino* [4]. Hæc autem individuitas causatur ex consensu conjugali ante carnalem copulam. Et ideò carnalis copula consequens est matrimonium, nihil existens de substantiâ ejus. Propter quod fuit verum matrimonium beatæ Virginis et Josephi, et eò sanctius, quò à carnalis commercii concupiscentiâ fuit immunius, quia sanctiora sunt conjugia pari voto continentium, ut dicit Augustinus. Primum inductorum trium tangitur, ubi Isaias secundum hebraicam veritatem dicit : *Alma Virgo concipiet et pariet Filium* [5]. *Alma* autem est custodita, eo quòd paranymphis est credita. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* [6]. Desponsata enim exhibebatur. *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* [7]. De ornatu dicitur : *Suspendi inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas in manibus ejus* [8]. Inauris significat aurem antè omnibus patulam, modò uni inclinatam ; armillæ autem manûs opera esse colligata ad unum. *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia* [9], à muniendo dicta, quia muniunt sinum, ut dicit Isidorus, ne adulter inserat manum. Et sic de aliis. De promisso : *Ascendit Joseph cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnanti. Sponsabo te mihi in sempiternum ; et sponsabo te mihi in justitiâ, et judicio, et in misericordiâ, et in miserationibus ; et sponsabo te mihi in fide* [10]. *Recordatus sum tui, miserans*

[1] *Marc.* I, 7. — [2] *Isai.* XLI, 7.

[a] *Aliàs*, triplicatur.

[1] I *Cor.* XI, 3. — [2] *Tob.* X, 13. — [3] *Gen.* II, 18. — [4] I *Cor.* XI, 11. — [5] *Isai.* VII, 14. — [6] II *Cor.* XI, 2. — [7] *Gen.* II, 24. — [8] *Id.* XXIV, 47. — [9] *Cant.* VII, 1. — [10] *Ose.* II, 19 *et* 20.

adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ in die, quandò secuta es me, etc. [1].

3. Si autem quæritur quarè Christus de desponsatâ potiùs quàm de non desponsatâ nasci voluit, in Glossâ Origenis, tanguntur octo causæ, sic : Ideò desponsata, ut significaret Ecclesiam, quæ virgo est et sponsa : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*; *ideò viri debent diligere uxores suas* [2]. Secunda est, ut per Joseph origo Mariæ ostenderetur. De hâc autem satis habitum est ut suprà. Tertia autem, ut Joseph esset testis castitatis ejus. Et de hâc nunc habitum est, quia sic defenditur ab infamiâ suspicionis. Quarta est, ne sicut adultera lapidaretur, sicut ferè accidit Susannæ [3]. Quinta, ne virgo viri solatio destitueretur : *In tribus est beneplacitum spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, vir et mulier sibi consentientes* [4]. Sexta est, ut diabolo partus occultaretur. Sed nonne scit per naturam signa virginitatis? Dicendum quòd totum mysterium Incarnationis supra naturam est, et ideò à diabolo secretum : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. Et dixi : Secretum meum mihi : secretum meum mihi* [5], hoc est, secretum in matris pudore, et secretum in Incarnatione : *Sacramentum Regis abscondere bonum est* [6]. Septima est, ne virginibus esset excusatio infamiæ, quæ fortè lascivientes non satis curarent de infamiâ, dicentes quòd etiam mater Christi infamata fuerat. Octava additur à Chrysostomo dicente, quòd cavit Christus infamiæ matris, volens potiùs in se notam habere suspicionis, quòd natus sit de viri semine, quàm quòd mater culparetur de fornicatione. Non enim semper lapidabantur, quæ in domo patris fornicatæ fuerunt. Dicitur enim *quòd, si invenerit quis puellam virginem quæ non habet sponsum, et concubuerit cum eâ, dabit patri puellæ quinquaginta siclos, et habebit eam uxorem* [7]. Sed ad hoc dicunt quidam beatam Virginem fuisse ex unâ parte de tribu sacerdotali et cognatam Elisabeth; filiæ autem sacerdotum comburebantur fornicantes in domibus patrum, sicut dicitur in Libro Levitici [8]. Sed ista responsio non est bona : quia, per hoc quòd fuit cognata Elisabeth, non probabitur esse de tribu sacerdotali, sicut ex superiùs inductis patet : quia puellæ pluribus de causis de tribu in tribum transiverunt ad matrimonium. Ideò dicendum quòd puella extra domum patris, in campo cognita, excusationem habuit, quòd destituta fuerit in adjutorio [9] : sed quæ in domo patris custodita excessit, quandò posteà desponsata virgo inventa non fuit per signa virginitatis, vel fortè quia imprægnata ante desponsationem vel contractum matrimonii apparuit, de tribu sacerdotum comburebatur [10], et de aliâ tribu, lapidabatur, ut habetur [11]. His omnibus causis una melior omnibus ab Augustino addenda : ut, videlicet, hoc bono prolis, per quod omnis proles matrimonii bonum efficitur, matrimonium sanctificaretur. Sic sanctæ Virginis matrimonium tribus suis bonis est perfectum : fide mutuæ castitatis, prole unitæ cum puero deitatis, sacramento significato cum spiritu utriusque conjugum cum Deo individuæ societatis.

4. *Mater*. Ecce secundum, quod beatitudinis. Undè : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti* [12]. *Ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes* [13]. In cujus signum Lia suscipiens filium : *Hoc pro beatitudine meâ ; beatam quippè me dicent omnes mulieres* [14] : et ideò vocavit eum Aser, qui interpretatur *beatus* : et figura est hujus beati partûs. Hæc autem beatitudo est in ablatione primæ miseriæ, quia nihil habet concupiscentiæ, nihil gravitatis, nihil doloris, nihil corruptionis, nihil infirmitatis, sed plurimùm sanctitatis ex gratiâ, multùm levitatis ex non devirginatâ naturâ, fructum dulcedinis et delectationis ex Dei potentiâ, consecrationem integritatis ex deitate in partu profusâ, cumulum vigoris ex ipsâ Dei sapientiâ et virtute partâ. Et reddantur singula singulis. De primo : *Gratiâ plena* [15]. *Invenisti gratiam apud Deum* [16]. De secundo : *Sicut levis ascendit in montana ministrare Elisabeth* [17]. Vocat se ancillam bis : primò : *Ecce ancilla Domini* [18]; et post : *Respexit humilitatem ancillæ suæ* [19]; ancilla autem dicitur ab *an*, quod est *circùm*, et *cilleo*, quod est *moveor*; gravis autem in omni obsequio circummoveri non posset. De tertio : *Sicut adipe et pinguedine, repleta est anima ejus* infusione deitatis : *et labiis exsultationis laudabit os suum* [20]. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* [21]. *Gustavit et vidit quòd bona est negotiatio ejus* [22]. De quarto : *Porta hæc clausa est, et non aperietur, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam* [23]. De quinto : *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus* [24]. Ultimi enim fines omnium sunt principium deitatis et finis humanitatis, quæ in eâ sunt conjuncta : *Attingit à fine usquè ad finem fortiter* [25].

5. Ecce *Mater*, Jesu mater immaculata, mater

[1] *Jerem.* II, 2. — [2] *Ephes.* V, 27 *et* 28. — [3] *Dan.* XIII, 41. — [4] *Eccli.* XXV, 1 *et* 2. — [5] *Isai.* XXIV, 16. — [6] *Tob.* XII, 7. — [7] *Deut.* XXII, 28 *et* 29. — [8] *Levit.* XXI, 9. — [9] *Deut.* XXII, 25-27. — [10] *Levit.* XXI, 9. — [11] *Deut.* XXII, 23 *et* 24. — [12] *Luc.* XI, 27. — [13] *Id.* I, 48. — [14] *Gen.* XXX, 13. — [15] *Luc.* I, 28. — [16] *Ibid.* 30. — [17] *Ibid.* 39. — [18] *Ibid.* 38. — [19] *Ibid.* 48. — [20] *Psalm.* XLII, 6. — [21] *Id.* XXXIII, 9. — [14] *Prov.* XXXI, 18. — [22] *Ezech.* XLIV, 2. — [23] *Prov.* XXXI, 10. — [24] *Sap.* VIII, 1.

intacta, mater matris doloris inexperta, mater incorrupta, mater vigore pudicitiæ virginalis non destituta. Immaculata, agno immaculato congrua: *Erit agnus sine maculâ*[1]. *Numquàm* enim *cum ludentibus se miscuit, nec cum his qui in levitate ambulant, participem se præbuit, et mundam servavit animam suam ab omni concupiscentiâ*[2]. *Tota* igitur *formosa est, et macula non est in eâ*[3]. Intacta autem omninò, inexperta viri thorum, licèt habuerit nuptias honorabiles et thorum immaculatum[4]. Virgo pulcherrima et incognita viro: *Lectulus noster floridus*[5], flori profecto ex radice Jesse congruissimus. Dolores matris inexperta, quia *antequàm* dolendo *parturiret, peperit; et antequàm veniret dolorum ejus,* quos sub cruce sustinuit, *tempus, peperit masculum. Quis audivit umquàm tale, aut quis vidit huic simile*[6]? In prole igitur mater virgo, dolorum uteri expers, gaudet corde, lætatur corpore, virgo mater Domini, mutans nomen Evæ, quæ *in dolore pariet filios*[7], in *a væ, sine væ partûs*, puerpera existens. Mater incorrupta, quia post partum virgo permansit, sicut sidus radium proferens virgo filium incorrupta. Non enim dedit sanctam suam matrem videre corruptionem, cùm in partu notas fecit ei non solùm vias, sed eum qui est via ad vitam, et vita, et veritas. Vigore autem pudicitiæ non est destituta, quæ fecit viriliter, amputando caput antiqui inimici castitatis : *Præclarior facta est universæ terræ Israel*; *erat enim virtuti castitas adjuncta, ità ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ*[8].

6. *Mater Jesu.* Cujus Jesu? Illius, qui generationem suam ex matre temporalem, æternæ ex Patre assimilat, qui generationem humanam novis innumerabilibus immutat et innovat, qui generatos in generatione corruptâ, suâ generatione salvat, qui ruinas cœli reintegrat, qui integritatem cœlestium spirituum in carne et in sanguine exemplificat, qui cœlestium luminarium fecunditatem in mirabilibus matris ostentat. Æterna autem generatio ex Patre sine concupiscentiâ et sine corruptione; et huic similis est ex matre facta generatio. Sed in hoc differt, quòd in cœlis est ex Patre sine matre; in terris autem ex matre sine patre : propter quod flori assimilatur, qui, secundum Pythagoram, in cœlo patrem habet sine matre, qui est sol, et in terrâ matrem sine patre, quæ est terra : *Ego flos campi, et lilium convallium*[9]; ideò Nazaræus vocatus[10]. Novis innumerabilibus immutat generationem humanam, quæ triplex est : virginis viri de terrâ[1], et feminæ virginis de viro[2], et filii et filiæ virginum, de viro et feminâ non virginibus[3]. Et in his generationibus, semper id quod generatur, est virgo; quartâ enim generatione commutat secundam, et à vetustate purgatam innovat quartam : *Generatione quartâ revertentur*[4]; quæ est viri virginis de feminâ virgine. *Innova signa, et immuta mirabilia: da ostensionem, quoniam ab initio creaturæ tuæ sunt*[5]. *Sic enim datur magnificentia Deo nostro, quia sua perfecta sunt opera*[6]. Generatos etiam generatione corruptâ salvat. Infrà : *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Antequàm sciat puer vocare patrem et matrem, detrahentur spolia Damasci*[7]. *Potus sanguinis* interpretatur Damascus, et significat peccatum, quod ex potu sanguinis est exortum. Ruinas cœli reintegrat, quòd de virginibus matri proximis, Angelorum cadentium numerum recompensat: *Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit : et reædificabo aperturas murorum ejus : et ea quæ corruerant, instaurabo et reædificabo, sicut in diebus antiquis*[8]. In carne etiam et sanguine integritatem Angelorum exemplificat: *Numquid nôsti ordinem cœli, et rationem ejus pones in terrâ*[9]? *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus,* hoc est Angeli, *in medio juvencularum tympanistriarum*[10], hoc est, virginum carnem sicut tympanum castitate exsiccantium, et castigatione verberantium, et sono laudis divinæ sonantium super humilitatis vacuum et devotionis intimum profundum. Cœlestium autem luminarium fecunditatem in mirabilibus matris ostentat, quòd, sicut sidera radios sine corruptione terræ præferunt, et in terrenis sordibus non inficiuntur; sic gratia matris fecundæ emittit lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[11], nec inficitur cœnulentis actibus peccatorum. Propter quod dicitur *pulchra ut luna, electa ut sol*[12]; *amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et corona stellarum duodecim in capite ejus*[13]. Hæc est *Mater Jesu.*

7. *Maria.* Ecce tertium, quod ad clari nominis pertinet cognitionem; *illuminatrix* enim, et *stella maris*, et *domina*, et *amarum mare*, non vacuâ significatione Maria interpretatur. Quorum primum pertinet ad beatitudinis sanctorum gloriam : secundum, ad fluctuantium in hoc mari misericordiam : tertium autem, ad omnium justorum præcellentiam eximiam : et quartum, ad omnium peccatorum pœnitentium veniam. Ipsa enim et illuminat san-

[1] *Exod.* XII, 5. — [2] *Tob.* III, 17 *et* 16. — [3] *Cant.* IV, 7. — [4] *Hebr.* XIII, 4. — [5] *Cant.* I, 15. — [6] *Isai.* LXVI, 7 *et* 8. — [7] *Gen.* III, 16. — [8] *Judith.* XVI, 25 *et* 26. — [9] *Cant.* II, 1. — [10] *Matth.* II, 23.

[1] *Gen.* II, 7. — [2] *Ibid.* 21-23. — [3] *Id.* V, 4. — [4] *Id.* XV, 16. — [5] *Eccli.* XXXVI, 6 *et* 17. — [6] *Deut.* XXXII, 3 *et* 4. — [7] *Isai.* VIII, 4. — [8] *Amos*, IX, 11. — [9] *Job*, XXXVIII, 33. — [10] *Psalm.* LXVII, 26 — [11] *Joan.* I, 9. — [12] *Cant.* VI, 9. — [13] *Apoc.* XII, 1.

ctos in gloriâ, et fluctuantibus in procellis tentationum, in dubiis est prævia, et omnium justorum, quibus meretur gratiam, Domina, et pœnitentium et gementium propitiationis indulgentia. Amicitur sole, ut illuminet : stat sicut signum in cœlo, ad quod fluctuans navim cordis ejicere tentet : coronatur stellis, quia claritatem virtutis omnium sanctorum ut Princeps et Domina possidet : clamat parturiens, ut omnibus in amaritudine cordis clamantibus, ad similem compassionis affectum se conformet : *Sicut quæ concepit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus à facie tuâ, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis* [1]. Hæc est *Aurora consurgens* [2], ex quâ est *ortus Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* [3]; et ideò *illuminatrix*. Hæc est *Stella orta ex Jacob* [4]; et ideò *stella maris*. Hæc est *Regina, quæ astitit* in varietate virtutum, *in vestitu deaurato* [5], splendore deitatis in eam supervenientis; et ideò *Domina*. Hæc est *Propitiatorium*, super quod propitiatur Dominus peccatoribus [6]; et ideò *amarum mare*. Ecce *mater Jesu Maria desponsata*.

8. *Joseph*. Ecce quartum, quod pertinet ad virtutis laudem, quòd « justo Joseph desponsata, ut dicit Origenes [a], sed non in concupiscentiâ juncta. » Et attende utriusque conjugum virginitatis propositum. Dicitur quòd *Angelus missus est à Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph* [7]. Et hoc dicitur, quòd *inventa est in utero habens, antequàm convenirent*. Cùm igitur esset desponsata ante annuntiationem, et assignata ei, ut tradunt Patres, usquè ad tempus quo per tumorem ventris *inventa est in utero habens*, non continuissent, nisi pari consensu virginitatis habuissent propositum. Plùs enim quàm sex menses effluxerant ab annuntiatione, et ante annuntiationem legitur desponsata fuisse. Hoc etiam signanter exprimitur per expressionem nominis. Et ideò istud in quartum, quod ad laudes virtutis refertur, quia, si dissoluta in annis nubilibus existens, non justum et sanctum accepisset. Laus autem Joseph exprimitur in quatuor : in Dei videlicet familiaritate, in clarorum virorum æquivocatione, in propositi sanctitate, et in virtutis commendatione. Familiaritas Dei notatur in duobus : in nominis expressione, et in Angelorum crebrâ visitatione. De primo habemus : *Invenisti gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine* [8]. *Proprias oves vocat nominatim* [9]. *Servos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est, benedicetur* [10]. De secundo autem multùm est hîc et in sequenti capitulo Matthæi. Instruit Angelus dubitantem, docet in Ægyptum fugientem, dirigit revertentem, erudit in Nazareth manentem : *Locutus es in visione sanctis tuis* [1]. Et hæc omnia complet non per ænigmata et figuras, sed potiùs apertè et clarâ revelatione : *Ore ad os loquor ei ; et palàm et non per ænigmata et figuras Deum videt* [2], hoc est, Angelum loco Dei revelantem, quia etiam ad Moysem nonnisi Angelus loquebatur : *Ego visiones multiplicavi eis* [3]. Clarorum virorum æquivocatio est Joseph Patriarchæ præcedentis, et Joseph ab Arimathæâ sequentis : quorum unus typum gerit Salvatoris [4] : alter officium exhibet mortuo pietatis : unus in venditione ferè cum Jesu similia patitur : alter autem, in sepeliendi obsequio, Virginem matrem exemplariter imitatur; sepelit enim in sepulchro in quo nondùm quis positus fuerat, undè clausis signaculis exivit ; sicut et in utero solus carnem induit, et claustris pudoris intactis exivit. Hic autem Joseph, medius horum, et matri obsequitur in testimonio castitatis, et nato impendit officia pietatis, et in Ægyptum fugit ut Joseph Patriarcha salvatus, et expensas exhibet ut Joseph ab Arimathæâ : *Similem fecit illum in gloriâ sanctorum* [5]. *In plenitudine sanctâ admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur* [6]. *In conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me* [7]. De propositi autem sanctitate jàm in parte dictum est, quia propositum habebat perpetuæ castitatis : aliter enim pollutus temerariè tractaret corpus Redemptoris, et speculum munditiæ corpus sanctissimæ matris : *Mundamini qui fertis vasa Domini* [8]. Oza percussus, extendens manum ad arcam, quæ nonnisi figura obscura fuit sanctitatis hujus, eo quòd pollutus esset in conjuge [9] : quantò magis Joseph numquàm auderet exhibere curam, si aliquam castitatis passus erat maculam ! Præcipitur filiis Israel, quòd lavent vestimenta, et non appropinquent uxoribus, visuri ignem et fumum circa Deum [10] : multò magis manibus tractantes castitatis florem, perpetuæ creduntur habere castitatis propositum. Adhuc quænam ratio esset sapientiæ Dei, ut matri Virgini pollutum eligeret testem et tutorem ? Virtutis autem commendatio statim habetur, cùm dicit : *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus*.

9. *Antequàm convenirent*. Ecce quintum, quod ad sinceritatis pertinet pudorem virgineum. Est enim sincera virginitas omnem viri tàm corde

[1] *Isai*. XXVI, 17 *et* 18. — [2] *Cant*. VI, 9. — [3] *Malach*. IV, 2. — [4] *Num*. XXIV, 17. — [5] *Psalm*. XLIV, 10. — [6] *Exod*. XXVI, 34. — [7] *Luc*. I, 27. — [8] *Exod*. XXXIII, 17. — [9] *Joan*. X, 3. — [10] *Isai*. LXV, 15 *et* 16.

[a] Seu potiùs Auctor Homiliæ 1 in diversos (vide p. 23, col. 1).

[1] *Psalm*. LXXXVIII, 20. — [2] *Num*. XII, 8 *et Exod*. XXXIII, 11. — [3] *Ose*. XII, 10. — [4] *Gen*. XLI, 45. — [5] *Eccli*. XLV, 2. — [6] *Id*. XXIV, 3 *et* 4. — [7] *Sap*. VIII, 11. — [8] *Isai*. LII, 11. — [9] II *Reg*. VI, 7. — [10] *Exod*. XIX, 10, 15 *et* 16.

quàm corpore formidare conventum, et nullo modo admittere posse. Hæc autem sinceritas virginea [a] in quinque consistit. Nam, secundum causam, est in divinâ munditiâ quam contemplatur : secundum exemplum, in puritate angelicâ cui comparatur : secundum essentiam, est in corde quod afficit, secundum effectum, in corpore quod continet : et secundum signum, in sensibus quos grato quodam pudore concludit. Causa enim sinceritatis sanctæ est integritas et munditia divina, quam continuè meditatur Virgo sancta. Propter quod Augustinus dicit quòd virginitas est, in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio, ut illi se spiritui studeat jungere per affectum sapientiæ, qui marcescere non potest per concupiscentiam : *Propter munditiam suam nihil inquinatum incurrit in illam* [1]. *Hanc amavi, et exquisivi mihi sponsam accipere, et amator factus sum formæ illius* [2]. Per exemplum autem assiduè se comparat Angelis, quibus grata est sancta virginitas, et in medio sanctarum virginum libenter assistunt, quia qui *neque nubent, neque nubentur, sicut sunt Angeli Dei in cœlis* [3]. Per essentiam in corde, ut *numquàm concupiscat virum, sed mundam servet animam suam ab omni concupiscentiâ* [4]. Per effectum continentiæ in corpore, attendens illud : *Felix sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto : habebit fructum in respectione animarum sanctarum* [5]. In signo, est in pudore sensuum : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata : non enim aliqua ponderatio digna continentis animæ* [6]. E contrà *de vagis, garrulis, quietis impatientibus, quia non valent in domo consistere pedibus suis* [7] : *oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti : pellicientes animas instabiles* [8], hoc est, nitore quodam et fuco pellis decipientes: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* [9]. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine* [10], quia sicut dicitur : *Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum et in palpebris illius cognoscitur* [11], ad hoc significandum dicitur quòd quinque sunt prudentes virgines, et quinque fatuæ per oppositum [12].

10. Sed insurgit hìc Helvidius hæreticus, dicens ex modo locutionis significari quia, licèt Salvatorem beata Virgo conceperit, *antequàm convenirent*, tamen alios concepit et peperit, posteaquàm convenerunt, qui fratres et sorores Domini dicuntur [13]. Sed *mentita est iniquitas sibi* [14]; iste enim modus locutionis usitatus, sicut dicimus de inimicis : Numquàm salutavit eum, antequàm interfectus est ab eo; et constat quòd, postquàm interfectus est, non salutavit eum. Adhuc de peccatore finaliter impœnitente dicimus : Cùm multotiès moneretur, non pœnituit, antequàm suspensus interiit. Et in sacrâ Scripturâ : *Heli non vidit lucernam Dei, antequàm exstingueretur* [1]; et constat quòd, posteaquàm exstincta fuerit, videre non potuit. Talis igitur est et hic modus loquendi : non enim poterat vir justus et sanctus etiam cogitare de pollutione uteri, quem auro sui splendoris et sanctitatis ornavit Deus, corporaliter in eo habitans. Totum enim corpus et maximè uterum splendore sanctitatis ornavit divinitas, sicut dicitur quòd, *cùm ingrederetur gloria Domini in templum, resplenduit tota terra à præsentiâ majestatis ejus* [2]. Hoc significandum est, ubi præcepit Dominus arcam, factam de lignis setim imputribilibus, vestiri intùs et extrà de auro mundissimo [3] : quod significat corpus Virginis imputribile per concupiscentiam. Præcepit etiam urnam fieri de auro mundissimo, in quo manna reponebatur [4], per quam significatur Virginis uterus panem cœli in se habens reconditum. Surgit autem quæstio hìc : Quia littera videtur contradicere his quæ antè dicta sunt, quia dictum est quòd, desponsatione factâ, sponsa sponso assignabatur, ergò ante annuntiationem convenerunt ad cohabitandum, et sic non est inventa *in utero habens, antequàm convenirent*. Sed ad hoc dicendum quòd, absque dubio, secundum dicta sanctorum Patrum, *antequàm convenirent* ad cohabitandum ; sed ex nimiâ confidentiâ sanctitatis virginis, quâ prohibebatur Joseph ab omni malâ suspicione habendâ de conjuge, liberè permisit ire et redire quò vellet. Et ideò recedens ab ipso ad obsequium cognatæ Elisabeth, ultra spatium trium mensium ab eo sequestrata fuit ; et antequàm convenirent in reditu ipsa et Joseph, facta sunt ea quæ hìc dicuntur. Et hæc responsio traditur à Chrysostomo.

11. *Inventa est in utero habens*. Inventa procul dubio à Joseph, familiari ejus nutritio. Et hoc est novius omni novo. Nova enim quædam fecerat ante et fecit post hoc Dominus, quòd cæcos illuminavit, quòd claudis gressum reddidit : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aperta erit lingua mutorum : tunc saliet sicut cervus claudus*, etc. [5] : *cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt* [6] : omnibus tamen his facultate et potestate naturæ redditâ; nihil mirum quòd posteà opera vitæ per illas operati sunt facultates; cæco enim

[1] *Sap.* VII, 24 *et* 25. — [2] *Id.* VIII, 2. — [3] *Matth.* XXII, 30. — [4] *Tob.* III, 16. — [5] *Sap.* III, 13. — [6] *Eccli.* XXXI, 19 *et* 20. — [7] *Prov.* VII, 10 *et* 11. — [8] II *Petr.* II, 14. — [9] *Psalm.* CXVIII, 37. — [10] *Job*, XXXI, 1. — [11] *Eccli.* XXVI, 12. — [12] *Matth.* XXV, 2. — [13] *Marc.* III, 32 — [14] *Psalm.* XXVI, 12.

[1] I *Reg.* III, 2 *et* 3. — [2] *Ezech.* XLIII, 4 *et* 5. — [3] *Exod.* XXV, 10 *et* 11. — [4] *Hebr.* IX, 4. — [5] *Isai.* XXXV, 5-10. — [6] *Matth.* XI, 5.

[a] *Aliàs*, sincera virginitas.

reddito visu, non mirum est, si videat; et idem est de aliis : sed nunc, causâ non habendi in utero manente, et custoditâ, et sigillatâ, et consecratâ in virgine, quæ est virginitas, invenitur *in utero habens*! Mirum in modum! quod et ipsa miratur, dicens : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco*[1]? Nullo enim, pro certo, modo fieri posset, nisi per eum cui *non est impossibile omne verbum*[2]. Hoc est ergò aliorum mirorum mirum, quod natura non potest, gratia non capit, sæcula mirantur, Angeli prædicant, Prophetæ in gaudio spiritûs prænuntiant: *Novum faciet Dominus super terram : Femina circumdabit virum*[3]. *Quis audivit umquàm tale, aut quis vidit huic simile*[4]? *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia*[5]. Impossibile omninò hoc pro certo esset, nisi virtus Altissimi obumbraret Virgini. Non enim umbram habet virtus Altissimi obscuram, et frigidam, et tetram, sicut corpus opacum et tenebrosum; sed umbra vocatur hìc imago ad similitudinem resultans, sicut forma in speculo resultans umbra vocatur. Sic dicitur: *Umbram habens lex futurorum bonorum*[6]. Et quod sequitur : *Non ipsam imaginem rerum*[7], dictum est, eo quòd veritatem rerum gratiæ, per quas completa est, non habet. Sic igitur, non de inferioribus operibus, sed virtutibus Dei veniens de altissimis, Altissimi virtus in eam descendens, imaginem suam impressit in eam, quà hoc fieri in eâ potuit, quod omni creaturæ impossibile fuit, non modò perficere, sed etiam cognoscere. Sic ergò : *Signum magnum et mirabile apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus; et habebat in utero, et clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat*[8]. Clamabat quidem potiùs magnitudine miraculi, quàm doloris experientià. Et cruciatus ejus est de conceptis per affectum misericordiæ, in quibus eum quem portavit in utero, formari desiderat. Sicut in Psalmo : *Mirificavit Dominus sanctum suum*[9]; sic apud Isaiam : *Ipse Dominus dabit vobis signum* de Virginis conceptu et partu[10]; sic apud eumdem : *Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram*[11] : *abbreviatum*, inquam, non amputatum, vel mutilatum, videlicet in aliquà parte suî diminutum. Hoc enim, ut Origenes in Peri-archôn[a] dicit, dictum est : « Sicut si intelligamus hominem caput in immensum extra cœlum « porrigentem, et pedes in infinitum per abyssum « extendentem, et manus ultra omnem mensuram « latitudinis per Orientem et Occidentem expan« dentem, et tantæ spissitudinis, quòd anteriora « pectoris et posteriora dorsi omnem excedant « mensuram profunditatis extra austrum et aquilo« nem; hic enim homo nobis invisibilis et inco« gnoscibilis, nec videmus de ipso nisi quiddam « interminatum et infinitum; facio autem imagi« nem sibi per omnia similem, non æqualem ad « longitudinem duorum cubitorum, et statuo illam « ante oculos, et dico : Sic sunt manus et sic ocu« li, et itâ caput et cætera membra magni homi« nis, sicut vides in isto; parva enim imago in « nullà similitudine deficit à magni hominis ima« gine; sicut etiam in fabulis Pythagoricis Atlas « describitur : sic *Verbum abbreviatum fecit « Dominus* in utero Virginis, non demembratum, « quod nobis commensuratam totam ostenderet « immensitatem deitatis. Et ideò mira res est istius « uteri, in quo virtus resultat Altissimi, et abbre« viatio sine diminutione efficitur filii incarnati, « ut brevitas secundum carnem intelligatur, et « permanentia immensitatis secundum deitatem. « In hoc enim deficit similitudo corporalis in dua« bus inducta imaginibus, quia in Verbo abbre« viato in uno et eodem Christo est immensitas dei« tatis et abbreviatio carnis, cui se commetitur « divinitas. Ibi autem immensum et abbreviatum « in uno et eodem esse non possunt. » Sic igitur *inventa est in utero habens*.

12. *De Spiritu sancto*. Et in hoc notatur completa et omnimoda ejus sanctitas. Est autem locutio duplex, secundum distinctiones sophistarum, ex compositione et divisione. Hoc enim, *In utero habens de Spiritu sancto*, potest totum referri simul ad participium, *inventa*; vel tantùm prima pars, quæ est : *In utero habens* : et sic divisam intelligendam esse locutionem istam inferiùs ostendit Angelus, quandò Joseph cogitante eam dimittere, pro ratione quòd non debeat dimitti, assignat *de Spiritu sancto esse, quod in eâ natum est*. Cùm autem dicitur : *De Spiritu sancto*, præpositio notat potestatem, et non materiam; sicut cùm dico quòd iste honoratur, est de potestate imperatoris, et quòd ille alius suspenditur, de furto, quandò tamen furtum non est materia suspensionis, nec rex vel potestas ejus est materia honoris. Mentiuntur ergò hæretici Helvidiani, qui dicunt Spiritum sanctum esse patrem Christi secundum temporalem ejus generationem, quia Pater est, qui de substantiâ suà generat : quod non fecit Spiritus sanctus. Tria ergò dicit; in præpositione enim notat potestatem, ut non credas in generatione esse patris alicujus materiam seminalem : *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terrâ sitienti*[1]; radicis enim non est radix; et ideò

[1] *Luc.* I, 34. — [2] *Ibid.* 37. — [3] *Jerem.* XXXI, 22. — [4] *Isai.* LXVI, 8. — [5] *Apoc.* XXI, 5. — [6] *Hebr.* X, 1. — [7] *Ibid.* — [8] *Apoc.* XII, 1 *et* 2. — [9] *Psalm.* IV, 4. — [10] *Isai.* VII, 14. — [11] *Id.* X, 23.

[1] *Isai.* LIII, 2.

[a] Περὶ Ἀρχῶν, *De Principiis*.

radix prima generationis Christi fuit Verbum, Filius Dei: non alia radix; sicut semen dicitur esse radix generationis. Et ideò uterus Virginis terræ sitienti sive arenti comparatur, quia nullo virilis humoris semine est infusus. Et item apud Isaiam flos dicitur de radice ascendere [1], quia flos parvuli concepti, de radice prodiit deitatis; nec aliam habuit radicem suæ generationis; sicut flos patrem non habet nisi cœlestem. Secundum est, quòd dicit Spiritum operatorem hujus generationis, ut omninò sine carnali concupiscentiâ factam intelligas: *Spiritus concupiscit adversùs carnem* [2]. *Spiritus sanctus superveniet in te,* etc. [3]. Tertiò dicit: *Sancto*, ut intelligas gratiâ plenum: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*, *plenum gratiæ et veritatis* [4]. A primo habet hæc generatio, quòd secundum efficientem causam est divina: à secundo, quòd est absque matre peccati originalis, quæ est concupiscentia: à tertio, quòd est abundans in reconciliationis gratiâ: *De cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratiâ* [5].

13. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Ecce secunda pars, contra præcedens totum divisa; ubi à Deo ordinatur diligentia obsequii, tàm matri quàm puero necessaria. Et hæc dividitur in duo. In quorum primo inducit dubitationem Joseph circa conceptum beatæ Matris et Virginis: ut locum congruum habeat et causam sequens revelatio; et secundò inducit ipsam revelationem, obsequium impendendum puero et matri præordinantem. In primo horum tangit quatuor: quorum primum est ratio obligationis quam habebat ad non dimittendum: secundum laus ejus, ex quâ fuit idoneitas ejus ad obsequendum: tertium pietas et humilitas, quas virtutes habuit inclinantes ad se tantæ sanctitati subducendum: quartum autem est consilium quod conceperat ad recedendum. Primum ergò horum est causa obligationis quam habebat ad manendum. Et hoc est: *Joseph autem, vir ejus.* A fide sponsionis *vir ejus* dicitur: *Caput mulieris vir* [6]. *Erat vir ille magnus inter omnes orientales* [7]. Nec dicitur vir ab experientiâ sexûs quem experta fuerit: *Vocabis me: Vir meus* [8], cùm tamen nihil carnalis cogitationis [a] intervenerit, sed tantùm sponsionis fides. Et ideò talis sponsus, curâ quidem est ut pater, sponsione vir, et custodiâ castitatis dux virginitatis conjugis: *Invoca me: pater meus es tu: dux virginitatis meæ tu es* [9]. *Cùm esset justus.* Ecce secundum, ex quo fuit idoneus ad testificandum de castitate et ad curam exhibendam in educatione: *Vir simplex, et rectus, et recedens à malo* [1]. Simile de parentibus Joannis: *Erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ* [2]. Justus autem dicitur à justitiâ generali, quæ est omnis virtus, lege vel præcepto regulata; virtus enim in se est accepta Deo: sed quandò perficitur ex obedientiâ legis, tunc quælibet virtus vocatur justitia; si enim injustus non permittitur enarrare verbum Dei: *Peccatori autem dixit Deus: Quarè tu enarras justitias meas*, etc. [3]; multò minùs permitteretur tractare et educare. Sed objicitur: Videtur enim non esse justus, si putabat adulteram, et hanc celare voluit, occultè dimittendo eam, quia deputatur crimen illi qui celat criminosum: *Non solùm qui faciunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus* [4]. Glossa ibidem: « Consentit, qui, cùm possit arguere, tacet. » Respondeo, secundum Chrysostomum: « Non habuit suspicionem, quia credebat possibilius esse quòd virgo concepisset, quàm quòd nefas perpetrâsset [a]. » Et ideò dixi quòd ex justitiâ laudatur de idoneitate ad custodiam castitatis et educationis obsequium. Potest tamen etiam dici, secundum alios, quòd justus in dubiis non statim prodit; sed si crimen certum esset, tunc proderet, si incorrigibilitatem videret. Et, sicut dicit Chrysostomus, « boni animi magis est se habere ad hoc in dubiis quòd nocens evadat, quàm quòd innocens condemnetur; quia nocens pœnitere potest, si evadit; innocenter autem interfectus non redit ad vitam [b]. » *Et nollet eam traducere.* Ecce tertium, in quo notantur duæ ipsius virtutes: pietas scilicet ad conjugem, et humilitas ad seipsum; quia, cùm dubius fuit, non spiritu zelotypiæ incitatus statim accusavit eam: undè ubi nos habemus: *Nollet eam traducere*, græcus sermo habet: *Nollet eam propalare*: undè Glossa dicit quòd «vera virtus est, cùm nec pietas sine justitiâ, nec sine pietate justitia est: quæ virtutes separatæ ab invicem dilabuntur. » Jàm enim aliquid gratiæ accepit ex conceptu ejus, qui posteà et ream, et accusatam, et convictam, justè et piè liberavit: justè quidem, quia dixit similem in crimine non debere quemquam accusare: piè autem, quandò eam quam ipse sine crimine existens condemnare potuit, absolvit dicens: *Nec ego te condemnabo: vade, et jàm amplius noli peccare* [5]. Justitia autem Pharisæorum est, quæ non quærit corrigere, sed condem-

[1] *Isai.* XI, 1. — [2] *Gal.* V, 17. — [3] *Luc.* I, 35. — [4] *Joan.* I, 14. — [5] *Ibid.* 16. — [6] *Ephes.* V, 23. — [7] *Job*, I, 3. — [8] *Osc.* II, 16. — [9] *Jerem.* III, 4.

[a] *Aliàs*, cognitionis.

[1] *Job.* I, 1. — [2] *Luc.* I, 6. — [3] *Psalm.* XLIX, 16. — [4] *Rom.* I, 32. — [5] *Joan.* VIII, 11.

[a] Hoc non est Chrysostomi, sed Auctoris Operis imperfecti in Matthæum (vide p. 42, n. 5).

[b] *Ibidem*, ad finem Num. 6.

nare; et est separata à pietate: *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* [1]; pietas enim est benevolentia in homines, et maximè in parentes; et ideò illa dulcedine mulcet cor in angore justitiæ, et per clementiam mitigat judicium in pœnæ inflictione. Aliter exponeretur: *Nollet eam traducere,* in domum suam ad cohabitandum, quia licèt jàm traduxerit, tamen quia exierat ad obsequium Elisabeth, oportebat iterari traductionem; et hanc nolebat facere propter humilitatem, reputans quòd tàm gloriosæ Dominæ, quam Deus Pater Filio, de corde suo sibi consubstantiali genito, matrem præparaverat, et in quâ Deus Filius corporaliter habitaverat, et quam Spiritus sanctus sanctificaverat in matrem ejus, de quo secundum processionem æternam procedebat, non esset satis idoneus ad serviendum, passus hoc quod et Petrus passus est: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine* [2]; sicut et Moyses texit oculos, quandò vidit ignem in rubo [3]: quod signum fuit deitatis in Virgine. *Voluit occultè dimittere eam.* Reputans Deum aut per Angelos, aut per meliores se homines, diligentiam obsequii exhibiturum, præcipuè quia scriptum legerat: *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam* [4]; et illud: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos,* etc. [5]. Et attende pietatem Joseph: cùm dimittere deliberaverat, quod esse videbatur severitatis, statim ex seipso temperavit, quòd occultè disposuit hoc facere: quia, si manifestè hoc faceret, secundum legem non poterat facere, nisi altero duorum modorum, scilicet aut per judicium zelotypiæ [6], et tunc oporteret quòd objiceret ei adulterii suspicionem, quam de tantâ sanctitate habere non potuit: aut quòd daret ei libellum repudii [7]; et tunc oporteret quòd inscriberet ei fœditates viro intolerabiles, quod iterùm jurgium facere beatæ Virgini reputavit. Et ideò sicut justus cogitavit dimittere, et sicut pius disposuit non accusare, et sicut sapiens voluit id facere occultè; quia hoc fuit tutius quod consilio humano poterat invenire; et sicut humilis id poterat facere sine injuriâ divinâ, quam credebat incurrere ex præsumptione.

14. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit Joseph.* Istud est secundum, quod dividitur contra præcedens immediatum. Deficiente enim consilio humano justis hominibus, semper adest consilium divinum: *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te* [8]. *Clama ad me: et ego exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia et firma, quæ nescis* [1]. Ideò fluctuanti inter justitiam, et pietatem, et humilitatem, sapientiæ humanæ se multùm per multa consilia excitanti adest divina illuminatio facta per Angelum. Et dicuntur hîc duo. Primò enim inducitur fluctuatio Joseph, quæ dicta est per hoc quod dicitur: *Hæc autem eo cogitante,* hoc est, coagitante et conferente per diversas rationes in corde: *Salus, ubi multa consilia* [2]. *Causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam* [3]. Secundùm inducitur revelatio facta, cùm dicitur: *Ecce Angelus.* Et dicuntur hîc duo: instructio revelantis, et simplex obedientia revelationem accipientis, ibi: *Exsurgens autem Joseph à somno.* In primâ harum partium tria dicuntur, scilicet: descriptio revelantis, et ejus cui facta est revelatio, et expressio revelationis, ibi: *Joseph, fili David,* etc., et confirmatio rei revelatæ per consonantiam Scripturæ, ibi: *Hoc autem totum factum est.* Circa primum horum dicit duo: describit enim revelantem, primò, et eum cui facta est revelatio, secundò. Revelantem autem describit ab evidentiâ demonstrabilitatis, ab officio nuntiationis, et ab auctoritate mittentis, et à modo suæ ostensionis. Per adverbium enim notatur demonstrabilitatis evidentia: non enim est res ad sensum vel intellectum demonstrata, cùm inducitur, sed quæ suî claritate demonstrat se ipsam; et ideò indicio exteriori non indiget. Sicut dicimus claro die: Ecce sol; et optimum habentes vinum, quod se in omni virtute vini demonstrat: Ecce vinum; ità puto tantâ claritate luminis interni perfusum esse Joseph, ut ipsa claritas fugaret omne dubium, et omne quod debuit sciri de proposito quod in animo volvebat, impetu uno demonstraret: *Non fui incredulus cœlesti visioni* [4]; credendum enim est quòd donum discretionis spirituum habet: *Alii per Spiritum datur discretio spirituum* [5]. *Numquid non apertè revelatus sum domui patris tui* [6]? *Angelus.* Ecce nuntius revelationis, quia Angelus *nuntius* interpretatur: *Angelus, qui loquebatur in me* [7]. Videtur autem quòd per seipsum apparere debuit Dominus, quia dignius ut appareat in his quæ sunt filii per seipsum, quia et patribus per seipsum apparuit: *Vidi Dominum facie ad faciem* [8]. *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te* [9]. *Palàm, et non per ænigmata Deum videt* [10]. Ad hoc dicit Dionysius quòd « in tantùm custodit Deus legem ordinis naturæ « quem instituit, qui est per prima media et per « media ultima divinis illuminationibus reducere, « quòd etiam, quandò Filius ultimam naturam

[1] *Matth.* V, 20. — [2] *Luc.* V, 8. — [3] *Exod.* III, 6. — [4] *Malach.* III, 1. — [5] *Psalm.* CIII, 4. — [6] *Num.* V, 14-31. — [7] *Deut.* XXIV, 1. — [8] II *Paralip.* XX, 12.

[1] *Jerem.* XXXIII, 3. — [2] *Prov.* XI, 14. — [3] *Job,* XXIX, 16. — [4] *Act.* XXVI, 19. — [5] I *Cor.* XII, 10. — [6] I *Reg.* II, 27. — [7] *Zach.* I, 9. — [8] *Gen.* XXXII, 30. — [9] *Job,* XLII, 5. — [10] *Num.* XII, 8.

« sibi univit, eos qui circa eum erant, tamen in « gradu ultimæ naturæ, sicut dicitur : *Minuisti « hominem paulò minùs ab Angelis* [1], noluit « nisi per mediam naturam, hoc est, per Angelos « illuminare, ut unaquæque naturarum in gradu « suo ministraret circa sacramentum redemptio- « nis. » Et ideò dicit Alexander [a] in Libro de Motu cordis, quòd « anima humana illuminationum quæ « sunt à primo, ultimà relatione [b] est percep- « tiva; Angelus autem secundum suî naturam « primâ relatione [c] recipit easdem. » Et hæc responsio est vera : cujus signum est illud Isaiæ : *Cùm Propheta staret juxta thronum, non illuminabatur à Deo : sed volavit ad eum unus de Seraphim, et illuminavit, et purgavit eum* [2]. *Gabriel, fac intelligere istam visionem* [3]. Ad id quod inducitur de Patribus, respondit Augustinus in Libro 4 de Trinitate [d], dicens quòd « omnia quæ Patribus facta sunt, per Ange- « los facta sunt, qui Deus et Dominus dicuntur, « quia in personâ Domini apparuerunt : » *Lex in manu mediatoris posita est, ordinata per Angelos in manu mediatoris, donec veniret semen, cui promiserat* [4]. Non enim esset ratio, quarè sapiens Deus ordinem descensûs illuminationum confunderet, quem ipse suâ sapientiâ dispensavit : *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis* [5], hoc est, à virtutibus angelicis, tuam æternitatem per confirmationem participantibus. Hoc dicit Dionysius significari per ea quæ dicuntur : *Ibi enim Seraphim stabant super solium sine medio Deo conjuncti : et ea quæ sub solio erant, replebant templum* [6], hoc est, inferiores illuminationes et splendores ab his qui stabant in solio, replent Ecclesiam militantem. Sequitur : *Domini.* Ecce auctoritas. Non enim erat angelus satanæ, qui *se transfigurat in angelum lucis* [7], neque spiritus mendax, qui decepit Achab in ore pseudoprophetarum ejus [8]; angelus enim satanæ *mendax est, et pater ejus* [9]; sed *Angelus Domini;* sicut Angelus Domini dixit Joanni : *Hæc verba fidelissima sunt et vera* [10]. Hi enim Angeli Domini verè dicere possunt illud : *Non doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri virtutem et præscientiam : sed speculatores facti illius magnitudinis* [11]. Hi enim sunt de quibus dicitur : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* [12]; et dùm vident, ipso intuitu recipiunt illuminationes quas sanctis deferùnt: *Numquid est numerus militum ejus, et super quem non surget lumen ejus* [1]*?* Lumen autem Domini omnis veritatis est fons, et origo, et causa. Iste ergò talis *Angelus Domini.*

15. *Apparuit.* Ecce modus per quem se demonstravit. Et attende quòd quædam demonstrantur homini secundum potestatem hominis ; et quædam demonstrantur secundum potestatem rerum demonstratarum; quædam autem demonstrantur secundum potestatem superiorum sive cœlestium illuminationum. Et prima quidem, quæ secundum potestatem hominis sunt, ex duplici causâ oriuntur : aliquandò enim oriuntur ex corporis passionibus, sicut homo videt et imaginatur, circa quod terribiliter vel concupiscibiliter corporaliter affectus est : aliquandò oriuntur ab ipsâ hominis cogitatione; et utroque istorum modorum sunt ista fallibilia, sicut et ipse homo mendax : *Omnis homo mendax* [2]. *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax* [3]. *Non est Deus ut homo, ut mentiatur ; neque ut filius hominis, ut mutetur* [4]. Quæ autem sunt secundum potestatem rerum, quæ demonstrantur in animâ, veriora quidem sunt ; sed tamen vana. Et illa sunt per quorum principia accipimus scientias rerum, sicut quòd : Omne totum est majus suâ parte : Quæcumque uni et eidem sunt æqualia, inter se sunt æqualia ; et quòd : Non contingit simul affirmare et negare, et hujusmodi ; quæ tamen vana sunt. Et ideò Apostolus : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* [5]. Ea autem quæ non voluntate hominum, neque ex conjecturis rerum ostenduntur, non secundum potestatem hominum demonstrantur, sed vi illuminationum cœlestium, ubi Deus *habitat lucem inaccessibilem* [6] : et illa veniunt secundum potestatem superioris naturæ in nos descendentia : et illa sola apparent, hoc est, ad nos descendentia apparent, quia de scientiâ illorum dicitur : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam* [7] : supra posse enim nostræ facultatis existens, quantùm vult, et cui, et quandò, et quomodò vult, apparet. Et hoc est quod dicit Glossa quæ sumitur de Libro Augustini de Videndo Deo, ad Probam. *Apparuit.* Hoc verbo significatur potestas apparentis, qui quandò vult, et quomodò vult, se exhibet videndum. Et hoc importat verbum apparitio-

[1] *Psalm.* VIII, 6. — [2] *Isai.* VI, 1, 6 *et* 7. — [3] *Dan.* IX, 21 *et* 22. — [4] *Gal.* III, 19. — [5] *Psalm.* LXXV, 5. — [6] *Isai.* VI, 2 *et* 1. — [7] II *Cor.* XI, 14. — [8] III *Reg.* XXII, 22. — [9] *Joan.* VIII, 44. — [10] *Apoc.* XXII, 6. — [11] II *Petr.* I, 16. — [12] *Matth.* XVIII, 10.

[a] Alexander, philosophus peripateticus, qui luculentissimos commentarios scripsit super omnia ferè scripta Aristotelis. Natus erat Aphrodisiæ circa finem secundi sæculi.

[1] *Job*, XXV, 3. — [2] *Psalm.* CXV, 11. — [3] *Rom.* III, 4. — [4] *Num.* XXIII, 19. — [5] I *Cor.* I, 19. — [6] I *Tim.* VI, 16. — [7] *Psalm.* CXXXVIII, 6.

[b] *Aliàs*, revelatione.

[c] *Aliàs*, revelatione.

[d] *Aliàs*, Civitate.

nis, quod sonat motum illuminationis vel illuminantis ad animam, non secundum facultatem scilicet animæ, sed superioris naturæ potestatem perfectum. *In somnis.* Ecce secundum, ubi describitur dispositio Joseph, cui facta est apparitio. Describit autem dispositionem facientem ad veritatem apparitionis, cùm dicitur : *In somnis.* Attende igitur quod dicitur : *In somnis.* Est enim somnus ligamentum sensuum, sicut dicit Philosophus in Libro de Somno et Vigiliâ [a]. Hoc autem ligamentum provenit ex eo quòd spiritus lucidi et calor naturalis removentur ab organis sensuum, et frigiditas à cerebro descendens quasi paralyticando immobilitat organa sensuum, quòd non immutantur à rebus sensibilibus, etiamsi coram organis præsententur. Hæc autem frigiditas ex tribus provenit causis. Una est fumus ciborum resolutus ex loco digestionis, hoc est, ex stomacho ad caput, qui ad craneum capitis reverberatur in cerebrum, et resolvitur in aquam phlegmaticam ex ipsâ cerebri frigiditate, et propellitur ad sensum sensuum [b], in principiis nervorum sensibilium [c], qui omnes à cerebro veniunt : et ideò sensu paralyticato in illis principiis clauditur in toto corpore, et tunc homo, et quodlibet aliud animal dormit, donec ille fumus quiescit. Et de hoc somno dicit Philosophus quòd est filius apoplexiæ et paralysis. Aliquandò provenit ex fatigatione, quia nimis laborantis [d] organa sensuum resolvuntur, et exspirans ex eis spiritus et calor : tunc origines sensuum, hoc est, nervi sensuum à cerebro descendentes ex vicinitate cerebri, iterùm infrigidantur, et immobilitantur sensus, et tunc iterùm animal dormit. Et de hoc dicitur : *Dulcis est somnus laboranti, sive multùm, sive parùm comedat* [1]. Tertia causa est, quandò multùm convertitur anima ad interiora contemplanda. Tunc enim abstrahitur spiritus animalis et calor ab exterioribus, et spiritus movetur ad interiora, et calor similiter, qui semper sequitur spiritum : et tunc exteriores sensus infrigidantur ex cerebro, in principiis nervorum, qui diriguntur à cerebro in organa sensuum : et tunc iterùm homo dormit; sicut frequenter obdormiunt subtilia cogitantes, et devotè orantes, sicut dicitur : *Ego dormio, et cor meum vigilat* [2]. Primus igitur somnus est causa visionis fallacis propter obscuritatem fumi, qui reflectitur in [e] ipso, et obscurè recipit formas quas portat, et ex motibus fumi à stomacho dissipat motus earum ex qualitate causatos, sicut calidus existens facit videri flammas, frigidus aquam frigidam, vel glaciem, vel aliquid hujusmodi. Ille autem qui est ex labore, parùm facit videre, nisi quòd speratur vel timetur ex labore illo, vel quòd in usu habetur ad manus circa quod sollicitudo est. Et hujusmodi motus sunt etiam in laborantibus ex febre, vel parturitione, ex motibus fumorum, quandò labor liquefacit humidum, et fumus ille redundat ad caput. Et omnia taliter visa sunt fallacia : undè : *Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium vanitas est* [1]; sicut enim parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi fuerit ab Altissimo emissa visitatio. In tertiâ autem causâ somni raiò est deceptio, quia non apparent in eâ frequenter, nisi veræ intelligentiæ. Et talis fuit somnus sancti Joseph, qui secundum intellectum in agoniâ fuit meditando quidnam esset, quòd in tàm sanctâ impprægnatio apparuit, et sic aversus à sensibus obdormivit. Sed secundum hoc videtur, quòd hæc apparitio fuerit somnium, quia dicit Philosophus quòd « somnium est passio somni sive dormitionis. » Hoc etiam videtur per Glossam super idem verbum, quæ dicit : « *In somnis apparuit,* non manifestâ « visione, quia dubietate anima premebatur, velut « somno infidelitatis. » Prætereà quæritur quarè Joseph in somnis apparuit, et Zachariæ et beatæ Virgini, manifestè ad sensum; si enim, ut dicit Glossa, propter dubietatem apparuit in somnis Joseph, multò magis propter majorem dubietatem in somnis debuit apparere Zachariæ. Ad hoc dicendum quòd, ut mihi videtur, nulla minoratio est apparitionis sentienda circa Joseph, quia omnia certissima sunt, quæ dicuntur de sacramento nostræ redemptionis, nec talia ad illusiones somniorum sunt referenda. Propter hoc notandum est quòd aliquandò fit revelatio in somnis et per somnium, et aliquandò fit revelatio in somnis et non per somnium, sed aut per oraculum, ut dicitur in somnio Scipionis [f], aut per veram intellectualem visionem, ut dicit Aristoteles. Revelatio autem quæ fit in somnis et per somnium, quandò aliquid futurum præsignatur in imaginariâ visione quæ fit in somnis, quia somnium semper habet conjunctam secum imaginariam visionem. Et hæc revelatio futurorum aliquandò est ex causâ quæ est in homine ; et aliquandò est ex causâ quæ ab exterioribus agit in hominem. A causâ autem quæ est in homine, est duobus modis : quia aliquandò procedit ab eo quod est causa alicujus quod futurum est in homine : aliquandò

[1] *Eccle.* V, 11. — [2] *Cant.* V, 2.

[a] Idem Alexander, de quo supr.

[b] *Aliàs,* communem.

[c] *Aliàs,* sensitivorum.

[1] *Eccli.* XXXIV, 5.

[d] *Aliàs,* laborando.

[e] *Aliàs,* ex.

[f] Cicero, in Opere cui titulus : « Somnium Scipionis.

autem procedit ab eo quod jàm in homine est effectum. Et primi quidem exemplum est : sicut quandò colligitur in homine materia febris vel apostematis calidi ex calore materiæ et fumo procedente ab ipsâ, videt dormiens in somnio fortè se comburi flammis in toto vel in parte, quia anima hoc quod est qualitas in corpore recipit per modum imaginis visæ, quæ congruit illi qualitati. Exemplum autem secundi est : sicut quandò distillat phlegma dulce benè digestum et sanguini mixtum à cerebro vel ad dentes vel ad fauces, somniat se mel comedere : quod nihil significat, nisi quòd jàm est in corpore perfectum. Quandò autem est ab extrà, dupliciter est : aliquandò enim est à causâ ordinis naturæ universalis : aliquandò autem est à supermundanis. Exemplum autem primi : quia stellæ et circuli cœlestes ordinant mundum in causis naturalibus, ut dicitur in Meteoris ; et quandò aliquam dispositionem in mundo producunt, hanc elementis influunt, et illa per istas qualitates, à cœlestibus motas et informatas, corporibus hominum imprimunt ; et tunc anima quæ similitudo et imago est motorum[a] cœlestium, imagines quæ illud futurum significant, concipit in somnis, quandò magis ab aliis occupationibus requiescit ; et tunc per similitudines futura illa conjicit per modum conjecturationis. A supermundanis autem est duobus modis : aut enim est ab Angelis bonis, aut ab angelis malis. Et si est ab Angelis bonis imagines in somnio ordinantibus, tunc est quidam obscurus modus prophetiæ, sicut somnium Pharaonis, et Nabuchodonosor, et Mardochæi. Si autem est ab angelis malis imagines perturbantibus, tunc est illusio, quia etiam si vera est aliquandò visio, tamen intendit semper decipere, sicut ostenditur in somnio uxoris Pilati. Nullo autem istorum modorum facta est apparitio Joseph. Undè illa apparitio quæ fit in somnis præter somnium; et est per modum oraculi, quandò somnus non est nisi aversio animæ à sensium usu ; et tunc ad intellectum Spiritus superior immittit species intelligibiles in animam de futuris. Et illa est nobilissima et certissima visio prophetalis, quia tunc anima deoccupata ab omnibus sensuum motibus, tota exaltatur in intellectum, et optimè percipit dispositionem Dei de futuris : ideò laudans certitudinem suæ visionis, Balaam dicit : *Dixit homo, cujus obturatus est oculus : dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus*[1]. Et intendit quòd cadit, avertendo se à sensibus, dormiens, ut meliùs oculi interiores aperiantur, quò fuerunt obturati exteriores oculi. Id autem quod in somnis est vera intelligentia, et non somnium, est quod fit ex intellectu agente de scientiis, sicut multi dormientes inveniunt subtilia, qui vigilantes invenire non potuerunt, eo quòd intellectus à sensibus evocatur, et tunc profundatur circa intelligibilia. Apparitio igitur Joseph est per modum oraculi et certissima. Ad hoc autem quod objicitur de Glossâ, dicendum quòd illa Glossa partim est moralis, et partim litteralis, sicut et plures aliæ, quæ hîc ponuntur. Quod enim dicitur quòd fuit manifesta visio, morale est, sicut non manifestâ visione vident pigri circa sacramentum. Quod autem dicitur quòd dubietate animi premebatur, litterale est ; et non intelligitur de dubietate credendorum, sed agendorum, concertantibus in eo justitiâ, et pietate, et humilitate, et sapientiâ, sicut patet ex antè habitis. Quod autem quæritur quarè non manifestè ad sensum apparuit, dicendum quòd sensibilis visio non est nisi propter intellectualem, ut dicit Augustinus[a]; et quia Joseph ex interioribus regere habebat agenda exteriùs, ideò convenit quòd ab interioribus sua revelatio procederet. Zacharias autem et beata Virgo in corporeis actibus et receptionibus habebant perficere quæ revelabantur; et ideò conveniebat quòd corporaliter ad sensum visio eorum exhiberetur. Ex hoc patet quòd sanctus Joseph non per somnia nec ænigmata illuminatus est, sicut et de Moyse dicitur[1]. Et hoc est quod dicitur : *In somnis.*

16. *Dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Ecce revelatio. Et habet partes duas : una est de propulsatione dubii circa agenda, quod patiebatur Joseph : alia est de injunctione obsequii, quod habebat facere tamquàm nutritius pueri, ibi : *Pariet autem filium.* Circa primum, tria dicit : exprimit enim dispositiones Joseph inclinantes ad credendum, propulsat dubium, et subjungit causam propulsationis. Dispositiones inclinantes ad credendum Angelo sunt duæ : notitia amica et familiaris, et admonitio promissionis. Notitia familiaris notatur in expressione nominis, quandò dicit : *Joseph. Ego cognosco meas, et cognoscunt me meæ*[2]. *Priusquàm te formarem in utero, novi te*[3]. *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei*[4]. Admonitio promissionis est, quandò dicit : *Fili David*, quasi diceret : Recordare cui sit facta promissio de nascituro Christo; et cùm sit tecum de unâ tribu, et de domo et de familiâ David conjux tua virgo et sancta, postpone timorem, et accipe securitatem : *Suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet*, etc.[5]. No-

[1] *Num.* XXIV, 15 *et* 16.

[a] *Aliàs*, motoris.

[1] *Num.* XII, 8. — [2] *Joan.* X, 14. — [3] *Jerem.* I, 5. — [4] *Isai.* XLIX, 1. — [5] *Jerem.* XXIII, 5.

[a] *In 12 super Gen. ad litteram.*

li timere. Ecce propulsatio dubietatis. Non enim est hîc timor nisi reverentiæ et dubietatis, sicut patet ex præcedentibus. In istâ autem populsatione, tria dicit. Propulsat enim dubium: *Vide, ne timeas, et cor tuum ne formidet*[1]. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*[2]. *Pusillamines, confortamini, et nolite timere*[3]. Secundò ostendit claram apud Angelos et cœlestes beatæ Virginis notitiam, et ideò nullam inesse ei malæ suscipionis notam, cùm dicit : *Mariam. Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ*[4]. *Nomine æterno hæreditavit illum*[5]. Tertiò dicit motivum ad acceptionem, quandò subinfert : *Conjugem tuam*, quasi dicat : Justitiæ recordaberis : patrem et matrem reliquit, et tibi adhæsit : accipe ergò eam. Sed nonne jamdudùm accepit? Videtur ergò quòd dicere debuit : Retine eam ; et : Non dimittes eam. Sed ad hæc responsio quòd, secundum superiùs dicta, cogitaverat eam dimittere, et ità jàm corde dimiserat ; et ad cor loquitur Angelus : *Homo videt ea quæ sunt foris : Deus autem intuetur cor*[6]. Et subjungit causam, dicens : *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* In eâ natum esse dicit quia, in cæteris, quod in eis nascitur, ex eis nascitur, et de eo quod mixtum est eis, quia de semine viri : sed in beatâ Virgine, quod in eâ natum est, ex eâ materialiter natum est, sicut non de eâ potestativè, sed de potestate Spiritûs sancti. Propter hoc dicitur circumdare virum[7] perfectum in sapientiâ et gratiâ, et animâ et deitate, et figurâ lineamentorum. Spiritus enim sanctus in istâ nativitate præjudicavit naturæ, et prævenit tempus nativitatis humanæ in uno, et non in alio. Naturæ præjudicavit, quandò impotentiam concipiendi retinuit, et tamen conceptum attulit, sicut dictum est superiùs. Tempus prævenit, quia in momento uno et figuravit et animavit, et Deitati univit, et omni gratiâ implevit et sapientiâ ; in alio autem commensuravit humanæ generationi, quia tempus novem mensium in imprægnatione complevit, sicut et cæteræ matres imprægnantur.

17. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ecce injunctio obsequii. Et circa hoc tria dicit : primò enim prænuntiat eam fore parituram filium : secundò injungit quale nomen illi sit ab eo imponendum : tertiò subjungit causam nominis. Primum ergò est quòd, sicut conscius secretorum, dicit eam parituram esse filium : *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virgâ ferreâ*[8]. *Concipiet et pariet filium*[1]. *Accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium*[2]. Quidam quæstionibus magis vanis quàm fructuosis quærunt quarè non assumpsit Jesus naturam nostram in sexu femineo. Ad hoc dicendum quòd femina non est principium hominis, sed masculus, ex quo tota natura humana producta est ; et hujus antidotum non fuisset femina, sed masculus : *Sicut in Adam omnes moriuntur : ità et in Christo omnes vivificabuntur*[3]. Prætereà etiam si assumpta, esset idem in personâ cum Filio Dei ; et sic idem esset Dei Filius et Dei filia : quod absurdum est. Prætereà hoc convenit officio nostræ illuminationis per doctrinam et redemptionem, quia non debet prædicare femina, nec honestè discurreret de villâ in villam. Et aliæ multæ causæ possunt assignari ejusdem. Sed Christus ut utrumque sexum redimeret, unum assumpsit, et id quod assumpsit, sumpsit ex alio. *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Ecce obsequium : quasi diceret : Licèt non sis necessarius ad conceptum et ad partum, tamen eris necessarius ad nutritium ; et prima cura tua erit ad nomen : *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Nec facit mentionem circumcisionis, in quâ tamen imponebatur ; quia circumcisio fiebat per sacerdotium : quod scribere pertinet ad faciem vituli[a]. Hoc autem nomen si est naturæ, sicut in antè habitis dictum est, æternum est, qualiter ergò nunc dicitur : *Vocabis*? Adhuc apud Lucam dicitur quòd *vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur*[4]. Responsio. Nomen istud tripliciter consideratur, quoad tria quæ sunt in ipso. Salvatio enim potest considerari in potestate, ex quâ est efficacia salvationis ; et sic est æternum, quia habet à naturâ divinâ. Et potest considerari in præordinatione ; et sic vocatum est ab Angelo cui ordinatio illa patefacta est. Et potest considerari in actu, prout notam facit de re quam nominat ; et sic impositum est à Joseph nutritio Domini : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*[5]. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis.* Ecce ratio nominis. Non enim vult quòd vacuo nomine nominetur Jesus, cujus significatio cadit ab effectu, sed quòd in effectu ostendat virtutem suæ significationis. Nec dicit quòd salvabit populum à persecutionibus, sed *à peccatis* ; quia ab illis nemo alius solvere[a] poterat nisi ipse : *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus*[6]. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*[7]. *Perditio tua, Israël : tantummodò ex me auxilium tuum*[8]. *Secundum suam misericordiam*

[1] *Isai.* VII, 4. — [2] *Joan.* XIV, 27. — [3] *Isai.* XXXV, 4. — [4] *Id.* XXVI, 8. — [5] *Eccli.* XV, 6.— [6] I *Reg.* XVI, 7.— [7] *Jerem.* XXXI, 22. — [8] *Apoc.* XII, 5.

[a] Id est, ad Lucam.

[1] *Isai,* VII, 14. — [2] *Id.* VIII, 3. — [3] I *Cor.* XV, 22. — [4] *Luc.* II, 21. — [5] *Isai.* LXII, 2. — [6] *Luc,* V, 21. — [7] *Isai.* XLIII, 25. — [8] *Ose.* XIII, 9.

[a] *Aliàs,* salvare.

salvos nos fecit[1]. *Salvator ejus velut lampas accendatur*[2], flammam Deitatis habens in testâ humanitatis. Sed quarè dicit : *Populum suum*, et non dicit : Salvabit omnes Gentes, cùm hoc perfectius esse videretur? *Parùm est mihi, ut suscites mihi tribus Jacob et fæces Israel convertendas : dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ*[3]. Responsio. Dicendum quòd, secundum effectum salutis, de quâ hìc loquitur, non salvat nisi suos devotos, sive sint de filiis Israel, sive de Gentibus : *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est*[4]. *In omni enim gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi*[5] : et hoc est quòd datus est *in lucem Gentium*[6]. *Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel*[7]. Sed adhuc quæritur, cùm Christus non nascatur Joseph, quod etiam significatur in modo loquendi, quia non dicit : *Pariet tibi filium*, sicut dixit Zachariæ de Joanne[8], sed potiùs nascatur beatæ Virgini, quarè non injungit impositionem nominis beatæ Virgini ut illa vocaret, cui natus est partus. Responsio, secundum Chrysostomum, quòd communem usum servavit, ut partum celaret; communis autem usus erat quòd patres nomina filiis imponebant; et ideò illi injunxit, qui pater fuit putativus. Adhuc autem incidit quæstio. Quarè Angelus Joseph non instruxit, antequàm veniret in agoniam dubii; quia numquàm dubitâsset, si ante annuntiationem omnibus plenè instructus fuisset? Ad hoc dicit Chrysostomus quòd innatum est hominibus non ità credere, quæ ad manum non sunt, sed longè futura, sicut præsentia; et ideò tunc instruxit, cùm maximè credibilis fuit instructio. Dici etiam potest quòd illuminatio divina non datur opportunè nisi cùm devotè et avidè petitur, et hoc est quandò homo est in dubiis, et anxius quid faciat: *In angustiâ requisierunt te : in tribulatione murmuris doctrina tua eis*[9]. *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te*[10].

✠ SUPPLEMENTUM

AD EXPOSITIONEM SUPERIORIS EVANGELII.

MONITUM.

Expositiones præcedentes, quas ex Operibus Patrum Auctorumque ecclesiasticorum undequaquè demessuimus, jàm prælo subjectæ erant, cùm felici fato nobis contigit ut *Novam Patrum Bibliothecam*, à doctissimo Angelo Mai recèns editam, præ manibus haberemus. Ibi collectæ sunt opes insperatæ, quibus in animo est *Nostram Bibliothecam Concionatoriam* locupletare. Quod spectat ad Evangelium hujusce Vigiliæ, nobis occurrunt duo Eusebii Cæsariensis sanctique Hilarii Pictaviensis fragmenta, quæ hoc in loco (non suo quidem; vetat enim typographiæ necessitas irrevocabilis), reperire lectorem certè non pigebit.

EUSEBIUS PAMPHILUS, CÆSARIENSIS EPISCOPUS[a].

NUM. 1. Res Jesu Christi partim occultas, partim manifestas esse illorum temporum hominibus oportuit ; sic Nativitatis mysterium silentio premi Deo placuit. — 2. Non expediebat ut multi compertum haberent Mariam non ex Josepho conceptum peperisse Jesum : ideò *inventa est in utero habens*, postquàm cum Josepho conjugata fuit. — 3. *Joseph, cùm esset justus*, noluit Mariam diffamare, sed eam *occultè dimittere* cogitavit. — 4. Quibus verbis Angelus Josephi dubitationem atque timorem expellit ? — 5. Voluit Deus occultare incredulis conceptum Virginis. — 6. Quarè Josephus in parentis locum assumptus est ? Oportebat Nativitatem Christi ex Virgine per aliquod tempus reticeri. — 7. Quibus de causis à matre genus Christi Evangelistæ non ordinaverunt ? — 8. Maria Elisabethæ cognata erat, quamvis illa de tribu Judæ, hæc autem de tribu Leviticâ esset. — 9. Maria, haud secùs quàm Joseph, de domo familiâque Davidis erat.

1. Res Jesu Christi Servatoris nostri [b] partim clàm habere oportebat illorum temporum hominibus; partim verò ad communem notitiam efferebantur, quæcumque audientibus utilitatem erant allaturæ.

[1] *Tit.* III, 5. — [2] *Isai.* LXII, 1. — [3] *Id.* XLIX, 6. — [4] *Dan.* IX, 26. — [5] *Act.* X, 35. — [6] *Luc.* II, 32. — [7] *Ibid.* 34. — [8] *Luc.* I, 13. — [9] *Isai.* XXVI, 16. — [10] *Baruch.* III, 1.

[a] E Tomo 4 novæ Patrum Bibliothecæ Cardin. Mai, Romæ 1854. — Ex Opusculo cui titulus : « Epitome selecta ex com« positis ab Eusebio ad Stephanum circa Evangelia quæstio« nibus ac solutionibus. » — In illam quæstionem, quæ est prima : « Cur Evangelistæ Josephi, non autem Mariæ, genus « scribant ? »

[b] Vide infrà, in nostrâ Appendice, ubi explicantur hæc verba : *Et vocabis nomen ejus Jesum*, differentiam quæ existit inter hæc duo verba : *Servator* et *Salvator*.

Veluti Jesus, ut aliquid exempli causâ dicam, mortalis ætatis trigesimum annum agens stitit se publicè ad Joannis baptisma, atque hinc fecit initium magisterii sui ac prodigiorum, quid tamen citra trigesimum annum gesserit, nulla historia docet; neque ex ullâ divinæ auctoritatis Scripturâ superiorem vitam ejus discere licet. Sed enim, postquàm etiam nemini ignotus erat, alia quidem audientibus omnibus prædicabat; aliis autem, tamquàm mysteriis, discipulos tantummodò suos initiabat: ac modò prodigia à se edita divulgari nolebat, modò sine ullo ejusmodi vetito miracula faciebat. Jàm in iis quæ silentio premere placuit, miraculum ejus Nativitatis erat, ità ut illorum qui mortali ejus vitæ interfuerunt, nemo, paucis exceptis, rei conscius fuerit.

2. Dicit autem vir sanctus, nomine Ignatius, qui Antiochenæ Ecclesiæ secundus fuit post Apostolos Episcopus, ipsum sæculi principem latuisse Mariæ virginitatem, ac Servatoris ex eâ Nativitatem. Sic enim ait: « Latuit principem hujus sæculi virginitas « Mariæ, ejusque partus, itemque Christi mors: mys- « teria tria clamosa, quæ tamen sub silentio peracta « fuerunt.» Jàm ipso mentis ratiocinio intelligere licet haud fieri potuisse ut mortales omnes, qui Dei Unctum inter homines communi hominis formâ versantem cernebant, natum crederent è puellâ nuptiarum ignarâ, patre nullo. Neque porrò expediebat ut multi compertum haberent Mariam haud ex Josepho conceptum peperisse Jesum: prorsùs enim pœnæ fuisset obnoxia de Mosaicæ legis mandato Virgo, ceu si ante nuptiarum tempus virginitatem violavisset[a]. Quamobrem meritò animadversum est vigilanter admodùm Scripturam dicere: *Antequàm* ipsi *convenirent, inventa est in utero habens;* tamquàm si apertè diceret eam ante nuptias non concepisse, neque priusquàm ad virum accederet; sed postquàm cum Josepho conjugata fuit, atque apud eum diversari cœpit, et ab omnibus conjux ejus appellari; cùm unà habitarent, ac nuptiali consuetudine jàm usuri viderentur, ipsâ propemodùm horâ *antequàm convenirent, inventam esse in utero habentem de sancto Spiritu*[b]. Atque hæc percommodè ob vitandam vulgi notitiam curata sunt. Nam si Mariæ, à parentibus nondùm digressæ, gravidæ fieri contigisset, quia necesse erat rem palàm famigerari, nempè quòd ipsa haud ex publicè noto viro suo concepisset, protinùs supplicium ex formâ juris subiisset: si minùs, certè stupri maculâ non vacâsset[c]. Neque enim ipsa sibi testis esse poterat, neque ad fidem faciendam eorum quæ sibi acciderant, erat idonea: nec quisquam sibi aut Angeli visum persuaderi passus esset, aut illi narranti credidisset quæ eidem à Gabriele dicta fuerant: neque eam jàm prægnantem domi suæ Josephus recepisset, quem justitiæ publicum testimonium ornabat. Benè igitur non apud ipsos parentes, sed apud Josephum gravida facta est, ac maritali propemodùm uxore: *Antequàm* enim *convenirent*, ut Scriptura testatur, *in utero habens inventa est.*

3. Cui porrò *inventa est*, nisi Josepho? Cur autem et quomodò res Josepho comperta fuerit, Scriptura docet, dùm ait à sancto Spiritu patefactam esse Josepho justo homini, qui ob hanc ipsam justitiam suam nil mirum est si à divino Spiritu adjutus, conjugis mox futuræ conceptiones intellexit, atque à maritali congressu abstinuit. Illicò igitur re cognitâ territus voluit occultè dimittere Mariam, quæ acciderant majora existimans, quàm ut ipse cum eâ posthinc versaretur. Atque hæc causa fuit quamobrem, justus cùm esset, haud æquum judicavit eam diffamare: maluit autem occultè eamdem dimittere. Profectò is nisi sibi persuasisset eam de sancto Spiritu concepisse, cùm probè simul sciret eamdem à se viro uterum non gerere, quî tandem fieri poterat, ut non, pro suæ justitiæ munere, ante nuptias corruptam publicè ediceret, atque ob id magistratibus idoneis judicandam traderet ac diffamandam? Alioqui quomodò justus esset, qui de re impiâ tegendâ celandâque satageret? Certè Josephum ità se gerentem, ab Evangelistâ justum appellari, non erat consentaneum. Sed enim quia ipse diviniorem Virginis de sancto Spiritu conceptum novit, et quia eamdem augustiorem existimavit, quàm ut sibi diutiùs liceret cum illâ habitare, rectè idcircò Evangelista dicit à Josepho captum esse consilium clàm sponsam dimittendi, neque diffamatam à se, neque objectam vulgi sermonibus. Benè igitur ab Evangelistâ dici videtur quòd eam diffamare noluerit; non enim ait: *Nolens eam infamare*, sed *diffamare*[d], quorum vocabulorum multa est differentia. Sicut enim non idem significat *scribere* et *proscribere*, *putare* et *imputare*, *rogare* et *abrogare*: sic neque *diffamare* et *infamare*: namque *infamare* facit ut cogitemus de pu-

[1] *Deut.* XXII, 24.

[a] *Pœnæ fuisset obnoxia..., ceu si ante nuptiarum tempus...* Lege quod dicimus in laudatâ Appendice, Art. 2, Num. 5.

[b] Hanc sententiam Eusebii, scilicet Mariam tantummodò Christum concepisse « postquàm cum Josepho conjugata fuit, atque... cùm unà habitarent,» impugnamus loco citato, Art. 4, Num. 6.

[c] Supplicium hoc non incurrebatur à sponsâ quæ ab ipsius sponso gravida fuisset, et in isto casu, nulla stupri macula in eo erat, et quidem tempore eo in quo vivebat Maria: de quo lege Numerum 5, Art. 2 nostræ Appendicis, infrà.

[d] Οὐ γὰρ ἔφησε μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἀλλὰ μὴ δειγματίσαι. En Eusebius disertè affirmat lectionem δειγματίσαι, quam habet etiam antiquissimus omnium Codex biblicus Vaticanus, necnon palimpsestus Dublinensis. Apud Sabaterium consonant Cod. Cantabrig. *præpalare*, S. Augustinus *divulgare*, Vigilius Taps. *detegere.* Lege exegesim vocis *traducere* in nostrâ Appendice, Art. 10.

blicâ hominis malefici patefactione ac delatione; *diffamare* autem patefaciendi tantummodò notionem habet.

4. Sed quia tamen fieri non poterat, ut multos ea res lateret, etiamsi Mariam Josephus clàm deseruisset, commodè Angelus per somnum huic oblatus, ait: *Joseph, Joseph, fili Davidis, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Et videsis ut à principio filium Davidis hunc appellat, scilicet eumdem revocans ad progenitorem, ope illius quem à Davidis genere omnes exspectabant: alioqui cur non eum Jacobi filium dixisset? Hic enim erat illius naturâ proximus pater, teste Evangelistâ: *Mathanus autem genuit Jacobum; Jacobus autem genuit Josephum* [1]. Nunc verò prætermissâ patris mentione, progenitorem commemorat, propemodùm significans, qui Davidi promissus fuerat, hunc esse quem prodigiosè et sine ullo Josephi officio, sed de Spiritu sancto Maria conceperat. Deindè eum jubet timorem, quo correptus erat, dimittere. Non enim in mediocri versabatur formidine, dùm reputaret haud ex viro gravidam esse Mariam. Exin eumdem docet non quod non ignorabat, sed præcogniti causam: ait igitur: *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est.*

5. Tale mihi tantumque agitatum consilium ex divinis litteris apparet, propter occultandum incredulis conceptum Virginis. Neque enim facilè credituri erant, qui sermonem ejusmodi audirent de homine mira narrantem, quem æquè ac nos infirmo corpore naturâque haud dissimili præditum viderent. Quid? Etiamsi deinceps Jesus miracula edens, divinamque vim beneficam erga multos expromens perculit cernentium animos, nonne Moyses, qui multa mira fecit, tamen communis nativitatis particeps fuit? Itemque Elias atque Elisæus, atque Prophetæ singuli? Nihil igitur proderat prodigiorum editio, quominùs Jesus crederetur viro genitus. Reapsè homines illius ætatis, nihil insolitum de Nativitate ejus suspicantes, quamquàm ejusdem facta aspiciebant, ità colloquebantur: *Undè huic omnis sapientia hæc et virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Et fratres ejus Jacobus, et Josephus, et Simon, et Judas? Itemque sorores ejus nonne omnes apud nos sunt* [2]? Rursus aliàs matre ejus fratribusque extra concionem stantibus, cum eoque loqui volentibus, aït quidam: *Est parens tua, fratresque tui forìs adsunt, teque visere cupiunt* [3]. Nec mirum; siquidem etiam discipuli atque Apostoli rogati ab eo quem se esse homines dicerent, responderunt *aliis eum videri Joannem, aliis Eliam, aliis Jeremiam, aliis alium de Prophetis* [4]. Rursùsque rogati quem et ipsi se esse putarent, silebant cuncti, nihil dicere habentes: unusque Petrus ait *eum esse Christum, Dei viventis Filium* [5]; quippè et huic uni, tamquàm rei conscio, respondit Jesus: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* [6]. Testis item Maria se cogitatu secreto apud se quæ gesta fuerant continuisse: ait itaque Scriptura: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* [7].

6. Igitur demonstratum est, utiliter per id tempus conceptionem Jesu de sancto Spiritu apud vulgus fuisse celatam. Josephus autem in parentis locum assumptus est, ità ut meritò tamquàm pueri genitor in genealogiâ poneretur. Id nisi fiebat, nullo parente censeretur puer, cujus stemma ab illo non deduceretur: quæ res in impietatem multos pertraxisset, si ob rei veræ ignorantiam, de natalibus ejus haud honestè sentirent. Utiliter itaque et fabri filius, et appellatorum filiorum frater habitus est. Et quidem ipse Deus Verbum haud se hominem esse negabat: imò discipulis præcipiebat, ne cui dicerent eum se esse, quem Prophetæ venturum cecinerant, Unctum Dei [8]: neque enim fidem plerique erant arrogaturi, qui eum humili indutum specie videbant. Sic in illâ etiam montanâ transfiguratione rursùm mandavit discipulis ut *visum nemini dicerent, donec Filius hominis à mortuis resurgeret* [9]; pronum quippè erat ut multi de coætaneis ne id quidem sibi persuaderi paterentur. Quòd si hæc non putavit vulganda, multò magis oportuit Natalia de Virgine tunc in populo reticeri: quæ commodo deindè tempore omnem de eo veritatem erant ostensura. Tempus autem commodum futurum erat, cùm ipse à mortuis resurgeret, et cùm in cœlum assumeretur, et cùm orbem terrarum fama ejus tamquàm Dei Verbi pervaderet, cùm deniquè Gentes vocarentur, ac divina illius oracula exitum nanciscerentur, rerum scilicet eventu præsagiis ejusdem ac prædictionibus fidem perspicuam adjiciente.

7. Atque apud nostræ quidem ætatis homines, qui rerum fidem à majoribus acceperunt, quique Christi conditionem plùs quàm mortalem fuisse sciunt, reliqua quoque meritò in confesso sunt, nedum Nativitatis mysterium: verumtamen inclyti Evangelistæ necessariò tunc Josephum in genealogiâ posuerunt, qui videlicet ab omnibus Jesu parens appellabatur. Quod si, hàc ratione neglectâ, à matre genus ejus ordinavissent, præterquàm quòd id indecorum erat, ut divinarum Scripturarum simplicitate alienum, quia neminis anteà per ma-

[1] *Matth.* I, 15 *et* 16. — [2] *Id.* XIII, 54 *et seqq.* — [3] *Id.* XII, 47. — [4] *Id.* XVI, 14. — [5] *Ibid.* 16. — [6] *Ibid.* 17. — [7] *Luc.* II, 51. — [8] *Matth.* XVI, 20. — [9] *Id.* XVII, 9.

trem genus descriptum fertur, is cujus genealogia texebatur, incerto patre nescio quis terræque filius visus esset. Id autem, ut dixi, haud mediocri ignominiæ et criminationi obnoxium erat. Commodè igitur, dùm Josephum prædictam ob causam à Davidis stirpe derivant, Mariam simul Davide oriundam comprobant, genere conjugis per sponsum demonstrato. Moysis quippè lege edicente, ut ne aliundè liceret nuptias sibi conciliare quàm ex genere proprio suâque tribu, ne videlicet generis hæreditas ex unâ in aliam tribum commoveretur, satis erat viri descriptio ad conjugem demonstrandam; nam qui ad legis normam viveret, haud aliam sibi uxorem copulavisset, nisi quæ primùm esset ex ejus patriâ tribu, Judæ videlicet, deindè ex eâdem gente familiâque, nempè Davidis. Illatenùs enim lex jubebat. Si Josephus igitur de Judæ tribu deque Davidis gente et familiâ fuisse demonstratur, cur non sequitur ut Maria ex iisdem originibus prodire videatur?

8. Quod si eadem dicitur Elisabethæ cognata, cùm tamen illa de tribu Judæ, Elisabetha de Leviticâ fuerit, ne mireris; universa quippè Judæorum gens uno genere censebatur, cunctæque tribus invicem cognatæ erant. Hinc etiam divus Apostolus Judæos omnes appellat cognatos suos, dùm ait: *Optabam ego anathema esse pro fratribus meis, qui mihi secundum carneam naturam cognati sunt, Israelitis* [1]. Atqui cognati ejus soli reverà erant Benjamitæ, et tamen omnes Israelitas fratrum nominibus et cognatorum Paulus indigitat. Sic ergò Angelus Elisabetham dixit Mariæ cognatam [2], propterea quòd ambæ Israelitides essent. Insuper ex ipso loco satis decuit Elisabetham appellari Mariæ cognatam, quia nimirùm habitabat in Judæ tribu, undè genus traxit Maria. Rei testis Lucas, qui ait: *Exsurgens autem his diebus Maria, abiit in montana cum festinatione, in urbem Judæ, et ingressa est domum Zachariæ, ac salutavit Elisabetham* [3]. Etenim cùm lex Mosaica sacerdotali tribui possessiones non assignavisset, quia Dominus Deus pars ejus est, mandavisset autem ut inter cæteras tribus incoleret, cùmque Zacharias et Elisabetha quâdam in urbe tribûs Judæ habitarent, undè oriunda erat Maria, par fuit eas ob hanc causam cognatas appellari; neque id rursùs immeritò, propter morum similitudinem, quorum gratiâ utraque mulier mysterio salutis digna fuit; et altera quidem Servatorem, altera Servatoris Præcursorem sinibus suis receperunt, unius videlicet ejusdemque sancti Spiritûs gratiâ potitæ. Atque hoc vel maximè nomine secundum Deum cognatæ fuerunt [a]. Hæc præsentis dubitationis solutio est.

9. Quòd si autem *caput mulieris vir est* [1], de Apostoli divi sententiâ, *duoque sunt in carne unâ* [2], ex Mosaicæ legis regulâ, et si nupta viro, quæ flagitium admiserit, adulterii pœnam ob id ipsum subit, ceu quæ jàm sponsi corpus facta erat, sibique caput imposuerat virum, cur si capitis genealogia scribatur, corpus cum capite connumerari non sit consectaneum? Quamobrem Maria Josepho jàm nupta, meritò in ejus genealogiâ intelligenda est, cùm præsertim perspicuè demonstratum sit non solùm ex ejus tribu fuisse, verùm etiam gente et familiâ. Præterquàm quòd etiam Gabriel in illo cum Mariâ colloquio vaticinans inter cætera ait: *Dabit illi Deus sedem Davidis patris ejus* [3]; apertè docens, ejus qui ex ipsâ nasciturus erat, Davidem esse progenitorem. Alioquin qui decuisset hæc ab Angelo dici apud Virginem, nisi eamdem de Davidis genere esse confiteretur? Neque sanè feminæ alienæ à Davidis stirpe dictum fuisset: *Dabit illi Deus sedem Davidis patris ejus.* Quem enim narras patrem, Virgo respondisset (quæ quidem fatebatur se virum nescire, intellexerat autem fore ut de Spiritu sancto conciperet), nisi omninò is sermo apud Davidis filiam fieret? Hinc aptè Lucas ait: *Ascendit autem Josephus de Galilæâ ex urbe Nazareth in Judæam, ut nomen suum profiteretur in urbe Davidis, cui nomen Bethleem, propterea quòd esset de domo familiâque Davidis cum Mariâ desponsatâ sibi prægnante* [4]. Haud ergò ulteriùs cum perplexitate legemus hunc Evangelii locum, ceu si Maria ad profitendum tantummodò nomen venisset; sed ipsam quoque putabimus, haud secùs quàm Josephum, de domo familiâque Davidis esse: quam Scripturam ut ità interpretemur, argumentis iis utimur quæ hactenùs protulimus. Ergò perspicuè, ut opinor, demonstratum est, haud temerè Josephi genealogiam ab inclytis Apostolis fuisse narratam, et Mariam de genere Davidis verè derivari, itemque eum, qui ex ipsâ natus est, Jesum Dei Unctum.

[1] *Rom.* IX, 13. — [2] *Luc.* I, 36. — [3] *Ibid.* 39 *et* 40.

[1] *Ephes.* V, 23. — [2] *Gen.* II, 24. — [3] *Luc.* I, 32. — [4] *Id.* II, 4 *et* 5.

[a] Quæstio hæc de cognatione Mariæ matris Domini cum Elisabethâ, exstat sub ejusdem Eusebii nomine, vix paucis verbis variatis, præter Codicem Vatic. Palatinum Epitomæ, etiam in Catenis Vaticanis Nicetæ Cod. A, f. 22, et Macarii Cod. E, . 50. Sequens tamen quinque verborum clausula nonnisi in Codice A legitur. MAI.

S. HILARIUS, PICTAVIENSIS EPISCOPUS[a].

Num. 1. Nuntius Incarnationis. — 2. Virgo est, et non juvencula quæ parere debet Christum. — 3. Probatio perpetuæ virginitatis Mariæ. — 4 et 5. Continuatio ejusdem demonstrationis.

1. *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Hanc igitur conceptionem Mariæ futuram sanctissimus Isaias Propheta plenissimè retulit dicendo : *Ipse Dominus dabit signum : Concipiet Virgo in utero, et pariet filium, et vocabitur Emmanuel*[1]. Non immeritò Lucas Evangelista eumdem partum describens futurum, Angeli Gabrielis interventum plenissimè demonstravit, dicens : *Eodem tempore missus est Gabriel Angelus in civitatem Galilææ, cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus ad eam Angelus Domini, benedixit eam, et dixit illi : Ave, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Ipsa autem ut vidit eum, obstupuit in introitu ejus, et erat cogitans quòd sic benedixit eam. Et ait illi Angelus Domini : Ne timueris, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognovi? Et respondens Angelus dixit illi : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideòque quod nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*[2]. Cogitabat igitur Joseph quid facere debeat, quoniam nullam adhuc propter hoc monitionem Angeli acceperat, sicuti ait : *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Posteaquàm cogitata sua Joseph efficere nititur, inhibetur ab Angelo; deniquè ait : *Hæc eo cogitante, Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim ex eâ nascetur, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum;* Jesus enim Salvator interpretatur. Ergò quia erat Joseph justus, et sciens scriptum esse per Prophetas, quia venturus esset Salvator Filius Dei ex Virgine natus, non solùm credidit Angelo Dei dicenti, sed et jussa mox perfecit.

2. Introducens itaque sanctissimus Matthæus Virginis partum vel conceptum, Prophetæ Isaiæ usus est testimonio : dixerat enim Deum ipsum signum daturum; et quasi interrogatus : Quod signum? respondit : *Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium,* etc. Hanc per Joatham[b], posteaquàm septuaginta duo Interpretes, Ptolemæo jubente segregati, tamquàm uno ore et sermone totam legem ex hebræo in græcum interpretâssent; sed quidam ex Judæis adulteratores et interpolatores Scripturarum, non virginem, sed juvenculam fecerunt; quod enim signum futurum diceretur, si juvencula conciperet ex viro? hoc naturæ consuetudo est. Sed signum Dominus repromittit, quia Virgo parere haberet Emmanuelem, quod est : *Nobiscum Deus.* De hoc Jeremias quoque sic ait : *Hic Deus noster, et non reputabitur alius : in terrâ visus est, et cum hominibus conservatus est*[1]. Hic est igitur Emmanuel, Nobiscum Deus, quem Virgo Maria edidit. De quâ re quid cogitaret Joseph, per Angelum sine intermissione docetur, et perficit; deniquè ait : *Exsurgens autem à somno, fecit sicut præcepit illi Angelus Domini. Et accepit conjugem suam, et non cognovit eam, donec peperit filium, et vocavit nomen ejus Jesum.*

3. Quod autem ait : *Non cognovit eam, donec peperit,* multis hæc verba, sed carnalibus dumtaxat, non spiritualibus, scrupulum incutiunt, quasi, posteaquàm natus sit Jesus, cognoverit eam Joseph, quia dixit : *Donec.* Sed quicumque sanæ mentis sunt et spiritales, sic sentire non debent, ut potuisset Joseph, vir justus, qui et visiones Angelorum videbat, et quid ageret, Angelo monente ediscebat, contingere Mariam, de quâ didicerat Filium Dei natum; cui etiam ut nomen Jesu imponeret, quod est *Salvator,* ab Angelo didicit. Quia fieri non poterat, ut homo justus Joseph qui custos positus Mariæ invenitur, qui signum quod per Prophetas fuerat dictum, in populo futurum cernebat, ut hic Mariam libidinis causâ tentaret. Angelos enim sanctis et pudicis viris semper apparuisse, manifestum est. Igitur nisi Joseph in sanc-

[1] *Isai.* VII, 14. — [2] *Luc.* I, 26-35.

[a] Ex Tomo 1 Novæ Patrum Bibliothecæ ab Ang. Mai, Romæ 1852 : ubi hæc Homilia decerpitur è Tractatu S. Hilarii in Matthæum.

[1] *Baruch.* III, 36 et 38.

[b] *Joatham.* Videtur scribendum *Nathan*, utreapsè Hilarius, initio Commentarii in Matthæum. Mai.

timoniæ itinere gressus firmos habuisset constitutos, numquàm puto eum Angelorum visiones videre potuisse, et quid agere deberet eorum insinuatione edidicisse. Quod utiquè si fuisset verum, numquàm profectò diceret Jesus in passione constitutus ad matrem suam de Joanne discipulo : *Ecce filius tuus;* et ad ipsum Joannem : *Ecce mater tua* [a]. *Et recepit eam discipulus ille apud se ex illâ die* [1].

4. Constat igitur sanctissimam Mariam post editum Jesum sic permansisse, et ei semper fuisse obsecutam, et posteà cum Apostolis orationi vacàsse, sicuti Actus continet Apostolorum : *Hi omnes erant unanimes deservientes orationi, cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu, et fratribus ejus* [2]. Videmus etiam hîc exceptam personam matris, quæ utique si mulier eo genere ut cæteræ haberetur, fuisset inter easdem dinumerata. Sed quandò dicit : *Cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu,* videmus Mariam præcellere mulieribus, sicuti apud Moysem et Aaron invenimus : *Præcedens autem Maria dicebat : Cantemus Domino* [3], etc. Illâ ratione prædecebat mulieres, quia Virgo erat. Sed et hîc Maria, ex partu mulier quidem, quantùm autem ad virum spectat, Virgo, non immeritò inter mulieres non numeratur, excipitur, et dicitur : *Cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu.* Quantùm autem ad Judæos attinet, non solùm dicebant Jesum fratres et sorores habere, verùm etiam Jesum fabri filium dicebant, ut etiam docenti se ingerere non destiterint temptantes illum : *Ecce fratres tui foris stant, quærentes loqui tecum* [4]. Et alibi, cùm virtutum ipsius miracula cernerent, quæ sine dubio homo facere non posset, admirantes dicebant : *Nonne hic est Jesus fabri filius, cujus fratres scimus et sorores* [1]*?* Erant ergò stupentes in mirabilibus, non intelligentes dicta Prophetarum, quia Filius Dei veniens talia esset facturus.

5. Ut ergò pleniùs demonstremus de sanctissimæ Mariæ glorificatione, quæ idcircò à Joseph cognosci non potuit, donec peperit Dominum gloriæ et totius potentiæ, *habens in utero* non cognoscebatur, sanctissimi Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, *ità ut non possent intendere in eum filii Israel, sed velamen faciei suæ ponens, ad eos loquebatur* [2], quantò magis sanctissima Maria agnosci vel intueri non poterat, quæ, ut diximus, Dominum potentiæ in utero habebat, id est, Emmanuelem [b]! Sed pleniùs de hâc ipsâ re Angelus dixit, cùm ait ad Mariam : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hanc igitur obumbrationem virtutis Altissimi, non obscuritatem, sed infinitam claritatem debemus intelligere [c]. Sicuti enim oculis nostris cùm radiis solis attentiùs voluerimus intendere, hebetat visus, et nimiam ob claritatem fit obscuritas, ut videre omninò nequeamus; sic ergò sanctissima Maria claritate virtutis Altissimi obumbrata cognosci non poterat à Joseph, donec pareret. Post partum ergò hactenùs, ut diximus, à Joseph cognita invenitur specie faciei, non tactu libidinis [d]. Completa est quæstio generationis Jesu Christi Domini nostri, cui cum Patre sanctoque Spiritu est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Joan.* XIX, 26 et 27. — [2] *Act.* I, 14. — [3] *Exod.* XV, 21. — [4] *Matth.* XII, 47.

[1] *Matth.* XIII, 55. — [2] *Exod.* XXXIV, 33 et 34 *et* II *Cor.* III, 13

[a] Ità loquitur S. Hilarius etiam suprà, p. 49, n. 2 : « Si Mariæ filii fuissent....., numquàm tempore passionis Joanni Apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad utrumque dicente : *Mulier, ecce filius tuus,* et Joanni : *Ecce mater tua.* »

[b] Phrasis illa quæ contra leges grammaticæ peccat, potest hoc modo emendari : « Ut ergò pleniùs demonstremus de sanctissimæ Mariæ glorificatione, quæ à Joseph cognosci non potuit, donec peperit Dominum gloriæ et totius potentiæ, idcircò quòd *habens in utero* non cognoscebatur, recordare quòd si sanctissimi Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies,... quantò magis sanctissima Maria...! »

[c] Elegans vocabuli *obumbrare* explicatio!

[d] Hilarius, suprà, p. 48, col. 2 : « Cognoscitur itaque post partum, id est, transit in conjugis nomen. Cognoscitur enim non admiscetur [a]. » En ut sensum spiritalem, non carnalem, spectat Hilarius.

[a] Impugnamus etiam hanc sententiam Hilarii in Numero 5, Art. 4 nostræ Appendicis.

IN VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI

SERMONES SEU HOMILIÆ

PATRUM ET SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM.

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI.

✠ S. EPHRÆM SYRUS[a].

NUM. 1. Nativitas Christi implevit Prophetarum vaticinia.— 2. Veteres justi Seth, Noë, Sem, Japhet, diem adventûs Messiæ suspirârunt. — 3. Melchisedech, Loth, Aaron, Moyses, Caleb, Jesus filius Nun, Elias, futurum Salvatorem præsenserunt. — 4. Suspiria Adami, Evæ, Abelis, Seth, Cainan et Mathusalæ ad venturum Filium Dei. — 5. Enoch, Lamech, Noe, Abraham, Isaac nasciturum Christum præsagiebant. — 6. Nos in hâc nocte Nativitatis Christi vigilare decet; siquidem vigilant diabolus et perversi homines mali causâ, et negotiator lucri causâ. — 7. Qui vigilat cum virtute et innocentiâ, fructum percipit : qui verò vigiliam ab innocentiâ disjungit, hujus vigilia damnosa est. — 8. Nostram vigiliam bonis operibus sanctificemus. — 9. Diem Nativitatis Christi humilitate, patientiâ, charitate, eleemosynâ exornemus.

1. Gratissimus multòque jucundissimus accidit regibus, sacerdotibus, ac Prophetis hodiernus dies; ipsorum siquidem prædictiones re præstitit, idemque confirmavit. Virgo Emmanuelem hodiè in oppido Bethleem peperit. Natus est igitur qui Isaiæ vaticinium implevit. Natus est *qui in Scripturis Gentes numerabit*[1]. Et quod in Psalmo David cecinit futurum, hic dies effectum dedit. Et Michææ oraculum eventus probavit, ex quo de Ephrata exiit Pastor suo animas baculo recturus[2]. Stellam ex Jacob orituram, et Principem ex Israel proditurum, Balaam prænuntiabat[3]: quæ ille præsagiebat futura, præsens dies repræsentat. Sic lux illa occultata diù tandem emicuit, effulsitque ex humano corpore divina ejus claritas. Oriens, quem Zacharias nasciturum præsensit[4], hodiè in Bethleem illuxit, et postquàm in Ephrata affulsit venturi Regis jubar, Jacob bona quæ precabatur exhibita vidit. Hodiè *Filius natus est nobis*, meritòque nomen illi inditum est *Admirabilis*[5]; ostentum siquidem omni admiratione dignum indè exhibebatur, undè Deus se exhibebat infantem. Et quidem Spiritus illum vermi similem futurum prædixerat[6], quo ejusdem conceptum citra operam viri transigendum insinuaret; symboli tamen hujus obscuritatem sustulit hodiernus dies, et mysterium declaravit. *Ascendet*, prædixerat Propheta, *quasi radix coram eo, radix de terrâ sitienti*[7]: obscurè dictum actum exhibet hic dies et conspicuum. Rex, quem in femore Judæ occultum Thamar deprehendit et suffurata fuit[8], hoc die formæ dignitatem ostendit, quam occultatæ divinitati magis congruentem ipse delegit. Ruth accidit ad pedes Booz, docta sibi paratum alexipharmacum vitæ in illo repositum[9]: enimverò quod petebat, ipsi hodierna lux obtulit; ex ejus siquidem progenie natus est, cujus vi ac nutu cuncta vivunt.

2. Adam mulieri laborum et dolorum causa fuit[10]: matri damnum compensavit filia virgo, quæ ipsi peperit Salvatorem. Evam genitricem genuit ingenitus vir: quantò credibilius videatur filiam Evæ citra viri operam gravidari potuisse? Terra virgo Adamum peperit protoplastum, terræ dominum[11]: Cœli Dominum Adamum hodiè virgo parit. Virga Aaronis germinavit, refloruitque aridum lignum[12]: mysterium declarat hodiernus dies proponens vir-

[1] *Psalm.* LXXXVI, 6. — [2] *Mich.* V, 2. — [3] *Num.* XXIV, 17-19. — [4] *Zach.* V, 12. — [5] *Isai.* IX, 6. — [6] *Psalm.* XXI, 7. — [7] *Isai.* LIII, 2. — [8] *Gen.* XXXVIII, 13-30. — [9] *Ruth.* III, 8. — [10] *Gen.* III, 16. — [11] *Id.* II, 7. — [12] *Num.* XVII, 8.

[a] Ex edit. Romæ 1732-46, curâ Jos. et Steph. Assemani atque P. Benedicti : ubi Sermo iste inscribitur : « In Natalem Domini. » Quia verò præcipuum ejus argumentum spectat ad futurum adventum Christi in carne et Vigiliam ejus Nativitatis, hunc ponimus inter Sermones qui ad hanc Vigiliam pertinent. — Quia S. Ephræm Syrus est, non annumerandus sanè est inter Patres græcos; sed quia solus est è Syris, tertiam divisionem non admisimus, ideòque, de more communi, in ordinem Patrum græcorum retulimus, ad quos aliundè proximè accedere videtur.

gipei uteri partum. Erubescat populus ille, qui Prophetas vera prædixisse asseverat, Salvatorem tamen venisse negat; nam si hunc venisse verum non est, falsa sunt illorum oracula, fictæ fabulæ, et vera mendacia. Quin ergò laudemus illum veritatis vindicem, qui ad nos delapsus, Vatum prædictionibus effectum dedit, et auctoritatem asseruit. Laudabimus te utique, Domine, si nobis de thesauris tuis tuarumque Scripturarum deposito veterum Justorum seriem depromas, qui videre diem adventûs tui suspirârunt. Primus Seth, dùm interfecto Abeli se substitutum considerat [1], Filium Dei occisum, sibi velut in imagine objectum, vidit, credíditque fore ut ipsius nece introductâ in orbem per Caïnum invidia hebesceret. Dolens Noe filios Dei à bono stirpis suæ repentè degenerâsse depravatæ voluntatis vitio, lasciviâque diffluxisse et luxuriâ [2], suspiravit ad sanctum nepotem, qui impuros homines puris moribus imbueret. Gemini fratres Sem et Japhet, dùm Noe nudatum contegerent [3], Unigenitum Dei cogitabant detractas Adamo vestes redditurum; superbia namque illum inebriaverat nudaveratque. Iidem infelicem hominum conditionem miserari assueti, dùm Chanaani fratris sortem plorarent [4], simul suspectabant ad adventum pii Filii, à quo illum à peccati servitute liberandum sperabant.

3. Nec dubium, quin Melchisedech Pontificem exspectaverit, cujus interim vices gerebat [5], præsciens ejusdem hyssopo mundum dealbatum iri universum. Loth similiter intuens Sodomitas naturæ ordinem pervertisse [6], naturæ Dominum cogitabat venturum, quem noverat sanctitatem quæ supra naturam est, hominibus communicaturum. Aaroni quoque similem injecit cogitationem vidisse serpentes baculo suo mirabiliter devoratos [7], intellexitque simili modo cruce Domini venturi absorptum iri draconem, Adami et Evæ voratorem. Miratus est Moyses humi defixum æneum serpentem aspidum sanare morsus [8]: indè speravit sibi aliquandò adfuturum, qui serpentis antiqui ictum medicaretur. Rursùs cogitans sibi communicatam uni Dei claritatem, prospectabat venturum qui non tot, quin plures suis institutis efficeret deiformes. Caleb ille terræ promissæ explorator in illo botro, quem in vecte suspensum gestabat, vitem agnovit [9], suo mundum liquore exhilaraturam, eamdemque videre præsentem optavit. Optavit et Jesus filius Nun; scilicet nominis, quod audiebat, notionem et vim discere volebat; nam si ex ejus nomine tantùm ipsi accesserat dignitatis, quantùm ex ejusdem nativitate præsentiâque adfuturum speraret? Sed et cùm terræ promissæ fructus colligeret et auferret, nascituram vitæ arborem præscivit, sibique fieri copiam illius fructuum desideravit, undè vitam hauriunt quæcumque vivunt. Quin et Rahab meretricem ista præsagisse puto ex vittâ coccineâ, cujus signo communem patriæ cladem immunis evasit [10], proindèque ex eodem, quo servata est, mysterio veritatem prælibâsse: eodemque Eliam exarsisse desiderio, et quoniam Dei Filium in terris versantem videre non licuit, fidei ardore inflammatus, studuit eam sibi comparare puritatem, undè cœlum conscendere, ibique illum contemplari mereretur. Sed et cum hominibus conversantem spectare datum fuit, Moyse pariter præsente, tunc quandò mitissimus ex imis, et zelotes è summis evocati Filium Dei in medio stantem præsentemque habuerunt [11]. Nempè mysterium postremi ejusdem adventûs repræsentare debebant, sic ut Moyses vitâ functorum personam ageret, vivorum Elias: et illi quidem *resurgent primi* [12], pro eo quòd mortem gustârunt; quicumque verò sepulti non fuerunt, postremi *obviam Christo rapientur* [13].

4. Jamverò, quis mihi singulorum Justorum nomina revolvere sufficiat, quibus Filii Dei promissus adventûs sui exspectationem commovit? Ego sanè, quæ mea tenuitas est, horum numerum non assequor: orate ergò, charissimi, ut, auctis Deo adjuvante viribus, illorum vobis præsagitiones alio sermone repræsentem. Interim quis, putas, laudare posset pro merito natum nobis verum veri Dei Filium? Una mihi pro multis laus sit, illum, quotquot exstitere justitiæ cultores, videre suis temporibus natum desiderâsse. Adam profectò ejus adventum suspiravit, non ignarus eumdem esse Cherubim Dominum, eique uni competere potestatem revocandi Paradiso ejectum ad umbram arboris vitæ. Cupiebat utique Abel illum sibi fieri ætate parem et æqualem; multò siquidem jucundius fore præsensit Agnum Dei videre, quàm agnum Deo offerre. Hunc perindè diem opperiebatur Eva, cùm feminis in maximam cederet ignominiam nuditas in publico posita, oculisque subjecta petulantis vulgi; nimirùm præsciebat simul adfuturum qui posset, detracto frondium tegumento, femineo sexui veterem quam exuerat gloriam refundere. Turris, multorum artificum labor, unum adumbrabat præsagiebatque, et hunc ab alto venturum, turrimque excitaturum quæ cœli nobis ascensum muniret. Arca viventibus fabricata perfugium, velut in imagine expressit Dominum Ecclesiæ suæ ædificandæ intentum, indèque securitati animarum consulentem. Phaleg terram in septuaginta linguas dissectam contuens, illum venire optavit, quem in eâ imagine prælibabat orbem suis Apo-

[1] *Gen.* IV, 25. — [2] *Id.* VI, 5. — [3] *Id.* IX, 23. — [4] *Ib.* 25. — [5] *Id.* XIV, 18. — [6] *Id.* XIX, 24-25. — [7] *Exod.* VII, 12. — [8] *Num.* XXI 9. — [9] *Id.* XIII, 24-26. — [10] *Josue* II, 18. — [11] *Matth.* XVII, 3. — [12] 1 *Thess.* IV, 15. — [13] *Ibid.* 16.

stolis pro linguarum varietate divisurum. Mundus aquis submersus conticuit : in suo nihilominùs silentio Dominum etiam prædicabat descensurum, et ab eo instituendum baptismum, qui credentes super astra sublimabit. Seth, Enos, Caïnan et Enoch filii Dei nuncupati fuerunt : indè suspirare cœperunt illius adventum, cujus dignatione et gratiâ cum ejus appellationis specie reipsà fratres fierent Filii Dei. Mathusala vitam ad mille propè annos produxit ; opperiebatur nimirùm Filium Dei, qui unus poterat immortalitatem mortalibus transcribere. Ipsa Gratia arcano quodam instinctu pro illis orabat, ut ipsorum Dominus, eo quo unusquisque vivebat tempore veniret, et laborantibus succurreret. Spiritus sanctus, qui in ipsis inhabitabat, qui orandi cogitationem inspirabat, pro ipsis orabat : simùl illos eò elevabat, undè per eumdem Spiritum, quem cupiebant Salvatorem venturum, quasi præsentem intuerentur.

5. Præsensere itaque Justorum animæ depositum in Filio Dei immortalitatis pharmacum, indèque suis advenire diebus desiderabant, quo suavissimæ potionis haustu fruerentur. Enoch verò, cùm absentis Filii Dei desiderio teneretur, nec daretur hunc cernere in terris morantem, multiplici conatu studuit eam sibi comparare fidem et justitiam, cujus ope cœlum posset conscendere, ibique intueri præsentem. Nunc verò cùm citra laborem consecuti sint novissimi quod magnis laboribus assequi non potuere primi, eritne aliquis, qui Dei gratiam iniquitatis incuset ? Desiderio Lamech flagravit eodem, quòd cuperet illum adesse, qui pro suâ benignitate laboribus et ærumnis oppressum relevaret, et consolaretur exsulantem in terrâ, cui maledixerat Justus; ubi verò deprehendit impressam filio suo Noemo Filii Dei imaginem, consolationem, quam à Domino absente accipere non poterat, à præsente ejusdem figurâ percepit. Similis ipsum quoque Noemum statim incessit cupido, ex quo illius beneficentiam expertus fuit. Nam si illius figura animantibus causa salutis fuit, nùm non illum discuperet, cujus adventum sperabat animabus fore maximè salutarem ? Prætereà quid aliud sentiret Noe, postquàm præsenti facto didicerat Arcam solo ejus favore ædificatam fuisse atque perfectam ? Cujus enim umbra si fuerat tanti causa boni, quantò majora putaret præstituram ejusdem præsentiam ! Spiritu præsensit Abrahamus ortum Filii Dei in annos rejectum, proptereàque pro ipso *videre diem ipsius desideravit : vidit et gavisus est* [1]. Simili perindè arsit cupiditate Isaac, tùm verò maximè quandò ab illo servatum se vidit. Et verò si absens, oblatâ suî specie, ei vitam vindicaverat, quantò magis sibî credidit profuturum, si pro specie rem ipsam exhibuisset !

6. Atqui si gavisi sunt vigiles Vigilem advenisse, qui nos mortifero sopore oppressos ad salutarem vigiliam revocabat, hanc quis noctem non ducat insomnem, in quâ mundus universus vigilat ? Scilicet postquàm primi hominis culpâ veternum mortis in orbem nostrum intravit, descendit insomnis ille Oculus, et veteris noxæ sopore sepultos expergefecit. Atqui nec vigilare nos decet illorum more, quorum pectus fervet avaritiâ, siquidem et isti somno vacuas exigunt noctes ; vigiliæ tamen causâ non est aggerendæ pecuniæ studium, curaque supputandi fœnoris et capitis. Mentem experrectam sibique constantem fur semper habet, ut somnum, defossâ humo sepultum, reliquisse videatur ; unus tamen vigilantis scopus est, ut dormientibus multas vigilias paret. Perindèque vigilat luxuriosus quisque : vigilare cogit ingluvies, cibi potûsque excessu stomachum gravans. Vigilia intemperantiæ pœna est. Sic et negotiator somno oculos fraudat, dùm digitos fatigat mnas numerando suas, aut feneratæ pecuniæ subducendo rationes, utrùm in duplum triplumve exauctæ reveniant. Dives ille pernoctavit insomnis : somnum discussit Mammona : ipsius canes dormiunt, excubat ipse, pecuniæ custos factus suæ : vigilare suadent suspectatæ furum insidiæ. Vigilat negotiosus quilibet : quietem anxiæ ademere curæ. Finis vitæ in tergum incumbit, et instat ultimus dies ; at ille pervigil seros meditatur annos. Diabolus, ordine perverso, nos, fratres, docet mutare vigilias, in bonis operibus stertere, vigilare in malis. Hoc Judas ille Iscariota fecit : solidam noctem transegit insomnem, quandò sanguinem vendebat insontem, qui totum mundum redemit. Filius siquidem tenebrarum, tenebras resumpsit et induit, postquàm exuit abjecitque Solem : fur venundedit argento argenti opificem : hunc imitati Pharisæi, noctis et ipsi proles, pernoctârunt vigiles ; moliebantur nimirùm lucifugæ, lucem, nullo definitam spatio, tenebris involvere. Vos autem, fratres, siderum insomniam imitamini, noctemque tenebrarum expertem somno etiam vacuam exigite ; nam etsi in speciem atra videatur, vim tamen continet maximam et dignitatem.

7. Quisquis virtute præstat, dùm per noctem vigilat et orat, in ipsis quibus videtur involvi tenebris, nitet, occulto splendore circumfusus. Improbus quisque, etsi in meridianâ versetur luce, si tamen filiorum tenebrarum moribus vivit, tametsi extrorsùm appareat amictus lumine sicut vestimento, introrsùm certè atrâ circumvolvitur caligine. Vestrûm ergò nemo, charissimi, sibi de vigiliâ præposterè blandiatur, quia si quis, ut debet, non vigilat, inofficiosa est ejus vigilia, et qui cum virtute non vigilat, dormit, etsi vigilare videatur : rursùs, qui

[1] *Joan.* VIII, 56.

vigiliam ab innocentiâ et honestate disjungit, sua ipsi vigilia venenum est. Talis est invido livor insomnis : caput est undè jactura multiplex et detrimenta magna sequuntur : negotiatio quippè est vigilia quam parit invidia : illius quæstus ignominia est et infamia. Hunc pariter in modum is vigilat, cujus pectus fervet irâ; hæc nempè suis motibus perturbatum vigilare cogit : ejusmodi vigilia est plena furoris, totaque incumbit in exsecrationes et maledicta. Garrulus si vigilat, os aperit, et offert obvium quibusvis venientibus trajectum : nullum illi orandi studium est, plurimum peccandi.

8. Quicumque sapit, alterutrum sibi statuit, suî somnum suavem noxiis ac tristibus vacuum curis, seu sanctam et utilem vigiliam. Quin ergò nos hanc amplectamur ? Nox adest clarissima, in quâ nascitur claritatis auctor, nostras ut dissipet tenebras. Ne, quæso, nostram vigiliam alio quovis negotio perturbari patiamur ; aurium proindè via sit plana et expedita, oculorum aspectus sit pudicus, et pura cogitatio cordis, oris sermo sit castigatus. Maria hodierno die fermentum in nobis abscondit de penario Abrahami acceptum. Abrahami ergò in egentes misericordiam imitemur, et pauperum inopiam simili affectu sublevemus : coagulum incidit nobis è caulâ mansuetissimi Davidis; mitem proindè se quisque exhibeat erga persecutores suos, ipsorumque doleat vices, filii Jesse sequens vestigia ad Saülis casum illacrymantis. Seminat hic dies in terris Gentium suavissimum Prophetarum salem : eia ! novo salis hujus sapore mentem imbuere studeamus, quo affatim pastus ille antiquus populus gustum nihilominùs amisit et desipuit. Dies est salutis, sapientiam loqui nos monet : ergò ab otiosis et ad rem non pertinentibus colloquiis abstineamus, ne ad hunc diem minimè pertinere videamur.

9. Nox adest quæ universo pacem et tranquillitatem reddit : quamobrem ægrè sustinet iracundiâ tumidum et horrentem minis. Hanc obtinet noctem suavis, sævitiem quisque deponat et acerbitatem : obtinet humilis, superbiam comprimat unusquisque, et supercilium submittat. Diluxit dies clementiæ, nemo sibi factas persequatur injurias : adest dies lætitiæ, nemo fiat alteri causa doloris et luctûs. Dies est dulcissimus, frenanda est ferocia : dies innubis et serenus est, compescenda est perturbatrix pacis iracundia. Die, quo Deus ad peccatores se demisit, pudeat justum se super peccatorem efferre. Die, quo rerum Dominus ad servos descendit, non pudeat herum charitate simili ad famulos suos se submittere. Die, quo Dives pro nobis egenus factus est, non erubescant divites cum egentibus propriam communicare mensam. Hodiè quod non postulavimus donum, ultrò oblatum est : an æquum non sit fratribus clamantibus et rogantibus eleemosynas non negare ? Hic dies, qui cœli januam nostris orationibus reseravit : fasne sit occludere fores petentibus injuriarum oblivionem, aut miseriarum levamentum ? Ille naturæ Dominus præter propriam naturam sese mutavit[a]. Quid ? Nùm nobis arduum videatur voluntatem nostram mutare vitio depravatam ? Propriæ naturæ conditione tenetur caro, ne major aut minor fieri possit; potest tamen voluntas pro arbitrio ad quamlibet staturam assurgere : proptereàque hodiè in humanâ naturâ seipsa Divinitas impressit, ut, eo distincta signo, ad omne decus aspiraret.

✠ S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, ARCHIEP. CONSTANTINOP., ET ECCLESIÆ DOCTOR.

MONITUM.

Excerpitur hic Sermò ex Homiliâ 6 de beato Philogonio. Hæc autem Homilia habita est anno 386, vigesimâ Decembris, quinque diebus ante Natalem Christi, ut infrà, Num. 3, dicitur. Nam illo tempore jàm Natalis Christi dies, quemadmodùm hodièque in Occidente, 25 Decembris Antiochiæ celebrabatur, idque à paucis annis, ut in Monito ad Homiliam in eumdem Natalem enarrabitur. Sancti Philogonii panegyricum non absolvit Chrysostomus; sed maximâ præconii parte Flaviano Episcopo, eàdem die concionaturo, relictâ, in orationis medio cursum intercipit, ut populum ad Natalem Christi ritè celebrandum hortetur ; ac postquàm peccatoribus pœnitentiæ resipiscentiæque modum præscripsit, orationem claudit. Hæc sunt autem verba quibus è beati Philogonii præconio transit ad Natalem Domini proximè celebrandum : « Verùm ad aliam necessariam materiam nobis festinat Oratio, eòque communi patri (Flaviano Episcopo),

[a] Servando nihilominùs naturam divinam, ut omnes sciunt et credunt.

« beatique Philogonii sectatori hæc dicenda relinquentes, ut qui meliùs nobis teneat quidquid est anti-« quitatum, ad aliam concionandi rationem transeamus. Appetit enim festum omnium festorum, etc. »

Cùm igitur hæc Oratio præcipuè versetur circa præparationem ad Natalem Domini, nobis peropportunum visum fuit illam collocare inter Sermones ad Vigiliam Nativitatis pertinentes.

Num. 1. Natalis Christi metropolis est omnium festorum quæ ab ipso nata sunt : dies maximè diligendus in quo Deus semetipsum exinanivit. — 2. Accedamus ergò ad Dominum in præsepi jacentem, accedamus per sanctam communionem ejus corpori : nam mensa sacra vicem explet præsepis. — 3. Per veram pœnitentiam brevi remittuntur omnia peccata : sint in exemplum Ninivitæ et Magdalena. — 4. Cordis compunctio necessaria est ut dignè ad Deum accedamus. Vecordia eorum qui negligenter et sine purgatione vitæ ad sacram mensam accedunt. — 5. Si appetente festo habetur cura rerum corporalium, multò major animæ cura habenda est. — 6. Antequàm accedamus ad altare, vadamus priùs reconciliari cum fratribus nostris.

1. Appetit festum omnium festorum maximè venerandum tremendumque : quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquàm aberret. Quod autem hoc est? Christi in carne Natalis. Ab hoc enim festum Epiphaniorum ac sacrum Pascha, Ascensio et Pentecoste originem ac fundamentum ducunt ; nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquàm baptizatus fuisset; nam id festum Theophaniorum est: nequaquàm fuisset crucifixus; nam hoc est festum Paschæ : nequaquàm misisset Spiritum sanctum; quod est festum Pentecostes. Itaque ab hoc, ceu à fonte quopiam diversi fluvii, nata sunt nobis hæc festa. Verùm non ob hoc tantùm par est hunc diem cæteris anteponi, sed etiam quia quod in hoc natum est, cæteris omnibus est venerabilius. Nam quòd Christus homo factus, sit mortuus, consequentiæ cujusdam fuit : licèt enim nullum omninò peccatum perpetrâsset, mortale tamen corpus assumpserat : et erat quidem hoc admirandum : cæterùm quòd, Deus cùm esset, voluerit homo fieri, tantùmque sese demittere sustinuerit, quantùm ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maximè reverendum stuporisque plenum. Quod quidem et Paulus dmirans dicebat : *Et manifestè magnum pietatis mysterium.* Quod magnum? *Deus manifestatus in carne* [1]. Ac rursum alibi : *Non enim Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit. Undè debuit per omnia fratribus assimilari* [2]?

2. Propter hoc potissimùm amplector diligoque diem hunc, et amorem ejus in medium propono, ut vos hujus participes reddam : eoque rogo vos omnes obsecroque, summo studio summâque cum alacritate velitis adesse; sed priùs suam quisque domum evacuet, ut videamus Dominum nostrum in præsepi jacentem ac fasciis involutum. Tremendum ac stupendum spectaculum! Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si, cùm ipse nostrî causâ descenderit è cœlis, nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur? Cùm alienigenæ barbarique Magi ex Perside occurrant, ut illum videant in præsepi jacentem, tu verò qui Christianus es, ne breve quidem spatium emetiri sustineas, ut hoc felici spectaculo perfruaris! Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepi jacentem; siquidem hæc mensa vicem explet præsepis. Nam et hîc ponétur corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum sicuti tunc, sed undique Spiritu sancto vestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur [a]. Ac Magi quidem nihil aliud quàm adorârunt; tibi verò, si cum purâ accesseris conscientiâ, permittemus ut sumas, et sumpto domum abeas [b]. Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multò religiosiora. Obtulerunt illi aurum, offer tu temperantiam ac virtutem : obtulerunt illi thus, offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia : obtulerunt illi myrrham, offer tu humilitatem et cor submissum cum eleemosynâ. Quod si hisce cum muneribus accesseris, multâ cum fiduciâ particeps eris hujus sacræ mensæ. Nam hæc ideò nunc loquor, quòd sciam certò futurum ut in illâ die complures accedant irruantque ad victimam hanc spiritualem. Igitur ne faciamus ad detrimentum et condemnationem animæ nostræ, ed ad salutem, jàm nunc obtestor obsecroque ut, omnibus modis repurgati, ità demùm sacra adeatis mysteria.

3. Neque mihi quisquam dixerit : Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si oraveris, si vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quòd breve tempus est, sed illud considera quòd benignus est Dominus; quandoquidem et Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei à se depulerunt : nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere valuit. Et meretrix

[1] I *Tim.* III, 16. — [2] *Hebr.* II, 16 *et* 17.

[a] Ergò, ut patet, ætate Chrysostomi, dogma Eucharistiæ non adhuc in publico tradebatur. Vide quod dicimus de lege secreti in Dissertatione de Eucharistiâ, quæ ponitur ad calcem Festi SS. Corporis Christi.

[b] Exponit hîc Chrysostomus hujus ætatis consuetudinem circa receptionem Eucharistiæ.

illa brevi temporis momento, cùm ad Christum accessisset, omnia probra diluit. Quin et calumniantibus Judæis, quòd illam admisisset, tantamque præbuisset fiduciam, Christus illis quidem silentium imposuit; hanc verò malis omnibus liberatam, comprobatoque illius studio, ità domum remisit. Quid ità tandem? Quoniam ferventi animo et flagranti corde ardentique accessit fide, sanctosque illos ac sacros attigit pedes, solutis capillis, fontibus lacrymarum ex oculis emissis, unguento profuso. Etenim per quæ deceperat homines, per eadem paravit remedia pœnitentiæ : per quæ avocàrat oculos intemperantium, per hæc emisit lacrymas : per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem, pedes abstersit Christi. Unguento multos inescàrat, per hoc pedes illius unxit. Proindè et tu nunc quibus rebus provocàsti Deum, per has rursùm facito propitium. Provocàsti illum pecuniarum rapinâ, per easdem illum reconcilia, cùmque et rapta restitueris illis quos injuriâ affeceras, et alia insuper addideris, dicito juxta Zacchæum : *Reddo omnium quæ rapui quadruplum* [1]. Provocàsti linguâ et maledicentiâ, multis contumeliâ affectis, vicissim linguâ placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus annisve, sed solo animi proposito, et unico die perficiuntur. Discede à malo, virtutem amplectere, desiste à pravitate : pollicere te posthàc ista non commissurum, et istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor ac fidejubeo fore ut, si nostrûm quisque qui peccatis obnoxii sumus, recedens à pristinis malis, ex animo verèque promittat Deo se posteà numquàm ad illa rediturum, nihil aliud Deus requiret ad excusationem majorem. Benignus enim est, et quemadmodùm parturiens cupit eniti fetum, ità et ille cupit effundere suam misericordiam; sed illi obstant peccata nostra.

4. Diruamus igitur maceriam, atque ex hoc jàm tempore festum auspicemur, hosce dies quinque negotiis omnibus valere jussis: valeat forum, valeat curia, facessant mundanæ curæ cum pactis et contractibus : animam meam servare cupio : *quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur* [2] ? Egressi sunt à Perside Magi, egredere tu è temporariis, ad Jesum proficiscere : non est longum intervallum, si velimus. Non enim necesse est trajicere mare, neque montium superare cacumina; sed, domi sedens, si pietatem exhibeas multamque cordis compunctionem, potes illum videre, potes totam diruere maceriam, totum submovere obstaculum, abbreviare viæ longitudinem : *Deus enim,* inquit, *appropinquans ego sum* , *et non Deus procul* [3]; et : *Dominus prope est omnibus invocantibus ipsum in veritate* [4]. Nunc autem multi fidelium in tantam vecordiam tantumque venere contemptum, ut, cùm innumeris scateant malis, nullamque vitæ suæ curam habeant, in diebus festis negligenter ac temerè ad mensam hanc accedant, haud intelligentes quòd communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque à peccatis repurgata. Sicut enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere : sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos à peccatis, si indignè accesserimus : quin hoc ipsum potiùs auget damnationem, quòd, cùm semel tantùm accedamus, ne tùm quidem purè accedimus. Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter, veluti festo die cogente, ad divina mysteria accedatis; sed, si quandò hujus sacræ hostiæ futuri participes estis, multis antè diebus repurgetis vos ipsos per pœnitentiam, precationem et eleemosynam, perque spiritualem exercitationem, nec denuò convertamini, canis in morem, ad proprium vomitum.

5. Annon enim absurdum tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente festo, multis antè diebus, vestem è scriniis pulcherrimam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior splendidiorque paretur, deniquè variam undequaquè rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, nitidumque reddas; animæ verò neglectæ, sordentis, squalidæ, fame contabescentis nullum habeas respectum, cùm sola maneat impura, ac corpus quidem nitidum huc adducas, animam verò nudam incultamque? Atqui corpus quidem videt conservus, neque quidquam est detrimenti, quomodocumquè fuerit habitum ; illam autem videt Dominus, qui gravissimè punit negligentiam. An nescitis quòd hæc mensa plena est igne spirituali, et quemadmodùm fontes aquæ vim exundant, ità hæc flammam quamdam habet arcanam? Ne igitur accesseris stipulam afferens, non ligna, non fenum, ne augeas incendium, exurasque animam ad communionem accedentem ; sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quò puriorem reddas materiam, multoque cum lucro discedas. Si quid mali est, abigas ab animo. Habet quis inimicum, graviter læsus est, solvat simultatem, coerceat animum exardescentem intumescentemque, ne quis sit intùs tumultus aut perturbatio. Regem enim excepturus es per communionem; cùm autem Rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentium , profundam cogitationum quietem.

6. Sed atrociter læsus es, nec potes iram remit-

[1] *Luc.* XIX, 8. — [2] *Matth.* XVI, 26. — [3] *Jerem.* XXIII, 23. — [4] *Psalm.* CXLIV, 18.

tere. An igitur teipsum magis etiam et graviùs lædes? Neque enim tantis malis te afficiet inimicus quæcumque fecerit, quibus teipsum afficis, si non illi reconciliàris, sed Dei leges conculcàris. Ille te contumeliâ affecit : dic mihi : Nùm tu ideò Deum afficies contumeliâ? Etenim non recipere in gratiam eum qui molestiam attulit, non tàm est illum ulcisci, quàm afficere contumeliâ Deum, legis hujus auctorem. Proindè, ne respicias ad conservum, neque ad magnitudinem injuriarum quas intulit ille, sed Deum illiusque timorem in animo habens, id tecum reputa te, quò majorem vim admoveris animo tuo, post innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo qui molestiam intulit, tantò majus præmium laturum à Deo qui hæc præcepit. Et sicut hîc Deum excipis multo cum honore; sic et ipse te illic multâ cum gloriâ excipiet, reddetque tibi millecuplam istius obedientiæ mercedem : quam nobis omnibus assequi contingat, gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo gloria sit Patri, honor, imperium et adoratio, simulque sancto Spiritui in sæcula sæculorum. Amen.

✠ SYNESIUS, EPISCOPUS CYRENES [a].

Num. 1. Timendum est nobis ne excidamus à sanctitate. — 2. Digressio de injuriâ à Leontopolitanis illatâ adversùs vicinos ipsorum.

1. Nox sacra, quæ lucem tantam attulit iis qui exsecrati erant, quantum nullus unquàm sol diem illustravit. Nec enim fas est profectò quidquam, licèt omnium quæ in terrâ sunt pulcherrimum sit, cum præpotenti rerum opifice comparandum censere. Verùm ne opificium quidem est illa lux quæ illuminat animos, et aspectabilem hunc solem illustravit. Agnoscite beatitatem quæ adest, quæque præsens est. Si hoc in statu firmi permanseritis, optabiliorem vobis ac feliciorem solennem hunc diem, quamdiù vitam producere dabitur, observabitis. Nunc quidem certè unusquisque vestrûm Angelus Deive nuntius in urbe versatur, atque etiam nunc existimate planè vobis congruere quod dictum est, in terris degentes et in cœlis conversationem habentes. Cæterùm timete ne excidatis ab hâc dignitate. At enim inquinatio quæ post februationem et expiationem accidit, piaculum est quod vix eluitur.

2. Decreverunt aliquid Leontopolitani mitiùs quàm ipsorum natura ferat, cùm à se invicem abstinentes vicinos violatarum legum accusârunt, quandoquidem heri et nudiustertius fratres adversùs fratres, et filius contra patrem, et pater contra suos advocabat carnificem. Neque porrò id quod nunc aggressi sunt, hominum est mutuam illam cædem patriam amolientium : verùm privatim quidem singuli in singulos impetùm faciunt : communiter verò civitas Astygitones insectatur, eos qui non feliciter nec bono suo sunt urbis vicini. Nam non præclarè secum actum iri crederent, nisi etiam publicè conformatio civitatis accusatoria foret, et calumniatoris vicem subiisset. Jàm verò nobis ea quæ accusatoriè nobis objiciuntur, claras probationes exhibent ut nemini inferamus injuriam : quibus judex patientem accommodat aurem. Atqui nos arva colere, non causas actitare didicimus. Cur tandem igitur, cùm jamdudùm hæc ità se habuerint, convenientia sibi munera et tempora transcendere æquum censent, et adversùs nos prodeunt, qui plùs quàm ipsi accendimur, et majore siti correptis, atque injuriâ affectis ratione sitûs, venui semper exponunt avidè id quod superest. Quoniam autem hoc anno argenti nihil reliqui fuit, volunt nostras ærumnas in lucro deputare, eò nimirùm tendunt recentes illæ delationes : nec alius ipsis finis est scitorum. Fatentur etiam aliquid secundò, quod dignum est ut à nobis primis et solis enuntietur : cùm ejusmodi sit ut maximè ob oculos ponat injustissimum ipsorum institutum. Nam cùm jàm olim calumniæ fundamenta altè jecerint pro securitate, quòd non ad se attinentibus aquis utantur, ad hoc venerabile prætorium aditum sibi fecerunt...

[a] Edit. Dionysii Petavii S. J. Lutetiæ 1612.

II. PATRES ET SCRIPTORES LATINI.

✠ S. MAXIMI, TAURINENSIS EPISCOPI,

HOMILIA I[a].

MONITUM IN EJUS SERMONES SEU HOMILIAS.

Quanto in pretio quantâque in celebritate Homiliæ, Sermones, cæteraque Opuscula Maximi fuerint, ex eo constat imprimis, quòd vix ille mortalem hanc vitam cum immortali plenâ gloriæ commutârat, cùm Gennadius scriptor, et conspicuus eruditionis laude, et æqualis temporum illorum, in Libro quem inscripsit « De viris illustribus, » ea non recensuerit modò, verùm etiam commendàrit, veluti à Doctore profecta, qui « satis fuerit intentus in divinis Scripturis, et sufficiens ad docendam plebem ex tempore. » Horum deinceps pars magna, cùm separatim exscribi ac referri in Codices unà simul cum variis aliorum Patrum Homiliis Sermonibusque multò ante ætatem Alcuini, Benedictini monachi, cœpisset, factum indè partim oscitantià, partim imperitiâ Librariorum est, ut vel nullum præferrent Auctoris nomen, vel aliorum, non Maximi ad epigraphen nomine adscripto, circumferrentur. Quarè in his dignoscendis secernendisque ab alienis ac Maximo restituendis, dici vix potest quantùm insumpserim temporis ac laboris. P. Bruno Bruni, Editor Operum S. Maximi, jussu Pii VI vulgatorum.

Et reverà præfatus Editor, non sine magnâ temporis et laboris impensâ, omnes Operum S. Maximi editiones præcedentes lustravit, scripta virorum historiæ criticæque artis peritorum perlegit, qui de sancti illius Præsulis opusculis judicàrunt, quàm plurimos Codices manu exaratos evolvit, et tandem feliciter genuinos sancto Maximo restituit Sermones, quos accuratè à dubiis et spuriis distinxit. Nos igitur doctissimi hujus Editoris vestigiis insistemus, et suam cuique Sermoni Notam assignabimus quam ille priùs assignavit.

Num. 1. Si terreni imperatoris natalis dies magno apparatu celebretur, quantò majori celebrari debet Dominica Nativitas! — 2. Quibus indumentis nos exornari oportet, ut adventum ejus dignè suscipiamus? — 3. Grande est peccatum eorum qui sordidam conscientiam in illâ die non mundaverunt. — 4. Misericordiâ in pauperes nos præparare oportet ad celebrationem hujus solennitatis.

1. Lætitia quanta sit quantusque concursus, cùm imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, benè nôstis, quemadmodùm duces ejus, et principes omnes, etiam militantes, accurati sericis vestibus, accincti operosis cingulis auro fulgente pretiosis, ambiant solito nitidiùs in conspectu regis incedere. Credunt enim majus esse imperatoris gaudium, si viderit majorem suæ apparitionis ornatum, tantòque illum lætum futurum quantò ipsi fuerint in ejus solennitate devoti: ut, quia imperator tamquàm homo corda non conspicit, affectum eorum erga se probet vel habitum contuendo: ità fit, ut splendidiùs se accuret, quisquis regem fideliùs diligit. Deindè, quia in die natalis sui sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel ministris suis, vel his qui in domo ejus abjecti putantur et viles, tantâ priùs thesauros replere divitiarum varietate festinant, ut in quantùm prærogativa voluerit[b], in tantùm prærogatio copiosa non desit, et antè voluntas donandi deficiat, quàm sub-

[a] Ex editione Romæ 1784, curâ P. Brunonis Bruni.— In Codicibus antiquitate illustriumque Scriptorum auctoritate spectabilibus, hæc Homilia S. Maximi nomen præfert, et reverà sine controversiâ Maximo adscribenda est. Variæ sunt in variis Codicibus inscriptiones. In aliis titulus est: « In Vigiliâ Natalis Domini; » in aliis: « In Vigiliis Natalis Domini: » alibi: « De devotâ præparatione faciendâ ad celebrandam D. N. J. C. Nativitatem. » Nos nullam ex his Epigraphis adoptamus, sed titulum: « Ante Natale Domini » sumimus, quemadmodùm exstat in Codice Taurinensi, cùm è contextu nec in die Dominicæ Nativitatis, nec pridiè in Vigiliâ Homiliam recitari potuisse eruatur. « Ideò ante complures dies, *ait* « S. Maximus, castificemus corda nostra, mundemus conscientiam, ut cujus Nativitas per immaculatam Virginem « constitit, ejus Natalis per immaculatos servulos procure« tur. » Mos quarumdam saltem Ecclesiarum erat, ut, longiori tempore quàm modò, festum Natalis Domini precibus sanctioribusque operibus prævenirent, sed illud tempus, ætate Maximi, Adventûs nomine non indicabatur: de quâ re consulendi sunt Mabillonius, Tom. 1 Musæi italici, edit. Paris. 1724, et Monachi Benedictini congregationis S. Mauri in Appendice ad S. Ambrosii Opera, Tom. 4 edit. Venet. 1751.

[b] Codd. x, Plut. XIV, Biblioth. Laurentianæ et S. Crucis in Jerusalem: « Ut quantùm prorogare voluerit, in tantùm prorogatio copiosa, etc. » Codd. Vaticanus 433 et 435 et Modoetien. 433: « In quantùm prorogari, etc. » Postremò Cod. CLXXIV Bibl. Ædil. Ecclesiæ majoris Florentinæ, p. 91, à tergo: « Ut in quantùm prærogare voluerit, in tantùm prærogatio copiosa, etc. »

stantia largiendi. Hæc autem ideò sollicitè faciunt, quia majorem sibi remunerationem pro hâc sollicitudine sperant futuram.

2. Si ergò, fratres, sæculi istius homines propter præsentis honoris gloriam, terreni regis sui natalis diem tantâ apparitione suscipiunt, quantâ nos accuratione æterni Regis nostri Jesu Christi Natalem suscipere debemus, qui pro devotione nostrâ non nobis temporalem largietur gloriam, sed æternam, nec terreni honoris administrationem dabit, quæ successore finitur, sed cœlestis imperii dignitatem, quæ non habet successorem? Qualis autem remuneratio nostra sit futura, dicit Propheta: *Quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* [1]. Quibus indumentis nos exornari oportet? Quòd autem diximus nos, hoc est animas nostras, quia Rex noster Christus non tàm nitorem vestium, quàm animarum requirit affectum; nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum [a]; nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operositatem miratur, sed fortis castimoniæ restringentis libidinem ad pudicitiam plùs miratur. Ambiamus ergò inveniri ante ipsum probati fide, compti misericordiâ, moribus accurati: et qui fideliùs Christum diligit, nitidiùs se mandatorum ejus observatione componat, ut verè nos in se credere videat, cùm ità in ejus solennitate fulgemus, et eò magis lætus sit, quò nos perspexerit puriores. Atque ideò ante complures dies castificemus corda nostra, mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac nitidi et sine maculâ immaculati suscipiamus adventum, ut cujus Nativitas per immaculatam virginem constitit, ejus Natalis per immaculatos servos procuretur.

3. Quisquis enim in illâ die sordidus fuerit ac pollutus, Natalem Christi votumque non curat. Intersit licèt Dominicæ festivitati corpore, mente tamen longiùs à Salvatore separatur. Nec societatem habere poterunt immundus et sanctus, avarus et misericors, corruptus et virgo, nisi quòd magis ingerendo se indignus offensionem contrahit, cùm minimè se cognoscit. Dùm enim vult officiosus esse, injuriosus existit: sicut ille in Evangelio, qui in cœtu sanctorum invitatus, ad nuptias venire ausus est, vestem non habens nuptialem [2]; et cùm alius niteret justitiâ, alius luceret fide, alius castitate fulgeret, ille solus conscientiæ fœditate pollutus, cunctis splendentibus deformi horrore sordebat: et quantò plùs simul discumbentium beatorum candebat sanctitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minùs displicuisse forsitan, si in consortium justorum minimè se dedisset. Propterea ergò sublatus manibus et pedibus [b], in tenebras exteriores expellitur, non solùm quòd peccator erat, sed quia, cùm peccator esset, sanctitatis sibi meritum vindicabat.

4. Igitur, fratres, suscepturi Natalem Domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus thesauros ejus diversorum munerum donis, ut in die sanctâ [c], sit undè peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes vestiantur. Nam quale erit, si in unâ eàdemque domo inter servulos unius Domini alter exsultet in holosericis, alter consumetur in pannis: alius æstuet cibo, alius famem frigusque sustineat [d]: ille eructet hesternam indigestionis crapulam, hic hesternam jejunii inediam non resolvat? Aut quis erit nostræ orationis effectus [e]? Petimus ut liberemur ab inimico, qui non sumus liberales in fratres. Simus imitatores Domini nostri. Si enim ille pauperes in cœlesti gratiâ [f] voluit nobis esse consortes, cur nobis non sint in substantiâ terrenâ consortes? Nec extranei sunt [g] alimoniis, qui fratres sunt sacramentis, nisi quòd rectius apud Deum per ipsos agimus causam nostram, ut nostris eos alamus sumptibus, qui illi gratiam agant. Quidquid autem pauper [h] Domino benedicit, illi proficit, quo faciente Domino benedicit [i]. Et sicut scriptum est de illo: Væ illi homini, per quem nomen Domini blasphemetur; ità et de illo scribitur [j]: Pax huic homini, per quem nomen Domini benedicitur Salvatoris. Quale est autem meritum largientis, ut solus quis operetur in domo [k], et per multos in Ecclesiâ Dominus deprecetur; et quod ille fortassis petere de divinitate non audeat, plurimorum interpellantium orationibus, etiam quod non sperabat accipiat? Quod ad adjutorium nostrum commemorans beatus Apostolus ait: *Ut per multos gratiarum actio referatur pro nobis* [3]. Et iterùm: *Ut fiat oblatio nostra accepta, sanctificata in Spiritu sancto* [4].

[1] I *Cor.* II, 9 *et Isai.* LXIV, 4.— [2] *Matth.* XXII, 10 *et* 12. — [3] II *Cor.* I, 11. — [4] *Rom.* XV, 16.

[a] Cod. Camberonensis: « Merita cordium. »

[b] Codd. S. Crucis in Jerusalem et Martinensis: « Propterea ergò sublatus, ligatis manibus et pedibus. »

[c] Cod. Bibliothecæ Ædil. Ecclesiæ majoris Florentinæ: « Ut in die sanctâ, quæ jàm supereminet, sit undè *etc.* »

[d] Eamdem sententiam ac penè easdem voces reperies in Sermone Venerabilis Bedæ, infrà.

[e] Cod. Vaticanus 435: « Aut quis erit nostræ orationis effectus, cùm petimus liberari ab inimico? »

[f] Codd. Ædil. Eccl. Flor. et Martinensis: « In cœlesti gloriâ. »

[g] Codd. S. Crucis in Jerusalem et Vat. reg. 125: « Nec extranei sint. »

[h] Cod. Ædil. Ecc. Flor. et S. Crucis in Jerusalem: « Quisquis autem pauper. »

[i] Cod. S. Crucis: « Quo faciente Dominus benedicitur.

[j] Idem Codex: « De isto scriptum est. »

[k] Codex Ædil. Eccl. Flor. addit « Dei. »

✠ EJUSDEM HOMILIA II[a].

NUM. 1. Renovationem quamdam brevi futuram mundo ipsa dierum ratio annuntiat. — 2. Natalem Domini suscepturi, exornemus nos nitidis indumentis, indumentis scilicet animæ. — 3. Et spirituales maculas abluamus, ut in nobis carnalia fulgeant vestimenta.

1. Etiamsi ego taceam, fratres, tempus nos admonet quòd Domini Christi Natalis in proximo est. Nam prædicationem meam prævenit dierum extrema conclusio. Ipsis enim angustiis suis mundus loquitur imminere aliquid, quo in melius reparetur, et exspectatione festinâ desiderat, ut tenebras suas splendidioris Solis candor illuminet. Dùm enim cursum suum brevitate horarum concludi meruit, spe quâdam annum suum indicat reformari. Hæc igitur exspectatio creaturæ etiam nos exspectare persuadet, ut peccatorum nostrorum tenebras novus Sol Christus ortus illuminet, et longam in nobis caliginem delictorum justitiæ Sol Nativitatis suæ vigore discutiat, nec patiatur cursum vitæ nostræ tenebris vitæ concludi, sed virtutis suæ gratiâ dilatari. Igitur quia Natalem Domini etiam mundo indicante cognoscimus, faciamus et nos quod mundus facere consuevit, hoc est, sicut in illâ die mundus spatia suæ lucis extendit, ità et nostram justitiam protendamus ; et sicut diei illius claritas pauperibus et divitibus communis est, ità et nostra liberalitas peregrinis et indigentibus sit communis ; et sicut tunc mundus noctium suarum recidit caliginem, ità et nos avaritiæ nostræ tenebras amputemus ; atque ad instar hiberni temporis, sicut in segetibus solis vapore resoluto gelu nutriuntur semina, ità et in pectoribus nostris resolutâ duritie justitiæ semen tepefactum Salvatoris radio coalescat.

2. Ergò, fratres, Natalem Domini suscepturi, exornemus nos puris et nitidis indumentis. Animæ autem loquor indumenta, non carnis. Carnis enim indumentum vilis amictus est, animæ vestimentum corpus est pretiosum. Illud humanis manibus densatum est : istud Dei manibus institutum est ; atque ideò majoris est sollicitudinis Dei opus sine maculâ custodire, quàm opera hominum impolluta servare. Mundanum enim vestimentum, si sordidum fuerit, potest illud fullo conductus eluere ; animæ autem vestimentum, si semel inquinatum fuerit, nisi propriis et assiduis operibus vix lavatur. Nihil ei prodest manus artificis, nihil fullonis operatio : conscientiæ enim membra polluta aqua abluere potest, non potest tamen mundare. Hæc sunt animæ vestimenta pretiosa, quæ Marcus Evangelista in Salvatore collaudat, dicens : *Et vestimenta ejus facta sunt fulgentia, candida nimis velut nix, qualia fullo super terram non potest facere* [1]. Laudatur igitur Christi vestimentum, quia nitebat non texturâ, sed gratiâ : laudatur indumentum, non quòd staminum subtilitate densatum est, sed quòd corporis integritate conceptum : laudatur vestimentum, non quòd mulierum manus texuit, sed quòd Mariæ virginitas procreavit. Et ideò in eo magnificatur candoris gratia, quia immaculatum illud non artificis cura præstiterat, *qualia fullo*, inquit, *super terram non potest facere.* Non potest planè fullo Christi facere vestimentum ; fullo enim præstare potest nitorem, munditiam, puritatem, præstare tamen non potest virginitatem, justitiam, bonitatem. Illud enim in arte est operis, istud in naturâ virtutis. Hæc enim in Christo Domino sanctus Evangelista virtutum indumenta collaudat, quæ et beatus David pari sententiâ prædicavit, dicens : *Myrrha, et gutta, et casia à vestimentis tuis pretiosis* [2]. His enim aromatum odoribus sanctarum significantur indumenta virtutum.

3. Ergò, fratres, Natalem Domini suscepturi, ab omni conscientiam nostram fæce mundemus : accuremus nos non sericis vestibus, sed operibus pretiosis. Vestimenta enim nitida membra operire possunt, conscientiam mundare non possunt : nisi quòd majoris est verecundiæ nitidum membris incedere, et pollutum sensibus ambulare. Interioris igitur priùs hominis ornemus affectum, ut exterioris quoque hominis sit amictus ornatus. Spirituales maculas abluamus, ut carnalia in nobis fulgeant vestimenta. Nihil autem prodest fulgere vestibus, et sordere flagitiis. Ubi enim conscientia tenebrosa est, totum corpus obscuratum est. Habemus autem quo conscientiæ maculas abluamus ; scriptum est enim : *Date eleemosynam, et omnia munda sint vobis* [3]. Bonum eleemosynæ mandatum, per quod manibus operamur, ut corde mundemur.

[1] *Marc.* IX, 2. — [2] *Psalm.* XLIV, 9. — [3] *Luc.* II, 41.

[a] *Aliàs*, Homilia 4. Hæc enim est Homilia quarta è duodecim S. Maximi Homiliis quas Mabillonius ex antiquissimo et celeberrimo Codice Sangallensi decerpsit, transtulitque in suum Musæum italicum. Numeratur tertia in Codice majori Ecclesiæ Taurinensis, cum titulo : « In Vigiliis Natalis Domini. » Nos autem eumdem ac in Homiliâ præcedenti, titulum servamus : « Ante Natale Domini. »

✠ EJUSDEM HOMILIA III [a].

Num. 1. Christo nascente, mundus renascitur. — 2. Virgo Altissimi virtute obumbrata, parit incorrupta. — 3. Mariæ uterus quasi templum Dei.

1. Proximâ Dominicâ dilectionem vestram admonuimus, fratres, de diei hujus adventu, in quâ diximus nos Natalem Domini hodiè etiam mundo teste suscipere. Mundus enim testimonium perhibet, dùm nascente Christo, et ipse renascitur. Renascitur enim, cùm de profundis noctium tenebris partu quodam lucis eruitur. Renascitur, inquam, cùm ejus defectio finitur, claritas reparatur. Atque ideò in ortu Christi oportet magis ortum sæculi nos vocare. In hàc enim die ad salvanda omnia oritur. Oritur enim die hâc lux mundo, defunctis resurrectio, vita mortalibus : ac propterеà hodiè non tàm Salvatoris Natalis est, quàm salutis. Nascitur ergò salus omnium Christus, quem Regem gentium Prophetæ testantur.

2. Nascitur ex Virgine, sicut Isaias declarat, dicens : *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus* [1]. Probat ergò veritatem Domini ordo nascendi. Concepit virgo virilis ignara consortii : impletur uterus nullo libatus amplexu, et Spiritum sanctum castus venter excepit, quem pura membra servârunt, innocens corpus gessit. Videte miraculum matris Dominicæ. Virgo est cùm concipit, virgo cùm parturit, virgo post partum. Gloriosa virginitas, et præclara fecunditas! Virtus mundi nascitur, et nullus est gemitus parturientis : vacuatur uterus, infans excipitur, nec virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo nascente, meritum cresceret castitatis : nec per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta : nec per eum pudicitia corporis læderetur, per quem donatur virginitas baptismatis impudicis. Natus igitur puer ponitur in præsepio, et hæc sunt Dei prima cunabula : nec Regnator cœli has indignatur angustias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum planè Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratiâ originali. Ergò, exonerata felici onere, Maria matrem se læta cognoscit, quæ se nescit uxorem ; et est gloriosa de sobole, quæ est ignara de conjuge; atque infantem se genuisse miratur, cùm Spiritum sanctum se suscepisse testatur; nec, quia peperit innupta, terretur, quia testimonio utitur virginitatis et sobolis. Soboles enim Dominicum Patrem indicat : virginitas stupentium suspicionem excusat. Indè virginitati divinitas testimonium perhibet : hinc naturæ secretum. Testimonium, inquam, perhibet divinitas partui virginali. Ut concipiatur enim Christus, secundum prænuntiationem Evangelii, Spiritûs sancti repletur gratiâ, virtute Dei Patris obumbratur, sicut ad Mariam dictum est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, et ideò quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* [2]. In Nativitate ergò Salvatoris completa est illa divina sententia, quæ dicit: *Duobus aut tribus testibus stabit omne verbum* [3]. Ecce enim Verbum Dei nascitur testimonio Trinitatis. Nam utique in utero S. Mariæ cùm Spiritus sanctus supervenit, cùm obumbrat Altissimus, cùm Christus generatur, confessio in eo fidei continetur. Dignum enim erat, ut Mater salutem populis editura priùs in visceribus suis confirmaret mysterium Trinitatis; et sic intelligeremus ante Salvatoris ortum confirmatum esse fidei sacramentum.

3. Maria enim tamquàm in sacrario ventris sui portavit cum mysterio sacerdotem ; nam quidquid in sæculo profuturum erat, id totum de ejus ventre : Deus, sacerdos et hostia ; Deus resurrectionis, sacerdos oblationis. Hoc autem totum in Christo agnoscimus. Deus enim est, quòd ad Patrem redit : Pontifex, quòd se obtulit : victima, quòd pro nobis occisus est. Mariæ ergò uterum, non uterum dixerim fuisse, sed templum ; templum planè est, in quo habitat sanctum quidquid in cœlo est : nisi quòd supra cœlos æstimandum est, ubi quasi in secretiore tabernaculo mysterium à divinitate disponitur, quemadmodùm à pluribus ascendatur ad cœlum. Supra cœlos planè æstimandus est uterus Mariæ, quia Filium Dei gloriosiorem remisit ad cœlum, quàm de cœlo descenderat. Indè enim ut pateretur, hinc reversus est, ut regnaret : indè humiliatus descendit in hominem, hinc glori-

[1] *Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23 *et Luc.* I, 31. — [2] *Luc.* I, 35. — [3] *Matth.* XVIII, 16; *Deut.* XIX, 15; *Joan.* VIII, 17; II *Cor*, XIII, 1 *et Hebr.* X, 28.

[a] *Aliàs*, Homilia 5. Hanc Homiliam è Sangallensi Codice excerpsit quoque Mabillonius, transtulitque in Musæum italicum : quam à Mabillonio acceptam transtulit Gallandius in Tomum 9 Biblioth. PP. Venet. 1773, cum titulo : « Incipit de Natali Domini Salvatoris, » expresso è Codice Sangallensi et è Mabillonio. In Codice Taurinensi præfigitur hæc inscriptio : « Item et de Nativitate Domini Homilia 35. » Stylus et interpretatio loci Isaiæ, quem Auctor affert, satis evincit sancto ipsi Antistiti eamdem Homiliam adscribendam esse, cùm istiusmodi ratio adducendorum sacræ Scripturæ locorum Maximo fuerit peculiaris, quæ quidem loca vel latina faciebat ipse de græcis, vel excipiebat ex latinâ versione quàpiam ratione.

ficatus ad Patrem ascendit. Melius planè templum corporis est, quàm cœli. Residens enim Christus est : ibi terribilis, hîc manifestus : ibi invisibilis, hîc visibilis atque palpabilis : ibi peccata vindicat, hîc condonat : ibi potestate judicis utitur, hîc dilectione fratres hortatur. Atque ideò est bonum nobis adorare eum, cùm invitat, ut possimus eum non timere, cùm judicat.

✠ EJUSDEM HOMILIA IV[a].

NUM. 1. Condignis actibus et præsertim eleemosynâ Christiani debent ad Natalem Christi sese præparare. — 2. Quo sensu dicitur regnum cœlorum cogi? — 3. Eleemosynis et lacrymis vim facimus Domino. — 4. Vigilantes custodiamus Christum in sepulchro animarum nostrarum.

1. Satis abundèque dixisse me credo superiore Dominicâ quemadmodùm compti vel nitidi Natalem Domini suscipere debeamus, et superveniente festivitate ejus, ambitione retinere, retinere, inquam, ut, etsi dies solennitatis transeat, apud nos tamen sanctificationis ejus beatitudo permaneat. Hæc enim gratia Natalis est Domini Salvatoris, ut in futurum ad prædestinatos transeat, in præteritum remaneat ad devotos. Oportet ergò nos esse sanctitate puros, mundos pudicitiâ, nitidos honestate, ut quò diem festum advenire propinquiùs cernimus, eò accuratiùs incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas ferias suscepturæ, maculas vestium suarum aquâ diluere, cur non magis nos, excepturi Natalem Domini, maculas animarum nostrarum abluamus? Et illæ quidem si adeò infectæ et obscuræ sordibus fuerint, ut maculas aqua non purget, addunt mollitiem olei, saponis etiam acrimoniam, nos quoque, si tàm grave peccatum habemus, ut id minimè solis fletibus abluatur, addamus misericordiæ oleum, acrimoniam jejunii. Nullum enim tàm grave delictum est, quod non purgetur abstinentiâ, eleemosynis exstinguatur; ait enim sanctus Propheta : *Sicut aqua exstinguit ignem, ità eleemosyna exstinguit peccatum* [1]. Magna ergò est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis quem disposuerat punire peccatis.

2. Cogitur enim à nobis quodammodò, dùm compellitur pro actibus nostris mutare sententiam, et in uno eodemque homine nunc severitate judicis permoveri, nunc patris pietate blandiri. Pater nobis enim est Deus, cùm benè agimus : judex noster est, cùm peccamus. Compellitur ergò operibus nostris Dominus, ut nobis suam misericordiam largiatur ; atque ideò ipse in Evangelio sancto dicit : *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur* [2]. Quæ sententia quem intellectum habeat videamus. *Regnum cœlorum* nonnisi Christus est Dominus qui regnat in cœlis. *Cogi* autem verbum tunc solet dici, cùm res aliqua rarior assiduâ operatione densatur. Ex quo ergò Joannes Baptista Salvatoris annuntiavit adventum, ex eo regnum cœlorum, quod fluidum ac remissum apud Joannem jacebat, credentium populorum cœpit assiduitate densari, et omnis illa regni raritas prædicationum frequentatione solidari. Tàm enim rarum fuit apud Judæos regnum, ut transiret ad Gentes, tàm fluidum ut remanaret ad populos. Nunc autem tantâ credentium cogitur densitate, ut solidum maneat sine fine, sicut Scriptura dicit : *Et regni ejus non erit finis* [3].

3. Cogimus enim regnum cœlorum, et vim quodammodò facimus, sicut ait Evangelica lectio : *Et vim facientes diripiunt illud* [4]; vim, inquam, facimus Domino, non compellendo, sed flendo : non provocando injuriis, sed lacrymis exorando : non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordiâ condonatur! Beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, et utilitatem tribuit inferenti! Mala res admittitur, et de injuriâ nemo causatur : vis admittitur, et religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo. Ag-

[1] *Eccli.* III, 33 *et Dan.* IV, 24. — [2] *Matth.* XI, 12. — [3] *Luc.* I, 33. — [4] *Matth.* XI, 12.

[a] *Aliàs*, Sermo 1 de Tempore. Ex plurimis Mss. constat hanc Homiliam esse S. Maximo adscribendam. Quamvis monachi S. Mauri inter Ambrosianos illam ediderint, attamen meliùs S. Maximo attribuendam esse monuerunt Tom. 2 edit. Paris. 1690, p. 392, et prætereà stylus magis Maximum quàm Ambrosium redolet. Vetustiores Codices indicant perspicuè hunc Sermonem « Antè Natale Domini » in præparationem ejusdem habitum fuisse : in aliis præmittitur hic titulus : « De Natali Domini veniente. » Nos ex Codicibus Sangallensi et Taurinensi epigraphen « Ante Natale Domini » servamus.

gredimur ergò in itinere Dominum, siquidem ipse est via [1], et more latronum, suis eum spoliare nitimur vestibus. Cupimus illi auferre regnum, thesauros et vitam ; sed ille tàm dives et largus est, ut non abnuat, non resistat ; et cùm omnia dederit, nihilominùs ipse omnia possidet. Aggredimur, inquam, illum non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sanè sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferendà possimus, antè corporibus nostris vim quodammodò faciamus, et expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur; priùs enim ipsi regnare debemus in nobis, ut regnum possimus diripere Salvatoris. Ait ergò Evangelium : *Et vim facientes diripiunt.* Raptores igitur sumus; raptores autem nonnisi diripiunt aliena. Agnosco veram esse sententiam ; Christum enim Ecclesia rapuit synagogæ, et alienæ gentis regnum vim faciendo possedit. Nam Salvator missus sub lege, natus in lege, nutritus juxta legem [2], dùm à Judæis negligitur, à Gentibus occupatur [3] ; et dùm à sacerdotibus perditur, à peccatoribus invenitur, sicut ipse ait : *Publicani et peccatores præcedent vos in regnum cœlorum* [4]. Raptores igitur sumus. Mirandum non est, quippè qui à tali auctore descendimus. Scriptum est enim de Patriarchâ nostro Benjamin: *Lupus rapax* [5]*;* rapit enim quod suum non est. Ità et nos veluti filii rapacis lupi alienarum pastorem ovium nostrâ intentione præripimus, sicut ipse dicit : *Non sum missus nisi ad oves perditas domûs Israel* [6]. Rapitur itaque Christus, cùm à Judæis dimittitur, et ab aliis prædicatur. Rapitur Christus, cùm occiditur à Judæis, et sepelitur à nobis. Rapitur Christus à vigilantibus discipulis : à dormientibus perditur Pharisæis, sicut mentiendo ipsi confessi sunt, dùm custodias ponerent sepulturæ, post resurrectionem Domini dicentes : *Quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* [7].

4. Undè spiritualiter intelligimus quia Christum omnes dormientes perdunt, vigilantes inveniunt ; atque idem Apostolus dicit : *Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus* [8]. Vides ergò mortuum esse qui ità dormit ut non custodiat Salvatorem ; et ideò illi Pharisæi, velut mortui, non potuerunt servare viventem. Propterea, fratres, non dormiamus, sed vigilemus circa ipsum Dominum nostrum Salvatorem, ut, appositis jugiter custodiis, nemo illum auferat de sepulturâ pectoris nostri : *Venerunt, et dormientibus nobis, furati sunt eum.* Habemus enim inimicos, qui Christum de cordibus nostris, si obdormierimus, auferre nitantur. Undè pervigili curâ servemus eum in sepulchro animarum nostrarum : ibi requiescat, ibi dormiat, ibi, cùm voluerit, et resurgat [a].

✠ S. CÆSARII, ARELATENSIS EPISCOPI,

HOMILIA I [b].

NUM. 1. Natalis Domini non inveniat imparatos. — 2. Dies est nuptialis Christi. In nuptiis Christi quæ sponsa, quis cibus? — 3. Ante solennitates quid agendum? — 4. Pauperes ad convivium vocandi. — 5. Amici etiam invitandi, sed rariùs et ad parca convivia. — 6. Recapitulatio.

1. Sanctam et desiderabilem, gloriosam ac singularem solennitatem, hoc est, Nativitatem Domini Salvatoris, fratres dilectissimi, devotione fidelissimâ suscepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adjutorio præparare, et omnes latebras animæ nostræ diligenter aspicere, ne fortè sit in nobis aliquod peccatum absconditum, quod et conscientiam nostram confundat ac mordeat, et oculos divinæ majestatis

[1] *Joan.* XIV, 6. — [2] *Gal.* IV, 4. — [3] *Act.* XIII, 46. — [4] *Matth.* XXI, 31. — [5] *Gen.* XLIX, 27. — [6] *Matth.* XV, 24. — [7] *Matth.* XXVIII, 13. — [8] *Ephes.* V, 14. — [9] *Luc.* XI, 41.

[a] Quod sequitur in editione Brunonis Bruni repetitio est ad verbum Numeri 3 Homiliæ 2 præcedentis, ad quem ideò lectorem remittimus. Aliundè Codex Casinensis non ultrà progreditur.

[b] Hæc Homilia reponitur 1° in Appendice Operum S. Maximi, editione laudatâ, ubi est Sermo 3, inter Sermones de Tempore, et inscribitur « De præparatione ad Domini Nativitatem : » 2° in Appendice Sermonum S. Augustini, Tom. 5, ubi est Sermo 116, aliàs, 2 de Tempore, et inscribitur « De Adventu Domini : » et 3° apud Dom. Mansium in Miscellaneis Steph. Baluzii, Tom. 2, Lucæ 1761. Quis autem est hujus Homiliæ sincerus Auctor? Etsi Codd. Casinenses 106 et 117, Beneventanus atque Neapolitanus Montis Oliveti S. Maximo adscribant, juxta Brunonem Bruni ipsum, ejusmodi dictionem non esse Maximi, quisque, si animum advertat, facilè cognoscet. Editores verò Maurini aiunt hanc Homiliam pertinere ad Cæsarium, cui in Corbiensi Codice adscribitur, illudque constare ex aliorum ipsius Sermonum comparatione. Quòd porrò, addit Fessler, Tom. 2 Institut. Patrologiæ, Cæsarii jàm ætate *Adventus Domini* pro dignâ præparatione ad instantem festivitatem celebrari consueverit, patet ex Gregorii Turonensis Historiâ Franciæ, Lib. 10, c. 31, n. 6 de Jejuniis, necnon ex ipsius Cæsarii Regulâ ad Virgines Recapitul., n. 15. Undè sententiam Maurinorum lubentes complectimur.

offendat. Nam licèt Christus Dominus noster post passionem suam resurrexerit, et in cœlum ascenderit, considerat tamen, ut credimus, et diligenter attendit qualiter se unusquisque servorum ejus, sine avaritiâ, sine irâ, sine superbiâ atque luxuriâ ad celebrandam ejus Nativitatem studeat præparare atque componere; et secundum quòd unumquemque bonis operibus ornatum viderit, ità illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit charitatis luce vestitum, justitiæ vel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum et sobrium, si talem agnoverit, corpus et sanguinem suum ei non ad judicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum ministerium dispensabit. Si verò aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum et superbum, timeo ne hoc illi dicatur quod in Evangelio Dominus ipse dixit: *Amice, quomodò huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* et, quod avertat Deus, fiat illud quod sequitur: *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium* [1]. Ecce qualem sententiam in die judicii excipiet, qui, sine remedio pœnitentiæ, ad festivitatem Domini vitiorum sordibus inquinatus accesserit.

2. In Natali enim Domini, fratres dilectissimi, quasi in nuptiis spiritualibus, sponsæ suæ Ecclesiæ Christus adjunctus est. Tunc *vèritas de terrâ orta est:* tunc *justitia de cœlo prospexit* [2]*:* tunc *processit sponsus de thalamo suo* [3], hoc est, Verbum Dei de utero virginali. Processit enim cum sponsâ suâ Ecclesiâ, id est, humanam carnem suscepit. Ad istas ergò tàm sanctas nuptias invitati, et ad convivium Patris, et Filii, et Spiritûs sancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideò mundemus, quantùm possumus cum Dei adjutorio, corda simul et corpora nostra, ut cœlestis ille invitator nihil in nobis sordidum, nihil fetidum, nihil obscurum, nihil oculis suis deprehendat indignum. Hæc ergò, fratres charissimi, non transitoriè, sed cum ingenti tremore debemus attendere. Invitati enim sumus ad nuptias, ubi nos ipsi, si benè agimus, sponsæ erimus. Cogitemus ad quales nuptias, consideremus ad qualem sponsum, vel ad quale convivium invitati sumus. Invitati enim sumus ad mensam, ubi non invenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum. Et ideò videamus ne fortè intùs in animâ, ubi debemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus vitiorum pannis veteribus involuti, et quandò eos qui boni sunt in oculis Dei, castitas reddet candidos, tunc eos qui mali sunt, reddat luxuria sordidatos.

3. Et ideò, quotiescumquè aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies, non solùm ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete: ab omni iracundiâ vo alienos efficite: peccata præterita per eleemosynam et pœnitentiam redimantur: contra nullum hominem odium in corde teneatur: quod solebat vanitas per gulam perdere, incipiat justitia per misericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula dissipavit in mundo, pietas reponat in cœlo.

4. Et licèt hoc expediat ut semper eleemosynas facere debeamus, præcipuè tamen in sanctis solennitatibus secundum vires nostras abundantiùs erogemus: pauperes ante omnia frequentiùs ad convivium vocemus. Non enim est justum, ut in sanctâ solennitate, in populo christiano ad unum Dominum pertinente, alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos, et omnis populus, unius Domini servi sumus, uno pretio redempti sumus, pari conditione in hunc mundum intravimus, simili etiam exitu migraturi sumus, et, si benè agimus, ad unam beatitudinem pariter veniemus. Et quarè pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accepturus sit regnum? Quarè pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? Quarè pauper non mereatur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi sacramentum? Cur indignus sit accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium venturus est Angelorum? Audite, fratres, audite, non meum, sed Domini commune præceptum; sic enim ait in Evangelio: *Cùm facis prandium aut cœnam, noli invitare divites, qui te iterùm reinvitent, et fiat tibi retributio: sed voca pauperes et claudos; et beatus eris, quia non habent undè retribuant tibi; retribuetur autem tibi in retributione justorum* [4].

5. Sed dicit aliquis: Ergò amicos aut parentes non debeo ad convivium invitare? Rogandi sunt et parentes et vicini; sed rariùs rogandi sunt; et non nimis sumptuosa et deliciosa, sed tàm parca et sobria vel honesta illis debent convivia præparari, ut remaneat undè possint pauperes refici, undè possit aliquid indigentibus erogari, ut, cùm dies judicii venerit, non cum impiis, qui nunc pauperes despiciunt, audiamus: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum;* sed cum justis et misericordibus audire mereamur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum: esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere* [5]*:* simul etiam ad nos vox illa desiderabilis dirigatur: *Euge, serve bone et fidelis, quia*

[1] *Matth.* XXII, 12 *et* 13. — [2] *Psalm.* LXXXIV, 12. — [3] *Id.* XVIII, 6. — [4] *Luc.* XIV, 12-14. — [5] *Matth.* XXV, 41, 34 *et* 35.

super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui[1]. [a]Sed, ut hæc quæ suggessimus, sensibus vestræ charitatis tenaciùs inhæreant, breviter quæ dicta sunt iteramus. Hoc enim admonuimus, fratres, ut quia Natalis Domini imminet, tamquàm ad nuptiale et cœleste convivium ab omni luxuriâ nitidi, et bonis operibus adornati, nos per Christi adjutorium præparemus, eleemosynas pauperibus erogemus, iracundiam vel odium, quasi venenum diaboli, de cordibus nostris respuamus. Castitatem etiam cum propriis uxoribus fideliter conservate : ad convivia vestra frequentiùs pauperes evocate : ad vigilias maturiùs surgite : in Ecclesiâ stantes aut orate aut psallite : verba otiosa aut sæcularia nec ipsi ex ore vestro proferte, et eos qui proferre voluerint, castigate : pacem cum omnibus custodite, et quos discordes agnoscitis, ad concordiam revocate. Hæc si fideliter, Christo adjuvante, volueritis implere, et in hoc sæculo ad altare Dominicum securâ conscientiâ poteritis accedere, et in futuro ad æternam beatitudinem feliciter pervenire : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

✠ EJUSDEM HOMILIA II[b].

Num. I. Quid præstandum ante celebritatem Natalis Domini? Laborandum ut Christi corpus dignè percipiatur. — 2. Mundanda conscientia. — 3. Ornanda bonis operibus anima. Culpam statim sequatur pœnitentia. — 4. Vitia ante solennitates cavenda, odium præsertim. — 5. Conclusio hortatoria.

1. [c]Appropinquante jàm sacratissimâ solennitate quâ Salvator noster inter homines nasci misericorditer voluit, fratres charissimi, attentiùs considerate qualiter oporteat nos in adventu tantæ potentiæ præparari, ut Regem et Dominum nostrum læti atque gaudentes cum gloriâ et laudibus mereamur suscipere, et in conspectu ejus inter cœtus felices sanctorum gratulando exsultare magis, quàm ab eo propter feditatem nostram repulsi inter peccatores æternâ confusione mulctari. Et ideò rogo et admoneo, ut, quantùm valemus, cum Dei adjutorio laboremus, ut in illo die cum sincerâ et purâ conscientiâ, mundo corde et casto corpore ad altare Domini possimus accedere, et corpus ac sanguinem ejus, non ad judicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit, sicut et ipse dixit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[2]. Mutet ergò vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet peccatricem vitam, ut vivat justè, ad judicium accipiet veram vitam (quæ est corpus Christi) : et magis ex ipsâ corrumpitur quàm sanetur : magis occiditur quàm vivificetur. Sic enim dixit Apostolus : *Qui manducat corpus Domini et bibit sanguinem ejus indignè, judicium sibi manducat et bibit*[3].

2. Et licèt nos omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conveniat, præcipuè tamen in die Natalis Domini, sicut in Evangelio ipse

[1] *Matth.* XXV, 21. — [2] *Joan.* VI, 54. — [3] I *Cor.* XI, 27.

[a] Pro sequentibus adsunt in Sermone edito in Miscellaneis Baluzii versus de resurrectione generali et de ultimo Christi adventu : quos tamquàm ad rem non pertinentes, hìc omittimus.

[b] Hæc Homilia, cum aliquâ tamen variatione, reperitur 1° in Appendice Sermonum Augustini, Tom. 5, ubi est Sermo 115, aliàs, 1 de Tempore, et inscribitur « De Adventu Domini : » 2° in Appendice Operum S. Maximi, editione citatâ, ubi est Sermo 1 inter Sermones de Tempore, et inscribitur etiam « De Adventu Domini : » 3° in Operibus S. Ambrosii, edit. Rom., ubi est Sermo 6 in Dominicâ quartâ Adventûs : et 4° in Operibus Rabani Mauri, Moguntini Episcopi, editione Coloniæ Agrippinæ 1626, ubi est Sermo 1 cum titulo : « De præparatione ad Natalem Domini. » Quis autem est hujus Homiliæ genuinus Auctor? Etsi S. Maximi ornatam nomine hanc Homiliam exhibent Codices Casinenses duo, 106 et 117, et Codex Neapolitanus Montis Oliveti cum titulo : « In Dominicâ primâ Adventûs, » Bruno Bruni dicit ipse sibi non videri esse parem totius Orationis stylum, ut saltem totam Maximo adjudicet. Dubius inter Sermones Augustini relictus fuerat in Lovaniensium editione : supposititiis posteà Verlini et Vindingi censurâ fuit adjunctus, cùm ob stili simplicitatem, tùm quia apud eos homines est habitus, qui usum quotidianæ communionis, quem in Ecclsiâ Occidentali vigere suo ævo Augustinus in Lib. 2 de Sermone Domini in Monte, n. 26, et Epist. 54, n. 4, testabatur, receptum non haberent, quandoquidem isthic auditores ad vitæ mutationem idcircò invitantur, ut in die Natali Domini « possint mundo corde et casto corpore ad altare accedere. » Porrò Cæsario Arelatensi stylus et disputandi ratio restituere cogit.

[c] In Appendice Operum S. Maximi, hæc Homilia incipit in hæc verba : « Propitiâ divinitate, fratres dilectissimi, jàm adveniet dies, in quâ Natale Domini Salvatoris cum gaudio debemus celebrare. Et ideò rogo et moneo, ut, quantùm possumus, cum Deî adjutorio laboremus..... » In nonnullis Manuscriptis qui Homiliam hanc Augustino adscribunt, incipit cum iisdem fermè verbis. Cum hoc eodem exordio edita etiam inter Sermones Ambrosii reperitur.

dixit : *Lucere debent hominibus opera nostra bona, ut in omnibus glorificetur Deus*[1]. [[a] Considerate, quæso, fratres, quandò aliquis homo potens aut nobilis natalem aut suum aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio, ante plures dies, quidquid in domo suà sordidum viderit, ordinat emundari, quidquid ineptum et incongruum projici, quidquid utile et necessarium præcipit exhiberi : domus etiam, si subobscura fuerit, dealbatur, pavimenta scopis mundantur, et diversis respersa floribus adornantur ; quidquid etiam ad lætitiam animi et corporis delicias pertinet, omni sollicitudine providetur. Ut quid ista omnia, fratres charissimi, nisi ut dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergò tanta præparas in natalitio tuo aut filii tui, quanta et qualia præparare debes æterno ? Quidquid ergò non vis invenire in domo tuà, quantùm potes, labora ut non inveniat Deus in animâ tuâ.]

3. Certè, si vos rex terrenus aut quicumque potens paterfamilias ad suum natalitium invitaret, qualibus vestimentis studeretis ornati incedere! quàm novis! quàm nitidis! quàm splendidis! quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua fœditas oculos invitantis offenderet! Tali ergò studio, in quantùm prævaletis, Christo auxiliante contendite, ut diversis virtutum ornamentis animæ vestræ compositæ, simplicitatis gemmis et sobrietatis floribus adornatæ, ad solennitatem Regis æterni, id est, ad Natalem Domini Salvatoris cum securâ conscientià procedant, castitate nitidæ, charitate splendidæ, eleemosynis candidæ, justitià et humilitate fulgidæ, Dei ante omnia dilectione lucidæ. Christus enim Dominus, si vos ità compositos, Natalitium suum celebrare cognoverit, ipse per se venire, et animas vestras non solùm visitare, sed etiam requiescere et in perpetuum in illis dignabitur habitare, sicut scriptum est : *Quia ecce ego veniam, et inhabitabo in eis et inambulabo, et ipsi erunt mihi populus, et ego ero eis in Deum, dicit Dominus Deus*[2]. [Et iterùm : *Ecce sto ad ostium et pulso : si quis surrexerit et aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum*[3].] O quàm felix est illa anima, [b] quæ vitam suam ità, Deo auxiliante, studuerit gubernare, ut Christum hospitem et habitatorem mereatur excipere ! [c] Sicut, è contrario, quàm infelix est illa conscientia [toto lacrymarum fonte lugenda], quæ se ità malis operibus cruentavit, ut in eà non Christus requiescere, sed diabolus incipiat dominari! Talis enim anima, si medicamentum pœnitentiæ non citò subvenerit, à luce relinquitur, à tenebris occupatur, vacuatur dulcedine, impletur amaritudine, à morte invaditur, à vità separatur. Non tamen de pietate Domini diffidat, qui talis est, nec mortiferà desperatione frangatur; sed magis ad pœnitentiam citò recurrat, et dùm adhuc nova sunt et calent vulnera peccatorum suorum, sic sibi adhibeat lacrymarum medicamenta salubria, quia medicus noster omnipotens est, et sic consuevit plagas nostras curare, ut nec cicatricum vestigia post ipsius medicamina remaneant. [d] Tantùm fidem in illum habeamus, et bonis operibus, quantùm valemus, semper insistamus, et numquàm de ejus misericordià desperemus.

4. [e] Quotiescumquè aut Natalem Domini aut reliquas solennitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite : iracundiæ, quasi bestiæ crudelissimæ, repugnate : odium, velut venenum mortiferum, de corde vestro repellite; et tanta sit in vobis charitas, quæ non solùm usquè ad amicos, sed etiam usquè ad ipsos perveniat inimicos, ut securi possitis dicere in Oratione Dominicâ : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*[4]. Nam qui se scit vel unum hominem odio habere, nescio ad altare Domini quomodò securus possit accedere, cùm præcipuè beatus Joannes Evangelista terribiliter clamet et dicat : *Qui fratrem suum odit, homicida est*[5]. Nam vestrum est judicare utrùm homicida, antequàm pœnitentiam agat, præsumere debeat Eucharistiam accipere. Addit etiam adhuc S. Joannes, et clamat dicens : *Qui fratrem suum odit, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quò vadat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*[6]; et iterùm : *Omnis*, inquit, *qui fratrem suum non diligit*, *manet in morte*[7]; et iterùm : *Si quis dixerit quia diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est : qui enim non diligit fratrem suum quem videt*, *Deum quem non videt*, *quomodò potest diligere*[8]? Quicumque ergò odium vel iracundiam servat in corde, et sub tali tonitruo nec terretur, nec expergiscitur, non dormiens, sed mortuus esse credendus est.

5. Hæc ergò, fratres charissimi, assiduè cogitantes, qui boni sunt, cum Dei gratià contendant perseverare in operibus bonis : quia, non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usquè in finem, hic sal-*

[1] *Matth.* V, 6, — [2] II *Cor.* VI, 16. — [3] *Apoc.* III, 20. — [4] *Matth.* VI, 12. — [5] I *Joan.* III, 5. — [6] *Id.* II, 11. — [7] *Id.* III, 14. — [8] *Id.* IV, 20.

[a] Quod uncis includitur, non reperitur in Rabano, hìc et in sequentibus.

[b] In Rabano : « Quæ bonis operibus promeretur Christum hospitem et habitatorem excipere ! »

[c] Hìc Rabanus addit : « Semper læta, semper hilaris, semper « jucunda, et ab omni vitiorum horrore aliena! »

[d] Pro istâ phrasi quæ est etiam in Rabano, legitur sequèns in Appendicibus Sermonum S. Augustini et Operum S. Maximi : « Ideò etiam ab omni inquinamento ante ejus Natalem multis diebus abstinere debetis. »

[e] Iste Numerus 4 non legitur in Rabano.

vus erit[1]: qui verò ad eleemosynam tardos, et ad iracundiam promptos, et ad exercendam luxuriam præcipites se cognoscunt, auxiliante Domino, festinent se à malis eruere, ut quæ bona sunt mereantur implere, ut, cùm dies judicii advenerit, non cum impiis et peccatoribus puniantur, sed cum justis et misericordibus pervenire ad æterna præmia mereantur : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

B. RABANUS MAURUS, FULDENSIS ABBAS,

ET MOGUNTINUS ARCHIEPISCOPUS[a].

MONITUM.

Cùm B. Rabanus Maurus Commentariorum in Matthæum libros octo ediderit, forsan mirabitur lector quòd prætermiserimus ejus Expositionem in Evangelium Vigiliæ Nativitatis Domini. Illam autem omittendam esse duximus, quia ferè nihil aliud complectitur quàm interpretationes ex Origene, Hieronymo et Augustino excerptas, quas in suo ordine singulas edidimus. Et similiter in similibus casibus faciemus, ne repetitionibus verborum superfluis lectori tædium importetur.

Num. 1. Debemus omnium virtutum ornamento nos præparare ad celebrandum Natalitium Domini. — 2. Ebrietatem aliaque vitia emendemus : bona opera, orationem, misericordiam erga pauperes exerceamus.

1. [b] Quotiescumquè aliquam festivitatem è solennitatibus sanctorum, quæ fiunt per totum annum, celebrare desideratis, fratres charissimi, omni studio ac sollicitudine sacrarum virtutum ornamento vosmetipsos præparare statuite, ut condigni fieri valeatis cœlesti convivio et societate sanctorum, cum quibus gaudere appetitis. In divinâ ergò mensâ non cibus invenitur hominum, sed panis ponitur Angelorum, sicut scriptum est : *Panem de cœlo dedit eis : panem Angelorum manducavit homo*[2]: *probet autem*, secundum Apostolum, *seipsum homo ; et sic de pane illo edat et de calice bibat*[3]. Nam Christus Dominus noster, licèt post passionem resurrexerit, et in cœlum ascenderit, considerat tamen, ut credimus, et diligenter attendit qualiter se unusquisque servorum ejus sine avaritià, sine irâ, sine superbià atque luxurià, ad celebrandum solennitates sanctorum suorum, et maximè Natalitium suum, studeat præparare atque componere, et secundum quòd unumquemque ornatum bonis operibus viderit, ità illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit charitatis luce vestitum, justitiæ vel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, benignum, misericordem, mansuetum et sobrium, ad mensam suam accedere, corpus et sanguinem suum illi, non ad judicium, sed ad remedium, per sacerdotum suorum ministeria dispensabit : si verò aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum, superbum, invidum, dolosum, avarum, detractorem atque injuriosum, timeo ne illi dicatur quod in Evangelio ipse prædixit : *Amice, quomodò huc intrâsti, non habens vestem nuptialem*[4]? et, quod avertat Deus, fiat illud quod sequitur : *Ligate illi manus et pedes, et projicite in tenebras exteriores* : *ibi erit fletus et stridor dentium*[5].

2. Ecce qualem sententiam in die judicii excipiet, qui sine remedio pœnitentiæ ad festivitatem Domini vitiorum sordibus inquinatus accesserit. Et ideò, fratres, quotiescumquè aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, ante plures dies non solùm ab infelici concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete : contra nullum hominum odium in corde vestro tenete : quod solebat per gulam perdere vanitas, incipiat justitia per misericordiam erogare pauperibus. Nam sunt quidam qui ebrietatem aut nullum aut parvum vitium esse putant, et non reminiscuntur Dominum dixisse Apostolis suis : *Attendite autem vobis ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa ; tamquàm laqueus enim veniet super omnes qui sedent super faciem omnis terræ*[6]. Et Apostolus : *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria*[7]; et iterùm : *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt ? Nolite er-*

[1] *Matth.* x, 24. — [2] *Psalm.* LXXVII, 28 et 29. — [3] I *Cor.* xi, 28. — [4] *Matth.* XXII, 12. — [5] *Ibid.* 13. — [6] *Luc.* XXI, 34 et 35. — [7] *Ephes.* v, 18.

[a] Editio Georgii Colvenerii, Coloniæ Agrippinæ 1617, ubi est Homilia 2.

[b] Reperiuntur in hoc Sermone, ut patet, eædem cogitationes ac in duobus Sermonibus præcedentibus S. Cæsarii.

rare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt [1]. Et Propheta dicit : *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, et potandum usquè ad vesperam, ut vino æstuetis* [2]; et iterùm : *Væ vobis*, inquit, *qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* [3]. Itaque quicumque ad ebrietatem pronus fuerit, et alios ad hoc adjurare vel cogere voluerit, et pro se et pro illis in die judicii reus erit, et Domino reddet rationem. Sed quia nunc Natalis Domini imminet, fratres, ab omni vitiorum sorde vos mundate, ac bonis operibus studiosiùs vos præparate : castitatem cum propriis uxoribus conservate : nullius rem aut uxorem concupiscite : nemini aliquid per vim aut fraudem auferte : ad conviviola vestra pauperes frequentiùs revocate : ad vigilias sacras maturiùs convenite : in ecclesià stantes aut orate aut psallite : verba otiosa aut scurrilia nec ipsi ibi ex ore vestro proferte, et eos qui proferre voluerint castigate : pacem cum omnibus hominibus habete, et quos discordes agnoscitis, ad concordiam revocate. Hæc fideliter si volueritis, Christo adjuvante, implere, et in hoc sæculo ad altare Domini cum securâ conscientià poteritis accedere, et in futuro ad æternam beatitudinem feliciter pervenire.

ATTO JUNIOR, VERCELLENSIS EPISCOPUS [a].

NUM. 1. Præparatio ad Nativitatem Domini celebrandam emendatio est præteritarum culparum. — 2. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.*

1. Ad celebrandam Nativitatem Domini nostri Jesu Christi, fratres charissimi, jàm nunc corda vestra præparate, mores componite, vitam dirigite, ut non vos veniens de negligentià judicet, sed de dignis operibus remunerare dignetur. Beatus Paulus clamat Apostolus : *Hora est jàm nos de somno surgere* [4]. Somnum itaque negligentiam appellat, quam excutientes à cordibus, bonorum operum instantiam nobis convenit frequentare [b].... Cujus adventum nobis multò magis [salutari] convenit providentià exspectare. Jejuniis, vigiliis, orationibus, continentiis, eleemosynis cæterisque virtutibus præteritæ culpæ maculas à nostræ mentis domo sedulè abluamus, nec ad easdem iterùm redire intendamus. Minimè quidem sufficit, aliquà interveniente festivitate, nostram deponere iniquitatem, si, eà transactà, rursùs ad eamdem recurrere consideremus. Hospes namque venturus sic de futuris quemadmodùm de præsentibus, sic de occultis quemadmodùm et de manifestis judicare volet.

2. Deniquè Psalmista ait : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, qui invocant eum in veritate* [5]. Cùm enim ubiquè esse probetur Dominus, illis tamen procul dubio proximus dicitur, quibus propitius esse dignatur, scilicet *qui invocant eum in veritate.* Illi quidem *in veritate eum invocant*, qui ea quæ expediunt dignè rogant; qui verò supervacua ab eo quærere præsumunt, vel qui ea quæ postulant non intimis mentibus rogant, ipsi profectò in veritate eum non invocant, nec propè habere merentur, ut illud : *Longe est à peccatoribus salus* [6]. Nam qui fictè Deum quærit, numquàm eum invenire merebitur. Hinc scriptum est : *Spiritus sanctus effugiet fictum* [7]. Quod benè quoque per Angelos Dominicam Nativitatem pastoribus nuntiantes declaratum est, dicentes : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* [8]. Bona voluntas est non solum mala non agere, sed etiam nec velle. Jure ergò talibus Christi pax nuntiatur. Qui verò homicidia, odia, adulteria, furta, perjuria, seu cætera vitia sic ad tempus simulant declinare, ut ad hæc eadem iterùm reverti jàm corde conceperint, ii profectò bonæ voluntatis non sunt, nec Christi eis conceditur pax. Nam miles arma deponit, corpus reficit, membra refovet, ut tempore opportuno, resumptis viribus, eisdem armis rursùs valeat dimicare. Non sic...

[1] I *Cor.* VI, 9 *et* 10. — [2] *Isai.* V, 11. — [3] *Ibid.* 22. — [4] *Rom.* XIII, 11. — [5] *Psalm.* CXLIV, 18. — [6] *Id.* CXVIII, 155. — [7] *Sap.* I, 5. — [8] *Luc.* II, 14.

[a] Ex Codice Vaticano, apud Mai, *Scriptorum veterum Collectio nova*, Tom. 6, ubi est Sermo 1, et inscribitur : « In Adventu Domini nostri Jesu Christi. » Hunc Sermonem cum aliis quatuor, de Pentecoste, de S. Eusebio, de Assumptione B. Virginis, de Nativitate Præcursoris, edidit Joan. Dominicus Mansius in Appendice Tomi 2 Miscellaneorum Baluzii, editione laudatâ, ex hoc eodem vetere et perraro Codice Vaticano; sed enim festinatione perturbatus, vir cæteroquin doctissimus, permultos turpesque errores contra Codicis fidem scripsit et incautissimè edidit. Hos correxit clarissimus Cardinalis Mai, quem idèo sequimur.

[b] Hic et in fine hujus Sermonis occurrunt lacunæ : nimirùm summa Codicis ora humiditate extabuit, perieruntque in duobus hisce locis versus fermè duo.

VENERABILIS HILDEBERTUS,

PRIMO CENOMANENSIS EPISCOPUS, DEINDE TURONENSIS ARCHIEPISCOPUS[a].

NUM. I. Cæcus fuit Adam, et surdus, et mutus, et claudus, quandò peccavit. — 2. Venit Christus sanare homines à cæcitate et surditate spirituali; — 3. Similiter et à claudicatione spirituali. — 4. Et illos mutos fecit loqui. Præparatione cordis eamus obviam Christo venienti.

1. *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere : ecce Deus vester veniet, et salvabit vos : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt : tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* [1]. Ante adventum Domini, fratres charissimi, in tantâ caligine genus humanum volvebatur, quòd nec Deum cognoscebant, neque verba ejus audire volebant, neque benè operabantur, neque peccata sua confitebantur. Cùmque multis animæ infirmitatibus detinerentur, placuit summo Medico eos visitare, et suis medicinis eos relevare. Sed notat Isaias Propheta in quatuor languoribus eos specialiter laborare. Cæci enim erant, et surdi, et muti, et claudi. Cùm verò ægritudines eorum sanare vellet, ne miseri desperarent, voluit eis adventum suum prænuntiare, voluit consolationibus suis eos confortare. Vultis audire qui sunt legati? Isaias et alii Prophetæ. Audite quam consolationem legatis injunxit : Vos, ministri mei, dicite miseris qui jacent in doloribus, qui desperant in infirmitatibus : *O pusillanimi, confortamini, quia ecce Deus vester veniet :* ecce medicina vestra, ecce salus vestra veniet et salvabit vos : eas infirmitates quibus subjacetis, sanabit; quia *tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt : tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Cæci erant, quia Deum ignorabant : surdi, quia verba ejus negligebant : claudi, quia rectè per bona opera non incedebant : muti, quia peccata sua tacebant. Hæc surditas, et cæcitas, et alia quæ sequuntur, à primo homine initium sumpserant. Adam enim in primo præcepto sibi à Deo injuncto surdus effectus est; cùm enim dictum sit ei : *In quâcumque die de ligno scientiæ boni et mali comederitis, morte moriemini* [2], non audîsse visus est : *Morte moriemini*, cùm non fuerit observator mandati. Cæcus fuit, cum verba dæmonis intellexit dicentis : *Et eritis sicut dii* [3]; cùm enim putaret se fieri Deum, excæcatum jàm gerebat animum. Quod ei deinceps Dominus improperavit, dicens : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis* [4]: quod deridendo dixit. Qui putavit se futurum Deum, modò invenit se miserum : *Factus est quasi unus ex nobis*, id est, similis Patri, et Filio, et Spiritui sancto, id est, factus est Deus : quod sub ironiâ dictum est, quia se aliter invenit quàm putavit. Claudicavit Adam, quia, dùm cœpit incedere, id est, operari, pravo gressu incessit. Vulneratus est enim aculeo mortis et venenosi serpentis, et malè operando claudicavit. Primum quod legitur fecisse, peccatum est. Duos pedes debet habere homo, delectationem [b] Dei et proximi. Qui altero eorum caret, claudus est. Adam verò claudicavit, quia nimiùm uxorem dilexit, sed ab amore Dei se retraxit. Deum non dilexit, cujus mandatum neglexit. Uxoris amorem Dei amori prætulit, cùm libentiùs uxoris persuasioni quàm Dei obedivit voluntati. Itaque claudicavit. Mutus verò fuit in confessione peccati, quia non solùm non confessus est peccatum, sed excusare cœpit malefactum, dicens : *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* [5]. Cùm enim ait : *Mulier, quam dedisti mihi*, in mulierem culpam convertit, et Deum etiam infamare voluit, in hoc verbo quod dedit.

2. Audîstis, fratres, quomodò Adam surdus, cæcus, claudus et mutus effectus est. In hæc eadem vitia genus humanum devolutum erat, antequàm Christus in mundum venisset. Adeò homines excæcati erânt, quòd idola colerent. Undè Apostolus : *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; et quia non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum* [6]. Surdi erant juxta hoc quod Isaias ait : *Incrassatum est cor populi ejus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, nequandò oculis videant, et auribus audiant* [7]; et iterùm : *Domine, quis credidit auditui nostro* [8]? et Psalmista : *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas* [9]; et iterùm : *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi* [10]. Claudicaverunt malè operando, juxta illud : *Omnes declinaverunt, si-*

[1] *Isai.* XXXV, 4-6. — [2] *Gen.* II, 17. — [3] *Id.* III, 5. — [4] *Ibid.* 22.— [5] *Ibid.* 12.— [6] *Rom.* I, 21 *et* 28. — [7] *Isai.* VI, 10 *et Matth.* XIII, 15.— [8] *Rom.* X, 16.— [9] *Psalm.* LVII, 5.— [10] *Psalm.* LXXX, 2.

[a] Edit. D. Beaugendre Benedictini, 1708, ubi hæc Homilia præfert illum titulum : « In Adventu Domini : Sermo 1 de utilitatibus Adventûs Domini. »

[b] *Fortè* dilectionem.

mul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usquè ad unum[1]; et iterùm : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt à semitis suis*[2]. Muti facti sunt, tacendo peccata, juxta hoc quod de se ait David : *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea*[3]. Hæc omnia, fratres charissimi, sanavit Medicus cœlestis. Cæcos illuminavit, cùm aperuit sensus hominum ut intelligerent Scripturas[4], et cùm Patrem suum annuntiavit mundo, juxta hoc quod ipse ait : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus*[5], quia primus *erat in mundo, et mundus eum non cognovit*[6]. Hæc est illuminatio, quam postulat David, dicens : *Illumina oculos meos, ne umquàm obdormiam in morte, nequandò dicat inimicus meus : Prævalui adversùs eum*[7]. Aures aperuit, cùm clamabat : *Qui habet aures audiendi, audiat*[8]. Et Gentilis populus habuit aures apertas, cùm prædicationem ejus libenter suscepit, juxta hoc quod ipse ait per David : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi*[9]. Et hæc sunt quæ promisit Propheta, cùm ait : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt.* Sequitur :

3. *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Claudi erant, ut diximus, quia rectè non incedebant, bonis operibus non vacantes; sed gressus hominum direxit, cùm corda eorum ad viam cœlestis patriæ direxit. Corda directa sunt, cùm neque ad dexteram, neque ad sinistram divertunt. Dextera est misericordia Dei; sinistra autem est desperatio. Undè ait Isaias : *Hæc est via : ambulate in eâ, neque ad dexteram, neque ad sinistram divertentes*[10]. Judas et diabolus, qui desperaverunt, ad sinistram diverterunt; Origenes verò, qui nimiùm confidendo in misericordiâ Dei, prædicavit diabolum salvandum esse, idque post mille annos, nimis ad dexteram exorbitavit. Itaque medius callis sequendus est, ut neque desperent homines, neque confidentes in misericordiâ, licenter peccent. Hujus rei figura est, quòd Arca fœderis, cùm è regno Philistinorum reduceretur in locum suum, vaccæ duæ divertentes ducebant in plaustro per directam viam, ità quòd non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram[11]. Arca est Ecclesia : duæ vaccæ sunt prædicatores Judæorum et Gentilium, qui alios lacte pascunt, et Ecclesiam ducunt. Ideò David ait : *Beneplacitum est Deo super timentes eum, et in eis qui sperant in misericordiâ ejus*[12]. Utrumque posuit, spem et timorem. Spes sine timore præsumptio est : timor sine spe desperatio est. Timor aufert nimiam securitatem, ne nimis adhæreat dexteræ. De hâc viâ rectè ait Joannes : *Parate viam Domini : rectas facite vias Dei nostri*[1]. Sed in hâc rectâ viâ saliendum est : undè dicitur : *Et saliet sicut cervus claudus.* Cùm venerit ad loca spinosa et luctuosa [a], transiliet. Similiter, peccator, si occurrerit tibi amor divitiarum quæ pungunt sollicitudine, si tactus amore luxuriæ vel alicujus voluptatis fetidæ, transiliendo dimitte. Cervus deserit valles, et ascendit montes. Tu desere terrena, et pete cœlestia. Indè ait Dominus per David : *Qui perfecit pedes meos tamquàm cervorum, et super excelsa statuens me*[2]. Cervus senescens devorat serpentem, et tùm nimio ardore currit ad fontem, post cujus potum deponit veterem pellem et cornua, et rejuvenescit. Sic, peccator, occide serpentem, et curre ad fontem, id est, ad Christum, et depone veterem hominem, id est, superbiam, ut dicas cum David : *Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te, Deus*[3]. Sequitur :

4. *Et aperta erit lingua mutorum.* Cùm enim clamaret Christus : *Agite pœnitentiam*[4], priùs erubescebant confiteri peccata sua : tunc pœnituerunt, confessione peccata sua detexerunt. Clamavit veniam Maria, quæ priùs muta erat. Clamavit veniam latro in cruce, qui priùs tacebat. Ecce muta locuta est : ecce mutus locutus est. Ostendimus quid utilitatis adventus summi Medici mundo intulit. Completa est prophetia, venit Medicus, ægrotos curavit. Sed quæ utilitas nobis salus aliorum, nisi nobis hæc curatio profuerit? Timendum ne aliquis inter nos adhuc in infirmitate jaceat. Omnium tamen nostrûm oculi sunt aperti, quia fideles estis, Deum cognovistis, cæcitas infidelitatis recessit; sed aliquandò surdi estis, quia verbum Dei audire fugitis, aut auditum contemnitis. Cavete ne vobis dicatur : *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*[5]. Aliqui enim vestrûm claudicant, quia malè operantur. Aliqui etiam obmutescunt, quia peccata confiteri erubescunt. Sed modò est tempus confessionis et satisfactionis, quia imminent jejunia. Quid autem est jejunium, nisi satisfactio? Priùs dimitte culpam, et recognosce eam, antequàm quæras veniam, et sustineas satisfactionis pœnam. Parate ergò vos Domino venienti, et præcinite Domino in confessione peccatorum, ut in die Nativitatis ejus psallatis ei in confessione laudum[6]. Dies enim Adventûs non sunt nisi præparatio quædam, ut faciamus quod clamabat Joannes : *Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus,*

[1] *Psalm.* XIII, 3. — [2] *Psalm.* XVII, 46. — [3] *Psalm.* XXXI, 3. [4] *Luc.* XXIV, 32. — [5] *Joan.* XXVII, 6. — [6] *Id.* I, 10. — [7] *Psalm.* XII, 4 et 5. — [8] *Matth.* VII, 16. — [9] *Psalm.* XVII, 45. — [10] *Isai.* XXX, 21. — [11] II *Reg.* VI, 10. — [12] *Psalm.* CXLIX, 4.

[1] *Isai.* XL, 4 *et Luc.* III, 4. — [2] *Psalm.* XVII, 32. — [3] *Id.* XLI, 1. — [4] *Matth.* III, 2. — [5] *Joan.* VII, 37. — [6] *Psalm.* XCIV, 2.

[a] *Fortè* lutosa.

ut videlicet digni simus futurâ solennitate, et gaudio Nativitatis nostri Regis. Antiqui Patres contra [a] Adventum Christi se præparabant, ut digni essent redemptione futurâ. Illius temporis figuram gerunt isti dies. Christus quasi nasciturus est: Nativitatem ejus sumus nos repræsentaturi, ut novâ Nativitate novum gaudium nobis gignetur. Ergò *hora est jàm nos de somno surgere. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus* [1]. Vitate ebrietates, abstinete à carne. Gula vos non inquinet; amator enim munditiæ et sobrietatis est Dominus quem exspectamus. Nonne domus vestras egregiè ornaretis, si ad vos venturus esset imperator temporalis? Ornate corda vestra virtutibus, ut dignè recipiatis Regem Angelorum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. BERNARDI, PRIMI ABBATIS CLARÆVALLENSIS,

ET ECCLESIÆ DOCTORIS, SERMO I [b].

Num. 1. Christi Nativitas miranda, — 2. Mundo fructuosa. Nativitatis tres fructus: — 3. Peccata delet, morbos animæ sanat, nos exaltat. — 4. Bethleem felicitas et gloria. — 5. Paupertatem et humilitatem nobis commendat locus Nativitatis Christi. — 6. Bethleem et Judæ allegorica expositio. Eucharistia quomodò suscipienda.

1. Sonuit vox lætitiæ in terrâ nostrâ, vox exsultationis et salutis in tabernaculis peccatorum. Auditum est verbum bonum, verbum consolatorium, sermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. *Jubilate, montes, laudem* [2], *et omnia ligna sylvarum, plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit* [3]. *Audite, cœli, et auribus percipe, terra* [4], obstupesce et lauda, universitas creaturæ, sed tu magis, ô homo: *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ.* Quis tàm lapidei cordis, cujus anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annuntiari dulcius poterat? Quid delectabilius commendari? Quid tale umquàm auditum est, aut quid simile aliquandò mundus accepit: *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ.* O breve verbum de Verbo abbreviato, sed cœlesti suavitate refertum! Laborat affectio mellifluæ dulcedinis copiam latiùs effundere gestiens, nec inveniens verba; tanta siquidem est gratia sermonis hujus, ut continuò incipiat minùs sapere, si unum iota mutavero: *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ.* O Nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam Angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentiâ novitatis, utpotè quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem! O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum! O Nativitas supra naturam, sed pro naturâ, miraculi excellentiâ superans, sed reparans virtute mysterii! Fratres, *generationem istam quis enarrabit* [5]? Angelus nuntiat, virtus obumbrat Altissimi, supervenit Spiritus: Virgo credit, fide concipit virgo, parturit virgo, manet virgo: quis non miretur? Nascitur Altissimi Filius, Deus de Deo genitus ante sæcula: nascitur Verbum infans: quis vel satis miretur?

2. Nec sanè otiosa Nativitas, aut infructuosa dignatio majestatis: *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ. Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate* [6]. Ecce Dominus venit cum salute, venit cum unguentis, venit cum gloriâ. Neque enim sine salute Jesus, neque sine unctione Christus, nec sine gloriâ venit Dei Filius; siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria, sicut scriptum est: *Gloria patris, filius sapiens* [7]. Felix anima, quæ gustato salutis fructu trahitur et currit in odore unguentorum, ut *videat gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre* [8]. Respirate, perditi: venit Jesus quærere et salvum facere quod perierat. Morbidi, convalescite: venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiæ suæ. Exsultate, quicumque estis grandia concupiscentes: descendit ad vos Filius Dei, ut regni sui faciat cohæredes. Ità obsecro, sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: glorifica, et ero gloriosus. Sic nempè *benedicet anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, cùm propitiatus fueris omnibus iniquitatibus meis, sanaveris om-*

[1] *Rom.* XIII, 11 *et* 12. — [2] *Isai.* XLIX, 13. — [3] *Psalm.* XCV, 12 *et* 13. — [4] *Isai.* I, 2. — [5] *Ibid.* LIII, 8. — [6] *Id.* XXVI, 19. — [7] *Prov.* X, 1. — [8] *Joan.* I, 14.

[a] *Id est*, prope.

[b] Ex editione Mabillonii, Paris. 1719: ubi hic Sermo inscribitur: « De pronuntiatione Martyrologii: *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ.* » Quæ verba leguntur in Usuardi Martyrologio, quo Ecclesiæ gallicanæ omnes aut ferè omnes tunc utebantur, imò etiam Romana, ut videre est p. 1.

nes infirmitates meas, repleveris in bonis desiderium meum[1]. Hæc tria, dilectissimi, sapit mihi quòd audio nasci Jesum, Christum, Filium Dei. Quarè enim vocamus nomen ejus *Jesum*, nisi *quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum?* Aut quarè *Christus* nominari voluit, nisi quia *computrescere faciet jugum à facie olei*[2]? Quarè *Filius Dei* factus est homo, nisi ut homines faciat filios Dei? *Voluntati autem ejus quis resistit*[3]? *Jesus qui justificat, quis est qui condemnet*[4]? Christus qui sanat, quis est qui vulneret? Filius Dei qui exaltat, quis est qui humiliet?

3. Nascitur ergò Jesus : gaudeat quisquis ille est quem perpetuæ damnationis reum adjudicabat conscientia peccatorum; excedit quippè pietas Jesu omnem criminum quantitatem seu numerositatem. Nascitur Christus : lætetur quicumque vitiis impugnabatur antiquis ; siquidem ante faciem unctionis Christi nullus omninò stare poterit morbus animæ, quamlibèt inveteratus. Nascitur Filius Dei : exsultet qui magna solet desiderare, quia magnus munerator advenit. Fratres, hic est hæres : devotè suscipiamus eum, sic enim et hæreditas nostra erit; *qui enim proprium Filium dedit, quomodò non omnia nobis simul cum Filio donavit*[5]? Nemo discredat, nemo hæsitet : habemus testimonium credibile nimis : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*[6]. Fratres habere voluit Unigenitus Dei, *ut esset in multis fratribus primogenitus ipse*[7]; utque nihil hæsitet ipsa pusillanimitas fragilitatis humanæ, priùs ipse factus est homo. Si et hoc homo judicat incredibile, fidem adstruunt oculi.

4. *Jesus Christus natus est in Bethleem Judæ*[8]. Et vide dignationem, non in Jerusalem, civitate regiâ, sed *in Bethleem, quæ minima est in millibus Juda*[9]. O Bethleem parva, sed jàm magnificata à Domino, magnificavit te qui factus est in te parvus ex magno. Lætare, Bethleem, et per omnes vicos tuos festivum hodiè Alleluia cantetur[10]. Quæ tibi civitas, si audiat, non invideat pretiosissimum illud stabulum, et illius præsepii gloriam; in universâ siquidem terrâ celebre est nomen tuum, et beatam te dicunt omnes generationes[11]? Ubique *gloriosa dicuntur de te, civitas Dei*[12]. Ubique psallitur, quia *homo natus in eâ, et ipse fundavit eam Altissimus*[13]. Ubique, inquam, prædicatur, ubique clamatur, quia *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ*. Nec otiosum quod additur *Judæ*; siquidem admonet nos ejus quæ ad patres facta est repromissio : *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio Gentium*[14]; salus quippè ex Judæis, sed salus usquè ad fines terræ : *Juda*, ait, *te laudabunt fratres tui : manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum*, et cætera[15], quæ de Judâ illo nusquàm legimus, sed in Christo videmus impleta. Ipse est enim leo de tribu Judâ, de quo et additur : *Catulus leonis Juda : ad prædam*, inquit, *fili mi, ascendisti*[16]. Magnus prædator Christus, qui *priusquàm sciat vocare patrem aut matrem, Samariæ spolia diripit*[17]. Magnus prædator Christus, qui *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*, nec tamen abstulit quidquam, sed magis ipse *dedit dona hominibus*[18]. Has itaque et cæteras similes prophetias impletas in Christo (de eo siquidem et prædictas) ad mentem revocat, quòd dicitur : *Bethleem Judæ*, nec omninò quærere est utrùm à Bethleem possit aliquid boni esse.

5. Sanè quod ad nos spectat, discimus etiam ex hoc quemadmodùm suscipi velit, qui in Bethleem voluit nasci. Erat enim qui fortè ei sublimia quærenda arbitraretur esse palatia, ubi cum gloriâ Rex gloriæ susciperetur : sed non propter hoc à regalibus illis sedibus venit : *In sinistrâ ejus divitiæ et gloria, in dexterâ longiturnitas vitæ*[19]. Horum omnium æterna in cœlis affluentia suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porrò in terris abundabat et superabundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque suâ æstimatione faciat pretiosam. Adorna thalamum tuum, Sion, sed humilitate et paupertate. In his enim pannis complacet sibi, et Mariâ testimonium perhibente, his sericis delectatur involvi. Abominationes Ægyptiorum immola Deo tuo.

6. Considera deniquè quòd *in Bethleem Judæ nascitur*, et sollicitus esto quomodò *Bethleem Judæ* inveniaris; et jàm ne in te quidem suscipi dedignatur; Bethleem quippè *domum panis*, Juda sonat *confessionem*. Tu ergò si divini Verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etsi non dignâ, certè quantâ potes devotione suscipias panem illum qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo[20], Dominicum videlicet corpus Jesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat et sustineat, quatenùs novum quod intùs est vinum, hoc solidatus glutino, valeat continere[21] : si deniquè ex fide vivas, et nequaquàm gemere oporteat quia oblitus sis comedere panem tuum, Bethleem factus es, dignus planè susceptione Dominicâ, si tamen confessio non defuerit. Sit proindè Judæa sanctificatio tua : *confessionem et decorem induere*[22], quam maximè stolam in ministris suis Christus acceptat.

[1] *Psalm.* CII, 1, 3 *et* 5. — [2] *Rom.* IX, 19. — [3] *Id.* VIII, 33 *et* 34. — [4] *Isai.* X, 27. — [5] *Rom.* VIII, 32. — [6] *Joan.* I, 14. — [7] *Rom* VIII, 29. — [8] *Matth.* II, 1. — [9] *Mich.* V, 2. — [10] *Tob.* XIII, 22. — [11] *Luc.* I, 48. — [12] *Psalm.* LXXXVI, 3. — [13] *Ibid.* 5. — [14] *Gen* XLIX, 10. — [15] *Ibid.* 8. — [16] *Ibid.* 9. — [17] *Isai.* VIII, 4. — [18] *Ephes.* IV, 8 *et Psalm.* LXVII, 19. — [19] *Prov.* III, 16. — [20] *Joan* VI, 51. — [21] *Matth.* IX, 17; *Marc.* II, 22 *et Luc.* V, 37 *et* 38. — [22] *Psalm.* CIII, 1.

Deniquè breviter tibi utrumque commendat Apostolus: *Corde*, inquiens, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [1]; justitia siquidem in corde, panis in domo. Est enim justitia panis. Et: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [2]. Sit ergò in corde justitia, et justitia quæ ex fide est: hæc enim sola habet gloriam apud Deum. Sit etiam in ore confessio ad salutem: et securus jàm suscipe eum qui in Bethleem Judæ nascitur, Jesum Christum, Filium Dei.

✠ EJUSDEM SERMO II [a].

Num. 1. Confessio duplex, peccatorum et divinæ laudis. — 2. Quibus mors est in desiderio? Animæ hostis triplex. — 3. Terrenis contemptis, quærenda sunt cœlestia. — 4. Mandata Dei cur nobis tàm severè imposita? Corruptela naturæ ex peccato. — 5. Sancti non consummabuntur sine nobis. — 6. Angeli quàm salutis nostræ cupidi et studiosi! Sancti in cœlis nos exspectant. — 7. Deus etiam desiderat nos. — 8. Curramus ergò ad Deum desideriis et profectu virtutum.

1. Veros alloquimur Judæos, non litterâ, sed spiritu, semen Abrahæ, cujus multiplicatio, sicut promissa legitur, sic videtur impleta [3]; *neque enim filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine* [4]. Sed nec illi Jerusalem dicimus, *quæ occidit Prophetas* [5]; undè enim illam consolemur, super quam Dominus flevit [6], quæ data est in subversionem? Illi dicimus, quæ de cœlo nova descendit [7]: *Nolite timere, ô Juda et Jerusalem* [8]: nolite timere, veri confessores, qui non solùm ore, sed toti pariter et ex omni parte Domino confitemini, induti confessionem sicut vestimentum [9]; imò quorum omnia interiora Domino confitentur, *et omnia ossa dicunt: Domine, quis similis tibi* [10], non sicut hi *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* [11]. Vera confessio est, si omnia opera vestra, fratres, opera ejus sint, et confiteantur ei. Confiteantur autem geminâ quâdam confessione, ut duplicibus vestiamini, id est, confessione peccatorum vestrorum, et confessione laudis divinæ. Tunc enim veri Judæi eritis, si omnis vita vestra confiteatur vos peccatores, et dignos multò majoribus pœnis; Deum verò summè bonum, qui pro his brevibus et transitoriis pœnis, æterna condonat supplicia quæ meruistis. Quisquis enim ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere non indigere se pœnitentiâ, et ità suam non confitetur culpam: aut non posse prodesse ei pœnitentiam, et sic divinam non confitetur bonitatem. Vos autem estote veri Judæi, sed et Jerusalem vera, ut nihil jam timeatis. Est enim Jerusalem *visio pacis*; visio, non possessio, cujus fines Dominus posuit pacem [12], non initium sanè, nec medium. Si ergò pacem non habetis, imò quia perfectam in hoc sæculo habere non potestis, saltem videte eam, intuemini, considerate, et desiderate eam. Illuc sint oculi cordis vestri, ad pacem sese dirigat intentio vestra: ut omnia quæcumque facitis, hujus pacis, *quæ exsuperat omnem sensum* [13], desiderio faciatis: in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum.

2. His dicimus: *Nolite timere:* hos consolamur, non eos, qui *viam pacis non cognoverunt* [14]. Nam si illis dicitur: *Cràs egrediemini*, comminatio, non consolatio erit illa. Soli nimirùm dissolvi desiderant, et egredi concupiscunt, qui pacem vident, *et sciunt, si terrestres domus eorum hujus habitationis dissolvantur, quoniam ædificationem habent ex Deo* [15], et non illi qui in insaniam versi suis compedibus delectantur. Deniquè hi tales moriendo non tàm egressi dicendi sunt, quàm ingressi: qui non in lucem, non in libertatem vadunt, sed in carcerem, sed in tenebras, sed in infernum. Vobis autem dicitur: *Nolite timere: cràs egrediemini*, et jàm non erit timor in finibus vestris. Multos quidem habetis hostes: carnem quâ nullus potest esse vicinior hostis: præsens sæculum nequam, quod undiquè circumfusum est vobis: principes tenebrarum, qui viam vestram obsident in aere collocati. Attamen *nolite timere: cràs egrediemini*, id est, in proximo; *cràs* enim in proximo est: undè et sanctus Jacob ait: *Cràs respondebit mihi justitia mea* [16]. Tres enim dies sunt, de quibus etiam legimus: *Vivificabit nos post duos dies: in die tertiâ suscitabit nos* [17]: unùs sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo: undè et ibi subditur: *Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum*: et hìc dicitur: *Cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum.* His enim dicitur, qui dimidiaverunt dies suos, in quibus periit dies in quâ nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Jeremias quoque maledicebat, dicens: *Maledicta dies*,

[1] *Rom.* x, 10. — [2] *Matth.* v, 6. — [3] *Gen.* xxii, 17 *et* xxvi, 4. — [4] *Rom.* ix, 8. — [5] *Matth.* xxiii, 37 *et Luc.* xiii, 34. — [6] *Luc.* xix, 41. — [7] *Apoc.* xxi, 2. — [8] II *Paralip.* xx, 17. — [9] *Psalm.* ciii, 1 *et* 2. — [10] *Id.* xxxiv, 10. — [11] *Tit.* i, 16. — [12] *Psalm.* cxlvii, 14. — [13] *Philipp.* iv, 7. — [14] *Psalm.* xiii, 3. — [15] II *Cor.* v, 1. — [16] *Gen.* xxx, 33. — [17] *Ose.* vi, 3.

[a] In Operibus S. Bernardi inscribitur: « De eo quod scriptum est: *O Juda et Jerusalem, cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum.* » (II *Paralip.* xx, 17.) Ex quibus verbis constat prima Antiphona Laudum Vigiliæ Nativitatis.

in quâ natus sum [1]; omnes enim in illâ nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus *dies illa, dies nebulæ et caliginis, dies tenebrarum et turbinis* [2], quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus qui dixit : *Aperientur oculi vestri* [3].

3. Ecce verò illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. *Hæc est dies quam fecit Dominus : exsultemus et lætemur in eâ* [4], quia cràs egrediemur. Undè, nisi de conclavi hujus sæculi, de ergastulo hujus corporis, de compedibus necessitatis, curiositatis, vanitatis et voluptatis, quæ etiam invitis nobis pedes tenent affectionis? Quid enim spiritui nostro cum terrenis? Cur non spiritualia desiderat, spiritualia quærit, spiritualia sapit? O spiritus, qui desursùm estis, quid vobis cum infimis? *Quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens : quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram* [5]. Sed *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [6]: necessitates multæ miseri hujus corporis detinent nos : viscus quidam pravi desiderii et delectationis terrenæ volare non patitur, et citiùs retrahit mentem, si fortè aliquandò sublevetur. Sed *nolite timere : cràs egrediemini de lacu miseriæ et de luto fæcis* [7]; nam ut indè vos educeret, *infixus est* ipse quoque *in limo profundi* [8]. Nolite ergò timere : cràs egrediemini de corpore mortis, et de omni corruptione peccati. Agite diem istum in Christo, ut ambuletis sicut ipse ambulavit : *Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare* [9]. *Nolite ergò timere, quia cràs egrediemini,* et sic semper cum Domino eritis : vel quia signanter dictum : *Et Dominus erit vobiscum*, sic intelligamus, ut dùm sumus in corpore, possimus nos esse cum Domino, id est, adhærere ejus voluntati; sed non ille nobiscum, ut consentiat voluntati nostræ; vellemus enim jàm liberi esse, concupiscimus dissolvi, egredi desideramus; sed adhuc differt ille certâ ex causâ. Cràs egrediemur, et Dominus erit nobiscum, ut quidquid voluerimus velit, et in nullo à nostrâ voluntate discordet.

4. Itaque, Juda et Jerusalem, nolite timere, si perfectionem quam desideratis, nondùm potestis adipisci; sed quod minùs habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis : *Et imperfectum vestrum viderunt oculi Dei* [10]. Propterea enim *mandata sua mandavit custodiri nimis* [11], ut videntes imperfectionem nostram deficere, et non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam, et dicamus : *Quoniam melior est misericordia tua super vitas* [12]; et qui non possumus in vestitu innocentiæ seu justitiæ, appareamus vestiti confessione; *confessio enim et pulchritudo in conspectu Domini* [13], si tamen sit, ut diximus, non oris tantùm, sed etiam totius hominis, ut *omnia ossa nostra dicant : Domine, quis similis tibi?* idque solius pacis intuitu, et desiderio reconciliationis ad Deum. Talibus enim dicitur : *O Juda et Jerusalem, nolite timere : cràs egrediemini,* id est, quàm citò à corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria, quibus per universum interim mundum dispersa et ligata tenebatur, dissolventur, et egredietur de visco hoc, *et Dominus erit vobiscum.* Nimis id quidem vobis videri potest, si tamen ad vos respicitis, et non ad ea quæ exspectant vos. Nonne hoc universus mundus exspectat? *Creatura enim subjecta est vanitati* [14], et cadente homine, quem *constituerat* Dominus *dominum domûs suæ, et principem omnis possessionis suæ* [15], tota simul hæreditas corrupta est. Indè distemperatus aer, *terra in operibus Adæ maledicta* [16], *et omnia subdita vanitati* [17].

5. Nec sanè reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes : undè et, juxta Apostoli testimonium, *ingemiscit quoque et parturit usquè adhuc* [18]. Nec *soli* utiquè *huic mundo, sed et Angelis, et hominibus spectaculum facti sumus* [19]: *Me*, inquit, *exspectant justi, donec retribuas mihi* [20]. Et Martyres, cùm judicii diem postularent, non tamquàm vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum : *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum* [21]. Acceperunt quidem jàm singulas stolas [22] : sed non vestientur duplicibus [23], donec vestiamur et nos. Vadia tenemus et obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Undè de Patriarchis et Prophetis ait Apostolus : *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur* [24]. O si cognosceremus et nos, quomodò exspectant, et quantùm desiderant adventum nostrum! Quam sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis!

6. Quid tamen de his loquor qui didicerunt ex his quæ passi sunt, compassionem, quandò et ipsi nos Angeli sancti desiderant? Nonne de vermiculis istis et de pulvere isto restaurandi sunt muri cœlestis Jerusalem? Putatis quantùm desiderant cives cœlestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodò solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Quomodò discurrunt medii inter nos et Deum, fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, et

[1] *Jerem.* XX, 14 *et Job*, III, 2. — [2] *Sophon.* I, 15. — [3] *Gen.* III, 5. — [4] *Psalm.* CXVII, 24. — [5] *Coloss.* III, 1 *et* 2. — [6] *Sap.* IX, 15. — [7] II *Paralip.* XX, 17 *et Psalm.* XXXIX, 3. — [8] *Psalm.* LXVIII, 2. — [9] I *Joan.* II, 6. — [10] *Psalm.* CXXXVIII, 16. — [11] *Id.* CXVIII, 4. — [12] *Id.* LXII, 4. — [13] *Id.* XCV, 6. — [14] *Rom.* VIII, 20. — [15] *Psalm.* CIV, 21. — [16] *Gen.* III, 17. — [17] *Eccle.* III, 19. — [18] *Rom.* VIII, 22. — [19] I *Cor.* IV, 9. — [20] *Psalm.* CXLI, 8. — [21] *Apoc.* VI, 11. — [22] *Ibid.* — [23] *Id.* XVIII, 6. — [24] *Hebr.* XI, 40.

ipsius nobis gratiam devotissimè reportantes? Planè non dedignabuntur ut simus eorum socii, quorum facti sunt jàm ministri: *Nonne enim omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis*[1]? Festinemus, obsecro, dilectissimi, festinemus: tota nos multitudo cœlestis curiæ exspectat. Exsultare Angelos fecimus, quandò conversi sumus ad pœnitentiam[2]: proficiamus, et festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi, quicumque es, qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum. Putasne, placatos habebis in judicio, quos tanto et tam sperato privare vis gaudio? Exsultaverunt, cùm nos ad pœnitentiam venimus, tamquàm super his quos ab ipsâ inferi portâ cernerent revocari. Quid nunc erit, si ab ipsâ paradisi januâ reverti viderint, et abire retrorsùm eos qui jàm pedem alterum in paradiso posuerunt? nam et si corpora inferiùs, sed corda sursùm.

7. Currite, fratres, currite: non soli Angeli, sed et ipse Angelorum vos Creator exspectat. *Nuptiæ paratæ sunt*, sed nondùm plena domus: adhuc exspectantur, de quibus nuptiæ impleantur[3]. Exspectat vos Pater et desiderat, non solùm *propter nimiam charitatem suam quâ dilexit vos*[4]: undè et *Unigenitus, qui in sinu Patris est, ipse et enarravit*[5]: *Pater*, inquiens, *amat vos*[6]; sed propter semetipsum, sicut loquitur per Prophetam: *Propter memetipsum ego faciam, non propter vos*[7]; quis enim implendum dubitet quod promisit Filio, dicens: *Postula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*[8]? et alibi: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*[9]. Non conterentur omnes inimici ejus, dùm nos, qui sumus membra ejus, aliquatenùs impugnabunt: non implebitur hæc promissio, donec *novissima inimica destruatur mors*[10]. Nam de Filio quis nesciat quantùm desideret fructum Nativitatis, et totius vitæ quam gessit in carne, deniquè fructum crucis et mortis suæ, pretium sanguinis pretiosi? Nonne *traditurus est regnum Deo et Patri*[11], quod acquisivit? Nonne ei restauraturus est creaturas suas, pro quibus Pater illum misit in terras? Exspectat nos et Spiritus sanctus; est enim charitas et benignitas, in quâ prædestinati sumus ab æterno: nec dubium quin prædestinationem suam velit impleri.

8. Ergò quia *paratæ sunt nuptiæ*, et omnis nos curiæ cœlestis frequentia desiderat et exspectat, *curramus, non quasi in incertum*[12], curramus desideriis et profectu virtutum: proficere, proficisci est. Dicamus singuli: *Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum*[13]: non sicut ego merui, sed sicut illi decreverint, *miserere*. Dicamus item: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*[14]; itemque: *Fiat voluntas tua*[15]. Scimus quoniam scriptum est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos*[16]? Aut *quis accusabit adversùs electos Dei*[17]? *Annon licet*, inquit, *mihi facere quod volo*[18]? Hæc sit interim consolatio nostra, charissimi, donec egrediamur, et Dominus sit nobiscum, qui magnâ suâ misericordiâ ad beatam illam egressionem, et ad clarum illud *cràs* nos perducat, et in hoc quoque proximo *cràs* visitare nos et nobiscum esse dignetur, ut si quis fortè in tentatione quâlibet detinetur, ipso miserante, qui *prædicare venit clausis apertionem*[19], cràs egrediatur: ut cum gaudio salutari suscipiamus coronam parvuli Regis nostri, ipso præstante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

✠ EJUSDEM SERMO III[*].

Num. I. Ecclesiæ judicium infallibile in usu et applicatione Scripturæ. — Dies mystici duo, unus hujus sæculi, alter futuri. Lumen divinum nobis necessarium. — 3. Judicii scientia nobis necessaria. — 4. Scientiæ hujus plures sunt gradus, dolor de peccatis, correctio, sollicitudo. — 5. Quæ felix conscientia? Securitas hîc nulla: semper timendum. — 6. Vigiliæ tres noctis exponuntur, rectitudo operis, puritas intentionis, custodia unitatis. — 7. Mixturæ tres mirabiles in Incarnatione. — 8. Prima, unio Dei et hominis. — 9. Secunda, unio virginitatis et maternitatis. Tertia, fidei et cordis humani unio. — 10. Commendatur cultus erga Mariam.

1. *Quippè terrigenæ et filii hominum, audite*[20]. *Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate*[21], quia veniet medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Venit quippè qui *projiciat in profundum maris omnia peccata nostra*[22], *qui sanet omnes infirmitates no-*

[1] *Hebr.* I, 14. — [2] *Luc.* XV, 10. — [3] *Matth.* XXII, 8. — [4] *Ephes.* II, 4. — [5] *Joan.* I, 18. — [6] *Id.* XVI, 27. — [7] *Ezech.* XXXVI, 22. — [8] *Psalm*, II, 8. — [9] *Id.* CIX, 1. — [10] 1 *Cor.* XV, 26. — [11] *Ibid*, 24. — [12] *Id.* IX, 26. — [13] *Id.* CXVIII, 132. — [14] *Luc.* XXII, 42. — [15] *Matth.* VI, 10. — [16] *Rom.* VIII, 31. — [17] *Ibid.* 33. — [18] *Matth.* XX, 15. — [19] *Isai.* LXI, 1. — [20] *Psalm.* XLVIII, 2 et 1. — [21] *Isai.* XXVI, 19. — [22] *Mich.* VII, 19.

[*] In Opp. S. Bernardi inscribitur: « In illud: *Hodiè scietis quia veniet Dominus, et manè videbitis gloriam ejus.* » (*Exod.* XVI, 6 *et* 7.) Quæ sunt verba Invitatorii, Versûs et Responsorii, secundæ Antiphonæ et Responsorii brevis ad Tertiam in Vigiliâ Nativitatis Domini.

stras [1], qui nos propriis humeris ad propriæ dignitatis reportet originem. Magna est ista potentia; sed plùs est miranda misericordia, quòd sic venire voluit, qui potuit subvenire : *Hodiè*, inquit, *scietis quia veniet Dominus.* Verba hæc quidem suo loco et tempore in Scripturâ posita sunt : sed non incongruè illa Vigiliæ Dominicæ Nativitatis Ecclesia mater aptavit; Ecclesia, inquam, illa quæ secum habet consilium et spiritum Sponsi et Dei sui, cui dilectus inter ubera commoratur [2], ipsam cordis sui sedem principaliter possidens et conservans. Nimirùm ipsa est quæ vulneravit cor ejus [3], et in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit, ut et illi in suo, et sibi in ejus corde perennem faciat mansionem. Cùm ergò ipsa in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio quàm positio prima verborum, et fortassis tantò fortior, quantùm distat inter figuram et veritatem, inter lucem et umbram, inter dominam et ancillam [a].

2. *Hodiè scietis, quia veniet Dominus.* Secundùm æstimationem meam, duo in verbis istis dies nobis expressiùs commendantur. Primus, qui à primi hominis lapsu labitur usquè ad finem mundi : dies cui sancti sæpiùs maledixisse noscuntur; ab illâ enim lucidissimâ die, in quâ conditus fuerat Adam, ejectus est; et in has rerum contrusus angustias, diem tenebrosum incurrit, et penè à lumine veritatis exstinctus. In hâc die nascimur universi, si tamen dies debet, et non potiùs nox vocari, nisi quòd lumen rationis quasi quamdam scintillulam nobis insuperabilis illa misericordia dereliquit. Secunda verò dies erit *in splendoribus Sanctorum* [4] in perpetuas æternitates [5], cùm inclaruerit illud serenissimum mane, qui est misericordia repromissa, et *absorpta erit mors in victoriâ* [6]; cùm dimotis umbris et tenebris, splendor veræ lucis sursùm et deorsùm, intùs et exteriùs cuncta pariter occupabit : *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam* [7], ait Sanctus; et : *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ* [8]. Sed ad nostrum diem revertamur, qui tamquàm *custodia in nocte* [9] pro suâ brevitate dicitur, qui tamquàm nihilum et inane [10] ab illo familiari Spiritûs sancti organo nominatur, cùm dicit : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt* [11]; et : *Defecerunt sicut fumus dies mei* [12]; et : *Dies mei sicut umbra declinaverunt* [13]. *Parvi et pessimi sunt omnes dies vitæ meæ* [14], ait ille sanctus Patriarcha, qui vidit Dominum facie ad faciem, qui cum eo tàm familiariter loquebatur. Et quidem in hâc ipsâ die homini Deus rationem præstat, tribuit intelligentiam; sed necesse est ut exeuntem de hoc mundo illuminet lumine scientiæ suæ, ne, si de domo carceris et umbrâ mortis exstinctus exierit, illuminari non valeat in æternum. Ideò quippè Unigenitus Dei, Sol justitiæ, tamquàm immensi et præclari luminis cereus, in hujus mundi carcerem illuminatus est et accensus, ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur, ut nihil medium inter illos sit et ipsum. Peccata enim nostra separant inter nos et Deum; sed, illis sublatis, vero lumini illuminandi et quasi concorporandi, connectimur in idipsum, sicut lumen exstinctum lumini lucenti et ardenti sine aliquo medio conjungitur ut illuminetur, quatenùs per exemplum visibilium, effectus rerum invisibilium cognoscamus.

3. Ad hoc igitur tàm magnum et præfulgidum sidus, juxta Prophetam, illuminemus nobis lumen scientiæ [1], priusquàm de mundi hujus tenebris exeamus, ne de tenebris transeamus ad tenebras, et tenebras sempiternas. Quæ est autem illa scientia? Profectò scire quia veniet Dominus, etsi quandò veniet scire non possemus. Hoc est illud totum quod postulatur à nobis. At, inquis, illa scientia omnium est; quis enim nesciat vel nomine tenùs fidelis, quia veniet Dominus, quia *venturus est judicare vivos et mortuos* [2], *et reddere unicuique juxta opera sua* [3]? Non omnium ista est scientia, fratres mei, sed nec multorum : paucorum est, quia reverà pauci sunt qui salvantur. Putasne quia illi *qui, cùm malefecerint, lætantur et exsultant in rebus pessimis* [4], vel sciant, vel recogitent quia veniet Dominus? Si dixerint ipsi, tu noli credere, quia *qui dicit se nôsse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* [5]. *Confitentur*, ait Apostolus, *se nôsse Deum; factis autem negant* [6]; *quia fides sine operibus mortua est* [7]. Non enim se ità omni impuritate polluerent, si Dominum venturum scirent vel formidarent; sed vigilarent utiquè, et non sinerent tàm graviter perfodi conscientias suas.

4. Scientia autem ista in primo gradu operatur pœnitudinem et dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat, et incipiant tibi displicere quæ vehementer antè placuerant, et illa specialiter horreas quæ specialiter appetebas; sic enim scriptum est : *Quia qui addit scientiam, addit et dolorem* [8], ut veracis et sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumen-

[1] *Psalm.* CII, 3. — [2] *Cant.* I, 12. — [3] *Id.* IV, 9. — [4] *Psalm.* CIX, 3. — [5] *Dan.* XII, 3. — [6] I *Cor.* XV, 54. — [7] *Psalm.* CXLII, 8. — [8] *Id.* LXXXIX, 14. — [9] *Ibid.* 4. — [10] *Ibid.* 5. — [11] *Ibid.* 9. — [12] *Id.* CI, 4. — [13] *Ibid.* 12. — [14] XLVII, 9.

[a] Quanti Bernardus faciebat Ecclesiæ universæ Decreta, qui tantam ejus auctoritatem etiam in accommodatitio Scripturæ sensu agnoscebat, qualem certè nec ipsa exigit!

[1] *Osc.* X, 12 *juxta* LXX *Interpretes.* — [2] II *Tim.* IV, 1. — [3] *Matth.* XVI, 27. — [4] *Prov.* II, 14. — [5] I *Joan.* II, 4. — [6] *Tit.* I, 16. — [7] *Jac.* II, 20. — [8] *Eccle.* I, 18.

tum. In secundo verò gradu operatur correctionem, ut jàm *non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato,* sed coerceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, *et facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati antè servierat* [1]. Pœnitudo enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: *Unus ædificans, et unus destruens, quid prodest eis nisi labor? Unus orans, et unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur à mortuo, et iterùm tangit eum, nihil proficit lavatio ejus* [2]; sed, juxta Salvatoris sententiam, verendum est *ne ei aliquid deterius contingat* [3]. Sed quia hæc diutiùs haberi non possunt, nisi circa se multâ circumspectione mens indefessa vigilet et attendat, in tertio gradu operatur sollicitudinem, ut jàm sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, et ex omni parte scrutetur ne vel in levissimâ re tremendæ illius majestatis offendat aspectus. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, ut interiùs et exteriùs renovetur.

5. Hic jàm respirare incipit à tribulatione malorum et dolore, et timoris magnitudinem spirituali lætitiâ temperare, ne suorum enormitate scelerum abundantiori tristitiâ absorbeatur. Hinc, etsi timet à Judice, sperat à Salvatore, cùm jàm in animo ejus timor et lætitia obequitent et obvient sibi, plerumquè timor lætitiam superet, lætitia sæpiùs timorem excludat, et intra sui gaudii concludat arcanum. Felix conscientia, in quâ luctamen hujusmodi indesinenter conficitur, donec *quod mortale est absorbeatur à vitâ* [4], donec evacuetur timor qui ex parte est, et succedat lætitia : quod perfectum est, quia non timor sempiternus, sed *lætitia sempiterna erit ei* [5]. Jàm verò sic ardens et lucens, nondùm in domo se esse confidat, ubi sine omni timore ventorum accensum lumen soleat deportari, sed meminerit se esse sub dio, et utrâque manu studeat operire quod portat; nec credat aeri, etiamsi videat esse tranquillum. Repentè enim, et horâ quâ non putaverit, mutabitur; et si vel ad modicum manus remiserit, lumen exstinguetur. Quod si etiam ardor portantis manus, ut quandoquè fieri solet, adusserit, eligat potiùs pati quàm retrahere manus suas, quia in momento, in ictu oculi poterit exsufflari. Si essemus *in domo illâ non manufactâ, æternâ in cœlis* [6], ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus malignissimis et validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo et mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur exstinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, et ità te repentè turbantes, ut vix prænoscere valeas, undè venias, aut quò vadas. Ex quibus etsi duo sæpiùs intermittunt, à tertio tamen nemo umquàm sufflandi inducias extorsit. Ideò utrisque manibus et cordis et corporis, anima est tegenda, ne fortè quæ jàm illuminata fuerat, exstinguatur; nec cedendum vel recedendum, etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer afflixerit, sed dicendum cum Sancto : *Anima mea in manibus meis semper* [7]. Eligamus potiùs ardere quàm cedere. Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facilè obliviscimur; sic numquàm obliviscamur negotium animarum nostrarum, et illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris.

6. Cùm ergò sic *lumbi nostri præcincti fuerint, et lucernæ ardentes* [8], custodiendæ sunt vigiliæ noctis supra gregem cogitationum et actionum nostrarum, ut, *si in primâ vigiliâ, vel secundâ, vel tertiâ Dominus venerit, paratos nos inveniat* [9]. Prima vigilia est rectitudo operis, ut ad hanc quam jurâsti Regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui in omnibus viæ et vitæ hujus exercitiis, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram. Secunda, puritas intentionis, ut *simplex oculus totum corpus lucidum faciat* [10], quatenùs quidquid feceris, propter Deum facias, et ad locum undè exeunt gratiæ revertantur, ut iterùm fluant. Tertia est custodia unitatis, ut in congregatione positus, voluntatis aliorum tuis voluntatibus anteponas, ut non solùm sine querelâ, sed et cum gratiâ inter fratres maneas, portans omnes, orans pro omnibus, ut et de te quoque dicatur : *Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est qui multùm orat pro populo et pro sanctâ civitate Jerusalem* [11]. Ità ergò in hâc die, adventus Unigeniti nobis veram scientiam accendit, scientiam, inquam, illam quæ nos doceat quia veniet Dominus, quæ sit morum nostrorum perpetuum et stabile fundamentum.

7. *Et manè,* inquit, *videbitis gloriam ejus.* O mane, *ô dies, quæ melior est in atriis Domini super millia* [12], quandò erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato, cùm splendor lucis et fervor charitatis usquè in altissima illa magnalia terrarum incolas illustrabit, quis de te cogitare, nedùm aliquid præsumat recitare? Interim tamen ædificemus, fratres, fidem nostram, ut si mirabilia illa quæ nobis reservantur, videre non possimus, saltem mirabilia quæ propter nos in terris facta sunt, aliquantulùm contemplemur. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione nostræ carnis, ità singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint ampliùs super terram. Conjuncta quippè sunt

[1] *Rom.* VI, 13 *et* 19. — [2] *Eccli.* XXXIV, 28-30. — [3] *Joan.* V, 14. — [4] II *Cor.* V, 4. — [5] *Isai.* LXI, 7. — [6] II *Cor.* V, 1. — [7] *Psalm.* CXVIII, 109. — [8] *Luc.* XII, 35. — [9] *Ibid.* 38. — [10] *Id.* XI, 34. — [11] II *Machab.* XV, 14. — [12] *Psalm.* LXXXIII, 11.

ad invicem Deus et homo, Mater et Virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ (et omni miraculo mirabilius), quomodò tàm diversa tàmque divisa ac invicem, invicem potuere conjungi?

8. Et primò quidem intuere creationem, positionem, et dispositionem rerum : quanta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia, in compositione quanta benignitas. In creatione, vide quàm multa et quàm magna potenter creata sunt : in positione, quàm sapienter cuncta locata sunt : in compositione, quàm benignè suprema et infima connexa sunt tàm amabili quàm admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, undè surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solùm vitam habeant, sed et sentiant, quinquepertità sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solùm vivunt, sentiunt, sed et discernunt inter commodum et incommodum, inter bonum et malum, inter verum et falsum. Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori glorià sublimare, et contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in personà unà sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo : et tamen tantà dignatione Deus descendit in limum, tantàque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur tàm ineffabili quàm incomprehensibili sacramento. Et attende quia, sicut in illà singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantià ; sic in istà speciali commixtione trinitas est in substantiis, in personà unitas : et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem ; ità et hìc persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem : opus mirabile, opus singulare inter omnia et super omnia opera sua! Verbum enim, et anima, et caro in unam convenere personam; et hæc tria unum, et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Hæc est prima et superexcellens mixtura; et hæc prima inter tres. Adverte, homo, quia limus es, et non sis superbus : quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus.

9. Secunda mixtura est, Virgo et Mater, admirabilis planè et singularis. A sæculo non est auditum quòd virgo esset quæ peperit, quòd mater esset quæ virgo permansit. Numquàm, juxta rerum ordinem, virginitas est, ubi fecunditas prædicatur ; nec fecunditas, ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in quà virginitas et fecunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factum est quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Tertia est fides et cor humanum; et hæc quidem primà et secundà inferior, sed non minùs forsitan fortis. Mirum enim est quomodò cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodò credi potuit quòd Deus homo esset, quòd virgo manserit quæ peperisset. Sicut ferrum et testa jungi non possunt; sic et hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritus Dei. Ergòne credendum est quòd iste Deus sit qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, et inter duos lapides concluditur, excelsus et immensus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est, in convivio, in thalamo, qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, et solus cum solà tàm longinquam, tàm secretam conficit viam? Quomodò potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum? Et tamen tàm facilè, tàm potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes et virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab istà fide deficere.

10. Et hæc quidem mixtura excellens, sed excellentior est secunda, tertia verò excellentissima est. Primam auris audivit, sed oculus non vidit, quia auditum est et creditum usquè in fines terræ magnum illud pietatis sacramentum ; sed tamen oculus, Deus, non vidit absque te, quomodò te intra virginei ventris angustias humano corpori conjunxisti. Secundam oculus vidit, quia se fecundam et virginem illa singularis Regina conspexit, quæ *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* [1]: cognovit et Joseph, non minùs testis quàm custos tantæ virginitatis. Tertia in cor hominis ascendit, cùm quod factum est, sicut factum est creditum est, cùm magis oraculo quàm oculo credimus, cùm quæ dicta vel facta sunt, tenemus firmissimè, nullatenùs dubitantes. In primà vide quid, in secundà per quid, in tertià propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem. In primà remedium est, quia ex Deo et homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Confusæ sunt autem et commixtæ hæ duæ species in utero Virginis, tamquàm in mortariolo, sancto Spiritu, tamquàm pistillo, illas suaviter commiscente; sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid

[1] *Luc.* II, 19.

haberes, quæ per hoc quòd mater est, genuit tibi Deum, per hoc quòd Virgo est, exaudita est pro reverentiâ suâ in causâ tuâ et totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei ut *salvaretur per filiorum generationem*[1]*:* si sola virgo, sufficeret sibi, nec *benedictus fructus ventris ejus*[2] mundi pretium esset. Cùm ergò in primâ sit remedium, in secundâ adjutorium est, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. In tertiâ autem meritum est, quia, cùm hæc firmiter credimus, jam meritum habemus: et in fide sanitas est, quia *qui crediderit, salvus erit*[3].

✠ EJUSDEM SERMO IV[a].

Num. 1. Consolatio mundi vilis et noxia. *Læva Christi* merita, et *ejus dextera* præmia continet. — 2. Conceptus sine pudore. — 3. Partus sine dolore. — 4. Maternitas sine corruptione. — 5. Proles sine omni labe peccati. — 6. Mira hæc absconsa. Christi humilitas in Nativitate — 7. Charitas in passione. Christi crux homo. — 8. Majestas Christi in gloriâ. Pax plena et perfecta alteri vitæ reservatur. — 9. Superbia detestanda: superbus omnis extollitur supra Deum. Beatitudo lux est, pax et fons. — 10. Quærendus est Dominus, dùm inveniri potest, et invocandus, dùm propè est.

1. Hodiernum quidem sermonem Ordinis nostri consuetudo non exigit[b]: sed crastinâ opus erit circa Missarum solennia diutiùs occupari, et hora brevis, sermonis longitudinem non admittet. Propter eà non abs re puto præparare hodiè corda vestra tantæ solennitati, præsertim cùm sit profundissima sacramenti hujus et incomprehensibilis altitudo, et tamquàm fons vitæ quò magis hauriatur, eò magis exuberans numquàm valeat exhauriri. Deniquè scio quemadmodùm abundet pro Christo tribulatio vestra, et utinàm abundet et consolatio vestra per ipsum[4]! Nam mundialem quidem consolationem vobis offerre nec libet, nec licet. Vilis est, et ad nihilum utilis hujusmodi consolatio: et, quod magis est metuendum, etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum. Propterea qui delectatio est et gloria Angelorum, ipse factus est et salus et consolatio miserorum: qui in civitate suâ magnus et sublimis valdè beatificat cives, ipse in exsilio parvulus et humilis valdè lætificat exsules: et qui in altissimis est gloria Patris, factus est in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis[5]. Parvulus enim datus est[6] parvulis, ut magnus detur magnis: et quos justificat parvulus, magnificet postmodùm et glorificet magnus et gloriosus. Hinc sine dubio Vas electionis quod de plenitudine parvuli hujus acceperat[7] (licèt enim parvulus, sed plenus, *plenus gratiâ et veritate*[8], et *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*[9]), hinc utiquè Paulus eructat verbum illud bonum[10], quod his diebus frequenter audistis: *Gaudete in Domino semper, iterùm dico, gaudete*[11]: gaudete, *inquit*, de exhibitione, iterùm gaudete de promissione, quoniam et res plena gaudio est: gaudete, quia jàm percepistis dona *sinistræ:* gaudete, quia exspectatis præmia *dexteræ: Læva*, inquit, *ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*[12]. Læva quidem levat, dextera suscipit: læva medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat: in lævâ ejus merita, in dexterâ verò præmia continentur: in dexterâ, inquam, deliciæ, in sinistrâ sunt medicinæ.

2. Sed attende pium medicum, attende medicum sapientem. Considera diligentiùs quàm nova medicamina portet: vide quàm non modò pretiosas, sed et speciosas attulerit medicinas, non solùm perutiles ad sanitatis fructum, sed et delectabiles ad aspectum, et suaves ad gustum. Deniquè primam ejus medicinam, primum quod in sinistrâ portat, at-

[1] I *Tim.* II, 15.— [2] *Luc.* I, 42.— [3] *Marc.* XVI, 16.— [4] II *Cor.* I, 5.— [5] *Luc.* II, 14.— [6] *Isai.* IX, 6.— [7] *Joan.* I, 16. — [8] *Ibid.* 14. — [9] *Coloss.* II, 9. — [10] *Psalm.* XLIV, 2. — [11] *Philipp.* IV, 4. — [12] *Cant.* II, 6.

[a] In Operibus S. Bernardi hìc Sermo inscribitur: « De medicinâ *lævæ*, et deliciis *dexteræ Excelsi.* »

[b] Quibus diebus Sermones *in Capitulo* apud Cistercienses quondàm haberi mos erat, declarant usus Cistercienses in Cap. 67: nempè dies « Natalis Domini, Apparitionis, in Ramis palmarum, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, omnium Solennitatum sanctæ Mariæ, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, Natalis Apostolorum Petri et Pauli, in Solennitate sancti Benedicti, et omnium Sanctorum, atque in Dominicâ 1 Adventûs. » Nulla usquàm mentio de privatis ac feriatis diebus, in quibus tamen Bernardus sæpissimè conciones habebat. Undè in hoc Sermone: « Hodiernum quidem Sermonem Ordinis nostri consuetudo non exigit: » Undè etiam in Sermone 1 de Septuagesimâ, n. 2: « Sæpiùs loquor vobis, *inquit*, etiam præter consuetudinem Ordinis nostri. » Cur verò id faceret vir religiosissimus et disciplinæ regularis studiosissimus, duæ causæ inveniuntur: una est mandatum primorum Ordinis Patrum, qui Bernardo, laborem corporis vix sustinenti, in compensationem id spiritualis operis imposuerant: altera est ardens de suorum profectu charitas et studium.

tende; et conceptum invenies sine semine. Intuere, obsecro, quale sit istud, quàm novum! quàm admirabile! quàm amabile! quàm jucundum! Quid enim pulchrius quàm generatio casta? Quid gloriosius quàm sancta et sincera conceptio, in quâ nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis? At quoniam minùs fortassis detineret nos, grata licèt, admiratio novitatis, nisi fructus quoque salutis et utilitatis consideratio animum delectaret, conceptus iste, non modò gloriosus in ipsâ quasi exteriori specie, sed et pretiosus in interiori virtute, ut, secundum quod scriptum est, in sinistrâ Domini gloria simul et divitiæ inveniantur [1]; divitiæ, inquam, salutis, cum gloriâ novitatis; *quis* enim *potest facere mundum de immundo conceptum semine*, nisi qui solus sine omni illicitâ et immundâ conceptus est voluptate [2]? In ipsâ radice et origine meâ infectus et inquinatus sum: immunda est conceptio mea, sed est à quo tollatur ista confusio: ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit.

3. Divitias salutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Christi purissimam conceptionem. Adde adhuc, Domine Jesu, *innova signa, immuta mirabilia* [3]: nam priora quidem ipsâ consuetudine viluerunt. Planè enim solis ortus et occasus, terræ fecunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt, et magna miracula: sed totiès hæc vidimus, ut jàm non sit qui attendat: *innova signa, et immuta mirabilia. Ecce*, ait, *nova facio omnia* [4]. Quis hoc ait? *Agnus* utiquè *qui sedebat in throno* [5]: Agnus planè totus suavis, totus delectabilis, deniquè *totus unctus*; hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod est Christus. Cui poterit asper aut durus videri, qui nec ipsi matri in Nativitate quidquam asperitatis, quidquam intulit læsionis? O nova verè miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ: peperit enim filium sine dolore [6]: mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, et, sicut prædictum est per Angelum Gabrielem, *benedicta tu in mulieribus* [7]. O beata sola inter mulieres benedicta, et non maledicta! sola à generali maledicto libera, et à dolore parturientium aliena! Nec mirum, fratres, si dolorem non intulit matri, qui dolores totius mundi tulit, secundum quod Isaias ait, quia *verè languores nostros ipse tulit* [8]. Duo sunt quæ timet humana fragilitas, pudor et dolor. Utrumque Christus tollere venit, undè et utrumque suscepit, quandò (ut cætera sileam) morte, et morte turpissimâ condemnatus est ab iniquis [9]. Itaque ut fiduciam nobis daret quòd tolleret hæc à nobis, priùs matrem suam immunem ab utroque servavit, ut nec in conceptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris existeret.

4. Accumulantur adhuc divitiæ, crescit gloria, innovantur signa, et miracula immutantur. Non solùm sine pudore conceptus, et sine dolore partus; sed et mater est sine corruptione. O verè novitas inaudita! Virgo peperit, et post partum inviolata permansit, fecunditatem prolis cum carnis integritate, et gaudium matris habens cum virginitatis honore. Jàm securus exspecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne meâ, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in matre suâ. Facile erit ei, per quem mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut et corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo [10].

5. Habes tamen adhuc majores divitias, habes gloriam ampliorem. Mater est sine corruptione virginitatis, Filius sine omni labe peccati. Non cadit in matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de quâ dictum est per Prophetam: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram* [11]. Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imò et veritas ipsa: *Ecce Agnus sine maculâ* [12]. *Agnus Dei qui tollit peccata mundi* [13]. Quis enim peccata meliùs tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est [14]. Iste meo festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo [15].

6. Vidimus certè divitias salutis et vitæ: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre* [16]. Quæris à quo Patre? *Et Filius Altissimi vocabitur* [17]. Manifestum est quis Altissimus sit. Sed ne quis remaneat locus dissimulationis: *Quod ex te nascetur Sanctum*, ait Angelus Gabriel ad Mariam, *vocabitur Filius Dei* [18]. O verè sanctum! *Non dabis, Domine, Sanctum tuum videre corruptionem* [19], quod nec matri quidem abstulit incorruptionem. Crescunt miracula, multiplicantur divitiæ, thesaurus aperitur. Quæ generat, et mater et virgo est: qui generatur, et Deus et homo est. Sed numquid dabitur sanctum canibus, aut margaritæ porcis [20]? Abscondatur certè thesaurus noster in agro [21], et pecunia nostra in sacculo reponatur [22]. Operiatur conceptus sine semine matris desponsatione, partus sine dolore vagitibus parvuli et mœrore. Abscondatur et parturientis incorruptio legali purificatione [23], infantis in-

[1] *Prov.* III, 16. — [2] *Job*, XIV, 4. — [3] *Eccli.* XXX, 6. — [4] *Apoc.* XXI, 5. — [5] *Ibid.* — [6] *Gen.* III, 16. — [7] *Luc.* I, 42. — [8] *Isai.* LIII, 4. — [9] *Sap.* II, 20. — [10] I *Cor.* XV, 33. — [11] *Job*, XV, 14. — [12] *Exod.* XII, 5. — [13] *Joan.* I, 29. — [14] *Id.* IX, 6 *et* 7. — [15] *Matth.* VII, 5. — [16] *Joan.* I, 14. — [17] *Luc.* I, 32. — [18] *Ibid.* 35. — [19] *Psalm.* XV, 10. — [20] *Matth.* VII, 6. — [21] *Id.* XIII, 44. — [22] *Gen.* XLII, 25. — [23] *Luc.* II, 22.

nocentia solità circumcisione[1]. Absconde[a], inquam, absconde, Maria, novi Solis fulgorem : pone in præsepio, involve pannis infantem[2]: nam et ipsi panni divitiæ nostræ sunt; pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpurâ, et gloriosius hoc præsepe auratis regum soliis : ditior deniquè Christi paupertas cunctis opibus cunctisque thesauris. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur, quâ nimirùm regnum cœlorum emitur, et divina gratia acquiritur, sicut scriptum est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*[3]; et apud Apostolum : *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam*[4]? Habes commendatam à Deo humilitatem in Nativitate; in hâc enim *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo*[5].

7. Vis adhuc pretiosiores divitias, et superexcellentem gloriam invenire? Habes charitatem in passione : *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*[6]. Hæ divitiæ salutis et gloria, sanguis pretiosus quo redempti sumus, et crux Dominica, in quâ cum Apostolo gloriamur : *Mihi autem*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*[7]; et dicebat : *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum*[8]. Ipsa est læva Christus Jesus, et hic crucifixus; nam dextera quidem Christus Jesus, et hic gloriosus : *Christum*, inquit, *Jesum, et hunc crucifixum.* Fortassè crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet : quam, si manus extenderit, exprimet manifestiùs. Loquitur autem Christus in Psalmo : *Infixus sum in limo profundi*[9]. Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus; sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc verò limus profundi : *Infixus sum*, inquit, non pertransii, non recessi : *Vobiscum sum usquè ad consummationem sæculi*[10]; ipse est enim Emmanuel, *Nobiscum Deus*, nobiscum utiquè, sed per sinistram. Sic enim olim Thamar pariente, Zara priùs solam protulit manum, quæ in sacramento Dominicæ passionis coccineo alligata est filo[11].

8. Itaque jàm quidem tenemus sinistram; sed adhuc clamare necesse est : *Operi manuum tuarum porrige dexteram*[12]; nam *delectationes in dexterâ tuâ usquè in finem*[13]. Domine, extende nobis dexteram, et sufficit nobis : *Gloria*, inquit, *et divitiæ in domo ejus*, utiquè qui *timet Dominum*[14]. Sed in domo tuâ, Domine, quid? Profectò gratiarum actio et vox laudis : *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine*, etc.[15]. *Oculus enim non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparâsti, Deus, diligentibus te*[16]. Lux est enim inaccessibilis, *pax est quæ exsuperat omnem sensum*[17], fons est qui ascensum nescit, sed descensum. Non vidit oculus lucem inaccessibilem, non audivit auris pacem incomprehensibilem : *speciosi* quidem *pedes Evangelizantium pacem*[18]; sed licèt *in omnem terram exierit sonus* eorum[19]; *pax* tamen *quæ exsuperat omnem sensum*, nec ab ipsis quanta erat potuit capi, nedùm aliorum auribus tradi; ait enim Paulus ipse : *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*[20]. *Fides quidem ex auditu, auditus autem per verbum Dei*[21]; sed fides, non species; et promissio, non exhibitio pacis. Et quidem *pax* nunc est etiam *in terrâ hominibus bonæ voluntatis*[22]; sed quid est pax ista ad illius plenitudinem et supereminentiam pacis? Undè et ipse Dominus ait : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*[23]. Meæ siquidem, *quæ exsuperat omnem sensum*, et est pax super pacem, necdùm capaces estis : propterèà do vobis patriam pacis, et relinquo interim viam pacis.

9. Sed quid est quod diximus : *In cor hominis non ascendit?* Utiquè quia fons est, et ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est, rivos sectari convallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est : *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ*[24]. Hoc autem est undè admonere sæpiùs studeo vestram charitatem, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*[25]. Fons enim ad altiora non ascendit quàm sit locus ejus undè procedit. Sed videri potest, secundum hanc regulam, impediri à superbiâ vias gratiæ, præsertim quòd ille primus superbus, qui, secundum Scripturam, *rex est super omnes filios superbiæ*[26], dixisse non legitur : Altior ero, sed : *Ero*, inquit, *similis Altissimo*[27]; attamen non mentitur Apostolus, *quoniam ille extollitur supra omne quod creditur aut quod colitur Deus*[28]. Horret humanus auditus verbum ; sed utinàm horreat similiter animus cogitatum malignum pariter et affectum! Dico enim vobis, quòd non tantùm ille, sed et omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, et superbus vult fieri suam. Jàm videtur æqualitas ; sed attende malè congruam proportionem. Deus quidem in his tantùm quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem ; superbus verò et

[1] *Luc.* II, 21. — [2] *Ibid.* 7. — [3] *Matth.* V, 3. — [4] *Jac.* IV, 6 *et* I *Petr.* V, 5. — [5] *Philipp.* II, 7. — [6] *Joan.* XV, 13. — [7] *Gal.* VI, 14. — [8] I *Cor.* II, 2. — [9] *Psalm.* LXVIII, 3. — [10] *Matth.* XXVIII, 20. — [11] *Gen.* XXXVIII, 27. — [12] *Job*, XIV, 15. — [13] *Psalm.* XV, 11. — [14] *Id.* CXI, 3 *et* 1. — [15] *Id.* LXXXVIII, 5. — [16] I *Cor.* II, 9. — [17] *Philipp.* IV, 7. — [18] *Rom.* X, 15. — [19] *Ibid.* 18. — [20] *Philipp.* III, 13. — [21] *Rom.* X, 17. — [22] *Luc.* I, 14. — [23] *Joan.* XIV, 27. — [24] *Psalm.* CIII, 10. — [25] *Jac.* IV, 6 *et* I *Petr.* V, 5. — [26] *Job*, XLI, 25. — [27] *Isai.* XIV, 14. — [28] II *Thess.* II, 4.

[a] *Aliàs*, ostende.

cum ratione et contra rationem. Vides quoniam altitudo est, et non illuc perveniunt fluenta gratiæ: *Nisi conversi fueritis*, inquit, et *efficiamini sicut parvulus iste* (se autem dicit, qui est fons vitæ, in quo habitat et undè manat plenitudo omnium gratiarum), *non intrabitis in regnum cœlorum* [1]. Para proindè rivulos, aggeres terrenæ et elatæ cogitationis disperge, conformare Filio hominis, non primo homini, quia fons gratiæ in cor hominis, carnalis scilicet et terreni, non ascendit. Oculum quoque purga, ut videre possis merissimam lucem; et aurem tuam inclina ad obediendum, ut quandoquè pervenias ad quietem perpetuam et pacem super pacem. Lux enim est propter serenitatem, pax propter tranquillitatem, fons propter affluentiam et æternitatem. Fontem assigna Patri, ex quo nascitur Filius, et procedit Spiritus sanctus: lucem Filio, qui est utiquè candor vitæ æternæ [2], *et lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum* [3]: pacem Spiritui Sancto, qui nimirùm super humilem et quietum requiescit. Nec hoc dico, tamquàm propria ista sint singulorum; nam et Pater lux est, ut sit Filius lumen de lumine; et Filius pax est, *pax nostra, qui fecit utraque unum* [4]: et Spiritus sanctus *fons est aquæ salientis in vitam æternam* [5].

10. Sed quandò ad hoc perveniemus? Quandò *adimplebis me*, Domine, *lætitiâ cum vultu tuo* [6]? Gaudemus in te, quoniam *visitâsti nos, oriens ex alto* [7]: iterùm gaudemus, *exspectantes beatam spem in adventu secundo* [8]. Sed quandò veniet plenitudo lætitiæ, non de memoriâ, sed de præsentiâ: de exhibitione, non de exspectatione? *Modestia vestra*, ait Apostolus, *nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est* [9]. Dignum est enim ut modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quàm ut immoderatè agat homo, conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus majestatis? *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum et humilis corde* [10], ut possit etiam modestia vestra innotescere cæteris. Jàm quod sequitur: *Dominus propè est*, de dexterâ debet intelligi; nam de sinistrâ ipse loquitur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem sæculi* [11]. Propè est Dominus, fratres mei, nihil solliciti sitis: in proximo est, et citiùs apparebit. Nolite deficere, nolite lassari: *quærite eum, dùm inveniri potest: invocate eum, dùm propè est* [12]. *Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde* [13]: *propè est exspectantibus eum, exspectantibus eum in veritate* [14]. Denique vis nôsse quàm propè est? Audi sponsam de sponso canentem, quoniam *ecce stat post parietem* [15]. Parietem istum, corpus tuum intellige, quod obstaculum impedit, ut eum qui propè est, nondùm valeas intueri. Proptereà Paulus ipse *dissolvi cupit, et cum Christo esse* [16], exclamans miserabiliùs: *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* [17]? Sic et Propheta in Psalmo: *Educ*, inquit, *de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo* [18].

✠ EJUSDEM SERMO V [a].

NUM. 1. Sanctificatio legalis et carnalis, nunc spiritalis et interna necessaria. — 2. Filii hujus sæculi in nocte et tenebris degunt. Desideria et peccata sunt opera tenebrarum. — 3. Viâ sanctitatis tendendum est ad visionem majestatis. — 4. Sine fide Deo, sine lenitate hominibus placere impossibile est. — 5. Fiducia in Deum. Fidere in se perfidiæ est. — 6. Mansuetudo necessaria ad perfectam sanctitatem. — 7. Futuræ vitæ quanta præmia. Desideria humana in tribus constituta sunt.

1. Celebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile sacramentum, jure quidem monemur, fratres, in omni sanctificatione præparari. Adest enim Sanctus sanctorum, adest ipse qui dixit: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum, Dominus Deus vester* [19]. Alioquin quomodò dabitur sanctum canibus, et margarita porcis [20], nisi priùs illi ab iniquitate, illi ab illicitâ voluptate purgati, de cætero totâ sollicitudine fugiant, illi quidem vomitum, isti volutabrum luti [21]? Susceptururus olim divina mandata carnalis Israel, sanctificabatur *in justitiis carnis, in baptismatibus variis, in muneribus et hostiis, quæ non po-*

[1] *Matth.* XVIII, 3. — [2] *Sap.* VII, 26. — [3] *Joan.* I, 9. — [4] *Ephes.* II. 14. — [5] *Joan.* IV, 14. — [6] *Psalm.* XV, 11. — [7] *Luc.* I, 78. — [8] *Tit.* II, 13. — [9] *Philipp.* IV, 5. — [10] *Matth.* XI, 29. — [11] *Id.* XXVIII, 20. — [12] *Isai.* LV, 6. — [13] *Psalm.* XXXIII, 19. — [14] *Id.* CXLIV, 18. — [15] *Cant.* II, 9. — [16] *Philipp.* I, 23. — [17] *Rom.* VII, 24. — [18] *Psalm.* CXLI, 8. — [19] *Levit.* XIX, 2. — [20] *Matth.* VII, 6. — [21] II *Petr.* II, 22.

[a] In Operibus S. Bernardi, hic Sermo inscribitur: « In illud: *Sanctificamini hodiè, et estote parati; die enim crastinâ videbitis majestatem Dei in vobis.* » Ex quibus verbis constat primum Responsorium ad Matutinum Vigiliæ Nativitatis Domini.

terant, juxta conscientiam perfectum facere servientem[1]. Verùm hæc quidem omnia transiere, nimirùm *usquè ad tempus correctionis imposita*[2], quod utiquè jàm advenit. Opportunè igitur ex hoc jàm perfecta nobis indicitur sanctificatio, interna mandatur ablutio, exigitur munditia spiritualis, dicente Domino: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[3]. Ad hoc vivimus, fratres, ad hoc nati, ad hoc vocati sumus, ad hoc nobis dies hodiernus illuxit. Erat aliquandò nox, quandò nemo poterat hæc operari[4]. Erat nox in universo orbe ante veri luminis ortum, ante Christi Nativitatem. Erat nox etiam singulis quibuscumque nostrûm ante suam cujusque conversionem et internam regenerationem.

2. Annon profundissima nox, et densissimæ tenebræ erant super universam faciem terræ[5], cùm olim patres nostri factitios colerent deos, et insano penitùs sacrilegio ligna et lapides adorarent? Annon etiam cuique nostrûm caliginosa nox erat, cùm tamquàm sine Deo in hoc sæculo viveremus, cùm ambularemus post concupiscentias nostras, cùm sectaremur carnis illecebras, cùm obtemperaremus desideriis sæcularibus, *cùm exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato*[6], *cùm serviremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc meritò erubescimus* tamquàm operibus tenebrarum[7]? *Qui dormiunt, nocte dormiunt*, Apostolus ait, *et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*[8]. *Et hæc quidem fuistis; sed excitati estis, sed sanctificati estis* [9], *si tamen filii lucis estis et filii Dei, non noctis, neque tenebrarum*[10]*;* siquidem præco diei est etiam qui clamat: *Sobrii estote, et vigilate*[11]. Et Judæis loquebatur in Pentecoste de condiscipulis : *Quomodò hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia*[12]*?* Hoc enim est quod ait ejus Apostolus : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honestè ambulemus*[13]. *Abjiciamus*, inquit, *opera tenebrarum*, somnolentiam scilicet et ebrietatem (quoniam, ut suprà meminimus, *qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*), ut tamquàm in die non dormitemus, sed ambulemus, atque hoc quidem honestè, non temulentè. Vides hominem, cujus ad omne bonum dormitat anima præ tædio ? *In tenebris est usquè adhuc*[14]. Vides inebriatum absinthio, *sapientem plùs quàm oportet, non ad sobrietatem*[15], cujus nec oculus visu, nec auris impleatur auditu, qui pecuniam aut simile aliquid diligens, non satietur, longam instar hydropici sitim bibens? Filius noctis est et tenebrarum. Nec facilè separantur hæc duo, dicente Scripturâ: *Quoniam in desideriis est omnis otiosus*[16], hoc est, in ebrietate omnis somnolentus. Sanctificemur ergò hodiè, et parati simus; parati quidem hodiè, nocturnum excutiendo soporem ; porrò sanctificati nihilominùs tamquàm in die ab ebrietate nocturnâ, cupidinis noxiæ frenando furorem; *in his enim duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ*[17], quæ sunt, declinare à malo, et facere bonum[18].

3. Verùm hoc hodiè; nam crastina nec in sanctificatione erit, nec in præparatione, sed in visione utiquè majestatis : *Crastinâ*, inquit, *die videbitis majestatem Dei in vobis*. Hoc est quod ait Patriarcha Jacob : *Cràs mihi respondebit justitia mea*[19]. Hodiè enim justitia colitur, cràs respondebit : hodiè exercetur, cràs fructificabit. Alioquin quod non seminaverit homo, nec metet[20]. Nec enim tunc videbit majestatem, qui contempserit interim sanctitatem : nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol justitiæ ortus non fuerit : nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna. Nimirùm idem ipse, qui hodiè quidem nobis factus est à Deo Patre justitia, *apparebit* cràs *vita nostra, ut et nos cum eo appareamus in gloriâ*[21]. Hodiè enim parvulus nascitur nobis, *ut non apponat homo magnificare seipsum*[22], sed convertamur magis, et efficiamur sicut parvuli[23]: cràs exhibebitur *magnus Dominus et laudabilis nimis*[24], ut ipsi quoque magnificemur in laude, *cùm* videlicet *erit unicuique laus à Deo*[25]. Nimirùm quos hodiè justificaverit, cràs magnificabit, et consummationi sanctitatis succedet visio majestatis. Nec inanis visio, quæ nonnisi in similitudine constat; *similes* enim *ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*[26]. Undè et hîc quoque non simpliciter dicitur : *Videbitis majestatem Dei :* sed additur signanter : *In vobis*. Hodiè nimirùm, tamquàm in speculo, nos in eo videmus, dùm nostra suscipit : cràs videbimus eum in nobis, quandò jàm sua donabit, cùm ostendet nobis seipsum, et assumet nos ad seipsum. Hoc est quod transeuntem sese ministraturum fore promisit[27], *de cujus* interim *plenitudine accipimus,* non sanè gloriam pro gloriâ, sed *gratiam pro gratiâ*[28], sicut scriptum est : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*[29]. Ne ergò contemnas priora munera, si sequentia concupiscis : nec fastidias prius edulium, si vis accipere quæ sequuntur : vel pro ipso ferculo in quo apponitur, quod apponitur sumere non recuses. Ferculum enim imputribile fecit sibi Pacificus noster, corpus incorruptibile aptans sibi, in quo salutis epulas mi-

[1] *Hebr.* IX, 9 *et* 10. — [2] *Ibid.* 23. — [3] *Matth.* V, 8. — [4] *Joan.* IX, 4. — [5] *Matth.* XXVII, 45. — [6] *Rom.* VI, 13. — [7] *Ibid.* 19 *et* 21. — [8] I *Thess.* V, 7. — [9] I *Cor.* VI, 11. — [10] I *Thess.* V, 5. — [11] I *Petr.* V, 8. — [12] *Act.* II, 15. — [13] *Rom.* XIII, 12 *et* 13. — [14] I *Joan.* I, 9. — [15] *Rom.* XII, 3. — [16] *Prov.* XXI, 25. — [17] *Matth.* XXII, 40. — [18] *Psalm.* XXXVI, 27. — [19] *Gen.* XXX, 33. — [20] *Gal.* VI, 8. — [21] *Coloss.* III, 4. — [22] *Psalm.* X, 18. — [23] *Matth.* XVIII, 3. — [24] *Psalm.* CXLIV, 3. — [25] I *Cor.* IV, 5. — [26] I *Joan.* III, 2. — [27] *Luc.* XII, 37. — [28] *Joan.* I, 16. — [29] *Psalm.* LXXXIII, 12.

nistraret : *Non dabis*, inquit, *Sanctum tuum videre corruptionem* [1] : illud utiquè de quo Gabriel ad Mariam : *Quod nascetur*, ait, *ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* [2].

4. Ab hoc igitur Sancto hodiè sanctificemur, ut majestatem ejus, ubi dies illa aspiraverit, videamus; siquidem dies sanctificatus illuxit nobis, dies salutis, non gloriæ aut felicitatis. Deniquè donec passio Sancti sanctorum annuntiatur, qui nimirùm in Parasceve passus est, id est, in die præparationis, meritò omnibus dicitur : *Sanctificamini hodiè, et estote parati.* Sanctificamini magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo, et estote parati perseverando. In quibus tamen sanctificabimur? Legi de quodam, dicente Scripturâ : *Quoniam in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum* [3]. Neque enim hominibus sine lenitate, non plùs quàm Deo sine fide [4], placere possibile est. Meritò sanè in his monemur esse parati, quibus et Deo conveniamus, cujus majestatem visuri sumus ; et nobis invicem, ut in nobis eam pariter videamus; propterea siquidem oportet nos *providere bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus* [5], ut non tantùm Regi nostro, sed et concivibus et commilitonibus nostris grati esse possimus.

5. Et quidem ante omnia fides quærenda est, de quâ legitur : *Fide mundans corda eorum* [6]. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi majestatem Dei videbunt* [7]. Crede ergò te Deo, committe te ei, *jacta in eum cogitatum tuum; et ipse te enutriet* [8], ut fiducialiter dicas : *Dominus sollicitus est mei* [9]. Neque enim hoc sapiunt *homines amantes seipsos* [10], homines scioli, solliciti pro seipsis, *curam carnis perficientes in desideriis* [11], surdi ad vocem dicentis : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; ipsi enim cura est de vobis* [12]; nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est; nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is verè fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, *factus sibi tamquàm vas perditum* [13], sed sic *perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam* [14]. Porrò id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima innitatur, sed deserens semetipsam *ascendat* jàm *de deserto, innixa super dilectum*, atque ideò *deliciis affluens* [15].

6. Sanè ut perfecta sit sanctificatio, et jàm mansuetudinem et socialis vitæ gratiam à Sancto sanctorum discamus oportet, sicut ipse ait : *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde* [16]. Quid enim hujusmodi hominem dicere prohibet deliciis affluentem, qui suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus omnia factus est, et universos profundit oleo quodam mansuetudinis et lenitatis, quo sic infusus est, sic perfusus etiam et superfusus, ut stillare videatur undiquè? Felix qui geminâ hâc sanctificatione paratus, dicere potest : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* [17]! *Habet* enim hodiè quidem *fructum suum in sanctificationem*, crastinâ die *finem habiturus vitam æternam* [18]. Videbit enim majestatem Dei, quod utiquè vita æterna est, sicut et Veritas ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* [19]. *Reddet ei coronam justitiæ justus Judex in illam diem* [20], cui sanè altera non succedet. *Tunc videbit et affluet, et mirabitur et dilatabitur cor ipsius* [21]. Quousquè dilatabitur? Usquè ad videndam in se majestatem Dei. Nolite arbitrari, fratres, quòd illam vobis promissionem verbis explicare possimus.

7. *Sanctificamini hodiè, et estote parati : crastinâ die videbitis*, et gaudebitis, et gaudium vestrum implebitur [22]. Quid enim majestas illa non impleat? Etiam superimplebit et supereffluet, quandò *mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinus vestros* [23]. Usquè adeò siquidem supereffluet, ut supra modum in sublimitate excedat non modò merita, sed et vota, sicut verè potens est facere supra quàm nos intelligere aut sperare possimus. Nam desideria quidem nostra in tribus maximè constituta videntur : quod decet, quod expedit, quod delectat. Hæc sunt quæ concupiscimus, omnes quidem omnia, sed alius magis hoc, alius illud. Ille sic deditus est voluptati, ut nec honestatem satis reputet, nec utilitatem : ille quæstui magis incubans, et honestum dissimulat et jucundum : ille voluptatis pariter et utilitatis negligentior, solum vel maximè honorem sectatur. Nec verò reprehensibile desiderium horum : sed si ibi quæreremus ea, verè inveniremus. Hæc enim ubi verè sunt, unum sunt : atque ipsum utiquè summum bonum, summa utilitas, summa gloria, summa voluptas. Atque hæc quidem, quantùm interim capere possumus, exspectatio nostra est, et promissa nobis visio majestatis in nobis, ut Deus sit omnia in omnibus, omne jucundum, omne utile, omne honestum.

[1] *Psalm.* XV, 10. — [2] *Luc.* I, 35. — [3] *Eccli.* XLV, 4. — [4] *Hebr.* XI, 6. — [5] *Rom.* XII, 17. — [6] *Act.* XV, 9. — [7] *Matth.* V, 8. — [8] *Psalm.* LIV, 23. — [9] *Id.* XXXIX, 18. — [10] II *Tim.* III, 2. — [11] *Rom.* XIII, 14. — [12] I *Petr.* V, 7. — [13] *Psalm.* XXX, 13. — [14] *Joan.* XII, 25. — [15] *Cant.* VIII, 5. — [16] *Matth.* XI, 29. — [17] *Psalm.* LVI, 8. — [18] *Rom.* VI, 22. — [19] *Joan.* XVII, 3. — [20] II *Tim.* IV, 8. — [21] *Isai.* LX, 5. — [22] *Joan.* XV, 11. — [23] *Luc.* VI, 38.

✠ EJUSDEM SERMO VI[a].

NUM. I. Christus qualis Salvator seu medicus? — 2. In Christo Salvatore tria consideranda. — 3. Olim et antè Christus natus est. — 4. Patrum antiquorum desideria erga Christum nasciturum. — 5. Majus est credere quàm videre. — 6. Nativitas debet semper nova videri. — 7. Nativitatis locus expensus. — 8. Bethleem moralis expositio. Oblivio quædam bona, quædam mala. — 9. Christus non amat cor titubans, sed stabile. Nemo tàm perfectus qui non egeat remissione peccatorum. — 10. Christus in quibus nascitur? Synagoga Christum protulit, sed abjecit.

1. Auditum audivimus plenum gratiâ, dignum acceptione : *Jesus Christus, Filius Dei, in Bethleem Judæ nascitur.* Anima mea liquefacta est in sermone isto, sed et spiritus meus in præcordiis meis æstuat, jucunditatem hanc et exsultationem solito vobis desiderio eructare festinans. Jesus interpretatur *Salvator.* Quid tàm necessarium perditis, quid tàm optabile miseris, quid tàm utile desperatis? Alioquin undè salus, undè vel tenuis aliqua spes salutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitiâ hâc diei et loco afflictionis, nisi nova nobis et insperata nasceretur? At tu fortè salutem optas; sed curationis acerbitatem, teneritudinis pariter et ægritudinis propriæ conscius, reformidas. Ne timeas : Christus est *suavis* planè, *et mitis, et multæ misericordiæ*[1], *unctus oleo lætitiæ præ participibus suis*[2], eis nimirùm qui, licèt non ipsam plenitudinem, de plenitudine tamen hujus accipiunt unctionis. Ne verò suavem audiens, inefficacem fore autumes Salvatorem, additur etiam : *Filius Dei.* Qualis enim Pater, talis Filius, cui subest, cùm voluerit, posse. Aut fòrsitan, utilitate salutis et jucunditate unctionis auditâ, nescio quid submurmuras, puto, etiam de honestate sollicitus. Salvatorem tibi gratularis adesse, ut potè jacens paralyticus in grabato[3], aut magis inter Jerusalem et Jericho semivivus in viâ[4]. Ampliùs autem lætaris nec durum esse medicum, nec gravibus uti medicinis, ne tibi forsitan intolerabilior videatur brevis ipsa curatio, quàm diuturna ægritudo. Sic nimirùm, sic usquè hodiè multi pereunt medicum fugientes, quòd Jesum quidem noverint, sed Christum nesciant, humano sensu de multitudine et malignitate morborum, paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes.

2. Jàm verò si certus es de Salvatore, et nihilominùs Christum esse cognoscis non utentem cauterio, sed unguento, non ustione, sed unctione curantem, unum adhuc arbitror ingenuam posse movere creaturam, ne fortè (quod absit!) Salvatoris hujus non satis condigna videatur esse persona. Puto tamen, non usquè adeò ambitiosus es, et gloriæ cupidus, aut zelator honoris, ut ab uno quopiam è conservis tuis, si præstare posset, hanc gratiam suscipere detrectares. Nam si Angelus aut Archangelus esset, vel ex superiori quovis ordine Spirituum beatorum, multò minùs animositas tua, quòd causaretur, haberet. Nunc autem tantò ampliore tibi devotione suscipiendus est iste Salvator, *quantò differentiùs præ cæteris omnibus nomen hæreditavit* Jesus Christus Filius Dei[5]. Et vide si non evidentiùs hæc tria ad pastores loquens Angelus commendavit, gaudium magnum quod evangelizabat, exponens : *Quia*, inquit, *natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus*[6]. Exsultemus igitur, fratres, in hâc Nativitate, et multipliciter gratulemur in eâ, quam et salutis utilitas, et unctionis suavitas, et Filii Dei majestas tàm eleganter illustrat, ut nihil desit ex omnibus quæ desiderantur, nec commodum, nec jucundum, nec honestum. Exsultemus, inquam, ruminantes intra nosmetipsos et invicem eructantes suave verbum, eloquium dulce : *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ.*

3. Nec mihi quid ad ista respondeat indevotus, ingratus, irreligiosus : Non est hoc novum : olim auditum est, olim factum est, olim natus est Christus. Ego enim dico : Olim et antè. Nec mirabitur, *olim et antè*, cui propheticum illud occurrerit : *In æternum et ultrà*[7]. Natus est ergò Christus, non modò ante hæc nostra tempora, sed ante tempora universa. Verùm illa quidem Nativitas posuit tenebras latibulum suum[8], imò verò lucem magis habitat inaccessibilem[9] : latet in corde Patris, in monte umbròso et condenso. Ut ergò aliquatenùs innotesceret, natus est; et in tempore natus ex carne, natus in carne factum est Verbum caro. Quid tamen mirum, si usquè hodiè dicitur in Ecclesiâ : *Christus Filius Dei nascitur*, quandò tàm longè anteà dicebatur, haud dubium quin de ipso : *Puer natus est nobis*[10]? Olim cœpit audiri verbum hoc, et nemo Sanctorum aliquandò fastidivit; siquidem Jesus Christus Filius Dei, heri, et hodiè, et in æternum[11]. Hinc nimirùm primus homo, omnium viventium pater, magnum eructans sacramentum, quod in Christo et in Ecclesiâ[12] Apostolus postmodùm evidentiùs commendavit : *Relinquet*, ait, *homo patrem et matrem, et*

[1] *Psalm.* LXXXV, 5. — [2] *Hebr.* I, 9. — [3] *Marc.* II, 4. — [4] *Luc.* X, 30. — [5] *Hebr.* I, 4. — [6] *Luc.* II, 11. — [7] *Exod.* XV, 18. — [8] *Psalm.* XVII, 12. — [9] I *Tim.* VI, 16. — [10] *Isai.* IX, 6. — [11] *Hebr.* XIII, 8. — [12] *Ephes.* V, 32.

[a] In Opp. S. Bernardi, hic Sermo inscribitur : « De annuntiatione Domini nascentis, quæ fit in Martyrologio. »

adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ[1].

4. Hinc nihilominùs *Abraham, pater omnium credentium, exsultavit ut videret diem hunc; et vidit, et gavisus est*[2]. Alioquin quandò servum jurantem sibi per Deum cœli, sub femore suo manum ponere præcepisset[3], nisi ipsum utiquè Deum cœli ex eodem nasciturum femore prævidisset? Hoc quoque consilium cordis sui homini secundum cor suum revelavit Deus, qui juravit veritatem, et non frustrabitur eum : *De fructu*, inquiens, *ventris tui ponam super sedem tuam*[4]. Undè et in Bethleem Judæ nascitur, sicut ait Angelus, civitate David[5]; utiquè propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum: *Hoc etiam multifariè multisque modis cæteris revelatum est patribus et Prophetis*[6]. Absit autem ut à diligentibus Deum aliquandò fuerit negligenter auditum! Nisi fortè negligere videbatur, qui dicebat: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es*[7]; aut fastidire, qui clamabat : *Utinàm dirumperes cœlos, et descenderes*[8], cæteraque similia. Idipsum deindè Apostoli sancti viderunt, et audierunt, *et manus eorum tractaverunt de Verbo vitæ*[9], quibus singulariter aiebat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*[10]. Postremò hoc idem nobis quoque servatum est fidelibus, utiquè thesauris fidei commendatum, ipso æquè dicente : *Beati qui non viderunt, et crediderunt*[11]. Pars nostra, hæc in Verbo vitæ[12]; nec sanè contemptibilis, ex quâ nimirùm vivitur, et quâ vincitur mundus; quoniam *justus ex fide vivit*[13]; et: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*[14]. Hæc est quæ velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul et præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil.

5. Meritò proindè in testimonium fidei vestræ, ubi facta est vox annuntiationis hujus in auribus vestris, exsultâstis in gaudio, egistis gratias, prostrati solo tenùs adorâstis, concurrentes velut sub umbrâ alarum ejus, et sub pennis ejus sperantes. Numquid non singuli, Nativitate Salvatoris auditâ, clamâstis in cordibus vestris, dicentes : *Mihi autem adhærere Deo bonum est*[15]? Aut potiùs illud quod idem Propheta ait : *Deo subjecta esto, anima mea*[16]? Infelix nimirùm quisquis fictè prostratus, corde rigido corpus humiliavit: *Est enim qui humiliatur nequiter; interiora autem ejus plena sunt dolo*[17]. Quisquis enim necessitatem suam minùs considerat, minùs sentit incommoda, minùs pericula pavet, minùs devotè confugit ad remedia ortæ salutis, minùs affectuosè se subjicit Deo, minùs fideliter psallit: *Domine, refugium factus es nobis*[18], hujus adoratio minùs accepta, hujus prostratio minùs verax, hujus humiliatio minùs habens, hujus etiam victoriosa minùs, imò et minùs vivida fides. Quid tamen dicit : *Beati qui non viderunt, et crediderunt?* quasi non videatur ipsum credere, quodammodò jàm videre. Sed adverte diligenter cui et quandò dictum sit : ei utiquè qui arguebatur quòd, quia vidisset, credidisset. Neque enim idipsum est vidisse, et ideò credidisse, quod credendo vidisse. Alioquin Abraham pater vester, quonam modo Dominicum hunc vidisse diem, nisi credendo, credendus est? Sed et illud quomodò accipietur quod hâc nocte cantatum est nobis : *Sanctificamini hodiè, et estote parati ; crastinâ enim die videbitis majestatem Dei in vobis*, si non mente videre, est pià devotione repræsentare et recolere fide non fictâ *magnum illud magnæ pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloriâ*[19]?

6. Semper igitur novum, quod semper innovat mentes; nec umquàm vetus, quod fructificare non cessat, quod in perpetuum non marcescit. Hoc est enim Sanctum, quod non datur videre corruptionem[20]. Hic novus homo, qui nullius umquàm vetustatis capax, etiam eos quorum *inveteraverunt omnia ossa*[21], in veram vitæ transferat novitatem. Indè est quòd, etiam in præsenti tàm jucundissimâ annuntiatione, si advertistis, congruè satis dicitur non tàm natus esse quàm nasci: *Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethleem Judæ.* Sicut enim quodam modo immolatur adhuc quotidiè, donec mortem ejus annuntiamus[22]; sic videtur et nasci, dùm fideliter repræsentamus ejus Nativitatem. Die igitur crastinâ videbimus majestatem Dei, sed sanè in nobis, non in seipso : utiquè majestatem in humilitate, virtutem in infirmitate, in homine Deum; ipse est enim Emmanuel, quod interpretatur : *Nobiscum Deus.* Et evidentius audi: *Verbum*, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis*[23]. Deniquè ex tunc et deinceps *vidimus gloriam ejus*, sed *gloriam quasi Unigeniti à Patre*, utiquè *plenum gratiæ vidimus et veritatis*[24]; non enim gloriam potestatis aut claritatis, sed gloriam paternæ pietatis, gloriam gratiæ de quâ Apostolus: *In laudem*, inquit, *gloriæ gratiæ suæ*[25].

7. Sic ergò nascitur. Sed ubi, putas? *In Bethleem Judæ*[26] : neque enim decet nos ità Bethleem præ-

[1] *Gen.* II, 24. — [2] *Joan.* VIII, 56. — [3] *Gen.* XXIV, 2-4. — [4] *Psalm.* CXXXI, 11. — [5] *Luc.* II, 4. — [6] *Hebr.* I, 1. — [7] *Exod.* IV, 13. — [8] *Isai.* LXIV, 1.— [9] I *Joan.* I, 1.— [10] *Luc.* X, 23. — [11] *Joan.* XX, 29. — [12] *Psalm.* LXXII, 26. — [13] *Rom.* I, 17. — [14] I *Joan.* V, 4. — [15] *Psalm.* LXXII, 28. — [16] *Id.* LXI, 6. — [17] *Eccli.* XIX, 23. — [18] *Psalm.* LXXXIX, 1. — [19] I *Tim.* III, 16. — [20] *Psalm.* XV, 10. — [21] *Id.* XXXI, 3. — [22] I *Cor.* XI, 26. — [23] *Joan.* I, 14. — [24] *Ibid.* — [25] *Ephes.* I, 6. — [26] *Luc.* II, 4.

terire. *Transeamus usquè Bethleem,* dicunt pastores[1], non Bethleem pertranseamus. Quid enim, si pauper viculus est? Quid, si videtur minima in Judæâ? Ne id quidem incongruum ei qui, *cùm dives esset, propter nos factus est pauper*[2]; et cùm esset *magnus Dominus et laudabilis nimis*[3], *parvulus natus est nobis*[4]; et dicebat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*[5]; itemque : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cœlorum*[6]. Undè etiam stabulum elegit et præsepe, utiquè domum luteam, et diversorium jumentorum, ut hunc esse scias qui *de stercore erigit pauperem*[7], et salvos facit homines et jumenta.

8. Utinàm autem inveniamur et nos Bethleem Judæ, ut in nobis quoque dignetur nasci, et audire mereamur : *Quia vobis timentibus Deum orietur Sol justitiæ*[8]! Fortè enim est hoc quod suprà meminimus, ad videndam in nobis Domini majestatem et sanctificatione opus esse et præparatione. Nam et juxta Prophetam, *facta est Judæa sanctificatio ejus*[9], quia videlicet omnia in confessione lavantur : et *domus panis*, quod Bethleem sonat, ad præparationem fortassè videbitur magnoperè pertinere. Quomodò enim ille paratus est, ut excipere tantum hospitem possit, qui dicit : *Quia non est in domo meâ panis*[10]? Deniquè quia imparatus erat quidam, necesse habuit amici ostium clausum mediâ nocte pulsare, et dicere : *Quia amicus meus venit ad me de viâ, et non habeo quod ponam ante illum*[11]. *Paratum cor ejus sperare in Domino,* ait Propheta, haud dubium quin de justo loquens : *confirmatum est cor ejus : non commovebitur*[12]. Non est paratum cor quod non est confirmatum. Scimus autem, ipso eodem teste Prophetâ, quòd *panis cor hominis confirmet*[13]. Non est ergò paratum, sed aridum et exsangue cor ejus qui *oblitus est comedere panem suum*[14]. *Est autem paratus et non turbatus, ut custodiat mandata vitæ*[15], *qui oblitus ea quæ retrò sunt, in ea quæ antè sunt se extendit*[16]. Vides quàm fugienda quædam, quàm sit quædam oblivio cupienda. Neque enim totus Manasses Jordanem transiit[17], sed nec totus citrà sibi elegit mansionem. Est qui *oblitus est Domini creatoris sui*[18], et est qui *providet eum in conspectu suo semper*[19], *oblitus populum suum, et domum patris sui*[20]. Et ille quidem cœlestia obliviscitur, hic verò quæ sunt super terram : iste præsentia, ille futura : iste *quæ videntur,* ille *quæ non videntur*[21] : postremò iste *quæ sua sunt*, ille *quæ Jesu Christi*[22]. Uterque Manasses, uterque obliviosus ; sed alter quidem Jerusalem, alter Babylonis oblitus : quia alter eorum quæ impediunt, et iste paratus; alter sanè eorum magis quæ expediunt et quæ non expedit oblivisci, atque hic penitùs imparatus ad videndam in se Domini majestatem. Neque enim est *domus panis*, in quâ Salvator oriatur : non est Manasses ille cui appareat, *qui Israel regit, et super Cherubim sedet : Appare,* inquit, *coram Ephraim, Benjamin et Manasse*[23]. Ego arbitror tres esse qui salvantur, quos alius quidam Propheta Noe, Danielem et Job nominavit[24] : eosdem quoque et tribus illis pastoribus designari, quibus, nato Angelo magni consilii, gaudium magnum Angelus evangelizavit[25][a].

9. Nunc verò redeamus *usquè Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est*, *quod fecit Dominus, et ostendit nobis*[26]. Domus panis est, ut jàm diximus : bonum est nos illìc esse. Ubi enim fuerit verbum Domini, non deest utiquè panis qui confirmet cor, dicente Prophetâ : *Confirma me in verbis tuis*[27]. Nimirùm *in verbo quod procedit de ore Dei, vivit homo*[28] : vivit in Christo, vivit in eo Christus[29]. Ibi oritur, ibi apparet : nec omninò amat cor titubans aut vacillans, sed stabile et confirmatum. Si quis murmurat, si quis hæsitat, si quis nutat, si quis cogitat revolvi in lutum, redire ad vomitum, deserere votum, mutare propositum suum, non est Bethleem iste, non est domus panis. Sola enim fames, et fames valida, in Ægyptum eum descendere, porcos pascere, siliquas esurire compellit, utpotè procul agentem à domo panis, à domo patris, in quâ etiam mercenarii panibus abundare noscuntur[30]. Non ergò in hujusmodi corde nascitur Christus, cui deest fidei fortitudo, utiquè panis vitæ, Scripturâ teste, quoniam *justus ex fide vivit*[31], quòd videlicet animæ vera vita, quæ ipse est, nonnisi per fidem interim habitet in cordibus nostris. Alioquin quomodò in illo nascitur Jesus, quomodò salus oritur illi, quandoquidem vera omninò certaque sententia est, quòd is tantùm *qui perseveraverit usquè in finem, salvus erit*[32]? Nam quòd minimè inveniatur in eo Christus, nec de eis sit quibus dicitur, *quia unctionem habetis*

[1] *Luc.* II, 15. — [2] II *Cor.* VIII, 9. — [3] *Psalm.* CXLIV, 3. — [4] *Isai.* IX, 6. — [5] *Matth.* V, 3. — [6] *Id.* XVIII, 3. — [7] *Psalm.* CXII, 7. — [8] *Malach.* IV, 2. — [9] *Psalm.* CXIII, 2. — [10] *Isai.* III, 7. — [11] *Luc.* XI, 6. — [12] *Psalm.* CXI, 7 *et* 8. — [13] *Id.* CIII, 15. — [14] *Id.* CI, 5. — [15] *Id.* CXVIII, 60. — [16] *Philipp.* III, 13. — [17] *Jos.* XIII, 7-33. — [18] *Deut.* XXXII, 18. — [19] *Psalm.* XV, 8. — [20] *Id.* XLIV, 11. — [21] II *Cor.* IV, 8. — [22] *Philipp.* II, 21. — [23] *Psalm.* LXXIX, 2 *et* 3. — [24] *Ezech.* XIV, 14. — [25] *Luc.* II, 10. — [26] *Ibid.* 15. — [27] *Psalm.* CXVIII, 28. — [28] *Matth.* IV, 14. — [29] *Galat.* II, 20. — [30] *Luc.* IV, 14-17. — [31] *Rom.* I, 17. — [32] *Matth.* X, 22.

[a] Bernardus hîc addit hos tres viros fortè esse Magos : de quo vide, infrà, Dissertationem ad calcem Festi Epiphaniæ positam.

à Sancto[1], ex eo vel maximè constat, quòd sine dubio etiam aruit cor illius, ex quo oblitus est comedere panem suum. Multò minùs autem ad Filium pertinet Dei, qui hujusmodi est, quòd nonnisi super quietum, et humilem, ac trementem verba sua requiescat spiritus ipsius[2], nec sit ulla societas æternitati, et tantæ mutabilitati; ei qui est, et ei qui *numquàm in eodem permanet statu*[3]. Cæterùm quamlibet firmi, quamlibet fortes in fide, quamlibet parati, quamlibet panibus abundantes, ipso quidem largiente, cui quotidiè orantes dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*[4], necesse habemus addere consequenter : *Dimitte nobis debita nostra*[5]. Alioquin, *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*[6]. Nimirùm veritas ipse est, qui non simpliciter in Bethleem, sed in Bethleem Judæ nascitur, Jesus Christus, Filius Dei.

10. *Præoccupemus* igitur *faciem Domini in confessione*[7], ut sanctificati pariter et parati inveniamur et nos Bethleem Judæ, atque ità nascentem Dominum videre mereamur in nobis. Cæterùm si qua anima eò usquè profecerit (quod quidem est multùm ad nos) ut sit fecunda virgo, sit stella maris, sit plena gratiâ, et supervenientem habens in se Spiritum sanctum, puto quod non modò in eâ, sed ex eâ quoque non dedignabitur nasci. Nemo sanè id sibi arrogare præsumat, nisi quos ipse speciali designatione tamquàm digito monstraverit, dicens: *Ecce mater mea, et fratres mei*[8]. Enimverò audi unum ex istis : *Filioli mei*, ait, *quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis*[9]. Si enim nasci videbatur in eis, cùm formabatur Christus in eis, quomodò non etiam ab eo similiter nasci eum dicere quis præsumat, qui in ipsis quodammodò parturiebat? Et tu quidem, impia Synagoga, hunc nobis filium peperisti, officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sinu tuo, extra civitatem ejiciens, et elevans super terram, tamquàm dicens Ecclesiæ Gentium, pariter et Ecclesiæ primitivorum, quæ est in cœlis: Nec mihi, nec vobis sit, sed dividatur. Dividatur, inquam, non inter utrasque, sed ab utrisque. Expulsum enim, et exaltatum, et elevatum, et quidem modicè satis, tamen ut nec in tuis esset mœnibus, nec in terrâ, ferro undiquè coarctâsti, ne fortè vel hàc vel illàc excederet, ut videlicet à te separatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirùm mater ità abortivum facere voluisti, dùm non esset qui excipere posset excussum. Age ergò : quid profeceris, imò quàm nihil profeceris intuere. Undiquè enim egrediuntur filiæ Sion, ut videant regem Salomonem in diademate quo coronâsti eum[10]. Relinquens matrem adhæret uxori suæ, ut sint duo in carne unâ[11]; et civitate pulsus, atque exaltatus[a] à terrâ, omnia trahit ad se[12], quippè qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen[13].

✠ EJUSDEM SERMO VII[b].

NUM. 1. Utinàm tantum gaudium concipiamus è Nativitate Christi, quantum desiderium Patres veteres è promissione ipsius! — 2. Perfectus christianus desiderat ipsum Christum loquentem audire. — 3. Felix osculum in quo Deus homini unitur! — 4. Sancti sperabant venturam esse cum Christo et per Christum gratiam et pacem. — 5. Morante Salvatore, moram sancti causabantur. — 6. Suspirabant futuras Mediatoris hominum humiliationes. — 7. Ex vaticiniis Prophetarum apparet et prædicatorum instantia et diffidentia populorum. — 8. Apparuit pax Christus hominibus bonæ voluntatis, malevolis autem petra scandali et lapis offensionis.

1. Ardorem desiderii Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissimè cogitans, compungor et confundor in memetipso ; et nunc vix contineo lacrymas, ità pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrûm tantum ingerat gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum sanctis veteribus accenderat desiderium promissio? Ecce enim quàm multi in hàc ejus, quæ proximè celebranda est, Nativitate gaudebunt! Sed utinàm de Nativitate, non de vanitate! Illorum ergò desiderium flagrans et piæ exspectationis affectum spirat mihi vox ista : *Osculetur me osculo*

[1] I *Joan.* II, 20. — [2] *Isai.* LXVI, 2. — [3] *Job*, XIV, 2. — [4] *Matth.* VI, 11. — [5] *Ibid.* 12. — [6] I *Joan.* I, 8. — [7] *Psalm.* XCIV, 2. — [8] *Matth.* XII, 49. — [9] *Galat.* IV, 19. — [10] *Cant.* III, 11. — [11] *Gen.* II, 24. — [12] *Joan.* XII, 32. — [13] *Rom.* I, 25.

[a] *Exaltatus.* Aliàs, *levatus.*

[b] In Opp. S. Bernardi, Sermo 2 in Cant. cum hâc inscriptione : « De Incarnatione Christi per Patriarchas et Prophetas nuntiatâ et ardentissimè ab eis exspectatâ. » Et Sermo ille habitus est paulò ante Natalem Domini, siquidem dicitur in Num. 1. « Ecce quàm multi in hâc ejus, quæ proximè celebranda est, Nativitate, gaudebunt ! » Hunc Sermonem in Vigiliâ Nativitatis collocavimus, eo quòd ejus argumentum huic diei apprimè congruit.

oris sui [1]. Senserat nimirùm in spiritu, quisquis tunc spiritualis esse poterat, quanta foret gratia diffusa in labiis illis [2]. Propstereà loquens in desiderio animæ aiebat: *Osculetur me osculo oris sui*, nimirùm omnimodis, cupiens tantæ suavitatis participio non fraudari.

2. Dicebat enim perfectus quisque: Quò mihi ora hæc seminiverbia Prophetarum? *Ipse potiùs speciosus formâ præ filiis hominum* [3], *ipse me osculetur osculo oris sui.* Non audio jàm Moysen; impeditioris siquidem linguæ factus est mihi [4]: Isaiæ labia immunda sunt [5]: Jeremias nescit loqui, quia puer est [6]: et Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse, ipse quem loquuntur, ipse loquatur: *ipse me osculetur osculo oris sui.* Non in eis jàm, aut per eos loquatur mihi, quoniam *tenebrosa aqua in nubibus aeris* [7]: sed *ipse me osculetur osculo oris sui*, cujus gratiosa præsentia, et admirandæ fluenta doctrinæ *fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam* [8]. *Quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis* [9], numquid non ex ipso mihi uberior infunditur gratia, si tamen dignetur me osculari osculo oris sui? Cujus utiquè sermo vivus et efficax osculum mihi est, non quidem conjunctio labiorum, quæ interdùm pacem mentitur animorum; sed planè infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam et quodammodò indiscreta commixtio superni luminis et illuminatæ mentis: *Adhærens quippè Deo, unus spiritus est* [10]. Meritò proindè visiones et somnia non recipio, figuras et ænigmata nolo: ipsas quoque Angelicas fastidio species; quippè et ipsos longè superat Jesus meus specie suâ et pulchritudine suâ [11]. Non ergò alium sive Angelum, sive hominem, sed ipsum peto osculari me osculo oris sui. Nec sanè præsumo me osculatum iri ab ore ipsius (est enim hoc assumpti hominis, unicæ felicitatis et prærogativæ singularis), sed humiliùs ab osculo oris sui peto me osculari, quod commune utiquè est multorum, qui dicere possunt: *Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus* [12].

3. Intendite. Sit os osculans, Verbum assumens: osculatum, caro quæ assumitur: osculum verò, quod pariter ab osculante et osculato conficitur, persona ipsa scilicet ex utroque compacta, Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Hâc ergò ratione sanctorum nemo dicere præsumebat: Osculetur me ore suo; sed tantùm, *osculo oris sui*: ipsi sanè servantes prærogativam istam, cui singulariter semelque os Verbi impressum tunc est, cùm ei se corporaliter plenitudo omnis divinitatis indulsit. Felix osculum, ac stupendâ dignatione mirabile, in quo os non ori imprimitur, sed Deus homini unitur! Et ibi quidem contactus labiorum complexum significat animorum: hîc autem confœderatio naturarum divinis humana componit, *quæ in terrâ sunt, et quæ in cœlis pacificans* [13]; *ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum* [14]. Ad hoc igitur osculum sanctus quisque antiqui temporis suspirabat, eo quòd jucunditatem et exsultationem thesaurizari super eum, et thesauros omnes sapientiæ et scientiæ in ipso absconditos præsentirent [15], cuperentque et ipsi de plenitudine ejus accipere [16].

4. Sentio: placet vobis quod dicitur: sed accipite et alium sensum. Non latuit sanctos et ante adventum Salvatoris, Deum super mortalium genus cogitare cogitationes pacis [17]. Nec enim faceret verbum super terram, quod non revelaret servis suis Prophetis [18]. Erat tamen verbum hoc absconditum à multis [19]. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, et tenuis admodùm spes in pluribus quoque illorum qui exspectabant redemptionem Israel. Qui verò præsciebant, ipsi et prædicebant Christum in carne venturum, et cum ipso pacem. Undè quidam eorum: *Et pax erit*, inquit, *in terrâ nostrâ, cùm venerit* [20]. Imò per ipsum Dei gratiam homines recuperaturos cum omni fiduciâ, sicut divinitùs acceperant, prædicabant: quod et Præcursor Domini Joannes suo tempore impletum agnovit et perhibuit: *Gratia*, inquiens, et *veritas per Jesum Christum facta est* [21]; et ità verum esse omnis nunc Christianus populus experitur.

5. Cæterùm illis prænuntiantibus pacem, moram autem faciente auctore pacis [22], nutabat populi fides, *dùm non erat qui redimeret, neque qui salvum faceret* [23]. Itaque causabantur homines moras, quòd ille totiès nuntiatus necdùm veniret princeps pacis, *sicut locutus fuerat per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus* [24]: et suspectas habentes promissiones, signum promissæ reconciliationis, quod est osculum, flagitabant; ac si nuntiis pacis unusquilibet de populo responderet: Quousquè tollitis animas nostras [25]? Jàm olim prædicitis pacem, et non venit; promittitis bona, et adhuc turbatio [26]: ecce hoc ipsum multifariè multisque modis et Angeli patribus [27], et patres nostri annuntiârunt nobis [28], dicentes: *Pax, pax; et non est pax* [29]: si mihi vult esse persuasum Deus, quod de suæ beneplacito voluntatis tàm crebrâ jàm legatione respondet, nec exhibet, *osculetur me osculo oris sui*; sicque in signo pacis faciat de pace securum; nam verbis jàm quomodò credam? Opus magis est opere verba firmari. Probet veridicos nuntios suos

[1] *Cant.* I, 1. — [2] *Psalm.* XLIV, 2. — [3] *Ibid.* — [4] *Exod.* IV, 10. — [5] *Isai.* VI, 5. — [6] *Jerem.* I, 6. — [7] *Psalm.* XVII, 12. — [8] *Joan.* IV, 14. — [9] *Psalm.* XLIV, 8. — [10] I *Cor.* VI, 17. — [11] *Psalm.* XLIV, 5. — [12] *Joan.* I, 16. — [13] *Coloss.* I, 20. — [14] *Ephes.* II, 14. — [15] *Coloss.* II, 3. — [16] *Joan.* I, 16. — [17] *Jerem.* XXIX, 11. — [18] *Amos.* III, 7. — [19] *Luc.* XVIII, 34. — [20] *Mich.* V, 5. — [21] *Joan.* I, 17. — [22] *Matth.* XXV, 5. — [23] *Psalm.* VII, 3. — [24] *Luc.* I, 70. — [25] *Joan.* X, 24. — [26] *Jerem.* XIV, 19. — [27] *Hebr.* I, 1. — [28] *Psalm.* XLIII, 2. — [29] *Jerem.* VI, 14.

Deus, si tamen nuntii ejus sunt, et sequatur eos ipse, ut sæpiùs promiserunt, quia sine ipso possunt facere nihil [1]. Misit puerum, tulit baculum, et necdùm est vox, neque vita [2]. Non surgo, non suscitor, non excutior de pulvere, non respiro in spem, si non Propheta ipse descendat, et *osculetur me osculo oris sui.*

6. Huc accedit quòd is qui nostrum profitetur se mediatorem ad Deum, Dei Filius est, et Deus est [3]. Et quid est homo ut innotescat ei, aut filius hominis ut reputet eum [4]? Quæ mihi fiducia, ut tantæ me audeam credere majestati? Undè, inquam, terra et cinis, præsumo Deum curam habere meî? Ad hæc diligit patrem suum; me verò opus non habet, *bonorum meorum non eget* [5]. Undè ergò constabit mihi, quòd mediator meus in parte nequaquàm sit? Tamen si verè, ut dicitis, *decrevit misereri Deus cogitatque ut complacitior sit adhuc* [6], *statuat testamentum pacis* [7], *et fœdus perpetuum feriat mihi* [8] *in osculo oris sui.* Ut *quæ procedunt de labiis suis non faciat irrita* [9], exinaniat se, humiliet se, inclinet se, *et osculetur me osculo oris sui.* Ut ex æquo partibus congruens mediator neutri suspectus sit, Deus, Filius Dei, fiat homo, fiat filius hominis, et certum me reddat in hoc osculo oris sui. Securus suspicio mediatorem Dei Filium, quem agnosco et meum. Minimè planè jàm mihi suspectus erit: frater enim et caro mea est [10]. Puto enim, spernere me jàm non poterit, os de ossibus meis, et caro de carne meâ [11].

7. Ità ergò vetus querela sacrosanctum osculum, id est, incarnandi Verbi mysterium, exigebat, dùm longâ et molestâ exspectatione fatigata fides deficeret, et infidelis populus adversùs promissa Dei victus tædio murmuraret. Adinventio mea est, si non hoc idem et vos recognoscitis de Scripturis. Indè profectò erant querelæ illæ et plenæ murmure voces: *Manda, remanda, exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi* [12]. Indè anxiæ illæ et plenæ pietate preces: *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur* [13]. Item: *Suscita, Domine, precationes* [a], *quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores* [14]. Indè blandæ illæ et plenæ consolatione promissiones: *Ecce apparebit Dominus, et non mentietur: si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit* [15]. Item: *Propè est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur* [16]. Et ex personâ promissi: *Ecce ego,* inquit, *declino in vos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ Gentium* [17]. In quibus verbis satis apparet, et prædicatorum instantia, et diffidentia populorum. Sic itaque et plebs murmurabat, et fides nutabat; et, juxta Isaiæ vaticinium: *Angeli pacis amarè flebant* [18]. Ne ergò universum genus humanum, moram faciente Christo, desperatione periret, dùm se contemni suspicaretur infirma mortalitas, suæque reconciliationis cum Deo de gratiâ totiès repromissâ diffideret, sancti qui de spiritu certi erant, certitudinem de carnis præsentiâ exoptabant, ac signum reformandæ pacis propter pusillanimes et incredulos omni instantiâ requirebant.

8. *O radix Jesse, qui stas in signum populorum* [19], *quàm multi reges et prophetæ voluerunt te videre, et non viderunt* [20]! Felix tamen ex omnibus Simeon, cujus senectus in misericordiâ uberi [21]! Is nempè exsultavit ut videret desiderii signum; et vidit, et gavisus est [22]; acceptoque osculo pacis, in pace dimittitur, antè tamen apertè pronuntians Jesum esse natum in signum cui contradicendum erat [23]. Omninò ità fuit. Contradictum est exorto signo pacis, sed ab his qui oderunt pacem [24]: nam *pax hominibus bonæ voluntatis* [25], malevolis autem *petra scandali et lapis offensionis* [26]. *Herodes* deniquè *turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo* [27]; siquidem *in propria venit, et sui eum non receperunt* [28]. Felices illi in suâ pernoctatione pastores, qui signi hujus visione digni habiti sunt [29]! Jàm tunc se abscondebat à sapientibus et prudentibus, et revelabat parvulis [30]. Et Herodes videre voluit [31]; sed quia non bonâ voluntate, non meruit; pacis siquidem signum erat datum tantùm hominibus bonæ voluntatis; Herodi verò et similibus ejus non dabitur nisi signum Jonæ prophetæ [32]. Porrò ad pastores: *Et hoc*, ait Angelus, *vobis signum;* vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta sapientibus, vobis vigilantibus, et in lege Dei meditantibus die ac nocte, *hoc*, inquit, *vobis signum.* Quod? Quod Angeli promittebant, quod populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, *hoc fecit Dominus nunc, et ostendit vobis*, in quo recipiant increduli fidem, pusillanimes spem, perfecti securitatem: *hoc ergò vobis signum.* Cujus rei signum? Indulgentiæ, gratiæ, pacis, et pacis cujus non erit finis. *Hoc est ergò signum: Invenietis infantem, pannis quidem involutum, et positum in præsepio* [33]*; Deus*

[1] *Joan.* XV, 5. — [2] IV *Reg.* IV, 29 *et* 31. — [3] I *Tim.* II, 5. — [4] *Psalm.* VIII, 5. — [5] *Id.* XV, 2. — [6] *Id.* LXXVI. 10 *et* 8. — [7] *Eccli.* XLV, 30. — [8] *Isai.* LXI, 8. — [9] *Psalm.* LXXXVIII, 35. — [10] *Gen.* XXXVII, 27. — [11] *Id.* II, 23. — [12] *Isai.* XXVIII, 10. — [13] *Eccli.* XXXVI, 18. — [14] *Ibid.* 17. — [15] *Habac.* II, 3. — [16] *Isai.* XIV, 1. — [17] *Id.* LXVI, 12. — [18] *Id.* XXXIII, 7. — [19] *Id.* XI, 10. — [20] *Luc.* X, 24. — [21] *Psalm.* XCI, 11. — [22] *Joan.* VIII, 56. — [23] *Luc.* II, 25-35. — [24] *Psalm.* CIX, 7. — [25] *Luc.* II, 14. — [26] I *Petr.* II, 8. — [27] *Matth.* XI, 25. — [28] *Joan.* I, 11. — [29] *Luc.* II, 8-14. — [30] *Matth.* XI, 25. — [31] *Luc.* XXIII, 8. — [32] *Id.* XI, 29. — [33] *Id.* II, 12 *et* 15.

[a] Sic legebatur olim in Bibliis ante romanam Sixti correctionem. Septuaginta habent τὰς προφητείας.

est tamen *in ipso mundum reconcilians sibi* [1]. *Morietur propter peccata vestra, et resurget propter justificationem vestram* [2], *ut justificati per fidem, pacem habeatis ad Deum* [3]. Hoc signum pacis Propheta quondàm regi Achaz proponebat petendum à Domino Deo suo, sive in excelso suprà, sive in inferno deorsùm [4]; sed impius rex recusavit [5], non credens miser quòd in signo hoc ima summis in pace socianda essent, quatenùs et inferi, Domino descendente, in osculo sancto signum pacis et ipsi recipiant, et superni Spiritus idipsum nihilominùs, cùm ad cœlos redierit, æternâ suavitate participent. Sermo finiendus est; sed ut quid in eo disputatum est, brevi recolligam summâ, putet hoc sanctum osculum duabus ex causis necessariè indultum mundo, ut et infirmis faceret fidem, et desiderio satisfaceret perfectorum: porrò ipsum osculum esse non aliud quàm Mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

✠ HERMANNUS, MONACHUS ORDINIS S. BENEDICTI,

AC POSTEA ABBAS S. MARTINI TORNACENSIS [a].

NUM. 1. Cur Deus aliter hominem liberare noluit, nisi seipsum pro eo humiliando? — 2. De creatione mundi. — 3. De lapsu diaboli. — 4. Cur Deus hominem creavit? Tentatus à diabolo labitur primus homo. — 5. Conveniens fuit ut homo post peccatum non redimeretur, nisi cum aliquâ satisfactione factâ Deo. — 6. Quid homo Deo abstulit, quandò de ligno vetito comedit? — 7. Nullus alius nisi Deus homo Deo restituere poterat quod abstulerat peccatum. — 8. Convenientius erat ut Filius incarnaretur quàm Pater et Spiritus sanctus. — 9. Congrua et decens redemptio naturæ humanæ. — 10. Fit Deo condigna satisfactio per Incarnationem. — 11. Quarè dimisso peccato originali, non dimittitur, sed fixa retinetur peccati pœna? — 12. Quomodò antiqui Patres ante legem et post desideraverunt adventum Incarnationis? — 13. De beatâ Mariâ destinatâ ab æterno ut ad executionem Incarnationis concurreret. — 14. Idem locus sanctæ Scripturæ potest exponi variis modis. Encomium de beatâ Virgine Mariâ. — 15. Quomodò nudus Noe passionem Christi figuraverit? — 16. Deprecatio ad beatam Virginem, ut misericordiæ matrem.

1. Redemptoris nostri Nativitatem annuâ devotione celebraturi, fratres charissimi, sollicitè et diligenter considerare debemus quâ ratione vel necessitate carnis nostræ infirma suscepit, passionisque simul opprobria pertulit. Quam quæstionem non solùm fideles, sed et infideles quique solent discutere, illi quidem addendo, isti verò piè et religiosè causam hujus mysterii perscrutando. Quæ enim, inquiunt, necessitas fuit, ut Deus in utero femineo novem mensibus incarnatus et inclusus gestaretur, deindè sicut alii parvuli, lacte materno aleretur, et vagiens pannis involveretur, ad ultimum inter latrones tàm contemptibiliter delusus, consputus et suspensus moreretur? Quibus cùm respondemus illud Apostoli, quòd, *propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos Deus* [6], *Filium suum misit in similitudinem carnis peccati* [7], *ut nos redimeret et educeret de potestate diaboli* [8], qui nos captivos tenebat peccato primi parentis; illicò subjungunt: Quæ ratio est ut Deus propter hoc de cœlo ad terram descenderet, et tot passiones ac ludibria sustineret, præsertim cùm de eo per Psalmistam dicatur: *Omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terrâ* [9]? Si enim *in voluntate ejus universa sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati ejus* [10], quarè non, sicut dixit: *Fiat lux, et facta est lux* [11]; ità etiam supra thronum majestatis suæ in cœlo residens, præcepit ut captivus homo de diaboli manu liberaretur, et in cœlum cum Angelis levaretur? Nam, sicut rex aliquis præpotens, cùm posset servum suum ab aliis servis captum solo jussu eripere et libertati reddere, si

[1] II *Cor.* V, 19. — [2] *Rom* IV, 25. — [3] *Id.* V, 1. — [4] *Isai.* VII, 10 *et* 11. — [5] *Ibid.* 12. — [6] *Ephes.* II, 4. — [7] *Rom.* VIII, 3. — [8] *Tit.* II, 14. — [9] *Psalm.* CXIII, 3. — [10] *Esth.* XIII, 9.. — [11] *Gen.* I, 3.

[a] E Bibliothecâ veterum Patrum antiquorumque Scriptorum ecclesiasticorum, auctore Gallandio, Venet. 1765-81, Tom. 14. — In Præfatione hujus Sermonis ad Stephanum, Viennensem Archiepiscopum, Hermannus sic loquitur: «Sciatis me in eo « nihil de meo posuisse, sed quod in sanctis Doctoribus lege- « ram, et maximè in Libro D. Anselmi, Cantuariensis Archie- « piscopi: *Cur Deus homo*..... Præterea Odo, Cameracensis « Episcopus, et Cœnobii B. Martini Tornacensis primus Abbas, « in Vigiliâ Nativitatis Domini, de ejus Incarnatione Sermonem « perpulchrum et prolixum fratribus nostris in Capitulo sin- « gulis annis facere consueverat; adeò ut, cùm manè inciperet « usque ad horam ferè sextam eum protenderet. Et quia tunc « eram adolescens et capacis ingenii, non pauca ex ejus verbis « memoriæ commendavi, quæ nunc etiam referam vobis et « omni legere volenti. Itaque pronuntiato ex more Evangelio: « *Cùm esset desponsata*, sicut mihi videtur, hoc modo solebat « incipere. »

nollet eum aliter liberare, nisi seipsum pro eo in vinculis poneret, non misericordiâ, sed nimiâ insipientiâ deputaretur; itâ et Dominus Deus cùm solo nutu, nedùm jussu, posset hominem de diaboli potestate liberare, ut salvâ pace ejus dicatur, stultum et incredibile videtur, ut pro ejus ereptione vellet priùs per semetipsum experiri utrùm lac in matris uberibus amarum esset an dulce: uterque enim à Deo creatus, uterque Dei fuerat servus, homo scilicet et diabolus; et si servus nequam simplicem servum fraudulento consilio seduxerat, et proprio domino subtractum sibimet subjugaverat, nonne justum fuit ut servus nequam pro suâ nequitiâ puniretur, et servus simplex de ejus dominio liberaretur? Cùm hæc dicunt, non considerant illam divinæ Scripturæ sententiam, quòd *Sapientia vincit malitiam, attingens à fine ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter*[1]. Non solùm enim fortitudo Deo convenit, sed etiam suavitas: suavitas autem non solùm in amicis, sed etiam in inimicis: *Suavis enim Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus*[2]. Ut ergò diligentiùs perscrutari valeamus cur Deus homo factus fuerit, primò consideremus cur Deus ipsum primum hominem creaverit.

2. Omnipotens itaque Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, trinus quidem est in personis, sed unus in substantiâ, unus in majestate. Deus quidem est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Non tamen idem est Pater, qui Filius aut Spiritus sanctus: nec idem est Filius, qui Pater aut Spiritus sanctus: nec idem Spiritus sanctus qui Pater aut Filius. Ipse, juxta cujusdam sapientis dictum, supra cuncta, subter cuncta, inter cuncta, extra cuncta: supra cuncta nec elatus, subter cuncta nec substratus, intra cuncta nec inclusus, extra cuncta nec exclusus: supra cuncta præsidendo, subter cuncta sustinendo, intra cuncta adimplendo, extra cuncta complectendo. Ipsius potestas, vel divitiæ, aut opes, nec augeri possunt nec minui, quia nec ditior fuit, cùm totum mundum creavit, nec pauperior esset, si totus mundus deficeret et in nihilum rediret. Undè nullâ necessitate, sed solâ benignitate mundum creavit, sicut de eo nobilis ille consul Boetius cecinit, Lib. 3 de Consolatione Philosophiæ, metr. 9, dicens:

« O qui perpetuâ mundum ratione gubernas,
« Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
« Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
« Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
« Materiæ fluitantis opus, verùm insita summi
« Forma boni, livore carens, tu cuncta superno
« Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
« Mundum mente gerens, *etc.* »

Placuit itaque ipsi supremo Regi, Domino Deo nostro, ædificare civitatem sibi, illam cœlestem de quâ dicitur in Psalmo: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*[3], cujus muros non ex substantiâ, sed de nihilo creavit: intellectumque eis contulit quo ipsum quidem Dominum et Creatorem suum, se verò servos et creaturam ejus esse cognoscerent, ipsique sine aliquo labore vel difficultate obediendo, in perpetuâ cum eo beatitudine feliciter permanerent.

3. Nec tamen eos omnes in uno gradu æquales esse ordinavit, sed sicut per Ezechielem dicitur ei qui cæteris est prælatus: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, et jaspis, et chrysolithus, onyx, et berillus, sapphirus, carbunculus, et smaragdus*[4]. Quod beatus Gregorius in Homiliâ decem drachmarum exponens: « Ecce, inquit, novem dixit nomina lapidum, quia « profectò novem sunt ordines Angelorum, quibus « omnibus ille unus Angelus fuit prælatus. » Sed magnitudinem atque excellentiam gloriæ et claritatis suæ ferre non sustinens, contra Creatorem suum intumuit, sicut ei per Isaiam dicitur: *Quomodò cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam: super astra cœli exaltabo solium meum: ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo*[5]? Illo verò contra Creatorem superbè intumescente, non defuerunt ex Angelis qui se ei conjungerent, et adversùs Dominum cum eo superbirent. Sed ille justus judex nihil inordinatum in suâ civitate relinquere volens, illos pretiosos virtutum cœlestium lapides qui contra Conditorem sese erexerant, protinùs de cœlo dejecit et præcipitavit. Sicque qui priùs fuerant Angeli, nunc appellantur diaboli, hoc ipsum Domino in Evangelio testante, ubi dicitur: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*[6]. Hîc si aliquis quærat quomodò ad tàm præcelsam dignitatem Angelorum in cœlis positorum, tàm mala tàmque noxia pestis superbiæ ascendere vel irrepere potuerit, quisve primus ejus auctor exstiterit, vel quomodò tantæ celsitudinis creatura eâ corrumpi vel infici potuerit, legat Librum Domini Anselmi de Casu diaboli, ubi tractat cur Deus ei perseverantiam non dedit; ibique multa proficua invenire poterit. Quidam etiam sapiens indè requisitus, sic breviter et eleganter quatuor versiculis respondit:

« Quid petis undè malum, cùm sint bona cuncta creata?
« Defectu proprio sunt mala, quæ mala sunt.
« Cùm vitio careant etenim, vitium tamen ex se
« Et per se citiùs dulcia poma trahunt. »

Ruentibus autem superbis angelis, et libero arbitrio quod priùs habuerant malè abusis, hi qui

[1] *Sap.* VII, 30 *et* VIII, 1. — [2] *Psalm.* CXLIV, 9. — [3] *Id.* LXXXVI, 3. — [4] *Ezech.* XXVIII, 13. — [5] *Isai.* XIV, 12, 13 *et* 14. — [6] *Luc.* X, 18.

fideles Creatori suo remanserant, in tantùm ab eo roborati et confirmati sunt ejusdem liberi arbitrii perfectâ et immutabili soliditate, ut nullam ulteriùs peccandi vel superbiendi habeant voluntatem. Undè etiam mysticè in Genesis exordio, cùm dictum fuisset : *In principio creavit Deus cœlum et terram* [1], posteà in secundo diei creatione repetitur quòd *vocavit Deus firmamentum, cœlum* [2]. Quod beatus Gregorius exponens, dicit « virtutes Angelicas quæ ruentibus sociis cum Deo remanserunt, « in tantâ soliditate fuisse confirmatas, ut ad comparationem hujus firmitatis, videantur priùs quasi « infirmi et imbecilles fuisse; sed in secundo die, id « est, in hâc sequenti confirmatione, meritò cœlum « pro soliditate vocari debere. » Ecce ergò gloriosa illius summi Regis civitas gravem ruinam pertulit, murusque ejus non parvâ ex parte interruptus fuit. Cùm autem longè post ruinam illam Daniel Propheta de his qui remanserunt, dixerit : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* [3], quis æstimare, quis cogitare sufficiat quatenùs decor domûs illius fuerit vel urbis, quamdiù cunctis civibus suis integra mansit? Ne ergò tàm speciosam civitatem ruina illa vel interruptio diutiùs dedecoraret, placuit superno Opifici pro ejus restauratione aliquam creaturam condere. Si verò aliquis quærat cur ex eis qui ceciderant Angelis eam non restauràrit, cùm viderit in subsequentibus difficultatem reparationis humanæ, facilè per seipsum poterit perpendere lapsos Angelos nullatenùs jàm reparari posse.

4. Creavit itaque Deus hominem, sed non tantæ sublimitatis, quantæ Angelos fecerat, ne fortè et ipse gloriam suam non ferens, contra Deum superbiret et periret. Ex animâ ergò rationali et carne eum consistere voluit, quatenùs animâ quidem rationali assimilaretur Angelis, carne verò quæ de limo terræ esset, semper ad humilitatem provocaretur, dùm se ex eâ parem bestiis fore contemplaretur. Felicem tamen et omnis infirmitatis vel indigentiæ seu corruptionis immunem in eo statu eum creavit, ut si peccare nollet, numquàm moreretur si verò Creatori inobediens esset, protinùs morti obnoxius fieret. Quia verò de terrâ factus fuerat, in terrestri loco, id est, in Paradiso eum posuit, intellectum rationalem ei contulit, nihilque aliud obedientiæ, nisi ut de unâ solâ arbore non comederet, ei injunxit. Quòd si contemneret, mortem illicò subsecuturam ei comminando prædixit : si verò servaret, tempore congruo de terrâ levandum, et cum Angelis in cœlo cognosceret se fore collocandum. Sociam quoque ei de costâ suâ, id est, de semetipso factam, quæ ei prolem generaret, addidit : et quid facere deberent, utrosque edocuit. Invidens diabolus illuc hominem de limo terræ factum ascendere, undè ipse tàm præclarus sciebatur corruisse, sicut omnibus notum est, per serpentem mulierem seduxit, et per eam viro fructum vetitum comedere suasit, sicque utrumque sibi subdidit; ac per hoc, consilium Dei quod ei disposuerat, cassare studuit, imò se cassâsse exsultavit. Ecce ergò homo ad imaginem Dei factus, universæque creaturæ, quam sub cœlo Deus fecerat, prælatus, *cùm in honore esset, non intellexit* [4], *imò noluit intelligere ut benè ageret* [5]; ideòque justo Dei judicio *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [6]. In præsenti vitâ, *brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* [7], moriens infernalibus adducitur tenebris. Quid ergò miser faciet? Quò se convertet? Quomodò poterit resurgere, seque de diaboli manu vel servitute liberare? Per se certè surgere non potest. Clamet ergò ad Dominum et dicat : *O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ* [8], *educ de carcere animam meam* [9]*; eripe me de inimicis meis, Deus meus* [10].

5. Sed quid faciet Dominus Deus? Verum est certè, quia *omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terrâ*; nihil tamen facere potest vel debet injustè. Et si præceperit diabolo ut dimittat eum exire de inferno, quem injustè et per invidiam seduxit, poterit ei diabolus respondere : Verum quidem est, Domine, quòd per invidiam eum decepi ; sed tamen si violenter eum mihi abstuleris, injustè me tractabis. Non enim eum mihi violenter subdidi, quoniam per violentiam nihil ei facere potuissem. Tu ei præcepisti de ligno non comedere, ego suasi ei comedere : tu ei prædixeras quòd si comederet, moreretur : ego ei dixi quòd non moreretur : ipse autem magis credidit mihi quàm tibi; et propter consilium meum, spontè despexit præceptum tuum. Cùm ergò eum violenter peccare non fecerim, sed tantummodò ut peccaret suaserim, injustum certè erit, si eum mihi violenter abstuleris. Dimitte potiùs eum congredi mecum; et sicut sese spontè mihi supposuit; ità, si potuerit, eripiat se de manibus meis. Ista certè posset Deo diabolus objicere. Quamquàm etsi aliqua pietas vel misericordia (quod impossibile est) moveret diabolum erga hominem, nihil tamen ejus pietas homini proficeret. Etiamsi Deo diceret : Domine Deus, saturatus sum miseriis et pœnis infelicis hominis, jàmque me pœnitet quòd eum per invidiam seduxerim ; et concedo ut educas eum de inferno, imò etiam deprecor ut, sicut proposuisti, eum colloces cum Angelis in cœlo : nihil hæc tota ejus bonitas homini conferret. Homo enim si dili-

[1] *Gen.* I, 1 — [2] *Ibid.* 8. — [3] *Dan.* VII, 10. — [4] *Psalm.* XLVIII, 21. — [5] *Id.* XXXV, 4. — [6] *Id.* XLVII, 21. — [7] *Job*, XIV, 1. — *Psalm.* CXV, 16. — [9] *Id.* CXLI, 7. — [10] *Id.* LVIII, 2.

genter suspiciatur, nihil debebat diabolo, nec in manu vel potestate ejus consistebat. Contra Deum peccaverat, dùm præceptum ejus, utpotè Domini sui, contempserat; ideòque Deus eum in carcere suo, id est, in inferno posuerat : justo tamen judicio illum ei tortorem tradiderat, cui ipse stultè crediderat. Si Deo aliquo modo reconciliari posset, ut Deus illi iram suam indulgeret, et peccatum quod fecerat dimitteret, tunc vellet, nollet diabolus, facilè de inferno educi posset. Hæc autem reconciliatio sine aliquâ peccati ipsius satisfactione fieri non potest. Alioquin etiamsi Dominus Deus misericordiâ motus homini peccatum indulgeret, eumque de inferno educeret, essetne justum et conveniens, ut eum sic sordidum et maculatum, nullâque satisfactione lotum vel mundatum, cum Angelis tàm mundis et gloriosis qui numquàm Deum offenderunt, in cœlo collocaret? Et ubi esset quod dicit Apostolus : *Quæ communicatio lucis ad tenebras*[1]*?* Hoc reverà inconveniens esse, omni sanum sapienti patet. Quapropter aliquam satisfactionem oportet hominem facere, quâ possit Deum placare. Cujusmodi autem debeat esse ipsa satisfactio, videamus sub exemplo. Verbi gratiâ : sit rex aliquis præpotens, qui unum ex principibus suis contumacem sibi et rebellem ejiciat de regno suo. Si posteà illi regi domino suo voluerit reconciliari, primùm oportet ut ex integro reddat quidquid ei abstulit : aut si illud non potest reddere, reddat quod tantumdem valeat. Deindè pro contumaciâ et superbiâ quâ contra eum rebellavit, secundum leges curiæ suæ et judicium optimatum suorum ei satisfaciat. Quamdiù enim retinet et non reddit quod ei abstulit, non est conveniens vel digna satisfactio, nec ad honorem regis. Si enim rex sua retinenti indulserit, veniamque donans in regnum suum redire permiserit, dicent utiquè homines ideò eum indulsisse, quia emendare vel sibi eum aliter subjicere non potuit; sicque hujusmodi satisfactio vel reconciliatio, ad vilitatem ac dedecus seu opprobrium fiet regis. Similiter ergò homo qui pro culpâ suâ ejectus est de Paradiso et relegatus in inferno, si Domino Deo vult reconciliari et gratiam ejus recipere, primùm oportet ut ex integro reddat quidquid ei abstulit, aut quod tantumdem valeat. Deindè pro superbiâ quâ Creatoris sui præceptum contempsit et ejus hosti adhæsit, ei satisfaciat. Si hoc ordine non satisfecerit, satisfactio ejus non erit ad honorem Dei. Videamus ergò quid Deo abstulit, quandò de ligno vetito comedit.

6. Deus certè, ut suprà dictum est, ideò illum creavit, ut ex illius genere ruinam restauraret supernæ civitatis. Dicit etiam beatus Gregorius in præfatâ Homiliâ decem drachmarum, quòd tantum numerum credimus ad eam ascensurum electorum hominum, quantum illic contigit remansisse electorum Angelorum. Cùm ergò præceptum divinum transgrediens peccavit, tot utiquè animas Deo abstulit, quot ipse in cœlum levare disposuerat cum Angelis. Itaque si vult Deo reconciliari et ad Paradisum reverti, oportet ut primò solvat ei damnum quod intulit, tot scilicet homines, quot Deus disposuit in cœlum levare, et tàm mundos atque ab omni peccato immunes, sicut fuit Adam, antequàm peccàsset. Aut si non potest tot homines mundos et immaculatos reddere, solvat quod tantumdem valeat : alioquin satisfactio ejus, sicut dictum est, non erit ad honorem Dei. Etsi Deus, antequàm reddatur sibi quod ablatum est, misericordiâ motus, homini peccatum suum indulserit, cumque Angelis in cœlo sociaverit, non erit certè justitiæ congruum, ut raptorem suum, furem suum, homicidam suum, qui tot homines sibi rapuit, tot furatus est, tot interfecit, conjungat filiis suis, amicis suis, qui semper sibi ac dulcissimo patri servierunt, numquàm eum offenderunt, numquàm mandatum ejus prætererunt. Reddat ergò homo, reddat Deo quod ei abstulit, ut gratiam ejus recipere possit. Sed quomodò reddet ei tot homines tales, quales fuit Adam, antequàm peccâsset? Ut de tot hominibus taceam, unum certè solum hominem, qualis fuit Adam, antequàm peccàsset, in toto genere suo, id est, in totâ naturâ humanâ, non inveniet. Quandò enim peccavit Adam, innocentiam et munditiam suam perdidit, peccatorque et immundus factus est. Qualis autem factus est, tales utiquè generavit, quia peccator et immundus nonnisi peccatores et immundos generare potuit : *Quis enim*, sicut Job ait, *potest facere mundum de immundo conceptum semine*[2]*?* In totâ ergò lineâ generationis humanæ, non reperietur unus homo sine peccato, nedùm tot millium multitudo. Peccator autem homo, si semetipsum in mortem pro peccatis aliorum offerat Deo, nec se solum poterit justificare, necdùm alios. Nam nec Isaac sanctus et de sanctis parentibus natus, si inter manus patris, Dei præcepto obedientis, occisus fuisset, de inferno se liberare potuisset, sicut nec Abel sanctus et Dei voce laudatus. Quod ergò Deo abstulit, nullo genere reddere potest. Sed numquid saltem quod tantumdem valeat, reddere poterit? Non utiquè. Nam, licèt in lege à Deo per Moysen datâ, sacrificia fieri jubeantur de bestiis et volatilibus, tamen, sicut ait Apostolus, *impossibile erat sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*[3]. Omnes enim hirci vel tauri, imò omnes bestiæ agri et volatilia cœli, et, ut ampliùs dicam, totus mundus cum sole et lunâ et sideribus, non potest comparari uni homini, licèt immundo, licèt peccatori,

[1] II *Cor.* VI, 14. — [2] *Job,* XIV, 4. — [3] *Hebr.* X, 4.

nec valet eum, quia ipse ad imaginem Dei factus est, quamvis peccando eam in se corruperit. Et animam rationalem habet, et in fine sæculi resuscitandus et ad judicium est venturus, pòstque in æternum, licèt in pœnis, victurus. Nec damnum ergò quod Deo intulit, nec quod tantumdem valeat, potest homo reddere de toto mundo, vel de suo genere. Sed si Deus novum aliquem hominem justum et mundum faceret, sicut fecit Adam, qui se pro peccatis omnium hominum in sacrificium Deo offerret, possetne sufficiens hostia esse? Nequaquàm. Unus enim homo, talis qualis fuit Adam, antequàm peccâsset, non valeret nisi solum Adam redimere, aut unum hominem, solum ei similem : et sanguis unius talis hominis non valeret nisi ad redemptionem unius solius hominis. Quamquàm etiamsi valeret ad redemptionem omnium hominum, quod impossibile est, tamen ut concedamus posse valere, illud certè patet, quòd, etsi valeret, non tamen in pristinam dignitatem natura humana per ejus sanguinem restituta esset. Justum enim esset ut ei natura humana subjiceretur et serviret, per quem se redemptam esse cognosceret : quod si fieret, jàm pristinæ dignitati restituta non esset. Quandò enim Adam factus est, nulli nisi soli Deo subjectus est, licèt pro substantià carnis per David dicatur : *Minuisti eum paulo minùs ab Angelis* [1]. Nunc autem si alius esset cui subjiceretur, jam à priori dignitate inferior fieret, nec æqualis esset Angelis, qui nemini subjecti sunt nisi soli Deo. Prætereà ille novus et justus homo, quarè moreretur, qui nullum peccatum fecisset? Mors enim non est, nisi pœna peccati : et si Adam non peccâsset, numquàm utiquè moreretur. Novus itaque et sanctus ille homo, ab omni peccato liber et immunis, non debet puniri pro peccatore : sed qui peccavit, debet pœnam et supplicium subire peccati. Hoc idem posset dici et cogitari de quolibet Angelo, si fieret homo : undè dicitur in Psalmo : *Frater non redimit, redimet homo* [2]. Fratres enim nostri Angeli sunt, quibus secundum animam æquales sumus, per quam ad imaginem suam nos condidit Deus. Sed cum frater, id est, Angelus tàm sanctus, tàm gloriosus, nos redimere non possit, quomodò redimet homo, de immundo semine conceptus et in peccatis genitus? *Non dabit placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ* [3]. Quid ergò faciet? *Et laborabit in æternum* [4]. Patet itaque quòd nec Angelus, nec novus aliquis homo, nedùm vetus et peccator, potest humanum genus redimere.

7. Quamobrem nulla omninò creatura, neque totus mundus potest pro peccato primi hominis dignè satisfacere. Sed quod non potest Angelus, vel homo, vel totus mundus facere, Deus utiquè qui omnipotens est, posset facere, quia *omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terrà*. Si ergò vellet, posset utiquè nos redimere, quod nec Angelus, nec homo, neque alia quælibet creatura potest facere. Sed jàm dixi quòd pro peccato non debet mori, nisi illa natura quæ peccavit : Deus autem non peccavit; ideòque non debet mori. Redemptionem ergò istam non potest facere nisi Deus, nec debet illam facere nisi homo. Quoniam itaque non potest illam facere nisi Deus, nec debet illam facere nisi homo, necesse est ut eam faciat Deus homo. Compleatur igitur illud Psalmistæ : *Redemptionem misit Dominus populo suo* [5]: nisi enim de cœlo mittatur, in terrà non invenietur. Undè rursùm dicitur : *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum* [6]. Sed cùm Deus constet in tribus personis, non tamen Trinitatem necesse est incarnari : quia quæcumque ex tribus personis incarnetur, Deus incarnabitur, quoniam unaquæque per se sigillatìm persona verus est Deus.

8. Quærendum itaque est cui personæ magis conveniat Incarnatio. De quo tamen non est opus diutiùs immorari, quia convenientius est ut Filius se offerat Patri in sacrificium pro nobis, et supplicet Patri, quàm Pater Filio. Prætereà si Pater incarnaretur et filius esset Virginis, tunc duo filii essent in Trinitate, Filius scilicet Dei Patris, et ipse Deus Pater, qui esset filius Virginis; ac per hoc quædam confusio sequeretur personarum, et dùm de filio tractaretur, dubitaretur utrùm de Filio Dei, an de filio Virginis esset locutio. Idem etiam contingeret, si Spiritus sanctus incarnaretur. Multò ergò aptius, multò est convenientius ut Filius incarnetur, sitque una persona in Trinitate permanens sine aliquâ dubietatis confusione, Filius Dei et filius Virginis, per hoc quòd ex patre genitus est, verus Deus permanens, per hoc quòd de Virgine natus est, verus homo existens. Alioquin nisi se de nostro genere novum hominem faceret, ad nos utiquè ejus natura non pertineret : nec pro nobis mori deberet, quia de naturà illà quæ peccaverat, natus non esset. Nunc autem cùm de carne Adam veram carnem sumat absque peccato, quia non de virili semine, sed de Spiritu sancto conceptus et natus est, *licèt ipse peccatum non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus* [7], ac per hoc mori non mereatur, propter consortium tamen et participationem humanitatis nostræ, rectè et convenienter poterit et debebit, si voluerit, mori pro fratribus suis, qui ejusdem generis, ejusdem sunt secum naturæ. Undè et Apostolus : *Decebat enim*, inquit, *eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos fi-*

[1] *Psalm.* VIII, 6. — [2] *Id.* XLVIII, 8. — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* — [5] *Id.* CX, 9. — [6] *Id.* CI, 20 *et* 21. — [7] *Isai.* LIII, 9.

lios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Undè debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi [1]. Dicens ergò : *Debuit per omnia fratribus assimilari*, non ità hoc intulit quòd debuerit mori pro peccato sicut alii moriuntur, sed solummodò pro misericordià et participatione humanitatis nostræ.

9. Intueamur verò nunc quàm congruè et decenter sequatur redemptio humanæ naturæ. Diximus superiùs quòd humana natura debet primùm Deo reddere quod ei abstulit, id est, tot homines quot ad civitatem suam restaurandam vel complendam necessarios esse disposuit, vel quod tantumdem valeat. Dei ergò Filius unus cum Patre Deus existens nonne melior est quàm non solùm illi qui ad supernæ civitatis ædificium restaurandum erant necessarii, verùm etiam omnes Angeli et Archangeli, imò universa generaliter creatura totius mundi? Creator, inquam, omnis creaturæ nonne melior est omni creaturà? Deus omnipotens qui omnia solo jussu fecit, et si perirent, solo jussu in momento omnia reficeret, nonne melior est et plus valet omnibus quæ fecit? Dùm ergò se obtulit in sacrificium Deo Patri pro nobis, mortemque suscipiens vitam suam tradidit pro peccatis nostris, nonne centiès milliès in infinitum plùs valuit quod ipse reddidit pro nobis, quàm valuissent omnes illi homines quos Adam diximus Deo abstulisse, cùm peccavit? Quomodò itaque se Deus Pater continere posset, ut humano generi peccatum suum non dimitteret, iram antiquam non indulgeret paradisumque redderet, cùm Filium suum dilectum, coæqualem sibi et coæternum, pro eis in cruce pendentem, manibus ad se extensis, tantam sibi cerneret solvere redemptionem? Hinc et præfatus Apostolus in eàdem Epistolà : *Qui in diebus*, inquit, *carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suà reverentià* [2]. Solvit ergò misericorditer pro nobis, quod pro se non debebat, dicens cum Prophetà David : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* [3]. Hinc et Isaias : *Vulneratus est propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus* [4]. Disciplinam enim mortis et dolorum, atque passionem quam pro peccatis nostris merueramus, ipse pro nobis suscepit, et per eam nos Deo Patri, sibique ipsi, et Spiritui sancto, id est, sanctæ Trinitati, quæ unus Deus est, reconciliavit; pacemque inter nos et Deum in sanguine suo pius mediator reformavit. Ipse est enim sacerdos à quo et per quem reconciliati sumus, ipse hostia quà reconciliati sumus, ipse est Deus cui reconciliati sumus.

10. Postquàm ergò per ipsum Dei et hominum Mediatorem Christum Jesum, humana natura reddidit Deo pretium quod multò plùs valebat quàm omnes homines quos ei abstulerat, videamus etiam nunc quomodò de contumacià et contemptu quo ejus præceptum transgressus est, satisfaciat. Sic enim superiùs rectum ordinem regiæ satisfactionis proposuimus, ut princeps expulsus et reconciliandus primùm solveret regi ex integro quod ei abstulerat, aut æquipollens : deindè pro contemptu regiæ majestatis et contumaciæ modum consideremus. Hominem Deus, ut suprà dictum est, ex duabus naturis composuit, id est, ex spirituali et corporali : ex spirituali secundum animam, ex corporali secundum carnem quæ de terræ limo facta est. Sed secundum animam quæ et rationalis est et immortalis, factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei : secundum carnem verò quæ de terrà facta est, non factus est ad similitudinem Dei, quia Deus nec oculos, nec aures, nec aliquod membrum corporale habet : quoniam summus et incircumscriptus spiritus est. Et quod legitur in Libro Job : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me* [5]; itemque in Psalmis : *Oculi Domini super justos et aures ejus in preces eorum* [6], et similia multa, non simpliciter ad litteram sunt accipienda, sed figuraliter intelligenda : *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat* [7]. Alioquin et alas Deus habebit, quia de illo legitur : *Et ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum* [8]. Anthropomorphitæ ergò hæretici qui dicunt hominem secundum corpus factum ad imaginem Dei, aut ostendant hominem volare, quia Deus legitur volàsse, aut recognoscant fatuitatem nimiæ simplicitatis suæ. Sola itaque rationalis creatura, Angelica scilicet atque humana, similitudinem Dei in se continet, quamvis Angelus non legatur factus ad imaginem Dei. Sic enim per Ezechielem dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientià et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* [9]. Quod beatus Gregorius exponens : « Notandum, *inquit*, quòd non ad simili- « tudinem Dei factus, sed *signaculum similitudi-* « *nis* dicitur, ut quò in eo subtilior est natura, « eò in illo imago Dei subtiliùs vel similiùs insi- « nuetur expressa. » Similiùs ergò in Angelo qui nihil habet corporale, sed solummodo spiritus est, imago Dei est expressa, quàm in homine qui corpus gestat terrestre; licèt dicat idem beatus Gre-

[1] *Hebr.* II, 10 *et* 17. — [2] *Id.* V, 7. — [3] *Psalm.* LXVIII, 5. — [4] *Isai.* LIII, 5. — [5] *Job*, X, 8. — [6] *Psalm.* XXXIII, 16. — [7] II *Cor.* III, 6. — [8] *Psalm.* XVII, 11. — [9] *Ezech.* XXVIII, 12 *et* 13.

gorius in expositione Ezechielis, quòd ad comparationem summi illius et incircumscripti Spiritûs qui est Deus, etiam Angeli corporei possunt dici. Secundum animam itaque homo factus est ad imaginem Dei, et similis est Angelis, imò æqualis; secundum corpus verò inferior est Angelis, testante Psalmistâ qui ait : *Minuisti eum paulo minùs ab Angelis.* Adam itaque per rationalem intellectum sibi à Deo datum, debuit cognoscere sese minorem esse Angelis : per superbiam conatus est superior esse Angelis, et Deo consimilis. Mulier etenim credens serpenti dicenti : *Scit Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*[1], eâ intentione comedit, et viro comedere suasit, quia speravit quòd futuri essent dii. Undè et ipse Deus : *Ecce*, inquit, *Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*[2]! Ecce quanta superbia quòd homo de terræ limo factus, conatur excellere Angelos, et par esse Deo creatori suo! Unum ergò idemque est vitium superbientis Angeli et superbientis hominis : quamobrem justo Dei judicio parem culpam par pœna sequitur, quia ille de cœlo, et hic ejicitur de Paradiso. Sed illum sine aliquâ spe recuperationis lapsum credimus, quamvis legatur Origenem scripsisse quòd Salvator noster, sicut perditum hominem reparavit, ità quoque post resurrectionem prolapsum Angelum peracto judicio liberabit. Homo verò qui jàm per Mediatorem Jesum Christum solvit Deo quod ei abstulerat, pretium scilicet sanguinis ejus, plùs valentis quàm illud quod ei abstulerat, nunc superest ut pro contumaciâ et superbiâ quâ contra eum tumuit, dignè ei satisfaciat. Quæ ergò dignior vel convenientior potest esse satisfactio pro contumaciâ hominis, qui superbè voluit esse similis Deo, quàm ut Filius Dei humiliter fiat homo? Quia enim homo stultè voluit esse Deus, misericorditer Deus factus est homo. Hinc et beatus Apostolus : *Hoc*, inquit, *sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*[3]. Ecce quàm distinctè superbiam hominis et humilitatem Christi notavit. Homo enim per rapinam conatus est Deo esse æqualis, et hoc arbitratus est se per fructûs vetiti comestionem posse assequi : Christus autem non rapinâ, sed naturâ æqualis Deo fuit. Homo cùm in formâ servi, imò Dei servus esset, superbè se voluit extollere ad similitudinem Dei : Christus verò, *cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*[4]. Adam sine aliquâ necessitate præceptum Dei transgressus est, et obedientiam ejus servare contempsit; Christus verò dicens : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit*[5], per multarum tribulationum difficultates et angustias, factus est obediens Patri, servavitque irrefragabiliter ejus obedientiam, non ad tempus, sed usquè ad mortem, nec ipsam jucundam aut suavem vel honorabilem mortem, sed duram et ignominiosam, mortem scilicet crucis. Undè et ipse hæc omnia sciens et passioni propinquans, cùm discipulos, imò totum genus humanum Deo Patri commendans, oraret pro omnibus : *Et pro eis*, inquit, *sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate*[6]: ac si diceret : Pro eis offero meipsum, qui plùs valeo quàm omnes homines, quos tibi abstulerunt : qui pro eis, cùm essem Deus, Filius tuus unigenitus, homo factus sum, et usquè ad mortem tibi obediens sum : *dirigatur* ergò pro eis *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; *et elevatio manuum mearum* in cruce fiat pro eis *sacrificium vespertinum*[7], ut dimissâ omni peccati originalis maculâ, *sint et ipsi sanctificati.* Sic ergò *cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ*, peractoque sacrificio, et satisfactione ad integrum completâ : *Consummatum est*, inquit; *et inclinato capite emisit spiritum*[8]. Quodque magis mirandum est, et dulci memoriâ retinendum, jugique ruminatione venerandum, non solummodò sanguinem suum qui majoris est pretii quàm tota creatura quæ Deus non est, Patri suo pro nobis recompensavit; sed etiam omnes homines quos primus parens Deo abstulerat, ei ex integro reddidit per virtutem ejusdem sacrificii; dicit enim Apostolus, quia : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*[9]. Habet namque fides Catholica, quòd unusquisque fidelis baptizatus, ab omni peccati originalis maculâ sit liber, et plenè mundatus atque purgatus, ejusdemque est meriti, cujus Adam, antequàm peccaret.

11. Hìc si aliquis quærat quarè, dimisso peccato originali, non dimittitur, nec removetur, sed fixa retinetur pœna ejusdem peccati, id est, mors, hanc quæstionem beatus Augustinus, in Libro de libero arbitrio, ità solvit : « Omnis, inquit, summa salu-
« tis nostræ in fide est, quia *sine fide impossibile*
« *est placere Deo*[10]; et : *Justus ex fide vivit*[11]. *Est*
« *autem fides*, sicut dicit Apostolus, *speranda-*
« *rum substantia rerum, argumentum non ap-*
« *parentium*[12]. Si ergò viderent Judæi atque Pa-
« gani quosque baptizatos ultrà non mori, utiquè
« non propter Christianæ fidei dilectionem, sed
« propter devitandam corporis mortem, omnes

[1] *Gen* III, 5. — [2] *Ibid.* 22. — [3] *Philipp.* II, 5 et 6. — [4] *Ibid.* 6 et 7. — [5] *Joan.* VI, 38. — [6] *Id.* XVII, 19. — [7] *Psalm.* CXL, 11. — [8] *Joan.* XIX, 30. — [9] *Rom.* VI, 3. — [10] *Hebr.* XI, 6. — [11] *Rom.* I, 17. — [12] *Hebr.* XI, 1.

« currerent etiam non vocati ad baptismum, sicque « fides proprium perderet meritum. » Cùm itaque duæ sint mortes, prima scilicet carnis et secunda animæ, undè dicitur in Apocalypsi : *Qui vicerit, non lædetur à morte secundâ* [1], utramque incurrit primus homo, dùm vetitum lignum comedit, in præsenti quidem mortem carnis, in futuro verò mortem animæ, id est, damnationem. Veniens autem Redemptor noster, simplam suam mortem, id est, carnis, duplæ nostræ opposuit, et per eam nos ab utràque liberavit, dùm per suam, nostram destruxit, dicens per Osee Prophetam : *O mors, ero mors tua* [2]. Quamvis, si diligenter consideremus, etiam in animâ solâ duæ mortes inveniantur, una in præsenti, altera in futuro; quandò enim facit aliquis criminale peccatum, moritur in eo anima; dicit namque beatus Augustinus quòd, sicut vita corporis anima, ità vita animæ Deus est. Egrediente animâ, mortuum remanet corpus, et recedente Deo propter peccatum, moritur anima. Propter hanc mortem animæ orabat David: *Illumina oculos meos, ne umquàm obdormiam in morte, nequandò dicat inimicus meus : Prævalui adversùs eum* [3]. Quamdiù enim resistimus adversario et pugnamus contra eum, cujuscumque criminis nobis tentationes inferat, non morimur propter eas, imò coronam nobis et salutem operantur. Si autem, nobis cedentibus et devictis, potuit dicere inimicus : *Prævalui adversùs eum*, heu ! ecce in corpore vivo et lascivo mortua jacet anima. Undè et Apostolus : *Vidua*, inquit, *quæ in deliciis est, vivens, mortua est* [4]. Post hanc verò primam mortem animæ quæ fit in præsenti, sequitur in futuro secunda, quoniam nisi hìc per pœnitentiam resurgat, hinc exeuntem recipit mors, id est, damnatio æterna. Pro hâc damnatione, dicitur in Evangelio de reo illo ministris à rege : *Mittite eum in tenebras exteriores* [5], quoniam nisi hìc quisque per peccatum incurrens cæcitatem mentis, decidat in tenebras interiores cordis, illuc post mortem non mittitur in tenebras exteriores inferni. Per tenebras ergò interiores deciditur in tenebras exteriores, quia per mortem peccati infelix anima mortem incurrit damnationis. Pro hâc morte Dominus dicit in Evangelio : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivit : et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum* [6]. Pro hujus primæ mortis, id est, peccatorum diversitate, tres mortui à Domino resuscitati leguntur in Evangelio : puella in cubiculo, juvenis extra portam, Lazarus quatriduanus in sepulchro : significantes peccatores pro criminis sui modo vel qualitate, alios privatâ, alios publicâ, alios diutinâ pœnitentiâ fore resuscitandos. De his ergò omnibus mortis generibus anima in baptismo liberatur, et deposito veteri homine, novus homo et filius Dei per lavacrum regenerationis efficitur; ejusdemque munditiæ et sanctitatis existens, cujus fuit Adam, antequàm peccaret, de baptismo egreditur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* [7]. Mors tamen carnis retinetur, ne non propter animæ, sed propter carnis mortem devitandam ad baptismum veniant. Veniet autem tempus, quandò *novissima inimica destruetur mors* [8], in resurrectione scilicet, cùm integro numero, collectis omnibus qui ad complendam perfectionem cœlestis illius gloriosæ civitatis Jerusalem fuerint necessarii, dabuntur singulis, non singulæ, sed binæ stolæ albæ, id est, perfecta immortalitas animæ et corporis; sicque *corruptibile nostrum induet incorruptionem, et mortale nostrum induet immortalitatem : deindè fiet sermo qui scriptus est* : *Absorpta est mors in victoriâ* [9], nosque perpetuò lætantes videbimus quomodò erit Deus omnia in omnibus. Amen.

12. Ecce ergò, fratres charissimi, jàm audivimus quâ ratione Deus homo factus *operatus est salutem in medio terræ* [10]: nunc verò, si placet, audiamus quomodò antiqui Patres ante legem et sub lege in eum credentes, ejus desideraverunt adventum : quomodò cum lacrymis, ut eum viderent, suspiraverunt : quomodò mysterium Incarnationis ejus et verbis et factis prænuntiaverunt. Si quis enim diligenter inspicere velit, quidquid nunc diximus de Incarnatione Domini, in antiquis Scripturis reperire poterit. Verùm quia non omnia Scripturæ divinæ testimonia facilè possunt replicari, illud certè quod Moyses omnium primum ponit, inspiciamus quomodò consonet his quæ suprà dicta sunt : *In principio*, inquit, *creavit Deus cœlum et terram* [11], cœli nomine cœlestem creaturam, id est, Angelos, terræ verò, terrenam, id est, humanam volens intelligi. Quia verò non de Angelis, sed de homine referre proposuerat, cœlo interim dimisso, addit : *Terra autem erat inanis et vacua* [12], id est, humana natura benè à Deo creata, protoplasti peccato prorsùs inanis totius boni et vacua virtutibus ità facta est, ut nihil in eâ prioris dignitatis vel munditiæ inveniretur : *Et tenebræ erant supra faciem abyssi* [13]. Abyssi nomine cor humanum potest intelligi, Jeremiâ dicente : *Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud* [14]? Sicut enim profundum abyssi nullus nostrûm penetrare valet, nec ad ejus finem pertingere; sic et humani cordis altitudinem vel ingenium aut versutias non facilè dijudicare vel cognoscere possumus, ità ut quem nobis magis blandiri exteriùs conspici-

[1] *Apoc.* II, 11.— [2] *Ose.* XIII, 14.— [3] *Psalm.* XII, 4 *et* 5. — [4] *Tim.* V, 6.— [5] *Matth.* XXII, 13.— [6] *Joan.* XI, 25 *et* 26.— [7] *Id.* I, 12. — [8] I *Cor.* XV, 26. — [9] *Ibid.* 53 *et* 54. — [10] *Psalm.* LXXIII, 12. — [11] *Gen.* I, 1. — [12] *Ibid.* 2. — [13] *Ibid.* — [14] *Jerem.* XVII, 9.

mus, ab eo sit nobis nonnumquàm potiùs cavendum interiùs, dùm dolos vel astutias ejus non intelligimus. *Tenebræ ergò erant supra faciem abyssi*, quia post illud peccatum protoplasti, corda humana divinæ cognitionis tanta contexit ignorantia, ut etiam, relicto Creatore, deos esse crederent sua opera vel figmenta, nec cur facti, vel à quo facti essent homines, aliquis penè eorum cognosceret; *et Spiritus Dei ferebatur super aquas*[1], per ora Prophetarum qui, Spiritu sancto edocti, prænuntiabant per aquas baptismatis reddendam esse salutem generi humano. Ecce quàm breviter descripsit per inanitatem et vacuitatem terræ, et per tenebras abyssi, ignorantiam totius mundi, quæ tanta erat, ut, exceptis paucis intra Judæam hominibus vel Prophetis, vix aliquis sciret cur natus fuerit. Sed cùm tenebræ istæ jàm per quinque millia et eo ampliùs annos mundum contexissent, illudque tempus advenisset de quo dicit David : *Tu exsurgens, Domine, misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus*[2], dixit Deus : *Fiat lux*[3]. Quæ est ista lux, nisi Filius Dei, Deus de Deo, lumen de lumine : quæ erat quidem cum Patre, non facta, sed genita, et videbatur ab Angelis, quos claritatis suæ illustrabat aspectu; sed ab hominibus videri non poterat, quia oculos eorum tenebrarum densitas operuerat. Nam nec cæcus solem clarè fulgentem videre potest, quoniam non habet oculos quibus eum videat. Non ergò culpa solis est, quòd non videtur, sed culpa cæci. Sic et homines non poterant videre lucem illam præcipuam, quia visum illum quo Deus videtur, amiserant. Erat itaque lux ista apud Patrem, sed facta non erat, quia Filius Dei nec factus, nec creatus, sed tantùm à Patre est genitus. Quia ergò homo, infixus in limo profundi, tantæ altitudinis lucem videre non poterat, dixit Deus : *Fiat lux :* ac si diceret : Quoniam miser homo tenebrarum caligine pressus, non potest videre lumen mihi coævum et coæquale, id est, Filium meum, volo ut Filius meus per quem omnia facta sunt, illi condescendens, fiat talis lux quam videre oculis corporeis possit, id est, incarnetur et fiat homo : ut, quia homo non potest videre Deum qui spiritus est, Deus fiat homo, et ab homine videatur ut homo : quatenùs hominem videndo et Deum hunc esse recognoscendo, per visionem hominis paulatim redeat et ascendat ad visionem Dei : *Et facta est lux*[4], id est, *Verbum caro factum est*[5]. *Dùm ergò medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo Dei de cœlis à regalibus sedibus venit*[6]. Hoc licèt de vindictà Dei quæ facta est medià nocte in Ægypto, quandò omnia primogenita occisa sunt, dictum sit, tamen etiam de Incarnatione Domini convenienter intelligitur. Duæ quippè voces in mundo sonuerunt, primò vox Prophetarum venturum Christum prædicentium, secundò vox Apostolorum eum venisse clamantium. Quas duas voces significabant duo Seraphim de quibus dicit Isaias, quòd *clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanctus*, etc.[7]. Quod enim futurum Prophetæ prædixerunt, Apostoli factum esse prædicaverunt. Sed tempore Dominicæ Nativitatis, Prophetis jàm ex majori parte defunctis, prophetia penè refrigerat; Apostolorum verò prædicatio necdùm intonuerat : sicque inter voces medium silentium intercesserat. Ante adventum etiam Christi dictum fuerat : *Notus in Judæà Deus, in Israel magnum nomen ejus*[8] : eo autem adveniente, nox in suo cursu medium iter habebat, quia tanta noctis et tenebrarum, id est, ignorantiæ caligo excreverat, ut nec ipsi Judæi qui Prophetas legebant, nec Gentiles eum cognoscerent, sicut Joannes dicit : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit : in propria venit, et sui eum non receperunt*[9]. In tantà ergò tenebrarum densitate subita lux de cœlo refulgens, venit *illuminare his qui in tenebris et in umbrà mortis sedebant*[10], ut compleretur illud Isaiæ : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*[11]. Hanc lucem significat etiam ille Cereus quem singulis annis in vigilià Paschæ pulcherrimo more sancta Ecclesia novum facere et accendere consuevit : undè et ipsi Cereo inscribitur quotus annus sit Dominicæ Incarnationis, quatenùs per hoc etiam pueri patenter intelligant ad recordationem eum fieri illius novæ lucis, quæ de cœlo in terrà refulsit. Nam et ipsæ tenebræ quæ tribus diebus ante Pascha recoli jubentur, easdem tenebras de quibus locuti sumus, significant, quas Christus veniens illustravit. Et benè tribus diebus fiunt, propter tria tempora quæ ipsam lucem præcesserunt : primum tempus ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratià : ante legem, à principio mundi, id est, ab Adam usquè ad Moysem : sub lege, à Moyse usquè ad Joannem; sic enim ipse Dominus in Evangelio determinat dicens : *Lex et Prophetæ usquè ad Joannem ; et ex eo regnum Dei evangelizatur*[12] : benè ergò etiam tempore gratiæ, licèt jàm nato Christo, tenebræ durant, quia ab Abel justo usquè ad passionem Christi, quantumcumquè piè et justè viverent Sancti, morientes tamen in tenebras et in infernum ire cogebantur, licèt nequaquàm igne vel tormentis sicut impii punirentur. Hinc est quòd sancta Ecclesia, quamvis

[1] *Gen.* I, 2. — [2] *Psalm.* CI, 14. — [3] *Gen.* I, 3. — [4] *Ibid.* — [5] *Joan.* I, 14. — [6] *Sap.* XVIII, 14 *et* 15. — [7] *Isai.* VI, 3. — [8] *Psalm.* LXXV, 2. — [9] *Joan.* I, 10 *et* 11. — [10] *Luc.* I, 79 — [11] *Isai.* IX, 2 — [12] *Luc.* XVI, 16.

probatissimi Patres ante Christum fuerint, de nullo tamen eorum qui, priusquàm Christus pateretur, mortui sunt, diem agere consuevit solennem, excepto sancto Joanne Baptistâ, et Innocentibus, septemque fratribus Machabæis[a], quia omnes pariter ducebantur ad infernum. Quandò enim festum alicujus Sancti colimus, congaudemus ei utiquè, et Deum collaudamus de eo quòd animam ejus eductam de corpore levaverit ad cœlum. Quorum autem animæ ducebantur ad infernum, quomodò de eis fiet solennitas, quibus magis videtur compatiendum quàm congaudendum? Postquàm autem, Christo ad inferos descendente, *populus* Sanctorum *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, et educti sunt à Domino in manu forti et brachio extento*[1], statim impletum est illud Apostoli : *Quoniam tenebræ transierunt, et lumen verum jàm lucet*[2]. Hæc tria tempora significant etiam illæ tres Missæ quas in præsenti Natalis Dominici die celebraturi sumus. Prima enim Missa in nocte significat tempus ante legem, quandò, exceptis paucis Patriarchis, nox ignorantiæ contegebat fidem vel agnitionem Dominicæ Incarnationis. Secunda Missa aurorâ apparente significat tempus sub lege, quandò in Psalmis et Prophetis remotâ ex parte magnâ priori nocte, incipit apparere fulgor nascituri Solis. Tertia verò Missa in die designat tempus gratiæ, quandò *exortum est in tenebris lumen rectis corde*[3]. Undè et Angelus qui eamdem Nativitatem pastoribus nuntiavit, cum lucis claritate apparuit[4], quod numquàm anteà legitur contigisse, insinuans jàm priores tenebras spiculo novi Solis penitùs effugandas esse. Postquàm ergò dixit Deus : *Fiat lux, et facta est lux,* rectè subjungitur : *Et vidit Deus lucem quòd esset bona, et divisit lucem à tenebris*[5]. Videre Dei, et approbare et laudare est. *Vidit* ergò *lucem quòd esset bona* , id est, placuit ei et laudavit quidquid ille verus Sol faciebat, dicens super eum in Jordane baptizatum vel in monte transfiguratum : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*[1]. *Et divisit lucem à tenebris,* dicens ei : *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*[2]. Vel lucem possumus hic intelligere Apostolos ejus, qui participatione veræ lucis et ipsi facti sunt lux, sicut eis dicitur à Domino : *Vos estis lux mundi*[3]. Hos divisit à tenebris, dicens eis : *De mundo non estis; sed ego elegi vos de mundo : propterea odit vos mundus*[4]; et alibi : *Veni separare hominem adversùs patrem, et filiam adversùs matrem,* et cætera[5]. *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*[6]. Diem se nominari Dominus designat, dicens Apostolis : *Nonne duodecim sunt horæ diei*[7], quia videlicet ipse dies duodecim habebat Apostolos? Apostoli quoque dies vocantur, dicente Psalmo : *Dies diei eructat verbum*[8]; et item : *Dies formabuntur, et nemo in eis*[9]. Noctem et tenebras vocari impios, nullus ignorat. Statim verò de Passione ejus subditur : *Factumque est vespere et mane dies unus*[10]. Per *vespere* et *mane,* intelligi Passionem et Resurrectionem David breviter ostendit, dicens : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia*[11], scilicet Apostolis, qui Christo patiente tristati, resurgente verò sunt lætati; et sub personâ Christi : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Notandum autem quàm congruè noluerit dicere : *Factum est vespere et mane dies primus*, sicut dicit de consequentibus, sed *dies unus :* quod multùm valet contra hæreticos, qui alteram Dei, alteram hominis dixerunt esse personam. Ponit ergò : *Factum est vespere et mane dies unus*, ac si dixisset aptiùs : Licèt Christus passus sit ac mortuus non ex divinitatis, sed ex humanitatis naturâ, resurrexit autem per deitatis potentiam, non tamen ex duabus personis constare dicendus est,

[1] *Deut.* V, 15. — [2] I *Joan.* II, 8. — [3] *Psalm.* CXI, 4. — [4] *Luc.* II, 8-11. — [5] *Gen.* I, 4.

[1] *Matth.* III, 17. — [2] *Psalm.* CIX, 1. — [3] *Matth.* V, 14. — [4] *Joan.* XV, 19. — [5] *Matth.* X, 35. — [6] *Gen.* I, 5. — [7] *Joan.* XI, 9. — [8] *Psalm.* XVIII, 3. — [9] *Id.* CXXXVIII, 16. — [10] *Gen.* I, 5. — [11] *Psalm.* XXIX, 6.

[a] Errat certè hic Hermannus : præter hos enim, Ecclesia celebrat festum S. Josephi, sponsi B. Mariæ Virginis, et S. Annæ, matris ejusdem B. Mariæ Virginis. Prætereà, sanctorum Patriarcharum et Prophetarum solennis olim commemoratio fiebat. Nam, præterquàm quòd in omnibus precibus Eucharisticis gloriosa eorum peragebatur memoria, uti constat tùm ex scriptis Liturgicis, cùm etiam ex infinitis propè testimoniis Epiphanii, Cyrilli Jerosolymitani, Chrysostomi aliorumque, privatæ quædam Ecclesiæ sanctorum Prophetarum templa etiam habebant et festa. Hinc, teste Vandiho, Annal. Tom. 3, an. 1742, n. 49, Ecclesia Jerosolymitana suum habuit perantiquum Calendarium, ubi festa recensentur Sophoniæ, Malachiæ, Davidis, etc. Ad hæc, Constantinopoli templum visebatur, quod sancto Elisæo prophetæ dedicatum fuit, quo etiam ejus reliquiæ inlatæ fuere quarto Ecclesiæ sæculo. Vide etiam Dufresnium in Constantinopoli Christianâ, Lib. 4, c. 4. SELVAGIUS, *Institut. antiquitatum Christianarum*, Tom. 4, Lib. 2, Part. 2. Venet. 1794.

Aliundè ratio propter quam Ecclesia tantùm celebrâsset, juxta Hermannum, festum SS. Joannis Baptistæ, Innocentûm et septem fratrum Machabæorum, fuisset quòd « omnes pariter ducebantur ad infernum. » Porrò et hi etiam, quamvis gloriosæ morti succubuerint, ad infernos descenderunt, siquidem Jesus Christus solus januam cœli aperire debebat, ex quo eam clauserat Adæ peccatum, et in cœlestem patriam cum ipso introducere omnes animas Justorum Veteris Testamenti. Addit Hermannus quòd dies in quo festum alicujus sancti colitur, dies est gaudii : atqui, *inquit,* magis videtur compatiendum quàm congaudendum de his animabus quæ ad infernum ducebantur. Respondemus quòd, quandò Ecclesiæ cœpit agere festum quorumdam Veteris Testamenti Justorum, jàm eos ab inferis eduxisset Christus *in manu forti et brachio extenso,* et in cœlum collocâsset, ubi est *lætitia sempiterna super capita eorum* (*Isai.* LI, 11).

sed ex duabus naturis : nec in eo Deus est ab homine separandus, quia Deus et homo unus est dies, id est, unus est Christus. Undè et congruè sancti Patres instituerunt, ut sanguis Christi in sacrificium altaris numquàm de vino puro consecretur, sed semper in calice cum vino aqua misceatur[a], per vinum Divinitatem, per aquam verò intelligi volentes Christi humanitatem.

13. His verò de Christi Nativitate, passione ac resurrectione, nostrâque redemptione breviter à Moyse prælibatis, rursùs post operationem sex dierum, de Tabernaculo in quo requievit, id est, de

[a] Scilicet, hoc ex apostolicâ traditione perpetuò sancta Ecclesia servavit, imprimis ob hanc rationem quia id a Christo Domino factum esse credit : quod testantur, inquit Cardinalis Bona, Lib. 2 rerum Liturgicarum, c. 9, antiquæ Liturgiæ Jacobi, Marci, Basilii et Joannis Chrysostomi, dicentes Christum, postquàm cœnavit, accepisse calicem et vino aquam miscuisse. Hinc definitum fuit 1° in Concilio Carthaginensi III, Can. 24 : « Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil am« pliùs offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit, hoc est, « panis et vinum aquâ mixtum. » 2° In Concilio IV Aurelianensi, Can. 4 : « Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod « ex fructu vineæ speratur, et hoc[a] aquâ mixtum offerre præ« sumat, quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod « in mandatis sacratissimis Salvator instituit. » Concilium quoque Antissiodorense, Can. 8, Vormatiense, Can. 4, Triburiense, Can. 19, vinum aquâ mixtum offerri decreverunt. Id anteà constituerat Alexander I : « Instituit enim ille ut in « consecratione corporis et sanguinis Domini vinum aquâ « misceretur, propter sanguinem et aquam quæ ex Jesu Christi « latere profluxerunt. » (*Joan.* XIX, 34)[b]. Non certè auctor hujus mixtionis fuit, ut nonnulli perperàm scripserunt, sed adversùs hæreticorum errores, quod ex Domini et Apostolorum traditione acceperat, scripto firmavit. Longam de hoc argumento Epistolam scripsit ad Cæcilium Cyprianus, quam laudat Augustinus, Lib. 4 de Doctrinâ christianâ, cap. 21, hoc Domini præceptum esse affirmans, cujus transgressio gravissimum peccatum sit, et hujus ineffabilis sacramenti mutilatio. Justinus Martyr, Apolog. 2, Irenæus, Lib. 4, c. 57, Damascenus, Lib. 4 de Fide orthodoxâ, c. 14, Gennadius de ecclesiasticis Dogmatibus, c. 75, Ambrosius, Lib. 5 de Sacramentis, c. 1, et Augustinus, Sermone ad Neophytos, docent, primus, quòd panis, vinum et aqua offeruntur : secundus, quòd « Dominus accipiens panem, suum corpus confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit : » tertius, quòd, « consimili modo, acceptum calicem vino et aquâ constantem impertivit eis : » quartus, quòd « in Eucharistiâ non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum cum aquâ mixtum : » quintus, quòd aqua vino miscetur, tùm quia Christus petra est, quam illa præfiguravit, ex quâ Moyses aquam eduxit (*Exod.* XVII, 6), tùm quia ex latere Christi sanguis et aqua fluxerunt : sextus tandem ait : « Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce : hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere. » Theodolphus Aurelianensis duplicem ejusdem mixtionis causam agnoscit in Libello de Ordine baptismi, quem edidit Menardus, in Notis ad Librum Sacramentorum, cap. 18, sive quia de latere Domini aqua cum sanguine fluxit, vel quia per vinum Christus, per aquam populus significatur : quam secundam rationem elegantissimè pertractat Cyprianus in laudatâ ad Cæcilium Epistolâ, quam referunt Cardinalis Bona, loco laudato, et Patres Concilii III Bracarensis, Can. 1.—Hydroparastatas sive Aquarias et Encratitas, qui solâ aquâ utuntur in mysteriis, itemque Armenos, qui solum vinum adhibent, semper damnavit Ecclesia. Aquariorum mentionem faciunt Clemens Alexandrinus, Lib. 1 Stromatum, Irenæus, Lib. 5, c. 1, Chrysostomus, Hom. 83 in Matthæum, Augustinus, Lib. de Hæresibus, c. 64, Epiphanius, Hæres. 46 adversùs Encratitas, Theodoretus, Lib. 1 hæretic. Fabul., c. 20. Aliam Aquariorum speciem Cyprianus impugnat in prædictâ Epistolâ 63, eorum nimirùm qui, cùm vespere calicem cum vino et aquâ, sicut Dominus obtulit, offerrent, in matutinis tamen et antelucanis cœtibus solâ aquâ utebantur, ne Gentiles ex odore vini eos agnoscerent. Armenos damnavit Concilium Trullanum, Can. 22, eosque egregiè confutat Clemens Galanus, Tom. 2 secundæ Partis conciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romanâ, Tract. de novâ Lege, Quæst. 4, § 3, Sect. 2. Hi, stultorum more, dùm Aquariorum hæresim vitant, in contrarium errorem lapsi sunt, solum vinum offerentes : sive per solum vinum unam dumtaxat in Christo naturam designârint, à Jacobo Syro, Eutychianæ blasphemiæ propagatore seducti, ut Nicephorus indicavit, Lib. 18 Ecclesiast. Hist. c. 53 : sive aquam detraxerint, ut à Græcis separarentur, ut ex quâdam illorum historiâ colligitur.—Exin hæc doctrina Concilii Tridentini, Sess. 22, cap. 7 : « Monet sancta Synodus præceptum esse « ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo « miscerent, tùm quòd Christum Dominum ità fecisse creda« tur, tùm etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine « exierit : quod Sacramentum hâc mixtione recolitur : et cùm « aquæ in Apocalypsi beati Joannis *populi* dicantur (*Apoc.* « XVIII, 15), ipsius populi fidelis cum capite Christo unio re« præsentatur. »

Refert Bernardus, Epist. 69, quorumdam opinionem existimantium aquæ mixtionem necessariam esse ad sacramenti integritatem ; sed certa est Theologorum sententia omissâ aquâ validam esse consecrationem, quamvis omittens graviter peccet. Cùm verò aqua mysterii causâ apponatur, vel minima gutta sufficiens est : de quâ re Antonius Augustinus, vir doctissimus, in synodalibus Constitutionibus Tarraconensibus Pii V ad illius civitatis Archiepiscopum, constitutionem affert, in quâ nonnullos arguit, qui non guttam tantummodò aquæ, sicut fieri debet, calici infundebant, sed plus aquæ quàm vini, quod omninò corrigi et emendari præcepit. Hunc autem excessum præcaventes, quædam Ecclesiæ aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, et ex eo in calicem fundere, qui mos adhuc permanet in Ecclesiis Carthusianorum. Romano ritu, dùm aqua miscetur vino, dicitur Oratio : *Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem*, quæ exstat in Missâ veteri Argentinæ editâ ab Illyrico et in Tillianâ apud Menardum. Ecclesiæ omnes Orientales et plures Latinæ in eâdem mixtione sanguinem et aquam è Christi latere fluxisse commemorant : sic enim Ambrosiani dicunt, cùm aquam infundunt : « De latere Christi exivit sanguis et aqua pariter, in nomine Patris, etc. » Sic Lugdunenses : « De latere Domini nostri Jesu « Christi exivit sanguis et aqua tempore passionis : id est « mysterium S. Trinitatis. Joannes Evangelista vidit et testi« monium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium « ejus. » Sic Hispalenses : « Ex latere Domini nostri Jesu « Christi sanguis et aqua exiisse perhibetur, et ideò pariter « commiscemus, ut misericors Deus utrumque ad medelam « animarum nostrarum sanctificare dignetur. » Sic Cistercienses prisco ritu : « Sicut de latere Domini nostri Jesu Christi exi« vit sanguis et aqua, sic fiat pariter commixtio vini et aquæ « in remissionem peccatorum nostrorum. »

Græci bis aquam miscent, semel frigidam, cùm in Prothesi sancta dona præparant, pungente sacerdote panem

[a] In antiquis editionibus hujus Canonis textum corruptum fuisse pridem observârunt viri eruditi ; nam sic legebatur : « Et hoc sine aquâ mixtum ; » repugnat autem quòd mixtum sit et sine aquâ ; quare delenda est vox *sine*, vel in *nisi* mutanda, quod forsitan verius est.

[b] Ex Lectione IV Nocturni II in Festo S. Alexandri I, papæ et martyris, die XI Maii. BREV. ROMANUM.

beatissimâ matre ejus, Dominâ nostrâ, sanctâ Mariâ, dignam memoriâ protulit sententiam, dicens : *Plantaverat autem Dominus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formaverat*[1]. Hoc si solummodò de illo paradiso in quo positus est Adam ad litteram dictum intelligatur, mirum videtur quomodò à principio plantatus esse dicatur. Nam non in principio, sed die tertio, jubente Deo, *protulit terra herbam virentem, lignumque faciens fructum*[2]. Si ergò die tertio primitùs factæ sunt arbores, quomodò à principio *paradisus iste* plantatus dicatur? Sed si figuratè de Dominâ nostrâ dictum intelligatur, omnis quæstio solvitur. Plantaverat enim eam reverà Dominus à principio; et cùm ab ipso Filio ejus in Evangelio dicatur : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur*[3], liquet profectò quòd illa quam plantavit, fixè et altiùs stabilita eradicari non potest. Plantaverat ergò eam Dominus à principio, quia, *antequàm quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata erat, et ex antiquis, antequàm terra fieret*[1] : immobiliter in præscientiâ suâ Deus proposuerat et definierat per ejus fructum reparare genus humanum. *Paradisum* autem eam sæpè vocat sancta Ecclesia, cùm in ejus laude illud Cantici Canticorum decantat : *Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*[2]. Paradisus namque *locus deliciarum* interpretatur : et quis magis locus deliciarum intelligi potest, quàm venter ille in quo panis Angelorum et deliciæ eorum novem mensibus reconditus mansit? *Plantaverat itaque Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formaverat*, id est, paraverat aulam regiam à principio, in quâ poneret Filium suum, coæqualem sibi et coæternum, cùm hominem formaverat. Sed quomodò plantaverat, et qualem plantaverat hunc paradisum? Planè talem, cui nulla deesset voluptatis causa. Cùm enim vult rex aliquis dives sibi ædificare aulam, in quâ fessus requiescere et frequentiùs velit habitare, eligit utiquè competentem locum, id est, aquis irriguum, arboribus

[1] *Gen.* II, 8. — [2] *Id.* I, 12. — [3] *Matth.* XV, 13.

[1] *Prov.* VIII, 22 *et* 23. — [2] *Cant.* IV, 13.

sanctâ lanceâ et dicente : « Unus militum lanceâ latus ejus « aperuit, statimque exivit sanguis et aqua, » et diacono infundente vinum et aquam : deindè calidam post consecrationem, immediatè ante communionem, petente diacono à sacerdote ut aquam fervidam benedicat, illo verò benedicente his verbis : « Benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc, « et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Tùm diaconus infundit in calicem dicens : Fervor fidei plenus Spiritu sancto. Amen. » Rationem reddunt hujus secundæ mixtionis Scriptores græci apud Goar in Notis ad Missam Chrysostomi, Num. 167, et apud Arcudium, Lib. 3 suæ Concordiæ, cap. 39, tùm quia aqua calida è latere Christi exivit, tùm quia per eam, fervorem sancti Spiritûs intelligi volunt. Addi potest Theodorus, Antidorum Episcopus, apud Allatium in Hottingero convicto, cap. 9 : « Dictum est, ait ille in expositione « Missæ, in principio Prothesis quo præparentur modo à dia- « cono tunc infundente partem pusillam aquæ. Et sic manent « quousquè sanctificentur et transmutentur Spiritu sancto, et « ad tempus exaltationis pretiosi corporis Christi et Dei « nostri. Tùm verò adducitur aqua calida in parvo lebete, ex « eâque infundunt in sacræ mensæ apposita, sive crateres « sint, sive pocula, ut, sicuti supra naturæ vires tamquàm ex « vivente utraque tunc processerunt ex sacro latere calidi- « datis plena, pari modo et aqua perquàm maximè calida « tempore communionis immixta perfectum typum absolvit « eorum qui communicant ex calice, tamquàm qui per illam « lateri vitam exhibenti contigui fiunt. » Hunc autem Græcorum ritum quidam è nostris Theologis ignorantes, vel utramque mixtionem confundunt, ut Estius, vir alioquin doctissimus, Oratione Theologicâ 16, vel putant eos aquam non apponere, ut Guido Carmelita, Libro de Hæresibus, vel aquæ calidæ infusionem impugnant, ut Umbertus, Sylvæ candidæ Episcopus, in invectiva adversùs Nicetam Pectoratum; sed immeritò hâc de causâ Græci vexantur; hunc enim ritum in suis Liturgiis præscribunt sancti Patres Basilius et Chrysostomus, usuque perpetuo orientalis Ecclesiæ sacerdotes doctrinâ et sanctitate conspicui comprobârunt. Hunc eumdem Græcorum morem convellit S. Thomas, Part. 3, Quæst. 83, Art. 6 ad 4, dicens : « Nullo modo debet aqua vino jàm consecrato misceri, « quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliquâ parte. » Quæ doctrina ex ignoratione approbati ritûs procedens, Latinis præbuit ansam Græcos impugnandi in Concilio Florentino, pro quibus optimè respondit Episcopus Mitylenensis, et Eugenio Papæ plenè satisfecit.

Præter hunc ritum Græcis proprium, viget etiam apud illos alter usus quem abs re non est cognoscere. Solent ingenti pompâ et apparatu è Prothesi ad majus altare sacra dona consecranda deferre, quam cæremoniam *majorem ingressum* vocant. Egressi enim tàm Celebrans quàm Ministri è portâ minoris aræ, per Ecclesiam procedunt, incipientes à parte virorum. Antecedunt lectores cereas faces præferentes, et diaconi cum thuribulis thus adolentes. Sequitur diaconus sive sacerdos, qui panem in disco positum et opertum velamine in capite gestat, et post illum alius, qui calicem item opertum ante pectus defert. Quod si adsint plures sacerdotes concelebrantes, hi processionem comitantur, vacuos calices ornatûs gratiâ, et alia altaris instrumenta sive Sanctorum reliquias portantes. Cantores interim gravi cantu cherubicum hymnum modulantur, et Episcopus omnibus benedicit. Populus verò procumbens ipsa nuda elementa panis et vini nondùm consecrata, ac si jàm essent in corpus et sanguinem Christi transmutata venerabundus adorat. Jacobus Goar ad Liturgiam Chrysostomi, Num. 110, hanc adorationem sustineri posse tamquàm orthodoxam existimat, utpotè exuberans devotionis argumentum, quo consecratio prævenitur, et cultum exhiberi ait vel signo crucis in pane impresso, vel Christo ipsi, qui paulò post sub illis speciebus præsens aderit; fatetur tamen plebem erudiendam et admonendam, ne fortè Christum jàm ibi præsentem esse opinetur. At vir doctissimus, natione Græcus, Petrus Arcudius, Lib. 3 de Eucharistiâ, à capite 16 ad 25, hanc adorationem inter Græciæ heterodoxæ errores commemorat, rudemque populum errandi occasionem hausisse docet ex pompâ quâ dona circumferuntur, vel ex eo quòd non distinguat inter ingressum qui fit in Missâ præsanctificatorum, in quâ verum Christi corpus, et ingressum aliarum Missarum, in quibus panis nondùm consecratus circumfertur. Scripsit Librum pro hâc adoratione Gabriel, Archiepiscopus Philadelphiæ, cui doctè et diffusè respondit Arcudius. (CARDINALIS BONA, Lib. 2 rerum Liturgicarum, c. 9.)

consitum, locorum naturâ munitum, nemori contiguum, hortorum abundantiâ circumseptum. Videamus si aliquid ex his defuit illi cœlesti aulæ, Dominæ nostræ. Aquis fuit irriguus iste paradisus, quia *fons ascendebat de terrâ, irrigans universam superficiem terræ*[1]; et paulò post: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui indè dividitur in quatuor capita*[2]. Quis est iste fons sive fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis? Nimirùm iste est de quo dicit Zacharias : *In die illâ erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris et menstruatæ*[3]. Iste egredietur de loco voluptatis, de utero scilicet sanctæ Mariæ, irrigans universam superficiem terræ, id est, sanctæ Ecclesiæ peccatores abluens, justos dulci potu reficiens, juxta illud : *Super aquam refectionis educavit me*[4]; et item: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*[5]: qui indè dividitur in quatuor capita, quia unicuique Evangelistarum divisit quid vel quantum de se dicere deberet. Et vide quàm mirabiliter etiam ipsos Evangelistas exprimit et determinat! *Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum; et aurum terræ illius optimum est*[6]. Quia aurum pretiosius est omnibus metallis, et divinitas Christi pretiosior est humanitate, non incongruè per *Phison*, qui circuit terram in quâ nascitur aurum, intelligimus Joannem, qui altiùs cæteris de divinitate Christi contemplatus est et locutus. *Et nomen fluvii secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ*[7]. Matthæum in Æthiopiam ad prædicandum missum esse, eamque prædicando circuisse et ad fidem convertisse, ibique passum fuisse, legimus; ideòque per *Gehon*, rectè ipse designatur. *Nomen verò fluminis tertii Tigris: ipse vadit contra Assyrios*[8]. Lucam natione Syrum fuisse legimus, qui ad Christum conversus, vadit contra Assyrios, dùm contra errorem paternum scribit Evangelium; ideòque per *Tigrim* potest designari. *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates*[9], qui circuit Babyloniam et Alexandriam in quâ Marcus prædicavit, et Evangelium scripsit, atque passus est; et ideò non incongruè per *Euphratem* potest idem Marcus designari. Paradisus ergò iste, id est, Dei Genitrix, *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium*[10], quam *sicut dies verni circumdant flores rosarum et lilia convallium*[11], quæ *sicut cinnamomum et balsamum aromatizans suavissimo jugiter fragrat odore*[12], paradisus, inquam, iste, videamus quàm forti polleat munitione. Dicitur in amoris Cantico : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis suis : mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium*[13]. Collum inter caput et corpus medium est, caputque jungit corpori. Collum ergò sanctæ Ecclesiæ competenter Domina nostra intelligitur, quæ inter Deum et homines mediatrix existens, dùm Dei Verbum incarnatum genuit, quasi caput corpori, Christum Ecclesiæ, divinitatem humanitati nostræ conjunxit. Hæc sicut turris David constructa dicitur, quia hanc rex David ille manu fortis contra Nabuchodonosor regem Babylonis erexit et munivit, in hanc contra eum pugnaturus intravit, sicut in Evangelio dicitur : *Intravit Jesus in quoddam castellum*[14]. Ex hâc castellum illud expugnavit, ad quod invadendum præmittens milites suos, dicit eis : *Ite in castellum quod contra vos est; et invenietis asinam*, id est, naturam humanam *alligatam* à rege Babylonis : *solvite et adducite mihi*[15]. Ex hâc turre fortem illum devicit, qui in pace eatenùs atrium suum custodiens[16], sedebat in medio fluminum suorum, teste Isaiâ, et dicebat : *Sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt; sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret*[17], ex hâc, inquam, turre egrediens ille verus David, *rufus et pulcher aspectu*[18], *rufus* propter aspersionem sanguinis de latere vel pedibus ac manibus defluentis, *pulcher aspectu*, quia *speciosus formâ præ filiis hominum*[19], Goliath superbum in fronte percussit, prostratumque gladio proprio interficiens[20], *universa arma ejus in quibus confidebat abstulit, et spolia ejus distribuit*[21]; sicque victor ad milites suos cum triumpho rediens : *Confidite*, ait, *ego vici mundum*[22]; et: *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foràs*[23]. Hæc itaque turris ædificata est cum suis propugnaculis, virtutibus scilicet principalibus vel donis Spiritûs sancti protegentibus eam, sicut ei per Gabrielem dicitur : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*[24]. *Mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Per millenarium qui perfectus est numerus, significatur universis refertam fuisse virtutibus : undè et ab Angelo rectè *gratiâ plena* dicitur[25]: quod etiam tunc confirmatur, cùm dicitur : *Omnis armatura fortium*, quia videlicet omnes virtutes, quibus fortes, id est, sancti viri singuli, ab Angelis Dei dono muniti fuerant, ista sola universaliter in se suspensas et quasi insertas et infixas habuit. Quis autem cogitare vel æstimare sufficiat quomodò Angelicæ cohortes, ad obsequium ejus deputatæ, ei assisterent

[1] *Gen.* II, 6. — [2] *Id.* II, 10. — [3] *Zach.* XIII, 1. — [4] *Psalm.* XXII, 2. — [5] *Ibid.* XXXV, 9. — [6] *Gen.* II, 11 *et* 12. — [7] *Ibid.* 13. — [8] *Id.* II, 14. — [9] *Ibid.* — [10] *Cant.* IV, 12 *et* 15. — [11] *Eccli.* L, 8. — [12] *Id.* XXIV, 20. — [13] *Cant.* IV. 4. — [14] *Luc.* X, 38. — [15] *Id.* XIX, 30. — [16] *Id.* XI, 21. — [17] *Isai.* X, 14. — [18] I *Reg.* XVI, 12. — [19] *Psalm.* XLIV, 3. — [20] I *Reg.* XVII, 49-51. — [21] *Luc.* XI, 22. — [22] *Joan.* XVI, 33. — [23] *Id* XII, 31. — [24] *Luc.* I, 15. — [25] *Ibid.* 28.

jugiter? Undè et in eodem Cantico : *En lectulum*, inquit, *Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi*[1]. Quid enim, *lectuli* nomine, convenientiùs quàm ille venter designatur, in quo verus ille Salomon, rex scilicet pacificus, *cujus vultum desiderat universa terra*[2], novem mensibus dulciter jacens requievit, et posteà de eo, tamquàm de thalamo, sponsus processit[3]? Hunc lectulum *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*, quia non minores Angeli, sed sexaginta, id est, perfectæ et infinitæ supremarum Virtutum et Potestatum legiones ad ejus servitium directæ, assiduè illam circumdant et ambiunt, quatenùs et ei aliquid præcipienti sine morâ obediant, et appropinquantes fortè adversarios illicò procul ab eâ repellant. Hunc itaque *paradisum voluptatis à principio Deus plantavit, in quo posuit hominem quem formavit*, id est, Filium suum, sibi coæternum Verbum, carnem factum, beatæ Virginis alvo coadunavit, *ut operaretur*, inquit, et *custodiret illum*[4]. Quid operaretur, Isaias aperit dicens : *Ut faciat opus suum : peregrinum est opus ejus ab eo*[5]. Quid enim tàm alienum est Deo, quàm vagire et femineo lacte nutriri? Quid Deo tàm peregrinum, quàm mori? Opus illud prospiciens Habacuc : *Domine*, inquit, *audivi auditum tuum, et timui : consideravi opera tua, et expavi*[6]. De hoc opere rursùm dicit Dominus ipse per eumdem Prophetam : *Obstupescite et admiramini, quia opus ego operor in diebus vestris, quod nemo credet, cùm enarrabitur*[7]. Hinc ipse Isaias : *Domine*, inquit, *quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est*[8]? Hoc autem opus ex quo in ventre matris incarnatus est Deus, cœpit operari, quia nimirùm ideò homo factus est, ut hominem redimeret. Quod verò dicitur : *Et custodiret eum*, expositione non indiget, quoniam et priusquàm in beatâ Virgine incarnaretur, et cùm in eâ clausus fuit, et postquàm ex eâ natus est, semper eam in omni sanctitate et munditiâ servavit, quæ

« Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
« Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. »

Nulla verò lingua dicere, nulla mens potest excogitare, quantâ divini amoris dulcedine flagraret, dùm Deum in utero clausum portaret. Cùm enim David, qui solummodò per speculum et in ænigmate Deum contemplabatur, ex magnâ tamen devotione dicat : *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine*[9] ! quid sentiendum est de eâ, in quâ tanto tempore *habitavit plenitudo divinitatis corporaliter*[10]? Depromebat reverà in eâ, sicut dicit quidam sapiens, universarum copia virtutum cœlestem quamdam et ineffabilem harmoniam, quia sine suavis modulationis spirituali cantilenâ non est credendum vel unâ horâ Deum in eâ mansisse. Nemo autem miretur quòd eam per *paradisum* vel *lectulum Salomonis* significari posse dixerim, quia et beatus Augustinus in Libro de Doctrinâ christianâ dicit nihil obesse, imò etiam prodesse, si eadem sententia diversis modis intelligatur : tantùm ut à catholico sensu et dilectione Dei et proximi non recedatur. Cùm ergò per lectulum Salomonis sanctam Ecclesiam figurari nullus contradicat, quia in eâ Dominus requiescit, juxta illud : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos*[11]? si, inquam, super humilem ipse requiescit, quis humilior eâ inveniri potest, quæ cùm Angelo mater Domini futura diceretur, ancillam ejus se vocavit, dicens : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum*[12]; et in Cantico suo, postpositis omnibus aliis virtutibus : *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ*[13]? cùm ergò et in animâ ejus Deus spiritualiter habitaverit propter incomparabilem humilitatem, et in carne corporaliter propter susceptam humanitatem, non video quæ ratio obsistat, ut non magis ipsa lectulus Salomonis appelletur, quàm quilibet alius sanctæ Ecclesiæ fidelis. Quòd si aliquis dicere velit, sufficere posse expositionem antiquorum Patrum, et novam vel insolitam superaddi non debere, respondemus juxta illam Ruth Moabitidis sententiam, quæ paupertate oppressa loquitur ad Noemi socrum suam : *Si jubes, vadam in agrum, et colligam spicas remanentes post terga metentium*[14].

14. Sic ergò et nos colligimus spicas quæ metentium manus reliquerunt, imitantes illud Isaiæ : *Et erit sicut colligens spicas in valle Raphaïm*[15]. Messores namque sancti Patres et Doctores Ecclesiæ fuerunt, quibus à Domino dicitur : *Rogate ergò Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*[16]; et alibi : *Ego misi vos metere quod vos non laborâstis*[17] : qui, quoniam breves dies hominis sunt, morte utiquè præventi, non totum agrum metere, id est, non omnem Veteris Testamenti Scripturam exponere potuerunt, sed multas nobis spicas colligendas, id est, plures sententias aliter atque aliter intelligendas reliquerunt. Quas si nos perscrutantes velit aliquis reprehendere, videat ne non sit ejusdem bonitatis, cujus

[1] *Cant.* III, 7 et 8 — [2] III *Reg.* X, 24. — [3] *Psalm.* XVIII, 6. — [4] *Gen.* II, 15. — [5] *Isai*, XXVIII, 21. — [6] *Habac.* III, 1. — [7] *Id.* I, 5. — [8] *Isai.* LIII, 1. — [9] *Psalm.* XXX, 20. — [10] *Coloss.* II, 9. — [11] *Isai.* LXVI, 2. — [12] *Luc.* I, 38. — [13] *Ibid.* 48. — [14] *Ruth*, II, 2. — [15] *Isai.* XVII, 15. — [16] *Matth.* IX, 38. — [17] *Joan.* IV, 38.

fuit Booz, qui etiam cœpto operi persistere exhortans, præcepit pueris suis, ne quis ei molestus esset, imò de suis manipulis ei projicerent, et ex industriâ remanere permitterent, ut absque rubore colligeret; sicque ipsa usquè ad vesperam colligens, et quæ collegerat virgâ excutiens, invenit hordei tres modios, per hoc typicè nobis insinuans, ut si quid fortè memoriâ dignum in Scripturâ sacrâ nos intellexisse senserimus, protinùs virgâ, id est, rectitudine subtilis examinis, illud diligenter discutere studeamus, ne fortè dictis antiquorum Patrum quantulumcumque contraire inveniatur ; sed potiùs ad mensuram trium modiorum, id est, fidem sanctæ Trinitatis operationemque trium virtutum, fidei, spei et charitatis, coerceatur. Hoc quoque quòd eadem Ruth per ipsam spicarum collectionem, prædicti Booz familiaritatem adepta, et postmodùm ei conjugali thoro legitimè sociata, ad tantum honorem pertingere meruit, ut ex ipsius stirpe ipse Dominus Jesus Christus descenderit, mysticè nos hortatur quòd, si ejus actus spiritualiter imitari studeamus, nos quoque per eos ad Domini dilectionem perducemur. Nemo ergò, ut dixi, reprehendi debet, si aliquam Veteris Testamenti sententiam aliter exponat, quàm in antiquis inveniat, tantùm ut nihil eis contrarium intermisceat : quia et ipsi antiqui Doctores non uno eodemque modo eamdem sententiam semper exposuerunt. Beatus enim Augustinus exponens illum versum : *Qui emittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ* [1], *montium* nomine ibi intelligendos dicit Apostolos; beatus autem Gregorius longè pòst, in Homiliâ *Anno quintodecimo*, ejusdem Versûs mentionem faciens, nomine *montium* intelligendos dicit *superbos*, *convallium* verò *humiles*; et cùm multa distantia sit inter superbos et Apostolos, neuter tamen horum Doctorum alteri contrarius exstitit, quia per utrumque et in utroque Spiritus sanctus loquitur ; et licèt diverso modo, tamen ex utriusque ore in proximorum mentibus ædificationem operatur. Si ergò nos quoque creationem terræ, ad recreationem humanæ naturæ referamus, minimè exindè reprehendendi sumus; nam ipsa quoque creatio primi hominis, secundo homini, id est, Christo, in multis locis convenienter potest aptari. Ille enim factus est sextâ die, iste verò sextâ ætate : ille non de nihilo, sed de limo terræ factus est, iste de carne Virginis in ejus ventre à Deo formatus est: de illius costâ dormientis ædificavit Deus mulierem, de istius latere in cruce mortui profluxit sanguis et aqua, quibus duobus ædificatur Ecclesia, quia, nisi quis aquâ baptismatis renatus, et sanguinis Christi perceptione ei conjunctus fuerit, nec Christi, nec Ecclesiæ membrum vel filium se appellare poterit : de Adam et Evâ omnes secundum carnem nascimur, de Christo et Ecclesiâ omnes spiritualiter renascimur. Jàm verò ipsa verba quæ de Evâ Adam dixit, consideremus. *Hoc nunc*, inquit, *os ex ossibus meis, et caro de carne meâ* [2]. Per *ossa* fortes Ecclesiæ, per *carnem* debiles intelliguntur. Dominus itaque ostendens infirmos quosque in Ecclesiâ à fortibus despici non debere, cùm præmisisset per Adam : *Hoc nunc os ex ossibus meis*, subjecit : *Et caro de carne meâ*. *Os ex ossibus* Christi intelligi possunt, quibus dicitur : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* [3]; *caro* verò infirmiores, quibus dicitur : *Cùm persecuti vos fuerint in civitate unâ, fugite in aliam* [4]. Ossibus dicitur : *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta* [5] : carni dicitur : *Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter et peram* [6] ; et cùm de eo Paulus dicat : *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ* [7], carni tamen, id est, infirmioribus compatiens, et ne subitaneo timore pressi desperarent, exhortans : *Tristis est*, inquit, *anima mea usquè ad mortem* [8] ; et : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste* [9]: ne ergò infirmi desperent, sese eis sociat, dicens : *Et caro de carne meâ:* gallinæ etiam magis quàm alii avi se comparat [10], quæ pullis suis plus omnibus avibus compatiens, voce fit rauca, plumis hispida. Hinc est quòd ipsam principalem et primam columnam Ecclesiæ permisit Petrum Apostolum se tertiò negando cadere [11], ut post casum resurgens, disceret infirmis cadentibus condescendere, dicens ei : *Et tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos* [12]. *Quamobrem relinquet*, inquit, *homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ* [13] : quod Apostolus exponens : *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ* [14]. Ipse enim patrem suum et matrem, id est, Synagogam, de cujus stirpe secundùm carnem natus fuerat, relinquens, adhæsit uxori suæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ : et sunt *duo in carne unâ*, sponsus et sponsa, caput et corpus, Christus et Ecclesia. Hæc autem coadunatio facta est in glorioso et nobilissimo illo thalamo, id est, in beatæ Virginis utero, cujus adventum ipse Deus, serpenti maledicto comminando, pronuntiat, ità dicens : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius* [15]. Caput enim serpentis superbia est,

[1] *Psalm.* CIII, 10. — [2] *Gen.* II, 23. — [3] *Matth.* X, 28. — [4] *Ibid.* 23, — [5] *Luc.* X, 4. — [6] *Id.* XXII, 36. — [7] *Hebr.* XII, 2. — [8] *Marc.* XIV, 34. — [9] *Matth.* XXVI, 39. — [10] *Id.* XXIII, 39. — [11] *Luc.* XXII, 34 et 60. — [12] *Ibid.* 32. — [13] *Gen.* II, 24. — [14] *Ephes.* V, 32. — [15] *Gen.* III, 15.

quia et ipse ejectus est de cœlo, et hominem ejecit de paradiso, dicente Ecclesiastico : *Initium omnis peccati superbia*[1]. Hoc autem caput, id est, superbiam ipsa valdè contrivit et per se et per semen suum, id est, Filium suum : per se quidem, cùm dicit : *Ecce ancilla Domini*[2] : per Filium verò suum, qui, cùm Deus esset, *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*[3]. Verùm de Adam et Evâ ista sufficiant : nunc verò adhuc de Noe quomodò passionem Dominicam præsignaverit, unum exemplum ponamus, et sic sermonem finiamus.

15. *Plantavit*, inquit, *Noe vineam, et bibens vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo*[4]. Per Noe in hoc loco personam Domini intelligimus, qui *plantavit vineam*, populum scilicet Judaicum, de quo in Psalmo dicitur : *Vineam de Ægypto transtulisti : ejecisti Gentes, et plantasti eam*[5]. De hâc et Isaias : *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi ; et exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas*[6]. Per vinum quod Noe bibit, intelligimus dilectionem quam Dominus ad populum Judaicum habuit. Licèt enim totum mundum sanguine suo redemerit, tamen specialiùs pro eis se venisse testatur, dicens in Evangelio : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel*[7]. Hoc autem vinum tantæ fortitudinis fuit, ut bibens illud inebriatus sit : quod Apostolus exponens : *Propter nimiam*, inquit, *charitatem suam quâ dilexit nos Deus*[8], *Filium suum misit in similitudinem carnis peccati*[9]. Sicut enim ebrius sensu perdito non considerat quid faciat, sic et Dominus propter nimiam vim dilectionis, fecit quod numquàm eum aliquis credidisset facturum, nec pertinere videbatur ad majestatis ejus excellentiam ut faceret , nasci videlicet de feminâ, lacte ejus ali, colaphis cædi, exspui, crucifigi et mori : sed hæc omnia quasi ebrius pertulit. Ne cui autem incredibile videatur, quòd Noe ebrium figuram Domini gestare diximus, consideret quod per David dicitur : *Et excitatus est tamquàm dormiens Dominus, tamquàm potens crapulatus à vino*[10]. Dicitur etiam in amoris Cantico : *Fortis est ut mors dilectio*[11]. Crapulatus ergò à vino, id est, nimietate dilectionis erga nos flagrans, nudatus est in tabernaculo suo, quia in populo Judaico qui propriè tabernaculum et domus ejus esse debuit, exhonoratus et consputus, et etiam corporaliter à Pilati militibus vestimentis suis nudatus, et nudus in cruce fuit suspensus. Cham autem filius ejus minor, qui patrem nudatum derisit, incredulum populum designat, id est, eos qui Christum videntes nudum in cruce suspensum, irridentes eum et capita sua moventes, dicebant : *Alios salvos fecit : se salvum faciat, si hic est Christus Dei dilectus*[12]. Per Sem verò et Japhet, majores filios, Prophetæ et Apostoli designantur, qui videntes eum nudatum, vel in spiritu Prophetæ, vel in corpore Apostoli, non despexerunt, sed honoraverunt eum. Ex his unus est Isaias, qui prospiciens eum nudatum dicit : *Non est ei species, neque decor ; et vidimus eum, et non erat aspectus ; et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus : undè nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* : *et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo et humiliatum*[13]. Cui alter consonans, Paulus scilicet Apostolus : *Nos*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*[14]. Sed evigilans Noe, non ipsum filium qui se deriserat, sed Chanaan filium ejus maledixit , duos autem qui se honoraverant, benedixit ; quia Christus resurgens ex mortuis et ascendens in cœlum, Prophetas quidem et Apostolos omnesque qui prædicationi eorum crediderunt, secum glorificavit ; semen verò incredulum puniri præcepit, sicut in supradicto Psalmo dicitur : *Et percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis*[15]. In posteriora quippè inimicos suos percussit, quia in posteros eorum qui se crucifixerunt, et in præsenti vitâ sententiam dispersionis et captivitatis, et in futurâ jaculum æternæ damnationis intorsit. Sed quia de Christi Incarnatione et Passione multa jàm dicta sunt, tempusque est tàm prolixi sermonis terminandi, ad Dominam nostram, misericordiæ Matrem, iterùm oculos vertamus, et per cujus benedictum fructum salvati sumus, in ipsâ finem loquendi faciamus.

16. Est enim reverà mater illa de quâ dicitur : *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quòd mater esset omnium viventium*[16] ; Eva quippè illa rectè dicitur *mater morientium*, quia per illius culpam omnes sententiam mortis incurrimus : hæc est autem *mater viventium*, quia per istam omnes vitam perditam recepimus. Sequentes enim Apostolum dicentem : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità et in Christo omnes vivificabuntur*[17], et nos de gloriosâ matre ejus dicere possumus : Sicut per Evam omnes morimur, ità per Mariam omnes vivificamur. Paradisi namque porta per Evam cunctis

[1] *Eccli*. X, 15. — [2] *Luc*. I, 38. — [3] *Philipp*. II, 8. — [4] *Gen*. IX, 20 *et* 21. — [5] *Psalm*. LXXIX, 9. — [6] *Isai*. V, 1 *et* 4. — [7] *Matth*. XV, 24. — [8] *Ephes*. II, 4. — [9] *Rom*. VIII, 3. — [10] *Psalm*. LXXVII, 65. — [11] *Cant*. VIII, 6. — [12] *Luc*. XXIII, 35. — [13] *Isai*. LIII, 3 *et* 4. — [14] I *Cor*. I, 23 *et* 24. — [15] *Psalm*. LXXVII, 66. — [16] *Gen*. III, 20. — [17] I *Cor*. XV, 22.

clausa est, et per Mariam Virginem iterùm patefacta est. De hâc reverà à Domino dictum convenienter potest intelligi : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Sicut enim cæteris corporalibus creaturis à Domini solo jussu creatis, hominem quem ad imaginem suam formavit, per quem Christum significari intelligere possumus, quasi non sine consilio creare voluit, dicens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [1], ità et mulierem quasi per consilium creavit, dicens : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi* [2]. Quod de Evâ quidem ad litteram nemo dubitat dictum, de sponsâ vero simul et matre Dei sanctâ Mariâ, et per eam de sanctâ Ecclesiâ non minùs prædictum, convenienter potest intelligi. Licèt enim per Isaiam dicatur : *Si ego qui alios parere feci, ipse non pariam, dicit Dominus? et si ego qui aliis generationem tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus* [3]*?* tamen ante beatam Mariam quasi sterilis fuit, qui, quamvis omnia ut Deus creaverit, nullum tamen eo modo quo posteà Filium, peperit. Ubi verò dicente Deo : *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, unigenito Filio suo carnem nostram quasi sponsam in utero beatæ Virginis tamquàm in thalamo sociavit, et sicut dixit Adam : *Erunt duo in carne unâ,* ità Deum et hominem in uno Christo copulavit, illicò, sterilitate remotâ, Deus parere cœpit illos filios de quibus dicit Joannes : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, *qui non ex sanguinibus*, *neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt* [4]. Ecce ergò quàm competenter de Dominâ nostrâ dictum intelligitur : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Deus enim est pater rerum creatarum, et Maria mater recreatarum. Deus qui de nihilo creavit omnia, noluit ea corrupta reparare sine Mariâ. Deus omnia creavit, et Maria Deum generavit : et quia Dei Filium genuit Maria, sponsa utiquè Dei facta est Maria. Non tamen solum Deum Maria genuit, sed post illum et per illum multos filios Dei generavit, qui ei quotidiè clamant devotè : *Pater noster*, *qui es in cœlis.* Illos filios non dedignatur bonus filius Mariæ fratres appellare, dicens : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* [5]; et : *Ite, nuntiate fratribus meis* [6]. Denique filius Mariæ frater noster est ; et consequenter etiam Maria mater nostra est. O quid Mariæ debemus! Per Mariam Deus creator noster, factus est pater noster : per Mariam Deus judex noster, factus est frater noster. Quid jàm timendum nobis est, quandò judex noster est frater noster, et judicis nostri mater, est etiam nostra mater? Si propter peccata nostra, nobis fortè iratus est judex noster , non desperemus, quia ipsius mater est etiam nostra mater. Placet ergò pia mater pium filium reis filiis : reconciliet bona mater iratum fratrem fratribus miseris. Scripsit de eâ quidam bonus servus ejus, ille scilicet jàm suprà sæpè memoratus domnus Anselmus in quâdam oratione ad eam factâ, hoc modo : « Meminimus, *inquit*, et meminisse delectabile est, quomodò apparens cuidam servo suo « in extremis agenti, et interrogans utrùm cognosceret, cùm ille : Minimè, Domina, tremens responderet, quàm dulciter ei dixisti : Ego sum « misericordiæ mater. » Apud quam ergò rectiùs et confidentiùs miseri calamitates suas deplorabunt, quàm apud te, quæ meruisti mater existere ejusdem redemptoris et judicis nostri? Te præfiguravit urna illa aurea, in quâ Deo jubente positum est manna, panis scilicet Angelorum, quem per te manducavit humana natura. Hunc ergò panem, pia mater, porrige esurientibus filiis tuis : et ut illum dignè percipere possint, sana in eis palatum interioris hominis. Quamvis enim ipse Filius tuus dicat : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* [7], terret nos tamen multùm quidam de dapiferis ejus, dicens : *Qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit* [8]. Scimus enim reverà tanti mysterii nos prorsùs fore indignos, qui *in multis eum offendimus* [9]. Ideòque licèt eum desideremus, tamen conscientiâ intrinsecùs graviter remordente, eum suscipere formidamus. Sed ad te confugientes, mediatrix nostra, quæ es post Deum spes sola, tibi peccata nostra confitemur , teque inter nos et Deum mediatricem et interventricem fieri exoramus. Sed quid miseri faciemus? Angustiæ nos premunt undiquè! Cùm enim Dei Filium offendimus, utiquè etiam matrem ejus quam ipse multùm diligit, pariter offendimus ! Quomodò ergò Filio reconciliari petimus per matrem, qui similiter offendimus matrem? Sed quia utrumque offendimus, ad utriusque misericordiam recurramus, et alteri per alterum reconciliari exoremus. Bona ergò mater, reconcilia bono filio tuo reos filios tuos. Bone frater, reconcilia bonæ matri tuæ reos fratres tuos. Bonus tu, et bona tu : dulcis tu et dulcis tu. Bone ergò Domine et bona Domina, dulcis frater et dulcis mater, obsecramus misericordiam vestram, quatenùs sic præsens festum Natalis pii fratris et partûs piæ matris, sic nos recolere concedatis, ut per illud festum ad æterna festa nos perducatis, ubi vos videamus, videntes gaudeamus, gaudentes collaudemus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Gen.* I, 26. — [2] *Id.* II, 18. — [3] *Isai.* LXVI, 9. — [4] *Joan.* I, 12 *et* 13. — [5] *Psalm.* XXI, 23. — [6] *Matth.* XXVIII, 10. — [7] *Joan* VI, 57. — [8] I *Cor.* XI, 29. — [9] *Jac.* III, 2.

✠ PETRI LOMBARDI, PARISIENSIS EPISCOPI,

SERMO I[a].

Num. I. Explicatur prophetia Jacob. Undè et quo venit Christus? — 2. In mundum venit, ut curaret vulnera generis humani et sanaret semivivum. — 3. Nos oportet à malo declinare et facere bonum, ut dignè Salvatorem recipiamus. — 4. Venit Christus peccatores salvos facere. — 5. Elisæi instar, Verbum se contraxit, ut mortuos homines suscitaret. — 6. Christus in piscinam descendit ad sanandum genus humanum.

1. *Non auferetur sceptrum de Judâ, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio Gentium*[1]. Jacob benedictiones daturus filiis, præsciens in spiritu de semine suo nasciturum illum in quo fieret benedictio omnium Gentium, vocavit filios suos, et ait eis: *Congregamini, filii Jacob, ut annuntiem vobis quæ ventura sunt diebus novissimis : congregamini et audite Israel patrem vestrum*[2]. Indè adjecit : *Non auferetur sceptrum de Judâ, donec veniat qui mittendus est : ipse erit exspectatio Gentium.* Patriarcha Israel mutationem nominis amplificatione assecutus virtutis, reprobato gemino suo electus eodemque odioso, Deo et matri dilectus[b], illo mente capto cujus nomen est viventis et videntis, factus cum Jeremiâ, quasi puer nesciens loqui, cum Moyse, tardioris et impeditioris linguæ, et ob sermonis gracilitatem ad modicum sonans, ejus infirma venerando miratur cujus magnitudinis non est finis, illius humilitatis amplectitur pedes cujus majestatis caput attingere non valet. Caput enim Christi Deus est, et Deus absconditus ipse est. Illius ineffabilis est majestas, cujus tacito præconio extollitur humanitas. Relinquens igitur deitatis sublimia, quæ præteritum vel futurum non novit, quod futurum erat in novissimis diebus quodam verborum involucro edidit, benedicendis filiis eum venturum annuntians, cui occurrentes turbæ conclamaverunt : *Benedictus qui venit in nomine Domini*[3]. Ait enim : *Non auferetur sceptrum de Judâ, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit exspectatio Gentium.* Tribus Juda regni privilegium habere meruit, quandò cæteris tribubus trepidantibus ac trepidantibus, sola illa ex præcepto Dei, fiducialiter mare Rubrum intravit cum sanctis fidelibus Moyse et Aaron. Undè Osee : *Judas autem testis descendit cum Deo et sanctis fidelibus*[4]. Rectè ergò sceptrum regiæ dignitatis administratio intelligitur quæ non est ablata, nec dux de Judæ femore deficit, donec veniat qui mittendus erat, id est, Christus, qui mittendus erat, quia promissus, promissus, quia ad hoc electus ante mundi originem. Licèt enim in Sedeciâ vel Godoliâ defecerint reges de Judâ, non tamen defuerunt sacerdotes vel duces regium officium procurantes, donec venit Christus. Sed undè venit, et ad quid venit, et quò venit? *Ego*, inquit, *à Patre exivi, et in hunc mundum veni*[5] : ecce undè et quò venit. Undè Propheta : *A summo cœlo egressio ejus*[6], id est, ab æqualitate Patris æternaliter est egressus, à quo in orbem terræ temporaliter est introductus. De illo tamen Evangelista ait : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*[7]. Et addit : *In propria venit, et sui eum non receperunt*[8]. Si autem in hunc mundum venit, et in hoc mundo erat, illuc ergò venit ubi erat, illuc missus est ubi non deerat, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus absens est, quoniam Deus est. Si autem Deus, non loco clauditur, nec locali capacitate determinatur, sed ubique et totus semper et essentialiter totus est, qui ait : *Cœlum et terram ego impleo*[9]. Hic est enim Sapientia quæ *attingit à fine usquè ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*[10]. Hic est Sapientia quam non vincit malitia : hæc *attingit à fine usquè ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, quia ab initio mundi usquè ad Incarnationis tempus mirifica opera et sincera testimonia per Vetus Testamentum edidit, et ab Incarnatione usquè ad finem mundi suavitatem Evangelii exponit. *Attingit* autem *à fine usquè ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*, quia ab æterno usquè in æternum immutabilis manens, ubique perfectè cuncta agit et disponit. De quâ dicitur : *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia, quæ attingit ubique propter suam munditiam*[11]. Hæc non dicitur mobilior mobilibus, eo quòd in se moveatur, cùm in Prophetâ scriptum

[1] *Gen.* XLIX, 10. — [2] *Ibid.* 1. — [3] *Matth.* XXIII, 39. — [4] *Osc.* XI, 12. — [5] *Joan.* XVI, 28. — [6] *Psalm.* XVIII, 7. — [7] *Joan.* I, 10. — [8] *Ibid.* 11. — [9] *Jerem.* XXIII, 24. — [10] *Sap.* VIII, 1. — [11] *Id.* VII, 24.

[a] Hunc Sermonem et alterum immediatè sequentem D. Beaugendre attribuit Venerabili Hildeberto, juxta auctoritatem unius manuscripti Sangermani, Num. 381 ; illos autem Petro Lombardo meliùs esse adscribendos ducimus, nixi auctoritate duorum manuscriptorum quos consuluimus, scilicet unius è Bibliothecâ regiâ, Num. 3537, et alterius è Bibliothecâ Fullensium Parisiensium, Num. 6.

[b] In Sermone qui Hildeberto attribuitur, sic legimus « Reprobato nomine suo eodemque odioso, à Deo electus ac matri dilectus. »

sit : *Ego Deus, et non mutor*[1]; sed quia omnia cætera movet, regit et ordinat, quia *cùm sit una, omnia potest, et permanens omnia innovat*, ut in Libro Sapientiæ legitur[2]. Hæc enim semper eâdem incommutabili æternitate eâdemque voluntate movet per tempus creaturam spiritualem: movet etiam per tempus et locum creaturam corporalem, ut eo motu naturas quas condidit administret. Cùm ergò tale aliquid agit, non debemus opinari ejus substantiam, quæ Deus est, temporibus locisve mobiliorem, cùm ipsa sit et interior omni re, quia in ipsâ sunt omnia, et exterior omni re, quia ipse super omnia est et antiquior omnibus, quia est ante omnia, et novior omnibus, quia est post omnia, id est, omnium initia. Intelligamus ergò illam sine tempore sempiternam, sine loco ubique totam, sine suî mutatione omnia mutabilia facientem. Hæc tamen mittenda atque ventura in Prophetis dicitur, et venisse in Evangelio legitur. Quomodò ergò intelligenda est hæc missio omnia continentis Sapientiæ, id est, Christi? Ideò missum in mundum vel venisse intelligere debemus, si tamen sobriè de illo opinari digna sufficiamus[a], quia ex illo incomprehensibili inenarrabilique secreto divinæ majestatis dedit se comprehendendum ac videndum hominibus, cùm *se exinanivit, formam servi accipiens*[3]. Undè : *In terris visus est et cum hominibus conversatus est*[4]. Non igitur venit in mundum mutando locum, quia in mundo erat, sed induendo carnem, ut carnalibus congruenter appareret sine suî mutatione.

2. Venit Sermo Patris à regalibus sedibus in mundum, formâ servi indutus. Sed ad quid venit? Curare vulneratum, suscitare mortuum, sanare semivivum. Hic est ille Samaritanus, qui appropiavit vulnerato qui incidit in latrones, descendens de Jerusalem in Jericho, atque vulnera ejus alligavit, quem sacerdos et levita pertransierant, nullum ei porrigentes subsidium, id est, Lex vetus et sacerdotium, quæ hominem à latronibus vulneratum, id est, à dæmonibus percussum, liberare non potuerant; ideòque Samaritanus eâdem viâ descendens, ad eum accessit curandum, quem ille semivivus audierat exspectandum[5]. Samaritanus, id est, *custos*, est Christus, qui *non dormitans, neque dormiens custodit Israel*[6], qui per Isaiam ait : *Ad me clamat ex Seir : Custos, quid de nocte, custos, quid de nocte? Dixit custos : Venit mane et nox : si quæritis, quærite : convertimini atque venite*[7]. Seir interpretatur *hispidus et pilosus*. Quo humani languoris ærumna significatur, quâ vulneratus à latronibus angebatur, qui nullum adeptus remedium per sacerdotem et levitam, de Seir, de loco scilicet horroris et vastæ solitudinis ubi suppliciis hispidus et vitiis pilosus jacebat, clamabat ad Samaritanum, quasi cum Apostolo dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*[8], quia non est qui liberet, nisi Samaritanus, id est, custos verus. Ad hunc ergò eâdem viâ descendentem, id est, *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*[9], clamat dicens : *Custos, quid de nocte*, vitiorum scilicet et ignorantiæ ? Custos qui de nocte suppliciorum et miseriæ liberare potes pauperem cui non est adjutor ad geminam noctem , eripe me à latronibus captum et semivivum relictum. Perdidi enim vitam gratiæ, sed non vitam naturæ : vita optima est perdita, quâ vivit anima Deum laudans. Vita bona est corrupta, quâ natura in integritate vivebat : vita peccati est invecta. Triplex enim est vita, naturæ, gratiæ, vitii. Vitam ergò perditam redde, corruptam restitue, invectam amove. Tempus enim faciendi, non jàm jubendi, quia jussa legum prodesse non potuerunt tibi : *Est enim tempus tacendi, et est tempus loquendi*[10]. Tempus enim loquendi fuit in lege, ubi erat vox verborum sine operatione gratiæ, et multiplicitas promissorum sine exhibitione rerum. Sed nunc tempus est tacendi illa legalia et implendi spiritualia, scilicet, ut venias ad liberandum nos, et in palmam crucis ascendas, et fructus ejus comedas, peccatum et mortem tollas, et vitam repares.

3. Et dixit custos : *Venit mane et nox* : quod dicitur cum Apostolo : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*[11] : *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quo exaudiam et juvabo vos, nisi gratiam in vacuum recipiatis*[12]. Surgite ergò de somno torporis et ignorantiæ, et *abjicite opera tenebrarum*, id est, mala opera quæ ex tenebris veniunt et ad tenebras ducunt exteriores, *et induimini arma lucis*, ornamini scilicet et armamini virtutibus contra jacula inimici ignita, ut digni sitis recipere Salvatorem quem exspectatis, *et induere Jesum Christum*[13], qui *reformabit corpus humilitatis vestræ configuratum corpori claritatis suæ*[14], cujus via est impolluta et mansio incontaminata , qui non habitat in corpore subdito peccatis, *nec requiescit nisi*

[1] *Malach.* III, 6. — [2] *Sap.* VII, 27. — [3] *Philipp.* II, 7. — [4] *Baruch*, III, 38. — [5] *Luc.* X, 30-34. — [6] *Psalm.* CXX, 4. — [7] *Isai.* XXI, 11 *et* 12. — [8] *Rom.* VII, 24.— [9] *Hebr.* IV, 15. — [10] *Eccle.* III, 7. — [11] *Rom.* XIII, 12. — [12] II *Cor.* VI, 2 *et* 1. — [13] *Rom.* XIII, 12 *et* 14. — [14] *Philipp.* III, 21.

[a] In præfato Manuscripto Sangermano quem edidit D. Baugendre inter Opera Hildeberti, sic legitur : « Quomodò « missum in mundum, vel venisse intelligimus ? Debemus de illo sobriè loqui , quia de illo opinari digna non sufficimus , quia « ex illo, etc. »

super humilem, et quietum, et trementem sermones suos[1]. Projicite ergò lapides de plateis vestrorum cordium, frangite idola mentium, invocate eum in veritate, et invenietis illum. Hoc est ergò quod dicit Samaritanus : *Venit mane et nox*, nox scilicet infidelitatis et ignorantiæ. Nox cæcitatis et vitiorum venit olim, sed modò non est, quia venit mane, quandò *sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*[2]. Si ergò quæritis me, quærite toto corde, non verbo et linguâ, sed opere et veritate. Convertimini declinantes à malis, et venite ad me facientes bona; nunc enim *propior est vestra salus quàm cùm credidistis*[3], id est, credere incœpistis. Accepistis responsionum oracula, sicut per Isaiam ait : *Propè est Justus meus, egressus est Salvator meus*[4]; et item : *Non elongabitur, et salus mea non morabitur : dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam*[5].

4. Quàm dulcis et amanda promissio! Quàm dulcis et *fidelis sermo, et omni acceptione dignus*[6]! Justus enim ac Salvator Patris [a] est Jesus Christus, non utiquè Patrem justificans vel salvans, sed à Patre habet quod justificare et salvare potest, qui in Patris nomine venit in hunc mundum peccatores salvos facere, peccatores quidem peccata confitentes, non justos, id est, de justitiâ præsumentes, secundùm illud : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*[7]. Hoc quoque fidelium mentes plurimùm attollit, quòd non est apud Deum comperendinatio sanitatis vel prolongatio salutis. Undè Pater ait : *Non elongabitur salus mea, et non morabitur*, ultra horam scilicet ab æterno præfixam; imò : *Dabo tempore accepto in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam.* Sion *speculatio*, Jerusalem *visio pacis* interpretatur. Sion ergò præsens est Ecclesia, quæ assultus hostium de longinquo præcavet, in speculo Scripturæ speculatur vultum nativitatis suæ, servans cor suum omni custodiâ, ostium continentiæ labiis apponens, et vestimenta sua, ne in viâ nuda ambulet, custodiens, secundùm illud Habacuc : *Super custodiam meam stabo, et super munitionem figam gradum : et contemplabor, ut quid dicatur mihi videam, et quid respondeam ad arguentem me*[8]. Jerusalem cœlestis est Ecclesia, quæ visione pacis fruitur, ubi est plena et perfecta pax, sine perturbatione inquietudinis, secundùm illud : *Qui posuit fines tuos pacem*[9]; et alibi : *Dabo pacem in finibus vestris*[10]. Samaritanus ergò, id est, custos noster, in Sion est salus, et in Jerusalem gloria, quia hìc justificando servat, ibi in dexterâ collocando glorificat.

5. Hic est ille Eliseus, qui baculum misit ad suscitandum filium Sunamitis, qui cùm ipse surgere non valeret, tandem venit ipse Eliseus, et contraxit se, et coaptavit mortuo puero, et surrexit mortuus[11]. Eliseus calvus à pueris irrisus est, cùm ascenderet in Bethel, clamantibus : *Ascende, calve, ascende, calve*[12]. Christus est qui à Judæis in Calvariâ est crucifixus, puerili fatuitate clamantibus : *Tolle, tolle, crucifige eum*[13] qui misit baculum ad suscitandum filium Sunamitis, cùm per Moysem dedit legem flagellantem, non juvantem, convincentem, non curantem. Magno enim et profundo judicio legem dedit, priusquàm Filium mitteret Deus, ut hominis superbiam domaret, et insufficientiam humanam convinceret, ne sibi justitiam arrogaret, et frustrà Christum venisse judicaret. Misso igitur per servum baculo, id est, lege per Moysem datâ, non est vivificatus mortuus, quia lege subintrante abundavit delictum[14]; per legem enim cognitio, et non consumptio peccati. Venit igitur Eliseus ipse, et contraxit se, quia *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*[15]. Non enim exinanitus est evacuatione vel mutatione formæ divinæ; sed assumptione humana forma servi accessit, non forma Dei discessit. Quasi enim dignitate se exuit, cùm forma Dei se vestivit formâ hominis, et coaptavit se mortuo puero, quia *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus est ut homo*[16]. *Similitudo* hìc veritatem exprimit. In similitudinem ergò hominis factus est, quia in unitate personæ accessit Verbo anima rationalis et caro. Cùm autem esset unicus Dei Filius, non gratiâ, sed naturâ, ut etiam esset gratiâ plenus, factus est hominis filius, unus Dei et hominis filius, Deus et homo, non duo Filii, Deus sine initio, homo accepto initio, minor Patre in formâ hominis, æqualis Patri in formâ Dei, qui etiam suo habitu, id est, conversatione suâ, inventus est eum volentibus experiri, ut alius homo, quia bibit, comedit, sedit, et alia humanitatis officia explevit.

6. Hàc igitur conjunctione et coaptatione surrexit mortuus. In Evangelio quoque legitur quòd, Angelo Domini in piscinam quæ dicitur Probatica semel in anno descendente, movebatur aqua, et sanabatur unus qui prior descendebat in piscinam[17]. Hic est Angelus magni consilii *in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi*[18], qui descendit in piscinam Probaticam, id est, pe-

[1] *Isai.* LXVI, 2. — [2] *Id.* IX, 2. — [3] *Rom.* XIII, 11. — [4] *Id.* LI, 5. — [5] *Id.* XLVI, 13. — [6] I *Tim.* I, 15. — [7] *Luc.* V, 32. — [8] *Habac.* II, 1. — [9] *Psalm.* CXLVII, 15. — [10] *Levit.* XXVI, 6. — [11] IV *Reg.* IV, 29-37. — [12] *Id.* II, 23. — [13] *Joan.* XIX, 15. — [14] *Rom.* V, 20. — [15] *Philipp.* II, 7. — [16] *Ibid.* — [17] *Joan.* V, 4. — [18] *Coloss.* II, 3.

[a] *Hoc est*, à Patre missus.

cualem, cùm venit ad Synagogam carnalem, terrena amantem et carnalia offerentem. Hæc habebat quinque porticus, in quibus erat multitudo languentium exspectantium aquæ motum [1], id est, quinque libros Mosaicos quibus languores prodebantur, non sanabantur. Hic est puer portans quinque panes hordeaceos [2], quibus onerabatur, non alebatur. Sed veniente Angelo, mota est aqua, id est, populus ad crucifigendum, dans super eum vocem quasi leo in sylvâ, et ità sanatus est unus per unum. Nemo est inventus qui posset aperire librum, et solvere signacula ejus, nisi leo de tribu Juda [3]. Per hunc non sanatur nisi unus, quia nemo meretur sanari, nisi qui per charitatem Christo compaginatur, tamquàm membrum capiti, quia nec filii Jacob hoc mysterium audire meruerunt, nisi congregati in nomine Domini, qui ait : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum* [4]. Illis autem congregatis prædixit quod futurum erat novissimis diebus, id est, novissimâ ætate. Nos enim sumus *in quos fines sæculorum devenerunt* [5], ut ait Apostolus Joannes : *Filioli, novissima hora est* [6]. Undè et in vesperâ [a] carnes Eliæ corvus afferebat et manè panes, quia in vesperâ mundi, adest Salvator incarnatus ad justitiam, et mane tertii diei, panis cœlestis qui vitam dat mundo, passionis clibano excoctus, in gloriâ resurrexit. Undè Moyses ait filiis Israel : *Vespere comedetis carnes, et manè saturabimini panibus* [7]. Hâc igitur horâ magni consilii Angelus de consessu Patris ad sanandum unum descendit. Descendit et Samaritanus ad alligandum vulneratum. Appropiavit Eliseus ad suscitandum mortuum. Accessit qui matri suæ Ecclesiæ vivificatum reddidit, undè ei honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO II [b].

Num. 1. Ineffabile est mysterium Incarnationis : Christus est lapis scandali aliis, aliis verò lapis adjutorii. — 2. Cur Christus lapis primarius atque primogenitus dictus est ? — 3. Munditiâ cordis et solitudine præparemus nos ad videndum Deum. De triplici visione Dei. — 4. Nobis datum est videre Deum in die. — 5. Christus, medicus cœlestis, sanare venit genus humanum à multis languoribus.

1. *Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usquè ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur* [8]. Cœlestibus desideriis flagrans Daniel, undè ab Angelo, ejus intelligentiæ ministro, *vir desideriorum* [9] vocari meruit, accepto divinitùs per Angelum intellectu, effudit super se animam suam, ut pertranseat in admirabile contemplationis secretum, et inæstimabiles divitias sacramenti à sæculis absconditi in Deo percipiat. Hoc est mysterium Incarnationis Verbi, quod erat in principio apud Patrem. De quo Jeremias ait : *Novum faciet Dominus super terram : Mulier circumdabit virum* [10], in gremio scilicet uteri sui. Hæc est Virgo sancta, quæ, operante Spiritu sancto, sine viri accessu, Filium Patri homousion, id est, consubstantialem, de substantiâ suâ concepit et peperit, ut qui erat in divinitate Dei Filius, fieret in humanitate hominis filius, non duo filii, sed unus homo Christus Jesus : quod inauditum et ineffabile. Rectè igitur vir desideriorum ait non simpliciter : *Filius hominis*, sed : *Quasi filius hominis*, quia non tantùm hominis, sed et Dei Filius. Servatâ namque utriusque naturæ veritate et proprietate, lumini divinitatis accessit testa humanæ infirmitatis, ut esset lumen in testâ, Verbum in carne, Deus in homine. Hic est lapillus ille parvus de monte sine manibus abscissus, qui crevit in montem magnum, teste Daniele, et occupavit faciem universæ terræ [11]. Hic est lapis adjutorii super quem, levatis manibus, Moyses orâsse dicitur et legitur [12], de quo Zacharias : *Educet Dominus lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus* [13]. Ipse enim mediator Dei et hominum, lapis dicitur propter firmitatem et soliditatem. Ipse enim

[1] *Joan.* V, 2 *et* 3.— [2] *Id.* VI, 9.— [3] *Apoc.* V, 4 *et* 5.— [4] *Matth.* XVIII, 20.— [5] I *Cor.* X, 11.— [6] I *Joan.* II, 18.— [7] *Exod.* XVI, 12. — [8] *Dan.* VII, 13 *et* 14.— [9] *Id.* X, 11 *et* 19.— [10] *Jerem.* XXXI, 22.— [11] *Dan.* II, 34 *et* 35.— [12] *Exod.* XVII, 11.— [13] *Zach.* IV, 7.

[a] Ista allusio non videretur admittenda, si ad Vulgatam referretur, cùm III Reg. XVII, 6, sic habeatur : *Corvi quoque deferebant ei* (scilicet Eliæ) *panem et carnes manè, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente.* Sed optimè consonat versioni septuaginta Interpretum, ubi sic habetur : *Corvi ferebant ei panes manè et carnes vesperè, et de torrente bibebat aquam.* Hinc innuitur Petrum Lombardum, si quandò Scripturam citat aliter quàm in Vulgatâ reperitur, hoc indè contigisse, quòd sæpè sæpiùs versione septuaginta Interpretum, quasi sibi familiari, uteretur.

[b] De hoc Sermone idem dicendum est quod de Sermone præcedenti diximus.

est *fundamentum quod positum est*, ut ait Apostolus, *et nemo mutare potest*[1], de quo Dominus per Isaiam ait : *Mittam in fundamentum Sion lapidem angularem, pretiosum, probatum*[2]; et alibi : *Ponam in Sion lapidem offensionis et scandali*[3]. Sed aliis est offensionis et scandali, et aliis adjutorii; aliis enim præradiat Sol justitiæ, præveniente gratiâ et adjuvante gratiâ; aliis quasi obumbrat, à tenebris cæcitatis eos non liberans. Undè ipse ait : *Ego in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant*[4]. Meritò igitur lapis adjutorii dicitur et offensionis, in quo alii et confoventur et illuminantur, alii colliduntur et excæcantur : *Est* quippè *positus*, ut ait Simeon, *in ruinam et resurrectionem multorum in Israel*[5]. Hic etiam lapis primarius, exæquans gratiam gratiæ, verè primarius, quia *primogenitus in multis fratribus*[6], honore scilicet primogeniti præditus inter multos, quos non confunditur vocare fratres[7]. Fratres enim sunt, *quos præscivit Deus conformes fieri imaginis Filii sui*[8], id est, qui conformantur Filio, qui est Patris genitura, non creatura. Hæc autem conformitas in geminâ participatione consistit, quâ ipse nobis, et nos ipsi communicamus. Accepit enim de nostro, et dedit nobis de suo : de nostro quidem accepit naturam et infirmitatem, de suo dedit gratiam et gloriam.

2. Hâc igitur commutatione contracta est adoptionis fraternitas, non formarum[a] facta æqualitas. Rectè ergò dicitur *in multis fratribus primogenitus*, eminentiam honoris ac potestatis inter alios habens, et aliis pro voluntate distribuens. Ipse etiam dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quia de Patre genitus ante omnem creaturam. Meritò igitur lapis primarius dictus est, cui Spiritus sine mensurâ datus est, in quo *divinitatis* omnis quoque *plenitudo corporaliter inhabitat*[9], *et de ejus plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ*[10]. Accepimus scilicet gratiam glorificationis pro gratiâ justificationis, gratiam patriæ pro gratiâ viæ; et huic illa æquatur, quia qui in præsenti donatur majori gratiâ, in futuro majori coruscabit gloriâ. Pretiosus igitur est et probatus lapis iste, super quem *oculi septem sunt*, ut ait Zacharias[11], quia in eo septiformis gratiæ plenitudo requievit, secundum illud Isaiæ : *Et requiescet super eum Spiritus sapientiæ et intellectûs*[12]. Hæ sunt *septem mulieres quæ apprehendunt virum unum*[13], id est, Christum, septem dona, quæ mulierum speciem tenent, dùm eorum infusione filii adoptionis cœlo generantur; hæ autem dicuntur apprehendere Christum, ut scilicet firmiter teneant et non dimittant. Omnes alios quasi transeunt usquè ad Christum, et nullum apprehendere dicuntur Patriarcharum et Prophetarum; non enim homo alius qui non peccet. In omnibus aliis Spiritus tribulationis habet hospitium, non mansionem quietis. Fuit enim in Prophetis et in aliis justis; sed quia puri erant homines et peccatores, in eis fuit, sed non mansit : eos inhabitavit, sed non replevit. Ideòque de solo Christo legitur in Evangelio : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat de Spiritu sancto*[14]. *Hic est lapis angularis qui, licèt ab ædificantibus*, id est, Scribis et Pharisæis suam justitiam constituere volentibus, *sit reprobatus, factus est tamen in caput anguli*[15], duos parietes, scilicet, Judæorum et Gentium, in se angulari lapide jungens. Quod benè potuit facere, quia est præcisus sine manibus de monte, id est, de gente Judæorum natus, non carnis cupidine, sed solo cœli munere; Judaicus autem populus, ab antiquæ adoptionis prærogativâ, populus peculiaris et primogenitus Dei appellatus est, et comparatur monti. Crevitque hic lapillus in magnum montem, et occupavit faciem terræ : de quo Isaias : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes*[16]; ut enim Christus dicitur Rex regum, Dominus dominorum, Sanctus sanctorum, ità et mons montium, omnes consortes suæ gratiæ sapientiâ et virtute superans. De fornace Ægypti ferreâ ubi tribulatione et dolore malorum vexabantur, educere in sanctam solitudinem venit, sicut Moyses ait : *Deus Hebræorum vocavit nos ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis aut gladius*[17]. Filius hominis est Deus Hebræorum, qui et ipse Hebræus, id est, *transitor* pro nobis fieri voluit; *exsultavit* enim *ut gigas ad currendam viam*[18].

3. Meritò ergò Deus Hebræorum, id est, transitor, eorum scilicet qui non hærent in viâ, sed posteriorum obliti, in anteriora cum Apostolo se extendunt : qui de Ægypto hujus mundi nos vocavit, ut eamus viam trium dierum in solitudinem. Triduo itinere de Ægypto proficiscimur, si dicta, facta, cogitationes purificantes, efficiamur mundi corde, ut possimus Deum videre. Princeps verò Ægypti videns se urgeri ut dimittat populum Dei, cupit hoc saltem impetrare ut non longiùs abeant, dicens :

[1] I *Cor.* III, 11. — [2] *Isai.* XXVIII, 16. — [3] *Id.* VIII, 14. — [4] *Joan.* IX, 39. — [5] *Luc.* II, 34. — [6] *Rom.* VIII, 29. — [7] *Matth.* XII, 48. — [9] *Ibid.* 49 *et Rom.* VIII, 29. — [9] *Coloss.* II, 9. — [10] *Joan.* I, 16. — [11] *Zach.* IV, 10. — [12] *Isai.* XI, 2. — [13] *Id.* IV, 1. — [14] *Joan.* I, 33. — [15] I *Petr.* II, 7. — [16] *Isai.* II, 2. — [17] *Exod.* V, 3. — [18] *Psalm.* XVIII, 6.

[a] *Id est*, naturarum.

Non longiùs abeatis [1]; vult enim si non in facto, vel in sermone nos peccare, si non in sermone, vel in cogitatione. Non vult ut à se toto triduo proficiscamur; vult enim vel unum diem in nobis habere: in aliis totum possidet triduum; sed beati qui toto triduo ab eo recedunt. Via etiam trium dierum fides est Trinitatis, vel Christus ipse mortuus, sepultus, resurgens. Vocavit ergò nos ut hâc viâ eamus in solitudinem, et sacrificemus Deo nostro. Non vult nos Filius Dei in carnis ac tenebrarum actibus permanere, sed exire ad eremum, ad locum scilicet perturbationibus et fluctibus sæculi vacuum, et ad quietem silentii. Verba enim sapientiæ in silentio et quiete discuntur. Hîc possumus *immolare Deo sacrificium laudis, et reddere Altissimo vota nostra* [2]. Ne igitur accidat nobis pestis peccaminis aut gladius æternæ mortis, vocanti nos Deo pareamus, de fluctibus negotiorum et strepitu vitiorum, et de Ægypto, id est, tenebris ignorantiæ in solitudinem virtutum exeuntes, ut sic lucem scientiæ capiamus. Vir igitur desideriorum, vultus in diversa non mutans, mentis obtutus in hunc quasi hominis filium dirigebat, ejus in mundum adventum admirans et toto corde desiderans. Aspiciebat autem in visione noctis, non diei vel lucis: est enim triplex visio, scilicet visio noctis, visio diei, visio lucis; visio autem nocturna ante gratiam, visio diurna sub gratiâ, visio lucis in gloriâ. In visione noctis vel nocturnâ, aspiciebant Patriarchæ et Prophetæ *adjutorium in Potente* [3], id est, in brachio Domini positum, de quo: *Et brachium Domini cui revelatum est* [4]*?* Sed hi viderunt in visione noctis, id est, ænigmaticâ et nebulosâ mentis intelligentiâ. Apostolis verò concessa est Dei visio, sed non lucis, quia eis veritas, sed calceata, divinitas, sed nube operta, apparuit, et ignito eloquio cordibus eorum insonuit, atque digito suo in mentibus ipsorum legem novam superscripsit, à quibus visus est in terris Emmanuel, et cum eis conversatus, id est, *nobiscum Deus*, nobiscum conversatione, nobiscum formæ participatione, nobiscum carnis peccati similitudine: qui in libro Levitici ait: *Inhabitabo in illis, et inter eos ambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* [5]. In futuro autem erit visio lucis, ubi quasi solutâ calceamenti corrigiâ veritas in specie videbitur suâ: tunc *erit dies una*, teste Zachariâ, *quæ nota est Domino, non dies, neque nox et in tempore vesperi erit lux* [6]. *Cùm enim tradiderit Christus regnum Deo et Patri* [7], et fuerit vespera, id est, finis sæculi et consummatio omnium, non erit dies, neque nox, sed tantùm lux; quia, sicut nec diei, nec noctis erit vicissitudo, sed lucis continuatio; ità nocturna ac diurna cessabit visio; *cessabit enim prophetia, et scientia destruetur* [8], et succedet visio lucis.

4. Hanc distinctionem nocturnæ ac diurnæ visionis Veritas in Evangelio distinguit: *Abraham*, inquit, *exsultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est* [9]*;* et alibi verò ait: *Multi reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* [10]*:* ac si patenter dicat: Viderunt quidem Abraham et Prophetæ fidei oculo diem Nativitatis meæ; sed non viderunt quomodò vos videtis: et cupierunt videre, nec est eis datum. Viderunt autem in nocte, vos autem in die: *Hoc enim sacramentum*, ut ait Apostolus, *non est agnitum aliis generationibus, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis* [11]. Undè in Numeris: *Dixit auditor sermonum Dei: Videbo eum, sed non modò: intuebor eum, sed non propè. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab* [12]. Attendite diligenter, qui sermones Dei auditis, ut fidei mysterium mente percipiatis atque operibus condignis exsequamini: *Omnis enim auditor verbi tantùm et non factor*, ut ait Jacobus, *comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit* [13]. Tales sunt veloces ad audiendum, sed tardi ad operandum, qui scire volunt et non facere: speculum enim nostrum eruditio est sacræ paginæ, ubi primordialis institutionis nostræ dignitas, et ruinæ pòst secutæ infelicitas, et reparationis per gratiam factæ bonitas, et glorificationis futuræ sanctitas insinuatur. Verùm nonnulli hæc considerantes, in malis humiliari et in bonis gratias agere obliviscuntur; ideòque veram sapientiam invenire non merentur, quia *in malevolam animam non introibit sapientia* [14], quæ dicit: *Quærent me mali, et non invenient* [15]. Oderunt enim sapientiam, quia nisi per obedientiam mandatorum non venitur ad sapientiam occultorum. Undè: *Concupisti sapientiam: serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi* [16]*:* aliquandò tibi dicitur: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcipit tibi Dominus, illa cogita semper* [17], scilicet et antequàm percipiatur sapientia ejus, et post perceptam, cujus non erat expers ille Dei sermonis auditor, qui ait: *Videbo eum, sed non modò: intuebor eum, sed non propè.* Undè Isaias: *Ecce nomen Domini venit de longinquo: ardens ut ignis furor ejus, et gravis ad portandum* [18]. Si autem de longinquo, non de propinquo venit nomen Domini, id est, Filius in nomine Patris, qui est

[1] *Exod.* VIII, 28. — [2] *Psalm.* XLIX, 14. — [3] *Id.* LXXXVIII, 20. — [4] *Isai.* LIII, 1. — [5] *Levit.* XXVI, 12 *et* II *Cor.* VI, 16. — [6] *Zach.* XIV, 7. — [7] I *Cor.* XV, 24. — [8] *Id.* XIII, 8. — [9] *Joan.* VIII, 56. — [10] *Luc.* X, 24. — [11] *Ephes.* III, 5. — [12] *Num.* XXIV, 16 *et* 17. — [13] *Jac.* I, 23 *et* 24. — [14] *Sap.* I. 4. — [15] *Joan.* VIII, 21. — [16] *Eccli.* I, 85. — [17] *Id.* III, 22. — [18] *Isai.* XXX, 27.

Deus; adventu quippè suo se esse Deum innotuit. Hic est stella et virga ex Jacob orta et de Israel consurgens: stella, quia illuminat: virga, quia percutit, dirigit et sanat; illuminat quippè cæcos, dirigit claudos, sanat surdos et mutos, percutit duces Moab, id est, principes et potestates tenebrarum harum. Undè Isaias : *Ecce Deus vester veniet, et salvabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum*[1].

5. Multis languoribus premebatur genus humanum quos relevare dignatus est cœlestis Medicus ad nos veniens. Cæci utiquè erant qui duobus oculis sponsæ carebant, morali scilicet et mystico: moralis dulcior, mysticus acutior. Undè sponsus ad sponsam ait : *Corde nos cepisti, uno ex oculis tuis*[2], quia magis capitur Deus mystico oculo quàm morali. Surdi erant, quia aures audiendi non habebant, secundùm illud Isaiæ : *Locutus sum, et non audistis: et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis*[3]; et alibi : *Aure audietis, et non intelligetis*[4]. Claudi erant, gressus fidei et operis boni non tenentes, vel utriusque Testamenti doctrinâ carentes; titubante namque vestigio fidei et doctrinæ, ante adventum Salvatoris, mundus claudicabat; omnem namque substantiam suam, in medicis nil proficientibus, erogaverat mulier illa evangelica[5]. Tunc enim mundus incisam ungulam non habens, nec ruminans, immundus erat[6]. Mutus quoque erat, cujus ora satanas concluserat, ut in laudibus Deo non personaret, cujus amore et memoriâ non confovebatur; ideòque lingua mundi ardens canticum novum, scilicet carmen Deo nostro cantare non valebat. Mutus enim est Deo, qui non est ejus memor. Ut quid enim sonat? Ut quid enim clamat? Ut quid loquitur, qui canticum Sion, id est, canticum novum non sonat? Canticum vetus sonabat, id est, canticum sæculi, quandò canticum cœli ignorabat. Sed veniens Emmanuel, et nebulam peccati et ignorantiæ totam terram tegentem sicut cinerem spargens[7], oculos cæcorum et aures surdorum utrasque aperuit, et claudos in saltum spiritualem, ut saliant de vitiis ad virtutes, de mundo ad cœlum, direxit, et linguas mutorum ad personandas laudes Dei solvit. *Venit* autem *in nubibus cœli, et usquè ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum*. Nubes cœli caro Verbi est cœlestis, quam non secum de cœlo attulit, sed in utero Virginis sine contagio suscepit peccati. Prævenit enim Spiritus sanctus Virginem, eam totam sanctificans et igne charitatis replens, ut ex decimâ sanctificatâ decimam sanctiorem summus sacerdos acciperet[8]; accepit enim primitias carnis nostræ. Undè Isaias : *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti*[9]. *Nubes* enim *levis*, caro est in quâ apparuit : *nubes*, quia nobis præbet refrigerium contra æstum vitiorum: *levis*, quia sine corruptione iniquitatis, quæ in Zachariâ legitur *sedere super talentum plumbi*[10]. In hâc igitur nube ingressus est Ægyptum hujus mundi; et simulacra ejus corruerunt, id est, principalia vitia hujus mundi defecerunt in cordibus fidelium. *Pervenit autem usquè ad Antiquum dierum*, quia, licèt in nube minor Patre fuerit cognitus, est ei æqualis in Deitate, cujus voluntate sicut in utero Virginis est natus, ità in cruce à Judæis est oblatus. *Qui dedit ei potestatem, et regnum, et honorem*, dùm mundo innotuit eum genuisse Omnipotentem et Regem; et ideò honorandum sicut Patrem: *Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum*[11]. *Potestas ejus, potestas æterna, et regnum ejus, quod non corrumpetur*; regni enim ejus non erit finis, quia regnum ejus non est de hoc mundo: quod nobis præstare dignetur qui vivit in sæcula sæculorum. Amen.

✠ VENERABILIS GODEFRIDUS, ABBAS ADMONTENSIS[a].

NUM. I. Tantò magis oportet se præparare ad celebrandam Domini Nativitatem, quantò propinquior est illa solennitas. — 2. Per anagogen nativitas Moysis assimilatur Nativitati Christi. Pharao dæmonem significat : mater Moysis matrem Domini repræsentat. — 3. Moyses infantulus in fiscellâ scirpeâ positus Deum infantem in præsepio positum adumbrat. — 4. Soror Moysis Ecclesiam figurat et Angelos evangelizantes pacem pastoribus. — 5. Filia Pharaonis Magos designat, qui è longinquo ad natum Dominum advenerunt.

1. Ad suscipienda Dominicæ Incarnationis præconia, nova, inquam, salutis nostræ gaudia, Spiritus sanctus paratos nos esse desiderans, alloquitur nos et exhortatur dicens : *Hodiè scietis quia veniet*

[1] *Isai.* XXXV, 4-6.— [2] *Cant.* IV, 9.— [3] *Isai.* LXV, 12.— [4] *Act.* XXVIII, 26.— [5] *Luc.* VIII, 43.— [6] *Deut.* XIV, 7 *et* 8. — [7] *Psalm.* CXLVII, 16.— [8] *Levit.* XXVII, 32. — [9] *Isai.* XIX, 1. — [10] *Zach.* V, 7. — [11] *Joan.* V, 23.

[a] Edit. Pezii Benedictini, Augustæ Vindelicorum, 1725; in quâ hæc Homilia præfert hanc inscriptionem : « *Hodiè scietis quia veniet Dominus, et manè videbitis gloriam ejus* (*Exod.* XVI, 6 *et* 7). Quæ sunt verba Invitatorii, Versûs et Responsorii, secundæ Antiphonæ et Responsorii brevis ad Tertiam Vigiliæ Nativitatis Domini.

Dominus, et manè videbitis gloriam ejus. Quid enim per hoc quòd *manè videndam gloriam Dei* dicit, aliud nobis innuit, nisi ut tantò magis noster præparetur animus, quantò propinquiorem Redemptoris nostri Nativitatem adesse cognoscimus? Deniquè si quilibet potens homo hâc sacrosanctâ solennitate invitaret amicum suum, per omne spatium præcedentis istius adventûs omnimodis se præparâsset, quali honore, quali reverentiâ hospitem suum susciperet. Si verò priùs de adventu ejus aliquantulùm dubitans, hâc die venturum eum certè cognosceret, etiam, quantùm adhuc brevis restat temporis, honorificum se festinaret exhibere in adventu sui hospitis. Cùm ergò tali honore mortales se invicem homines prævenire contendunt, quali cordis devotione, quantâ actuum præparatione hospes iste magnificus, Redemptor noster in suâ festivitate à nobis est suscipiendus, cum quo nobis gratia venit et salus! Præmoniti itaque et multotiès sanctis his diebus de adventu tanti hospitis certificati, præparemus domos nostras, mundemus corda nostra, ut mundatis internis oculis, *manè gloriam Dei nostri*, sponsam illam, carnem videlicet in Deum assumptam contemplemur, et ad sacrosanctum altare sacramentum ejus dignè percipiamus. Quisquis verò, accusante conscientiâ suâ, minùs se antè parâsse recognoscit, de pietate Domini non diffidat, sed quod priùs neglexit, saltem hâc die perficiat.

2. Hæc est profectò festivitas, quam omnes antiqui Patres valdè necessariam cognoscentes, toto cordis desiderio ad eam suspirabant, et ideò omnibus gestis seu scriptis suis eam præfigurabant. Hinc de ipsâ solennitate legimus in Exodo (quod quidem secundùm litteram huic diei inconveniens videtur, sed si subtiliter sensum inquirimus, satis aptum esse perspicimus) : Cùm enim Pharao rex, qui populum Israel sub ditione suâ tenuit, ipsum populum augeri et quotidiè crescere vidisset, præcepit servis suis ut quidquid masculini sexûs inter illos nasceretur, in flumen projiceretur; *egressus est autem vir post hæc de domo Levi, acceptâ uxore stirpis suæ*[1]. Quem, fratres dilectissimi, quem rex iste significat, nisi illum qui omne genus humanum ante adventum Christi captivum tenebat, qui etiam omnes *in flumen projecit*, quia non solùm iniquos, verùm etiam ipsos Dei electos post mortis debitum secum in infernum duxit? *Egressus est autem post hæc vir de domo Levi. Vir iste,* vir sanctus et justus, Joseph fuit, qui *uxorem de stirpe suâ* duxit, pretiosissimam videlicet Dominam nostram, Mariam, non ut sanctum et virgineum corpus ejus humanâ contaminatione pollueret, sed ut ea quæ illi et nato parvulo necessaria erant, provideret. *Quæ concepit et peperit filium* nullius viri tactu violata, sed Spiritu sancto desuper veniente obumbrata. *Concepit* eum et *peperit*, non ut cæteræ matres concipiunt et pariunt, sed *concepit* eum sine carnis contaminatione, et *peperit* absque omni dolore.

3. *Et videns eum,* inquit Scriptura, *elegantem, abscondit tribus mensibus.* Vidit reverà Domina nostra, Maria, filium suum *elegantem,* quia numquàm homo cognovit, nec cognoscere poterit, sicut ipsa perspexit intuitu cordis et corporis, speciem et elegantiam inscrutabilis ejus divinitatis. Quam profectò *tribus mensibus abscondit*, quia illam in infantiâ, in pueritiâ, in adolescentiâ hominibus prodere noluit. *Cùmque jàm celare non potuit, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam pice ac bitumine, et posuit intùs infantulum.* Quid per *fiscellam scirpeam* nisi illud venerabile præsepe designatur, quod teneris et infantilibus Christi membris ornatur et consecratur, quod nimirùm mater ejus, mater gloriosa *pice et bitumine linivit*, cùm eumdem Redemptorem nostrum, Deum videlicet et hominem, ex animâ rationali et humanâ carne subsistentem, de se incarnatum, in illo posuit? Sic enim dicit Evangelista : *Completi sunt dies Mariæ, et peperit filium suum primogenitum, et pannis involvit eum, et reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio*[2]. Et benè *picis* nomine anima designatur nostri Redemptoris, quia natura picis est, ut nigra sit et quasi despecta. Sic anima ejus, licèt cunctis animabus fuerit sublimior, cunctis tamen erat humilior. *Bitumen* verò, quod pars terræ est et terræ adhæret, corpus ejus designat, quod scilicet de terreno nostro corpore sumptum, nobis infirmitatibus et laboribus sine peccato adhærebat. Istam utiquè fiscellam, pice et bitumine linitam, præsepe, dico, venerabile, consecratum animâ Christi et corpore, nunc universi adorant, et, si non corpore, cordis tamen devotione, ad illud venerabiliter inclinant. Si enim quælibet ara à Pontifice consecrata tali est veneratione colenda, ut nullus nisi honorificè audeat illam attingere, quanto, putamus, honore dignum est præsepe hoc, quod Creator totius orbis, parvus propter nos factus, parvis suis tangere dignatus est membris!

4. *Posuitque in carecto fluminis, stante procul sorore ejus, et exspectante eventum rei. Soror istius pueri* cœlestis illa Ecclesia est, multitudo exercitûs Angelici, quæ hâc nocte nova gaudia in terris et pacem hominibus bonæ voluntatis nuntiavit, dùm puer hic in fiscellâ suâ, hoc est, in præsepio jacuit. Quæ profectò *soror* etiam in hujus noctis festivitate *eventum rei* nostræ *exspectat*, dùm nobis in hymnis et laudibus Deo servientibus assistens, orationes nostras ad thronum divinæ majestatis denuntiat. Nam si Angeli pastoribus ani-

[1] *Exod.* II, 1-12. — [2] *Luc.* II, 6 et 7

malia curantibus, et minimè de hàc festivitate adhuc scientibus vel cogitantibus, apparuerunt, multò magis credendum est eos nobis adstare, quamvis corporeo intuitu non videamus, qui hâc nocte Dominum illorum de Virgine natum laudamus.

5. *Et ecce filia Pharaonis descendit, ut lavaretur in flumine.* Per *filiam Pharaonis* Magi illi, primitiæ Ecclesiæ, sano intellectu accipi possunt, qui nato Domino de longinquis Orientis partibus venerunt. Qui idcircò *descenderunt, ut lavarentur in flumine*, ut videlicet agnito Salvatore, invento Judæorum rege, aquâ abluerentur pœnitentiæ. O quantas, putamus, lacrymas tuncfuderunt, dùm hunc quem per Spiritum sanctum reverà Creatorem suum esse sciebant, tenerum, tam parvis involutum pannis viderunt! Undè et benè subditur quia, *cùm vidisset parvulum vagientem, miserta* sit *illius*, quoniam nimis videbatur miserabile, dùm illum viderunt sic exinanitum et humiliatum jacere. Audiamus itaque qualem mercedem mater istius pueri acceperit pro eo quòd incorrupta genuit eum et nutrivit. Est reverà, est incomparabilis merces ejus, quia non solùm eam homines devotè laudant, sed etiam ipsi Angelici spiritus jure ut Dominam suam et Factoris sui Genitricem venerantur atque magnificant.

6. *Postquàm autem crevit Moyses, egressus ad fratres suos, vidit afflictionem eorum, et virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. Cùmque respexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Vidit* procul dubio tunc Redemptor noster *afflictionem fratrum* suorum, cùm intuitu misericordiæ et pietatis omne genus humanum aspexit, et miseriis ejus condoluit. Cùmque ergò *Ægyptius*, antiquus ille adversarius, *quemdam de Hebræis fratribus ejus percuteret*, cùm, inquam, universos filios Adæ suo dominio subderet; verus Moyses, Christus videlicet, Jesus *huc atque illuc respexit, et neminem adesse vidit. Respexit huc* ad eos, qui in mundo versabantur, ut eos per prædicationem suam viam justitiæ doceret: *respexit et illuc* ad eos qui in inferno captivi detinebantur, ut ipsos per mortem suam eriperet. *Et cùm neminem adesse vidisset* qui eos adjuvare posset, ipse *Ægyptium* aggrediens *percussit*, quia tyrannum superbum glorioso mortis suæ tropæo devicit. Qui percussus ab ipso *sabulo absconditur*, dùm tantummodò in cordibus stultorum permittitur regnare, qui per *sabulum*, per *pulverem*, *quem projicit ventus à facie terræ*[1], intelliguntur. Et notandum quòd dicitur *sabulo* eum *abscondisse*, quia qui olim ante adventum Salvatoris palàm regnabat, nunc quidem nec in ipsis palàm, sed *absconditè* tyrannidem suam audet exercere. Celebrantes itaque magnificè hujus diei festivitatem, *sororem* Domini nostri, Angelicam multitudinem precibus invitemus, quatenùs ipsâ *eventum rei* nostræ exspectante, et omnes res nostras custodiente, laus nostra ità acceptabilis Christo fiat, ut ipse adveniens in cordis nostri præsepio requiescat, et sacratas noctes in nobis faciat, et per istas temporales festivitates ad æternas veniamus, ubi Deus est omnia in omnibus: quod ipse præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

NICOLAUS, CLARÆVALLENSIS ABBAS[a].

NUM. 1. Tandem venit Messias quem totiès David votis vocaverat. — 2. Prophetarum desideria pro adventu Christi. — 3. Religiosorum et fidelium fervor quo sese ad Nativitatem Domini celebrandam præparaverunt. — 4. Ægyptus figura mundi. Fluvius Ægypti, corruptio naturæ humanæ. — 5. Primus rivus hujus fluminis, mala cogitatio, dæmonis illusiones et sollicitationes. — 6. Secundus rivus, perversa locutio, eaque multiplex. — 7. Tertius rivus, actio prava, Religiosis præcipuè et Sacerdotibus abhorrenda. — 8. Quartus, defensio peccatorum. — 9. Quintus, exsultatio in peccatis. — 10. Sextus, provocatio ad malum. — 11. Septimus, perseverantia in malo. — 12. Hos pessimos rivos transeamus, id est, declinemus à malo, et faciamus bonum.

1. Tandem de mari ad portum, de promisso ad præmium, de labore ad requiem, de desperatione ad spem, de viâ ad patriam pervenimus. Scripserat quidem nobis frequentibus Epistolis *calamus scribæ velociter scribentis*[2]: *Exspecta, reexspecta;* sed nos, quod subjungitur, dicere poteramus: *Modi-*

[1] *Psalm.* I, 4. — [2] *Id.* XLIV, 2.

[a] Sermo ille qui, juxta Cajetanum, est S. Damiani, à D. Mabillonio, judicio cujus adhæremus, attribuitur Nicolao Clarævallensi (Tom. 2 Operum S. Bernardi, edit. Mabillonii), et inscribitur in Tom. 3 Bibliothecæ Cisterciensis: « In Vigiliâ Nativitatis Domini. » In hoc Sermone Venerandus Abbas Religiosos suos præmonet de practicâ præparatione ad festum Nativitatis: ibi passim multa occurrunt plena gravitatis, quæ ad mores vitæque normam pertinent.

cùm ibi, et modicùm ibi[1]. Præcurrerant Cursores promissione divites, sed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius : *Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum*[2]. Alter verò : *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet*[3]. Pari consilio exierant de sanctuario Dei, nihil secum nisi promissionum multitudinem reportantes. Undè et Citharista noster jàm dormitaverat præ tædio, et in ipsum Deum tacitis obligationibus totam culpam modis flebilibus intorquebat : *Tu verò*, inquit, *repulisti, et despexisti : distulisti Christum tuum*[4]. De flebili quoque ad imperativum conversus est, exagitante impatientiâ, quæ mater est impudentiæ et frontositatis : *Qui sedes*, inquit, *super Cherubim, manifestare*[5]. Ut quid tamdiù dominatrici sedens in cathedrâ, circumvolantibus et vallantibus Angelis, non respicis super filios hominum, quos absorbuit et obsorbuit iniquitas, per Adam quidem commissa, sed à te permissa? *Memorare quæ mea sit substantia*[6], ad tuæ substantiæ similitudinem fabricata : quia etsi *omnis homo vivens est vanitas*[7], in imagine tamen tuâ pertransiens, vanitas esse non potest : *Numquid* ità *vanè constituisti omnes filios hominum*[8], de quibus dicis : *Et deliciæ meæ cum filiis hominum*[9], ut eos verteret et diverteret à te malignissimus ille deceptor, qui decipere, nisi te permittente, non potuit? *Inclina cœlos tuos, et descende*[10], et illos misericordes oculos miseris inflecte peccantibus, nec saltem in perpetuum obliviscaris nos. Hæc quidem iste ; sed gemitibus et ærumnis intortus, tantæ præsumptionis sententiam abjurabat : *Dixi*, inquit : *Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ*[11].

2. Verùm ille vir nobilis, et profundi sermonis urbanitate perlucidus, affectuosis excessibus incalescens : *Propter Sion*, inquit, *non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus*[12] *: utinam*, ait, *dirumperes cœlos et descenderes*[13]*!* et alia multa, quæ fastidiosa prolixitas vetat inserere. Hic etiam morosioris gratiæ longinquitate suspensus, et nimietate doloris excedens, impatienter oblatrat, dicens : *Ecce Gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo : quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei*[14]. Jeremias in vocem gratulabundæ laudis adverbio demonstrante prorumpens : *Ecce*, inquit, *faciet Dominus novum super terram : Mulier circumdabit virum*[15]; sed tamen repentinæ subversionis lacrymis edocetur, ut priùs lamentum suscipiens quàm adventum, penitùs conticescat. Danieli dicitur : *Visio est in dies, et in tempora longa*[16]. Et Ezechiel tantis caliginibus involvitur, ut vix dignosci possit undè veniat, aut quò vadat. Deniquè omnis ille Prophetalis conventus, longâ tardantis gratiæ morositate pertæsus, nunc rogando, nunc conquerendo, variat orationem, et plerùmque sermonibus exorativis indignatorios intermiscet. [[a] Nos quoque satis eos audivimus, et nobis in fastidium releguntur. Jàm fugiat Moyses, impeditioris siquidem linguæ factus est nobis[17]. Isaiæ labia immunda sunt[18]. Jeremias nescit loqui[19], quia puer est. Ezechiel polluto pane vescitur[20]. Oseas fornicariam et adulteram ducit uxorem[21]. Daniel post visionem graviter infirmatur[22]. Omnes Prophetæ elingues sunt et muti. Jàm lætari et exsultare non possumus, nisi *osculetur nos osculo oris sui*[23].]

3. Auditi, et exauditi estis : *adest benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*[24], quæ vel differri non patiatur ampliùs amorem languentium. Quid enim audistis? *Sanctificamini, filii Israel, et estote parati, quia crastinâ die descendet Dominus*[25]. Residuum diei hujus et superventuræ noctis vix medianda progressio dirimunt nos à vultu gloriæ, à puero Deo, à puerperio singulari. Currite, horæ : celeriori et rapidiori passu conficite metas vestras, ut liceat videre Filium Dei vagientem in cunis, et Salvatoris Nativitati qualiacumque obsequia præparare. Credo vos esse filios Israel, sanctificatos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, paratos ad diei crastinæ sacramenta, et sollicitâ devotione, et devotâ sollicitudine. Quid enim aliud his sacris diebus ejus adventui dedicatis egistis? Vidi ego senes, senectutis oblitos, adstare vigiliis sacris juvenili alacritate : et juvenes juventute sepultâ, senilis gravitate reverentiæ divinitati assistere. Plena erant subsellia concinentibus, et concentu parili voces in sublimibus resonabant, ut felici invidiâ vos crederem jubilare Deo in voce exsultationis. Psalteria erant præ manibus, psalmi in labiis, in corde devotio : solennitatem animi indicabant hilaritas vultûs, discursio corporis, operis sollicitudo. Inspexi Sacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus subtiliter indagare, sacramentalibus indui vestimentis, introire ad altare Dei, ad sacrificandum corpus et sanguinem Redemptoris. Vidi assistentium turbam, ministeriali devotione nunc flectere genua, nunc osculari manus, et ad imperantium nutum nutu citiùs obedire. Sed et pueros aspexi, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram, sibi adinvicem psalteria invidere et reportare ad lectulos suos, furari somnum ab oculis suis, et in lectulo suo per noctes quærere quem diligebat ani-

[1] *Isai.* XXVIII, 10. — [2] *Psalm.* XXVI, 14. — [3] *Habac.* II, 3. — [4] *Psalm.* LXXXVIII, 39. — [5] *Id.* LXXIX, 2. — [6] *Id.* LXXXVIII, 48. — [7] *Id.* XXXVIII, 6. — [8] *Id.* LXXXVIII, 48. — [9] *Prov.* VIII, 31. — [10] *Psalm.* CXLIII, 5. — [11] *Psalm.* XXXVIII, 2. — [12] *Isai.* LXII, 1. — [13] *Id.* LXIV, 1. — [14] *Id.* XL, 15. — [15] *Jerem.* XXXI, 22. — [16] *Dan.* X, 14. — [17] *Exod.* IV, 10. — [18] *Isai*, VI, 5. — [19] *Jerem.* I, 6. — [20] *Ezech.* IV, 12. — [21] *Ose.* I, 2. — [22] *Dan.* X, 8. — [23] *Cant.* I, 1. — [24] *Tit.* III, 4. — [25] *Jos.* VII, 13.

[a] Quod uncis includitur, reperitur iisdem fermè verbis apud Bernardum, p. 144, n. 2

ma eorum[1] : quod licèt contra consuetudinem præsumptum sit, non tamen contra devotionem. Fateor, inter hæc omnia cogitabam : *Castra Dei sunt hæc! Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli*[2]! Vellem, nollem, vestrâ devotione trahebar, et vobis negotiantibus, otiari non poteram. Sequebar vos, sed à longè, vel aberrans à viâ, vel claudicans à semitis meis, lugens et contristatus, quia non poteram æquare currentes. Novit ille unus[a], cum quo uno unum esse cœpi in Domino, quàm frequentibus querelis impleverim aures ejus, quòd vos in meridie essetis cum sponso[3], et ego cùm sponsâ in vespertino frigore commorarer.

4. Eia, fratres, si aliquis adhuc defluus humor de flumine mortalitatis hujus vestras circumrorat affectiones, tergite, et tegite illum niveo confessionis amictu, et calceate vos in præparatione Evangelii pacis[4], ut sitis de quibus dicit Sanctus : *In flumine pertransibunt pede*[5]. Quid autem per hæc? *Ibi lætabimur in ipso*[6]. De flumine hoc, imò de fluminibus istis Isaias Propheta in nocturnis lectionibus largiùs disputavit: *Percutiet*, inquit, *Dominus fluvium Ægypti in septem rivis, ità ut transeant per eum calceati*[7]. Volo de fluvio et ruinis ejus paulisper confabulari vobiscum, quomodò et qualiter percutiantur, et quid sit transire per eum calceatos. Per Ægyptum figuraliter exprimi mundum istum, divinorum eloquiorum scrutatores affirmant, qui positus est in maligno, qui tenebris et confusionibus est repletus. Flumen fluxûs humani generis est, qui de primis parentibus infelici venâ prorumpens, impetuosum torrentem per totam mundi latitudinem instagnavit, qui in septem torrentibus derivatus, valles et campestria profundâ voragine supersedit, ipsis quoque montium cacuminibus eamdem refusionem intentans. Undè unus de altioribus clamat : *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me*[8]; et: *Intraverunt aquæ usquè ad animam meam*[9] [b].

5. Primus hujus fluminis rivus est cogitatio mala, rivus exundans et qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluviarum per fenestras corporeorum sensuum, qui ei mundanis cataractis mortiferos imbres infusiùs administrant. Occursat aspectui mentis quod vidit et audivit, quod odoravit et gustavit, quod palpavit et tetigit. Et plerumquè quod simplici oculo aspeximus, versipellis contortor in offendiculum retorquet ac scandalum. Fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, et in thalamo mentis universa convolvit, si fortè consensum eliciat et affectum inficiat. Offert horribilia de divinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei institutione; et in alveolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas in confessione evomere peccator oneratus exhorret. Venit in oratorium, dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, revisit officinas, nullam prætermittit artem nocendi; sed ubilibèt suæ calliditatis assignat argutias. Et in choro quidem inter orandum et psallendum mentem pertrahit in diversa, præteritorum rememoratione puritatem intellectûs involvens. In choro verò multiformes libidinis sensus evolvit, insidians sollicitudini vestræ, et telis fortioribus oppugnans vos, utinàm non expugnet; pungat, non vulneret! In refectorio autem gulam allicit ad videndum quæ perferuntur, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem, ut majore operâ ad egerendum egeas, quàm ad ingerendum. In claustro libros revellit à manibus, memoriam reserat Scripturarum, et nunc de isto ad illum, nunc de illo ad istum cum signis et scurrilitate transvertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrere, et vagabundo se comitem facit, donec taciturnitatis ostium aut aperiat, aut confringat. Quid plura? In choro devotionem, in thoro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionem, in officinis silentii virtutem virtutis inimicus exstirpat. Nec sufficit in vigilando subtilibus spiculis cordis tenebrare vitalia, sed dormiendo singulari se versat et reversat astutiâ. Quæ omnia meliùs vestræ conscientiæ, quàm styli scientiæ relinquo. Sed et ad altare Domini virtutum sequuntur nos spiritus ipsi, et ipsos ante mentis oculos involantes, ut vix aliqua vel nascentis Dei, vel pendentis in cruce possint memoriâ detineri. Magnus ille Patriarcha[c] vix volucres hujusmodi à suis sacrificiis abigebat : nos qui sumus, qui fugare præsumimus? Quis in hoc rivo vel mersum, vel submersum se esse negaverit? Videtis quàm turbidus torrens et limosâ regurgitans cœnositate, qui vix aut numquàm ad hoc ducitur ut penitùs exsiccetur. Non puto quòd ille[d] qui clausit cœlum oratione, clauserit animum à cogitatione, ut faciliùs sit cœlum obserare quàm animum.

6. Secundus rivus est locutio perversa. *Linguam nullus hominum domare potest*[1], ait Jacobus : membrum inquietum, membrum mortiferum : facilis ad loquendum, ad obloquendum proclivior. Et notandum quòd alter nascitur ex altero, cùm malæ cogitationi perversæ locutionis janua sit aper-

[1] *Cant.* III, 1.— [2] *Gen.* XXVIII, 16.— [3] *Cant.* I, 6.— [4] *Ephes.* VI, 15. — [5] *Psalm.* LXV, 6 — [6] *Ibid.* — [7] *Isai.* XI, 15. — [8] *Psalm.* XVII, 5. — [9] *Id.* LXVIII, 1.

[a] *Scilicet* Bernardus, vel Petrus Cluniacensis.

[b] Hanc rivorum allegoriam, quæ ei prolixa nimis videbatur, Combefisius hìc interruperat; illam tamen continuandam esse duximus, sperantes fore ut lectori, sicut et nobis, placeat, utpotè gravibus sententiis et piis affectibus referta.

[1] *Jac.* III, 8.

[c] Abraham.

[d] Elias.

ta. Et est etiam aliud verbum falsum : undè dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*[1]. Aliud vanum, de quo scriptum est : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*[2]. Aliud impudicum, de quo Apostolus : *Turpis sermo de ore vestro non procedat*[3]. Aliud excusatorium : undè Psalmista : *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*[4]. Aliud dolosum, de quo Propheta : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam*[5]. Aliud otiosum, de quo ipse Dominus : *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*[6]. Et si qua alia genera sunt pestis hujus, quæ nos brevi saltu transilire non possumus.

7. Tertius est actio prava. Post cogitationem et locutionem venitur ad opera, quandò *exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato*[7], et contumeliis afficimus corpora nostra. Quid enim turpius, quàm membra Christi sanguine consecrata et consepulta in baptismate libidinosis ardoribus maculare, nec attendere reverentiam præsentis Dei, minantis pœnam, gloriam promittentis? Absit ut aliquis nostrûm huic idolo substernatur, ut Filium Virginis in Veneris templo suscipiat, ut Arcam Dei juxta Dagon collocet[8], *ut nutritus in croceis stercora amplexetur*[9]. Quid Petro cum Mago? Quid Christo cum Antichristo? Quid virgini et libidini? Quid puritati et corruptioni? Absit ut quisque vestrûm *ambulet in passione desiderii, sicut et Gentes quæ ignorant Deum*[10], qui corpus Christi aut consecratis, aut Christi corpori ministratis. Electi, servite Imperatori, ut cum Imperatore sedeatis, *cùm sederit in sede majestatis suæ*[11]. Quâ fronte, quibus oculis videret vos, viveret vobiscum, qui tantis inter vos obscœnitatibus deserviret? Quâ mente, quâ conscientiâ accederet ad Sancta sanctorum, immolaret Sanctum sanctorum, cujus fama contemptibilis, vita notabilis, sermo reprehensibilis haberetur? Sed et si fortè (humanum loquor propter infirmitatem carnis vestræ) aliquis vestrûm tale aliquid in cubiculo conscientiæ complicavit, deplicet illud per confessionem et pœnitentiam, et ego ei de misericordiâ nascentis Pueri veniam repromitto. Et si confessus fuerit et pœnituerit, nascitur in eo lux mundi, ut, dimotis fallacibus tenebris, splendorem veræ lucis accipiat. Quomodò enim miseris misericordiam hâc nocte negabit, in quâ misericorditer misericors nascitur et miserator Dominus? Adest Deus et homo, Mater et Virgo, caro et Verbum, lux illuminans, bonus et bonitas, misericordia et veritas, fecunda virginitas, virginalis fecunditas, æterna novitas, nova æternitas, divina humanitas, humana divinitas, humilis sublimitas, et his omnibus misericordia fabricatur. Cohibete ergò extollentiam ab oculis, loquacitatem à linguâ, crudelitatem à manibus, voluptatem à lumbis, pedes ab itinere non recto, et venite, et arguite eum, si non hâc nocte dirumpit cœlos, si non descenderit ad vos, et projiciet in profundum maris omnia peccata vestra. Quis tamen est, qui hujus tertii rivuli non sit mersus et remersus instantiâ?

8. Quartus rivus est defensio peccatorum. In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram divinitatis, quomodò iniquitatis defensio. Æquo enim certamine nos certamus cum Domino, cùm defendimus quod odit, cùm nobis placet quod displicet illi. Magna quippè differentia inter superbum et humilem peccatorem : cùm illum despicit, hunc respicit, quia *humilia respicit, et alta à longè cognoscit*[12]. Quandò sanari poterit qui medicum spernit, medicinam conculcat, et infirmam substantiam contrariorum receptione succendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, et in Creatorem refundis injurias, ut quod laudaverit, tu vituperes, quod vituperaverit, tu laudes. Non est hoc palpativâ dissimulatione tacendum, quòd viderim quosdam vestrûm tantis impatientiæ stimulis agitari, ut ad primas correptoris voces non solùm excusationem et defensionem exhibeatis, sed et, nisi disciplinalis vigor obviaverit, ad tumultus et jurgia prosiliatis. Hæc est impietas maxima in Deum, delictum maximum : quod vir simplex et rectus et puer Domini summâ circumspectione devitat. Elegantissimam super his comparationem inducit Propheta, quam de sacrario sancti Spiritûs asportavit : *Ibi*, inquit, *habuit foveam ericius*[13]. Ericius ità confertissimâ spinositate densatus est, ut undiquè punctionibus et aculeis vestiatur. Cùm verò se solitudinem adeptum putat, caput aperit, exserit pedes, et vivificatorios motus planâ deambulatione demonstrat. Si quis supervenerit, statim celerrimâ velocitate caput cum pedibus in interius absconditorium reponit, ut, si tenere volueris, priùs videas sanguinem tuum quàm corpus suum. Sic et peccatoris caput cum pedibus, intentio cum actione, à pastorum sollicitudine prospectatur; et quod ferè omnium peccantium vitium est, cùm ab omnibus videatur, à nemine æstimat se videri. Si vitium resecare studeas, et intentionis ingressus cum actionibus egressibus correctivis deprehendere, statim Ciceronis eloquentia renovatur : excusatur et defenditur quod opponis : accusaris et offenderis qui proponis. Interrogat de loco et de tempore, quandò factum fuerit : et, novus dialecticus, exsertâ linguâ prorumpit in medium. Parentes advocat : patrocina-

[1] *Psalm.* V, 7. — [2] *Id.* XI, 3. — [3] *Ephes.* IV, 29. — [4] *Psalm.* CXL, 4. — [5] *Id.* XI, 4. — [6] *Matth.* XII, 36. — [7] *Rom.* VI, 13. — [8] I *Reg.* V, 2. — [9] *Thren.* IV, 5. — [10] I *Thess.* IV, 5. — [11] *Matth.* XXV, 31. — [12] *Psalm.* CXXXVII, 6. — [13] *Isai.* XXXIV, 15.

tores quærit : gravari se judicat : indicat se recessurum, malle mori quàm pati talia, et quæ vidisti negans, et quæ non vidit in te convitia retorquens. Sic spinam sentis, et culpam perdis : odium incurris, nec corrigis : et quem totum tenere putabas, totum amittis. Vides quàm multiplici cumulositate rivus iste omni homini, et maximè nostro Ordini se infundit?

9. Quintus est exsultatio in peccatis. O detestanda lætitia, et in sempiterni doloris tristitiam demutanda, in peccatis sicut in virtutibus exsultare! Nonne latrocinantes et facinorosi quique cùm votorum plenitudinem assequuntur, non se capiunt præ gaudio, ità etiam ut audeant ipsi divinitati gratias immutire? *Qui, cùm malefecerint, lætantur, et exsultant in rebus pessimis*[1], *cadent super eos carbones, et in ignem dejicientur*[2]. Sed rivus iste quàm undosâ reflexione miseros animantes effundit, meliùs conscientia quàm eloquentia comprehendit.

10. Sextus est alios docere ad malum. Hæc doctrina *de cathedrâ pestilentiæ*[3] derivatur, quam detestatur et reprobat *qui docet hominem scientiam*[4]. O quàm *in vanum accipit animam suam*[5], qui aliorum animas venatur ad mortem, qui trahit peccata sicut vestem longam, qui miscet sanguinem sanguine, cui non sufficit ut intereat in sæculum sæculi, nisi et alios ad interitum pertrahat sempiternum! Scitis enim quia multa vitia tenerrimis ætatibus imprimuntur, quæ posteà in magno corpore vix mitigare, nedùm exstirpare quisquam possit. Infelices magistri, qui hujusmodi plantaria plantaverunt! *Explantabuntur ab illâ cœlesti plantatione, quam plantavit Pater ille cœlestis*[6]. Quis gloriabitur se hujus rivi torrentibus non fuisse vallatum?

11. Septimus est, in omnibus his malis perseverare. Hîc peccator demersus est et absorptus, et clausit super eum puteus os suum. Cùm enim non levat oculos ad cœlum, nec recordatur judiciorum justorum, mortuus est et sepultus in sepulchro conscientiæ suæ. *Tunc à mortuo tamquàm qui non est, perit confessio*[7] : *tunc peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit*[8]. Hic est in extremo fluminum Ægypti, et multitudo miserationum Domini tollitur ab oculis ejus.

12. O flumen malum, rivi pessimi, rivi exterminantes! Hàc nocte Dominus eos calceatus transivit, cùm in virginali substantiâ puram carnem et omnium prætaxatarum pestium immunem accepit, *illo calceamento calceatus quod in Idumæam extendit*[9], *cujus corrigiam solvere non potuit magnus ille Baptista*[10]. *Misit de summo* Filium suum, *et accepit me* in utero Virginis, *et sic tandem assumpsit me de profundis aquarum*[11]. Percutiemus et eos, *si cogitemus pro peccato nostro*[12], *si prohibeamus linguam à dolo, si declinemus à malo et faciamus bonum*[13], *si confiteamur adversùm nos injustitiam nostram Domino*[14], *si dolor noster sit semper in conspectu nostro*[15], *si doceamus iniquos vias Domini*[16], *et semper laus ejus sit in ore nostro*[17]. Et ut de arte sutoriâ nostris moribus aliquid consuamus, habeamus calceamenta densa et subtiliter consuta, quæ possint aquas obviantes excludere. Faciamus carnem nostram firmam et confixam timore Domini[18], quæ libidinis humorem excludat, et excocta tribulationibus atque ità densata fiat uter novus ad conservandum vinum novum de quo dicitur : *Quia factus sum sicut uter in pruinâ*[19]. Sed jàm corda et corpora vestra ad suscipiendum Filium Virginis præparata *dimittamus in pace*, et omnes in commune *lumen ad revelationem Gentium innocentibus brachiis amplectamur*[20], *qui est benedictus in sæcula*[21]. Amen.

ADAMI SCOTI,

CANONICI REGULARIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS, SERMO I[a].

NUM. 1. Cur fiat prostratio, quandò pronuntiatur ex Martyrologio Nativitas Filii Dei ?— 2. Duplex Christi Nativitas. — 3. Admiratio majestatis et devotio divinæ pietatis est causa prostrationis. — 4. Prophetæ majestate Dei stupefacti in faciem prostrati. — 5. Qualiter oportet se præparare ad solennium festorum celebrationem. — 6. Quænam sunt ornamenta mentis?

1. Quid est hoc, fratres, quod audîstis? Quid est quod fecistis? Lectum est coram vobis, quòd *nascitur Christus, Filius Dei, in Bethleem Judæ.* Hoc vobis legi audîstis, et mox ut audîstis, in facies vestras corruistis. Quod exteriùs auditum est, interiùs attractum est. Influxit hæc vox extrinsecùs

[1] *Prov.* II, 14. — [2] *Psalm.* CXXXIX, 11.— [3] *Id.* I, 1. — [4] *Id.* XCIII, 10. — [5] *Id.* XXIII, 4. — [6] *Matth.* XV, 13. — [7] *Eccli.* XVII, 26. — [8] *Prov.* XVIII, 3. — [9] *Psalm.* LIX, 10. — [10] *Luc.* III, 16. — [11] *Psalm.* XVII, 17. — [12] *Id.* XXXVII, 19. — [13] *Id.* XXXIII, 14 et 15. — [14] *Id.* XXXI, 5. — [15] *Id.* XXXVII, 18. — [16] *Id.* L, 15. — [17] *Id.* XXXIII, 2. — [18] *Id.* CXVIII, 120. — [19] *Ibid.* 83. — [20] *Luc.* II, 28-32. — [21] II *Cor.* XI, 31.

[a] Ex editione Antuerp. 1659, à Godefrido Ghiselberto, ubi hic Sermo est Num. 19, et inscribitur : « De prostratione quæ eo die (scilicet in Vigiliâ Nativitatis Domini) fit in Capitulo. »

auribus vestris per sonum; sed illapsa virtus ejus mentibus vestris, movit eas per affectum. Magna certè vis vocis hujus, quæ statim ut auribus insonuit, corpora in terram prostravit; quia et corda commovit, et non modicùm, ut sit vox commotionis magnæ. Commota sunt corda ad admirationem, ad devotionem, et ad utriusque ostensionem prostrata sunt corpora ad humiliationem. Quis enim dignè in auditu hujus vocis prolatæ, in intellectu hujus auditæ, sufficienter et ob immensitatem rei in admirationem erigatur stuporis, et ob suavitatem in devotionem accendatur amoris, ut perindè modicum videatur ac omninò exiguum, quòd, eâ auditâ, etiam corpora vestra ad humiliationem inclinantur prostrationis? *Christus Filius Dei nascitur!* Hæc est *vox* illa *exsultationis et salutis*[1], *vox* planè *virtutis et magnificentiæ*[2].

2. In his verbis, gemina unius ejusdemque Christi Jesu Nativitas declaratur. Una ex Deo Patre est: altera ex homine matre. Quis geminam esse Christi Nativitatem audeat contradicere? Prorsùs nemo eorum dumtaxat, qui in confessione veræ fidei sani sunt. Natus ex Deo Patre Deus: nascitur ex Virgine matre homo. Ibi ab æterno et sine matre: hìc in tempore et sine patre. Ibi sine initio: hìc sine exemplo: utriusque nimirùm Nativitatis magnitudinem singulari penitùs attestante prærogativâ, quia et divinitas incomprehensibilem clamitat Patrem, et virginitas admirabilem prædicat matrem. Porrò, sicut magnum quid est, natum tueri ex Deo Deum; sic videre Christum nasci ex homine hominem, suavissimum: quia ibi non sublimatus, sed sublimis in formâ Dei, et ipsi per omnia coæqualis: hìc tàm humilis, ut, in humiliatâ formâ servi, altissimus humillimus, temporalis æternus, magnus et immensus, parvus et modicus sit. Illud itaque intueri magnum, et admirabile, et omninò incomprehensibile: hoc autem pium, et supra modum suave et dulce.

3. Prosterni nihilominùs toto corpore in terram, quis magnæ humilitatis neget indicium? Hæc itaque tria in his quæ hìc legi, audivi et fieri vidi, notanda considero: admirationem, devotionem, humiliationem: prima duo in his quæ legi, audîstis: tertium verò in his quæ ipsi fecistis, cadentes videlicet in facies vestras, toto in terram corpore prostrati. Quid enim est quod magis admirari debetis, quàm id quod sine quantitate tantum est, sine qualitate tale quòd, sicut est, nec ore exprimi, nec corde valet comprehendi? Hoc autem est æterna illa Patris et Filii æqualitas, æqualisque eorum æternitas, in quorum unâ deitate cùm unus generet ingenitus, alter generetur: non generans generante, nec genito gignens prior est in aliquo, vel major; nec gignente posterior genitus, vel minor. Quod item cui magis devotus magisque debes esse obnoxius, quàm humilitati naturæ? Plenum siquidem omni suavitate et dulcedine Deum hominis conditorem intueris factum hominem propter hominem. Illud itaque ad celsitudinem pertinet majestatis, quam admireris per stuporem: hoc autem ad suavitatem pietatis, cui devotus sis per amorem. Et propter hæc duo in verbis istis quæ audîstis, in facies vestras cecidistis. Quod enim lectum est: *Christus Filius Dei*, majestatis sonat celsitudinem, quam, ut dixi, obstupescas: quod verò statim ibi adjunctum est: *In Bethleem Judæ nascitur*: pietatis ostendit dulcedinem, quam jure ames. Meritò, his auditis, prostrati terræ incubuistis, ostendentes vos, auditâ majestate, stare non posse, nec debere.

4. Quem enim tanta celsitudo, cùm intonat, stare permittit? Quem item tanta dulcedo, cùm demulcet, ad prostrationem non trahit? Prophetæ illi eximii, Ezechiel, Daniel et alii, aliquid de hâc aliquandò majestate, seu visu, seu auditu perceperunt; sed numquid percipientes steterunt? Unus eorum, prout potestis legendo intelligere, visâ similitudine gloriæ Domini, *cecidit in faciem suam*[3]; alter verò, ut verbis ejus utar, *visionem ut vidit grandem, non remansit in eo fortitudo; sed et species ejus immutata est, et emarcuit, nec habuit in se quidquam virium; sed jacebat consternatus super faciem suam, vultusque ejus hærebat terræ;* et post pauca: *Dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium; sed et halitus meus intercluditur*[4]. *Quatuor quoque animalia, et viginti quatuor seniores* in Apocalypsi *ceciderunt proni in terram coram Agno*[5], quia omnes sancti in consideratione humilitatis illius Agni mansuetissimi, *qui tollit peccata mundi*[6], ex amore se humiliant, illum infra omnia humilem videntes, et ipsi coram illo nullatenùs superbire præsumentes. Igitur et illi et isti prostrati sunt, admirantibus illis potestatem; istis verò amantibus pietatem. Sic et vos auditum nomen majestatis prostravit stupefactos; pietatis verò, devotos. Et quidem justissimum, ut auditâ humilitate vestræ in eo sumptæ naturæ, vos ex amore, ad agendas ei gratias prosternatis in terram, qui pro vestrâ salute de sublimi illo palatio se humiliavit usquè ad terram. Intellexi itaque admirationem vestram: et in stupore comperi devotionem vestram, et in amore vidi humilitatem vestram, quia et vos eam ostendistis in prostratione.

5. Sed hoc quod dicitur: *In Bethleem Judæ nascitur*, non ad hodiernam, ut scitis, sed ad crastinam pertinet diem. Die autem crastinâ oportet vos multùm esse devotos, nec tamen vos ideò hodiè decet esse otiosos: *Hodiè* namque *scietis quia ve-*

[1] *Psalm.* CXVII, 15. — [2] *Id.* XXVIII, 4. — [3] *Ezech.* II, 1. — [4] *Dan.* X, 8, 9, 10 *et* 17. — [5] *Apoc.* V, 8. — [6] *Joan.* I, 29.

niet Dominus, et manè videbitis gloriam ejus[1]. Habetis in his verbis paucissimis quid hodiè agere debetis, quod die crastinâ percipere poteritis. Nam hodiè scire debetis, ut cràs videre possitis. Et quid est, quòd veniet hodiè te scire, nisi ad futurum te ejus adventum præparare? Nam mihi videtur quòd, eò dominum suum servus venturum ignorat, quò venienti, ut dignè suscipiatur, quæ sunt necessaria præparare dissimulat. Scitis profectò quanto qualique contra hanc festivitatem viri sæculares apparatu insistant. Tot genera ciborum et potuum, tot ornamenta vestium, et alia quæ ad decorem et lætitiam pertinent temporalem, sollicitè præparare non omittunt. Verùm, cùm hæc omnia spectent ad corpus, Deus noster Spiritus est: *Nam Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*[2]. Testimonium hoc verum est. Ità necesse est, ut qui ei student placere, in spiritu placeant et veritate. Non ergò nitorem vel delectationem requirit temporalem, sed splendorem et suavitatem in vobis desiderat spiritualem.

6. Hæc studete habere apud vos, et ostenditis vos scire quòd veniat. *Facite voluntatem Patris vestri qui in cœlis est*[3], et in domo vestrâ panibus abundatis. Studete etiam vino potari compunctionis, et infundi interiùs gratiâ sapidissimæ devotionis, ut comestus prædictus panis in stomacho mentis ad spiritualem ejus sanitatem dirigatur; nec dicere jàm poterit quis, quin abundetis et potu. Quòd si arma induimini lucis, ut in die honestè ambuletis, honestè ambulantes maximè ad eos qui foris sunt[4], quis vos negabit apparere in vestitu nitido et habitu splendido? Hæc omnia deliciæ mentis sunt, non ventris: ornamenta cordis, non corporis. Et fructuosè atque utiliter exercentur intùs, pomposè et inaniter ostenduntur foris. In his scitote hodiè, quia veniet Dominus, ostendentes vos scire esse venturum, dùm tales vos exhibuistis contra ipsum, cui sit honor et gloria in sæcula. Amen.

✠ EJUSDEM SERMO II[a].

NUM. 1. Mane illud desiderabile, quo languor animæ et corporis auferendus. — 2. Absente gratiâ Dei adjutrice, animæ tentationibus et infestationibus variis subjectæ. — 3. Præsente gratiâ internâ, exoritur quies animæ et corporis, et subjectio spiritui. — 4. Totum hominem mirè componit, firmat et ornat divina gratia. — 5. Effectus divinæ gratiæ mentem tranquillantis, purgantis, elevantis. — 6. Quis spiritualis animæ languor optabilis? — 7. Status animæ fruentis dilecto. — 8. In hâc vitâ mortali accessus et recessus abundantis gratiæ secretò dispensatur. — 9. Quâ de causâ illa subtractio sanitatis internæ contingat in sanctis? — 10. Vicissitudo alternabit in nobis, donec oriatur dies expers occasùs. — 11. Quomodò in mane illud æternæ gloriæ parandi sumus? — 12. Dies æterna, dies requiei.

1. *Hodiè scietis quia veniet Dominus, et vespere scietis quia Dominus eduxit vos de terrâ Ægypti*[5], ut eum sciatis cum lumine venturum, qui vos quondàm *de tenebris* (hoc enim nomen Ægypti sonat) *vocavit in admirabile lumen suum*[6], sitque hujus geminæ scientiæ remuneratio beata et beatificans divinæ gloriæ visio, quæ tunc erit, quandò ex toto vespera abscedet et mane illucescet. Cum quantâ, putas, exsultatione interim isti filii Israel hanc exspectant crastinam diem, in quâ visuros se sperant Dei in se majestatem, in quâ et descensurum sciunt ipsum Dominum, ut ab eis omnem auferat languorem? Sed et mane illud non cum modico gaudio exspectant, in quo Dei se visuros gloriam confidunt. O mane, in quo Dei videbimus gloriam! O dies crastina, in quâ Dei videbimus majestatem, non quidem simpliciter, sed in nobis: in quâ et ipse descendet, non ut aliquem, sed ut omnem à nobis tollat languorem! In hoc hodiè, in ignominiâ fuimus, non in gloriâ; in infirmitate, non in majestate; non in sanitate, sed in languore. Ignominiam, contumeliosam carnis appello tentationem: infirmitatem, fluxam dico mentis instabilitatem: languorem, multimodam utriusque appello ægritudinem.

2. Et videte si non est ità. Absente namque gratiâ, ut unusquisque vestrûm multotiès sentit et experitur, carnis statim tentatio sævit. Hæreditatem dominæ præoccupare tentat ancilla. *Delicatè aliquandò nutritus servus ille malus et piger, contumax*, ut promittit Salomon, *sentitur*[7]. Eva furit: illicitam viro comestionem suggerit[8]. Insurgunt, et germinant, atque in immensum crescunt, ipsâ rigante et excolente, quas in agro corporis nostri plantavit, spinæ. Et tribuli pungunt, et cruentant stimuli. Induitur caro putredine, et sordibus, et pulvere[9]: ipsam deniquè colaphizare non cessat angelus Satanæ[10]. Hæc, et in hunc modum alia, glo-

[1] *Exod.* XVI, 6 *et* 7. — [2] *Joan.* IV, 24. — [3] *Matth.* XII, 50. — [4] *Rom.* XIII, 12 *et* 13. — [5] *Exod.* XVI, 6. — [6] I *Petr.* II, 9. — [7] *Prov.* XXIX, 21. — [8] *Gen.* III, 6. — [9] *Job.* VII, 5. — [10] II *Cor.* XII, 7.

[a] In editione laudatâ quam sequimur, est Sermo 22, cum hoc titulo: « In Vigiliâ Nativitatis Domini. De internâ gratiâ animam visitante. »

riæ esse asseres, an ignominiæ? Mens quoque et ipsa, absente hâc, de quâ loquimur, gratiâ adjutrice, protinùs infirmatur, effecta *tamquàm pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*[1]; *levis* videlicet, quam à vigore stabilitatis status rapit tentationis : *garrula*, propter internam loquacitatem : *vaga*, propter inordinatam affectionem : *quietis impatiens*, propter dissolutionis, cui dedita est, motionem, *nec valens in domo consistere pedibus*[2] affectuum suorum : suo ad ima pondere vergens, et seipsam omninò portare non valens : in tàm horrendum nonnumquàm casum proruens, *ut mons etiam in eam cadens defluat, et saxum transferatur de loco suo, lapides excavent aquæ, et alluvione paulatim terra consumatur*[3] : quod nimirùm, ut scitis, tunc fit, quandò sublimis in mente contemplatio ad ima dejecta dissolvitur, et robur internum in enervem debilitatem commutatur. Fortitudo etiam cogitationum, et mens fructuosa quondàm et stabilis, dùm modica spernit, sensim influente suggestione hostili evacuata et dissoluta destruitur[4]. Quæ omnia ad infirmitatem magis pertinere, ut arbitror, asseres, quàm ad majestatem.

3. Hoc enim geminum malum, nunc maximum deputas morbum. Hanc, inquam, infirmitatem ignominiosam et ignominiam infirmam, nonne fortissimum asseris languorem? Ægrotat certè iste, imò penè usque ad mortem, *et est languor ejus fortissimus, ità ut vix remaneat in eo halitus*[5]. Sed erumpente hoc luminoso, de quo loquimur, mane, et illucescente hâc clarâ crastinâ die, illapso scilicet in mentem adventu internæ gratiæ, videbunt hi spirituales filii Israel Dei gloriam, qui suam primitùs nimis horrendam viderunt ignominiam, qui suam in se intuiti sunt infirmitatem. Et utriusque ab eis descendens Dominus auferet angustias languoris, qui eos eatenùs et in carne per subreptionem voluptatis, et in mente per levitatem oppressit instabilitatis. Percepto siquidem lætificante et vivificante ipsius adventu, caro debilis et infirma subjicitur, spiritus roboratus et promptus dominatur, id est, spiritus facta carnis valenter mortificat[6]. Viriliter Job, cùm malè suadentem conjugem audit, quasi unam ex stultis mulieribus locutam esse redarguens asserit[7]. Refrænat spiritus jumentum suum : carnem suam, ne sit impetuosa, urget, et calcaribus, ne sit pigra, exstimulat; ne audeat pigritari excitata, nec reluctari retracta, nec, ut quondàm solebat, audeat quæritare superfluum, sed nec murmurare, si aliquid ei negetur, etiam necessarium. Pro ludo habentur jejunia, pro re quæ maximè frequentatur, vigiliæ : nuditas habetur pro fomento, paupertas possidetur pro summo oblectamento.

4. Quodcumque deniquè durum reputatur et asperum, lene reputatur et leve : quodcumque amarum et durum, suave efficitur et molle. Nonne hæc gratia est Domini, quam in hoc mane intuemini? Non visum elevat vanitas, non auditum inquietat curiositas, non olfactum inficit voluptas, non gustum ingurgitat edacitas, non tactum polluit impuritas, non alicujus membri motum reprehensibilem reddit levitas : composita sunt singula corporis membra et coaptata : singula propriis officiis ordinatè et decenter intendunt. Quod proprium habent in parte, in commune ad obsequium in toto conferunt. Fulget vilitas in habitu, gravitas in vultu, puritas in affectu, maturitas in incessu, paupertas in victu, mediocritas in usu, utilitas in effectu. Et, ut brevi multa sermone comprehendam, in cunctis ejus motibus nihil omninò fit, quod vel humanum, vel angelicum, vel etiam divinum offendat aspectum. Nonne hanc admirabilem pulchritudinem diei affirmabis esse gloriam, quam tibi luminosum hoc mane intulit videndam? Mens quoque visitatur, visitata mundatur, mundata ornatur, ornata impletur, impleta consummatur, consummata lætificatur, lætificata plenâ cum fiduciâ etiam remunerationem præstolatur.

5. Sicque *in pace in idipsum dormit et requiescit, singulariter in spe constituta*[8]. *Fiunt omnia in eâ prava in directa, et aspera in vias planas*[9]. Illuminantur tenebrosa, accenduntur frigida, et ne modum prætergrediamur, accensa temperantur : revelantur abscondita, respiciuntur præterita, aspiciuntur præsentia, prospiciuntur futura : excitatur sensus, clarificatur intellectus, inflammatur affectus : universa delectabilia mundi contemnuntur, contempta abjiciuntur, abjecta etiam oblivioni traduntur : cœlestia approbantur, approbata amantur, amata desiderantur, pro adipiscendis eis infatigabiliter insistitur, cuncta laboriosa levia deputantur. Fit mens præ amore liquefacta, præ desiderio anxia et à terrenis segregata, in supernis fixa : studiosa in lectione, pura in oratione, dulcis in meditatione, suavis in speculatione, defæcata in contemplatione : unum quidem semper et ubique in cogitatu et affectu circumferens, unum diligens, unum amplectens, ad unum tendens, in uno requiescens, et charitate vulnerata, quousquè plenè in æternum possideat quem nunc quoque indeficienter amat, omnia prorsùs fastidiens, nec in re aliquâ sæculari ullam penitùs requiem habens. Cùm hoc in vobis sentitis, quid aliud quàm Dei in vobis majestatem videtis? Et dùm hâc geminâ sospitate gaudetis, nonne omnem quodammodò à vobis, Domino descendente ad vos, languorem auferri sentitis? Nam omnem quo-

[1] *Psalm.* I, 4. — [2] *Prov.* VII, 10 *et* 11. — [3] *Job.* XIV, 18 *et* 19. — [4] *Eccli.* XIX, 1. — [5] III *Reg.* XVII, 17. — [6] *Rom.* VIII, 13. — [7] *Job.* II, 10. — [8] *Psalm.* IV, 9 *et* 10. — [9] *Isai.* XL, 4.

dammodò hàc die crastinà languorem Domini à vobis auferet descensus, dùm in tanto veritatis splendore et virtutis ardore, tàm in carne exstinguit voluptatem quàm in mente tranquillat instabilitatem internæ gratiæ adventus.

6. Potest etiam per languorem ipse cruciatus desiderii intelligi, qui animam devotam plenè penetrat et perforat, quo avidissimè ad Redemptoris sui præsentiam suspirat. Undè et ipsa in Canticis dicit: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ut, si inveneritis dilectum meum, nuntietis ei quia amore langueo* [1], obsecrans animas devotas et omninò contestans, ut, cùm in oratione per puritatem Deum repererint, bonum ei propositum ipsius insinuent, desiderium atque anxietatem enarrent, eique misericordiam atque pietatem impetrent. Item in eodem Cantico amoris : *Fulcite me floribus: stipate me malis, quia amore langueo* [2]. Quia amore languet, floribus se petit fulciri et malis stipari : quod aliud non est, nisi quòd religiosa et pia anima, quò majorem in desiderio, quo erga suum flagrat Conditorem, tolerat cruciatum, eò sollicitiùs abundare satagit, quibus invitatur et floribus bonarum cogitationum ad interiorem affectum, et malis piarum actionum ad exteriorem fructum, sciens probationem dilectionis operis esse exhibitionem.

7. Habeat, frater mi, anima tua languorem hunc, ut conetur istam sibi vocem assumere : *Vulnerata charitate ego sum.* Hunc languorem descendens Dominus aufert, cùm animæ quod desiderat confert; non quia vel tunc desiderare omittit, etiam postquàm quod desideravit accepit; sed quia, licèt desideret videre, quem habet præsentem desideratum, tamen jàm tenens, non anxiè cruciatur propter absentem. Habens quippè apud se præsentem quem non sine cruciatu desideraverat absentem, alleviatam quidem se sentit; sed ideò tamen non minùs, imò plùs fortassè quàm anteà diligit, et desiderando desiderat, imitans jàm in hoc ipsos Angelos de quibus dicitur : *In quem desiderant Angeli prospicere* [3], qui et semper prospiciunt, ne beatitudinem tantam omittentes vel ullo saltem momento prospicere, maximum tolerent cruciatum, et semper prospicere desiderant, ne tantam suavitatem atque dulcedinem non esurientes, mortale atque perniciosum incurrant fastidium. O mane, in quo replebimur misericordià Domini, videntes gloriam ejus! O dies, in quà mandabit et annuntiabit nobis misericordiam suam, ut et videamus majestatem ejus in nobis, et gaudeamus auferri languorem à nobis!

8. Apparet itaque visio hæc læta et lætificans cum hoc mane ; et cum hàc crastinà die aufertur, ipsà illucescente, iste languor; et quamdiù mane apparet et dies fulget, tamdiù durat et perseverat prædicta hæc gloriæ et majestatis divinæ visio; et languor ablatus locum non habet. Sed, heu! istud mane disparet et dies declinat, ut, sicut gaudere possumus in possessione præsentis claritatis, ità gemere nos oporteat in exspectatione futuræ caliginis, *exspectantes* cum beato Job *vesperam, et replebimur doloribus usquè ad tenebras* [4]. Dies namque et mane abeunt, et hæc omnia superiùs memorata quæ cum eis venerunt, cum eis pariter recedunt. Evanescit læta visio majestatis et gloriæ, et mœsta se infert visio infirmitatis et ignominiæ ; et qui ablatus fuerat, languor redit, et sanitas, quia data non erat, sed commodata, recedit.

9. Hoc esse puto quod de sancto patre nostro legimus, quia *ascendit Dominus ab Abraham, et ille reversus est in locum suum* [5]. Ità et tu reverteris ad locum tuum, cùm Dominus ascenderit à te, colligens se in summis et dimittens te in infimis, ut in teipso relabens, locum invenias ignorantiæ, infirmitatis et languoris; quia ascendens Dominus à te, tulit secum gloriam suam et majestatem, et illam, quam tibi, dùm tecum fuit, contulit, sanitatem. Hoc est quod deplorat sanctus David, revocans in memoriam bona quæ, quamdiù cum eo fuit, ei Dominus contulit, sed ab eo ascendens subtraxit; et in locum suum reversum se ingemiscens, dicit: *Domine, in voluntate tuâ,* non in aliquo merito meo, *præstitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam à me, et factus sum conturbatus* [6]. Sed cùm sic contigit, recurrendum ad eum est, si fortè rursùm permiserit se deprehendi, quia et hoc consilium sibi, quamvis turbatus, dedit sanctus David, et humilem hanc, quâ abeuntem revocaret et converteret aversum, confessionem emittens, et dicens : *Quæ utilitas in sanguine meo, dùm descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam* [7]*?* Et numquid in hoc aliquid profecit? Et quidem multùm. Nam petens accepit, quærens invenit, et pulsanti apertum est [8]. *Audivit* siquidem *Dominus, et misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus* [9]. In quo ei misertus? In quo ei adjutor factus? In eo quòd convertit planctum suum in gaudium, sibi conscidit saccum suum, et circumdedit eum lætitià [10], auditam faciens ei manè misericordiam suam [11], ut in hoc mane viriliter stans, iterùm videret gloriam suam, ut in hoc mane viriliter adstans ei et clarè videns, non desidiosè jacens et in tenebris caligans, mandatam haberet in die misericordiam suam, quatenùs majestatem ejus in se videret, et in eo, hâc die descendente, omnem ablatum à se languorem gauderet.

[1] *Cant.* V, 8. — [2] *Id.* II, 5. — [3] I *Petr* I, 12. — [4] *Job.* VII, 4. — [5] *Gen.* XVIII, 33. — [6] *Psalm.* XXIX, 8. — [7] *Ibid.* 10. — [8] *Luc.* XI, 10. — [9] *Psalm.* XXIX, 11. — [10] *Ibid.* 12. — [11] *Id.* CXLII, 8.

10. Sic pius Dominus, rationabiliter et valdè salubriter has suæ in nobis dispensationis vicissitudines alternans, dùm aperit manum suam, omnia nostra implentur bonitate [1]; avertente autem ipso faciem suam, turbamur : auferente eo spiritum suum, deficimus, et in pulverem nostrum revertimur [2]. Sed ne ad nihilum redigamur, si diù ab eo deseramur, iterùm ex more suo visitat nos in salutari suo, emittens Spiritum suum, ut creemur, et renovetur facies terræ nostræ [3], erumpere nobis faciens denuò hoc mane in quo videbimus gloriam ejus, et crastinam dans nobis illucescere diem in quâ videbimus majestatem ejus in nobis, descendens nihilominùs in eâdem die ad nos, ut omnem à nobis auferat languorem. Et hoc modo nobiscum numquàm agere cessabit, donec illa veniat dies quæ non declinabit ad vesperam, cui non succedet nox, quam nullæ tenebræ obscurabunt. Hæc est crastina dies illa, in quâ delebitur omninò iniquitas terræ, et regnabit super nos Salvator mundi [a] : regnabit, et in nobis evacuans omnem principatum, et potestatem et virtutem, tradens regnum Deo et Patri, ut et inimica destruatur mors, et sit Deus omnia in omnibus [4].

11. Respectu diei illius, tota hæc vita præsens hodiè appellatur, in quo sanctificari studemus et esse parati, quicumque veraciter filii sumus Israel: sanctificari, à malo divertendo : esse parati, bonum faciendo; ut evellendo et destruendo mundati, ædificando verò et plantando ornati, digni simus manè adstare ei et videre gloriam ejus; videre etiam majestatem Dei in nobis, ablatâ omni de medio et penitus annihilatâ tam ignominiâ infirmâ quàm infirmitate ignominiosâ. Descendet Dominus in illâ crastinâ die, auferens à nobis omnem languorem, ut sit nobis salus propitians, non quidem aliquibus, sed omnibus iniquitatibus nostris, sanans, nec ibi aliquas, sed ad omnimodam sanitatis perfectionem, omnes infirmitates nostras, redimens de interitu vitam nostram, et coronans nos in misericordiâ et miserationibus, atque replens in bonis desiderium nostrum [5]. O mane luminosum, in quo adstat Psalmista Domino, ut videat [6]. O cras præclarum, in quo respondebit sancto Jacob justitia sua [7] ! O mane, in quo ità replebuntur electi misericordiâ Domini, ut exsultent et delectentur in æternum ! O cras, in quo de exsilio ad regnum, de mœrore ad gaudium, de morte ad vitam egredientur veri confessores, et internam pacem mente et desiderio videbunt! Hæc enim sonant famosa hæc duo nomina, Judæa et Jerusalem. Egredientur, inquam, et erit Dominus cum eis, et erunt per omnia constantes, videntes auxilium ejus per se.

12. O dies benedicta, in quâ non solùm nos requiescemus, sed etiam requiescet Deus! Huic diei benedicet, et sanctificabit eum, requiescens in eo à labore duro, in quo ei modò in pravis moribus et iniquis operibus molesti sunt reprobi. Requiescet in eo, et ab omni opere quod patrârat [8], in his qui ad æternam vitam præordinati sunt, quandò perfectis in eis cœlis et terrâ, et omni ornatu eorum [9], ipsis, de quibus loquimur, electis nulla inerit corruptio, nulla deerit perfectio, nihil aderit mali, nihil deerit boni, videntibus eis Æternum in æternum : cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM SERMO III [b].

Num. 1. Qualis munditia vel sanctificatio nobis paranda sit? — 2. Quomodò religiosi soli habitare dicuntur ex quâdam prærogativâ familiaritatis divinæ? — 3. Sanctificatio servatur munditiâ et actione bonâ : reparatur confessione. — 4. Commendantur munditia carnis, instantia boni operis, frequentatio sacræ confessionis. — 5 et 6. Occultatio peccati quantoperè Deo displicet, præsertim mortalis, et proprietatis in religiosis ! — 7. Voluntas nostra conformanda et submittenda divinæ. — 8. Quid scire, quid ignorare Dominum venturum? — 9. Quomodò videbimus majestatem Dei in nobis? — 10. Alio Dei majestas, et alio oculo inspicienda infirmitas, quâ nostrum omnem aufert languorem.

1. Sicut nocte hâc, dilectissimi, invicem commonuistis : *Sanctificamini, filii Israel, et estote parati.* Admonitio certè valdè salubris : *Sanctificamini et estote parati* [c]. Et sanctificari, parari est. Qui veniet, sanctus est, quia *quod nascetur ex te Sanctum* [10], ait Angelus ad Virginem : et oportet sanctos esse, ad quos venit. Undè et in Lege : *Sancti*, inquit, *estote*, *quia ego sanctus sum* [11].

[1] *Psalm.* CXLIV, 16. — [2] *Id.* CIII, 29. — [3] *Ibid.* 30. — [4] I *Cor.* XV, 24-28. — [5] *Psalm.* CII, 3-5. — [6] *Id.* V, 5. — [7] *Gen.* XXX, 33. — [8] *Id.* II, 2. — [9] *Ibid.* 1. — [10] *Luc.* I, 35. — [11] *Levit.* XI, 44.

[a] Ex tertio Responsorio Vigil. Nativitatis Domini. — [b] Edit. laudatâ Antuerpiensi 1659, ubi Sermo ille inscriptus est num. 20, cum hoc titulo : « In Vigiliâ Nativitatis Domini. De sanctificatione et munditiâ, quâ videamus majestatem Dei in nobis. »
[c] Ex primo Responsorio ejusdem Vigiliæ.

Ergò sancti sint necesse est, ad quos venit, sicut et ipse sanctus est, qui venit. Non enim venit sanctus ad corruptos, non purus ad immundos, non ad pollutos immaculatus. Sanctificamini ergò et vos maximè qui filii estis Israel. Quomodò, dicitis, sanctificabimur? Audite paucis: Sanctificatio vestra, munditia vestra est : *Hæc enim*, ut Paulus ait, *voluntas Dei, sanctificatio vestra*[1]. Ut autem nobis ostenderet quid sanctificationem vocaret, adjunxit: *Ut sciat*, inquit, *unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione et honore*, *non in passione desiderii, sicut et Gentes, quæ ignorant Deum*[2]. Quod omninò absit, et procul absit à vobis, qui nequaquàm inter Gentes reputamini, quæ ignorant Deum, sed computati potiùs estis inter filios Dei : et inter sanctos sors vestra est[3], ut jure filii Israel vocemini et sitis[4].

2. Intelligite de nobis spiritualiter dictum, quod in Libro Numeri legitis : *Populus solus habitabit, et inter Gentes non reputabitur*[5]. Verba sunt Spiritûs sancti, prolata per Balaam; spiritualium Israelitarum, in quibus dolus non est, quod estis vos, exprimentia prærogativam. *Populus*, inquit, *solus habitabit*, et ut solus; attamen quodammodò non solus; quia soli estis vos, in eo quòd electi à Domino, et assumpti ab eo in proprios, à conventiculis estis sæcularium segregati; sed omninò non soli, quia quot sanctorum vitas et exempla mente revolvitis, quasi tot concivibus et consortibus consociati estis. *Et inter gentes*, inquit, *non reputabitur*, quia forìs canes, malefici, homines scilicet immundi, et operarii iniquitatis[6]; vos autem in interioribus thalami ejus conversamini, ob magnam dulcissimæ dilectionis teneritudinem[a], quâ ei estis astricti, familiariùs secretis ejus consilii admissi. *Et quid mihi de his quæ forìs sunt, judicare*[7]*?* Nonnullos etiam illorum qui intùs in corpore Christi sunt, et ejus per fidem membra fiunt, in hàc erga eum familiaritate vos præcedetis, et longè excedetis[b], quia cùm ipsi membra sint, vos ejus viscera estis. Præ ipsis estis dilecti, et in ferventiore vos habet charitate, et in majore apud seipsum familiaritate. Videte quantùm necesse est, *ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore*, qui tàm tenerè estis ab eo dilecti, et in tantà familiaritate apud eum habiti; *non in passione desiderii, sicut et Gentes quæ ignorant Deum.*

3. Et quidem non multùm indigetis commoneri super his; sed ità modò nobis intercidit, ut hæc breviter attingeremus, quia, quem habemus in manibus, sermo de sanctificatione, loquitur de munditià carnis. Obtinet et locum in eà actio bona, quia non tibi sufficit, ut corpore mundus sis, nisi et in bono fueris opere ornatus, cùm te utrumque bonum habere oporteat, et utroque pro viribus pollere ; quatenùs unum forìs exerceas propter proximum, alterum verò in te habeas propter temetipsum : alioquin non est plena sanctificatio vestra. Nonne utrumque simul conjunxit, et neutrum sanctificationi deesse voluit, qui ait : *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus*[1]*?* Quòd si fortè in quovis eorum aliquod, ut nonnumquàm evenire solet, detrimentum incurreris, nescio melius consilium, quàm ut ad remedium confugias confessionis, quia et ipsa pertinet ad sanctificationem : quod quidem consilium ab ipso didici, qui asserit : *In exitu Israel de Ægypto, domûs Jacob dè populo barbaro, factam esse Judæam sanctificationem ejus*[2]*:* interpretationem nimirùm Judææ eò pleniùs agnoscitis, quò id devotiùs ex usu quotidiano frequentare soletis. Si ergò te, qui mente soles videre Deum, carnalium fortè titillationum ad tempus tenebræ obscuraverint, si à bono opere alienus ille virtutum populus, quem auxiliante Domino supplantare quondàm solebas, te cessare fecerit, exeunti tibi ab Ægypto harum tenebrarum, exeunti etiam tibi ab hujus populi barbari dominatu, sit Judæa sanctificatio tua, ut per humilem et puram recuperes confessionem, quod tibi videris ad horam perdidisse, vel per suggestionem in carne, vel per teporem in actione.

4. Multa quidem et alia ad sanctificationem pertinentia in sacrà passim Scripturà reperire potestis; sed quia de exteriori hàc, quæ imminet, loquimur festivitate, de hâc quoque, quæ etiam ab hominibus videri potest, tractamus sanctificatione, quæ, ut in auctoritate sacri eloquii nobis occurrit, triplex invenitur, munditia videlicet carnis, instantia in bono opere, et sedulitas in bonà confessione. Prima te faciet mundum, secunda ornatum, tertia recuperabit, si quod fortè vel in munditià vel in ornatu fuerit amissum. Magna certè sanctificatio, confessio vestra, et quæ bona destructa reparat, et recuperat perdita, fracta consolidat, et in integrum restituit collisa. Frequentate eam assiduè, exercete indesinenter, et maximè cùm festa præcipua instant, ut eò mente in eis sitis jucundiores, quò per confessionem fueritis puriores; eò etiam quietiores in conscientià, quò, ipsâ plenum vobis afferente testimonium, nihil à vobis recordamini commissum, quod non sit, et ei cui debetis, et eo modo quo debetis, per confessionem revelatum. Numquàm enim mens quieta erit, quamdiù peccatum

[1] I *Thess.* IV, 3. — [2] *Ibid.* 4 et 5. — [3] *Sap.* V, 5. — [4] I *Joan.* III, 1. — [5] *Num.* XXIII, 9. — [6] *Apoc.* XXII, 15. — [7] I *Cor.* V, 12.

[1] *Psalm.* XCV, 6.— [2] *Id.* CXIII, 1 *et* 2.

[a] *Aliàs*, quam elegistis, ei astricti et familiariùs...

[b] *Aliàs*, præceditis, exceditis.

aliquod in se habet coopertum; semper quippè remordet conscientia, vermem in se habens, et ubique circumferens corrodentem, et ignem ejus interiora depascentem. Et quemadmodùm ægrum illum pronuntias, et omninò infirmum, quem noxiis vides humoribus inflatum, nec ullatenùs ad aliquam posse pertingere sanitatem, nisi priùs noxium omnem, quo lethaliter inflatus est, evomerit humorem; sic nihilominùs judica confidenter et istum prævalido languore obsessum, nec ullam ei patere posse viam salutis, nisi venenosum priùs phlegma, quod in mente per peccati contraxit absconsionem, internæ emoverit corruptionis.

5. Scitote prætereà, dilectissimi, Deo nihil adeò displicere quàm absconsionem peccati. Displicet quidem ei, quòd peccatum commisisti; sed multò plùs, quòd commissum abscondisti, et id per confessionem ad tuam absolutionem detegere noluisti. Peccati namque absconsio tanti ponderis est coram Deo, ut non solùm abscondentem judicet pœnâ dignum, sed et eos nonnumquàm inter quos conversatur, à pœnâ alienos esse non sinat. Nec à me in hoc dissentio, si in mentem vobis venerit verax illa historia de Achan, filio Charmi, qui solus quidem, ut scitis, peccavit, sed quamdiù peccatum coopertum fuit, populo etiam innocenti non parùm obfuit; nam coram hostibus suis populus stare non potuit, donec peccatum et proderetur, et proditum puniretur. Quid enim dicit Scriptura? *Filii*, inquit, *Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt de anathemate.* Notate, quæso, diligenter hæc verba. Ecce quomodò filii Israel dicuntur usurpâsse de anathemate, cùm solus usurpaverit Achan. Et adjunxit Scriptura: *Iratusque est Dominus contra filios Israel.* Solus Achan mandatum prævaricatus est; et non solùm contra illum, sed contra filios Israel Dominus iratus est. Usurpâsse dicuntur de anathemate, pro eo quòd inter eos usurpatum est: magis autem quòd sit ipsis etiam nescientibus inter eos usurpatum; ità inter eos quoque et absconditum est. Undè et ait Dominus ad Josue: *Peccavit Israel, et prævaricatus est mandatum meum, tulitque de anathemate, et furati sunt, atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultrà vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris est reus.* Item: *Quicumque*, inquit, *in hoc facinore est deprehensus, comburetur igni cum omni substantiâ suâ, quoniam prævaricatus est mandatum Domini, et fecit nefas in Israel*[1]. Hoc autem factum, quod ego vobis modò ad terrorem propono, posuerunt quondàm, ut legitis, principes legationis Israel filiis Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse, quandò dixerunt: *Nonne Achan, filius Zare, prætervit mandatum Domini, et super omnem populum ira incubuit*[2]? Et ille erat unus homo. Atque utinam solus periisset in scelere suo! Absit ut inter vos sit aliquis prævaricans mandatum Domini, quod transmisit per Josue, ut tollat ullus eorum qui inter vos sunt, de anathemate; et maximè, ut furetur, et mentiatur, et abscondat inter vasa sua!

6. Quod est hoc anathema, quo pollùtus est populus, nisi hic mundus, in cujus significatione dictum est ad eos: *Sit civitas hæc anathema, et omnia quæ in eâ sunt*[3]? Quæ quidem verba ille vobis exponit discipulus quem diligebat Jesus: *Nolite*, inquiens, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*[4]. Et tu si peccatum aliquod mortale, quo mundi hujus incessanter solent involvi amatores, commiseris, et illud per confessionem non detexeris, sed apud te intra arcana conscientiæ celaveris; et maximè cùm aliquid, quod prohibitum in proprietate, in occulto possederis, nimirùm de anathemate urbis Jericho tulisti, et, quod pejus est, intra vasa tua abscondisti. Sed miserere tuî, miserere et eorum inter quos conversaris, ne fortè, cùm solus peccaveris, non solus puniaris, involvente Domino, justo quidem, sed terribili judicio suo, pariter tecum in peccato tuo contubernales tuos, etiam innocentes, non tantùm pro eo quòd iniquitas à te commissa est, quantùm pro eo quòd à te inter eos conversante, et intrante, atque exeunte, abscondita est. Hæc, fratres, etsi dicta sint ad vos, non tamen dicta putetis propter vos. Sed dùm confessionis utilitatem ostendere nitimur, hæc et fortassè non infructuosè, licèt non propter vos qui modò præsentes adestis, sed propter quosdam tamen, quos habere adhuc poteritis inter vos, occurrerunt.

7. Sanctificamini itaque hodiè, filii Israel, hâc triplici sanctificatione: ut sitis corpore mundi, in bonâ conversatione ornati, et in confessione puri, et hoc modò purificati et parati. Quomodò, dicitis, erimus parati? Ecce quomodò. Exhibete vos promptos ad voluntatem Dei et devotos, ut in nullo ei contraire præsumatis, sed vos vobis ex toto renuntiantes, ejus vos nutibus semper et ubique committatis. Talem se senserat, qui dicebat: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*[5]. Præstò fuit ad omnem voluntatem Dei sui, id volens quod voluit ipse, id etiam agens quod, ut ageret, præcepit ipse; undè et addidit: *Cantabo et psalmum dicam Domino*[6]. Hilarem se fecerat in expletione voluntatis divinæ datorem[7], qui se asserit cantare,

[1] *Jos.* VII, 1-15. — [2] *Id.* XXII, 20. — [3] *Id.* VI, 17. — [4] I *Joan.* II, 15. — [5] *Psalm.* LVI, 8. — [6] *Ibid.* — [7] II *Cor.* IX, 7.

et psalmum dicere Domino; hilaritatem quidem ostendens per canticum, et donum per psalmum. Cantare autem, ad exsultantem; psalmum dicere, pertinet ad operantem. Hanc formam præparandi vos, præfixit vobis dux ille vester, et Dominus, qui non venit ut faceret voluntatem suam, sed ejus qui misit illum [1], *factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis* [2]. Videtis itaque quòd virtus et amor obedientiæ vos efficit paratos, quoniam nullatenùs paratus est, qui ad obediendum devotus non est.

8. Sanctificamini igitur, filii Israel, et estote parati, quia in die crastinâ videbitis majestatem Dei in vobis. Sanctificari quoque et parari, hoc est hodiè scire quia veniet Dominus, sicut è contrario, à bono opere tepescere, commissa peccata operire, præceptis seniorum nolle parere, quòd Dominus veniet quodammodò ignorare est. Si hoc modo scientes fueritis quia hodiè veniet Dominus, manè videbitis gloriam ejus; et si sanctificati hodiè fueritis et parati, die crastinâ videbitis majestatem Dei in vobis. Item dicitur quòd *descendet Dominus crastinâ die, et auferet à vobis omnem languorem* [a]. Certè quandò majestatem et gloriam Domini videbitis, consolabitur vos, et omnem auferet languorem à vobis, quia in visione tantæ majestatis et gloriæ nullus poterit languor locum habere. Sed numquid alia majestas ejus, alia gloria ejus? Absit! Unum enim idemque in eo majestas et gloria ejus est; attamen cùm aliud non majestas ejus, aliud gloria ejus, aliud tamen, quantùm ad nos, videtur mihi esse videri vos simpliciter gloriam ejus, atque aliud videre majestatem ejus in vobis.

9. Viderunt enim quondàm sancti Patres nostri multifariàm multisque modis majestatem ejus; sed non eo modo viderunt eam in se ipsis, quo vobis promittitur, quòd eam visuri estis die crastinâ in vobis, quam et videbitis unitam vobis. Quandò *verbum caro factum est* [3], quandò *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus est ut homo* [4], tunc visa est illa majestas in vobis, quod crastinæ, ut scitis, diei specialiter reservatum est. Nonne ipse majestas sua? Planè ità est. Quòd si ità est, imò quia ità est, cùm videtur populus ejus, nonne videtur et majestas ejus? Et nonne die crastinâ videbimus Deum, quandò dicemus : *Visibiliter Deum cognoscimus* [b]? In quo tunc visibiliter cognoscetur, nisi in eo quod visibile habebit, quod et habebit ex vobis? Die igitur crastinâ videbimus majestatem Dei in nobis, quandò dicemus : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; quandò et festinanter venient pastores in Bethleem, ut et ipsi videant, quod factum est Verbum [5] : quod nisi factum esset, videri ab eis non posset. Manè etiam videbitis gloriam ejus, quandò dicemus : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* [6]. Videbimus die crastinâ majestatem Dei in nobis, sed in infirmitate nostrâ; sicut et gloriam in ignominiâ nostrâ. Ita videbimus manè, ità videbitis et crastinâ die.

10. Et tunc poterit veraciter dici de vobis : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis* [7]; et eo præsertim modo quo vos videtis. Quia cùm alius in vobis sit oculus, quo in unó eodemque mediatore Dei et hominum, Deo et homine, Domino nostro Jesu Christo, majestatem videtis et gloriam, alius verò quo infirmitatem et ignominiam; sic utrique in eo naturæ et assumenti et assumptæ proprietatem conservatis, ut personam nequaquàm geminetis. Descendet etiam die crastinâ, et auferet à vobis omnem languorem, pro eo quòd à mundo abstulit peccata sua, ut jure à Præcursore suo *Agnus Dei* vocetur *qui tollit peccata mundi* [8]; peccatum siquidem languor animæ est. Hic languor est, qui mundum prævalidè usquè ad Christi infecit adventum, quia *ægrotavit*, ut scitis, *filius viduæ, et erat languor fortissimus, ità ut non remaneret in eo halitus* [9]; sed pietate commotus venit vir Dei Elias, et suscitavit defunctum, et halitum reaccendit exstinctum, ut impleretur quod de isto nobis promittitur, quia ad vos die crastinâ descendet, et auferet à vobis omnem languorem: qui cum Patre et Spiritu sancto Deus est benedictus in sæcula. Amen.

✠ EJUSDEM SERMO IV [c].

NUM. 1. Internæ gratiæ accessus et recessus quàm sit dispensatorius erga electos! — 2. Sanctificandi filii Israel, id est, cogitationes cordis ex sanctis ortæ desideriis. — 3. Sanctificatio interna per abstinentiam, silentium, quietem, vigilias, studium sacræ lectionis, meditationem, fervorem boni desiderii. — 4. Postrema et ultima sanctificatio est

[1] *Joan.* VI, 38.— [2] *Philipp.* II, 8.— [3] *Joan.* I, 14.— [4] *Philipp.* II, 7. — [5] *Luc.* II, 15. — [6] I *Joan.* I, 14. — [7] *Luc.* X, 23. — [8] *Joan.* I, 29. —[9] III *Reg.* XVII, 17.

[a] In tertio Responsorio Officii Matutini ad Vigiliam Nativitatis Domini. — [b] In Præfatione Missæ Nativitatis Domini. — [c] In edit. laudatâ, Sermo ille est num. 21, cum hoc titulo : « De spirituali Verbi ad animam adventu. »

perseverantia in oratione. — 5. Quanta cautela pellendo errori, et sollicitudo fugando torpori necessaria sit! — 6. Modus excipiendi et retinendi Deum hospitio. — 7. In accessu et recessu gratiæ uti se habendum est. — 8. Vespere comedere carnes, et mane saturari panibus est hic sanctorum exemplis pasci, donec lux gloriæ oriatur.

1. *Sanctificamini hodiè, et estote parati* [*]. In sermone præcedenti, fratres charissimi, de hoc humili Salvatoris nostri adventu quædam ad vos diximus: in quo per carnis nativitatem, sicut sacrosancta hæc, quæ modò instat, festivitas, repræsentat, apparere oculis mortalium, et ipse mortalis factus, dignatus est. Sed unusquisque vestrùm convertatur modò ad seipsum: et quod dicturi sumus, in propriâ studeat experientiâ videre. Visitat vos interna gratia frequenter, accedens ad vos, et recedens à vobis, et in unoquoque tàm videlicet accessu suo quàm recessu, vestram salutem quærens. Nam accedit, ut exhilaratos efficiat, et recedit, ut avidos vos reddat. Videte, ut et digno jubilo glorificetis præsentem, et desiderio infatigabili quæratis absentem. Et si totam vos oporteat circuire civitatem, per vicos singulos et plateas, non vobis sit onerosum quærere quem diligit anima vestra [1]; tantusque erga eum quem quæritis, ardeat amor, ut in quærendo non sit fastidio labor. Nullum habebit anima sua levamen, ipso absente; sicut nec gravamen sentiet, ipso præsente: quia, sicut sursùm omni levitate portaris, et erigeris, cùm præsens est, munere suo; ita et deorsùm vergis et deprimeris, cùm absens est, pondere tuo.

2. Sensistis quidem sæpè et experti hæc, quia nullatenùs *possunt filii sponsi lugere, quamdiù cum illis est sponsus; sed quandò auferetur ab eis sponsus, tunc jejunabunt* [2]. Nec mirum; cùm enim ipse auferetur ab eis, auferetur ab eis panis, et necesse erit jejunare eos, dùm non habent quod manducent. Consulo ergò ut sanctificent se hodiè filii Israel, et sint parati: quia si hæc egerint, securos eos facio, quia die crastinâ videbunt majestatem Dei in se. Filii Israel internæ sunt illæ cordis cogitationes, quas ex se bona desideria à Spiritu sancto concepta, gignunt; quæ Deum per fidem et sanctum fervorem vident; neque enim per affectum se in eum extenderent, nisi priùs per intellectum eum aliquatenùs viderent. Hi filii Israel sanctificent et præparent se, ut sanctificati et præparati diem exspectent crastinam cum omni sollicitudine: quia tunc videbunt majestatem Dei sui in se: videbunt et gloriam ejus qui etiam ad hoc descendet, quia isti in imo, illi autem in sublimi sunt: ad hoc enim descendet, ut auferat ab eis omnem languorem.

3. Sit prima eorum sanctificatio abstinentia, ut cum viro illo desideriorum abstineant ab eo quod suave ventri, quatenùs gustu attingant interno quod dulce est menti [3]. Sit secunda, silentium oris, ut eò pleniùs verbum, quod ad eos dicitur absconditum, audiant; eò etiam perfectiùs, quasi furtivè suscipiant aures eorum interni susurri venas [4], quò in se per gravitatem stabiliti diffluere per noxia verba refugiunt, et dùm otiosis verborum fabulis non intendunt, vocem quasi auræ lenis [5], auditu illo interiore, percipiant. Sit tertia, quies ab exteriori occupatione, quia *in tempore vacuitatis scribenda sapientia est: et qui minorantur, actu, percipient eam* [6]; *cùm dicat abyssus: Non est in me: et mare loquatur: Non est mecum* [7]. Sit quarta, instantia vigiliarum, ut, postquàm caro per abstinentiam fuerit afflicta, et mens per gravitatem silentii matura fuerit effecta, per quietem ab occupatione exteriorum, internam tranquillitatem adepta, per instantiam verò vigiliarum puritatem nacta internam, illam quoque, quæ intùs lascivire solet, insolentem instabilitatem plenè sedans, in quodam jàm gaudeat die Sabbati, in claritate videlicet interni secreti. Sit conjunctum studium sacræ lectionis, in quo velut in speculo faciem suam videntes, quid eis adsit decorum quod eis placeat, quid fœditatis quod displiceat, deprehendant. Et tàm ad illud agendum, quàm ad hoc inveniendum totis viribus insistant. Sit sexta, pura meditatio, ut accensâ promptæ cognitionis lucernâ domum mentis everrant, et tamdiù totâ diligentiâ quærant, quousquè drachmam perditam reperiant [8], in cujus formâ et Domini sui quærant imaginem et similitudinem deprehendant. Sit septima, fervor boni desiderii, ut viso tantillo lumine quod inest imagini, inardescant ampliùs ad intuendam claritatem, quæ est in sole ipsius rei, et per impatientiam desiderium hoc ferre non sustinens, et tamen præ magnitudine deficere non valens, quò longiùs differtur, eò magis et augeatur.

4. Tempus est ut jàm diutiùs non fraudentur à desiderio suo, sed sit eis octava sanctificatio, perseverantia in oratione; cui tamdiù insistant, donec ipse, quem desiderando quærunt, et quærendo desiderant, suavis et hilaris illabatur sensibus, spem eorum et desiderium cordis eorum tribuens eis, et in voluntate labiorum ejus non fraudans eos [9]; sed intret ad illos, et cœnet cum eis [10], de illâ claritate habitaculi, undè recenter venit, aliquid eis favorabile enarrans, non verbis obstrepens, sed affectibus blandiens: non auribus sonans, sed cordibus illa-

[1] *Cant.* III, 2. — [2] *Matth.* IX, 15. — [3] *Dan.* I, 8. — [4] *Job.* IV, 12. — [5] *Ibid.* 16. — [6] *Eccli.* XXXVIII, 25. — [7] *Job.* XXVIII, 14. — [8] *Luc.* XV, 8. — [9] *Psalm.* XX, 3. — [10] *Apoc.* III, 20. — [*] Ex primo Responsorio Vigiliæ Nativitatis Domini.

bens; non exteriùs proferens sermonem, sed interiùs infundens unctionem. Sic spinas et tribulos, quos in horto corporis nostri mater Eva plantavit, jejunium etsi non funditùs eradicet, vel solo tenùs abscindit: silentium noxia in ore verba destruit, quia ab occupatione exteriori omnem in mente inquietudinem sedat. Puritas vigiliarum instabilem insolentiam per sanctam maturitatem castigat, ut deindè sensum lectio illuminet, illuminatus sensus affectum desiderii procreet, desiderium fervens puram orationem emittat, et eum, de quo lectio narrat, meditatio quærat, desiderium inveniat, puritas orationis apprehendat, perseverantia retineat, et dicat: *Tenebo eum, nec dimittam* [1].

5. Sanctificamini in his, ô filii Israel, interiores, inquam, filii Israel et spirituales, et eò magis spirituales quò interiores: *sanctificamini*, dico, *et estote parati*. Porrò paratos efficiet hos filios Israel cautela et sollicitudo, ut venientem et per cautelam agnoscant, et per sollicitudinem apprehendant. Cautela procul pellit errorem, et sollicitudo fugat torporem. Multi quoque partum mentis suæ visitationem putaverunt internæ gratiæ, et decepti sunt. Solliciti fortassis erant ut venientem gratiam apprehenderent, sed, quia ad agnoscendum prudentes non erant, dùm se æstimaverunt Spiritûs suscipere infusionem, instabilem cordis sui susceperunt cogitationem. Alii internæ gratiæ, quandò venit, visitationem agnoscunt, sed ad comprehendendum atque tenendum solliciti esse nesciunt; in deprehèndendo quidem cauti, sed in comprehendendo nequaquàm solliciti. Undè fit, ut statim eam amittant, quia, sicut repentè venit, ità dùm amplecti eam nesciunt, statim fugit; sicut ex abrupto veniens, sic et sine morà recedens. Isti scientiam habent, sed sine zelo; illi zelum quidem, sed nequaquàm scientiam [2]. Ideò dixi utrumque illis adesse donum, qui parati esse volunt, cautelam et sollicitudinem, quatenùs nec error eos fallat, quin agnoscant quandò venerit, nec tepor negligentes et desides reddat, quin retineant cùm venit.

6. Aliquantulùm, ut ità dicam, si tamen ità dicere audeo, est elatus hospes iste de quo loquimur, et indè motum quemlibet dedignans, nisi multùm rogetur, non perendinat. Nisi violenter cogatur, non manet: etiam manens, nisi fortiter teneatur, recedit et repentè: dùm nescis, evanescens elabitur. Sed quid in his agendum nobis sit, evangelici illi nos viri instruunt, qui videntes quòd finxit se longiùs ire, non simpliciter petierunt, sed, sicut scriptum est, *coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jàm dies* [3]. *Vade, et tu fac similiter* [4], ut, dùm sollicitus observator et discretor internorum motuum in te erumpentium, tàm illorum qui fuerunt ad te, in te, quàm qui fuerunt ex te, in te, senseris internam se velle gratiam subtrahere, apprehendens eum, fortiter teneas, et firmiter stringas, et violenter cogas atque dicas: *Mane mecum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jàm dies:* hoc est, ad occasum, te abscondente, vergit in me internæ charitatis sol: mane mecum illuminans me, et accede, ne accrescant ignorantiæ meæ, si obscuratur claritas mea, et multiplicentur delicta mea, si refrigescit charitas mea.

7. Intrabit tunc, si tamen jàm foràs exierat: intrabit, inquam, si tu intraveris. Et ideò intrabit tecum, juxta id: *Et intravit cum illis* [5]. Sed statim ut in fractione panis, in revelatione scilicet interni intellectûs, apertis spiritualibus oculis mentis, cognoveris eum, evanescet ab oculis tuis [6]. Quandò autem taliter pro more suo se erga vos habuerit, nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: *Vadit*, inquam, *sed iterùm veniet ad vos, et gaudebit cor vestrum* [7]; et ideò in die malorum, ne immemores fueritis bonorum [8]; sed quandò est gratia absens, ad mentem revocate dona quæ contulit præsens, et dicite: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, et aperiret Scripturas* [9]? Et fit ut sic ex toto, nec in absentiâ lucis, tenebrosi, nec in absentiâ panis, sitis jejuni, quia et vesperam hoc modo mutabitis in diem, et ad instar mundi animalis, ruminabitis, dùm mandere non valetis. Hæc vespera ad istud spectat quod dicitur his spiritualibus filiis Israel: *Sanctificamini hodiè, filii Israel, et estote parati.* Et item: *Hodiè scietis quia veniet Dominus*, ut sæpè interim salvi facti sint, qui de ipsius rei absentiâ desolati sunt.

8. Hæc vespera est, de quâ ad hos rursùm dicitur filios Israel: *Vespere comedetis carnes, et manè saturabimini panibus* [10]. Quid est, *vespere carnes comedere*, nisi, abscedente gratiâ, quæ et luminosa est in eo quòd per cognitionem nos veritatis illustrat, et ignea, quia per amorem nihilominùs nos virtutis inflammat, abscedente, inquam, et se ad tempus subtrahente, delectabilibus sanctorum exemplis mentis condire palatum, donec oriatur mane, et suos summo illo diluculo quo nos visitat, quos subitò probat [11], paululùm radios emittat, et ablatis à medio carnibus, quas vespere comedebamus, panibus nos satiet? Ad hoc pertinere arbitror, quod verbis aliis sponsa dicit: *Paululùm, cùm pertransissem eos*, (haud dubium quin custodes civitatis, et eà sponsum quærente, absentem invenerit), *inveni quem diligit anima mea* [12]; ut ipsos

[1] *Cant.* III, 4. — [2] *Rom.* X, 2. — [3] *Luc.* XXIV, 29. — [4] *Id.* X, 37. — [5] *Id.* XXIV, 29. — [6] *Ibid.* 30, 31 *et* 35. — [7] *Joan.* XVI, 22. — [8] *Eccli.* XI, 27. — [9] *Luc.* XXIV, 32. — [10] *Exod.* XVI, 12. — [11] *Job*, VII, 18. — [12] *Cant.* III. 4.

jàm quodammodò poneret ad dorsum, dùm ad ipsius dilecti pervenit amplexum, et interim omitteret edere sanctorum præcedentium quasi carnes; habens nimirùm tàm sapidos in donis visitationis suæ, in approximatione et adventu internæ gratiæ, non solùm quos comedat, sed quibus satietur, panes. Vespere itaque comedunt filii Israel carnes, et mane saturantur panibus, ut hoc modo sanctificentur et sint parati, quia in die crastinâ videbunt Dei majestatem in se. De hâc item vesperâ in eodem loco: *Vespere*, inquit, *scietis quòd Dominus eduxerit vos de manu Ægypti, et manè videbitis gloriam Domini* [1]. Non ergò nimis doleant filii Israel, quandò hæc super eos vespera venit; sed recordentur quia eduxit Dominus eos de terrâ Ægypti; sicque eis hæc recordatio nonnulla erit in hâc vesperâ consolatio, donec oriatur mane eis illud, in quo videbunt gloriam Domini, qui est benedictus in sæcula. Amen.

✠ PETRUS, CELLENSIS PRIMUM,

DEINDE S. REMIGII APUD REMOS ABBAS,

DEMUM CARNOTENSIS EPISCOPUS [a].

NUM. 1. Nihil amabilius, admirabilius et ineffabilius quàm Deum nasci ex Virgine. — 2. Tota Trinitas opus Incarnationis conflavit. — 3. Christus non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati assumpsit. — 4. De septem gradibus castitatis, in quibus Christo appropinquare valemus. — 5. Multiplex genus contaminationis à quo abhorrere debemus.

1. *Fulcite me floribus, stipate me malis* [2]. Vox ista dulcis illius est quæ habitat in hortis, singulari et divino partui propinquantis, cœlicolas et terrigenas simul appellantis ad partum suspiciendum et suscipiendum, ad gratiam suam excipiendam et conservandam, ad gloriam Domini et suam contemplandam et admirandam. Planè hoc sacramentum magnæ pietatis amabile est propter gratiam, admirabile propter gloriam, ineffabile propter splendorem et lucem inaccessibilem: splendor enim in circuitu ejus et intrinsecùs, à lumbis et sursùm, de quo in præsenti Evangelii lectione: *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph.* Quid amabilius in universis creaturis Virgine Dominum singulariter amante et à Domino præamatâ, de quâ dicit Salomon: *Cerva charissima* [3]? Quid etiam amabilius illo Dei Filio dilecto, ab æterno nato ex dilecto; in fine sæculi, secundùm Apostolum, facto ex dilectâ, de quo subinfertur: *Et gratissimus hinnulus* [4]? Quid deniquè admirabilius quàm incomprehensibilem incomprehensibiliter sigillari in utero, nec separari vel subtrahi à cohabitatione, confessione et coæqualitate Patris? simul namque totus erat in matre, et totus apud Patrem: quod, quamvis dictu sit difficile, omninò tamen corde est credibile. Quid ineffabilius quàm Verbum fieri carnem, quàm hominem fieri Deum, et Deum hominem?

2. Ecce artifex Trinitas in uno opere suo totum hoc, id est, Verbum et hominem, simul conflavit, ubi omnipotentia Patris, quod impossibile apud homines erat et ideò ineffabile, in officinâ virginali vas novum de novâ materiâ novâque cælaturâ secundùm omnipotentiam suam exsculpsit. Sapientia Dei, quod Patrem vidit facientem, hæc eadem similiter fecit, et, si dici liceret, studiosiùs et affectiosiùs quàm de se et pro se vires ingenii sui in hoc eodem opere expendit. Spiritus sanctus, tamquàm ignis superveniens in fornace, divinitatem simul et humanitatem quasi colliquefaciens, non solùm studia sua huic operi adhibuit, sed seipsum vario opere omnium gratiarum fundens nec confundens, in eodem vase contexuit: undè dictum est: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti, plenum gratiæ et veritatis* [5]. Ecce amabile, ad ipsum tendamus: ecce admirabile, ad ipsum extendamus: ecce ineffabile, ad ipsum supra nos rapiamur: ibi flores, ibi mala, ex ipso, meditando, in ipso, quærendo, de ipso, amando, et per ipsum, contemplando excerpamus, quæ Filio, quæ matri parienti in præsepio, afferamus, offeramus et conferamus. Afferamus, ipsum medi-

[1] *Exod.* XVI, 6 et 7. — [2] *Cant.* II, 5. — [3] *Prov.* V, 19. — [4] *Ibid.* — [5] *Joan.* I, 14.

[a] Edit. D. Janvier Benedictini, Paris. 1671. Titulus hujus Sermonis ille est: «In Vigiliâ Nativitatis Domini super Evangelium: *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph.*» Hunc Sermonem atque cæteros Petri Cellensis Sermones, lector profectò laudabit ut piis sensibus refertos, respersos floribus Scripturarum, ac sanctiori vitæ componendæ accommodos; attamen exiles sunt nonnumquàm et uni argumento non satis inhærentes, sed in varia subjectæ materiæ capita (qui mos ferè illorum temporum erat) volitantes, aliquandò mutili et imperfecti. Digni sunt qui legantur ab iis qui avitam pietatem amant. Notandum est prætereà quòd Sermones suos Petrus vel ipse ad discipulos habuit, vel composuit rogatu amicorum.

tando: conferamus, ipsum cum matre laudando: offeramus, super matrem Dominum hominem adorando.

3. Ut verò possibilia, non de impossibili, vobis, fratres charissimi, suggeramus, flores quos Dominæ nostræ afferatis, succinctè depingemus: sufficit enim flores offeratis illi per quam refloruit caro nostra novitate virginei partûs, quæ defloruerat per Adam vetustate originalis reatûs. Nihil certè de furfureâ prævaricatione, in assumptione nostræ naturæ, Christo adhæsit, qui non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati de primitiis humanæ naturæ, qualis in primo parente creata est, de matre in unione Verbi accepit. Nec asserimus aliquam particulam substantiæ humanæ immunem à peccato in Adam remansisse et usquè ad Virginem occultis meatibus decucurrisse, cùm vera et Catholica fides teneat modicum fermentum primæ transgressionis totam massam naturæ nostræ in animâ et corpore corrupisse[a]. Attinuit etiam plurimùm ad causam nostræ reparationis ut omnipotens gratia tantò gloriosior in operatione suâ appareret, quantò de vetusto, annoso et putrido trunco, mirabiliori virtute et faciliori opere, florem immarcescibilem, carnem scilicet Jesu, sacratricem Angelorum et vivificatricem hominum, sine peccato de Virgine procrearet. Ipse enim Christus de humanitate suâ dicit: *Ego flos campi, et lilium convallium*[1]. Purificemus itaque, et renovemus corda et corpora nostra, ut in aliquo gradu castitatis ei appropinquare valeamus.

4. Et itaque primus gradus castitatis (ut ab inferioribus consurgamus), castitas fenalis, quæ naturaliter inest pueris, vel decrepitis, vel naturali complexione frigidis; quæ ideò fenalis dicitur, quia non multum, quantùm ex homine est, meritum facit; quod enim sine labore acquiritur, sine pugnâ obtinetur: bonum tamen est, quocumque modo, quâcumque occasione fiat, non corrumpi. Secunda est temporalis, quæ comparatur semini, *quod cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem*[2]. Sic quorumdam castitas non mittit radicem deorsùm, ut faciat fructum sursùm; *sed ad tempus credit, et in tempore tentationis recedit*[3], menstruam vel annuam retinens incorruptionem. Tertia pœnalis est: hîc labor, hîc opus: hîc Jacob et Esaü in utero Rebeccæ luctantur: sed dicitur *quia major serviet minori*[4], id est, caro spiritui, virtuti vitium, luxuria castitati. De hâc Apostolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*[5]; item: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*[6]. Quarta triumphalis. De hâc in Apocalypsi: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*[7]; et Isaias: *Hæc dicit Dominus eunuchis* (*qui se castraverunt propter regna cœlorum*[8]): *Dabo eis locum in muris meis, et nomen melius à filiis et filiabus*[9]. Hæc est revertentium de bello ad portam[10], qui sub vite et ficu, id est, dulcedine gratiæ spiritalis, complent annos virtutum in senectute dierum, et habent pacem cordis et carnis, quam nec caro nec mundus dare potest. Quinta est virginalis. De hâc in Evangelio: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[11]. Hæc est Joannis Evangelistæ. De istâ dicitur: *Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis*[12]; virgineo enim pectori illabitur unicornis ille, qui singulariter et specialiter diligit castitatem, qui loquitur in Canticis: *Aperi mihi, sponsa mea, columba mea*, etc.[13]. Sexta crystallina: hæc adeò valida est et fortis, sicut mors, ut magis eligat mori quàm ab integritate virginitatis violari. Et sicut in crystallo aquæ liquiditas in soliditatem lapidis versa est; sic ista indissolubilis carni et animæ inviscerata est. De hâc Psalmista: *Mittit crystallum suam sicut buccellas*[14]; hæc enim sorbitiunculas puero Jesu et matri ejus facit, quandoquè et buccellas. Septima est singularis: huic enim nec prima similis visa est, nec sequens. Propriè enim propria est beatæ Virginis, quæ non solùm virginitas, sed fecunda virginitas, quæ virum non cognovit, et Deum hominem peperit. Hæc in Canticis loquitur: *Dilectus meus mihi, et ego illi*[15]: *inter ubera mea commorabitur*[16]. In hujus contemplatione cor nostrum dilatatur exsultatione; sed penè rumpitur ineffabili admiratione et jubilatione. Isti sunt flores de quibus dicitur: *Fulcite me floribus*: de *malis* enim et de *amore langueo*: fortè aliàs dicturi sumus, quia hîc causâ vitandi tædii reticemus.

5. Summoperè autem vestram dilectionem admonere curamus, ne manu fœdatâ in aliquo, sed benè lotâ flores istos contingatis: est enim multiplex genus contaminationis, quo si contacti fuerint flores, statim marcescunt et evanescunt; nulla enim societas luci et tenebris, puritati et immunditiæ. Non ergò pulvis, non putredo, non scabies, non sudor, non sanguis, non venenum in manu tuâ sit. Pulvis enim cogitationes significat quæ tamquàm muscæ circumvolant juxta animi puritatem, ut sacrificium Abrahæ commaculent; sed volucres abigebat Abraham: sic nos circumcidere à corde et solvere ab affectu debemus omnem superfluam cogitationem. Putredinem quoque extergere debemus, quam malâ et longâ

[1] *Cant.* II, 1. — [2] *Luc.* VIII, 6. — [3] *Id.* 13. — [4] *Gen.* XXV, 23 *et Rom.* IX, 10. — [5] *Id.* VII, 23. — [6] II *Tim.* II, 5. — [7] *Apoc.* II, 7. — [8] *Matth.* XIX, 12. — [9] *Isai.* LVI, 5. — [10] *Isai.* XXVIII, 6. — [11] *Matth.* V, 8. — [12] *Cant.* I, 11. — [13] *Id.* V, 2. — [14] *Psalm.* CXLVII, 17. — [15] *Cant.* II, 16. — [16] *Id.* I, 12.

[a] Id quidem tenet vera et Catholica fides; at simul docet B. Virginem Mariam, in primo instanti suæ Conceptionis, singulari omnipotentis Dei gratiâ et privilegio, ab omni originalis culpæ labe præservatam, immunem fuisse (EX LITTERIS APOSTOLICIS PII PAPÆ NONI, an. 1854).

mansione malitia in nobis operata est. Sicut enim in pomo nascitur putredo de ejus corruptione; sic in nobis nascitur pollutio de malâ cogitatione : hæc in confessione lavanda est. Scabies in manu nascitur, dùm delectatio et consensus cogitationem sequuntur; sed ne flos boni operis tui et castitatis tuæ hâc peste contaminetur, confricanda est in confessione et abluenda compunctione scabies immundæ pollutionis. His omnibus vitiis correptione melioratis, adhuc cavendus est sudor, qui solet prodire de intercutaneo humore superfluo et calore immoderato : in hoc notatur illud pollutionis genus quod notat Apostolus, ubi dicit : *Melius est nubere quàm uri* [1]; et Isaias vocat duas caudas titionum fumigantium, ubi ait : *Noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum* [2]; significantur enim in duabus caudis, in utroque sexu membra illa pudenda, quorum exsecrabili fetore omnia in nobis corrumpuntur genera virtutum. Tolle et istum sudorem de manu tuâ, si vis in domo Domini florere sicut oliva fructifera. Restant adhuc duo genera, Chananæorum et Amorrhæorum, quos subnervare in terrâ promissionis debet verus Israelita : quorum alter *sanguineus* à sanguine dicitur, alter *venenum aspidum* nuncupatur. Est autem ille sanguineus, illa pollutio de quâ ait Apostolus : *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* [3]; et propriè adulterium vel incestus nominatur. Quicumque de genere sacerdotum his infectus sancta Domini contrectat, audiat à voce cardinum: *Non est mihi voluntas in vobis* [4]; *quia manus vestræ sanguine plenæ sunt* [5]: *incensum abominatio est mihi*, etc. [6]. De ultimo dicitur quia passio est ignominiæ, et rogat Apostolus : *Nec nominetur in vobis* [7]; quia, ut idem ipse ait, *neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt* [8]. His deniquè omnibus tamquàm serpentis antiqui exuviis spoliati, inter innocentes lavemus manus nostras, et corde puro, corpore casto, ore sancto, spiritu sanctificato, animâ castificatâ, novos flores novæ Nativitati novi Regis de paradiso Domini comparemus; et Sanctam sanctarum, Virginem virginum, Reginam reginarum, Dominam dominarum his floribus fulciamus, quatenùs partem in partu ejus habere mereamur : quod nobis parare dignetur Jesus Christus, Filius ejus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

✠ JACOBUS DE VITRIACO, S. R. E. CARDINALIS,

EPISCOPUS TUSCULANUS [a].

NUM. 1. Quomodò, ad quos, quarè et à quo Christus venit? — 2. Bonum largiter remunerat : undè notatur quomodò, de quo et quantùm Deo serviendum sit. — 3. Contra vitia adjuvat; — 4. Sed adjuvat tantùm eos qui auxilium ab ipso petunt. — 5. Prope nos est ut gloriam habeamus.

1. *Videbit omnis caro Salutare Dei* [9]. Cùm paterfamilias accendit candelam, non ponit eam in angulo vel sub modio, sed in publico, ut ab omnibus videatur et omnes illuminet: *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* [10]; sic Deus Pater misit Filium suum in hunc mundum, ut illuminaret mundum : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*, etc. [11]; et ideò conveniens fuit ut non in domo vel in aliquo loco absconderetur, sed in publico poneretur, ut illuminaret omnes et ab omnibus videretur, secundùm quod dicitur in dictis verbis in quibus describitur adventus Christi in quatuor. Primò enim tangitur quomodò venit, quia apertè, ibi : *Videbit*; lux enim suî ostensiva est : *Egrediatur ut splendor justus ejus, et videbunt justum*, etc. [12]. Secundò, ad quos venit, quia ad omnes, ibi : *Omnis caro* : non enim venit ut salvaret divites tantùm vel nobiles aut parentes, sed ut omnes, quia ipse *vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* [13]. *Parùm est mihi quòd venisti ad suscitandas tribus Jacob et fæces Israel convertendas: dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ* [14]. Tertiò, quarè, ibi : *Salutare* : non enim in mundum venit bursam facere, deliciosè vivere, etc.; sed genus humanum salvare: *Visita nos in salutari tuo* [15], quod dicitur non ad procurationes temporales accipiendas, sicut visitatores moderni, sed ad salutem animarum; et ideò *Salutare* appellatur. Quartò, à quo venit, ibi: *Dei* : non enim erat alius qui posset hominum sa-

[1] I *Cor.* VII, 9. — [2] *Isai.* VII, 4. — [3] I *Cor.* VI, 18. — [4] *Malach.* I, 10. — [5] *Isai.* I, 15. — [6] *Ibid.* 13. — [7] *Ephes.* V, 3. — [8] I *Cor* VI, 10. — [9] *Luc.* III, 6. — [10] *Matth.* V, 15. — [11] *Joan.* I, 9. — [12] *Isai.* LXII, 1 *et* 2. — [13] I *Tim.* II, 4. — [14] *Isai.* XLIX, 6. — [15] *Psalm.* CV, 4.

[a] Sermonem illum, qui non reperitur in editione Antuerpiæ 1575, exscripsimus è Bibliothecâ Regiâ, Cod. num. 3283, Colbert. 5213, Reg. 4134. Codex ille quarto decimo sæculo exaratus videtur.

lutem mittere, nisi Deus Pater. Ideò Psalmus : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis*[1] ; et hæc quatuor dicuntur in Psalmo : *Viderunt omnes termini terræ Salutare Dei nostri*[2].

2. Omnibus autem aliis prætermissis, nota quòd de Salutari Dei Patris, id est, de Christo, tria legimus quæ memoriter tenenda sunt. Legimus enim de ipso quòd largiter remunerat bonum, et quòd potenter contra vitia adjuvat, et quòd benignè prope nos habitat. Largiter remunerat ut sibi serviamus; libenter enim servitur ei qui consuetus est benè servos remunerare ; *Ponam in Salutari tuo : fiducialiter agam in eo*[3], spem scilicet habendo de præmio bono, et ideò dicit : *Fiducialiter agam in eo*, id est, jucundè et securè serviam ei. Ad principes, larga stipendia ministrantes, multi confugiunt stipendiarii, et amore stipendii gravia sustinent, et militantes multis periculis se exponunt, et ad Episcopos, pingues reditus servientibus sibi conferentes, multi concurrunt clerici, ad eos qui suos servos benè remunerant multi conveniunt, spe mercedis suæ suum servitium offerentes, multò plùs Christo qui in infinitum suos servos remunerat ideò deberet quilibet militare et servire : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*[4]. In hoc exemplo notatur quomodò Deo serviendum, de quo serviendum, quantùm serviendum. Quomodò serviendum, quia humiliter et devotè, ibi : *Inclinavi.* Si enim servientes coram principibus genua flectunt et salutantes capita demittunt, multò plùs Deo est humilitas cordis servanda ; servitium enim humiliter impensum Deo vel alii multùm placet : *Humiliavi in jejunio animam meam*, etc.[5]. Sed quia multi coram Domino corpus humiliter inclinant genua flectendo, pectus dividendo, in corde autem superbiam habent, contra pauperes offensas et rancores retinendo, etc., ideò dicit *cor ;* non enim decet nec sufficit quòd aliquis asinum suum coram Domino faciat titubare, genua flectere, et superbè se habeat coram ipso; ideò : *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua*[6], id est : Da mihi gratiam humiliari cor meum, non asinum, id est, corpus meum. Secundò, de quo serviendum, ibi : *Ad faciendas justificationes tuas*, id est, præcepta tua quæ justificant animam, et ideò servanda, quia esca quæ corpus satiat libenter servatur et frequentatur : *Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis*[7]. Tertiò notatur quantùm serviendum, ibi : *In æternum.* Sunt enim quidam qui ad tempus Deo serviunt, ut in Adventu, in Quadragesimâ, et in aliis temporibus vel mundo vel diabolo serviunt, ut conductus usquè ad festum Joannis, termino completo Dominum suum dimittit et aliis se conducit. Adolescens cum patre suo aliquod tempus mansit: quo dimisso, abiens in regionem longinquam, uni civium, id est, luxuriæ adhæsit, et ad pascendum ejus porcos positus est[8]. Sed in omni curiâ et in omni loco justum est quòd labor et præmium proportionentur et æquentur. Cùm ergò præmium, quo præmiabuntur à Domino servientes, sit in æternum, id est, quamdiù Deus erit Deus, servitium et labor quo homo servit Deo, debet esse perpetuus, id est, quamdiù erit homo, id est, usquè ad mortem : *Bonum autem facientes non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes*[9]. Quartò, quarè serviendum est ei, ibi : *Propter retributionem :* et non dicit quid servientibus retribuatur ; tanta enim est retributio illa quòd dici non potest : *In custodiendis illis retributio multa*[10]; *oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se*[11].

3. De illo bono Salutari quod contra vitia adjuvat, secundò legimus ut de ipso gaudeamus : *Exaltas me de portis mortis, quia exsultabo in Salutari tuo : infixæ sunt Gentes in interitu quem fecerunt*[12]. Portæ mortis sunt peccata ; per ea enim ingressa est mors corporalis ad nos, et non nisi per ea intrat mors spiritualis ad animam : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors*[13] : ideò sunt amovenda : si enim in domo suâ quis haberet fenestram in ostium per quam sciret fures vel homicidas intraturos, eam citò destrueret et amoveret : *Contrivit portas æreas*, id est, peccata consueta, *et vectes ferreos confregit*[14], *vectes*, suggestiones diaboli : quod fit per contritionem et confessionem factam in Ecclesiâ : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*[15], id est, Ecclesiam. Dominus exaltat de portis mortis, quia hominis mentem ità per gratiam ad superna elevat, quòd ad peccata nullatenùs inclinatur. Avis enim volans altè non timet laqueos qui in terrâ sunt : propter illud frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum ; sed, cùm avis ad terram descendit ut aliquid accipiat quod placet, laqueo tenetur. Sic homines cùm cupiunt de terrenis accipere, peccati laqueo tenentur : *Cadent in retiaculo ejus peccatores*[16], et ideò, quia Deus sic hominem adjuvat, meritò sequitur secundùm Glossam : « *Exsultabo in Salutari tuo*, id est, Christo, qui hoc « facit. » Si enim pugnarem contra hostem quem superare non possem, non modicùm lætarer de adventu

[1] *Psalm.* LXXXIV, 8. — [2] *Id.* XCVII, 3. — [3] *Id.* XI, 6. — [4] *Id.* CXVIII, 112. — [5] *Id.* XXXIV, 13. — [6] *Id.* CXVIII, 36. — [7] *Ibid.* 23. — [8] *Luc.* XV, 11-15. — [9] *Galat.* VI, 9. — [10] *Psalm.* XVIII, 12. — [11] I *Cor.* II, 9. — [12] *Psalm.* IX, 15 *et* 16. — [13] *Rome* V, 12. — [14] *Isai.* XLV, 2. — [15] *Matth.* XVI, 18. — [16] *Psalm.* CXL, 10.

alicujus qui me doceret et adjuvaret superare. Sic continuum bellum hominis cum vitiis : undè Job : *Militia est vita hominis super terram* [1], nec eam sine Dei auxilio superare possumus. Apostolus : *Non sumus sufficientes cogitare*, etc. [2]. Ideò meritò de Christo qui sic adjuvat est gaudendum : *Exsultabo in Deo Jesu meo ;* et subdit causam : *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum* [3], quorum pedes elevantes saliunt dimittendo lutum, ne inquinentur, et foveas, ne lædantur vel capiantur.

4. Sed non omnes hujusmodi auxilium à Domino accipiunt : qui enim ad portam divitis vadit, et vocem non clamat, nec manus extendit, vel gremium nec vas vacuum porrigit, eleemosynam non accipit; sic qui ad Deum non clamat in oratione, qui non extendit bonum opus, magnum desiderium et fervorem, gratiam Dei non recipit. Ideò sequitur : *Infixæ sunt Gentes in interitu quem fecerunt*, scilicet, firmiter peccatis adhærentes, in eis remanserunt ; qui enim firmiter pedem suum in terrâ argillosâ et tenaci infigit, non faciliter retrahit : tale est peccatum : *Infixus sum in limo*, etc. [4]. Sed nota quæ fecit Deus : non fecit mortem ; sed ipsi manibus suis et verbis accersierunt illam. Undè ipsimet fabricant gladium, id est, peccatum quo se transfigunt, sicut aper insilit in gladium venatoris : *Circumdedit me lanceis suis, et vibravit lumbos meos* [5].

5. Tertiò legimus de illo Salutari, quòd prope nos est, ut gloriam habeamus ; magnum enim est nobilem vel magnum juxta pauperem residere : *Verumtamen prope timentes eum Salutare ipsius, ut habitet gloria in terrâ nostrâ* [6]. Est autem prope nos tripliciter : ut inspiciat, ut audiat, et ut subveniat. His enim de causis solet homo ad hominem appropinquare. Est ergò Christus propè, ut inspiciat nos, ut erubescamus peccare : *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus propè est* [7] ; servus enim non expenderet bona Domini superfluè, ipso vidente. Dicit : *Modestia vestra nota sit*, quia vidente uno puero non fornicarentur ; et tamen in oculis ejus qui videt omnia, fornicari, furari et talia committere non dubitant quæ coram hominibus committere non auderent. *Qui transgreditur legem*, dicens : *Quis me videt* [8] *;* et non intelligit quia omnia videt oculus illius, id est, Dei. Mirabiliter esset mulier effrons et verecunda quæ coram oculis mariti sui fornicaretur : quod facit quicumque alicui rei mundanæ amore indebito adhæret : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum* [9]. Item propè est ut audiat in oratione clamantes : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* [10], id est, qui petunt ea quæ vera sunt, id est, immutabilia et æterna ; qui enim petunt temporalia, non in veritate, sed in vanitate petunt, quia vana sunt : *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem*, etc. [11] ; ideò Deus eos non exaudit ; non enim decet nobilem parùm dare : *Usquè modò non petistis quidquam* [12]. Si peto ab aliquo quinque denarios, et ipse dat mihi centum marchos, non patior repulsam ; sic si quis petit à Deo temporalia, et non det sibi, sed gratiam ad patiendum defectum, plùs dat quàm petiit : *In tribulatione meâ invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine* [13], id est, plùs dedit quàm petieram. Item propè est ut subveniat in tribulatione : *Propè es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas* [14]. Glossa : « Propè es tu ad subveniendum in tribulationibus. » Sed nota quomodò subvenit. Sicut pater filium suum in tirocinio non liberat ab ictibus et flagellis, sed vult ut multa gravia sustineat, ut laudem acquirat ; sed si videret eum in periculo mortis, non se contineret : sic Deus amicos suos non semper liberat ab infirmitate vel paupertate, etc., sed vult quòd per patientiam acquirant laudem in curiâ cœlesti ; sed à periculo mortis animæ nititur liberare : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* [15] *;* tunc enim opportunum est, cùm periculum animæ, non corporis agitur. Ideò Job et sua exposuit, sed dixit : *Verumtamen animam illius serva* [16]. Quia ergò tale est et in infinitum, magis est necessarium Salutare Dei nostri. Clamemus cum Psalmistâ : *Visita nos in Salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum* [17] *; ad videndum,* id est, ut nos ducat in patriam, ubi eum videbimus, etc.

[1] *Job.* VII, 1. — [2] II *Cor.* III, 5. — [3] *Habac.* III, 18 *et* 19. — [4] *Psalm.* LXVIII, 3. — [5] *Job*, XVI, 14. — [6] *Psalm.* LXXXIV, 10. — [7] *Philipp.* IV, 5. — [8] *Eccli.* XXIII, 25 *et* *Isai.* XXIX, 15. — [9] *Isai.* LVII, 8. — [10] *Psalm.* CXLIV, 18. — [11] *Id.* IV, 3. — [12] *Joan.* XVI, 24. — [13] *Psalm.* XVII, 7. — [14] *Id.* CXVIII, 151. — [15] *Id.* IX, 10. — [16] *Job.* II, 6. — [17] *Psalm.* CV, 4 *et* 5.

✠ GUILIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARISIENSIS,

SERMO I [a].

Num. 1. Christus est gloria sui Patris, matris suæ, electorum, hominum omnium, creaturarum omnium. — 2. Modus quo revelatur Christus, gloria Patris. — 3. Cur Christus gloria nominetur tempore humiliationis suæ, rationes quatuor. — 4. Præparemus Domino locum honorificum, id est, cor nostrum, et vestiamur virtutibus.

1. *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est*[1]. Septuaginta Interpretes sic habent : *Et videbit omnis caro Salutare Dei.* Hæc Prophetia quam proposuimus pertinet ad Nativitatem Salvatoris de quâ solennisamus, et sonat idem quod Evangelium, hoc excepto quod Prophetia prædicit futurum quod Evangelium asserit factum: quam Prophetiam vobis exclamare volumus ad Dei gloriam et nostram ædificationem. Gloria Domini est Filius Dei; *gloria* enim *patris est filius sapiens*[2]. Secundùm aliam litteram, si gloria patris carnalis est filius sapiens, quantò magis gloria Patris cœlestis est Filius ille qui est ipsa sapientia! Mira gloria est Dei Patris habere Filium summæ potentiæ, summæ sapientiæ, summæ bonitatis, sibi coæqualem et coæternum. Qualis Pater, talis Filius : Pater gloriosus, imò ipsa gloria; et Filius non solùm gloriosus, sed etiam ipsa gloria: undè et splendor gloriæ dicitur : *Qui cùm sit splendor gloriæ*[3]. Glossa : « Patri Filius « est coæternus, sicut igni splendor est coævus. » Gloria Domini Incarnatione facta est gloria Virginis. Hæc est singularis gloria Mariæ habere filium cum Deo communem. Numquid filius sapiens est gloria matris, sicut et patris? Ipse etiam est gloria electorum. Undè Simeon tenens eum, vocavit eum *gloriam plebis Israel*[4]. Plebs Israel est cœtus electorum, qui Deum hîc vident per fidem, et in futuro visuri sunt per speciem. Ipse est gloria replens Ecclesiam militantem et triumphantem, quod figuratum est in hoc quòd gloria Domini replevit tabernaculum perfectum[5]; similiter et templum Salomonis, cùm Salomon preces complêsset[6]. Tabernaculum figura fuit militantis Ecclesiæ, templum triumphantis. Ipse etiam est gloria totius generis humani; multùm enim exaltata est humana natura in hoc quòd cum divinâ in eâdem personâ est sociata. Si crux multùm exaltata est in hoc quòd ad modicum tempus corpori Christi est conjuncta, quantùm exaltata est humana natura quæ divinæ in unâ persona est sociata, nunquàm ab eâ separanda! Ipse etiam gloria est omnis creaturæ et spiritualis et corporalis: undè Ecclesia cantat de ipso : « Exivit per auream portam lux et decus universæ fabricæ mundi. » Hæc est gloria quam petiit sibi ostendi Moyses : *Ostende,* inquit, *mihi gloriam tuam.* Cui Dominus : *Ostendam tibi omne bonum*[7]. Gloria ista quam prædixit Isaias revelandam, est revelata, cùm nascens in mundo isto in carne est manifestata.

2. Modus autem revelationis subjungitur, et quæ sit hæc gloria ostenditur, cùm dicitur : *Et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Quod os Domini locutum est, est verbum Dei Patris ostensivum, sicut verbum mentem loquentis ostendit; nec facit hoc ex institutione, sicut verba nostra transeuntia ex institutione significant, sed ex expressissimâ similitudine, quia perfecta imago est Dei Patris, ejusdem potentiæ, ejusdem sapientiæ, ejusdem bonitatis, ut qui videt unum, videat alterum, secundùm illud Joannis : *Qui videt me, videt et Patrem meum*[8]; et hæc est gloria ipsius Patris, quòd habeat tantum et talem Filium. Hoc verbum: *Omnis caro videbit*, id est : Omnis homo videre poterit pariter, id est, æqualiter, dives et pauper, nobilis et ignobilis. Sicut apparuit stella regibus, sic Angelus apparuit pastoribus. Nobilior creatura manifestavit eum pastoribus quàm regibus. Idem Isaias prophetat quod Joannes evangelizat : *Verbum*, inquit, *caro factum est*, id est, homo, *et habitavit in nobis*, inter pauperes, ut ab omni homine, etiam à paupere, possit videri, *et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*[9]; licèt enim gloria sacco mortalitatis esset operta, tamen divinis miraculis est cognita. Aliter *os Domini* intelligi potest *cœtus Prophetarum*, ut sit sensus : *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est*, id est, quem cœtus Prophetarum promisit. Littera ergò nostra ipsius sublimitatem ostendit, vocans eum gloriam et Verbum. Littera verò septuaginta Interpretum ostendit quod pertinet ad pietatem, vocans eum *Salutare Dei.* Ipse Salvator est *salutare, volens, sciens et valens.* « Illi securè me credo qui salvare me velit, noverit et possit[b]. » Loco ejus, dicit eum Joannes *plenum gratiæ et veritatis.* Conveniens Mediator est, qui est plenus gratiâ apud Deum, ut, quod vult ab eo, impetrare possit; et qui plenus est veritate, ut con-

[1] *Isai.* XL, 5. — [2] *Prov.* X, 1. — [3] *Hebr.* I, 3.— [4] *Luc.* II, 32. — [5] *Exod.* XL, 32. — [6] II *Paralip.* VII, 1. — [7] *Exod.* XXXIII, 18 *et* 19. — [8] *Joan.* XIV, 9. — [9] *Id.* I, 14.

[a] In ordine sermonum de Sanctis, ubi reperitur iste Sermo, est num. 10. — [b] S. Bernardus.

fidentem in se decipere nolit; sicut vanitas innitenti fulcimentum non præstat, sic veritas innitenti fulcimentum non denegat. Hoc quod pertinet ad pietatem expressiùs ostenditur in Evangelio, ubi introducitur Angelus loquens ad Joseph : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

3. Sed quæ ratio est quòd Filius Dei tempore suæ humiliationis totiès *gloria* nominatur, ut in verbo præposito ; item in Psalmo : *Ut inhabitet gloria in terrâ nostrâ, misericordia et veritas obviaverunt sibi*[1] ; item cantat Ecclesia : *Manè videbitis gloriam ejus*[a] *: Gloria Domini super te orta est*[2]*;* item : *Gloria ejus in te videbitur*[3] *?* Hujus rei ratio quadruplex potest assignari. Prima est, ùt superbia inaniter gloriantium confundatur. Secunda, ut ejus humiliatio gratior habeatur. Tertia, ut ejus contumelia hoc tempore summoperè caveatur. Quarta, ut tempore isto ejus glorificationi intendatur. Recolitur hoc tempore gloria Domini hominibus revelata, sed sacco induta. Quis ergò misero vermiculo gloriandi remanet locus, ubi ille qui non solùm gloriosus est, sed ipsa gloria, sub sacco mortalitatis nostræ absconditur? Ipse est Rex Ninivæ qui surrexit de solio suo, et indutus est sacco[4]. Saccum carnis nostræ ideò assumpsit, ut in eo pro nobis pœnitentiam ageret. Quid ergò nobis agendum est pro nobis? « Filius Dei non habebat ut flagellaretur, ad hoc carne indutus est, ut sine flagello non esset[b].» Multùm potest in eo confundi superbia inaniter gloriantium : « Medicina tumoris hominis est humilitas Christi : erubescat homo esse superbus, quia humilis factus est Deus [c].» Ideò etiam ostenditur humilitatis sublimitas, ut gratior sit nobis ejus humilitas. Sicut detestabilior est superbia in paupere quàm in divite; sic humilitas laudabilior est in personis sublimibus quàm in inferioribus. Bernardus in Libro de Consideratione : « Cum omni indifferenter personæ humilitas sit quædam turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto vis ejus major in majoribus et in clarioribus clarior comprobetur. » Tempore etiam illo, ab ejus contumeliâ multùm cavendum est; hoc enim requirunt ejus sublimitas, humilitas et charitas. Sublimitas hoc requirit : cùm enim scriptum sit de Christi crucifixoribus, quòd *si cognovissent eum, numquàm Dominum gloriæ crucifixissent*[5], quàm inexcusabiles sunt illi, qui ei quem ex tot testimoniis agnoscunt esse Dei gloriam, non timent inferre contumeliam! Humilitas inquirit idem, quia Dei ordinatio est, ut qui se humiliat exaltetur : *Humilem spiritu suscipiet gloria*[6]*: qui humiliatus fuerit, erit in gloriâ*[7]. Quantò ergò tempore isto magis pro nobis est humiliatus, tantò hoc tempore magis est à nobis glorificandus. Charitas etiam ipsius hoc requirit, quia ipse studuit ad hoc, ut nos honoraret : *Annuntiate inter Gentes studia ejus*[8]. Item nos creando honoravit, quia ad imaginem et similitudinem suam nos fecit : *Deus de terrâ creavit hominem, et secundùm imaginem suam fecit illum*[9]. Ipse etiam recreando nos honoravit, quia humanam naturam et divinam in eâdem personâ sociavit. Ipse voluit inglorius apparere, ut nos poneret in honore. « Redemit venditus, vivificavit occisus, honoravit injuriatus [d]. » Ipse morte propriâ gloriam æternam nobis paravit. Quanta ergò ingratitudo est, cùm aliquis illum inhonorat, qui honorem ipsius sic procurat. Multùm etiam potest Deus offendi, cùm in omnibus aliis creaturis videt suam gloriam, secundùm illud Isaiæ : *Pleni sunt cœli et terra gloriâ ejus*[10]*;* in homine verò, qui Deum præ cæteris debuit honorare, tamquàm magis honoratus ab eo, videt suam contumeliam. Item, cùm Deus creaverit hominem specialiter in suam gloriam, juxta illud : *Faciet te Dominus excelsiorem cunctis Gentibus quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam*[11], quantùm potest offendi, cùm ipse incessanter infert contumeliam! Item quanta dementia est, cùm homo semetipsum inhonorat, quem Deus sic honorat ! *Quis honorabit exhonorantem animam suam*[12] *?* Tempore isto, gloriæ Salvatoris nostri venturi intendere debemus, ut ipsi, tamquàm illi qui est gloria Domini et Rex gloriæ, locum gloriæ præparemus, et ad ejus honorem vestes gloriæ assumamus, et delicias gloriæ provideamus; hæc enim tria facere solemus, cùm aliquam personam honorabilem suscepturi sumus.

4. De primo dicit David, qui fuit vir secundùm cor Dei : *Domine, dilexi decorem domûs tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ*[13]. Nec est necesse quærere Deo locum gloriosiorem corde humano, si tamen fuerit modo debito præparatum : « Scitote homines tàm benè culmo quàm auro tegi. Contemnite omnia quæ supervacuus labor velut ornamentum ad decus ponit. Cogitate nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil est magnum. Cor humanum sine comparatione majus est mundo, cùm sit capax Dei, cui mundus comparatus est quasi gutta roris [e] : » *Quasi gutta roris antelucani, sic est ante te orbis terrarum*[14]. Cor humanum est

[1] *Psalm.* LXXXIV, 10 *et* 11. — [2] *Isai.* LX, 1. — [3] *Ibid.* 2. — [4] *Jon.* III, 6. — [5] I *Cor.* II, 8. — [6] *Prov.* XXIX, 23. — [7] *Job,* XXII, 29.— [8] *Psalm.* IX, 12.— [9] *Eccli.* XVII, 1.— [10] *Isai.* VI, 3.— [11] *Deut.* XXVI, 19.— [12] *Eccli.* X, 32.— [13] *Psalm.* XXV, 8.— [14] *Sap.* XI, 23.

[a] Ex Invitatorio Officii Matutini in Vigiliâ Nativitatis Domini.

[b] S. Augustinus. — [c] Idem. — [d] Idem. — [e] Seneca.

palatium regium, si tamen ibi debito modo consulatur, imperetur et pareatur; imò regnum Dei: *Regnum Dei intra vos est*[1]. Est etiam cœlum cœlorum, cujus habitatio est Deo gratissima: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*[2]. Hic locus est debito modo paratus, si sit paratus ut dictat summa pars animæ, secundùm quam maximè attenditur similitudo ejus ad Deum, quæ pars semper remurmurat malo. Anima sic parata locus est gloriæ, secundùm illud: *In pace factus est locus ejus*[3]. Sine hàc pace est cor hominum quasi domus perstillans, in quà non est quies: *Tecta perstillantia et litigiosa mulier comparantur*[4]. Ad *vestes gloriæ* monemur: *Induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas sancta*[5]. Vestes gloriæ dicuntur vestes spirituales ad differentiam vestium corporis, quæ sunt vestes ignominiæ: « Qui « gloriatur in veste, similis est furi glorianti de « cauterio, quia propter peccatum à Deo introdu- « ctus est usus vestium [a]. » Vestes in hoc festo convenientes erunt puritas, humilitas, charitas. Puritas est velut vestis de bysso, humilitas velut vestis violacea, charitas velut vestis purpurata. *Deliciæ gloriæ* quibus Deus pascendus est, sunt ejus laudes: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis*[6]. Licèt Deus cibo corporali in se non egeat, tamen pascendus est eo in membris suis. Sed cibus proprius ejus est laus, et sic cibus iste dicitur gloriosus, cùm scriptum sit: *Sacrificium laudis honorificabit me*[7]. Glorificatio verò ista non debet esse solius oris, sed etiam cordis et corporis: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*[8]. Quidam labiis Deum glorificant, corde autem et opere eum blasphemant: *Sive ergò manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*[9]. Glossa: « Si modum debitum immoderatione vora- « citatis excedas, et vinolentià te ingurgites, quan- « tascumque laudes lingua sonet, vita blasphe- « mat: » *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*[10].

✠ EJUSDEM SERMO II [b].

NUM. 1. Salvatorem debemus prævenire. — 2. Christum debemus adorare. — 3. Quadruplici modo fit adoratio.

1. *Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum solis te adorare*[11]. Nativitatem Salvatoris cràs sumus celebraturi, et, nisi per nos steterit, ejus benedictionem accepturi; ideò vobis ostendemus quid facere debeamus, ut ejus benedictionem suscipiamus. Secundùm verbum propositum, debemus eum *prævenire* et *adorare*. *Prævenire* autem debemus sex modis. Primò, à lecto pigritiæ surgendo; indecens enim est Christiano, si ortus veri Solis in eodem lecto eum jacentem inveniat: *Usquequò, piger, dormies*[12]*? Hora est jàm nos de somno surgere*[13]. Secundò, impedimentum seu obstaculum amovendo; sicut enim sol, qui oculos corporis illuminat, licèt liberalissimè lucem suam impendat, tamen si grossum corpus oppositum fuerit, officium ipsius impedit; sic, licèt iste verus Sol liberalissimus sit, impeditur tamen peccatorum oppositione, ne ejus beneficium recipiatur: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis*[14]. Tertiò, faciem interiorem ad eum convertendo, meditando scilicet de tempore isto, et adventum ipsius desiderando. De illis qui verterunt ei tergum et non faciem, non est mirum si ab eo non illuminantur: « Dorsum « habebam ad lumen, et ipsa facies mea non illu- « minabatur [c]. » Quartò, ad verum Solem appropinquando: *Accedite ad eum, et illuminamini*[15]*: appropinquate Deo, et appropinquabit vobis*[16]. Appropinquatio ista sit non loco, sed similitudine. Salvatori hoc tempore appropinquat, qui statum suum meliorat, qui proponit eum de cætero expressiùs imitari. Quintò, se humiliando: sicut recepturi benedictionem episcopalem monentur ut se humilient ad benedictionem; sic qui benedictionem Salvatoris hoc tempore volunt recipere, debent se ad eum humiliare: *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*[17]. Sextò, Salvatori benedicendo vel in se vel in membris ipsius. De benedictione ipsius in se dicitur: *Benedicentes exaltate eum quantùm potestis; major est enim omni laude: exaltantes autem replebimini virtute*[18]. *Anima quæ benedicit, impinguabitur*[19]. In membris etiam ipsius debemus benedicere Sal-

[1] *Luc.* XVII, 21. — [2] *Prov.* VIII, 31. — [3] *Psalm.* LXXV, 3. — [4] *Prov.* XXVII, 15. — [5] *Isai.* LII, 1. — [6] *Psalm.* XLIX, 13 *et* 14. — [7] *Ibid.* 23. — [8] I *Cor.* VI, 20. — [9] *Id.* X, 31. — [10] *Isai.* XXIX, 13. — [11] *Sap.* XVI, 28. — [12] *Prov.* XXIV, 33 — [13] *Rom.* XIII, 11. — [14] *Isai.* LIX, 2. — [15] *Psalm.* XXXIII, 6. — [16] *Jac.* IV, 8. — [17] *Ibid.* 6. — [18] *Eccli.* XLIII, 33 *et* 34. — [19] *Prov.* XI, 25.

[a] S. Bernardus. — [b] In ordine sermonum de sanctis, ubi reperitur iste sermo, est num. 11. — [c] S. Augustinus, Lib. 4 Confessionum.

vatori, eleemosynas abundanter ei dando, ut sic benedicamur ab eo in præsenti benedictione gloriæ, et in futuro benedictione gloriæ, undè : *Venite, benedicti* [1]. *Qui seminat in benedictione, in benedictione et metet* [2]. *Date et dabitur vobis* [3].

2. In hâc solennitate etiam attendendum est ad adorationem : ad quod monet nos Ecclesia in principio officii matutinalis, dicens : *Christus natus est nobis, venite, adoremus.* Ad idem monemur exemplo regum qui venientes ad locum ubi puer erat, procidentes adoraverunt eum [4]. Viri religiosi, pronuntiatâ Nativitate Salvatoris in capitulo, prosternunt se, Deum corde et corpore adorantes. Ad idem invitat nos consuetudo sæcularium ; cùm enim filius alicujus principis venit recipere terram quæ jure hæreditario ad eum pertinet, recognoscitur ejus dominium adorando : sic dominium Regis nostri ad nos venientis, debemus recognoscere adorando. Idem etiam requirit Dei ordinatio, qui vult ut qui se humiliat exaltetur. Undè Filius Altissimi pro nobis hoc tempore humiliatus multùm à nobis est exaltandus: quæ exaltatio maximè fiet adoratione. Ad idem facit quòd parvi multùm solent adorare magnos, cùm dignantur visitare eos; et quod negat facultas, supplet in eis devota voluntas : Zacchæus parvus gaudens suscepit Salvatorem [5] : Elizabeth, cùm beata Virgo eam visitâsset, ait : *Undè hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* [6]? et David : *Quid est homo, quod memor es ejus* [7]? Devotissimè ergo suscipiendus est à nobis Filius Dei ad nos veniens. « Fratres, hic est hæres, devotè « suscipiamus eum ; sic enim et hæreditas nostra « erit [a]. » Filius Dei non tantùm venit regnum accipere, sed regnum æternum dare ; ideò enim Filius Dei factus est homo, ut hæredes faciat filios Dei, juxta verbum : « Regnum ejus est in manu ipsius ad « dandum, sicut cantat Ecclesia: si honoraverimus « eum, erimus ipsius cohæredes [b]. » Vult Pater ut honoremus eum, secundùm illud : *Novissimè misit ad eos Filium suum, dicens : Verebuntur Filium meum* [8]; sed multi videntur facto dicere, quod ibi sequitur: *Hic est hæres, venite, occidamus eum* [9]; *rursùm crucifigentes in semetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* [10]. Valdè reprehensibiles sunt qui à Deo recesserunt : *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur* [11]. Ipsi pro pessimo domino optimum derelinquunt ; tale enim bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bonum sit, sicut dicit Augustinus: *Væ eis, quia recesserunt à me* [12]! *Scito et vide quia malum est et amarum te dereliquisse Dominum Deum tuum* [13]. Ipsi relinquendo eum projecerunt omne bonum : *Projecit Israel bonum* [14].

3. Circa adorationem verò, cui intendendum est, notandum quòd adoratio divinæ majestatis est professio ut majestatem intelligamus : quod significatur per hoc adverbium *summè*, cùm dicitur summè potens, summè sapiens, summè bonus. Adorans recognoscit plenum Dei dominium in se et suî plenam subjectionem : quæ recognitio fit quatuor modis : corde, verbo, corpore et rebus. Recognitio cordis est nobilior, et ideò gratior : *Venit hora, et nunc est, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate ; nam Pater tales quærit qui adorent eum* [15]. Ad recognitionem cordis quatuor pertinent : fides, amor, timor et spes. Ad fidei recognitionem pertinet ut credamus Deo, sicut ei credendum est, propter se scilicet, et super omnia, tamquàm primæ veritati. Item ad eam pertinet ut digna Deo credamus de eo, ut summam potentiam, summam sapientiam, summam bonitatem, et consequentia ad hæc, ut scilicet quoniam ipse est omnium bonorum creator et servientium sibi liberalissimus remunerator ; eorum verò qui pertinaciter sibi sunt rebelles, zelatissimus ultor. Timore recognoscimus Dei majestatem, non qualicumque timore, sed tali quali timendus est ille, cujus potentiæ nemo potest resistere, vel eam fugere, cujus sapientiæ nihil potest abscondi : quæ cùm sit summa, summè odit malitiam, et sine fine puniet quos in eâ pertinaces invenerit. Spes etiam pertinet ad recognitionem, spes, inquam, talis qualis ponenda est in eo cujus potentiæ facillimum est liberare ab omni miseriâ, cujus sapientiæ notissima est miseria nostra ; abyssus enim misericordiæ non invocat abyssum miseriæ, nisi agnoscatur. Item ejus bonitati proprium est misereri et parcere, qui propter liberalitatem fecit quæcumque fecit. Amor etiam pertinet ad recognitionem, amor, inquam, talis qualis ille amandus est, qui est optimus in se, et eo amore dignissimus, qui etiam fons est omnium bonorum, à quo omnia bona suscepimus, quæ habemus vel habuimus, et quæ suscepturos nos speramus. Hæc quatuor sunt velut quatuor species aromaticæ in thymiamate spirituali. De thymiamate habetur : *Talem compositionem non habebitis in usus vestros, quia sanctum Domino est. Homo quicumque fecerit illud, ut odore illius perfruatur, peribit de populo suo* [16]. Primam speciem non habent mulieres sacrilegæ, plùs credentes sortilegis et divinis quàm Deo. Secundam speciem non habent qui timore verbi derisorii vel alterius mali transitorii, cessant à pœnitentiâ inchoatâ vel alio bono. Tertiam speciem non habent qui non sperant se habituros necessaria, si Deo servierint, ut sunt usurarii, vel fatuæ mulieres. Quartam non habent avari, qui plùs amant

[1] *Matth.* XXV, 34. — [2] II *Cor.* IX, 6. — [3] *Luc.* VI, 38, — [4] *Matth.* II, 9 et 10. — [5] *Luc.* XIX, 6. — [6] *Id.* I, 43. — [7] *Psalm.* VIII, 5. — [8] *Matth.* XXI, 37. — [9] *Ibid.* 38. — [10] *Hebr.* VI, 6. — [11] *Jerem.* XVII, 13. — [12] *Ose.* VII, 13. — [13] *Jerem.* II, 17. — [14] *Ose.* VIII, 3. — [15] *Joan.* IV, 23. — [16] *Exod.* XXX, 37 et 38. — [a] S. Bernardus. — [b] Idem.

pecuniam quàm Deum, qui indubitanter idololatræ sunt. Glossa super illud : *Quorum deus venter est*, etc.[1] : « Hoc ab homine colitur quod præ cæteris « diligit. » Verbo recognoscit Ecclesia majestatem Dei et plenum dominium, cùm dicit Christo : *Tu solus Dominus, tu solus Altissimus*. Corpore fit hæc recognitio, inclinatione, genuflexione et prostratione : *Mihi curvabitur omne genu* [2], Deo excelso. Rebus fit hæc recognitio, cùm decimæ offeruntur Domino in signum universalis dominii. Et notandum quòd adoratio, quantùm ad multos, videtur esse illusio, sicut Christo genuflexione illusum est à crucifixoribus suis [3], ut cùm ab aliquo genuflectitur qui diaboli servus est et ei obsequitur, vel cùm aliquis recognoscit bona sua à Deo se habere, et tamen cùm petit Christus aliquid ab eo per pauperem, non vult ei dare. Sic Augustinus in personâ Domini : « De eo « quod dedi tibi, de meo peto, et mihi non donas. »

✠ S. THOMAS DE AQUINO,

ORDINIS PRÆDICATORUM, ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

NUM. 1. Christus nascendo est Sol mundi : — 2. Lux hominum. — 3. Quomodò præveniemus ortum ejus ? — 4. Quotuplici modo adorabimus ad Nativitatem ejus ?

1. *Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare*[4]. Cràs celebraturi sumus ortum Solis æterni ; ideò monemur in istis verbis præparari ad ortum ejus. Et notantur hìc duo. Primò, nasciturus commendatur : secundò, quid sit nobis faciendum demonstratur. Christus commendatur in duobus : primò, quia sol ; secundò, quia lux. Duo etiam nobis facienda indicantur : primum prævenire, secundum adorare. Primum ibi : *Solem.* Secundum ibi : *Ad ortum* lucis. Tertium ibi : *Prævenire.* Quartum ibi : *Adorare* : prævenire hodiè, adorare cràs. Circa primum, sciendum quòd Christus dicitur sol : *Vobis timentibus Deum orietur sol justitiæ* [5]. In hoc autem quod dicitur sol, notantur septem beneficia quæ exhibuit generi humano nascendo, sicut sol corporalis septem effectus exercet in corporibus. Primus effectus est generatio, secundus vivificatio, tertius nutritio, quartus augmentatio, quintus perfectio, sextus purgatio, septimus renovatio. De his omnibus sol ad generationem sensibilium corporum emittitur, et ad vitam ea movet, nutrit, et auget, et perficit, purgat et renovat : hæc fecit Christus nobis, nascendo. Generavit, filios Dei faciendo : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*[6]. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*[7]. Vivificavit, vitam gratiæ et gloriæ largiendo : *Vita erat lux hominum* [8]. *Et nos convivificavit in Christo*[9]. *Et ego vitam æternam do eis* [10]. Nutrit pane Eucharistiæ et verbi divini : *Ego sum panis vivus*[11]. *Panem de cœlo præstitisti eis*[12]. *Educes me et enutries me*[13]. Augmentavit, plenitudinem gratiæ et donorum largiendo : *De plenitudine ejus omnes accepimus* [14]. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo*[15]. Perficit, statum perfectionis inducendo : *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est*[16]. Purgavit, sordes peccatorum auferendo : *Purgationem peccatorum faciens* [17]. Renovavit, vetustatem culpæ destruendo, et nova omnia faciendo : *Vetus homo noster simul crucifixus est* [18]. *Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia* [19]. Sic fuit nobis sol.

2. Fuit et lux. Et nota, in hoc quòd dicitur lux, sex alios effectus quos fecit nobis, nascendo ; sex enim sunt effectus lucis. Primus illuminatio, secundus fecundatio ; fecunditas enim est ab influentiâ lucis : tertius præservatio ; est enim lux præservativa : quartus ordinatio, quintus ornatio ; lux enim confusum et inordinatum ordinat et ornat : sextus suî effusio ; est enim lux effusiva suî. Fecundavit, virtutum radios infundendo et ad bona opera commovendo : *Implebit splendoribus animam tuam,... et eris hortus irriguus*[20] ; ubi nota quòd fecunditas est ex influentiâ lucis. Præservavit : *Ego servabam eos* [21]. Ordinavit : *Ordinavit in me charitatem*[22]. Ornavit : *Ornavit tempora usquè ad consummationem vitæ* [23]. *Spiritus Domini ornavit cœlos* [24], scilicet Domini nostri Jesu Christi. Seipsum effudit, pro nobis moriendo : *Tradidit semetipsum pro me* [25], scilicet Christus. Cum multis ergo bonis natus est nobis sol iste et lux ista.

[1] *Philipp.* III, 19. — [2] *Isai.* XLV, 24. — [3] *Matth.* XXVII, 39-44. — [4] *Sap.* XVI, 28. — [5] *Malach.* IV, 2. — [6] *Joan.* I, 12. — [7] *Jac.* I, 18. — [8] *Joan.* I, 4. — [9] *Ephes.* II, 5. — [10] *Joan.* X, 28. — [11] *Id.* VI, 51. — [12] *Sap.* XVI, 20. — [13] *Psalm.* XXX, 4. — — [14] *Joan.* I, 16. — [15] *Ephes.* IV, 15. — [16] *Matth.* V, 48. — [17] *Hebr.* I, 3. — [18] *Rom.* VI, 6. — [19] *Apoc.* XXI, 5. — [20] *Isai.* LVIII, 11. — [21] *Joan.* XVII, 12. — [22] *Cant.* II, 4. — [23] *Eccli.* XLVII, 12. — [24] *Job*, XXVI, 13. — [25] *Galat.* II, 20.

[a] Est sermo primus inter sermones festivos totius anni.

3. Dignum est ergò prævenire ortum ejus, et ad Nativitatem adorare. Prævenire autem debemus septem modis. Primò, ab omni nos peccati sorde abluendo. Secundò, omnem amorem terrenum excludendo. Tertiò, in amore ipsius firmiter persistendo. De his tribus : *Sanctificamini hodiè, et cràs comedetis carnes* [1]; sanctus enim idem est quod mundus, sine terrâ, et firmus. Quartò, divinis laudibus insistendo : *Præoccupemus faciem ejus in confessione* [2]. Quintò, perseveranter, ut digni simus participes Nativitatis ejus fieri, orando : *Manè oratio mea præveniet te* [3]. *Præveni in maturitate, et clamavi* [4]. Sextò, quanta beneficia largitus sit nobis diligenter meditando : *Prævenerunt oculi mei ad te diluculò, ut meditarer eloquia tua* [5]. Septimò, de tanto Deo gratias referendo. Hoc est quod dicitur *prævenire ad benedictionem.*

4. Adorare debemus ad ortum solis, id est, Nativitatem Christi, quinque modis : primò, corde credendo : secundò, ore confitendo : tertiò, opere quodam sacrificium ejus devotè et dignè sumendo : quartò, largas eleemosynas faciendo : quintò, noctes et dies in ejus laudibus expendendo. De primis duobus : *Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem* [6]. De tertio : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam* [7]. De quarto : *Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium* [8]. De quinto docent Angeli qui hanc diem tàm solenniter cantârunt : *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis* [9].

✠ S. BONAVENTURÆ, EPISCOPI ALBANI,

CARDINALIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS, SERMO I.

NUM. 1. Triplex bonorum status, incipientium, proficientium et perfectorum. — 2. Triplex illorum præparatio. — 3. Triplex descensus Domini ad illos.

1. *Vade ad populum, et sanctifica illos. Hodiè et cràs lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium; in die enim tertiâ descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai* [10]. Circa descensum Domini ad nos per ejus Nativitatem, quam in tertio die, Deo dante, celebrabimus, dicentur hæc tria : temporis assignatio, ibi : *In die tertio :* suscipientium præparatio, ibi : *Sanctifica illos*, etc.: veniendi certificatio, ibi : *Descendet Dominus*, etc. Circa primum, nota quòd per tres dies triplex bonorum status intelligitur : incipientium, proficientium et perfectorum. De primo die : *Dies etiam primitivorum, quandò offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis et sancta erit* [11]. Dies primitivorum status pœnitentium est, qui primitias bonæ vitæ offerunt; novæ enim fruges novæ virtutes sunt : *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ* [12]. Bonum est congregare has fruges exemplo Joseph, ut habeantur in posterum tempore charitatis seu charistiæ. De die proficientium : *Portavimus pondus diei et æstûs* [13]; proficientes enim portant pondus laboris operationum, juxta illud Apostoli : *Alter alterius onera portate* [14]. Item æstus reparationum : Diabolus enim proficientes multùm impugnat, quia profectui nostro invidet : undè de hoc æstu semina virtutum arescunt : *Sole autem orto, æstuaverunt, et quia non habebant radices, aruerunt* [15]. De die perfectorum : *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usquè ad perfectam diem* [16]. Hæc est dies, quâ ingreditur anima ad Assuerum, scilicet, Christum : *Die autem tertio induta est Esther regalibus indumentis* [17], id est, virtutibus : *Astitit regina à dextris tuis* [18] : « Multò meliùs est animam « ornare virtutibus, quàm corpus pretiosis induere « vestibus [a]. »

2. Circa præparationem suscipientium, nota quòd incipientes debent præparari per puram contritionem, proficientes per bonam conversationem, perfecti per puram satisfactionem. Et hoc significari potest triplici præparatione quæ hìc tangitur : videlicet in ablutione corporum, de quâ dicitur hìc : *Sanctifica illos*. Hæc ad incipientium contritionem pertinet, quâ abluuntur : *Lavabis me à peccatis*,

[1] *Num.* XI, 18. — [2] *Psalm.* XCXIV, 12. — [3] *Id.* LXXXVII, 14. — [4] *Id.* CXVIII, 147. — [5] *Ibid.* 148. — [6] *Rom.* X, 10. — [7] *Id.* XII, 1. — [8] *Isai.* XXVIII, 12. — [9] *Luc.* II, 13. — [10] *Exod.* XIX, 10 et 11. — [11] *Num.* XXVIII, 26. — [12] II *Cor.* IX, 10. — [13] *Matth.* XX, 12. — [14] *Gal.* VI, 2. — [15] *Matth.* XIII, 6. — [16] *Prov.* IV, 18. — [17] *Esth.* V, 1. — [18] *Psalm.* XLIV, 10.

[a] S. Ambrosius, Serm. 2 in Dominicâ primâ Adventûs.

et super nivem dealbabor[1]; et : *Descendebat filia Pharaonis in flumine*, ubi invenit in fiscellâ parvulum vagientem[2]. Filia Pharaonis anima peccatrix, quæ est filia diaboli : descendit per humilitatem de domo patris sui diaboli : *Obliviscere populum tuum*, etc. [3]. Lavantur autem in flumine lacrymarum per contritionem : « Ablue te lacrymis : lava « fletibus. Si tu te ipse fleveris, non flebit te alius. « Si se Saül flevisset, Samuel eum non flevisset [a]. » Et tunc invenit parvulum, de quo : *Parvulus natus est nobis* [4]. Invenitur autem in fiscellâ, videlicet, vase junceo, id est, in corde virtutibus contexto. Item in lucidâ conversatione proximorum : *Omni tempore sint vestimenta tua candida* [5]. O quàm pauci sunt, qui hæc vestimenta sine maculâ observant ! *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulaverunt mecum in albis* [6]; contra quod dicitur de Miphiboseth quòd *non laverat vestes suas, quandò occurrit regi David* [7]. Item amotione uxorum, sicut ibidem dicitur : *Estote parati in diem tertium : ne appropinquetis uxoribus vestris* [8]. Hæc præparatio ad puram perfectorum affectionem pertinet, quâ carnalitate vel sensualitate, tamquàm ab uxore, separantur : de quâ uxore dicitur : *Quia audisti vocem uxoris tuæ*, etc. [9]. Nota ordinem deceptionis. Serpens est diabolus suggerens : Eva sensualitas delectans : Adam verò consentiens. Huic uxori non appropinquare debet spiritus, ne seducatur, ne affectum purum in non purum, spiritualem in carnalem convertat.

3. Circa tertium, scilicet, veniendi promissionem, nota qualiter Dominus hic descendit : descendit enim in fumo, in nube, in igne. Sic spiritualiter ad incipientes descendit in fumo contritionis, ad proficientes in nube devotionis, ad perfectos in igne dilectionis. De primo dicitur : *Totus mons Sinaï fumigabat* [10]. Fumus iste contritionem significat : cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum. De secundo dicitur quòd *nubes densissima cœpit operire montem* [11]. Nubes devotionem significat, quæ hominem dulci lacrymarum nube perfundit, cribrans aquas de nubibus cœlorum. De tertio dicitur ibidem : *Eo quòd descendisset Dominus super eum in igne* [12]. Scilicet, in igne amoris ad perfectos descendit : *Ignis in altari meo semper ardebit* [13]. « O amor, qui semper ardes, et « numquàm exstingueris, charitas, Deus meus, « accende me [b] ! »

✠ EJUSDEM SERMO II.

Num. 1. Electi egrediuntur ad miseriam in procreatione, — 2. ad justitiam in conversatione, — 3. ad pugnam in tentatione, — 4. ad gloriam in evolatione.

1. *Cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum* [14]. Verbum istud hodiè cantat Ecclesia [c] ; et congruit instanti solennitati Nativitatis Christi, in quâ Dominus cum hominibus fuit corporaliter, et erit nobiscum spiritualiter, si dignè parati fuerimus. Innuuntur ergò in his verbis duo, scilicet humana præparatio, et divina associatio. Primum, ibi : *Cràs egrediemini :* secundum, ibi : *Et Dominus erit vobiscum.* Circa primum considerandum est quòd electi egrediuntur ad miseriam in procreatione, ad justitiam in conversatione, ad pugnam in tentatione, ad gloriam in evolatione. De primo : *Quasi flos egreditur et conteritur*, etc. [15]. Flos est homo in mundo : stercus in sepulcro : *Facti sunt ut stercus terræ*, etc. [16]. Lucet quandoquè flos in cacumine arboris : tamen in stercore tandem cadit ; sic est de excellentibus in mundo : *Si ascenderit usquè in cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur* [17]. Hoc est quod dicitur : *Omnis caro fœnum*, etc. usquè : *Et cecidit flos* [18]. Cadit ergò flos gloriæ carnis in morte, et fit stercus in putrefactionem ; sed de stercore iterùm flos in resurrectione : *Refloruit caro mea* [19]. Sed hoc fit per florem ortum de Virgine, de quo : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*, etc. [20]. Primus ergò flos est gloriæ carnalis, secundus immortalis, tertius est gloriæ virginalis.

2. De secundo : *Mementote diei hujus, in quâ egressi estis de Ægypto et de domo servitutis* [21].

[1] *Psalm.* L, 9. — [2] *Exod.* II, 5 *et* 6. — [3] *Psalm.* XLIV, 11. — [4] *Isai.* IX, 6. — [5] *Eccle.* IX, 8. — [6] *Apoc.* III, 4. — [7] II *Reg.* XIX, 24. — [8] *Exod.* XIX, 15. — [9] *Gen.* III, 17. — [10] *Exod.* XIX, 18. — [11] *Ibid.* 16. — [12] *Ibid.* — [13] *Levit.* VI, 12. — [14] II *Paralip.* XX, 17. — [15] *Job.* XIV, 2. — [16] *Psalm.* LXXXII, 11. — [17] *Job.* XX, 6 *et* 7. — [18] *Isai.* XL, 6 *et* 7. — [19] *Psalm.* XXVII, 7. — [20] *Isai.* XI, 1. — [21] *Exod.* XIII, 3.

[a] Ambrosius, loco superiùs citato. — [b] Augustinus, Lib. Confessionum. — [c] Verba hæc leguntur in secundo Responsorio Matutini Officii in Vigiliâ Nativitatis Domini.

Domus servitutis Pharaonis, id est, diaboli, est mundus, in quo peccatores triplici servitute opprimuntur, scilicet luti luxuriæ, lateris avaritiæ, paleæ superbiæ. Egrediendum ergò est de hâc domo per pœnitentiam ei qui in luxuriâ est carnis, avaritiâ mundi, superbiâ diaboli: ideò benè dicitur: *Egredere de terrâ et de cognatione tuâ* [1]. Caro est cognatio et vitia carnalia, domus mundus, pater diabolus: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui* [2]. Contra hanc triplicem servitutem Dominus noster Christus nascitur: de Virgine nas itur contra luxuriam: pannis involvitur contrà avaritiam: in stabulo ponitur contra superbiam. Ut homo egrediatur servitutem diaboli, venit Christus in servitutem hominis: « Singularis illa ma« jestas servire voluit, ut nos regnaremus [a]. »

3. De tertio dicitur hîc: *Cràs egrediemini* contra eos, scilicet, filios Moab et Ammon, et montem Seïr. Moab interpretatur *ex patre*, et significat diabolum, qui est *ex patre Lucifero;* Lucifer enim pater est dæmonum; dæmones autem sunt patres eorum quos decipiunt, patres, dico, non generatione, sed imitatione: *Vox ex patre diabolo estis* [3]: Lucifer ergò est avus hominum perversorum. Ammon *filius generis nostri* intrepretatur, et significat carnem quæ de nostro genere, de nostris parentibus est: *Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est* [4]. Anima, sive spiritus, quia de parentibus non traducitur, filius nostri generis non est, sed potiùs Dei, quia immediatè à Deo creatur: *Genus ergò cùm simus Dei*, etc. [5]. Factus est ergò Deus ex genere nostro, ut redimeret quod fuit de genere suo. « Quarè hoc nostri generis cor« pus tantùm propter nos Deus assumere atque « agere dignatus est: quantò videtur vilius, tantò « est clementiâ plenius [b]. » Mons Seïr *mundus* est, qui temporalium superfluitatibus, versutiis et fraudibus pilosus est. Hos pilos Seïr significat; interpretatur enim *pilosus*. Mundum ergò à nobis ad festum illud radamus. Hos enim pilos Ezechiel Propheta præcipit radere et amovere: *Sume tibi gladium acutum, radentem pilos*, etc. [6]; si enim ob reverentiam festi pilos corporis superfluos radimus, quantò magis pilos superfluos vitiorum!

4. De quarto: *Egredimini, filiæ Sion*, id est, animæ puræ, quæ estis Dei speculum (Sion *speculum* interpretatur), *et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua* [7]. Bernardus hîc distinguit quadruplicem coronam, dicens: « Coronavit eum mater sua coronâ pau« pertatis nostræ: nunc coronatus est à novercâ suâ « coronâ spineâ: coronâ miseriæ coronandus est à « familiâ suâ: coronâ justitiæ, quandò exibunt An« geli, et colligent de regno ejus omnia scandala. « Coronavit eum pater ejus coronâ gloriæ, sicut « ait Psalmus: *Gloriâ et honore coronasti eum,* « *Domine* [8]. » Nunc ergò egredimini ad pugnam, ut in morte egrediamini ad coronam. In pugnâ enim hujus vitæ fortes esse debemus usquè ad egressum animæ nostræ, ut coronemur in æternâ jucunditate. Media pars nostrûm teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra. Lancea est *zelus contra vitia:* aurora est *initium bonæ vitæ:* astra sunt *bonæ animæ, quæ egrediuntur in morte.*

✠ EJUSDEM SERMO III.

Num. 1. Charitatis Christi calor ostenditur in quatuor beneficiis, scilicet in Incarnatione, — 2. in corporis sui traditione, — 3. in passione, — 4. in Spiritûs sancti effusione.

Cràs erit vobis salus, cùm incaluerit sol [9]. Quia Jesus interpretatur *salus*, potest dici: Cràs erit nobis salus. Nunc enim ad hoc ingressus est nascendo, ut esset nobis salus: *Egressus est in salutem*, etc [10]. Sol Christus est: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ* [11]. Solis calor est Christi amor, quo coactus est incarnari. In quatuor autem beneficiis præcipuè calor charitatis ostenditur, videlicet, in incarnatione, in corporis sui traditione, in passione, et Spiritûs sancti effusione. De primo dicitur hîc: *Cràs erit vobis salus.* Nota historiam: quandò Naas noluit habere pacem cum viris Jabes Galaad, nisi erueret omnium oculos dexteros, propter hoc missum est eis verbum consolatorium illud: *Cràs erit vobis salus* [12]. Naas interpretatur *serpens*, et significat diabolum, de quo Eva dicit: *Serpens decepit me* [13]. Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus cordi illabitur. Oculus est fides: sinister autem est fides de humanitate

[1] *Gen.* XII, 1. — [2] *Psalm.* XLIV, 11. — [3] *Joan.* VIII, 44. — [4] *Sap.* VII, 1. — [5] *Act.* XVII, 29. — [6] *Ezech.* V, 1. — [7] *Cant.* III, 11. — [8] *Psalm.* VIII, 6. — [9] I *Reg.* XI, 9. — [10] *Habac.* III, 13. — [11] *Malach.* IV, 2. — [12] I *Reg.* XI, 1-9. — [13] *Gen.* III, 13.

[a] S. Bernardus. — [b] S. Augustinus.

Christi; dexter verò fides de divinitate. Isti sunt oculi cæci nati, qui per lutum humanitatis, et sputum sapientiæ divinitatis aperiuntur. Sed dexter oculus Judæis eruitur, qui Jesum hominem et non Deum putant. Item est oculus intentio. Dexter autem oculus ad gloriam, sinister ad gehennam respicit. Dextrum amor, sinistrum timor aperit. Qui ergò non amore beatitudinis, sed timore damnationis malum fugit et bonum agit, dextrum oculum eruit : hinc : *Oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur*[1]. Contra hanc diaboli oppressionem venit nobis salus, quandò venit nobis Jesus. Venit autem in calore, quia datus est in amore : *Sic Deus dilexit mundum*, etc.[2]. De secundo : *Cùmque incaluisset sol, liquefiebat*[3]. Hoc dicitur de mannâ : significat autem *Eucharistiam*, quæ animæ mirabiliter sapida est : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem*, etc.[4]. Iste panis de cœlo venit, et de terrâ colligitur sine agriculturâ. Sic Christus Jesus de terrâ virginali sine culturâ maritali exhibitus est : *Terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis*[5]. Calor solis est amor Christi, quo nobis hoc sacramentum liquefecit per suavitatem, et resolvitur in gratiam. Licèt autem manna à sole liquefieret, ab igne tamen indurabatur. Ità hoc sacramentum per calorem amoris divini liquefit homini ad salutem; per calorem autem amoris mundani et carnalis induratur homini ad damnationem : *Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat*, etc.[6]: « Spiritualis cibus, si aliquem reperit « malignitate pollutum, magis eum perdit non suâ « naturâ, sed accipientis vitio[a]. » De tertio : *Non aperientur portæ Jerusalem usquè ad calorem solis*[7]. Jerusalem est illa cœlestis civitas, in quâ omnes liberi erimus : *Illa quæ sursùm est, Jerusalem, libera est*[8]. Has portas nullus sine pretiosâ veste intrare potest: *Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino*, etc.[9]. Portæ plenæ satisfactionis et reconciliationis : *Non erat licitum indutum sacco aulam regis intrare*[10], sacco, id est, vili conversatione. Portæ istæ clausæ erant per peccatum primi hominis, et non aperiebantur usquè ad calorem solis, id est, usquè ad fervorem amoris Christi nobis in passione exhibiti; antè enim nullus intrare poterat. Per clavem enim crucis janua aperienda erat : *Dabo clavem domûs David super humerum ejus*, etc.[11]. Valdè durus est, cujus cor ad tantum calorem solis non liquefit! « O duri et obdurati filii Adam, quos « non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tàm « ingens ardor amoris, tàm vehemens amator, qui « pro vilibus sarcinulis pretiosas merces expendit[b]! » De quarto : *Tripliciter sol excurrens montes, radios igneos exsufflans*[12]. Radii ignei sunt illuminationes et operationes Spiritûs sancti à Sole æterno Jesu Christo procedentes. Utinam isti radii tangerent sensus nostros! « Mitte, Domine, radium sa« pientiæ suæ, ut expellat tenebras nostras, et ful« geat imago tua in nobis[c]. » Nota quòd dicit *exsufflans: insufflavit et dixit: Accipite Spiritum sanctum*[13]. Solis ergò calor montes exurit, dùm Christi amor Apostolos accendit : imò quotidiè urit electos per Spiritûs sancti radios, qui benè dicuntur *montes* propter meritorum altitudines. Tripliciter autem exurit, quia ter Apostolis Spiritum sanctum dedit. Vel *montes* sunt veri pœnitentes, qui tripliciter in contritione, confessione, satisfactione, exuruntur: *Non est qui se abscondat à calore ejus*, etc.[14].

✠ EJUSDEM SERMO IV.

NUM. 1. Quadruplici modo Dominus est nobiscum, scilicet, in naturâ, — 2. in Eucharistiâ, — 3. in gratiâ, — 4. in gloriâ.

Cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum[15]: Viso qualiter egrediendum sit, modò videamus qualiter Dominus nobiscum sit. Est autem nobiscum visibiliter, sacramentaliter, æternaliter. Nobiscum est in naturâ, in Eucharistiâ, in gratiâ, in gloriâ. De primo : *Ecce Virgo concipiet et pariet*, etc., usquè *Emmanuel, quod interpretatur: Nobiscum Deus*[16]: nobiscum, tamquàm socius noster, scilicet sensibiliter : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*[17]. Verè bonus socius, qui et onera socii sui in viâ portat, et divitias suas socio suo communicat. Ità Christus nobiscum fuit,

[1] *Zach.* XI, 17. — [2] *Joan.* III, 16. — [3] *Exod.* XVI, 21. — [4] *Sap.* XVI, 20. — [5] *Ezech.* XXXVI, 35. — [6] I *Cor.* XI, 29. — [7] *Nehem.* VII, 3. — [8] *Gal.* IV, 26. — [9] *Psalm.* CXVII, 19. — [10] *Esth.* IV, 2. — [11] *Isai.* XXII, 22. — [12] *Eccli.* XLIII, 4. — [13] *Joan.* XX, 22. — [14] *Psalm.* XVIII, 7. — [15] II *Paralip.* XX, 17. — [16] *Isai.* VI, 14. — [17] *Baruch.* III, 38.

[a] S. Chrysostomus. — [b] S. Bernardus. — [c] S. Augustinus.

ut onera peccatorum nostrorum portaret : *Peccata nostra ipse tulit*, etc.[1]. « Nihil sic probat amicum, « quemadmodùm oneris amici portatio[a]. » Item divitias gratiarum nobis communicavit : *Mecum communicavit de bonis*[2]. *Propter nos egenus factus est*, etc.[3]. E contrariò, dicitur de malo socio : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ*, etc.[4] : ubi ostenditur quàm periculosa sit mala societas : *Cum perverso perverteris*[5]. De secundo : *Vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem sæculi*[6]. Hoc figuratum est : *Hydria farinæ non deficit, neque lecythus olei minuetur, usquè in diem quâ daturus est Dominus pluviam super faciem terræ*[7]. In farinâ sacramentum hoc significatur ; farina enim granum est contritum. Granum est Christus : *Nisi granum frumenti*, etc.[8]. Hoc granum nobis produxit uterus virginalis : *Veritas de terrâ orta est*, etc.[9]. Attritus autem est in molâ crucis : *Attritus est propter scelera nostra*[10]. In oleo, gratia hujus sacramenti significatur. Undè benè manna habuit saporem *quasi panis oleati*[11]. Hæc autem farina non deficiet, quia hoc sacramentum nobiscum est usquè in diem pluviæ, et usquè ad consummationem sæculi. Pluvia terram germinare facit. Pluvia ergò est influentia cœlestis virtutis faciens semina corporum mortuorum pullulare per resurrectionem de terrâ. Vel stillæ pluviæ sunt animæ innumerabiles ad modum pluviæ de cœlo ad corpora sua per originem descendentes : *Dabitur pluvia semini tuo*[12] : de quo semine dicitur : *Seminatur corpus animale*, etc.[13]. Igitur etsi Dominus tecum sit sacramentaliter, tamen valdè miserabilis es, si non fuerit tecum et tu cum eo spiritualiter : « Magna ho« minis miseria est cum illo non esse sine quo non « potest esse[b]. » De tertio : *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo : si quæsieritis eum, invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos*[14]. Si quæsieritis eum benè vivendo, invenietis spiritualiter, sicut pastores corporaliter : *Invenietis infantem*, etc.[15]. Est ergò Dominus cum benè viventibus conversatione, sicut hîc ; et : *Si fuerit mecum Dominus*, etc.[16] : ubi in pane *gratia*, in vestimento *bona gratia* significatur. Item cum patientibus in tribulatione : *Cum ipso sum in tribulatione*[17]. « Bonum mihi, Domine, in tribulatione magis am« plecti te, habere te mecum in camino quàm « esse sine te in cœlo[c] : » *Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram*[18]? Item cum mœrentibus in debellatione : *Dominus mecum est quasi bellator fortis : idcircò qui persequitur me, cadet*, etc.[19]. Item cum regentibus in prælatione : *Dominus Deus tuus tecum sit, sicut fuit cum Moyse : qui contradixerit ori tuo*, etc. usquè *moriatur*[20]. Meritò morietur ; ait enim Gregorius[d] : « Qui se contra suos præpositos erigunt, profectò os« tendunt quia servi Dei esse contemnunt. » De quarto : *Ipse Deus cum ipsis erit eorum Deus, et absterget*, etc.[21]. Ibi enim erit Deus cum justis sicut lux cum vidente, dulcedo cum gustante, vita cum vivente. Ibi erit Deus cum eis in ratione, cum eis in voluntate, cum eis in memoriâ. « Ipse « rationi futurus plenitudo lucis : ipse voluntati « plenitudo pacis : ipse memoriæ continuatio æter« nitatis[e]. » De prædictis significatum est, ubi Angelus dicit ad Gedeon : *Dominus tecum, virorum fortissime*, etc.[22] : ubi quatuor signis ostenditur Dominus cum eo, scilicet in rore, in pane, in igne, in lampade. Nobiscum ergò Dominus est in assumptâ naturâ : hoc significatur in rore divinitatis descendente in vellus humanitatis. Nobiscum in Eucharistiâ : hoc significatur *in pane hordeaceo subvertente castra Madian*[23], id est, vires diaboli. Hordeaceus dicitur propter aculeos passionum Christi. Nobiscum in gratiâ : hoc significatur in igne *ascendente de petrâ*[24], id est, gratiâ Spiritûs sancti de Christo effusâ. Nobiscum in gloriâ : hoc significatur in lampade, lagenâ fractâ hostem fugante[25] ; lagena enim frangitur, dùm corpus moritur. Tunc splendore lampadis, id est, claritate sanctæ animæ evolantis diabolus confunditur.

[1] I *Petr.* II, 24. — [2] *Sap.* VIII, 9. — [3] II *Cor.* VIII, 9. — [4] *Eccli.* XIII, 1. — [5] *Psalm.* XVII, 27. — [6] *Matth.* XXVIII, 20. — [7] III *Reg.* XVII, 14. — [8] *Joan.* XII, 24 *et* 25. — [9] *Psalm.* LXXXIV, 12. — [10] *Isai.* LIII, 5. — [11] *Num.* XI, 8. — [12] *Isai.* XXX, 23. — [13] I *Cor.* XV, 44. — [14] II *Paralip.* XV, 2. — [15] *Luc.* II, 12. — [16] *Gen.* XXVIII, 20. — [17] *Psalm.* XC, 15. — [18] *Id.* LXXII, 25. — [19] *Jerem.* XX, 11. — [20] *Jos.* I, 17 *et* 18. — [21] *Apoc.* XXI, 3 *et* 4. — [22] *Judic.* VI, 12-40. — [23] *Ibid.* VII, 13 *et* 14. — [24] *Id.* VI, 21. — [25] *Id.* VII. 16-25.

[a] S. Augustinus, Sermo 10 de verbis Apostolicis. — [b] Idem. — [c] S. Bernardus. — [d] In Lib. 2 Reg., c. 23. — [e] S. Bernardus.

✠ NICOLAI DE GORRA, ORDINIS PRÆDICATORUM,

SERMO I[a].

Num. 1. Triplex auditus fuit in homine. — 2. Triplex beneficium homini à Deo exhibitum. — 3. De visitationis beneficio et de amore visitatoris.

1. *Audientes filii Israel quòd visitâsset eos Dominus, et respexisset afflictionem eorum, proni adoraverunt*[1]. Præcessit quondàm auditus culpabilis, secutus est auditus terribilis; sed ecce auditus delectabilis. Audivit enim homo vocem mulieris suggerentis culpam, et peccavit : *Pro eo quòd audisti vocem uxoris*[2]*;* in quo instruimur non audire nociva : *Sepi aures tuas*[3]. Vocem Domini redarguentis, et erubuit : *Adam, ubi es? Qui ait : Vocem tuam, Domine, audivi*, etc. [4]; in quo instruimur audire utilia : *Auditu auris audivi te*[5]. Vocem Dei liberantis, et gratias egit, sicut hìc dicitur; in quo instruimur pro beneficiis gratias agere. Ideò, religiosi, audito in Calendario illo felici rumore : *Jesus, Dei Filius, in Bethleem nascitur,* proni adorant in Capitulo.

2. Secundùm hoc in verbis propositis notantur duo : primò, rumor quem filii Israel audierunt : secundò, gratiarum actio quam exhibuerunt. Læta auditio, quia *audierunt* quòd visitâsset : devota gratiarum actio, quia *proni adoraverunt.* Circa primum notantur tria : auditus rumoris, ibi : *Audierunt filii Israel;* rumor visitationis, ibi : *quòd visitâsset eos :* amor visitatoris, ibi : *et respexisset afflictionem eorum.* Ecce triplex beneficium homini singulariter à Deo exhibitum, quia post peccatum vocavit ad pœnitentiam, ecce rumor dulcis : visitavit, assumendo naturam nostram, ecce visitatio amicabilis : respexit, indulgendo culpam, ecce visitator utilis. Non sic fecit Angelis; ideò : *Domine, quid est homo, quòd memor es ejus*, etc.[6].

3. Circa visitationem implicantur tria. Visitatoris potestas, ibi : *Dominus;* visitationis utilitas, ibi : *visitâsset;* visitatoris necessitas, ibi : *eos*, scilicet qui erant in servitute gravi. Circa amorem visitatoris notantur tria verum amorem ostendentia, scilicet juvandi voluntas in respectione, ibi : *respexisset;* ubi enim amor, ibi oculus; juvandi opportunitas in afflictione, ibi : *afflictionem;* frater enim in angustiis comprobatur; juvandi continuitas in successione, ibi : *eorum*, scilicet filiorum, scilicet, Jacob dilecti sui. Vulgariter dicitur : « Qui me amat, et canem meum, multò plùs filium. »

✠ EJUSDEM SERMO II.

Num. 1. Triplex est occasio ruinæ hominibus in hâc terrâ militantibus. — 2. Christus venit homines defendere, liberare et regere.

1. *Judæa et Jerusalem, nolite timere, neque paveatis : cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum*[7]. Sicut dicitur : *Militia est vita hominis super terram*[8]*;* militantibus autem in pugnâ triplex est occasio ruinæ, videlicet, si formidolosi, si obsessi, si acephali : formido tollit animum, ne audeant resistere, obsidio exitum, ne valeant fugere, defectus capitis regimen, ut nesciant quid facere ; sic obsessi multùm gaudent audiendo adventum principis proximum qui eos ad pugnam animet, ab hostibus liberet, ipsos præcedat et gubernet.

2. Attendens ergò Propheta ortum summi Principis imminentem, qui venit genus humanum defendere per potentiam, liberare per clementiam, regere per sapientiam, formidolosos animat ad securitatem, ibi : *Judæa et Jerusalem :* obsessos, propter propinquam liberationem, ibi : *cràs egrediemini :* acephalos, propter potentem Principem, ibi : *et Dominus erit vobiscum.* Securitatem gratificant tria, quia interiùs inerit menti, ibi : *nolite timere*, quia exteriùs inerit operi, ibi : *neque paveatis*, quia generaliter cuilibet fideli, ibi : *Judæa et Jerusalem.* Liberationem gratificant duo : liberationis propinquitas, ibi : *cràs*, scilicet, in ortu solis:

[1] *Exod.* IV, 31. — [2] *Gen.* III, 17. — [3] *Eccli.* XXVIII, 28. — [4] *Gen.* III, 9-11. — [5] *Job*, XLII, 5. — [6] *Psalm.* VIII, 5. — [7] II *Paralip.* XX, 17. — [8] *Job*, VII, 1.

[a] Ex Opere cui titulus : « Fundamentum aureum omnium anni Sermonum. » Paris. 1509. Pars 2 de Sanctis.

liberatoris magnanimitas, ibi : *egrediemini.* Principem commendant duo : potestas et humilitas : potestas, quia Dominus, ibi : *Dominus*: humilitas, quia socius, ibi : *erit vobiscum ;* undè : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terrâ*[1] ?

✠ EJUSDEM SERMO III.

Num. 1. Fidelis anima debet esse sollicita, ut serviat puero summi Regis. — 2. De servitio illi impendendo, et de ortu proximo hujus pueri.

1. *Vir Dei doceat nos quid facere debeamus de puero qui nasciturus est*[2]. Si famulus vel nutrix filii regis terreni timorosa est et sollicita ut faciat ei quod debet, quantò plus fidelis anima debet esse sollicita ut debitum impendat obsequium puero summi Regis! Ideò ne per ignorantiam erret circa ejus servitium, tria facit : petit bonum doctorem, ibi : *vir Dei :* appetit ejus doctrinam, ibi : *doceat nos :* specificat doctrinæ materiam, ibi : *quid facere debeamus?* Felix doctor, cujus virilis operatio, ibi : *vir :* utilis imitatio, ibi : *Dei.* Felix doctrina quæ et distribuitur, ibi : *doceat :* et desiderantibus tribuitur, ibi : *nos.*

2. Circa materiam doctrinæ tangit duo : servitutis debitum, ibi : *quid facere debeamus?* dominaturi ortum proximum, ibi : *de puero.* Circa servitutem facit tria : fatetur servitutis debitum, ibi : *debeamus :* implicat serviendi modum, ibi : *facere,* non sicut aliqui qui dicunt, et non faciunt : quærit opus servitii determinatum, ibi : *quid?* Circa ortum Domini notantur duo : humilitas divinitatis, ibi : *de puero :* propinquitas Nativitatis, ibi : *qui nasciturus est.* Mirabile quia natus ab æterno nasciturus est, quia Deus puer est.

✠ EJUSDEM SERMO IV.

Num. 1. Quomodò exhibendæ sint Deo gratiarum actiones? — 2. De opportunitate et integritate laudis Deo offerendæ.

1. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*[3], sicut significatum est in Libro Regum : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus et noluerimus indicare usquè mane, sceleris arguemur*[4]. Verè arguenda sunt humana silentia ubi tot dantur divina beneficia; et ideò ne tamquàm pigri et ingrati sceleris arguamur, hortatur Propheta ad debitam gratiarum actionem in verbis propositis. In quibus tria notantur laudes gratificantia, scilicet honestas, opportunitas et integritas. Honestas respicit modum operis, quod notatur ibi : *consurge,* scilicet à lecto pigritiæ, à luto luxuriæ, à solio superbiæ : opportunitas horam temporis, quod notatur ibi : *lauda in nocte :* integritas devotionem hominis, quod notatur ibi : *effunde sicut aquam cor tuum,* etc.; cùm enim quod profertur ore, versatur in corde, tunc integra est laus.

2. Circa opportunitatem hortatur tria : laudis actum, ibi : *lauda :* tempus debitum, ibi : *in nocte :* festi hujus initium, ibi : *in principio vigiliarum.* Cùm enim alia festa incipiunt à vigiliâ, illud maximè incipit à principio vigiliarum, id est, in Laudibus noctis præcedentis vigiliam : undè dicitur gallicè : *Surveille.* Devotionem quæ integrat laudem Dei gratificat quadruplex conditio affectûs. Ad hoc enim quòd sit devota laus, exigitur affectio multa : quod notatur ibi : *effunde :* munda, ibi : *sicut aquam.* Quod enim effunditur abundat; sed cor quod effunditur, sicut aqua, remanet mundum, quia de aquâ nil remanet in vase, nec color sicut de lacte, nec sapor sicut de melle, nec odor sicut de vino : intima, ibi : *cor tuum :* recta, ibi : *ante conspectum Domini.*

[1] *Psalm.* CXII, 5 *et* 6. — [2] *Judic.* XIII, 8. — [3] *Thren.* II, 19. — [4] IV *Reg.* VII, 9.

✠ EJUSDEM SERMO V.

NUM. 1. Quotuplici modo Deum nasciturum laudare debemus? — 2. De opportunitate orandi.

1. *Oportet solem prævenire ad benedictionem, et ad ortum lucis adorare*[1]. In quolibet opere debent quatuor attendi : actus, tempus, modus et fructus; et hoc, ut in actu sit bonitas, in tempore opportunitas, in modo humilitas, in fructu utilitas. Ad laudem igitur Conditoris pro beneficio suæ Nativitatis, dicit Sapientia hîc quatuor oportere. Primò ergò notatur hîc temporis opportunitas, ibi : *oportet solem prævenire :* actûs bonitas, ibi : *ad benedictionem*, dandam scilicet vel obtinendam ; et sic notatur effectus opportunitatis: modi humilitas, ibi : *adorare :* fructûs utilitas, ibi : *ad ortum lucis*.

2. Tempus respicit efficientis discretionem, actus laudis materiam, modus formam, fructus finem. Circa primum notatur quòd opportunum est petere, quandò est indigentia in petente, abundantia in dante, congruentia in tempore: quæ tria notantur hîc. Primum ibi : *oportet :* secundum ibi : *solem :* tertium ibi : *prævenire*. Præveniamus ergò Solem justitiæ qui potens est, et præsentialiter venit, ut beneficia largiatur.

✠ EJUSDEM SERMO VI.

NUM. 1. Prænuntiatur ortus Redemptoris futurus. — 2. De redemptione, et Redemptoris cognitione.

1. *Super te, Jerusalem, orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur*[2]. Adjudicatum morti vel carceri desolant duo : defectus redemptionis, et ignorantia Redemptoris, hoc est, quandò non habet in se undè redimatur, nec scit alium per quem redimatur: ideò Propheta, attendens ortum Redemptoris futurum, consolatur genus humanum carceri infernali obligatum de merito primæ transgressionis, dicens : *Super te, Jerusalem*, etc.; ubi duo promittit : sufficientem redemptionem, cùm dicit : *Super te, Jerusalem*, etc.: Redemptoris cognitionem, ibi : *Et gloria ejus in te videbitur*. Primum pertinet ad Nativitatem, secundum ad Epiphaniam.

2. Redemptionem commendant quatuor : Redemptoris sublimitas, ibi : *Dominus:* humilitas, ibi : *orietur :* utilitas ibi : *super te :* necessitas, ibi : *Jerusalem*. Felix et grata connexio, quia sublimitas sine humilitate non vellet, humilitas sine sublimitate non posset, sublimitas et humilitas sine utilitate non valeret, sublimitas, humilitas et utilitas sine necessitate non placeret, sed superflueret. Circa Redemptoris cognitionem notantur tria : gloriosa ejus præsentia, ibi : *gloria :* præsentiæ evidentia, ibi: *videbitur*, per fidem et rem à pastoribus et regibus, à Judæis et Gentibus: evidentiæ efficacia, ibi : *in te*. In primo tangitur cognitionis subjectum, in secundo medium, in tertio objectum.

✠ EJUSDEM SERMO VII.

SYNOPSIS. Timore et dilectione præparemus nos ad recipiendum Deum.

1. *Dominus propè est*[3]. Duplici de causâ recipit unus alium honorificè : ratione potestatis, ut monachus abbatem, civis principem: ratione propinquitatis, ut cognatus cognatum, frater fratrem. Ideò præmunit nos Apostolus ut simus vigiles et parati in ortu Domini, dicens : *Dominus propè est*. In quibus verbis duo notantur : nascituri potestas, ibi: *Dominus :* Nativitatis propinquitas, ibi : *propè est*.

[1] *Sap.* XVI, 28. — [2] *Isai.* LX, 2. — [3] *Philipp.* IV, 5.

In primo notatur exaltatio sublimitatis, in secundo dignatio humilitatis. Propter primum timendus, propter secundum amandus. Ergò timeamus Dominum, diligamus propinquum, propinquum dupliciter et naturâ et adventu.

✠ JACOBI DE VORAGINE, ORDINIS PRÆDICATORUM,

EPISCOPI JANUENSIS, SERMO I[a].

NUM. 1. De opportunitate temporis quo natus est Christus. — 2. Reconciliavit nos cum Deo Patre, per salutem quam nobis attulit. — 3. Sanavit nos à vulneribus peccati. — 4. Reddidit nobis jus ad hæreditatem regni cœlestis.— 5. De congruitate loci ubi natus est.

1. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* [1], supple, *in mundum*. Circa adventum Salvatoris in mundum, tria hîc determinantur: primum est temporis opportunitas, cùm dicit : *Ubi venit plenitudo temporis :* secundum est nascentis sublimitas, cùm subditur : *Misit Deus Filium suum :* tertium est loci congruitas, quod notatur in verbo subintellecto, scilicet, *in mundum*. Ista tria per ordinem similiter in lætâ annuntiatione notantur, quæ modò est lecta in Calendario. *Anno*, inquit, *Cæsaris Augusti* 42, *Hebdomadâ*, juxta Danielem Prophetam, 46; *Olympiade autem centesimâ nonagesimâ tertiâ* (ecce temporis opportunitas), *Jesus Christus, Filius Dei* (ecce nascentis sublimitas), *in Bethleem nascitur* (ecce loci congruitas). Circa primum, notandum quòd ipsa temporis opportunitas determinatur secundùm morem Romanorum, Græcorum et Judæorum. Cùm enim dicitur : *Anno Cæsaris Augusti* 42, est mos Romanorum: quod sequitur : *Hebdomadâ autem* 46, est mos Judæorum: quod subinfertur : *Olympiade autem centesimâ nonagesimâ tertiâ*, est mos Græcorum. Et his tribus respondent ista tria verba quæ sequuntur : *Jesus Christus, Filius Dei.* Nam Jesus est Hebræum, Christus est nomen Græcum, Filius Dei, Romanum. Apud Romanos autem erat imperialis potentia : apud Judæos sacerdotium et prophetia : apud Græcos verò sapientia. Per istam ergò triplicem determinationem datur intelligi quòd iste puer qui nascitur, est Rex et Imperator cœli, sicut Angelus testatur, dicens : *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* [2]; est Propheta et Sacerdos generis humani : *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* [3] *: Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum* [4]; est Sapientia Dei : *Qui factus est nobis Sapientia à Deo* [5].

2. Circa secundum, scilicet, nascentis sublimitatem, notandum quòd homo tria incommoda incurrerat : erat enim inimicus Deo, vulneratus à peccato et exclusus à regno. Contra ista tria ponuntur tria in dictâ annuntiatione, cùm dicitur : *Jesus Christus, Filius Dei.* Undè dicit Bernardus: « Ecce « Dominus venit cum salute, venit cum unguentis, « venit cum gratiâ; » neque enim sine salute *Jesus*, nec *Christus* sine unctione, neque sine gratiâ venit *Filius Dei.* Quia igitur homo inimicus erat Deo, attulit nobis salutem, quod notatur in hoc quod dicitur *Jesus*, id est, *Salvator;* ipse enim salvavit nos, cùm nos Patri reconciliavit : *Cùm enim inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* [6]. De istâ reconciliatione sic dicit Augustinus in Libro contra Hæreses in personâ Christi : « Cum esses inimicus Patri « meo, reconciliavi te per me. Cùm inter silvas et « montes et rates quæsivi te, humeris meis portavi « te, Patri meo reddidi te; laboravi, sudavi, caput « meum spinis opposui, manus meas claves objeci, « lancea latus meum aperuit, tot, non dicam, jeju- « niis et asperitatibus laceratus sum, sanguinem « meum fudi, animam meam posui, ut conjunge- « rem mihi te, et tu divideris à me! »

3. Secundum incommodum, quòd homo erat vulneratus à peccato. Contra hoc attulit unctionem, quod notatur hîc in hoc quod dicitur *Christus*, qui interpretatur *unctus : Unxit te Deus tuus* [7]. De istâ autem unctione nobis effudit, juxta illud Prophetæ : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron* [8]. Per caput intelligitur Christus, qui sine mensurâ unctione Spiritûs sancti fuit unctus : *Non ad mensuram dat Deus Spiritum* [9], scilicet, Christo. Per barbam intelliguntur Prælati, qui debent esse viriles ad vitia ulciscenda. Per vestimentum intelliguntur contem-

[1] *Galat.* IV, 4. — [2] *Luc.* I, 32 *et* 33. — [3] *Psalm.* CIX, 4. — [4] *Joan.* VI, 14. — [5] I *Cor.* I, 30. — [6] *Rom.* V, 10. — [7] *Psalm.* XLIV, 8. — [8] *Id.* CXXXII, 2. — [9] *Joan.* III, 34.

[a] Edit. Basileæ circa an. 1487, in-f°, ubi Sermo ille est num. 17 de Sanctis, et inscribitur : « In Vigiliâ Nativitatis Do- « mini Sermo primus. »

plativi, qui sunt ornamentum Ecclesiæ. Per oram vestimenti intelliguntur activi, qui sunt terrenis dediti. Unguentum ergò sacræ unctionis fluit in capite Christi per plenissimam redemptionem: indè flevit in barbam, id est, in Prælatos, ut sint flexibiles ad compassionem : *Reges Israel clementes sunt*[1] : indè in vestimentum, id est, in contemplativos, ut sint odoriferi per devotionem : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*[2] : indè in oram vestimenti, id est, in activos, ut sint unibiles per fraternam dilectionem : *Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum*, etc. [3].

4. Tertium incommodum est quòd erat exclusus à regno; ideò attulit nobis gloriam, quod notatur, cùm dicitur : *Filius Dei.* Nam, secundùm Bernardum ad Eugenium, Christus triplici jure regnum possidet, scilicet, incarnationis, redemptionis, et dono Patris. Primum jus totaliter nobis tribuit, quòd non creavit propter se, sed propter nos : *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*[4]. Secundum jus nobis tribuit, quòd non est passus propter se, sed propter nos : *Moriturus erat pro gente, et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*[5]. Tertium jus nobis communicat : fecit enim nos fratres suos, et ideò cohæredes suos : *Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*[6]?

5. Tertiò ponitur loci congruitas, cùm dicitur in lætà annuntiatione : *In Bethleem Judæ nascitur.* Circa quod notandum quòd, secundùm Bernardum, triplici morbo laborabat genus humanum, scilicet, in nativitate, vità et morte, quia nativitas erat immunda, vita laboriosa, mors periculosa. Contra primum, Christus nascitur, ut per suam nativitatem mundam nostra immunda purgaret : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es*[7]? « Redit in honorem « suum ab antiquis contagiis purgata natura : mors « morte destruitur : nativitas nativitate reparatur, « cùm simul redemptio aufert servitutem, et gene- « ratio mutat originem, et fides justificat peccato- « rem[a]. » Contra secundum, nascitur in Bethleem, quæ *interpretatur domus panis.* Quia enim vita laboriosa erat, ideò homo sæpè deficiebat; sed natus est panis, qui hominem confortat : *Ego sum panis vivus*[8] : *panis cor hominis confirmat*[9]. Contra tertium, natus est in Bethleem Judæ, quæ intrepretatur *confitens.* Quia enim mors periculosa erat, ideò homo Deum laudare non poterat : *Non mortui laudabunt te, Domine*[10]; sed per Christi nativitatem erat vivificandus, et si ad laudandum dignus fuerit, ut possit dicere cum Prophetà : *Nos qui vivimus, benedicimus Domino*[11].

✠ EJUSDEM SERMO II[b].

NUM. 1. Natus est Christus ut perditos salvaret, sanaret ægrotos, exsules reduceret. — 2. Quatuor remedia nobis præbuit contra ignorantiam, concupiscentiam, impotentiam et malitiam. — 3. Deum nascentem debemus adorare.

1. *Audierunt quòd visitàsset Dominus filios Israel, et quòd respexisset afflictionem eorum, et proni adoraverunt*[12]. In his præmissis tria notantur. Primum est nostra devota auditio, cùm dicitur : *Audierunt*, etc. Ista auditio est quam modò legi audivimus : *Jesus Christus*, *Filius Dei, in Bethleem Judæ nascitur* : natus est enim ut salvaret perditos : ideò venit Jesus portans salutem : *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ*[13], id est, in humanà carne; caro enim Christi non dicitur terra, sed medium terræ. Natura quidem nostra habuit duplicem extremitatem, unam quà fuit sub innocentià, aliam quà modò est sub miserià. Christus ergò assumpsit naturam nostram cum innocentià, et quantùm ad hoc, participavit cum primà extremitate; et assumpsit cum miserià, id est, cum pœnalitate, et quantùm ad hoc, participavit cum secundà. Secundò, natus est ut sanaret ægrotos; et ideò vocatur Christus *portans unguenta.* Fiunt enim unguenta ex speciebus aromaticis et herbis virtuosis, aliquo liquore infuso. Species aromatica est ejus divinitas pretiosa; et herba virtuosa est ejus caro incorrupta, quia, sicut dicitur in Isaià : *Omnis caro fenum*[14] : liquor infusus est ejus sanguis pretiosus. Ex his tribus confectum est unguentum, quod omnem sanat ægrotum : *Unguentarius conficiet unguenta sanitatis*[15]. Tertiò, natus est ut reduceret

[1] III *Reg.* XX, 31. — [2] *Cant.* IV, 10. — [3] *Psalm.* CXXXII, 1. — [4] *Matth.* XXV, 34. — [5] *Joan.* XI, 51 *et* 52. — [6] *Rom.* VIII, 17.— [7] *Job*, XIV, 4. — [8] *Joan.* VI, 51. — [9] *Psalm.* CIII, 15. — [10] *Id.* CXIII, 17. — [11] *Ibid.* 18. — [12] *Exod.* IV, 31. — [13] *Psalm.* LXXIII, 12. — [14] *Isai*, XL, 7. — [15] *Eccli.* XXXVIII, 7.

[a] Leo Papa. — [b] Edit. superiùs laudatà, ubi Sermo ille est num. 18 de Sanctis, et inscribitur : « De eàdem Sermo secundus. »

exsules et peregrinos; et ideò venit Filius Dei portans secum regnum : *Factus est principatus super humerum ejus* [1]. Iste principatus est dignitas regalis, quam portavit ut nos reges faceret, vel est onus peccatorum, quod portavit ut nos allevaret : *Verè languores nostros ipse tulit* [2], vel est crux, quam ipse suis humeris portavit, ut nos tamquàm ad vexillum colligeret : *Et levabit Dominus signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Judæ colliget à quatuor plagis terræ* [3].

2. Secundò, ponitur Dei viscerosa compassio, cùm dicitur : *Et respexit afflictionem eorum.* Circa quod notandum quòd, sicut dicit Beda, homini ex peccato quatuor fuerunt inflicta, scilicet, ignorantia, concupiscentia, impotentia et malitia. Sed Deus oculo compassionis respiciens, contra ista quatuor incommoda misit quatuor remedia, de quibus dicitur : *Qui factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio* [4]. Primum igitur incommodum erat ignorantia, quia per viam salutis incedere nesciebat : *Viam civitatis habitaculi non invenerunt* [5] : ideò indigebat doctore : ideò Deus factus est Sapientia, docens nos viam duplicem, unam amplectendam, et aliam fugiendam : *Lata porta et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem* [6]. Secundum incommodum erat impotentia, quia nullus bonum facere poterat, per quod justificari posset, quia, sicut dicitur in Isaià : *Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ* [7] : ideò indigebat justificatione. Propter hoc factus est nobis justitia : *Justificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum per Jesum Christum* [8]. Tertium incommodum erat malitia : habebat enim voluntatem in malo obstinatam et à diabolo ligatam : ideò indigebat redemptione; et propter hoc factus est nobis redemptio : *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum* [9]. Et dicit *inter multos*, quoniam multi dæmones conveniunt ad faciendum istam catenam. Unus ponit suggestionem, alius ducit ad delectationem, alius ad consensum, alius ad opus, alius ad consuetudinem; et ideò dicit *mecum*, quia homo sæpè juvat diabolum. Quartum incommodum est concupiscentia. Homo enim erat totus morbo infectus et malâ concupiscentiâ inflammatus : ideò indigebat sanctificatione; et propter hoc factus est nobis sanctificatio : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam* [10]. Non enim debemus habere maculam in cogitatione, nec rugam in opere, nec aliquid hujusmodi in sermone; sed debemus esse gloriosi, scilicet, in cogitatione, in sermone et opere.

3. Tertiò ponitur humilis et profunda oratio, cùm dicitur : *Et proni adoraverunt.* Sic et modò adoravimus. Quod fit triplici de causâ. Primò, ut Christum natum honorificè suscipiamus; ipse enim nos adeò honoravit quòd fecit nos sibi similes, et hoc in creatione; fecit nos fratres, et hoc in redemptione; faciet cohæredes, et hoc in glorificatione; et ideò meritò debemus ipsum honorare qui tàm multipliciter nos honoravit. Secundò, ut sibi gratias referamus. Modus referendi gratias aliquandò fit per solam vocis expressionem, aliquandò per manuum elevationem, aliquandò per genuflexionem, aliquandò per totam corporis prostrationem, sicut modò fecimus. Hoc significatum est in Genesi, ubi Abraham, auditâ nativitate futurâ Isaac, cecidit in faciem suam, et adoravit, gratias scilicet referendo [11]. Tertiò, ut nos mortales recognoscamus, ac si quilibet dicat : Ideò in terram me prosterno, quia mortalem esse me cognosco : *Pulvis et in pulverem reverteris* [12], id est, secundùm Augustinum, pulvis es, animatus cùm non eras, et in pulverem reverteris, inanimatus quòd eras.

✠ EJUSDEM SERMO III [*].

Num. 1. De devotâ Christo venienti obviatione per excessum rationis et sublimitatem contemplationis, — 2. per internam meditationem et suavem devotionem, — 3. per ecstasim amoris et gratiarum actionem. — 4. Præsentia corporalis Christi. — 5. Summam Dei dominationem recognoscamus corde, ore, corpore et munere.

1. *Cràs egrediemini, et Dominus erit vobiscum. Josaphat ergò, et Judas, et omnes habitatores Jerusalem, proni ceciderunt in terram coram Domino, et adoraverunt* [13]. In verbis præmissis tria tanguntur. Primò ponitur nostra Christo cràs Deo venienti devota obviatio, cùm dicitur : *Cràs egrediemini.* Egrediemur quidem cràs supra nos, intra nos et extra nos. Supra nos egrediemur ali-

[1] *Isai.* IX, 6. — [2] *Id.* LIII, 4. — [3] *Id.* XI, 12. — [4] I *Cor.* I, 30. — [5] *Psalm.* CVI, 4. — [6] *Matth.* VII, 13. — [7] *Isai.* LXIV, 6. — [8] *Rom.* V, 1. — [9] *Psalm.* LIV, 19. — [10] *Ephes.* V, 27. — [11] *Gen.* XVII, 1-3. — [12] *Id.* III, 19. — [13] II *Paralip.* XX, 17 *et* 18.

[*] Edit. superiùs laudatâ, ubi Sermo ille est 19 de Sanctis, et inscribitur : « De eâdem Sermo tertius. »

quandò per excessum rationis : *Vidi in excessu mentis meæ visionem*[1]: aliquandò per sublimitatem contemplationis: *Suspice cœlum, et intuere æthera, quòd altior te sit*[2]. Primo ergò, cràs egrediemini supra vos per excessum rationis, quia illud mysterium Dominicæ Nativitatis excedit nostram rationem, imò etiam Angelicum intellectum : undè Joannes ait : *Cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti*[3]. « In Incarnatione quippè, ut dicit « Gregorius, venit ad nos divinitas calceata; cal- « ceamentum autem mediante corrigià pedi adjun- « gitur : calceamentum igitur est caro Christi, « corrigia ejus anima, quâ mediante divinitas con- « juncta est carni. » In hoc quod dixit se non sufficere cognoscere medium, id est, animam, dat intelligere quòd non erat sufficiens cognoscere aliquid extremorum, scilicet nec divinitatem æternam, nec carnem de Virgine genitam. Secundò egrediemur supra nos per sublimitatem contemplationis, quia contemplationi tantæ dignationis vacare debemus : *Transivi ad contemplandam sapientiam*[4]. *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate,* etc.[5]. Et vocatur caro Christi *diadema,* quia fuit nobis causa victoriæ et coronæ: vel dicitur *diadema,* quia ex omni parte fuit clausa, nec alicui vitio vel tentationi iniquæ fuit aperta: vel dicitur *diadema,* quia sola figura circularis unâ tantùm lineâ clauditur. Caro aliorum facta fuit duabus lineis, id est, ex commixtione utriusque parentis; caro autem Christi unâ tantùm lineâ fuit figurata, quia tantùm ex carne Virginis fuit formata.

2. Secundò, cràs egrediemur, vel potiùs ingrediemur intra nos. Et iste ingressus aliquandò habet fieri per internam meditationem : in Genesi dicitur de Isaac : *Egressus fuit in agrum ad meditandum*[6]: aliquandò per suam devotionem : *De forti egressa est dulcedo*[7]. Sic et nos cràs debemus egredi per internam meditationem, quia tantum beneficium semper meditari debemus : *Mens justi meditabitur sapientiam*[8]. *Meditaberis sedens in domo tuâ, et ambulans, et dormiens, atque consurgens*[9]. Et ponitur ibi triplex situs corporis, scilicet, stare, sedere et jacere. In stando, totum corpus laborat, per quod intelligitur labor actionis. In jacendo, totum corpus quiescit, per quod intelligitur quies contemplationis. In sedendo, partim quiescit et partim laborat, per quod intelligitur vita composita ex utrâque. Vult ergò dicere quòd istud beneficium meditari debent activi, et contemplativi ét perfecti. Debemus etiam egredi sive ingredi per suavem devotionem intra nos : undè cantat Ecclesia : « Hodiè « per totum mundum facti sunt melliflui cœli[a]. » Et dicit *cœli,* pluraliter, quia factum est mellifluum cœlum materiale, quandò stellam magnam destinavit: cœlum spirituale, id est, Virgo beata quæ dulcedinem paradisi protulit: *Brevis in volatilibus est apis,* etc.[10]: cœlum rationale, id est, magi et pastores qui tantà sunt dulcedine affecti quòd illi sua regna, et isti suos greges reliquerunt : cœlum intellectuale, id est, Angeli qui tantà suavitate sunt repleti quòd cœlum reliquerunt et ad pueri cunabulum cucurrerunt: cœlum supersubstantiale seu divinum, quod deificum communiter appellatur, id est, Deus Pater, qui hodiè suam dulcedinem ad nos misit : *Dedit eis manna ad manducandum*[11].

3. Tertiò, egrediemur cràs extra nos. Et iste egressus aliquandò habet fieri per ecstasim amoris: « est autem ecstasim faciens divinus amor, non di- « mittens suî ipsorum esse amatores, sed amando- « rum[b] : » aliquandò per actionem gratiarum et laudis : *Levantes puras manus,* etc.[12]. Isto autem duplici modo cràs extra nos egredi debemus, videlicet : per ecstasim amoris ; « amor enim, sicut « dicit Dionysius, facit ecstasim in Deo, quia nobis di- « gnatur providere: in Angelo, quia nobis dignatur « ministrare : in homine imperfecto, qui per amorem « animæ videtur deficere, sicut patet in Paulo qui « dicit: *Vivo ego, jàm non ego,* etc.[13]. » Sic et hodiè per amorem egressus est Deus extra se propter nimiam humiliationem, item Angelus propter nostram exaltationem, et Virgo beata propter nostram inauditam parturitionem. Debemus etiam egredi extra nos per gratiarum actionem et laudis: quod significatum est in Libro Exodi, ubi dicitur quòd *Maria sumpsit tympanum et præcinebat dicens : Cantemus Domino,* etc.[14]. Tympanum fit de corio in ligno extenso et virgâ percusso. Per corium intelligitur Christi corpus, quod fuit album in Nativitate, rubicundum in cruce, et nigrum in morte; et fuit extensum in ligno crucis : *Extendens cœlum sicut pellem*[15]; et fuit percussum virgâ Patris : *Propter scelus populi mei percussi eum*[16]. Ex istâ percussione resonabat tinnitus piæ conquestionis in auribus Patris, amoris in auribus matris, doloris in auribus humani generis: *O vos omnes qui pertransitis,* etc.[17], et charitatis in auribus hostis, quandò dicebat : *Pater, ignosce illis*[18].

4. Secundò, ponitur præsentiæ Christi corporalis exhibitio, cùm dicitur : *Et Dominus erit vobiscum.* Dominus importat potestatem, honorem et timorem.

[1] *Act.* XI, 5. — [2] *Job,* XXXV, 5. — [3] *Joan.* I, 27. — [4] *Eccle.* II, 12. — [5] *Cant.* III, 11. — [6] *Gen.* XXIV, 63. — [7] *Judic.* XIV, 14.— [8] *Psalm.* XXXVI, 30. — [9] *Deut.* VI, 7. — [10] *Eccli.* XI, 3. — [11] *Psalm.* LXVII, 24. — [12] I *Tim.* II, 8. — [13] *Galat.* II, 20.— [14] *Exod.* XV, 20 *et* 21. — [15] *Psalm.* CIII, 2. — [16] *Isai.* LIII, 8. — [17] *Thren.* I, 12. — [18] *Luc.* XXIII, 34.

[a] Ex secundo Responsorio Officii Matutini in Nativitate Domini. — [b] Dionysius.

Hoc autem quod dicit: *Vobiscum*, è contrariò importat æqualitatem: *Non confunditur eos vocare fratres* [1]. Ille qui erat *Dominus* per honorem et reverentiam, *cràs erit vobiscum* per humilem præsentiam: *Exinanivit semetipsum*, etc. [2]. Ille qui erat *Dominus* per timorem, *cràs erit vobiscum* per amicabilem amorem: « Ama amorem « illius qui amore tui amoris descendit in uterum Virginis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublevando te, conjungendo naturam suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis [a]. »

5. Tertiò, ponitur nostra profunda humiliatio, cùm dicitur: *Ceciderunt proni in terram coram Domino, et adoraverunt.* Est autem adoratio recognoscere in Deo plenam dominationem; et ista recognitio habet fieri corde, ore, corpore et munere. Corde, quatuor modis: scilicet fide, ut in eum credamus tamquàm in summè verum: amore, ut ipsum diligamus tamquàm summè bonum: timore, ut ipsum metuamus tamquàm omnipotentem: spe, ut in ipsum speremus tamquàm misericordem. Istæ autem sunt quatuor species aromaticæ quæ ponuntur in thymiamate. Primam tamen speciem non habent hæretici sive homines vani qui plùs credunt fabulis quàm verbis divinis: secundam non habent avari qui plùs diligunt nummum quàm Deum: tertiam non habent præsumptuosi: quartam non habent desperati. Habet etiam fieri hæc recognitio ore, ut scilicet ipsum laudemus, benedicamus et adoremus. Habet etiam fieri corpore, scilicet inclinatione, genuflexione et prostratione. Habet fieri munere, ut scilicet in signum divinitatis atque dominii oblationes et primitias sibi demus.

✠ EJUSDEM SERMO IV [b].

NUM. 1. Duplex annuntiatio serpentis et Angeli: prior quatuor incommoda nobis intulit. — 2. Posterior verò quatuor remedia nobis præbuit. — 3. Gaudiosa est dies Nativitatis Dominicæ.

1. *Hæc dies boni nuntii est: si tacuerimus et noluerimus nuntiare usquè mane, sceleris arguemur* [3]. Ex his verbis habetur quòd hæc dies sit gratiosa, quia est dies boni nuntii; et est gaudiosa, quia non debemus à laude tacere. Circa primum notandum est quòd est duplex annuntiatio, scilicet serpentis et Angeli cœlestis. De primâ dicitur: *Cur præcepit vobis Deus*, etc. [4]. De secundâ dicitur: *Ecce evangelizo vobis gaudium*, etc. [5]. In primâ quatuor fuerunt, scilicet: dubietas ex parte mulieris, cùm dixit: *Ne fortè moriamur* [6], falsitas ex parte serpentis, fatuitas ex parte hominis, et severitas ex parte Dei pœnam irrogantis. Et ista quatuor fecerunt illam diem esse diem mali nuntii. Et quamvis illa quatuor tunc inchoaverunt, tamen totum genus humanum postmodùm occupaverunt, scilicet, dubietas in sperandis, falsitas in credendis, fatuitas in diligendis, et severitas in pœnis irrogandis.

2. Secunda est annuntiatio Angeli cœlestis, in quâ quatuor ponuntur, scilicet, quòd natus est nobis Salvator, natus est Christus, natus est Dominus, natus est panis, quia Bethleem in Juda; ità quòd Salvator attulit æternam salutem, Christus unctionem, Dominus legislationem, et panis suavissimam refectionem. Et ista quatuor remedia sunt contra quatuor incommoda supradicta; propter quæ hæc dies est boni nuntii. Primò igitur, in humano genere erat dubietas in sperandis: contra hoc venit nobis Salvator portans æternam salutem: *Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in eâ murus et antemurale* [7]. Multùm ergò sperare debemus, quia Salvator factus est fortitudo nostra, ex eo quòd nos defendit: murus noster igneus videtur, quia hostes consumit: *Ego ero murus in circuitu igneus* [8], et antemurale nostrum, quia ictus passionis pro nobis sustinuit. Secundò, erat severitas in pœnis irrogandis: contra illud venit Christus afferens unctionem: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* [9]. Olim Deus erat durus; sed modò est unctus, et factus est mansuetus: ideò dicitur: *Unxit te Deus, Deus tuus.* Erat iratus; et hodiè factus est lætus et reconciliatus: ideò subditur: *Oleo lætitiæ.* Erat avarus, quia vix volebat modicum gratiæ suæ elargiri; sed hodiè factus est largus: ideò subditur: *Præ consortibus tuis*; et ideò *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* [10]. Tanta est modò abundantia unguentorum, quòd ea quæ erant dura facta sunt mollia. Quatuor quidem olim erant dura et inflexibilia, scilicet: cœlum, ut aliquem reciperet, Angelus, ut scilicet hominem dili-

[1] *Hebr.* II, 11. — [2] *Philipp.* II, 7. — [3] IV *Reg.* VII, 9. — [5] *Gen.* III, 1. — [5] *Luc.* II, 10. — [6] *Gen.* III, 3. — [7] *Isai.* XXVI, 1. — [8] *Zach.* II, 5. — [9] *Psalm.* XLIV, 8. — [10] *Joan.* I, 16.

[a] Augustinus. — [b] Edit. superiùs laudatâ, ubi Sermo ille est 20 de Sanctis, et inscribitur: « De eâdem Sermo quartus. »

geret, Deus, ut hominem reconciliaret, et mors, ut omnes absorberet; sed ista sunt uncta et facta sunt flexibilia : *Inclinavit cœlos et descendit, et caligo sub pedibus ejus* [1]; factum est enim flexibile cœlum materiale, ut homines suscipiat: intellectuale, id est, Angelus, ut homines diligat: ipse Deus descendit et homines reconciliavit: *Caligo sub pedibus ejus*, quia mortem suppeditavit. Tertiò erat falsitas in credendis : contra hoc venit Dominus afferens novam legislationem : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos* [2]. Secundùm autem Dionysium, ad perfectum dominium tria requiruntur, scilicet, præeminentia, continentia, permanentia. Sed Deus non videbatur dominari in mundo, nec quantùm ad præeminentiam : *Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri* [3]; nec quantùm ad continentiam : *Domine, Deus noster, possederunt nos domini absque te* [4]; nec quantùm ad permanentiam, quia videbatur à dominio cecidisse : *Tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium* [5]. Sed hodiè ipsum dominium recuperavit : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur* : ecce præeminentia. *Et dabit Dominus illi sedem David patris sui*, etc.: ecce continentia. *Et regni ejus non erit finis* [6]: ecce permanentia. Quartò erat fatuitas et insipiditas in intelligendis : contra hoc venit panis totius suavitatis : *Panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem* [7]. Undè cantat Ecclesia, et est sumptum de Joele et Amos : *In illâ die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel* [8]. Per *lac* intelligitur Christi humanitas, per *mel* divinitas, per *dulcedinem* totus Christus, qui totus erat dulcis et suavis. Quidam autem delectantur circa ea quæ spectant ad humanitatem, isti fluunt lac: quidam circa ea quæ spectant ad ejus divinitatem, isti fluunt mel : quidam circa totum Christum, isti fluunt et distillant dulcedinem.

3. Secundò hæc dies est gaudiosa: ideò dicitur *Si tacuerimus*; non enim debemus tacere corde, sed annuntiare ore. Corde quidem non debemus tacere, sed magnam exsultationem habere : *Lætantes et psallentes in cordibus vestris* [9]: *gaudete in Domino semper*, etc.; istud enim gaudium debet esse magnum, quantùm ad impermixtionem : ideò dicitur : *Gaudete in Domino*; quantùm ad perpetuationem : ideò dicitur : *Semper*; quantùm ad intentionem : ideò dicitur : *Iterùm gaudete*; quantùm ad ostensionem: ideò dicitur : *Modestia vestra nota sit*; quantùm ad extensionem : ideò dicitur : *Omnibus hominibus* [10]. Debemus etiam annuntiare ore, verbo et signo. Verbo : *In psalterio decachordo psallam tibi* [11]. Per *psalterium decachordum* intelligimus Christum incarnatum, in quo fuerunt quinque chordæ, id est, vulnera quinque, ostendentes suam humanitatem, et quinque ostendentes suam majestatem, scilicet, Nativitas supernaturalis, gloria resurrectionis, majestas ascensionis, missio Spiritûs sancti et judiciaria potestas. Debemus etiam laudare signo, id est, corporis prostratione, ut Christo vicem rependamus qui totaliter se prostravit, et nihil sibi de se retinuit, nec proprium amorem : *Etenim Christus sibi non complacuit*, etc. [12]; nec proprium sensum : *Mea doctrina non est mea* [13]; nec propriam voluntatem retinuit : *Non mea, sed tua voluntas fiat* [14]; nec propriam operationem : *A meipso facio nihil* [15]; sed nec propriam, sed communem conversationem : *Post hoc in terrâ visus est*, etc.[16]. *Vade ergò, et tu fac similiter* [17], ut de te nihil retineas, nec amorem : *Qui amat animam suam*, etc.[18]; nec proprium sensum : *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos* [19]; nec voluntatem : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. [20]; nec propriam operationem : *Operemur bonum ad omnes* [21]; nec propriam conversationem : *Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam* [22].

✠ EJUSDEM SERMO V [a].

NUM. 1. Prævenimus hanc festivitatem, 1° quia hodiè in Laudibus inchoatur, — 2. 2° quia hodie nobis crebrò prænuntiatur, — 3. 3° Quia nobis prædicitur nostra sanctificatio et præparatio. — 4. De annuntiatione in Capitulo factâ Nativitatis Dominicæ. — 5. De prostratione quæ fit in Capitulo. — 6. De Sermone in Vigiliâ proposito.

1. *Oportet solem prævenire ad benedictionem* [23]. Ortum veri Solis crastino celebrandum hodiè dupliciter prævenimus, scilicet, in Choro et in Capitulo. In Choro autem tripliciter. Prima præventio est, quòd hæc festivitas Nativitatis Dominicæ hodiè in Laudibus inchoatur, quod est insolitum et sin-

[1] *Psalm.* XVII, 10.— [2] *Isai.* XXXIII, 22. — [3] *Id.* LXIII, 19.— [4] *Id.* XXVI, 13.— [5] *Id.* XIX, 4.— [6] *Luc.* I, 32 *et* 33.— [7] *Sap.* XVI, 20. — [8] *Joel*, III, 18 *et Amos*, IX, 13.— [9] *Ephes.* V, 19.— [10] *Philipp.* IV, 4 *et* 5. — [11] *Psalm.* CXLIII, 9. — [12] *Rom.* XV, 3. — [13] *Joan.* VII, 16.— [14] *Luc.* XXII, 42.— [15] *Joan.* VIII, 28. — [16] *Baruch.* III, 38. — [17] *Luc.* X, 37. — [18] *Joan.* XII, 25. — [19] *Rom.* XII, 16. — [20] *Matth.* XVI, 24.— [21] *Galat.* VI, 10. — [22] I *Petr.* II, 12. — [23] *Sap.* XVI, 28.

[a] Edit. superiùs laudatâ, ubi Sermo ille est 21 de Sanctis, et inscribitur : « De eâdem Sermo quintus. »

gulare; et hoc triplici de causâ. Prima est, quòd hæc festivitas incœpit à laudibus tàm Angelorum qui dixerunt : *Gloria in altissimis Deo* [1], quàm pastorum, de quibus dicitur : *Reversi sunt pastores laudantes et glorificantes Deum*, etc. [2]. Secunda est, quia omnes creaturæ ipsam laudant : undè Propheta inducit omnes creaturas ad laudandum Christi adventum, dicens : *Lætentur cœli et exsultet terra*, etc. [3]. Tertia ratio est, quia in eâ est materia et ratio omnis laudis. Omnes enim qui cantica laudis ediderunt, aut ediderunt propter immensum gaudium, ut illud : *Exsultavit cor meum in Domino* [4]; aut propter completum desiderium, ut illud : *Nunc dimittis servum tuum, Domine*, etc. [5]; aut propter receptum beneficium, ut illud : *Cantemus Domino; gloriosè enim*, etc. [6]; et sicut fuit canticum Zachariæ [7] et beatæ Mariæ [8]. Rectè igitur hæc festivitas à Laudibus inchoatur, quia hodiè venit nostrum gaudium : *Gaudete et laudate simul, deserta Jerusalem*, etc. [9]: nostrum desiderium : *Veniet desideratus cunctis Gentibus* [10], et nostrum beneficium nobis datur : *Puer natus est nobis* [11].

2. Secunda præventio est, quia festivitas crastina hodiè nobis crebrò prænuntiatur. Et facit Ecclesia ad similitudinem alicujus civitatis regem aliquem exspectantis. Venit enim unus nuntius qui dicit quòd Rex quidem venit, sed adhuc multùm longè est : et istum nuntium mittit Ecclesia in primâ Dominicâ de Adventu : *Aspiciens à longè*, etc. [a]. Sed quoniam audientes Regem longè esse, ex hoc posset dubitari, quòd nimis tardaret, et ex hoc essent in aliquo mœrore, ideò mittit secundum nuntium in secundâ Dominicâ, dicens scilicet : *Jerusalem, citò veniet salus tua : quarè mœrore consumeris?* etc. [b]. Deindè mittit tertium in tertiâ Dominicâ, qui dicit quòd jàm apparet persona Regis, dicens : *Ecce apparebit Dominus* : jàm apparet militia Regis, cùm subditur : *Et cum eo sanctorum millia* : jàm apparent vexilla Regis, cùm subditur : *Habens in vestimento et in femore suo scriptum*, etc. [c]. Tunc etiam mittit præconem ut omnes conveniant et sint parati; et hoc in quartâ Dominicâ, cùm dicit : *Canite tubâ in Sion, vocate Gentes*, etc. [d]. Quandò autem constat quòd crastino est venturus, tunc non unum, sed plures nuntios mittit. Unus dicit : *Hodiè scietis quòd veniet Dominus* [e]. Alius dicit : *Cràs egrediemini*, etc. [f]. Alius dicit : *Crastinâ die delebitur iniquitas terræ* [g]. Alius : *Cràs faciet Dominus inter vos mirabilia* [12].

3. Tertia præventio est, quia nostra sanctificatio et præparatio nobis prædicitur. Sponsa quidem debet se præparare secundùm nobilitatem sponsi, de cujus nobilitate dicitur : *Dilectus meus candidus et rubicundus : candidus*, quantùm ad carnem puram, *rubicundus*, quantùm ad animam, charitate succensus, *electus ex* [13] *millibus*, quantùm ad divinitatem veram. Sponsa igitur ut sponso assimiletur, debet assumere vestes albas puritatis, rubeas charitatis : *Byssus et purpura vestimentum ejus* [14], et varias multiplicis virtutis : *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, etc. [15].

4. Secundò prævenimus hanc festivitatem in Capitulo; et hoc tripliciter : primò, quia singulari modo pronuntiatur, cùm dicitur : « Anno Cæsaris Augusti, etc.; » et fit ibi annuntiatio in triplici linguâ, scilicet, in latinâ, hebraicâ et græcâ. Istæ enim tres linguæ laudant Christum in mundum venientem, sicut patet hìc. Laudant ipsum morientem, quia crucis titulus scriptus erat græcè, hebraicè et latinè. Laudant ipsum in cœlo regnantem, sicut patet in Missâ ubi ejus gloriam laudamus, latinè, ut patet in Epistolis, Evangeliis et Cantu, græcè, sicut in *Kyrie eleison*, et hebraicè, sicut in *Alleluia* et *Amen*.

5. Secunda præventio est, quia in terram nos prosternimus, ut de suâ visitatione sibi gratias referamus : *Audierunt quòd visitâsset Dominus filios Israel, et proni adoraverunt* [16]. Legitur in Libro Jonæ *quòd rex indutus est sacco, et sedit in cinere, et omnes servi idem fecerunt* [17]. Rex Christus sedet in cinere, quoniam indutus est carne; et ideò nos debemus sedere in cinere, et nos profundè humiliare, et sibi gratias agere, tympanum assumentes et dicentes : *Cantemus Domino*, etc. [18]. In tympano est forma sphærica, pellis extensa, et melodia. Sic in Christo fuit divinitas æterna, caro crucifixa, et anima omni jubilatione plena. Istum debemus assumere per meditationem, et sibi cantare per gratiarum actionem.

6. Tertia præventio est, quia Sermo in Vigiliâ proponitur. Dicit autem Ambrosius super *Beati immaculati* [19], quòd Sermo Dei habet illuminare, accendere et mundare : nos igitur exspectamus ortum veræ lucis, solis et ignis. Convenienter igitur Sermo proponitur, ut, quia habet illuminare, disponamur ad illuminationem lucis refulgentis : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* [20]; quia habet calefacere, disponamur ad calefactionem solis incalescentis : *Cràs erit nobis salus, cùm incaluerit sol* [21]; quia habet mundare, disponamur ad purificationem ignis consumentis et purgantis : *Ipse enim quasi ignis conflans* [22].

[1] *Luc.* II, 14. — [2] *Ibid.* 20. — [3] *Psalm.* XCV, 11. — [4] I *Reg.* II, 1. — [5] *Luc.* II, 29. — [6] *Exod.* XV, 1. — [7] *Luc.* I, 68-79. — [8] *Ibid.* 46-55. — [9] *Isai.* LII, 9. — [10] *Aggæ* II, 8. — [11] *Isai.* IX, 6. — [12] *Josue*, III, 5. — [13] *Cant.* V, 10. — [14] *Prov.* XXXI, 22. — [15] *Psalm.* XLIV, 10. — [16] *Exod.* IV, 31. — [17] *Jon.* III, 6 *et* 5. — [18] *Exod.* XV, 21. — [19] *Psalm.* CXVIII, 1. — [20] *Isai.* IX, 2. — [21] I *Reg.* XI, 9. — [22] *Malach.* III, 2.

[a] Primum Responsorium Officii matutini. — [b] Item. — [c] Item. — [d] Item. — [e] Invitatorium Officii matutini in Vigiliâ Nativitatis Domini. — [f] Ex secundo Responsorio ejusdem Officii. — [g] Ibidem, ex tertio Responsorio

✠ APPENDIX EXEGETICA AC THEOLOGICA

AD EXPOSITIONEM

EVANGELII VIGILIÆ NATIVITATIS DOMINI

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS SUPRA TRADITAM.

§ I.

Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν : *Christi autem generatio sic erat.*

Num. 1. Juxta Patritium, verba ista, si de græco exemplari ageretur, contexta esse deberent cum priore narratione, et non cum posteriore; — 2. Attamen, *inquit*, ad sequentia pertinent, siquidem in translationibus non connectuntur particulâ γάρ cum præcedentibus. — 3. Aliundè, *subjungit*, si ad præcedentia pertinerent, essent repetitio horum verborum : *Liber generationis Jesu Christi* (quod non potest admitti); et legendum esset γένεσις pro γέννησις, cui tamen Patres omnes omnesque græci Codices suffragantur. — 4. Tandem nulla ratio erat cur particula γάρ retineretur; erat verò cur tolleretur. — 5. Nobis autem videtur quòd græcum exemplare ipsum innuit verba suprà dicta contexta esse debere cum posteriore narratione.

1. Censent ista verba non cum prioribus, quorum quamdam veluti clausulam continerent, sed cum posterioribus contexta esse, atque ideò in hoc loco ponenda, inter Græcos, Chrysostomus, Theodotus et Theophilactus; inter Latinos, Augustinus, Petrus Chrysologus et Beda. Secùs existimat Remigius Antissiodorensis, qui ista verba ad superiorem narrationem refert : quod etiam sensit Hieronymus (vide ad hunc locum hos Auctores). Quid autem? Juxta Franc. Xaverium Patritium, hæc verba, si de Græco exemplari agitur, non de posterioribus, sed de prioribus sunt dicta, et prioribus tamquàm clausula adjuncta, perque ea significatur Christi *generationem*, hoc est, genealogiam, *sic* esse, ut priùs narratum est. Etenim, si verba : *Christi autem generatio sic erat*, de posterioribus dicta essent, quoddam veluti exordium forent narrationis, quâ *hujus generationis* modum aperire Matthæus aggreditur, illudque οὕτως, *sic*, ad posteriora referendum esset : proindè particula γάρ, *enim*, initio insequentis narrationis posita, cùm semper indicet rationem reddendam eorum quæ priùs dicta sunt, supervacuò et absque ullo sensu usurparetur; nihil enim esset in verbis : *Christi autem generatio sic erat*, cujus rationem reddere oporteat. At, si verba illa ad priora spectent, istud γάρ, *enim*, nequit abesse, cùm Matthæus reverà rationem jàm reddat, modumque explicet ejus quod proximè dixit, *generationem* seu genealogiam Christi *sic* fuisse, uti narraverat, perductam ab ipso gentis auctore Abrahamo ad Mariam usquè, *de quâ natus est Jesus* sine Josephi operâ.

2. Secùs tamen existimandum est de translationibus hujus loci. Nulla namque harum voculam illam γάρ versam exhibet. Ergò, nisi illa : *Christi autem generatio sic erat*, ad ea pertinerent quæ sequuntur, hæc insequentia, contrà ac Scriptores Novi Testamenti constanter facere solent, nullâ particulâ cum superioribus connecterentur, avulsaque veluti ab illis omninò forent. Enimverò Chrysostomus (et Theophilactus) qui γάρ omiserunt, censent, ut jàm suprà diximus, verba de quibus agimus, non cum priore, sed cum posteriore narratione contexta esse. Neque animadvertere omittam in exemplaribus Evangelii syriacis, æquè ac in æthiopicis, in arabicis, et in persicis, quæ in plures περικοπάς, *periodos*, distincta sunt, alteram περικοπήν his verbis inchoari.

3. Hinc facile est intelligere an in græco legere oporteat γέννησις, ut vulgò legitur, an γένεσις, secundùm Griesbachii [a] emendationem. Si enim illud : *Christi autem generatio sic erat*, est clausula totius genealogiæ, nemo non videt hæc gemina esse eorum quibus genealogiam Matthæus exorditur : Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Liber generationis Jesu Christi;* ideòque γένεσις legendum, non γέννησις. Quòd si, non priorum clausulam, sed posteriorum exordium illis verbis haberi putes, ut ipse Griesbachius, quod mireris, nullâ particulæ γάρ habitâ ratione, putavit, fatear equidem me

[a] Nov. Testam. ed. secundâ, Lond. 179 -1806.

nescire quænam tanti momenti auctoritas eum impulerit, ut in γένεσις mutaverit illud γέννησις, cui, ut testis est Millius, Patres omnes, omnesque quos hic pervolvit, græci Codices suffragantur.

4. Utrùm autem sequi præstet græcos Codices retentâ particulâ γάρ, an hâc omissâ, latinos, syriacos, etc., ac verba de quibus quærimus, jungere eis quæ sequuntur, facilè apparet. Neque enim erat cur Matthæus illud absolutâ *genealogiâ* annotaret, quòd hæc, inquam, sic fuerit, sicut eam ipse retulit; erat verò cur affirmaret illud quod mox ostensurus erat, quòd Christi γέννησις sic facta sit, ut proximè dixerat, nec à Josepho [a] ille fuerit genitus, sed ex Mariâ solummodò natus. (Huc usquè Franc. Xav. Patritius, Lib. 3 de Evangeliis, Dissert. 15, c. 1. Friburgi Brisgoviæ, 1853.)

5. Autumamus, ut doctissimus Patritius, quòd verba ista : *Christi autem generatio sic erat*, cum posteriore narratione connecti debent : sed insuper putamus quòd à græco exemplari ipso innuitur iste connexus. Enimverò hæc ibi legimus : Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν· μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρός κ.λ.τ. Porrò τὸ δέ disjunctionem indicat : nova propositio enuntiatur; et τὸ γάρ ostendit hanc propositionem in sequentibus fore evolvendam : quod reverà facit Matthæus ex versu 18 usquè ad versum 25.

§ II.

Cur Matthæus ac Lucas, siquidem Christi prosapiam nobis tradere voluerunt, non ad Mariam virginem usquè, ex quâ Christus ἀπάτωρ, *sine patre*, ortus est, sed ad Josephum Mariæ virum, qui nihil contulerat ad Christi procreationem, suas genealogias perduxerunt?

Num. 1. Refellitur causa à Chrysostomo allata. — 2. Item est de causâ à Jansenio Gandavensi datâ. — 3. Cùm mos esset Judæis patrum legalium stemma describere, à fortiori ab Evangelistis qui Christi genus enarrabant, enumeranda esset prosapia Josephi, qui longè veriùs Christi pater dici potuit, quàm si hujus pater legalis fuisset. Aliundè, recensendo Josephi majores, quorum ferè omnes ad Mariam etiam pertinebant, eo ipso Mariæ majores recensebant Evangelistæ; et ità agendo, servabant præthereà morem aliorum Scriptorum sacrorum.

1. Apud Joannem Chrysostomum, Hom. 3 in Matth., § 1, hanc legimus causam ob quam Evangelistæ solummodò ad Josephum virum Mariæ suas genealogias perduxerint : « Nolebat (Deus) Judæis « notum esse ipso partûs tempore ex Virgine nasci « Christum.... Si enim hæc Judæi ab initio audîssent, malignè rem interpretantes, Virginem lapidâssent, atque ut adulteram damnâssent.... Si « namque post tot signa illum adhuc Josephi filium « appellabant, quomodò ante illa signa ipsum ex « Virgine natum credidissent? » Enimverò, quid sibi hæc velint, fatear equidem, non planè video. Nonne enim secundùm ipsam genealogiam arcanum illud continuò proditur à Matthæo [1]? Nonne illud Lucas jàm prodiderat, antequàm genealogiam describeret [2]? Tùm quomodò, quæso, hæ genealogiæ, utpotè non ad Mariam, sed ad Josephum usquè perductæ, conducere ad id poterant, ut ea res Judæos, *ipso partûs tempore* et *ante illa signa* à Christo patrata, lateret, cùm neutra duarum ante eum annum qui tertius erat à morte Christi in lucem prodierit? Enimverò in id mirè consentiunt Scriptores vetustiores, quòd omnes ad unum affirmant, Matthæum primò, tùm Marcum, deindè Lucam, postremò Joannem suum Evangelium scripsisse. Porrò suum exaravit Matthæus non citiùs, inquam, anno tertio à morte Christi (qui fuit æræ vulgaris XXXII), quia, cùm hujusmodi scripta non priùs Ecclesiæ necessaria cœperint esse, quàm vivâ Apostolorum voce hæc destitueretur, scriptaque illa Apostolorum ipsorum vicem supplerent, minùs verisimile fit primis ipsis rei Christianæ diebus eos scribere cœpisse, eo, inquam, tempore, quo de primâ ipsâ Ecclesiæ universæ constitutione solliciti erant. Tùm in ipso Evangelio Matthæi quædam legentibus occurrunt, quæ credere suadent non exiguum admodùm tempus interjectum inter obitum Christi atque inter hujus Libri editionem [3]. Cæterùm illam causam Chrysostomi Salmeron, Comment. in Evangelic. hist., Tom. 3, Tract. 28, p. 213, plenissimè refellit.

2. Jansenius Gandavensis autumat sic egisse Evangelistas, quia « alioqui...... infideles mysterium « Virginei partûs ignorantes, qui Joseph putabant

[1] *Matth.* I, 18-25. — [2] *Luc.* I, 26-38. — [3] *Matth.* XXVII, 8 *et* XXVIII, 15.

[a] Protulimus vocem *Joseph* cum casu qualicumque; attamen lector in hâc Appendice vocem hanc aliquotiès reperiet non declinatam : ratio est quòd scrupulosè servavimus modum scribendi Auctorum qui non semper verbum *Joseph* protulerunt cum casu.

« esse naturalem patrem Jesu, non credidissent « filium Mariæ esse ex semine David, quia apud Ju« dæos non reputabatur aliquis esse ex aliquo « semine, nisi ratione patris sui (Comment. in Concord., c. 6). » Sed, sodes, quî fieri potuit, ut, qui Evangelia legebant, ignorarent *mysterium Virginei partûs*, quod in Evangeliis ipsis disertè relatum est? Si autem hoc mysterium noverant, intelligebant quoque Christo nullum aliud genus esse potuisse, nisi quod ex matre habebat; genus autem ejus à Davide repetendum esse, si Davide Christi mater exorta erat. Quarè genealogiis à Davide ad Mariam usque perductis minimè id fieri poterat, quod ait Jansenius. Falsò autem utrumque ponitur, tùm Evangelium sive Matthæi sive Lucæ *infidelibus* scriptum esse (nam leviora non sunt quæ probant opus Matthæi priscis illis Christianis genere Judæis ex Palæstinà, imò ipsi Ecclesiæ Jerosolymitanæ fuisse destinatum, et aliundè patet Lucæ Evangelium Theophilo scriptum fuisse [1]), tùm horum interfuisse magis doceri Christi genus à Davide, quàm nativitatem ex Virgine.

3. Ego verò hanc rei, de quà quærimus, causam esse putarem. Cùm Judæis, qui uni legales γενεάς agnoscebant, mos fuit, eorum quibus patres legales erant, stemma describere recensitis ipsorum patrum legalium majoribus, ut hæ ipsæ genealogiæ comprobant, nonne multò meliore cum ratione factum est, ut Christi genus Evangelistæ enarrarent enumerando prosapiam Josephi, qui longè veriùs Christi pater dici potuit, quàm si hujus pater legalis fuisset, utpotè cui se vivo, ex ipsà suà solius uxore, in ipso conjugio, et absque alius viri operâ, Christus ortus est? Idque eo sanè magis quòd Evangelistarum consilium haud esset universos Christi majores ad unum referre atque enumerare, quod vel ex ipsà unà genealogià à Matthæo descriptà manifestè colligimus, sed Christi genus quod à Davide habuit, memoriæ prodere, atque ostendere quòd oracula quæ huc spectarent, impleta fuerint; idque non argumenta ἀποδεικτικά, *demonstrativa*, depromendo atque urgendo dialecticorum more, sed rem, ut ea se habebat, simpliciter referendo. Cùm itaque illud se consequi posse animadverterent recensitis Josephi majoribus, quorum ferè omnes pertinuisse etiam ad Mariam compertum vulgò esse noverant, nil sibi satis causæ esse putàrunt cur recederent à more aliorum Scriptorum sacrorum, qui, ut cæteri omnes, in alicujus genealogià describendà paternos ejus majores, non verò maternos, recensent. Atque ad id redigitur illa Patrum (et Scriptorum ecclesiasticorum) responsio, quà huic quæstioni faciebant satis, cùm aiebant « non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus (genealogiis) ordo texatur. » Sic Hieronymus, p. 49, n. 1. Ità quoque Beda, Paschasius Radbertus, Christianus Druthmarus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, Anselmus Laudunensis, in loco ubi exponunt rationes propter quas de desponsatà nasci voluit Christus. (Ex eodem PATRITIO, Lib. 3, Dissert. 9, Part. 3, et Lib. 1, c. 1, Quæst. 3 et 4, et c. 3, Quæst. 3.)

---

§ III.

Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσήφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ Πνεύματος ἁγίου : *Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Quid significant hæ voces? Significant et indicant 1° Sponsalia B. Mariæ cum B. Josepho : 2° Conceptionem Jesu Christi de Spiritu sancto post ista sponsalia et ante nuptias. Undè, ut materia planè tractetur, disseremus 1° de B. Mariæ Sponsalibus cum B. Josepho; ideòque, et priùs de Sponsà apud Judæos : 2° de Matrimonio B. Mariæ cum B. Josepho : 3° de Conceptione Christi quoad materiam de quà corpus ejus conceptum est, et quoad activum principium : 4° de Virginitate B. Mariæ in hâc Conceptione : 5° de causis cur Christus ex virgine desponsatà nasci voluerit. Deniquè exegesim nostri Evangelii continuabimus, disserendo quoque 1° de appellatione *justi* Josepho factâ : 2° de ipsius consilio : 3° de Angelo ad illum legato; et 4° tandem de Angeli verbis. Quæ ut perquàm elucidentur, statuantur Articuli sequentes.

[1] *Luc.* I, 8.

ARTICULUS I.

DE SPONSA APUD JUDÆOS.

Num. 1. In quâ conditione erat sponsa apud Judæos? An habitabat in domo sponsi? — 2. An saltem sub custodiâ ejus erat? — 3. Tandem licebatne sponsis simul congredi, saltem tempore de quo agitur? — 4, 5 et 6. Conclusio.

1. Si legeris quod Patres dixerint de conditione sponsæ apud Judæos, miraberis de diversitate eorum sententiarum. Juxta Chrysostomum, habitabat sponsa cum sponso. Sic enim loquitur, p. 30, n. 1, his verbis : *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto :* « Non dixit « (Matthæus) : Antequàm duceretur in domum « sponsi : intùs enim jàm erat. Nam mos priscis erat « sponsas, ut plurimùm, domi tenere : imò etiam « nunc id videre est; et Lothi generi cum ipso ha- « bitabant : habitabat ergò et ipsa (Maria) cum Jo- « sepho. » Ità etiam Auctor Operis imperfecti in Matthæum, p. 40, initio col. 2, et S. Bonaventura, p. 87, n. 1. Deniquè idem supponit Guilielmus Parisiensis, dicens, p. 78, ad finem col. 1 : « Joseph, « tamquàm homo justus, volens cavere offensam « Dei,.... nolebat eam (Mariam) secum retinere, « ne, si res mala esset, videretur conscius esse « peccati. » E contrà Anselmus Laudunensis dicit, p. 69, ad finem col. 1, hæc verba : *Antequàm convenirent*, posse hanc habere significationem : « Antequàm communi cohabitatione convenirent. » Quod manifestè supponit quòd autumaret ille Mariam et Josephum non in eàdem domo habitare. Cæterùm illud clarè affirmat S. Bruno Astensis, cùm dicit, p. 71, ad medium num. 2 : « Quid est : *Ante-* « *quàm convenirent?* (Id est), Antequàm simul in « unâ domo habitarent : nondùm enim convene- « rant, (id est), nondùm simul habitabant : ille in « suâ, et illa adhuc in suâ domo manebant. » Ità Jacobus de Vitriaco, dicens, p. 74, n. 4 : « *Cùm Maria* « *desponsata esset Joseph*, sed nondùm in domum « ejus traducta ad cohabitandum...... » Ità etiam Hugo de Sancto Caro, dicens, p. 80, n. 3 : « *Joseph...* « *cùm nollet eam* (Mariam) *traducere*, id est, in « domum suam ducere..... ». Cæterùm, suprà, n. 2, dixerat : « *Antequàm convenirent*, communi co- « habitatione. » Ità tandem S. Thomas Aquinas, p. 83, initio col. 1, et B. Albertus Magnus, p. 92, col. 2, ad finem num. 10, qui subdit hæc esse dicta sanctorum Patrum.

2. Eratne sponsa sub custodiâ sponsi? Evidenter illud supponunt, qui dicunt eam habitare cum sponso. Qui contrariam tenent sententiam, alii negant, alii affirmant. Sic Druthmarus, p. 63, n. 2 : « Erat usus in illà gente (Hebræorum), ut, qui « uxorem debebat accipere, ad templum eam de- « sponsaret; et posteà, si dives esset, haberet mis- « sos suos cum eâ; aut si pauper, ipse custodiret « simul cum patre et matre (sine dubio *sponsæ*), « usquè ad præfinitum tempus (nuptiarum). » Ità Jacobus de Vitriaco, p. 74, col. 2 : « *Cùm Maria* « *desponsata esset Joseph*, inquit, commisit eam « Joseph aliquanto tempore parentibus ejus ad « custodiendam ; post desponsationem siquidem « virgines in custodiâ sponsorum erant, licèt eas « nondùm traduxissent. » Ità etiam Hugo de Sancto Caro, p. 80, n. 1. E contrà S. Thomas Aquinas, p. 83, initio col. 1, dicit quòd tempore desponsationis « sponsa non erat sub custodiâ viri. »

3. Licebatne sponsis simul congredi? Illud supponere videtur S. Bruno Astensis, cùm, p. 71, ad finem col. 1, his verbis : *Inventa est* (Maria) *in utero habens Spiritu sancto*, dicit : « Nemo tamen eam in « aliquo suspectam habebat, quoniam desponsatam « esse sciebant. » Anselmus autem Laudunensis, p. 69, ad finem num. 1, verba omninò expressa habet : ait enim quòd « liceret (sponso) etiam desponsationis « tempore (cognoscere sponsam). » Tandem S. Thomas Aquinas, p. 83, initio col. 1, his verbis : *Antequàm convenirent*, sic loquitur : « Non est ità intel- « ligendum quòd posteà realiter convenerint,... sed « quia ex hoc ipso quòd sibi (Josepho) desponsata « erat (Maria), secundùm communem opinionem, « licebat eis aliquandò convenire, quamvis num- « quàm convenerint. » De hoc omnes alii tacent.

4. Quid autem in re tàm gravi et circa tot sententias judicandum est? Hæc legimus apud Philonem, Libro de specialibus legibus, p. 788, Francof. 1691 : « Sponsalia tantùmdem valent, quantùm nuptiæ, « quandò in solenni amicorum conventu mariti uxo- « risque nomina inscribuntur tabulis, » atque adeò, post sponsalia ritè facta, sponsus et sponsa *statim* sicuti vir et uxor, uno verbo, sicuti conjuges habebantur, *etiam ante sponsæ deductionem in domum sponsi, nedùm ante congressum* (Talmud Jeros., Tract. Pea, c. 6, fol. 19, col. 3; Maiemonid., Iad chazaka, Lib. 4, hal. Ischut., c. 1, § 3; apud Selden., Uxor hebr., Lib. 2, c. 1, p. 130, et apud Lightfoot, Horæ hebr. in Matth. c. 1, ℣ 19). Id etiam Scripturæ sacræ probant, in quibus nomina *vir* [1] et *uxor* [2] pro *sponso* et *sponsâ* usurpantur; et confirmant SS. Patres et etiam profani scriptores. Et primò SS. Patres. Sic Chrysostomus, p. 32, ad finem

[1] *Deut.* XXII, 23 *et Joel.* I, 8. — [2] *Gen.* XXIX, 21 *et Deut.* XXII, 24.

num. 7 : « Conjugem (Matthæus) sponsam vocat, « quemadmodùm et generos vocare solet Scriptura « sponsos ante nuptias. » Ità quoque Hieronymus, p. 50, ad notam *c* : « Recordare, *inquit*, consuetu- « dinis Scripturarum, quòd sponsi viri et sponsæ vo- « centur uxores. » Secundò scriptores profani. Apud Xenophontem, Lib. 4 Historiarum græc., p. 508 D, edit. Amelburni, puella Spithridatæ Persæ, filia Cotyi, Paphlagonum regi nondùm desponsa, sed despondenda, et νύμφη, *sponsa*, et γυνή, *uxor*, intra eamdem periodum vocatur. Apud Sophoclem, Ismene, ℣℣. 578, 664 et 669, γυνή, *uxor* dicitur, quæ solùm *sponsa* erat. Atqui, ex eo quòd dicitur, post sponsalia ritè facta, sponsum et sponsam *statim* sicuti conjuges haberi, *etiam ante sponsæ deductionem in domum sponsi*, *nedùm ante congressum*, nonne insinuari videtur sponsam, ante nuptias, saltem aliquotiès, et tempore plùs vel minùs desponsationis proximo, in domum sponsi deduci, et simul congredi : undè Patres laudati qui dicunt sponsam cum sponso habitare, forsan à veritate non discedunt. De cætero, attende quàm hæc dicta conformia sint verbis Chrysostomi, qui dicit : « Mos « *priscis* erat sponsas, *ut plurimùm* (ideò *non sem-* « *per*), domi tenere. » Sed hæc dicta sint *de temporibus antiquis*, *de more priscorum*, ut loquitur Chrysostomus : nam hujus Doctoris sententiam relinquimus hanc ultimam : « Imò etiam *nunc* id « videre est; et Lothi generi cum ipso habitabant : « habitabat ergò et ipsa (Maria) cum Josepho. » Et primò quidem « generos Lothi, quorum Chrysosto- « mus utitur exemplo, Scriptura docet, ut ait Maldo- « natus, p. 5, initio col. 1, in domo Lothi non habi- « tare [1]. » Secundò, hæc legimus apud Lucam : *Mansit autem Maria cum illâ* (Elisabeth) *quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam* [2]. Attende hæc verba : *In domum suam. In domum suam*, ergò non in domum sponsi : ergò, saltem tempore de quo agitur, jàm non erat mos apud Judæos sponsam habitare in domo sponsi. Certè lectorem non fugit explicatio Suarezii. « Illud : *Reversa* « *est in domum suam*, tantùm significat, *inquit*, « Tom. 2, Quæst. 29, Disput. 7, Sect. 2, edit. « Lugduni, 1594, (Mariam) rediisse in propriam do- « mum in quâ habitabat, quæ non dicitur *sua*, quia « ipsa sola, separata à Josepho, in eâ habitaret (hoc « enim nec fundamentum habet, nec est proprietas « verbi); sed dicitur *sua*, ut distinguatur ab alienâ, « sive fuerit paterna domus, sive domus sponsi, seu « utrique communis, in quâ ambo habitabant; sicut « paulò inferiùs dicuntur Maria et Joseph rediisse « *in civitatem suam* [3], scilicet in quâ habebant « proprium domicilium. » Sed quis unquàm affingeret voci *suam* sensum quem ei affingit Suarezius? Quis unquàm crederet quòd *domus sua* significare posset *domum sponsi?* Et quis non videt differentiam quæ exsistit inter hæc verba : *In domum suam*, et illa : *In civitatem suam?* Tertiò tandem, en nunc evangelium de Nativitate Mariæ : sine dubio protevangelium est : attamen, cùm clarissimi et doctissimi viri, v. g. Patritius, Opere cit., Dissert. 15, c. 2, n. 20, suffragio ejus usi sunt ut probarent sententiam de quâ agitur, quamdam, ut minimùm, meretur fidem. Atqui hæc etiam leguntur in isto evangelio, c. 8, 9 et 10 : « Nuptiarum jure (hoc est, « sponsalibus) de more celebrato, ipse quidem *Jo-* « *seph* in Bethleem recedit civitatem, domum suam « dispositurus, et nuptiis necessaria procuraturus. « Virgo autem Domini Maria.... ad domum paren- « tum suorum in Galilæam reversa est. *His* verò *die-* « *bus*, *primo* scilicet adventûs sui in Galilæam *tem-* « *pore*, missus est ad eam Angelus Gabriel à Deo, « qui ei conceptum Dominicum narraret, etc..... « Joseph igitur à Judæâ in Galilæam veniens, de- « sponsatam sibi Virginem uxorem ducere inten- « debat; *jàm* namque *tres fluxerant menses*, et « *quartus* instabat ex eo tempore quo sibi despon- « sata fuerat. » Porrò, testimoniis Lucæ et evangelii de Nativitate Mariæ adjunge testimonia Patrum : qui tenent Mariam cum Josepho, tempore desponsationis, non habitare, cùm sint numero et forsan auctoritate majores quàm qui tenent sententiam contrariam, concludendum erit, ut putamus, in gratiam sententiæ quæ negat cohabitationem Mariæ et Josephi tempore desponsationis eorum.

5. An autem sub custodiâ sponsi sponsa erat? Existimamus, ut Patres suprà citati, p. 214, n. 2, 1° sponsam, quamdiù non habitabat cum sponso, sub custodiâ parentum suorum esse; hoc enim ratione quâdam honestatis et pudoris præcipi videbatur : 2° et etiam sub custodiâ sponsi, qui eam adibat « frequenti visitatione, ut loquuntur Anselmus Lau- « dunensis, p. 69, n. 1, et Hugo de sancto Caro, « p. 80, n. 1, donec solennia nuptiarum celebra- « rentur. »

6. Tandem licebatne sponsis simul congredi? Oportet etiam distinguere, ut credimus, inter tempora antiqua, et tempora quibus vivebant Maria et Josephus. Temporibus antiquis, congressus maritalis, habitus ante nuptias, lege Mosaicâ non vetabatur; dùmque vir qui alicujus sponsam violaverat, adulter haberetur, ac simili pœnâ mulctaretur [4], è contrà, qui suam sibi sponsam ante nuptias cognovisset, non ideò eam stupràsse censebatur : ratio erat, quia ipsis sponsalibus, ut diximus, vir et mulier conjuges fiebant. Temporibus recentioribus, licèt congressus maritalis, ante nuptias habitus, stuprum quoque non esse putaretur, ac proindè congre-

[1] *Gen.* XIX, 14. — [2] *Luc.* I, 56. — [3] *Id.* II, 39. — [4] *Deut.* XXII, 24.

dientes minimè honore periclitarentur, tamen vetitus fuit institutis patriis, etiam indictâ pœnâ (Selden., Opere citato, c. 1, 2 et 3, et Maiemonid., Iad chazaka, c. 10, § 1). Igitur temporibus quibus vivebant Maria et Josephus, non jàm poterant Judæi ante nuptias cum sponsâ concumbere; ideòque in errorem incidisse videntur Anselmus et S. Thomas, ille dicendo *generaliter* congressum maritalem ante nuptias licitum esse, hic dicendo istum congressum *aliquandò tantùm* esse licitum.

ARTICULUS II.

DE SPONSALIBUS B. MARIÆ CUM B. JOSEPHO.

NUM. 1. Quandò intercesserunt? Quâ ætate erant B. Virgo, — 2. Et S. Joseph, quandò simul desponsati sunt? — 3. Evertitur sententia quæ facit Josephum octogenarium.

1. Statim post exitum de templo, in quo manserat à tertio ætatis anno, id est, à die Præsentationis ejus, ut dicimus ad calcem hujus festi, die 21 Novembris, B. Virgo tradita fuit Josepho, nomine desponsationis; et ex hypothesi quòd parentes ejus adhuc viverent, quod affirmat protevangelium suprà citatum, et supponit Jacobus de Vitriaco, cùm dicit, p. 74, ad finem num. 4 : « Sciebat (Josephus) quòd..... eam (Mariam) tàm per « seipsum, quàm per religiosos parentes ejus servaverat, » nihilominùs desponsata esset Josepho, paulò postquàm egressa fuisset de templo. Quâ ergò erat ætate? Secundùm Joannem Annium, B. Virgo peperit Christum ante expletos 14 annos; juxta autem Evodium, ut refert Nicephorus, Lib. 2 Histor., c. 3, Gregorium Nyssenum, Damascenum et alios, peperit, agens 15 annos : tandem Cajetanus probabile credit Virginem fuisse 24 annorum, et certum putat, ut minimùm, habuisse 19 annos, quandò illum peperit : atqui quarto mense à desponsatione suâ, ex evangelio suprà laudato de Nativitate Mariæ, Angelicum nuntium habuit, ideòque filium concepit : ergò subtrahendo unum annum et unum mensem, id est, quatuor menses desponsationis et novem menses graviditatis, habebimus ætatem in quâ cum B. Josepho desponsata est. Sed, dicet quis, ætas ista diversa est secundùm opinionum diversitatem : cui ergò istarum sententiarum standum est? Suarezius dicit, Quæst. 29, Disput. 7, Sect. 3, secundam sententiam esse communem probabilioremque, et ex recentioribus sequi illam Abulensem in Matth. 2, Quæst. 101, Joannem Lucidum, Tractatu de vero die passionis Christi, et alios qui Annales vel Chronologias scripserunt.

2. De ætate Josephi fuit sententia Epiphanii, Hæres. 78, eum fuisse, ut minimùm, octogenarium, quandò Virginem duxit (vide Marianam, p. 3, col. 1). Hanc sequuntur sententiam Nicephorus, Lib. 1 Hist., c. 7, Abulensis in c. 7 Isai et alibi, Joannes Gersonius, Sermone de nativitate Mariæ, consideratione 3, Viguerius in Institutionibus, c. 2, § 9, Cedrenus in Compendio historiæ. Sed « certum videtur, *ait* Suarezius, loco citato, Joseph non fuisse « octogenarium, et verisimilius est non fuisse senem : « quâ verò ætate fuerit, juvenisne, vel vir triginta « quadragintave annorum, definiri non potest, « cùm ex historiis nihil habeamus. Solum ergò dici « potest aptissimæ fuisse convenientissimæque ætatis ; hoc enim ad Spiritûs sancti providentiam « spectabat. Undè potiùs verisimile est fuisse maturæ ætatis quàm juvenilis, quia (ut Sancti et « Historiæ referunt) B. Virgo illi data est magno « consilio et providentiâ sacerdotum, potiùs ut illius « virginitatem custodiret quàm ut violaret; et ideò « verisimile est quæsivisse virum maturæ ætatis, « prudentiæ ac virtutis. »

3. At dicunt : Sententiæ quæ facit Josephum octogenarium favet antiqua pictura, quæ non contemnendam auctoritatem habet. Prætereà B. Joseph mortuus est ferè duodecimo anno ætatis Christi : ergò verisimile est eum fuisse valdè senem, quandò Christus natus est. Sed hæc parvi sunt momenti. Illa enim consuetudo picturæ propter quamdam decentiam et ad vitandam vulgi opinionem introduci potuit. Vel fortassè, cùm Joseph esset maturæ ætatis et vir justus, partim laboribus, partim corporis afflictionibus evenerat, ut provectioris quàm reverà esset ætatis appareret. Quoad conjecturam de morte ejus, quamvis verisimile sit ante trigesimum ætatis Christi annum fuisse vitâ functum, non tamen existimandum statim post duodecimum ejus annum obiisse. Dùm enim Lucas ait descendisse Christum post duodecimum ætatis suæ annum cum parentibus suis in Nazareth, et fuisse *subditum illis* [1], satis significat aliquot annis cum utroque vixisse, et non est incredibile vixisse Joseph ferè usquè ad annos prædicationis Christi, ut illum simul cum Virgine suis laboribus sustentaret. Nullum ergò ex hàc

[1] *Luc* II, 51.

conjecturà pro contrarià sententià sumi potest argumentum, præsertim cùm tàm in minori quàm in grandiori ætate homines mori contingat. Nunc lege apud Suarezium, loco laudato, rationes convenientiæ quæ non parùm stabiliunt propositionem suprà dictam hujus clarissimi theologi.

ARTICULUS III.

DE MATRIMONIO B. MARIÆ CUM S. JOSEPHO.

Num. 1. Fuitne inter Mariam et Josephum verum matrimonium, et quandò intercessit? Intercessit post conceptionem Verbi divini. — 2. Prima probatio desumpta de exegesi vocis *desponsata*, et de interpretatione quam de hâc voce tradiderunt Patres. — 3. Secunda probatio desumpta de exegesi horum verborum : *Antequàm convenirent*, et de interpretatione quam de his verbis Patres tradiderunt. — 4. Tandem tertia probatio desumpta ex eo quòd Matthæus narravit Josephum in uxorem accepisse Mariam, tantummodò post somnium illi immissum. — 5. Rationes convenientiæ. — 6. Cadunt sententiæ Eusebii Cæsariensis Maldonati et S. Hilarii Pictaviensis. — 7. Evertitur objectio contra hoc matrimonium desumpta ex verbis Cypriani, Ambrosii et Chrysostomi. — 8. Evertitur alia difficultas desumpta ex voto virginitatis, quod emiserat B. Maria.

1. Docent esse de fide omnes Theologi in Libro 4 Sententiarum, Dist. 29 et 30, et sentit D. Thomas hîc, B. Virginem verum ac proprium matrimonium ratum cum Josepho contraxisse. Sed quandò intercessit istud matrimonium? Quæstio hæc, ut patet, non tàm versatur circa ætatem Mariæ et Josephi, quandò sese matrimonio junxerunt, quàm circa tempus conceptionis Christi, scilicet an illa effecta fuerit ante vel post hoc matrimonium. Ad solvendam hanc quæstionem, adeamus primò Evangelium. Sic loquitur Lucas : *In mense... sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo... ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph,... et nomen Virginis Maria.* Porrò juxta Evangelium de Nativitate Mariæ, B. Virgo nuntium Angelicum habuit quarto mense à desponsatione suà. Pergamus : *Et ait Angelus ei :... Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te... Ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illà Angelus.* Nam ex hoc momento, Incarnatio Verbi quam Mariæ nuntiatum venerat, adimpleta erat. *Exsurgens autem Maria in diebus illis*, id est, *statim* post discessum Angeli, quod indicat etiam vox *festinatione* quæ sequitur, *abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.... Mansit autem Maria cum illà quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam* [1]. *Inventa est* autem à Josepho *in utero habens*, posteaquàm illa Nazareth reversa fuerat ; nam sponsam prægnantem deprehendere non quivit Josephus, nisi eo tempore. Etenim signa prægnantis Virginis ante hujus iter ad Elisabeth nondùm comparuisse potuere, cùm ea post nuntium à Gabriele sibi allatum, *in diebus* ταυταῖς, IPSIS, *abierit* CUM FESTINATIONE ad cognatam suam. Ex alià parte, itineris atque mansionis apud Zachariam Josephum socium non habuit Maria ; si enim habuisset, innotuisset Josepho mysterium conceptûs Virginei, etiam antequàm illa signa apparerent, quippè quòd in Zachariæ domo jàm innotuerat, magnisque clamoribus adveniente Marià celebratum fuerat [2]. Ergò, nisi post reditum sponsæ, fieri non potuit ut Josephus ad illa signa animum adverteret. Cùm autem mulieres post tres menses à conceptu uterum jàm gerere soleant, non longo post tempore à sponsæ reditu rem Josepho innotuisse putandum est. Atqui Mariæ et Josephi nuptiæ erantne confectæ? Minimè. Id colligimus non solùm ex eo quòd Josephus Mariam in itinere ad Elisabeth nequaquàm fuerit comitatus, ut diximus suprà, cùm certè, vel saltem probabilissimè, eam, si in uxorem accepisset, fuisset comitatus, sed etiam, et imprimis, 1° ex interpretatione vocis μνηστευθεῖσα, *desponsata* : 2° ex his verbis : *Antequàm convenirent* : 3° tandem, ex eo quòd dicitur quia Josephus accepit Mariam in conjugem post somnium illi immissum.

2. 1° *Cùm* igitur *esset desponsata mater ejus* (Jesu) *Maria Joseph.....* Quid autem significat hæc vox *desponsata*? Vox ista opponitur voci *nuptæ*, non solùm in linguà latinà, sed etiam in græcà. Etenim in Deuteronomio [3], verbo μνηστεύομαι opponitur verbum λαμβάνειν, ità ut prius verbum significet procul dubio *desponsari*, et posterius *uxorem accipere*, id est, nuptias facere. Itaque,

[1] *Luc.* I, 26-56. — [2] *Ibid.* 41 *et seqq.* — [3] *Deut.* XX, 7.

cùm verba μνηστεύομαι et παραλαμβάνω, quod verbum non minùs nuptiale est quàm λαμβάνω, etiam apud Matthæum opposita reperiantur, idem ac in Deuteronomio ea sonare jure putaremus, sicut putandum est quoque de participio μεμνηστευμένην in Lucâ[1] : non tamen id urgemus; nam Maria Virgo à Lucâ μεμνηστευμένη [2] dicitur, etiam tunc cùm nuptias jàm factas fuisse nemo dubitat. Igitur ex dictis, vox *desponsata* habet, ut evidens est, duas acceptiones; et indè errores qui irrepserunt circa tempus in quo conceptus est Christus, scilicet utrùm sub tempore desponsationis an matrimonii Josephi cum Mariâ. Cùm autem vox quælibet Evangelica duos habeat sensus, præter narrationem ipsam Evangelii et quasdam temporis circumstantias quæ verum sensum indicare possunt, ad sanctos Patres recurrendum est, quorum communis sententia vim habet propriam verborum acceptionem determinandi, secundùm hæc S. Leonis Magni, Epist. 82, c. 1 : « Non licet aliter de Scripturis divinis sapere, quàm « beati Apostoli et Patres nostri didicerunt atque « docuerunt; » et illa Concilii Trullani, c. 19 (Mansi, Tom. 11, col. 952) : « Catholico interpreti non « licet contra unanimem Patrum consensum S. Scri- « pturam interpretari. » Atqui Patres et Scriptores ecclesiastici vocem *desponsatam* in hoc loco interpretati sunt in sensu *sponsæ*, in quantùm hæc vox opponitur voci *nuptæ*. Ergò ità et nos hanc vocem intelligere debemus. Dicimus quòd in hoc loco SS. Patres acceperunt vocem *desponsatam* in sensu *sponsæ*, in quantùm hæc vox opponitur voci *nuptæ*. Sic enim loquitur Auctor, quisquis sit, Homiliæ 1 in diversos, p. 24, n. 3 : « Inventa (Maria) « non incongruè putatur ab ipso Joseph, sancto « et justo, qui penè licentiâ maritali, licèt eam « non contingeret, *futuræ* tamen, ut putabatur, « *uxoris* omnia noverat. » Ità S. Hieronymus, venerabilis Beda, Haymo, et Remigius Antissiodorensis, ad hæc verba : *Inventa est in utero habens*. Ergò Maria quæ dicitur *futura uxor* Josephi, tunc temporis non erat ei nupta. S. Basilius, aut certè Auctor Homiliæ cujus nomen præfert, sic explicat vocem *desponsatam*, p. 27, ad medium num. 3 : « Per desponsationem, *inquit*, comprehensa sunt « initia nuptiarum. » Atqui *nuptiarum initia* significant sensu obvio *sponsalia*. S. Joannes Chrysostomus dicit : « Cur non ante sponsalia (Maria) « concepit et prægnans fuit? » Lege hunc textum p. 30 et 36, n. 1, cum præcedentibus et sequentibus illum, et certum habebis hanc vocem *sponsalia* oppositam esse huic voci *nuptiis* : credebat igitur clarissimus ille Doctor B. Mariam concepisse Christum ante ejus matrimonium cum Josepho : secùs dixisset : Cur non ante nuptias Maria concepit? Præthereà, en textus tàm claros ut explicationem nullam requirant. Sic loquuntur Theodotus Ancyranus, p. 45, ad finem num. 4 : « Quia... virgi- « nitas insidiis à dæmone appetebatur,... despon- « sat Mariam Joseph, *ac matrimonii exhibetur* « *species...* » Theophilactus, p. 47, n. 1 : « Ut (dia- « bolus)... decipiatur, (Joseph desponsat) semper « Virginem Mariam; *et figura quidem fit conjugii*, « *non autem res ipsa.* » Quod si objiceret quis hæc verba *matrimonii species*, *figura conjugii* adhiberi, non ut excludatur matrimonium, sed ut monstretur castitas Mariæ in matrimonio, ad respondendum huic objectioni, sufficeret nobis sine dubio textus sequentes in medium producere. « Videns, « *inquit* Beda, p. 57, n. 2, Joseph sponsam conce- « pisse suam,... optimum duxit, ut... neque ipse « eam acciperet uxorem; sed, mutato occultè *nu-* « *ptiarum proposito*, in conditione eam *sponsæ* « manere pateretur, *ut erat.* » « Sponsus et sponsa, « *inquit* è suâ parte Druthmarus, p. 62, n. 1, à « spondendo dicti sunt, eo quòd antè spondebant « sibi cautiones matrimonii consentire, et dabant « fidejussores, etiam annulo subarrhabantur : tali « ergò modo desponsata erat Maria Joseph. » « *De-* « *sponsata*, ait Haymo, p. 65, ad medium num. 1, « id est, *nondùm nupta.* » Anselmus Laudunensis, his verbis : *Cùm esset desponsata*, p. 69, n. 1, sic se habet : « Desponsatio, *inquit*, fiebat per « aliquod tempus ante assiduam cohabitationem, « et interim erat sub custodiâ mariti sui uxor et « frequenti visitatione, donec solennia nuptiarum « celebrarentur. » Ità Jacobus de Vitriaco, p. 74, n. 4 : « *Cùm Maria*, inquit, *desponsata esset* « *Joseph*,... nec solennitas nuptiarum esset cele- « brata. » Lege etiam, ad hunc locum, Hugonem de Sancto Caro, cujus verba sunt omninò eadem ac verba Anselmi Laudunensis. Tandem S. Thomas Aquinas, p. 83, ad finem num. 2, dicit : « Ante « (solennem celebrationem nuptiarum) erat et fie- « bat per aliquot dies desponsatio, et interim sponsa « non erat sub custodiâ viri : posteà autem fiebat « solennis celebratio nuptiarum, et tunc traduce- « batur ad domum viri. » Ergò hoc in loco SS. Patres vocem *desponsatam* voci *nuptæ* opposuerunt. Ergò existimaverunt Mariam esse solummodò *sponsam*, et non *nuptam*, quandò *inventa est* à Josepho *in utero habens*.

3. 2° Quòd B. Maria Christum conceperit tempore sponsalium, et ante nuptias ipsius cum Josepho, illud denuò probamus per hæc verba : *Antequàm convenirent*. Alii aliam exegesim de his verbis prodiderunt. Sic Venerabilis Beda, p. 57, ad finem num. 1, his iisdem verbis : « Verbo *conveniendi*, « inquit, non ipsum concubitum, sed nuptiarum,

[1] *Luc.* I, 27. — [2] *Id.* II, 5.

« quæ præcedere solent, tempus insinuatur, quan- « dò ea quæ priùs sponsata fuerat, esse conjux in- « cipit. Ergò *antequàm convenirent* dicit : Ante- « quàm nuptiarum solennia ritè celebrarent, *in-* « *venta est* (Maria) *in utero habens de Spiritu* « *sancto.* » Ità S. Paschasius Radbertus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, Anselmus Laudunensis, et Jacobus de Vitriaco, eisdem verbis. Hæc autem prior exegesis ad abundantiam juris nostram thesim probat. Posterior illam vi non minore demonstrat. Porrò hanc alteram exegesim tradiderunt Hieronymus, et cum eo nonnulli alii Patres, de verbis de quibus agitur : « Quòd autem dicitur : *An-* « *tequàm convenirent*, inquit Hieronymus, p. 50, « n. 3, non sequitur ut posteà convenerint ; sed « Scriptura, quod factum non sit, ostendit. » Et Libro contra Helvidium, § 4 : « In eo verò, « *inquit,* quod ait (Helvidius) : » « *Neque* enim « de non conventuris Evangelista dixisset : *Prius-* « *quàm convenirent*, quia nemo de non pran- « suro dixit : Antequàm pranderet, » « doleam- « ne an rideam, nescio, imperitiæ arguam, an te- « meritatis accusem? Quasi, si quis dixerit : An- « tequàm in portu pranderem, ad Africam naviga- « vi, non posset stare sententia, nisi ei in portu « prandendum quandoquè sit ; aut si velimus di- « cere : Paulus Apostolus, antequàm ad Hispanias « pergeret, Romæ in vincula conjectus est ; aut certè « illud : Helvidius, antequàm pœnitentiam ageret, « morte præventus est; statim, aut paulò post vin- « cula ad Hispanias sit eundum, aut Helvidio pœni- « tentia agenda post mortem,... ac non potiùs sit « intelligendum quòd *ante* præpositio, licèt sæpè « consequentiam indicet, tamen nonnumquàm ea « tantùm quæ priùs cogitabantur ostendat. » Hæc Hieronymus, cui quid reponat, Helvidius profectò non habet. Nimis tamen largè, *inquit* clarissimus et doctissimus Patritius, Lib. 3 Operis laudati, Dissert. 15, c. 1, n. 8, nedùm liberaliter, Hieronymus egisse videtur, dùm Helvidio dabat illud : Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, *antequàm convenirent*, significare *congressum maritalem;* hoc enim necesse non est. Henricus Stephanus, Thesauro linguæ græcæ, ad hoc verbum, negat quidem verbo συνέρχομαι hanc subesse significationem; attamen fallitur; subest enim apud Xenophontem, Lib. 2 Memorabil., p. 741 D, edit. Amelburni; apud Origenem, Lib. 1 contra Celsum, § 17, fortassèque apud alios. In Bibliis autem sive Veteris sive Novi Testamenti hoc verbum numquàm illud sonat, si excipias primam Pauli Epistolam ad Corinthios scriptam, in quâ tamen, judicio Griesbachii, germana vox, quam et latinus Interpres in eà legisse videtur, non est συνέρχεσθε, *convenite*, sed ἦτε, *venite*[1]. In hâc autem Matthæi narratione non modò nihil est quod nos cogat hoc verbum in eo sensu accipere, sed est imò quod contrà facere suadeat, ut tota sententia : *Cùm esset desponsata,... antequàm convenirent*, idem valeat ac *post sponsalia* et *ante nuptias*, non autem *post sponsalia* et *ante maritalem congressum ;* deesset enim quod medium erat inter sponsalia et congressum, nuptiæ, inquam, domumque sponsi deductio, ut id jàm animadverterat Wolfius, Curæ crit., ad hunc locum. Nec enim rectè loquereris, si diceres Abelem post Cainum ortum esse ante obitum Sethi, cùm, inter ortum Abelis et Sethi obitum, ortus ipsius Sethi sit medius. Quemadmodùm autem, si id diceres, videreris ponere Sethum ortum esse ante Abelem, quod falsum est; ità, si Matthæus in illo sensu usurpâsset verbum συνελθεῖν, ponere videretur nuptias jàm confectas, ipsamque Virginem in Josephi domum jàm fuisse deductam tunc, cùm Angelus ad Josephum legatus fuit, quod tamen conjicimus veritati minùs consonare, ut infrà demonstrabimus. Neque putandum est hæc verba : *Antequàm convenirent*, accepta in hoc sensu : *Antequàm congrederentur*, magis consentanea esse Matthæi proposito, quod erat ut probaret Mariam inviolatâ virginitate absque viri congressu concepisse; huic enim proposito æquè facit significatio quam sequimur, fortassè etiam magis. Eà enim ætate vetabantur Judæi ante nuptias cum sponsâ concumbere, ut diximus suprà, p. 215, n. 6 : ex quo, si verbum συνελθεῖν eo modo intelligas quo nos intelligimus, non modò constabit Mariam inter interque Josephum nullum concubitum fuisse habitum, sed nec haberi potuisse, quippè qui patria instituta servarent[2]. Cæterùm satis consilio suo fecit Matthæus, atque comprobavit nuptias nondùm confectas esse, cùm Maria *inventa est* à Josepho *in utero habens*, eo quòd eam μνηστευθεῖσαν, *desponsatam*, dixerit, cùm hæc vox *desponsata*, hoc loco saltem, voci *nuptæ* opponatur, ut demonstravimus, quòdque narraverit Josephum in uxorem accepisse Mariam tantummodò post somnium illi immissum, et quòd deniquè Angeli sermonem atque Isaiæ vaticinium retulerit.

4. 3° Quòd B. Virgo Christum conceperit tempore sponsalium et ante nuptias ipsius cum Josepho, probatur ex eo quòd dicitur quia Josephus accepit Mariam in conjugem post somnium illi immissum. Ut res quàm optimè elucidetur, continuanda nobis est narratio Matthæi. Videns igitur

[1] I *Cor.* VII, 5.

[2] Exhinc evertitur interpretatio quam Maldonatus, suprà, p. 6, in medio col. 2, tradit horum verborum : *Antequàm convenirent.*

Josephus Mariam prægnantem, *voluit occultè dimittere eam. Voluit dimittere eam!* Ergò, dicent quidam, nuptiæ Mariæ et Josephi jàm factæ fuerant, quia hujusmodi dimissio fuisset verum ac propriè dictum divortium. Equidem divortium illud futurum fuisse libentes dabimus ; nam et sponsalium diremptio pro divortio habebatur apud Israelitas (Selden., Uxor hebraica, Lib. 2, c. 1, p. 130; c. 2, p. 137; Lib. 3, c. 18, p. 428; ex Maiemonide Iad Chazaka Lib. 4, halac. Ischut., c. 4 et 7); nec enim aliter poterant ea dirimi quàm ipsum conjugium, traditoque sponsæ libello repudii, quem uxori, cùm dimittebatur, dari lex præcipiebat [1]. Nam etsi ea lex sponsæ mentionem minimè faciat, imò de maritâ solùm, quantùm verba sonant, lata esse videatur; attamen, quòd de hoc ipso etiam sponsæ serioribus gentis institutis cautum sit, id ex eàdem illâ lege deductum esse putandum est; in quantùm prioribus ætatibus vir et mulier post sponsalia continuò conjuges habebantur, ut diximus suprà. Sed indè non potest concludi nuptias jàm fuisse confectas. Enimverò Josepho *Mariam dimittere cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David,* NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONJUGEM TUAM. Aiunt reverà quidam verba Angeli : Μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν, non esse vertenda, ut sunt in exemplaribus latinis, *Noli timere accipere,* sed : *Noli timere accepisse,* quia παραλαβεῖν est *aoristus;* sed imperitè. Nam, ut illud omittamus, quòd non præterita, sed futura timentur, nonne *aoristus* modis infinitis rem adhuc futuram interdùm significat, item aliquid nondùm factum (vide Matthiæ Gramm. linguæ græcæ, § 506, c. 2)? Hanc certè vim habet in his quæ paulò priùs explicavimus : Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, *priusquàm convenirent.* Ait igitur Angelus Josepho : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ergò non adhuc eam acceperat in conjugem. Nil certè evidentius est. Cæterùm, audi Patres et Scriptores ecclesiasticos. Sic loquuntur, inter Græcos, Auctor « Homiliæ 1 in diversos, p. 24, n. 6 : « *Joseph,* « *fili David, ne timueris accipere Mariam con-* « *jugem tuam.* Ne timueris,... sed securus et in- « trepidus accipe eam secundùm legis præceptum « uxorem tibi nominatam, sed secundùm nuptia- « rum consuetudinem et conjunctionem longè « alienam. Accipe ergò eam... » Et Theodotus Ancyranus, p. 46, col. 1 : « Cognito Joseph my- « sterio, citòque fidem Angelo habens,... nec de- « sponsationis necessitudinem solvit, qui et ipse « mysterio huic minister lubens accederet. Accipit « itaque virginem, non jàm ut conjugem, sed ut « arcam... » Inter Latinos, Venerabilis Beda, p. 57, ad finem num. 1, his verbis : *Antequàm convenirent,* explicatis, subdit ; « Posteà convenerunt, « quandò ad præceptum Angeli accepit conjugem « suam. » Et n. 2 : « Videns Joseph sponsam con- « cepisse suam,... optimum duxit ut... neque ipse « eam acciperet uxorem... » Et ad finem ejusdem numeri ; « Joseph consilium repentè consilio me- « liore mutatur, ut videlicet ad conservandam Ma- « riæ famam, ipse eam, celebrato nuptiarum con- « vivio, conjugem acciperet. » Remigius Antissiodorensis, p. 67, initio col. 2, cùm dixisset his verbis : *Antequàm convenirent,* subesse hanc significationem ; Antequàm ritè solennia nuptiarum celebrarent, addit : « Nam quòd posteà acce- « perit eam (Mariam), Evangelista in subsequen- « tibus manifestat, cùm dicit quia, monente An- « gelo, accepit eam Joseph. » Et inferiùs : Justo Joseph,... « justus directus nuntius, qui ad « conservandam Virginis famam monuit ut eam ac- « ciperet uxorem. » Et p. 68, initio col. 1 : « Mo- « nuit ut acciperet ad nomen conjugii. » Anselmus Laudunensis, p. 70, ad finem col. 1 : « *Accipe,* « inquit, *Mariam conjugem tuam* nuptiali con- « ventu et assiduâ cohabitatione. » S. Bruno Astensis, p. 71, col. 2, sic exponit hæc verba : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam :* «Non- « dùm cognoscis hanc virginem... Accipe ergò eam « jàm nunc quasi dominam... » Tandem S. Thomas Aquinas, p. 85, ad finem num. 10, hæc verba sic exponit : « *Ne timeas accipere* quantùm ad solennitatem et nuptiarum celebrationem. » Hæc autem omnia clara sunt et nullâ indigent explicatione. Ergò etiam ex testimoniis Patrum, Josephus Mariam in uxorem non acceperat ante somnium quod illi immissum fuit ; durante hoc somnio tantùm, Angelus ei præcepit ut eam uxorem duceret. Porrò duxitne eam uxorem isto eodem tempore? Audi Matthæum : *Exsurgens*, vel, ut græcè est, διεγερθείς, *expergefactus autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam* [2]. Quid autem significat hæc ; *Et accepit conjugem suam?* 1° Verbum *accepit* significare nequit congressum maritalem, quod vel cum iis pugnaret quæ continuò sequuntur : *Et non cognoscebat eam* [3]. 2° Neque significat Josephum amoto consilio uxoris dimittendæ statuisse eam retinere, velut si jàm anteà duxisset, ut cum aliis sentit Cornelius à Lapide, explicans hunc versum ; quid enim hoc foret, nisi verbum torquere, ut ei sensum affingas, quem habere nequit? Tùm, ex eo quòd Matthæus ità exordiatur : *Exsurgens autem Joseph à somno,* apparet narrari aliquid quod statim post somnum Josephus gesserit atque absolverit, quale esse non potuit quòd uxorem retinue-

[1] *Deut.* XXIV, 1 et 3. — [2] *Matth.* I, 24. — [3] *Id.* I, 25.

rit; hoc enim non esset secundùm genus eorum quæ geri atque absolvi rectè dicantur, quæve fieri queant, cùm quis expergiscitur, sed quid perpetuum est totàque vitâ continuandum. Quòd si censeas eo verbo exprimi, non actionem, sed consilium initum à Josepho uxorem retinendi, longiùs etiam à verbi notione recedes. Hàc autem re illud confirmatur, quod inferiùs demonstrabimus, cùm verbi *accepit* exegesim dabimus, scilicet hoc verbo *accepit*, ipsas nuptias significari sponsæque domum deductionem, quæ continuò post somnium Josepho immissum gesta fuisse ex hâc totâ enuntiatione consequitur. Sed dicet quis : Nulla videtur hìc solennitas nuptiarum celebrari : ergò nuptiæ non sunt eo tempore confectæ. Negamus consequentiam, siquidem tunc, ait Patritius, loco citato, Dissert. 15, c. 2, n. 24, nuptiæ intra domesticos parietes adornabantur.

5. Quod autem sentit Franciscus Lucas[a], quòd non satis consultum fuisset honori Virginis, si prægnans apparuisset ante nuptias, imò antequàm tantum temporis post nuptias effluxisset, quantum nuptis opus est ut uterum gerant, non tanti est momenti, ut nos de nostrâ sententiâ dubitare cogat. Etenim, cùm ipsis sponsalibus vir et mulier conjuges fierent, congressus maritalis habitus ante nuptias, tametsi vetitus, non quidem lege Mosaicâ, sed serioribus institutis, etiam indictâ pœnâ, ut jàm diximus, non tamen stuprum esse putabatur; proindèque congredientes minimè honore periclitabantur. Tùm Mariam quæ, ut hæc ipsa narratio loquitur, mysterium ità silentio presserat, ut illud etiam sponsum suum celaverit, sese quoque, ne illud aperiret, quantùm poterat, occuluisse putandum est (cæterùm trimestris fetura non adeò conspicua esse solet, ut non facilè queat occultari), primoque omnium Josepho, ut narrant Patres laudati, ac familiaribus rem innotuisse, quorum è pectore suspicio curaque omnis brevì depulsa fuit, ubi ipsi Josepho somnium divinitùs immissum est. Profectò rem adhuc latuisse ex eo colligi videtur, quòd Josephus, cùm NOLLET *eam* TRADUCERE, *voluit* OCCULTE *dimittere eam*. Quinimò dicimus nos è contrà quòd non minùs intererat consultum esse mysterio, quo Virgo conceperat, quàm ipsius Virginis honori. « Atqui mysterio huic « magis consultum crederem, ait Patritius, loco « citato, si conceptus Virginis innotuit ante ejùs « deductionem in domum Josephi; namque hoc « pacto, non unus Josephus, sed et parentes cæte- « rique Mariæ familiares rei totius testes fuissent. « Si illud opponas hos testari solùm potuisse Ma- « riam non concepisse ex Josephi concubitu, « reponam in vicem illud, quòd etiam Joseph hoc « unum testari potuisset, nisi de mysterio nuntius « ad eum cœlitùs fuisset perlatus, qui tamen æquè « ad illos perferri potuit, sicut in Zachariæ quoque « domum perlatus anteà fuerat. » At, instat Franciscus Lucas, quis credat nuptias tunc demùm confectas, cùm Virgo uterum jàm gereret? Atqui id credat oportet, qui nolit sensum pervertere verborum Matthæi narrantis Mariam uxorem ductam fuisse à Josepho post somnium illi immissum, et torquere, ut ei det sensum, quem habere non potest, interpretationem quam tradiderunt Patres tùm de verbis Angeli : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, tùm de illis : *Antequàm convenirent*, et tandem de voce *desponsata*, hoc loco.

6. Ex demonstratis, 1° evanescit sententia Eusèbii Cæsariensis, ex quâ, contrà ac superiùs dicta et probata sunt, B. Virgo non concepisset Christum, nisi post nuptias suas cum Josepho et deductionem in domum ipsius. Dicit enim ille, p. 101, n. 2 : « Animad- « versum est vigilanter admodùm Scripturam dicere : « *Antequàm ipsi convenirent, inventa est in utero* « *habens*, tamquàm si apertè diceret eam (Mariam) « ante nuptias non concepisse, neque priusquàm ad « virum accederet, sed postquàm cum Josepho con- « jugata fuit, atque apud eum diversari cœpit, et « ab omnibus conjux ejus appellari; cùm unà ha- « bitarent, ac nuptiali consuetudine jàm usuri vi- « derentur, ipsâ propemodùm horâ antequàm con- « venirent, inventam esse in utero habentem de « sancto Spiritu. » Hanc sententiam, non diffitear quidem, amplexus est *quoad substantiam*, vir clarissimus et doctissimus, princeps theologorum, Franc. Suarezius. Dicit enim, Quæst. 29, Art. 2, Disput. 7, Sect. 2 : « Certum est matrimonium inter « Mariam et Joseph, quoad essentiam et contractum, « ante Filii Dei Incarnationem, perfectum esse.... » Dicimus *quoad substantiam* : nam quoad cohabitationem, non loquitur modo tàm affirmativo quàm Eusebius : ait enim : « Difficultas (tantùm) superest « de perfectione accidentali quoad cohabitationem « vel solennitatem aliquam.... (Atqui) 1° probabi- « lius est Mariam et Joseph cohabitàsse in eàdem « domo, tempore conceptionis Verbi divini... 2° Ve- « risimilius est ante conceptionem Filii Dei fuisse « illud matrimonium perfectum, etiam quoad omnem « solennitatem accidentalem, et sacerdotalem be- « nedictionem, si fortassè intervenire solebat. » Sed nomen ipsum Suarezii de nostrâ sententiâ dubitare nos nullo modo coget : quinimò ad id neminem adducet : mirabuntur potiùs omnes de opinione hujus viri tàm docti qui ad probandas suas assertiones, iisdem sacræ Scripturæ et SS. Patrum textibus quibus nos utitur, sed eos à vero sensu detorquet ope distinctionum merè gratuitarum, ut illud observavit noster Combefisius, qui in Biographiâ Aucto-

[a] Comment. in SS. quatuor Evangelia. Antuerpiæ, 1712.

rum Bibliothecæ ejus concionatoriæ, p. 22, col. 2, proclamavit protrivisse eumdem Suarezium hâc ingenti mole monumentorum Patrum suprà relatorum. 2° Evanescit etiam eo ipso sententia Maldonati exposita suprà, pp. 4-5; siquidem nihil aliud est quàm expressio sententiæ Eusebii Cæsariensis. 3° Tandem evertitur opinio S. Hilarii Pictaviensis, ex quâ, contrà etiam ac superiùs dicta et probata sunt, B. Virgo matrimonium cum Josepho non contraxisset, nisi post Christi partum: « Cognoscitur (Maria), *inquit*, « p. 48, col. 2, post partum, id est, transit in conju- « gis nomen. »

7. Superest ergò demonstratum 1° quòd inter Mariam et Joseph verum matrimonium intercesserit: 2° quòd intercesserit post sponsalia et ante nuptias eorum. Sed dicet quis: Cyprianus, Sermone de passione Domini, Ambrosius, Epist. 79 et Lib. 2 in Lucam, in principio, et Lib. de Institut. Virginis, c. 6 et 7, aiunt Christum in cruce separâsse matrem à Josepho, eamque Joanni tradidisse: atqui indicabat hoc inter eos verum conjugium non intercessisse: quod etiam indicavit Chrysostomus, Hom. 5 in Matth., post medium. Ergò reverà non exstitit verum matrimonium inter Josephum et Mariam. Ad hanc objectionem, sic respondemus cum Suarezio, Quæst. 29, Art. 2, Disput. 7, Sect. 1: Chrysostomus, loco citato, concludit B. Virginem non habuisse alios filios præter Christum, ut scilicet excludat matrimonii consummationem, non veritatem. Quod autem Ambrosius et Cyprianus supponere videntur, scilicet à tempore mortis Christi Josephum superstitem fuisse, incertum est et non admodùm verisimile. Quin potiùs, ex eo quòd Christus matrem suam Joanni commendavit, inferri certiùs posset eo tempore Joseph fuisse mortuum; nam, illo vivente, non quæsivisset Christus fideliorem alium Virginis socium ac ministrum, nisi fortè dicatur fuisse adeò senem, ut alterius ope indigeret: sed credibilius est fuisse jàm mortuum, ut docent Epiphanius, Hæresi 78, Vincentius, Sermone de S. Joseph, Petrus Comestor, Capite 38 suæ historiæ. Et probabile est eum ante trigesimum annum ætatis Christi obiisse. In Evangelio enim, usquè ad duodecimum ætatis annum Christi Domini, fit de eo mentio, et non ampliùs, neque in nuptiis Canâ Galilææ, neque in historiâ passionis, neque in aliis locis, ubi fit mentio de matre et fratribus Domini, quod est signum illum fuisse jàm mortuum; nam cùm vivebat, ferè semper simul cum Virgine conjungebatur et nominabatur.

8. Attamen major superest difficultas. Enimverò B. Virgo, à principio usûs rationis, habuit absolutum et firmum propositum servandi perpetuam virginitatem. Hanc conclusionem insinuat D. Thomas, Quæst. 28, Art. 4. dùm ait B. Virginem « semper habuisse virginitatem in desiderio. » Eamdem sententiam docent Magister sententiarum in 4, Distinct. 30, et ibi Bonaventura, Art. 1, Quæst. 2; Scotus, Quæst. 2, Art. 2, Supplement.; Gabrielis, Quæst. 1, Art. 2 post c. 6; Richardus, Art. 2, Quæst. 1; Major, Quæst. 4; Durandus, Quæst. 2; Sotus, Quæst. 2, Art. 2 ad primum; Abulensis, Matth. 1, Quæst. 30; Henricus, Quol. 9, Quæst. 11; Albertus Magnus, Lib. de B. Mariâ et Hugo de S. Victore, Lib. de perpetuâ Virginitate Mariæ, c. 1. Atqui, quomodò propositum hoc conciliari potest cum vero matrimonio, eò magis quòd illud voto firmaverit? Ad dirimendam hanc quæstionem, scire oportet quandò hoc votum emiserit B. Virgo, et ex hypothesi quòd emiserit ante nuptias suas cum Josepho, scire adhuc oportet an matrimonium hoc potuerit esse verum, non obstante isto voto. Quoad tempus in quo illud votum emiserit, diversæ sunt sententiæ. Prior sententia est quòd emiserit illud post contractum matrimonium cum Josepho, simulque cum illo, et non anteà. Ità opinatur Soto in 4, Distinct. 30, Quæst. 2, Art. 2 ad primum, dùm ibi Durandus, Quæst. 2, rem dubiam relinquit: citatur etiam Abulensis, Matth. 1, Quæst. 30. Posterior sententia distinguit inter absolutum et conditionale votum, et affirmat ante contractum matrimonium, atque adeò à principio suæ deliberationis, B. Virginem emisisse votum virginitatis sub conditione, *si Deo placuerit, si Deus aliud de se ipsâ non statuerit;* absolutum autem votum fecisse solùm post desponsationem cum Joseph. Hanc sententiam tenet D. Thomas hìc et in 4, Distinct. 30, Quæst. 2, Art. 1, quam ibi sequuntur Capreolus, Quæst. 1; Paludanus, Quæst. 2; Richardus, Art. 1, Quæst. 2 et Major, Quæst. 4. Sotus profitetur etiam se eamdem sequi sententiam: ità tamen illam explicat, ut prorsùs evertat, et in alium sensum mutet, intelligendo per votum conditionatum desiderium vovendi. Nonnulli verò ex aliis Auctoribus è contrario ità illam explicant, ut in re fateantur votum illud à principio fuisse absolutum. Atqui dicimus 1° B. Virginem ante filii sui conceptionem absolutum et perfectum votum castitatis emisisse. Fundatur hæc assertio in his ejusdem verbis: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco*[1]*?* Quæ verba non indicant dubitationem, sed indicant apertè non solùm habuisse Virginem propositum non cognoscendi virum, sed etiam ità esse ligatam seu impeditam, ut licitè non posset illum cognoscere. Nam, licèt usquè ad illud tempus non cognovisset virum, imò, etiamsi propositum haberet non cognoscendi, si tamen sibi esset integrum suo arbitrio licitè illum cognoscere, non esset

[1] *Luc.* I, 34.

cur tàm sollicitè quæreret : *Quomodò fiet istud?* quia posset illi facilè responderi ipsam liberam habere facultatem cognoscendi virum, ut filium conciperet. Ergò sensus illorum verborum : *Virum non cognosco*, est : Mihi non licet virum cognoscere, nec est jàm positum in voluntate meâ. Undè ex his verbis ità intellectis colligunt votum hoc Augustinus, Lib. de sanctâ Virginitate, c. 4, et indicat Serm. 14 de Nativitate ; Bernardus, Serm. 4 de Assumptione, et Hom. 1 in *Missus est;* Ambrosius, Lib. 2 in Lucam, quamvis non tàm apertè, Anselmus, Hom. in Evang. *Intravit Jesus in quoddam castellum* [1], et in Libro de Excellentià Virginis, c. 4 ; Beda, Lib. 1 in Luc., c. 1, et Gregorius Nyssenus, Hom. de Sanctâ Christi Nativitate. Ratio verò ad confirmandam hanc veritatem, quoad votum attinet, non est alia, nisi quam D. Thomas tetigit, scilicet quia virginitas voto firmata eò gratior est Deo, quò perfectior est, sacratior et immutabilior : quod verò attinet ad circumstantiam temporis, illa est, quia nescit tarda molimina Spiritûs sancti gratia. Dicimus 2° B. Virginem emisisse hoc votum ante contractum matrimonium cum Josepho. Ità sentiunt communiter Theologi in 4, Distinct. 30; Richardus, Art. 2, Quæst. 1; Bonaventura, Quæst. 2; Major, Quæst. 4; Scotus, Quæst. 2.; Albertus Magnus; Henricus, ac ferè cæteri Scholastici suprà citati. Sed si res ità sit, quomodò matrimonium B. Mariæ cum Josepho potuerit esse verum, siquidem matrimonium intrinsecè concludit consensum in copulam conjugalem? Respondemus 1° quòd è tribus quæ in matrimonio intervenire possunt, scilicet mutuus consensus, quo conjuges adinvicem sibi tradunt jus et potestatem in sua corpora, ut constat ex Nicolao Papâ in cap. 27 *Sufficiat*, Quæst. 2; mutua cohabitatio in eâdem domo cum mutuis obsequiis, etc. ; et tandem usus matrimonii per carnalem copulam; mutuus consensus sit solùm de essentiâ veri matrimonii, ut tradunt omnes Theologi in 4, Distinct. 30, et rectè tractat Waldensis, Tom. 2 de Sacramentis, c. 130, et colligitur apertè ex dicto capite *Sufficiat*, et ex Conciliis Florentino, in Decreto Eugenii, ubi definit matrimonium perfici mutuo consensu, qui sine dubio copulam antecedit, et Tridentino, Sessione 24, ubi distinguit matrimonium ratum à consummato, et supponit illud esse verum matrimonium ; ideòque B. Virginis matrimonium potuit esse et reverà fuit verum, licèt ante illud, votum virginitatis emiserit. Dicimus 2° cum Hugone de S. Victore, Libro de Virginitate Mariæ, quem S. Thomas, Albertus Magnus et cæteri Scholastici secuti sunt, B. Virginem ex divinâ revelatione contraxisse matrimonium. In omnibus enim rebus speciali Spiritûs sancti directione regebatur, præsertim in re gravissimâ, et quæ ad statum totius vitæ pertinebat, et ad mysterium Incarnationis proximè ordinabatur. Eâdem autem revelatione intellexit B. Virgo suum sponsum libenter in perpetuam virginitatem fuisse consensurum, nullumque detrimentum perfectioni suæ virginitatis allaturum. Et hinc etiam intelligitur potuisse B. Virginem consentire in verum matrimonium, non consentiendo *actualiter et expressè* in carnalem copulam, neque absolutè, neque sub illâ conditione : *Si Joseph debitum petiisset,* quia jàm certa erat illum numquàm petiturum : undè supervacaneus et otiosus fuisset talis actus. Dicimus autem *actualiter et expressè ;* quia in radice et in causâ videtur habuisse hunc consensum, consentiendo in matrimonium quod de se ad talem copulam ordinatur; et ità videtur loqui Cajetanus; sed velle hoc modo in radice, non est propriè velle, et maximè quandò per contrariam voluntatem directè quis proponit vitare actum ; et hoc modo consensus in conjugale vinculum nihil omninò derogat virginitati ; et propositum virginitatis non pugnat cum consensu contrahendi vinculum conjugale, sicut non repugnat voluntas tradendi vel accipiendi dominium, et non eo utendi. Necesse est igitur concludere matrimonium B. Virginis optimè cum ejus virginitatis voto concordare, vel votum quod emiserat, nullo modo impedivisse quin verum et perfectum matrimonium contraxerit. Res miranda, siquidem eo modo factum est ut et utrumque statum non ignoraverit, et tàm virginum quàm conjugum fuerit exemplar! (Responsiones ad duas objectiones in Numeris 7 et 8 inclusas desumuntur ex SUAREZIO, Tom. 2, Quæst. 28, Art. 4, Disput. 6, Sect. 1 et 2, et Quæst. 29, Art. 2, Disput. 7, Sect. 1.)

[1] *Id.* x, 38.

ARTICULUS IV.

DE CONCEPTIONE CHRISTI,

QUOAD MATERIAM DE QUA CORPUS EJUS CONCEPTUM EST, ET QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM.

NUM. 1. Exegesis horum verborum : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* — 2. Maria mater Christi. — 3. Quomodò concurrit Spiritus sanctus ad Verbi Conceptionem? — 4. Èstne et potestne dici pater Christi? — 5. Quid significat præpositio *de*?

1. Maria *inventa est in utero habens* à Josepho et ab aliquot aliis familiaribus Mariæ, *inquiunt* Patres suprà relati. *Inventa est.* « Nota proprietatem verbi, *ait* S. Thomas, p. 83, ad finem num. 2. « Propriè enim illud : *Inventum*, dicitur de quo « non sperabatur, nec putabatur. » Enimverò verbum græcum εὑρίσκειν « non significat, *ait* Maldonatus, p. 7, *quærendo scrutandoque*, sed potiùs *non quærendo, non cogitando, præter opinionem exspectationemque aliquid invenire*, « ut Chrysostomus, idoneus græci sermonis testis, « annotavit. Non ergò, *subdit* idem Maldonatus, « Joseph *vestigando*, sed *non quærendo*, nec *tactu*, « sed *visu, eoque purissimo, minimèque curioso*, « Mariam prægnantem invenit. » Attende nunc totam phrasim : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* An *inventa est* tantùm à Josepho *in utero habens?* Vel etiam *inventa est* ab eodem Josepho *in utero habens de Spiritu sancto?* « Sunt, ait Maldonatus, loco citato, qui hæc verba : « *De Spiritu sancto*, ità jungant (cum præcedentibus), ut hæc sit sententia, Josephum non solùm prægnantem Mariam deprehendisse, sed « etiam de Spiritu sancto concepisse. » Ità, inter Græcos, Auctores Homiliæ 1 in diversos et in sanctam Christi generationem, S. Joannes Chrysostomus et Theophilactus; et, inter Latinos, S. Hieronymus, venerabilis Beda et Druthmarus (vide hos Auctores ad hæc verba : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*). Juxta Auctorem Operis imperfecti in Matthæum, p. 41, col. 2, et p. 42, col. 1, Josephus in suspicionem criminis erga Mariam primùm decidit; sed brevì, cùm ipsa protestata esset, et Josephus ipse sanctam ejus conversationem contemplatus esset, « æstimavit eam habere in utero de Spiritu sancto. » Attamen « ex « consequentibus, *addit* Maldonatus, loco citato, « manifestum est Josephum ignorâsse undè Virgo sa« cra concepisset; propterea enim voluit eam dimit« tere : propterea ab Angelo docetur : *Noli timere « accipere Mariam conjugem tuam; quod enim « in eà natum est, de Spiritu sancto est.* Atque « ità omnes alii Auctores interpretantur. » Cæterùm qui primam sententiam amplectuntur, torquent verba *traducere* et *dimittere*, ut eis sensum affingant, quem nec habent, nec habere possunt. « Nollem tamen, *inquit* Franc. Patritius, Dissert. 5, « c. 4, n. 43, quis crederet Josepho, cui egregia « ac penè divina Virginis sibi desponsæ virtus ap« primè perspecta erat procul dubio, suspicionem « aliquam ipsi sponsæ minùs honorificam incidisse.» Miramur certè de his verbis Augustini, p. 50, col. 2 : « Quia de se gravidam non esse sciebat (Josephus), « jàm velut consequenter adulteram existimabat; » et de his aliis S. Bonaventuræ, p. 86, n. 1 : (Ma« riæ) vultum ostendebat (Josephus) turbatum, et « oculos avertebat ab eà tamquàm à malà, suspi« cans eam ex adulterio concepisse. » Nos hanc loquelam repudiamus, et dicimus quòd Josephus, cùm invenerit Mariam prægnantem, nullam malam opinionem de eà conceperit; sed quòd, cùm ignoraret quomodò res acta fuisset, ratione ductus publicæ cujusdam honestatis, ità agere statuerit ut leges consuetudinesque ferebant, cùm uxoris fides marito minimè probabatur. « Sponsus quid faceret « ad ista, *inquit* S. Petrus Chrysologus, p. 52, « col. 2? Accusaret de crimine? Sed erat ipse inno« centiæ testis. Culpam diceret? Sed erat ipse cu« stos pudoris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse « virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogi« tat dimittere..... » « Profectò patet, *ait* etiam « S. Paschasius Radbertus, p. 59, n. 3, quia (Ma« ria) *inventa est* (à Josepho) *habens in utero*; « sed utrùm *de Spiritu sancto*, aut alio quolibet « ex facto, penitùs ignorabat; sciebat namque se « virginem accepisse et servâsse intactam; de quà « tamen dubius elegit aliquod medium per quod « effugeret, ne videretur celare quod ignorabat, et « ne traderet, velut ream ad pœnam, quam procul « dubio inculpabilem noverat. » Ità Haymo, Remigius Antissiodorensis, S. Bruno Astensis, et Guilielmus Parisiensis, ad hæc verba : *Inventa est*, etc. Sed, dicet quis : Si Maria *inventa est* tantùm à Josepho *in utero habens*, cur additum fuit : *De Spiritu sancto?* « Ne, *inquit* S. Paschasius Radbertus, p. 60, initio col. 1, lectoris animum mox « subreperet suspicio, quæ posteà dictis Angelicis « purganda esset : » « Pro spiritali fervore (Mat« thæi), *dicit* quoque Haymo, p. 65, ad finem « num. 1; et ne lectoris animus, paucissimis licèt

« lineis, dubitaret; et *ut in ore duorum vel trium* « *testium stet omne verbum* [1] : » « Ne oriretur, *ait* « tandem S. Thomas, p. 83, n. 3, auditoribus in- « terim suspicio adulterii. » « Hoc : *De Spiritu* « *sancto*, legendum ergò est, *inquit* S. Thomas, « loco citato, divisim ab illo : *Inventa est in ute-* « *ro habens.* Non enim legendum est aut intelli- « gendum quòd Joseph invenerit eam habentem « in utero de Spiritu sancto; sed solùm quòd « invenit eam gravidam. » Divisio Cardinalis Hugonis nobis videtur subtilis, simul autem justissima. Sic istam phrasim dividit, p. 80, n. 2 : « Maria *in utero habens de Spiritu sancto in-* « *venta est* à Josepho *in utero habens;* » et B. Albertus Magnus addit, p. 93, n. 12, quòd « sic di- « visam intelligendam esse locutionem istam infe- « riùs ostendit Angelus, quandò Joseph cogitante « eam dimittere, pro ratione quòd non debeat di- « mitti, assignat de Spiritu sancto esse quod in eâ « natum est. »

2. Itaque Maria *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quæ autem fuit ejus et Spiritûs sancti pars in Conceptione Verbi? 1° Maria mater est Christi : *Cùm esset desponsata mater ejus* (scilicet Christi) *Maria.* Veritas hæc de fide est. Ex quo 1° infero (id quod de fide etiam certum est), Christum ex substantiâ Virginis fuisse conceptum. Hoc enim necessarium est, ut ipsa fuerit vera ejus mater; et propterea dixit Paulus *misisse Deum Filium suum, factum ex muliere* [2], id est, ex substantiâ ejus; et Angelus : *Quod nascetur ex te Sanctum* [3]*;* nam, inquit S. Athanasius, Sermone contra omnes hæreses, « si dixisset *per te*, verisi- « mile aliquid haberet impudentia eorum qui dixe- « runt Verbum transîsse per Virginem tamquàm « per canalem : sed, cùm dicat *ex te*, clarè de- « monstrat Verbum assumpsisse ex eâ humanum « templum. » 2° Ex eodem principio infertur Christum conceptum esse ex purissimis sanguinibus beatissimæ Virginis. Nam ex eo quòd Maria est mater Christi, necessarium est ut in Conceptione ejus præstiterit quod aliæ feminæ in conceptione filiorum suorum præstare solent, ut matres possint appellari; illud autem præcipuum est quòd sanguinem suum subministrant ex quo fetus possit formari : hoc ergò, ut minimùm, fuit etiam necessarium in Virgine, ut mater possit appellari. De quo vide, si placet, Suarezium, Quæst. 32, Art. 4, Disput. 10, Sect. 2, ubi fusiùs tractantur et hæc præsens quæstio et omnia quæ attinent ad concursum B. Virginis in Conceptione Christi.

3. 2° Quæ fuit efficientia Spiritûs sancti in hàc Conceptione? (Non intendimus excludere duas alias Trinitatis personas; supponimus enim opera Trinitatis ad extrà esse indivisa quoad effectionem, et ità, quamquàm appropriatè hoc opus tribuatur Spiritui sancto, commune tamen esse totius Trinitatis.) Duplex est eâ de re theologorum opinio. Prior affirmat quidquid est efficientiæ in illâ actione tribuendum esse soli Spiritui sancto, et B. Virginem materiam dumtaxat ministrâsse. Posterior sententia est B. Virginem effectivè operatam esse cum Spiritu sancto ad Christi Conceptionem. De hâc duplici sententiâ fusiùs tractatur apud Suarezium, loco suprà laudato : quem, si placet, consulat etiam lector. Sufficiat hìc dicere posteriorem sententiam esse valdè probabilem, et non alienam à modo loquendi Patrum.

4. Quæ cùm ità sint, Spiritus sanctus estne igitur et potestne dici etiam pater Christi, cùm fide certum sit Spiritum sanctum effectivè concurrisse ad Christi generationem? Etsi per efficientiam Spiritûs sancti conceptus sit Christus ut homo, respondet Suarezius, Quæst. 32, Art. 3, nihilominùs res est certissima et omni carens difficultate, Spiritum sanctum non esse et non posse dici patrem Christi ut hominis. Sic enim loquitur Concilium Toletanum secundum : « Spiritus sanctus non est pater Filii incarnati, ne duos filios introducamus. » Sic etiam ait Chrysostomus, Hom. 2 in Symbolum Apost., Tom. 5 : « Non intelligas patrem Christi secundùm carnem Spiritum sanctum esse. » Idem optimè docuerunt Augustinus in Enchiridio, c. 38 et 39, et Rupertus, Lib. 1 de Operibus Spiritûs sancti, c. 10, ubi propriè rationem attigit, quam etiam adduxit D. Thomas, Quæst. 32, Art. 3, in solâ responsione ad primam objectionem, scilicet, quia Christus ut homo non procedit à Spiritu sancto secundùm similitudinem speciei; pater autem non dicitur, nisi qui producit sibi simile in naturâ viventis ex vi productionis. Idem D. Thomas, Comment. in Matthæum, c. 1, sic loquitur : « Spi- « ritus sanctus non potest dici pater Christi, quia « nec secundùm divinam naturam, nec secundùm « humanam. Secundùm divinam naturam quidem, « quia, quamvis Christus sit ejusdem gloriæ cum « Spiritu sancto, Filius tamen secundùm divinam « naturam nihil accipit à Spiritu sancto; et ideò « non potest dici filius ejus; filius enim aliquid ac- « cipit à patre. Similiter nec secundùm humanam, « quia pater et filius debent convenire in substan- « tiâ; Christus autem, quamvis sit conceptus vir- « tute Spiritûs sancti, non tamen de substantiâ Spi- « ritûs sancti. » « Mentiuntur hæretici Helvidiani, « *ait* B. Albertus Magnus, p. 93, ad finem col. 2, qui « dicunt Spiritum sanctum esse patrem Christi se- « cundùm temporalem ejus generationem, quia « Pater est, qui de substantiâ suâ generat : quod « non fecit Spiritus sanctus. »

[1] *Matth.* XVIII, 16; *Deut.* XIX, 15; *Joan.* VIII, 17; II *Cor.* XIII, 1 *et Hebr.* X, 28. — [2] *Galat.* IV, 4. — [3] *Luc.* I, 35.

5. *De Spiritu sancto.* Quid tandem significat præpositio *de?* Vide suprà Cornelium à Lapide, p. 8, ad finem col. 1, qui dedit responsionem D. Thomæ ac Suarezii. « Præpositio *de*, *inquit* B. Albertus Magnus, loco suprà citato, notat potestatem, et non materiam. »

ARTICULUS V.

DE VIRGINITATE MARIÆ IN CONCEPTIONE CHRISTI.

Num. 1. Maria virgo fuit ante Conceptionem Christi, — 2. Et in ipsius Conceptione.

1. Diximus suprà, p. 219, col. 1, quòd Matthæi propositum in hocce Evangelio erat ut probaret Mariam inviolatâ virginitate absque viri congressu concepisse. Et primò quidem Maria virgo fuit usquè ad legationem Angeli qui ei nuntiavit quòd conciperet in utero et pareret filium. Audi verba Lucæ : *In mense sexto, missus est Angelus Gabriel..... ad* VIRGINEM *desponsatam viro, cui nomen erat Joseph,.... et nomen* VIRGINIS *Maria* [1]. Virgo igitur fuit Maria usquè ad Angeli adventum : hoc est de fide certum.

2. Secundò, permansit virgo in conceptione Christi, seu solâ Spiritus sancti virtute et operatione Christum Dominum concepit. Est secundus articulus fidei. Legitur apud Lucam : *Ingressus*, inquit, *Angelus ad eam dixit : Ecce concipies in utero et paries filium. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei :* SPIRITUS SANCTUS *superveniet in te, et* VIRTUS ALTISSIMI *obumbrabit tibi. Ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini... Et discessit ab illâ Angelus. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione salutare Elisabeth. Mansit autem Maria cum illâ quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam* [2]. Postquàm autem *reversa est in domum suam, cùm esset* tantummodò *desponsata Joseph*, id est, non *nupta, antequàm convenirent*, id est, ante nuptias, *inventa est*, scilicet, à Josepho, qui eam invisit ad reditum ejus, *habens in utero.* De quo autem habebat *in utero?* Ignorabat Joseph, qui idcircò volebat *occultè dimittere eam;* sed Angelus à consilio deterruit eum, dicens : *Noli timere...; quod enim in eâ natum est, de* SPIRITU SANCTO *est.* Ergò *fructus ventris* ejus de Spiritu sancto est : ergò concepit de Spiritu sancto : ergò in conceptione permansit virgo.

ARTICULUS VII.

CUR CHRISTUS NASCI VOLUIT EX DESPONSATA ?

Num. 1. Cur Christus nasci voluit ex feminâ? — 2. Cur ex virgine? — 3. Cur ex desponsatâ? Rationes convenientiæ 1° propter Christum : — 4. 2° propter Virginem : — 5. 3° propter nos.

1. Antequàm causas producamus propter quas Christus nasci voluit ex desponsatâ, non inutile erit dicere, 1° cur ex feminâ : 2° cur ex virgine. 1° Dicendum porrò cum D. Thomâ, Quæst. 31, Art. 4, quòd licèt Filius Dei carnem humanam assumere potuerit de quâcumque materiâ, si voluisset, convenientissimum tamen fuit ut de feminâ carnem acciperet. Primò quidem, quia per hoc tota humana natura nobilitata est. Undè Augustinus, Lib. 83 Quæst., Quæst. 11, in medio, dicit : « Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. » « Christus ut utrumque sexum redimeret, *ait* B. Albertus Magnus, p. 99, ad medium col. 2, unum assumpsit, et id quod assumpsit, sumpsit ex alio.» Ergò quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conveniens erat ut feminei sexûs liberatio hinc appareret, quòd ille vir de feminâ natus est. Secundò, quia per hoc veritas Incarna-

[1] *Luc.* 1, 26-31. — [2] *Ibid.* 28-56.

tionis adstruitur. Undè Ambrosius, Lib. de Incarnatione, c. 6, circa medium, dicit : « Multa in « Christo secundùm naturam invenies et ultra na- « turam : secundùm conditionem etenim naturæ in « utero feminei corporis fuit, sed supra conditio- « nem virgo concepit, virgo generavit, ut crederes « quia Deus erat, qui innovabat naturam, et homo « erat qui secundùm naturam nascebatur ex ho- « mine. » Et Augustinus, Epistolâ 3 ad Volusium, ante medium, dicit : « Si omnipotens Deus ho- « minem ubicumquè formatum, non ex materno « utero crearet, sed repentinum inferret aspecti- « bus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec « hominem verum suscepisse ullo modo credere- « tur, et dùm omnia mirabiliter facit, auferret « quod misericorditer fecit? Nunc verò ità inter « Deum et hominem mediator apparuit, ut in uni- « tate personæ copulans utramque naturam, et « solita sublimaret insolitis, et insolita solitis tem- « peraret. » Tertiò, quia per hunc modum completur omnis diversitas generationis humanæ. Nam primus homo productus est ex limo terræ sine viro et feminâ. Eva verò producta est ex viro sine feminâ : alii verò homines nascuntur ex viro et feminâ : undè hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex feminâ sine viro.

2. 2° S. Thomas, p. 85, n. 4, quatuor rationes assignat cur Christus de virgine nasci voluit. « Qua- « rum prima fuit, *inquit*, quia peccatum originale « contrahitur in prole ex commixtione viri et mu- « lieris : undè, si Christus natus fuisset de concu- « bitu conjugali, peccatum originale contraxisset. » Hæc autem ratio aliquid ponderis habere poterat tempore quo vivebat S. Thomas; nunc autem quòd *immaculata* Conceptio B. Mariæ Virginis est dogma ab Ecclesiâ definitum, omninò nulla est; nam, si B. Virgo ipsa sine labe originali concepta est, etsi ex commixtione viri et mulieris nata fuerit, à fortiori Christus nasci potuisset de concubitu conjugali, quin eo peccatum originale contraheret. « Secunda ratio, « *subdit* S. Thomas, est, quia Christus præcipuus « fuit doctor castitatis. Tertia, propter puritatem et « munditiam :... undè decuit ut venter matris ejus « nullà corruptione pollueretur. Quarta, propter « proprietatem Verbi; quia, sicut verbum sine cor- « ruptione cordis emanat à corde, ità Christus de « virgine nasci voluit et debuit sine corruptione. »

3. Dicendum etiam quòd conveniens fuit Christum de desponsatâ nasci tùm propter ipsum, tùm propter matrem, tùm etiam propter nos. 1° Propter ipsum quidem Christum, quadruplici ratione. Primò quidem, « ut Joseph nato infanti..... curam vide- « retur gerere..... sive in Ægyptum transiens, « sivè indè denuò veniens (Auctor Hom. 1 in di- « versos, p. 23, n. 1). » Ità quoque Druthmarus, Remigius Antissiodorensis et Anselmus Laudunensis, in hoc loco. Secundò, « ut per generationem « Joseph, origo Mariæ (seu Christi qui de eâ natus « est) monstraretur, siquidem non est consuetudi- « nis Scripturarum ut mulierum in generationibus « (genealogiis) ordo texatur (S. Hieronymus, p. 59, « n. 2 et 1). » Sic etiam venerabilis Beda, S. Paschasius Radbertus, Druthmarus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, Anselmus Laudunensis, Jacobus de Vitriaco, Hugo de Sancto Caro, S. Thomas Aquinas et B. Albertus Magnus, hoc eodem loco. Tertiò, ne spurius haberetur : « Alioquin, *ait* S. Pascha- « sius Radbertus, p. 59, paulò post initium col. 1, « Christum quasi de stupro natum jure se occidisse « (Judæi) mentirentur; » « et ei objici posset, *in-* « *quit* Haymo, p. 65, n. 1, quòd cum legis injuriâ « natus sit, dicente tamen Domino : *Non veni sol-* « *vere legem, sed adimplere* [1] ;... et Herodi et Ju- « dæis excusandi præberetur occasio, quòd natum « ex adulterio persequerentur. » Quartò, de desponsatâ nasci voluit Christus, ut partus ejus diabolo celaretur. Ità S. Ignatius Martyr, qui dicit in Epistolâ ad Ephesios, c. 19 : « Principem hujus « mundi latuit Mariæ virginitas, et partus ipsius, « similiter et mors Domini : tria mysteria clamoris « quæ in silentio Dei patrata sunt (vide Gallan- « dium, Bibliothecâ Patrum, Tom. 1, p. 270, edit. « Venet. 1765). » Atqui hæc verba Ignatii retulerunt suo quisque modo, et suis quisque in locis, inter Græcos, Auctores Hom. 1 in diversos et Hom. de sanctâ Christi generatione, Eusebius Cæsariensis, S. Athanasius (infrà, p. 295, ad finem num. 5, vel saltem Auctor Homiliæ qui, hoc loco, præfert Athanasii nomen), S. Joannes Chrysostomus, Theodotus Ancyranus et Theophilactus : inter Latinos, S. Hieronymus, S. Petrus Chrysologus, Venerabilis Beda, S. Paschasius Radbertus, Druthmarus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, Radulphus Ardens (infrà, p. 334, ad finem col. 2), Anselmus Laudunensis, Jacobus de Vitriaco, Hugo de Sancto Caro, S. Thomas, S. Bonaventura et B. Albertus Magnus. Hanc eamdem cogitationem reddidit S. Bernardus his magnificis verbis : « Quæ generat, *inquit*, p. 135, ad fi- « nem col. 2, et mater et virgo est : qui generatur, « et Deus et homo est. Sed numquid dabitur san- « ctum canibus aut margaritæ porcis [2] ? Absconda- « tur certè thesaurus noster in agro [3], et pecunia « nostra in sacculo reponatur [4]. Operiatur conce- « ptus sine semine matris desponsatione, partus « sine dolore vagitibus parvuli et mœrore. » Postrema autem hæc ratio non Maldonato satisfacit, qui ait, p. 5, col. 2 : « Sed hanc rationem malo li- « berè fateri me non intelligere, quam temerè re-

[1] *Matth.* v, 17. — [2] *Id.* vii, 6. — [3] *Id.* xiii, 44. — [4] *Gen.* xlii, 25.

« prehendere. Non, inquam, intelligo, quomodò « diabolus Mariæ virginitatem, si modò animad- « vertit, potuerit ignorare, cùm integrum et in- « corruptum corpus, quamvis nuptæ, videre pos- « set. » Porrò Toletus Cardinalis in Luc. I ait homini notam esse posse alicujus feminæ virginitatem, multòque magis diabolo; sed Deum voluisse ut diabolus id in B. Virgine non adverteret : « Deo tamen permittente et volente, *inquit,* dæ- « mon non advertit; cernens enim illam esse con- « junctam, cætera speculari contempsit, matrimo- « nio omnem illi impediente suspicionem, credidit- « que partum esse ex viro, cui sciebat feminam « esse desponsatam. » Quam responsionem depromptam ex D. Thomâ, Part. 3, Quæst. 29, Art. 1 ad tertium, sic illustrat Estius in Libro 4 Sententiarum, Dist, 30, § 7 : « Undè, *inquit,* quia B. Virgo « virum habebat, nec integritatem ejus, nec conci- « piendi modum perscrutatus est; sed, ut ait Basi- « lius [a], virgines innuptas præcipuè observabat [b], « quia Virginem parituram ex Prophetâ didicerat. « Quòd si extra matrimonium Virgo fuisset impræ- « gnata, Virgineum illum conceptum et partum « cognovisset diabolus, hoc argumento : Concepit « extra matrimonium, non ex fornicatione; neque « enim id me lateret, qui sum auctor fornicationis : « ergò concepit de Spiritu sancto. » Propter hunc partum diabolo occultatum, sibi etiam ponit hanc quæstionem B. Albertus Magnus, p. 89, n. 3 : « Nonne, *inquit,* scit (diabolus) per naturam signa virginitatis? » Et sic huic quæstioni statim respondet : « Dicendum quòd totum mysterium Incarnationis supra naturam est, et ideò à diabolo secretum. » Cur autem dæmon mysterium Incarnationis ignorare debebat? « Ne, *inquit* Auctor Homiliæ 1 « in diversos, p. 23, n. 1, ille Malignus fraudis « commenta adversus desponsatam Virginem nulla « penitùs inveniret : » « quia, *dicit* Theodotus, « p. 45, n. 4, virginitas insidiis ab illo appeteba- « tur,..... nusquàm eam consistere sinens,... quòd « audisset communem gratiam ex Virgine nascitu- « ram : » præsertim, quia, ut aiunt Druthmarus, Remigius Antissiodorensis et S. Thomas Aquinas, eodem loco, si Christum de simplici Virgine natum scîsset dæmon, facilè eum Dei Filium agnovisset, et numquàm eum crucifigere suasisset Judæis : *Si enim cognovissent,* inquit Apostolus, *numquàm Dominum gloriæ crucifixissent* [1]; ideòque impedivisset passionem ejus et fructum nostræ redemptionis.

4. 2° Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. Primò quidem, ut ei à Josepho ministerium exhiberetur, sicut aiunt suis in locis Auctor Homiliæ 1 in diversos, Theophilactus, S. Hieronymus, Vener. Beda, S. Paschasius Radbertus, Druthmarus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, Anselmus Laudunensis, S. Bruno Astensis, Jacobus de Vitriaco, Hugo de Sancto Caro, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura et B. Albertus Magnus. Secundò, ut per hoc ab infamiâ liberaretur. Undè Auctor Homiliæ in sanctam Christi generationem, p. 27, ad finem col. 1 : « Simul..... ut et Joseph puritatis Mariæ « esset testis domesticus, et ne foret calumniis ob- « noxia, quasi virginitatem contaminâsset, spon- « sum vitæ habebat custodem. » Ità suis etiam in locis, et similibus, si non iisdem verbis, S. Joannes Chrysostomus, Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Theodotus Ancyranus, S. Petrus Chrysologus, Vener. Beda, S. Paschasius Radbertus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, Jacobus de Vitriaco, Hugo de Sancto Caro, S. Thomas Aquinas et B. Albertus Magnus. Tertiò, ut per hoc redderetur immunis à pœnâ, ne scilicet « lapidaretur à Judæis « ut adultera, sicut dicit Hieronymus, p. 49, n. 2. » Ità etiam suis in locis Vener. Beda, S. Paschasius Radbertus, Druthmarus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, S. Bruno Astensis, et Jacobus de Vitriaco. « Ne adultera combureretur, » inquit Hugo de S. Caro, p. 80, ad medium num. 1, statim subjungens quòd « de aliâ tribu lapidabantur : » undè putare videbatur B. Virginem de tribu fuisse Leviticâ. Enimverò, *ait* B. Albertus Magnus, p. 89, ad finem col. 1, « quidam dicunt B. Virginem fuisse..... de « tribu sacerdotali, » quia cognata erat Elisabeth; « sed, continuò *subjungit,* ista responsio non est « bona, quia, per hoc quòd fuit cognata Elisabeth, « non probabitur esse de tribu sacerdotali; » et hanc subdit rationem, « quia, *inquit,* puellæ pluri- « bus de causis de tribu in tribum transiverunt ad « matrimonium. » Quæ ratio eò minùs probat, quòd falsa est, saltem quoad Josephum et B. Virginem : « Moyses quippè, *ait* Eusebius, p. 103, initio col. 1, « legem edixerat, ut ne aliundè liceret nuptias sibi « conciliare quàm ex genere proprio suâque tribu, « ne videlicet generis hæreditas ex unâ in aliam « tribum commoveretur,.... et qui ad legis nor- « mam viveret, haud aliam sibi uxorem copulavis- « set, nisi quæ primùm esset ex ejus patriâ tribu, « deindè ex eâdem gente familiâque, nempè Davi- « dis; illatenùs enim lex jubebat. » Tunc autem, dicet quis, quomodò, ex eo quòd Maria sit cognata Elisabeth, et ista de Leviticâ tribu fuerit, probandum erit indè tamen non posse colligi B. Virginem non fuisse eâdem tribu ac cognatam ejus Elisabeth? Ad hoc pulcherrimam responsionem tradidit Eusebius, quam leges suprà, p. 103, n. 8. —Videtur autem,

[a] Vel Auctor, quisquis sit, Homiliæ in sanctam Christi generationem (vide p. 27, ad finem Num. 3)

[1] I *Cor.* II, 8.

[b] Ità etiam Theophilactus, p. 47, n. 1.

aiunt quidam, hæc ratio desumpta è pœnâ lapidationis involvere repugnantiam quamdam; quomodò enim B. Virgo posset esse adultera, si non esset desponsata? « Responsio est, *ait* Suarezius, Quæst. 29, Art. 1, « sensum horum Auctorum non esse quòd B. Virgo « potuerit, si non esset desponsata, puniri propter « existimatum peccatum adulterii, sed quòd potue- « rit puniri eàdem pœnâ quâ adulteræ punieban- « tur. » « Procul dubio puella, *ait* B. Albertus Ma- « gnus, p. 89, initio col. 2, extra domum patris, « in campo cognita, » *dùm vir morietur solus, ipsa nihil patietur*, *nec erit rea mortis*, quia « ex- « cusationem habet, quòd destituta fuerit in adju- « torio [1]; sed quæ in domo patris custodita exces- « sit (et in eo casu fuisset B. Virgo, quæ in domo pa- « rentum custodiebatur), quandò posteà..... im- « prægnata ante desponsationem vel contractum ma- « trimonii apparuit, de tribu sacerdotum combure- « batur [2], et de aliâ tribu, lapidabatur [3], nisi tamen « quòd *qui concubuerit cum eâ puellâ virgine non « habente sponsum*, *det patri puellæ quinqua- « ginta siclos argenti*; *et habeat eam uxorem* [4]; « tunc enim vir et puella nullo supplicio afficiun- « tur. »

5. 3° Ex parte etiam nostrâ hoc fuit conveniens. Primò quidem, quia testimonio Josephi comprobatum est Christum ex Virgine natum esse. Proferamus testimonia Auctoris Homiliæ in sanctam Christi generationem, S. Chrysostomi, Theodoti, S. Hilarii, S. Augustini, S. Petri Chrysologi, Vener. Bedæ, S. Paschasii Radberti, et Haymonis. 1^{um}, p. 27, n. 3 : « Et Virgo et viro desponsata,.... ut et Jo- « seph puritatis Mariæ esset testis domesticus; et « ne foret calumniis obnoxia, quasi virginitatem « contaminâsset, sponsum habebat vitæ custo- « dem. » 2^{um}, p. 30, n. 1 : « Quandò ille qui plùs « quàm omnes zelotypiâ corripi poterat, videbatur « eam non modò non traducere, nec inhonorare, « sed etiam in consortium accipere, ipsique mini- « strare prægnanti, palàm est eum non sic factu- « rum, nisi persuasum habuisset eam ex Spiritu « sancto concepisse. » 3^{um}, p. 45, n. 3 : « Ex de- « sponsatâ virgine nascitur Dominus sponsum te- « stem virginitatis (Mariæ) faciens. » 4^{um}, p. 48, n. 1 : « Ne qua partu (Mariæ) ambiguitas existeret, (Jo- « seph) concepti ex Spiritu sancto Christi testis « assumitur. » 5^{um}, p. 51, n. 1 : « Meritò planè te- « stis est electus (Joseph) virginitatis uxoris. » 6^{um}, p. 52, n. 2 : « Sponsus, quid faceret ad ista, « (id est, cùm *inventa est* (Maria) *in utero habens*)? « Accusaret de crimine? Sed erat ipse innocentiæ « testis. Culpam diceret? Sed erat ipse custos pu- « doris. Urgeret adulterium? Sed erat ipse virgini- « tatis assertor. » 7^{um}, p. 57, n. 3 : « (Mariam) dis- « pensatione justæ necessitatis accipere jubetur (Jo- « seph), qui testis ejus perpetuæ virginitatis « existat. » 8^{um}, p. 58, n. 1, col. 2 : « Nulli etiam « datus est locus mentiendi ex eo (partu Mariæ), « quia virginitas desponsata criminari non potuit se « obumbrâsse mendacio, dùm testis assumitur casti- « tatis. » 9^{um}, p. 65, n. 1 : « De desponsatâ natus est « Christus, ut testis pudoris maritus adhiberetur qui « posset delere et vindicare opprobrium, si non « agnosceret sacramentum. » Non proferimus testimonia Remigii Antissiodorensis, Jacobi de Vitriaco et B. Alberti Magni, quæ sunt eadem. Vide unumquemque horum Auctorum in loco ubi tractant cur Christus ex desponsatâ nasci voluerit. Secundò, quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur, suam virginitatem asserentis. « De despon- « satâ natus est Christus, *inquit* Haymo, p. 65, « n. 1, ne videretur Maria culpam obumbrare « mendacio; causam enim mentiendi desponsata « non habuit, cùm conjugii præmium partus sit « feminarum. » Audi etiam S. Thomam : Prima « (ratio, *inquit*, p. 82, n. 1, cur Christus voluit « nasci de virgine desponsatâ), est ut credibilius « esset testimonium virginitatis ejus; si enim « non fuisset desponsata, et diceret se esse virgi- « nem, cùm esset imprægnata, non videretur ob « aliud dicere, nisi ut celaret crimen adulterii; sed, « cùm desponsata erat, non habebat necesse mentiri; « et ideò magis esset credendum ei. » Atqui hæ duæ primæ rationes pertinent ad firmitatem fidei nostræ. Tertiò, ut tolleretur excusatio virginibus, quæ propter suam incautelam non vitant infamiam. Undè S. Pachasius Radbertus, p. 57, col. 2, dicit : « Assumitur..... Joseph sponsus,..... ne virginibus « velamen excusationis fieret, quòd mater Domini « criminibus fuerit infamata. » Ità Haymo, p. 65, n. 1, Anselmus Laudunensis, p. 69, n. 1, Jacobus de Vitriaco, p. 77, n. 9, Hugo de Sancto Caro, p. 80, ad finem num. 1, et B. Albertus Magnus, p. 89, ad medium num. 3. Quartò, quia per hoc « universalis « Ecclesia, *inquit* S. Paschasius Radbertus, p. 58, « ad medium col. 1, præsignatur de Spiritu sancto « replenda, per quem in cordibus credentium et « ipsa Christum quotidiè non solùm parit, quia « mater et virgo est, sed etiam sponsa in omnibus « appellatur. » Ità S. Petrus Chrysologus, p. 55, n. 3, Anselmus Laudunensis, p. 69, ad finem num. 1, et Jacobus de Vitriaco, p. 77, in medio num. 9. Quintò, « ut in matrimonio etiam Joseph et Ma- « riæ, *ait* Jacobus de Vitriaco, ibidem, signetur « matrimonium Prælati et Ecclesiæ, quæ ab uno « desponsatur, et ab alio, scilicet, à Spiritu « sancto fecundatur. » Sextò, « ut fidelibus conju- « gatis, *inquit* Haymo, p. 65, ad medium num.

[1] *Deut.* XXII, 25-27. — [2] *Levit.* XXI, 9. — [3] *Deut.* XXII, 23 *et* 24. — [4] *Ibid.* 28 *et* 29; *vide etiam B. Albertum Magnum*, p. 89, n. 3.

« 1, ex pari consensu continentia insinuaretur. » Septimò, « ut, nisi prævaricationi esset obnoxia, « *ait* idem, eodem loco, qualiter humana progenies « multiplicari sine virginitatis detrimento potuisset, « demonstraretur. » Potest etiam et octava ratio esse quòd mater Domini fuit desponsata et virgo, quia, *inquit* D. Thomas, Part. 3, Quæst. 29, Art. 1, « in personâ ipsius et virginitas et matrimonium « honoratur, contra hæreticos alteri horum detra- « hentes.» Ità quoque Hugo de Sancto Caro, p. 80, ad finem num. 1.

ARTICULUS VII.

DE APPELLATIONE JUSTI JOSEPHO FACTA.

Ἰωσὴφ δὲ, ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὤν. *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus.*

NUM. I. *Vir* significat hìc *sponsus*. — 2. Triplex acceptio vocis *justus*. — 3. Quænam harum trium significationum cæteris præstat?

1. *Joseph autem, vir ejus.* Uti suprà demonstravimus, matrimonium B. Josephi cum B. Mariâ non intercesserat, quandò ista sanctissima Virgo *inventa est* à Josepho *in utero habens.* Hìc ergò *vir ejus* significat *sponsus ejus;* idque, ut etiam diximus, Scripturæ sacræ confirmant, in quibus nomina *vir* [1] et *uxor* [2] pro sponso et sponsâ usurpantur; nec desunt harum appellationum exempla in aliarum gentium Scriptoribus. Audi nunc SS. Patres hanc vocem interpretantes. « *Virum* eum (Josephum) « appellavit (Matthæus), *inquit* Auctor Homiliæ 1 in « diversos, p. 24, n. 3, contra Judæorum pravita- « tem, ut adversus Virginem non sævirent : pro- « pterea et desponsata fuit ipsi Joseph ; si enim non « fuisset desponsata Joseph, omnium bonorum in- « creduli et inimici Judæi lapidibus eam occidis- « sent : ideò *virum ejus* hìc eum Evangelista ap- « pellavit. » « *Virum* autem hìc, *ait* S. Paschasius « Radbertus, p. 60, n. 4, *sicut et in aliis quibusli- « bet locis*, non aliud quàm sponsum, secundùm « consuetudinem divinarum Scripturarum accipere « debemus, sicut nec *uxorem* aliud quàm sponsam « intelligimus. » Equidem dixit generaliter Paschasius Radbertus : *Sicut et in aliis quibuslibet locis:* quod tamen non debet intelligi nisi è locis Scripturæ sacræ suprà citatis, et quos aliundè ipse citat ; nam cùm matrimonium intercessit, scilicet, post somnium Josepho immissum, per *virum* et per *uxorem* non jàm intelligendus est *sponsus* et *sponsa ;* ideòque, cùm Lucas dicit : *Ascendit autem et Joseph... de civitate Nazareth... in civitatem David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante* [3], hìc vox *uxor* non potest usurpari pro *sponsâ*, et retinet suam propriam acceptionem, sicut si nomini *Joseph* addidisset Lucas : *Vir Mariæ*, vox *vir* non significâsset *sponsum*, sed *hominem matrimonio ligatum.* « A fide « sponsionis, *dicit* tandem B. Albertus Magnus, « p. 94, n. 13, *vir ejus* dicitur. » Proindè tantummodò ex contextu loci, ut jàm diximus, et ex interpretatione quam de hoc loco tradunt Patres, veram acceptionem de quâlibet voce habebimus : atqui hìc et contextus et interpretatio Patrum dant voci *vir ejus* significationem *sponsi ejus :* ergò hìc *vir ejus* significat *sponsus ejus.*

2. *Cùm esset justus.* Sunt qui autumant Josephum *justum* dici secundùm ampliorem justitiæ notionem pro *recto, probo, integro.* Ità Chrysostomus qui hæc scripsit, p. 30, col. 2 : « *Justum* hìc omni virtute præditum dicit. » His autem Scriptorum sacrorum suffragia affatim suppetunt, *justum impio et peccatori* [4] quàm sæpissimè opponentium, inque eâ notione nomen *justitiam* [5], et verbum *justificare* [6] accipientium : quæ tria una simul in hoc sensu accepta reperies in Libro Regum [7]. Ex novi Testamenti Scriptoribus nemo sæpiùs hoc nomen usurpat quàm Matthæus, neque tamen umquàm, nisi in hoc sensu, ubi de hominibus loquitur. Aliud prætereà huic interpretationi momentum accedit, quòd patriâ linguâ scriberet Matthæus, in quâ maximè frequens est hæc illius vocabuli significatio. Alii malunt *mansuetum, benignum, clementem, facilem*, pro illo reddere; hisque non adversatur Chrysostomus, cui *justus* in hàc narratione idem quoque esse videtur ac *benignus, moderatus*, etsi priùs aliter hanc vocem interpre-

[1] *Deut.* XXII, 23 et *Joel*, I, 8. — [2] *Gen.* XXIX, 21 *coll.* 22, et *Deut.* XXII, 24. — [3] *Luc.* II, 4. — [4] *Psalm.* I, 6; VII, 10, *etc.* et *Prov.* XI, 18 et 28, *etc.* — [5] *Gen.* XV, 6, *etc.* et *Psalm.* V, 9 et VII, 9, *etc.* — [6] *Job*, IV, 17, *etc.*; *Psalm.* LXXII, 13 et XLII, 2; *Prov.* XVII, 15 et *Isai.* LIII, 11. — [7] III *Reg.* VIII, 32.

tatus sit. Ità Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Theophilactus, S. Petrus Chrysologus, Vener. Beda, S. Paschasius Radbertus, Anselmus Laudunensis, S. Bruno Astensis, Jacobus de Vitriaco, Guilielmus Parisiensis, Hugo de Sancto Caro, et B. Albertus Magnus, in hoc loco. Et reverà interpretes græci Scripturarum δίκαιον, *justum* [1], et δικαιοσύνην, *justitiam* [2], reddiderunt pro חֶסֶד, *hesed*, quod est ἐλεημοσύνη, *misericordia, benignitas*; contrà verò pro צְדָקָה, *tsedaqa*, *justitia*, reddiderunt ἔλεος, et ἐλεημοσύνην, *misericordiam* [3], *benignitatem* [4]. Hebraica insuper nomina צַדִּיק, *tsaddiq*, *justus*, et חָסִיד, *hasid*, *benignus*, conjuncta reperies per poeticam ἐπεξήγησιν [5]. Sunt deniquè qui putant *justum* appellari Josephum secundùm eam vocis notionem quæ maximè propria est, id est, in quantùm justitia, sicut ait Tullius, Libro 5 de Finib., c. 23, est « animi affectio suum cuique tribuens. » Ità S. Hieronymus, et Remigius Antissiodorensis, in hoc loco.

3. Quænam verò harum trium significationum cæteris præstet, intelligemus, si causam attendamus propter quam Matthæus justitiam Josephi commemoravit. Diversæ autem sunt de hàc quæstione sententiæ. Una est Josephum *justum* appellari, quò ratio reddatur cur sponsam is traducere nollet; ac si dictum fuisset : *Cùm esset justus, et* IDEO *nollet eam traducere.* In hàc sententià vox *justus* non potest accipi in sensu maximè ei proprio, id est, in quantùm *suum cuique tribuit.* Etenim non lædebatur justitia, hoc nomine in sensu maximè ei proprio accepto, traducendo uxorem vitiatam, siquidem leges erant quæ, licèt virum non adigerent ad eam traducendam, præcipiebant tamen modum, quo actio adulterii uxori intenderetur, pœnamque infligendam, ut in Articulo sequenti enarrabimus. In hàc igitur sententià, vox *justus* commodè intelligitur pro *recto*, *integro*; commodiùs autem pro *mansueto*, *benigno*, *clementi*. Altera sententia est appellatione *justi* reddi rationem cur Josephus vellet sponsam occultè dimittere; sed multimodum habet intellectum. Ut autem id clariùs appareat, duo priùs oportet animadvertere. Unum est, verbis *occultè dimittere*, duas res enuntiari, ipsam dimissionem, et dimissionis modum occultum. Alterum, verbis *nollet eam traducere*, non dimissionis, sed modi quo hæc fieret, causam aperiri. Quibus præcognitis, sic disputamus. Si appellatio *justus* causam suggerit ipsius dimissionis, id est, cur Josephus vellet sponsam dimittere, primam rei speciem intuentibus videtur significare hanc justitiam propriè dictam, quæ suum cuique tribuit : rectène, an secùs, mox dicetur. Sin autem causam aperit modi quo fieret dimissio, id est, cur sponsam vellet Josephus *occultè* dimittere, vox *justus*, vel *probus, integer,* vel potiùs *mansuetus, clemens* significabit; atque hoc pacto illa enuntiatio : *Nollet eam traducere*, explanaret illam appellationem *justus*, et ostenderet quænam vis ei insit; sive potiùs vox *justus* rationem indicaret cur Josephus nollet sponsam traducere; voces verò *nollet eam traducere*, cur *voluit occultè dimittere eam.* Proindè ratio cur Josephi justitiam commemoraverit Matthæus, illa ipsa esset quæ allata est in primà sententià. Si deniquè appellatio *justus* utriusque rei causam exhibet, tùm sponsæ dimittendæ, tùm modi quo eam dimittere Josephus statuerat, significatio cujus sensus est *probus, integer*, obtinebit. Hoc autem pacto, Matthæus rationem simul reddidisset primò tùm dimissionis, tùm modi per vocem *justus*, deindè modi tantummodò per verba *nollet eam traducere.* Cùm tamen hæc altera ratio nihil foret aliud nisi explanatio ipsius nominis *justi* ex eà parte, quatenùs istud rationem contineret modi sponsæ dimittendæ, hoc est, cur vellet Josephus eam occultè dimittere, videretur alia ratio desiderari, quæ idem illud nomen *justum* ex eà quoque parte explanaret, quatenùs eo causa indicaretur ipsius dimissionis, cur videlicet Josephus sponsam dimittere vellet. Ut hæc in pauca conferamus, dicimus sententiam ità fore : *Joseph justus erat; voluit ergò et sponsam dimittere, et occultè dimittere :* hujus sententiæ consequens duabus constaret partibus; at posterioris tantùm partis consequentiam Matthæus declaràsset, cùmque absolutæ demonstrationi hæ duæ argumentationes opus essent ; altera : *Joseph, cùm esset justus, ideòque nollet sponsam ab alio cognitam ducere, voluit eam dimittere;* altera : *Joseph, cùm esset justus,* ideòque *nollet sponsam traducere, voluit occultè dimittere eam*, hanc alteram dumtaxat in hoc loco legeremus, non autem et illam primam. Non igitur accipiendum videtur appellatione *justi* illius utriusque rei causam enuntiari. Itaque, cùm tota disceptatio jàm eò redacta sit, ut quærendum dumtaxat supersit utrùm appellatio *justi* Mariæ sponso facta sit, quò ratio redderetur cur is *nollet eam traducere*, quod idem foret ac causam minùs tamen in propinquo positam indicare modi dimissionis, an potiùs hæc appellatio eò pertineat, ut appareat ratio ipsius dimissionis, quorum si primum maneat, *justus* idem sonabit ac *probus* aut *mansuetus*, sin alterum, in sensu justitiæ strictæ accipiendum esse quis fortè credet, tandem dicimus 1° Josephum *justum* à Matthæo dici, deque ejus justitià mentionem injici, ut causam co-

[1] *Isai.* LVII, 1. — [2] *Gen.* XIX, 19, *etc.* et *Exod.* XV, 13, *etc.* — [3] *Isai.* LVI, 1 et *Ezech.* XVIII, 19 et 21. — [4] *Deut.* VI, 25 et XXIV 13 et *Psalm.* XXXII, 3, *etc.* — [5] *Psalm.* CXLV, .

gnoscamus dimissionis, 2° neque tamen ideò necesse esse tertiam nominis *justi* significationem cæteris præferre, imò in primâ, id est, in significatione *probi* posse illud ac debere accipi. Prior propositionis pars his duobus argumentis probatur : primò, quòd, sicut verba *nollet eam traducere*, continent rationem modi dimissionis, ità nomen *justus* ipsius dimissionis causam ostendit : deindè, quòd, eo posito, sensum verborum colligamus maximè obvium atque perspicuum, ità ut *justus* quodammodò opponatur vocibus *nollet eam traducere*, veluti si dictum esset : *Cùm simul Joseph esset justus, ideòque sponsam dimittere vellet, simulque nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Posterior autem pars eo sese tuetur, quòd prima nominis *justi* significatio, scilicet, ea quæ sonat idem ac *probus*, duas alias significationes comprehendat, quòdque plures ac longè majoris momenti rationes eam tertiæ præferre suadeant.

ARTICULUS VIII.

DE JOSEPHI CONSILIO.

Ἰωσὴφ δὲ, ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν : *Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.*

Num. 1. Exegesis verbi *traducere*. — 2. Utrùm Maria à Josepho dimittenda erat, et id occultè fieri licebat?

1. Josephus, ut sponsam prægnantem deprehendit, cùm *nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Hìc verò quædam explanare oportet, sive quod ad verba attinet, sive quod ad rem ipsam initumque à Josepho consilium. Verbo *traducere* alii alium sensum affingunt. Primò sensum amoveamus quo istud verbum significaret *traducere in domum suam*, scilicet, ad matrimonium seu ad cohabitationem assiduam, etsi hunc sensum dicto verbo affinxerint S. Paschasius Radbertus, p. 60, col. 2, Haymo, p. 65, col. 2, Anselmus Laudunensis, p. 70, ad finem num. 3, S. Bruno Astensis, p. 71, ad finem num. 2, Jacobus de Vitriaco, p. 75, ad medium col. 1, Hugo de Sancto Caro, p. 80, n. 3, et B. Albertus magnus, p. 95, initio col. 1; huic enim sensui obstat græcus textus. Juxta plures Auctores, verbum *traducere* redditum est pro græco παραδειγματίσαι, quod significat, *in exemplum proponere* pœnæ, videlicet, ob adulterium luendæ. Ità Theophilactus, p. 47, n. 2, S. Paschasius Radbertus, p. 60, col. 2, Druthmarus, p. 63, initio col. 2, Haymo, p. 65, col. 2, Maldonatus, p. 9, col. 2, et Cornelius à Lapide, p. 9, ad Notam *b*. Quam significationem fusè ac solidè defendit Raphelius, Annot. in totam sacram Scripturam ad hunc locum. Habes etiam locos Scripturarum, quos de hâc ipsâ significatione consulas [1]. Attamen hæc legimus apud Eusebium, p. 101, col. 2 : « Οὐ γὰρ « ἔφησε· Μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἀλλὰ « μὴ δειγματίσαι : Non enim ait (Matthæus) : Nolens (Josephus) eam (Mariam) infamare, sed *dif-* « *famare*, quorum vocabulorum multa est diffe- « rentia;..... namque *infamare* facit ut cogitemus « de publicâ hominis malefici patefactione ac dela- « tione; *diffamare* autem patefaciendi tantum- « modò notionem habet. » « En igitur, *ait* Cardina- « lis Mai, p. 101, ad notam *d*, Eusebius disertè « affirmat lectionem δειγματίσαι, *diffamare*, quam « habet etiam antiquissimus omnium Codex bibli- « cus vaticanus, necnon palimpsestus Dublinen- « sis. Apud Sabaterium consonant Cod. Cantabrig., « *propalare*, Vigilius Tapsensis, *detegere*; S. Au- « gustinus, *divulgare*, » « quamquàm, *inquit* Mal- » donatus, p. 9, col. 2, vertit *exemplare*, Epi- « stolâ 59. » De cætero, apud multos Auctores, verbo παραδειγματίσαι quod adhibent, subest eadem significatio ac verbum δειγματίσαι, *patefacere*. « Quidam dicunt, *ait* S. Paschasius Radbertus, p. 60, « col. 2, quòd verbum *traducere* in græco dicatur « παραδειγματίσαι, et *propalare* interpretur, ut sit « sensus, quia noluerit (Josephus) conceptum ejus « (Mariæ) omnibus palàm facere. » Equidem illud verbum in hoc sensu accipiunt Haymo, p. 65, ad finem col. 2, Remigius Antissiodorensis, p. 67, ad finem col. 2, Anselmus Laudunensis, p. 70, ad finem num. 3, Jacobus de Vitriaco, p. 75, ad finem num. 5, Hugo de Sancto Caro, p. 80, ad finem col. 2, S. Thomas Aquinas, p. 84, initio num. 6, et B. Albertus Magnus, p. 94, ad finem col. 2. Undè valdè nobis arridet sententia Eusebii. Ver-

[1] *Num.* XXV, 4; *Jerem.* XIII, 22; *Ezech.* XXVIII, 17 *et Hebr.* VI, 6.

bum ἀπολῦσαι, *dimittere*, sensum maximè obvium habet, ideòque nullâ indiget explicatione. Verbum hoc argumento quibusdam est, ut credant nuptias Mariæ et Josephi, cùm is id consilii capiebat, jàm factas fuisse, quia hujusmodi dimissio fuisset verum ac propriè dictum divortium. Huic objectioni respondimus suprà, p. 219, n. 4.

2. Habes quid hæc duo differant inter se, *sponsam traducere, eamque dimittere*. Quæres jàm an Josephus aliquâ lege obligaretur, ut alterutrum horum præstaret, et ex hypothesi quòd sponsa dimittenda ab eo erat, an id *occultè* fieri liceret. Plures leges tulerat Moyses de feminis adulteris deque pœnis quibus hæ plecterentur, hisque legibus in hujusmodi feminas agere Israelitas jussos à Moyse fuisse, res indubia est. Inter has autem leges et eæ reperiuntur, quibus statuebatur utiquè quid facto opus esset, si vir de adulterio deve stupro ante sponsalia admisso uxorem accusaret [1]; non tamen vir cogebatur ut talem accusationem instrueret : quod vel sola lectio illarum legum manifestè nos docet. Quarè neque Josephus legem ullam violabat, quòd sanctissimam sponsam traducere nollet. Quod autem attinet ad sponsam dimittendam, ut pronuntiemus utrùm Josephus lege aliquâ obligaretur, necne, quantaque hæc foret obligatio, scire priùs oporteret quantùm temporis intercesserit inter sponsalia interque diem quo Maria Virgo prægnans visa fuit, quod tempus tribus mensibus brevius esse non potuit; certò enim constat non potuisse Josephum eam rem deprehendere ante tertium mensem prægnationis exeuntem, tùm quia non ante id tempus uterus adeò intumescere solet, ut res conspicua fiat, tùm maximè quia Virgo toto hoc temporis spatio apud Elisabeth commorata est procul à Josepho. Si igitur trimestre spatium aut novem ad summum mensium à sponsalibus effluxerat, quoniam mysterium adhuc Josephum latebat, suspicio huic suboriri utiquè potuisset, ne Virgo vim ab aliquo ante sponsalia passa esset, ex quo iste eam ducere uxorem lege [2] deberet; ideòque ipse Josephus retinere vetaretur, necesseque haberet dimittere : sin autem longius tempus intercesserat, locus esse non potuit suspicioni flagitii patrati ante sponsalia, sed posteà : quod cùm fiebat, Judæi, non quidem lege Mosaicâ, sed ratione quâdam honestatis sese adigi existimabant ad sponsas uxoresque dimittendas, adeò ut, si secùs facerent, peccare se arbitrarentur. Lege Seldenum, Uxor. Hebraic., Lib. 3, c. 13, doctoresque gemaricos et rabbinos, quorum auctoritates is profert. Neque desunt in Scripturis istius opinionis veluti fundamenta [3]. Ergò Josephus, *cùm esset justus*, putavit minimè sibi licere Mariam uxorem ducere, sed dimittendam à se esse. Licebat tamen Josepho sponsam occultè dimittere. Neque enim, ut occulta esset dimissio, necesse erat ut ea fieret sine libello repudii, quod legi aut certè patriis institutis adversabatur, aut sine testibus saltem duobus, qui nisi adessent, libellus auctoritate omni destituebatur, sed « sine strepitu forensi, *inquit* Seldenus, « Opere citato, Lib. 3, c. 23, p. 500, et absque « criminis atque dotis sive dispendii sive diminu- « tionis infamiâ. » Hoc modo poterat dimissio occulta esse, attamen legitima, maximè verò quòd in libello, etiam cùm coram judicibus sponsæ tradebatur, causæ repudii non scriberentur.

ARTICULUS IX.

DE ANGELO AD JOSEPHUM LEGATO.

Ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος, ἰδοὺ Ἄγγελος Κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ, λέγων. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens.*

Num. 1. Exegesis horum verborum. — 2. Sententia Rosenmuelleri de Angelis. — 3. Refellitur hæc sententia.

1. *Hæc autem eo cogitante*, id est, « cùm nemini dixisset, ut ait Chrysostomus, p. 31 et 32, « n. 6, ac ne illi quidem quæ in suspicionem ve- « niebat, sed animo solùm hæc cogitaret, et secessûs « causam Virgini obtegere studeret; neque enim « dixit ipsum voluisse illam ejicere, sed *dimittere*, « usquè adeò benignus et moderatus erat! » « Quid « est, *hæc eo cogitante*, inquit S. Paschasius « Radbertus, p. 60, n. 6, nisi quæ per anticipa- « tionem Evangelista præmisit? Ubi profectò talis « videtur sensus reddendus, ac si diceret : Hæc eo « ante deliberationem inter angustias cogitante « quid ageret, utrùmne occultè dimitteret, an « deberet traducere. » Textus evangelicus expressè dicit quòd *nollet eam traducere*, et certissimè sciebat justus Josephus quòd in eo nullam legem

[1] *Num.* v, 11-31 *et Deut.* xxii, 13-21. — [2] *Exod.* xxii, 19 *et Deut.* xxii, 28 *et* 29. — [3] *Prov.* xvii, 22, *græc. et lat.; in Hebr. enim nihil è re est; Eccli.* ix, 6 *et* 10 ; xix, 3 ; xli, 21 *et* 25. I *Cor.* v, 9 *et* vi, 15 *et* 16.

violaret; ideòque tantummodò secum reputabat an sibi liceret Mariam uxorem ducere, vel an dimittere à se deberet; et autumans quòd à se dimittenda esset, seu Virgo vim ab aliquo ante sponsalia passa esset, seu post ea, cogitabat quomodò eam *occultè* dimitteret; nam profectò sciebat id sibi licere. *Hæc* ergò *eo cogitante, ecce...* Henricus Sanclementius in Libris quos de vulgaris æræ Emendatione, Libr. 4, c. 7, acri judicio multâque eruditione conscripsit, ait vocem hanc in Novo Testamento significare rem continuò aut brevì post ea quæ priùs narrata sunt factam esse. Hoc tamen quatenùs verè dicatur, accuratè consideremus necesse est. Ut enim Scriptores cæteros prætereamus, apud quos idem est hujus adverbii usus ac apud Matthæum, in hujus Evangelio, è locis sexaginta duobus in quibus illud legitur, sexdecim sunt aut decem et septem in quibus ad rem simpliciter indicandam usurpatum est, quin ulla habeatur ratio temporis, quo res facta est [1], et saltem quatuor, ubi *ecce* etiam tempus quo facta res est, designat, ità ut liqueat quidem rem gestam esse post id quod proximè narratum est, inque ipso loco ac nullo alio longiore historiæ tractu, quale iter aliquod foret, interposito; nùm tamen continuò statimque post priora, non satis constet [2]: in reliquis, plerisque saltem, hoc adverbio id significatur quod ait Sanclementius, in quorum tamen nonnullis, si dubitatio aliqua incidat, ex adjunctis potiùs totius narrationis quàm ex loquendi consuetudine, vis et significatio adverbii poterit definiri. Quarè patet ex solo hujus adverbii usu peti non posse argumenta, saltem planè firma, quibus sciamus quandò ea acciderint quæ adhibito hoc adverbio narrantur. Hoc autem eò fidentiùs affirmare licet, quia, siquidem hæc continuò aut brevì post priora evenerunt, id non ex hoc adverbio, sed ex totius narrationis contextu deprehendimus, etiamsi ipsum adverbium tollatur, verbi gratiâ, ubi participium præsens casu, ut vocant, absoluto est ante *ecce*, sicut in his Matthæi verbis: Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ κ. τ. λ. *Hæc illo loquente ad eos, ecce*, etc. [3], multòque magis ubi hujusmodi participio additum est adverbium ἔτι, *adhuc*, ut: Ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις, ἰδοὺ κ. τ. λ. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce etc.* [4]; dele enim illud *ecce*, nihil tamen ex hoc sententia detrimenti capiet, quin rem continuò factam narrari intelligas, ut videre est in similibus dicendi formis, à quibus illud adverbium abest [5]. Cæterùm facilè illud, putamus, dabis, eam vim huic adverbio esse, ut obstet quominùs narrationes, quas connectit, separari queant. — *Angelus Domini apparuit in somnis ei.* Porrò cur non « apertè, *ait* S. Chrysostomus, p. 31, n. 6, ut pastoribus et Zachariæ « visus est, necnon etiam ipsi Virgini? » Et sic sibi respondet: « Admodùm fidelis vir erat (Josephus), « neque egebat tali visione. Nam Virgo cui annun- « tiabatur res tanta et longè major quàm Zachariæ, « etiam ante rem ipsam egebat mirabili quâdam « visione; pastores verò, utpotè qui agrestiores es- « sent, apertiore visione opus habebant. » Ità quoque Theophilactus, p. 47, n. 3. E contrà, S. Paschasius Radbertus dicit, p. 61, col. 1, « quòd Angelus Do- « mini *in somnis*, et non in aliâ manifestiùs reve- « latione illi (Josepho) apparuit,... quia..... Angelum « conspicuâ visione videre non meruit. » At, cur hanc gratiam non meruit? Glossa, quam citant S. Thomas, p. 84-85, n. 9, et B. Albertus Magnus, p. 97, col. 2, eamdem rationem ac S. Paschasius affert, scilicet, « quia dubietate anima (ejus) pre- « mebatur, velut somno infidelitatis. » Sed, ait B. Albertus Magnus ibi, « si propter dubietatem « (Angelus) apparuit in somnis Joseph, multò magis « propter majorem dubietatem in somnis debuit « apparere Zachariæ. » Non igitur hi Auctores veram rationem attulisse videntur, et qui dicunt Josephum conspicuâ visione non eguisse, et qui dicunt istam visionem non meruisse. Magis præferenda nobis videtur ratio quam profert de hâc visione Alphonsus Tostatus, in Matth. 1, Quæst. 55 et 56; ea est: « Joseph, *inquit*, potuit in somno ha- « bere revelationem à Deo, et certificari per illam « de quâcumque re, sicut si esset vigilans.... Reve- « lationes quæ à Deo fiunt, sive per somnium sive » in vigiliâ fiant, tàm efficaces sunt, quòd non « plùs certificatur homo in vigiliâ quàm in somno: » quæ pluribus factis ex sacro Codice petitis ipse confirmat. Tùm ea quæ in somnis viderat atque audierat Josephus, talia erant, quæ species somniantis esse non posse probè animadverteret, sentiretque hæc omni ex parte respondere tùm sponsæ virtuti, quam penitùs perspectam habebat, tùm oraculis Prophetarum quæ de tempore ac modo quo Christus oriturus esset, deque stirpe ex quâ esset progignendus, olim edita fuerant. Talia effatur B. Albertus Magnus, dicens, p 97, col. 2, quòd, ut sibi videtur, « nulla minoratio est apparitionis « sentienda circa Joseph, quia omnia certissima « sunt, quæ dicuntur de sacramento nostræ re- « demptionis, nec talia ad illusiones somniorum « sunt referenda. » Hinc falsa est expositio sequens S. Paschasii Radberti in has voces *in somnis*: « No- « tandum est, *inquit*, p. 61, col. 1, quòd non in « somno, sed *in somnis* illi (Josepho) Angelus ap- « paruisse dicitur: quo fortè plurimis visionibus « usquè ad sufficientiam fidei monstratur ostensus,

[1] *V. g. Matth.* VII, 4; XI, 8 *et* 9 *et* XII, 41, 42 *et* 49. — [2] *Matth.* VIII, 2; IX, 2; XV, 22 *et* XIX, 16. — [3] *Id.* XIX, 18. *Cf.* IX, 10 *et* 32 *et* XXVIII, 11. — [4] *Id.* XII, 46. *Cf.* XVII, 5; XXVI, 47 *et Luc.* XXII, 47. — [5] *Id.* VIII, 16, *etc.*; *Marc.* V, 21, *etc.*: *Luc.* III, 15, 21, *etc. et Joan.* II, 3, *etc.*

« quem somnus aliquantisper occultabat, eo quòd « esset caligine circumductus. » Neque assentimur iis qui aiunt Josephum vigilâsse, cùm Angelus ipsi visus est, verbaque *in somnis* idem valere ac *inter somnum*, quòd videlicet eum Angelus expergefecerit; nam huic opinioni adversatur tùm græcum κατ' ὄναρ, quod interpres latinus vertit quidem *in somnis*, propriè tamen vertendum fuisset *per somnium*, tùm illud quòd post Angeli sermonem Josephum evigilâsse narrat Matthæus illis verbis : *Exsurgens*, vel, ut græcè est, διεγερθεὶς, *experge-factus autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus* [1]. Hinc adhuc rejicienda est differentia quam idem Paschasius Radbertus, loco citato, videre autumavit inter has voces *in somnis*, et illas *in somniis*. Cur autem Angelus non antè venit, quàm Josephus in animo quæ diximus versaret? Lege optimam responsionem apud S. Chrysostomum, p. 31, n. 4 et 5.

2. Joannes Georgius Rosenmuellerus, Schol. in Matth., 1, 20, commentum lectoribus suis obtrudit de hoc Angelo, qui in somnis Josepho apparuit; idque sic est : « Notandum, Angelorum nomine, in « sacris Litteris *haud rarò* venire *omne id* quo « Deus utitur ad voluntatem suam exsequendam, « sive sit naturale, sive præternaturale, dummodò « *ex improviso* ità evenerit. Sic pestem [2] et mor- « bos [3] Angelus Jehovæ immisisse dicitur. Sic etiam « venti et fulgura nominantur Angeli Domini [4]. « Imprimis verò omnes *eventus improvisi*, quibus « pii atque Deo chari homines juvantur, tribuuntur « Angelis [5]. » Cuperemus equidem imprimis ut profiteretur nobis Rosenmuellerus utrùm Angelos esse credat, necne. Si enim non credit, poeticas narrationes esse dicet, sicut hanc illasque in quibus legimus Gabrielem missum ad Zachariam [6] et ad Mariam Virginem [7], ità ea quæ Scriptores sacri memoriæ prodiderunt de Agare [8], de Abrahamo [9], de Lotho [10], de Jacobo [11], de Israelitis [12], de Josue [13], de Gedeone [14], de Samsonis parentibus [15], de Davide [16], de Tobiâ [17], quæque præterea in aliis Bibliorum paginis de Angelis scripta sunt [18]. Sin autem Angelos esse non inficiatur, quod per benignam quamdam interpretationem illius vocis, *haud rarò* sentire de illo licet, quidnam causæ ipsi esse potuit, cur, ubi de Angelis loquuntur Scriptores sacri, de Angelis eos reverà loqui in dubium revocaret?

3. Ad hæc, quærimus nùm *eventus improvisi* loquendi et ratiocinandi facultate sint prædititi, quâ Angelos præditos esse credere nos cogunt plura Scripturarum testimonia, atque adeò illæ narrationes de Zachariâ, de Mariâ Virgine, atque hæc de Josepho? Nùm plurima agant, eaque diversissima, qualia Angeli egisse narrantur? Nùm sese conspicuos hominum oculis exhibeant, sicut hîc Angelus Josepho ἐφάνη, *apparuit*, aliique aliis *apparuisse* dicuntur? Aliundè quæ ex Scripturis in sententiam suam promit Rosenmuellerus, perperàm interpretatur, aut nihil ea conficiunt. Pestem Angelus Israelitis attulit; at, si Angelus nihil erat aliud nisi ipsa pestis ex improviso irruens, petimus, quomodò factum fuerit ut *eventus* hic *improvisus* ipsaque pestis Davidi conspicua comparuerit [19], et quidem pestem is viderit *stantem inter cœlum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus et versum contra Jerusalem* [20], *staretque* illa juxta aream Ornan Jebusæi [21]. In Psalmo quem primum Rosenmuellerus indicat, hæc legimus : *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationes, immissiones per Angelos malos* [22]. At pervident vel lippi hæc verba sonare ministerium ipsum *Angelorum*, per quos Ægyptus plexa est, proindè adeò non necesse esse sensum tàm obvium aliorsùm detorquere, ut contrà necesse omninò sit verba accipere atque intelligere sicut sonant; alioquin, si nomen *Angelos* pro adversis *eventibus* usurpari hîc autumes, sensum hunc indè elicere cogereris : *Deum immisisse in Ægyptios* MALOS EVENTUS PER MALOS EVENTUS, vel : MALOS EVENTUS *Deo* MINISTRASSE AFFERENDIS *Ægypto* MALIS EVENTIBUS. Quæ in Actis Apostolorum dicuntur de Herodis morte, ea in sententiam Rosenmuelleri interpretari oportere, nemo adhuc repertus est qui evinceret. Quæ verò ex alio Psalmo ad eamdem hanc sententiam confirmandam petita sunt, siquidem de Angelis verè ac propriè dictis ea scripta non essent, quod nunc minimè disputamus (lege Pianciani in historiam creationis Comment., § 39, not. 3), significant profectò Deum uti ventis pro nuntiis et igne pro ministro; nùm autem hinc colligas *Angelorum* appellatione *improvisos eventus*, aut *ventos et fulgura*, quod etiam placet Rosenmuellero, nominari? Quòd verò « omnes *eventus improvisi*, quibus pii atque « Deo chari homines juvantur, tribuuntur Angelis, » hoc ideò fieri solet, quia Deus Angelorum ministerio utitur in hujusmodi eventibus ordinandis regendisque, neque modò in *improvisis*, sed etiam in cæteris : quod nos docent tùm historiæ superiùs commemoratæ, tùm Pauli Apostoli testimonium [23]. Quæ res adeò Rosenmuelleri sententiam non com-

[1] *Matth.* I, 24. — [2] II *Reg.* XXIV, 15 *et seqq.*; *Psalm.* LXXVII, *juxta Hebr.* LXXVIII, 49 ; *cf. Exod.* XII, 12 *et* 13. — [3] *Act.* XII, 23. — [4] *Psalm.* CIII, 4. — [5] IV *Reg.* XIX, 35 *et Psalm.* XXXIII, 8. — [6] *Luc.* I, 8-20. — [7] *Ibid.* 27-38. — [8] *Gen.* XVI, 7-12. — [9] *Id.* XVIII, 1-33 *et* XXII, 11-18. — [10] *Id.* XIX, 1-22. — [11] *Id.* XXVIII, 12 ; XXXII, 1, 2 *et* 24-30 *et* XLVIII, 16. — [12] *Exod.* XIV, 19 *et* 20 *et Judic.* II, 1-4. — [13] *Jos.* V, 13-16. — [14] *Judic.* VI, 11-23. — [15] *Id.* XIII, 3-21. — [16] I *Paralip.* XXI, 15-30. — [17] *Tob.* III, 25 *et* XII, 1-22. — [18] *Psalm.* VIII, 6 *et Hebr.* I, 4 *et seqq. et* II, 5 *et seqq.* — [19] II *Reg.* XXIV, 17. — [20] I *Paralip.* XXI, 16. — [21] *Ibid.* 15. — [21] *Psalm.* LXXVII, *juxta Hebr.* LXXVIII, 49. — [23] *Hebr.* I, 14.

probant, ut eam funditùs convellere dicendæ sint. Etenim si illi *eventus* Angelis actoribus Deique administris tribuuntur, aliud quàm ipsos Angelos eos esse necesse est, cùm numquàm non opus, et is qui operatur, inter se distinguantur. Sanè commiserandus Rosenmuellerus, quippè qui suo se gladio nec opinans jugulârit.

ARTICULUS X.

DE ANGELI VERBIS.

Ἰωσὴφ, υἱὸς Δαυὶδ, μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου· τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου. Τέξεται δὲ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν· αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Num. 1. Explicantur hæc verba: 1° *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam:* — 2. 2° *Quòd in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* — 3. De interpretatione vocis *Jesus.* — 4. Quis est populus Dei salvandus?

1. *Joseph, fili David.* « Statim, *ait* S. Chry-« sostomus, p. 32, n. 7, Davidem in memoriam « revocat, undè nasciturus erat Christus; neque « sinit illum turbari, dùm per majorum nomen « promissionem universo generi factam in memo-« riam revocat. » Ità Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Theophilactus, S. Paschasius Radbertus, Hugo de Sancto Caro et B. Albertus Magnus, quisque ad hunc locum. Itaque rectè Rosenmuellerus « non sine causâ, *inquit*, Schol. in hunc locum, Jo-« sepho in somnis in memoriam revocatur nobilitas « stirpis, ex quâ ipse erat oriundus, *ex quâ Mes-« siam oriturum esse* omnibus Judæis erat notum, « et ex quâ *Mariam ortam esse sciebat.* Hâc ipsâ « allocutione animus Josephi in spem magnarum « rerum erigebatur. » « His autem omnibus, ut ait « Franciscus Lucas, in hunc locum, parabatur ani-« mus Josephi ad exspectandum ex uxore suâ Chri-« stum promissum Davidi filium. » — *Noli timere accipere.* Illud *accipere* redditum est pro græco παραλαβεῖν, quod, ubi de connubiis agitur, significat *puellam* λαβεῖν παρά τινος, *accipere ab aliquo*, in cujus potestate aut tutelâ ea est. Rem planè illustrant hæc quæ Raphelius, Annot. in totam sacr. Scriptur. ad hunc locum, attulit ex Xenophonte, Œconomic. p. 836 A, ed. Amelburni, apud quem Socrates ità Isomachum percontatur: « Ἦ ἐπισταμένην « (γυναῖκα) ἔλαβες παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρός; « An peritam (uxorem) accepisti à patre et ma-« tre? » Isomachus verò respondet: « Καὶ τί ἄν.... « ἐπισταμένην αὐτὴν παρέλαβον κ. τ. λ. Ecquid..... « peritam ipsam acciperem, *etc.?* » Insuper *accipere* non debet reddi per *accepisse*, ut diximus et probavimus suprà, pp. 219-220, n. 4; et aliundè non significat, ut dixerunt hoc loco S. Chrysostomus, Theophilactus, S. Thomas et B. Albertus Magnus, *domi retinere*, quatenùs jàm illam (Mariam) animo dimiserat (Josephus), siquidem probavimus suprà, pp. 214-215, n. 4, hoc momento, non in eâdem domo habitare Mariam et Josephum. Cæterùm, illud agnoscere videtur S. Chrysostomus, dicendo, loco suprà citato, p. 32, n. 8: « Tradit autem (Deus) non ad « nuptias (scilicet, carnales), sed ut *cum illâ habi-« tes....* Ut illam posteà Christus tradidit discipulo « (atqui antequàm tradidisset, *haud cum illo habita-« bat*), ità et nunc Josepho traditur. » — *Mariam conjugem tuam.* Nomini *conjugem* respondet in græco exemplari nomen γυναῖκα, *mulierem* vel *uxorem*, quorum postremum legitur in quibusdam latinis Codicibus et apud aliquos ex latinis Scriptoribus vetustis. Hæc igitur verba: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, vertuntur per hæc alia verba: *Noli timere ducere Mariam uxorem tuam;* gallicè: *Ne craignez pas de vous marier avec Marie.* Expressa et clara sunt verba Anselmi Laudunensis has voces exponentis: « *Accipe*, inquit, « p. 70, col. 2, *Mariam conjugem tuam* (id est), « nuptiali conventu et assiduâ cohabitatione. Attamen « cùm (Angelus) vocet eam *conjugem ejus*, se-« cundùm Augustinum, hoc exemplo magnificè in-« sinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari « consensu continentiâ, posse permanere vocarique « conjugium, non permixto corporis sexu, sed « custodito mentis affectu. » Tandem non minùs clara sunt verba S. Thomæ: « *Ne timeas*, ait, « p. 85, ad finem num. 10, *accipere*, quantùm ad so-« lennitatem et nuptiarum celebrationem. »

2. *Quod enim in eâ natum est.* Verba hæc expo-

nenda sunt secundùm Pauli effatum : *Misit Deus filium suum factum ex muliere*[1], contrà ac eadem hæc exposuit Valentinus, apud Irenæum, Hæres. Lib. 1, c. 7, § 2 et Lib. 3, c. 16, aliàs, 17, § 1 et 3. Vetus Bibliorum interpres latinus nonnullique Patres scripserunt *ex eâ*. Sic Auctores Homiliæ 1 in diversos, p. 25, n. 7, et Operis imperfecti in Matthæum, p. 42, n. 8. Vide etiam Sabatier Bibliorum sacrorum latinas versiones antiquas in hunc locum. Cur verò græcè sit ἐν αὐτῇ, *in eâ*, ut habet etiam vulgata translatio, non autem ἐξ αὐτῆς, *ex eâ*, ratio petenda est ex verbo γεννηθέν, *natum*, quod est neutro genere, ut in aliis quoque locis[2], et etiam apud Terentium, Andr. 1, 3 et 14 : « *Quidquid* peperisset, decreverunt tollere. » Etenim, quamquàm γεννάω usurpetur etiam pro *concipere*, imò et pro *parere*, quæ matris propria sunt, primigenia tamen germanaque ejus notio est *generare*, quod patris proprium est ; nam et cujusque *genus* perindè attenditur ut hunc patrem habuit aut illum, et vir ex uxore genuisse dicitur, non autem uxor ex viro, sed concepisse. Jàm verò Josepho dubitatio esse non poterat de matre ejus quo sponsa gravida erat, sed de patre, nec *à quâ conceptum* diceret, sed *à quo generatum*. Idcircò Angelus, quò talem dubitationem depelleret, usus est verbo γεννηθέν, veluti qui diceret : *De genitore ne dubites ; quod enim in eâ genitum est, à nemine genitum est, sed de Spiritu sancto est*. Atque hæc quoque causa fuit cur Angelus dixerit *in eâ*, non verò *ex eâ :* non de matre videlicet noscendâ, sed de origine Christi paternâ quæstio erat. Tùm quid implexum syntaxis præ se tulisset et quamdam ἀντιλογίαν, si Angelus ità locutus esset : Τὸ γὰρ ἐξ αὐτῆς γεννηθὲν, ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου : *Quod enim ex eâ natum est, de Spiritu sancto est*. Latini qui scripserunt *ex eâ*, non usurpârunt verbum *gigni*, sed *nasci ; natum* autem cùm dixerunt, non *ortum* dicere volebant, sed *genitum*, quemadmodùm Christum dicimus *ex Patre natum*, quem tamen non rectè diceremus *ex Patre ortum ;* ortus enim egressum quemdam et quamdam separationem ipsâ suâ notione exhibet, à quibus divina generatio prorsùs abhorret. Non desunt tamen Latini qui scripserint *in eâ generatum est*, ut Auctor Libri de Spiritu sancto, inter Opera Ambrosii, col. 607, ed. Maurin., qui Liber Ambrosio aliàs attribuebatur. Ità etiam Auctor Homiliæ in sanctam Christi generationem, p. 27, n. 4. *De Spiritu sancto est*. De interpretatione nominis *Spiritûs sancti*, quam nobis quoque obtrudit Rosenmuellerus, illud tantummodò animadvertemus, nomen Πνεῦμα ἅγιον, velit ille, aut nolit, significare *Spiritum sanctum*, tertiam videlicet divinarum personarum. Cæterùm non dixit Angelus : *Genitum est à Spiritu sancto*, quod ferendum non foret, sed : *Quod genitum est*, tacito genitore, quem Christus, ut homo est, nullum agnoscit, *est de Spiritu sancto*, est opus Spiritûs sancti, sicut Psaltes dixit : מֵיְהוָה הָיְתָא זֹאת, *meiehovah aïtha zoth, à Domino fuit hoc*[3], hoc est, ut vertit latinus Interpres græcos secutus : *A Domino factum est istud*, opus Domini fuit. Rem, ut par est, perquàm aptè expressam habes in Symbolo fidei hisce verbis : *Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine*.

3. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Quoad nomen *Jesum*, vide optimam expositionem quam de eo tradiderunt Cornelius Jansenius et Maldonatus, pp. 12-13. Attende tantummodò ibi quomodò Angelus verbis *salvum faciet*, etymon explicuerit hujus sanctissimi nominis; atque indè intelliges quàm inscitè alias hujus nominis significationes alii venentur. *Jesus* igitur, nomen hebraicum, latinè interpretatur *Salvator*. Ità Theophilactus, S. Hieronymus, S. Augustinus, Druthmarus, Haymo, Remigius Antissiodorensis, S. Bruno Astensis, Hugo de Sancto Caro, et B. Albertus Magnus, ad hunc locum. Pro *Salvatore* alii dicunt *Servatorem*, v. g. Maldonatus, p. 13, col. 1, et Eusebius Cæsariensis, p. 100, n. 1. Porrò « meliùs dicitur *Salvator* quàm *Servator*, ait « Estius, Annotat. in Evangelium Lucæ ; *Servator* « enim est qui servat quod periturum erat : undè « *servi* olim dicti sunt qui in bello servati et non « occisi fuere. At Σωτὴρ, *Salvator*, est qui salutem « dat ei qui perierat, ut indicat Cicero : hoc autem « fecit Christus. (Locus est apud Ciceronem, Act. 4 « in Verrem, ubi testatur græcam vocem Σωτῆρα, « non posse latino aliquo vocabulo exactè reddi.) « Quarè recipiendum est vocabulum (Salvator), « quod, etsi latinæ linguæ Auctoribus non fuerit « usitatum, ab Ecclesiâ tamen hactenùs receptum « et frequentatum est ut tale per quod græcæ vocis « significatum quàm optimè redderetur. » Vide Baronium ad diem 9 Novembris.

4. Appellatio *populus Dei* simpliciter usurpata in Scripturis, etiam in Novo Testamento, ipsorum Israelitarum propria est, quotiès mentio est de populo, ut qui notus jamdiù sit, nec aliquid adjungitur quod ad aliam gentem pertineat[4]. Diversis autem appositis ac rerum adjunctis transfertur appellatio hæc ad nominandos Christianos, aut eos in universum, quos cœlestis patriæ civitati Deus destinavit[5] ; atque in hoc sensu ab Angelo accepta fuit. Cæterùm, ubi in sensu maximè proprio accepta,

[1] *Galat.* IV, 4. — [2] *Luc.* I, 35 ; *Joan.* III, 6 *et* I *Joan.* V, 4. — [3] *Psalm.* CXVIII, 23. — [4] *Rom.* XI, 1 *et Hebr.* X, 30 *et* XI, 25. — [5] *Act.* XVIII, 10 ; II *Cor.* VI, 6 ; *Tit.* II, 14 ; *Hebr.* IV, 9 *et* VIII, 10 ; I *Petr.* II, 10 *et Apoc.* XXIII, 4 *et* XXI, 3.

ea significat ipsos Israelitas, significare interdùm simul potest alios quos diximus, ubi videlicet accipienda est in sensu etiam spiritali, sive proprio, sive translato, cùm illorum typus fuerit populus Israelitarum. Sic autem interpretati sunt Patres has voces *populum suum*. Auctor Operis imperfecti in Matthæum, p. 43, ad finem num. 9 : « Si ergò, *in-« quit,* medicus propter solam confectionem herba-« rum non erubescit medici sibi nomen imponere, « quantò digniùs iste vocatus est *Salvator*, per « quem *totus salvatus est mundus!* » Auctor Homiliæ 1 in diversos, p. 25, ad finem col. 2, videtur primò eodem modo loqui : « *Ipse*, inquit, « *salvabit populum suum à peccatis eorum*, san-« guine videlicet suo *cunctos redimens*, morte suâ « de mortis eos liberans potestate. » Sed continuò subjungit, quasi ad explicandam vocem *cunctos :* « *Ipse salvabit,* hoc est, erit Salvator *omnium homi-« num fidelium atque credentium.* » Eodem sensu loquuntur Theophilactus, S. Petrus Chrysologus, Venerabilis Beda, Druthmarus, Haymo, Anselmus Laudunensis, Guilielmus Parisiensis, B. Albertus Magnus, ad eumdem locum. Quoad Hugonem de Sancto Caro, sic eloquitur, p. 82, initio col. 1 : « *Ipse enim salvum faciet.....* non quoslibet, sed *populum suum*, quos scilicet prædestinavit. » His verbis addit S. Paschasius Radbertus, p. 62, ad finem num. 10 : « Reliquos omnes occulto suo judicio in massâ damnationis reliquit. »

Porrò hìc locus est aliquid disserendi de pluribus quæstionibus ad rem præsentem attinentibus, scilicet de voluntate Dei salvandi homines, de prædestinatione et reprobatione ; in hâc autem materiâ tàm arduâ, optimum esse duximus exscribere ea quæ tractata sunt in luculentissimo doctissimi Cardinalis Gousset, Archiepiscopi Remensis Opere, cui titulus : *Theologia dogmatica.* Proindè in triplici Articulo dicemus 1° de voluntate Dei salvandi omnes homines, 2° de prædestinatione, 3° de reprobatione.

ARTICULUS I.

DE VOLUNTATE DEI SALVANDI OMNES HOMINES.

Num. 1. Quotuplex in Deo voluntas? — 2. Deus vult alios ac prædestinatos salvari. — 3. Deus vult omnes homines salvari. — 4. Appendix de parvulis qui sine baptismatis gratiâ moriuntur, — 5. Et de infidelibus.

1. Juxta mentem Scripturæ et SS. Patrum, distinguunt Theologi in Deo plures voluntates secundùm diversa quæ vult, et modum quo vult ea. 1° Duplex est in Deo voluntas, *signi* scilicet voluntas, et *placiti.* Prior est signum quodlibet externum quo significari videtur Deum aliquid velle quod reverà non vult. Sic quandò Deus Abrahamo præcepit ut filium suum immolaret, ibi tantummodò erat voluntas *signi;* nolebat enim Deus Isaacum immolari, siquidem impedivit ne fieret hocce sacrificium [1] : illud solùm volebat, patrem scilicet credentium tali modo sese obedientem et fidelem exhibere. Posterior autem voluntas vera est voluntas, quâ Deus reverà vult quod velle videtur, vi cujus agit : talis est, v. g., voluntas quâ vult nos bonum facere, quandoquidem illud nos præcipit, et benefacientes remunerat, castigat autem malefacientes. 2° Voluntas *placiti* est *antecedens* vel *consequens. Antecedens* ea est quæ objectum in se respicit, seclusâ omni circumstantiâ speciali et personali : talis est, v. g., voluntas in Deo salvandi omnes homines. Omnes quidem vult salvari, siquidem omnibus media necessaria et sufficientia tribuit ad ipsius mandata observanda; illud autem vult, sine ullo respectu ad bonum malumve modum quo quisque his mediis utetur. *Consequens* ea est quâ Deus aliquid vult, positis quibusdam circumstantiis quæ à voluntate hominis pendent. Sic, quamvis Deus omnes salvari velit, attamen quandò videt tales vel tales gratiâ abusuros esse, voluntate *consequenti* vult eos damnare et pœnis afficere æternis. 3° Voluntas Dei est *absoluta* vel *conditionalis. Absoluta*, quæ à nullâ pendet conditione : talis fuit, v. g., voluntas creandi mundum : *conditionalis,* quæ, relativè ad finem consequendum, pendet ab hominis liberâ cooperatione : sic omnes salvari vult Deus voluntate *conditionali*, id est, eâ conditione ut homines id ipsi velint, gratiæ liberè cooperando, et mandata ejus servent. 4° Voluntas Dei est vel *efficax*, quandò suum effectum sortitur, vel *inefficax*, quandò

[1] *Gen.* XXII, 12.

effectu suo privatur ob hominis renisum. Sic *inefficax* est voluntas Dei salvandi eos qui damnationem incurrunt, non quòd divina voluntas erga eos sit sterilis, siquidem Deus tribuit eis gratias ad salutem necessarias, sed quòd huic voluntati quæ conditionalis est obsistunt.

2. His positis, statuitur hæc

PROPOSITIO I.

De fide est Deum aliorum ac prædestinatorum velle salutem, et Jesum Christum non pro solis electis mortuum esse.

Probatur ex Scripturâ sacrâ. *Sic enim Deus dilexit* MUNDUM, *ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum*, NON PEREAT, *sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur* MUNDUS *per ipsum* [1]. Ecquis autem, si sapiat, dicere audeat nomine *mundi* hîc tantùm prædestinatos comprehendi, aut omnes qui credunt in Jesum Christum esse prædestinatos? Nemo sanè : liquet igitur quòd Deus non solos prædestinatos vult salvari. Item : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [2]. Vult ergò Pater cœlestis salvari illos omnes quos Filio suo dedit; atqui tamen non salvati sunt omnes quos Pater Christo dedit, neque omnes qui in Jesum Christum crediderunt. Item, sic Patri de discipulis suis loquitur Jesus : *Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis* [3]. Periit iste filius perditionis : ergò prædestinatus non erat, quamvis esset unus ex iis quos Deus Filio suo dederat custodiendos. Alibi sic loquitur Christus : *Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me* [4]. Non in vanum rogavit Filius Dei; nam, ut ait Paulus, *exauditus est pro suâ reverentiâ* [5] : gratias igitur salutis impetravit iis qui credunt in eum; atqui tamen quotquot omnes in eum credunt, non salvantur, ex confesso Jansenistarum, qui numerum electorum, etiam inter Christianos, restringunt quantùm possunt. E multis sufficiat nobis citare hoc testimonium Apostoli : *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium* [6]. *Deus est Salvator omnium hominum*, in quantùm eis media tribuit necessaria ad salutem, et omnibus sufficientia ad bonum faciendum et malum devitandum; atqui tamen multi sunt, etiam inter fideles, qui non salvantur : ergò Deus aliorum ac prædestinatorum vult salutem. Ità intellexerunt Patres et Concilia, ut infrà videre est : ità semper credidit Ecclesia. Undè cum Patribus Conciliorum Nicæni (325) et Constantinopolitani (381) hanc fidei professionem quotidiè usurpat : *Credo.... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum .... qui* PROPTER NOS HOMINES ET PROPTER NOSTRAM SALUTEM *descendit de cœlis; et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam* PRO NOBIS. Credere ergò debemus Christum in terram propter nostram salutem venisse, atque pro nobis omnibus mortuum esse; atqui, ipsis fatentibus Jansenistis, omnes fideles ad gloriam non prædestinati sunt; fateantur ergò Jansenistæ nobiscum, Deum non solos prædestinatos salvari velle. At dicet aliquis : si Deus omnes fideles salvari vellet, omnes fideles salvarentur...... Responsio facilis est. Voluntati quidem Dei nemo resistere potest, quandò vult Deus aliquid absolutè et independenter à nostrâ cooperatione; sed manifestum est hominem voluntati divinæ resistere posse, quandò vult Deus aliquid conditionatè et dependenter ab hominis voluntate. Volebat certè Deus omnes Angelos in justitiâ perseverare; multi tamen ex eis rebellârunt. Volebat Adamum in sanctitate permanere; Adamus tamen Deo inobediens fuit. Volebat Deus salvari Jerosolymam, quæ tamen salvari noluit : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quotiès volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* [7] *Nunc ergò, habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, et non feci ei? An quòd exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* [8] *Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* [9] Imò dici potest voluntatem Dei impleri, etiam quandò gratiæ resistimus. Verè quidem, sed conditionatè, vult Deus nostram salutem : vult eâ conditione ut ipsi quoque velimus : vult nos salvare, per gratiam suam nos præveniendo, et nos remunerare, si gratiâ ejus benè utamur, quod penès nos est, vel nos castigare, si, quod penès etiam nos est, gratiâ ejus

[1] *Joan.* III, 16 *et* 17. — [2] *Id.* VI, 38, 39 *et* 40. — [3] *Id.* XVII, 12. — [4] *Ibid.* 20. — [5] *Hebr.* V, 7. — [6] I *Tim.* IV, 10. — [7] *Matth.* XXIII, 37. — [8] *Isai.* V, 3 *et* 4. — [9] *Act.* VII, 51.

abutamur. Hæc autem voluntas divina, quidquid faciamus, semper suum effectum habet : semper impletur, sive Deus remuneret, sive puniat, eo quòd vult nos salvari, non absolutè, sed in quantùm, gratiâ ejus adjuvante, ipsi volemus liberè salvari. Undè Augustinus : « Sive homo justè damnetur, « sive misericorditer liberetur, voluntas Omnipo- « tentis impletur [a]. »

3. Sed quò magis elucidetur quæstio, statuitur

PROPOSITIO II.

Deus vult omnes homines salvari, et Jesus Christus pro omnibus omninò hominibus mortuus est.

Probatur 1° ex Scripturâ sacrâ : *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* [1]. *Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* [2]. Atqui, fatentibus Jansenistis, omnes omninò homines per Adami peccatum perierant, siquidem omnes è regno Dei exclusi essent; Christus igitur venit ad salvandos omnes homines. Undè dicitur : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [3]. *Hic est verè Salvator mundi* [4]. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [5]. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* [6]. *Obsecro igitur*, inquit Apostolus, *primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt..... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis* [7]. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium* [8]. Hæc verba clariora sunt quàm ut explicatione indigeant. Item : *Charitas enim Christi urget nos, æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt jàm non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* [9]. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità et in Christo omnes vivificabuntur* [10]. Ex his verbis liquet Christum mortuum esse pro his omnibus qui in Adamo moriuntur, id est, qui originale peccatum contraxerunt; atqui omnes homines in Adamo moriuntur : ergò Christus pro omnibus hominibus mortuus est. Deus *etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* [11]. *Non tardat Dominus*, inquit Petrus, *promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* [12]. *Advocatum habemus*, ait Joannes, *apud Patrem Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi* [13]. Ergò Christus pro omnibus omninò hominibus mortuus est, non solùm in eo sensu quòd mortis ejus pretium sufficit omnium saluti, sed et in eo sensu quòd per mortem pro omnibus meruit et omnibus tribuit gratias quæ necessariæ sunt et verè sufficientes ut salutem suam operentur. Probatur 2° ex sanctis Patribus. Nobis occurrunt, inter Græcos, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ignatius Antiochenus, S. Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Cyrillus Jerosolymitanus : inter Latinos, S. Clemens Romanus, S. Hilarius Pictaviensis, S. Ambrosius, S. Paulinus, S. Prosper, S. Leo, S. Fulgentius, et generatim hi omnes qui de gratiâ atque Redemptione disseruerunt; sed nobis citare sufficiat S. Hieronymum et S. Augustinum quos nemo pelagianos fuisse certè suspicabitur. « *Deus*, « inquit Hieronymus, *vult salvari omnes et in agni-* « *tionem veritatis venire;* sed quia nullus absque « propriâ voluntate salvatur (liberi enim arbitrii « sumus), vult nos bonum velle, ut, cùm volueri- « mus, velit in nobis et ipse suum implere consi- « lium [b]. » « Christus pro omnibus mortuus est. Solus « inventus est, qui ut immaculata hostia pro omni- « bus qui erant in peccatis mortui, offerretur [c]. » « Mentitur Joannes Baptista, et digito Christum et « voce demonstrans : *Ecce Agnus Dei, ecce qui* « *tollit peccata mundi*, si sunt adhuc in sæculo, « quorum Christus peccata non tulerit [d]. » « Voluntas « venientis hæc fuit, ut omnes crederent et salva- « rentur [e]. » Verbis non minùs perspicuis ità loquitur Augustinus : « Si voluntas bona quâ creditur, « est donum Dei, cur non omnibus datur, cùm « *Deus velit omnes salvos fieri, et in agnitionem* « *veritatis venire?* Vult autem Deus omnes homines « salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, non » sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo

[1] *Luc.* IX, 56. — [2] *Id.* XIX, 10. — [3] *Joan.* I, 29. — [4] *Id.* IV, 42. — [5] *Id.* I, 9. — [6] *Id.* III, 17. — [7] I *Tim.* II, 1-6. — [8] *Id.* IV, 10. — [9] II *Cor.* V, 14 *et* 15. — [10] I *Cor.* XV, 22. — [11] *Rom.* VIII, 32. — [12] II *Petr.* III, 9. — [13] I *Joan.* II, 1 *et* 2.

[a] Augustinus, Serm. 214. — [b] E Commentario in cap. 1 Epist. ad Ephes. — [c] E Commentario in Epist. 2 ad Corinthios. — [d] Ex Epist. ad Occanum. — [e] E Comment. in cap. 63 Isaiæ.

« vel benè vel malè utentes justissimè judicentur. « Quod cùm sit, infideles quidem CONTRA VOLUNTATEM DEI faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos « fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem « ejus, cujus IN DONIS MISERICORDIAM contempserunt [a]. » Alibi : « A quo interitu, hoc est, pœnis « sempiternis Deus misericors volens homines liberare, SI SIBI IPSI NON SINT INIMICI, ET NON « RESISTANT MISERICORDIÆ CREATORIS SUI, misit « unigenitum Filium suum [b]. » In hoc textu sicut in præcedenti manifestatur voluntas Dei salvandi omnes omninò homines, sed voluntas conditionata cui homines resistere possunt. Idem sanctus Doctor alibi sic loquitur : « *Dominus judicabit orbem terrarum in æquitate* [1], non partem, quia non partem « emit : totum judicare debet, quia pro toto pretium « dedit [c]. » Demùm pluribus in locis, et præsertim in Libris adversus Julianum, ex sancto Paulo probat universalem esse Redemptionem generis humani. Profitebatur ergò Christum pro omnibus omninò hominibus sanguinem effudisse, siquidem prædicabat omnes homines (exceptà Virgine Marià, de quà loqui nolebat) peccato primævi parentis obnoxios esse. — Probatur 3° ex Conciliis. Concilium Arelatense (475) approbat Fausti, Reiorum Episcopi, Epistolam ad Lucidum, in quà declaratur « anathema illi « qui dixerit quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit [d]. » Concilium Carisiacum (853) à quo damnati sunt Gothescalci errores, duo hæc decreta promulgavit : « Deus omnipotens omnes homines sine exceptione « vult salvos fieri, licèt non omnes salvemur. Quòd « autem quidam salvantur, salvantis est donum ; « quòd autem quidam pereunt, pereuntium est « meritum. Christus Dominus noster, sicut nullus « hominum est, fuit, vel erit, cujus natura in illo « assumpta non fuerit ; ità nullus est, fuit, vel erit « homo pro quo non passus fuerit, licèt non omnes « passionis ejus mysterio redimantur [e]. » Eadem est Concilii Tridentini doctrina : « Cœlestis Pater, « *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis* [2], Christum Jesum Filium suum... ad homines misit, ut et Judæos *qui sub lege erant*, « *redimeret* [3] ; et *Gentes, quæ non sectabantur* « *justitiam, justitiam apprehenderent* [4], atque omnes adoptionem filiorum reciperent [5]. *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius* [6] *pro peccatis nostris ; non solùm* « *autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi* [7] [f]. — Probatur 4° ex decretis Summorum Pontificum. Innocentius X (1653) et Alexander VII quintam Jansenii propositionem : « Semipelagianum est dicere Christum PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS mortuum « esse aut sanguinem fudisse, » *falsam*, *temerariam*, *scandalosam* ; et intellectam eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *divinæ pietati derogantem et hæreticam* declaraverunt. — Hinc sequitur quòd Deus omnes homines vult salvari, non voluntate *signi* et apparente, sed voluntate *placiti*, voluntate propriè dictà, reali, sincerà, quam semper sequitur gratia, quæ nemini denegatur : cujus vi voluntatis omnibus propter merita Jesu Christi largitur auxilia necessaria ad salutem attingendam. Hæc autem auxilia, licèt omnibus verè sufficientia, non eadem sunt omnibus, aliis magis, aliis minùs abundantia, in prædestinatis efficaciora quàm in eis qui non sunt prædestinati. Cùm Deus donorum suorum dominium habeat, ea cuique, prout libet, distribuit, nec cuiquam queri licet quòd minùs quàm hic aut ille accipiat, si quidem, ob gratuitatem gratiæ, omnes plus accipiunt quàm illis debetur.

4. Quoad infantes, non idem dicendum est quod de salute adultorum. Hi enim, ante et post adventum Messiæ, debent cooperari gratiæ ipsos prævenienti, quæ omnibus offertur : sive igitur salutem, sive damnationem attingant, nonnisi proprià voluntate salvabuntur aut damnabuntur. Infantes autem, cùm rationis atque liberi arbitrii usu careant, sibi conferre nequeunt medium salutis per quod ipsis regnum cœleste aperiretur : hujus medii collatio à parentibus semper pependit et adhuc pendet præcipuè. Attamen quia medium illud à Deo originem ducit, certissimè constat Deum, voluntate sincerà nec sterili, velle infantes sicut et adultos salvari, quamvis, sive propter parentum incuriam, sive ob aliquod impedimentum quod tollere Deus non magis tenetur quàm miraculum patrare, sæpè contingat ut plures infantes spirituali regeneratione priventur. Hoc autem discrimen est inter adultos et infantes, quòd illi puniuntur, quia gratiæ restiterunt, hi verò non puniuntur, quia baptismate privati sunt, sed, utpotè Adami nepotes, excluduntur regno cœlesti quod Deus homini tribuere non tenebatur. Nobis abs re alienum non videtur hìc de hujusmodi infantium futurà sorte paucis disserere. De fide est quòd *nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* [8]. Hoc credit et docet Ecclesia, sed

[1] *Psalm.* XCV, 13. — [2] II *Cor.* I, 3. — [3] *Galat.* IV, 5. — [4] *Rom.* IX, 30. — [5] *Joan.* I, 12. — [6] *Rom.* III, 25. — [7] I *Joan.* II, 2. — [8] *Joan.* III, 5.

[a] De Spiritu et litterà, c. 33. — [b] De catechizandis rudibus, c. 26. — [c] In Psalm. 95. — [d] Labbe, Concil., Tom. 4, col. 1043. — [e] Idem, Tom. 8, col. 57. — [f] Sess. 6, c. 2.

nihil definivit circa varias Theologorum opiniones de eorum, v. g., infantium, qui moriuntur in peccato originali. Concilium Florentinum et Concilium II generale Lugdunense declaraverunt quidem eos qui moriuntur in peccato mortali aut in peccato originali, statim in infernum descendere, POENIS TAMEN DISPARIBUS PUNIENDOS. Sed eo ipso quòd non solùm est disparitas, sed etiam diversitas inter peccati originalis et peccati actualis pœnas, et quòd hæc Concilia non definierunt in quo consistat hæc diversitas, facillimè conciliari potest eorum decretum cum sententiâ quæ affirmat pœnam peccati originalis post mortem, nihil aliud esse quàm privationem vitæ æternæ. Multæ sunt mansiones in inferis, quarum una erat reprobatis ante adventum Messiæ, altera animabus justorum qui Christum liberatorem exspectabant : quidni esset alia mansio animabus infantium sine baptismate mortuorum? Possumus ergò, salvâ Ecclesiæ auctoritate, opinionem tueri juxta quam hi infantes à pœnis inferni immunes sunt, imò eò veriùs eam tueri, quòd opposita sententia communiter improbatur. Insuper huic opinioni favent verba sequentia Innocentii III : « Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei ; « actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ « cruciatus [a]. » Equidem S. Augustinus pluribus in locis innuit nullum esse his infantibus medium inter paradisum et supplicium inferni ; imò illud expressè declarat in Sermone ubi, de ultimo judicio loquens, hos infantes collocat, non ad dexteram summi Judicis, sed ad sinistram, inter eos qui ad ignem æternum damnandi sunt. Illa autem verba quæ vehementiori oratione jaculatus erat adversus Pelagianos, qui asserebant eosdem infantes, quamvis regno cœlesti exclusos, vitâ æternâ non privari, magnoperè mitigata sunt in Libris contra Julianum, ubi pressioribus verbis utitur. Porrò sic loquitur : « Ego autem non dico parvulos, sine Christi baptis- « mate morientes, tantâ pœnâ esse plectendos, ut « eis non nasci potiùs expediret, cùm hoc Dominus « non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestis- « simis et impiis dixerit. Si enim quod de Sodomis « ait, et utiquè non de solis intelligi voluit, alius « alio tolerabiliùs in die judicii puniretur, quis du- « bitaverit parvulos non baptizatos, qui solum ha- « bent originale peccatum, nec ullis propriis aggra- « vantur, in damnatione *omnium levissimâ* futu- « ros? Quæ qualis et quanta erit quamvis definire « non possim, non tamen audeo dicere quòd eis ut « nulli essent, quàm ut ibi essent, potiùs expediret [b]. » « *Mitissima sanè omnium* pœna erit eorum, qui, « præter peccatum quod originale traxerunt, nullum « insuper addiderunt [c]. » Certè sanctus Doctor tàm absolutis verbis non locutus fuisset, si persuasum habuisset pœnam parvuli, sine baptismo mortui, esse pœnam ignis aut alteram ejusmodi. Non recedentes à mente Ecclesiæ, ultrà progrediemur, dicemusque cum Divo Thomâ quòd parvuli sine baptismate mortui non dolent propter carentiam felicitatis æternæ. Reverà felicitatem supernaturalem quam per originale peccatum amiserunt, vel cognoscunt, vel non. In priori hypothesi, non est eis dolendi locus, sive quia sciunt se hâc felicitate quæ eis non debebatur justè privari, sive quia sciunt se actus proprios habere non potuisse quibus tantum bonum consequerentur. In posteriori verò hypothesi quæ nobis verisimilior videtur, quandoquidem et fide actuali, propter defectum usûs rationis, et fide habituali, propter defectum baptismatis, privati sunt, ideòque visionem intuitivam cognoscere non potuerunt, « se « privari tali bono non cognoscunt, et propter hoc « non dolent, sed hoc quod per naturam habent, « absque dolore possident [d]. » Alibi : « Nihil omninò « dolebunt de carentiâ visionis divinæ, imò magis « gaudebunt de hoc quòd participabunt multùm di- « vinâ bonitate et perfectionibus naturalibus... sibi « (Deo) conjunguntur per participationem natura- « lium bonorum ; et itâ etiam de ipso gaudere pote- « runt naturali cognitione et dilectione [e]. » Ità docet S. Thomas : ità sentiunt Petrus Lombardus, Parisiensis Episcopus [f], S. Bonaventura [g], Joannes Duns seu Scotus [h]. Multò ante Magistrum Sententiarum, S. Gregorius Nazianzenus eodem sensu locutus est : « Nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis à « justo judice afficientur, utpotè qui, licèt non si- « gnati fuerint, improbitate tamen careant... Neque « qui honore indignus est, statim etiam pœnam « promeretur [i]. » Sic etiam Gregorius Nyssenus : « Immatura mors infantium, neque in doloribus ac « mœstitiâ esse eum qui sic vivere desiit, intelli- « gendum esse suggerit [j]. »

5. Quoad infideles, id est, Judæos, Mahumetanos et Paganos, eorum infidelitas est vel *positiva*, vel *privativa*, vel *negativa*. *Positiva* est in iis qui spernunt aut rejiciunt Evangelii prædicationem : *privativa* in iis qui culpabiliter ignorant religionis christianæ divinitatem : *negativa* in iis qui nihil audiverunt de revelatione divinâ. Non potest excusari à peccato infidelitas *positiva* quæ est directè voluntaria, neque infidelitas *privativa* quæ est voluntaria in causâ : *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui non crediderit, condemnabitur* [1].

[1] *Marc.* XVI, 15 *et* 16.

[a] Cap. *Majores* de Baptismo. — [b] Lib. 5 contra Julianum, c. 11. — [c] In Enchirid., c. 93. — [d] Quæstiones, Quæst. 5 de pœnâ peccati originalis, Art. 3. — [e] In Libr. 2 Sent., Dist. 33, Quæst. 2, Art. 2. — [f] In eodem Libro. — [g] In eodem Libro. — [h] In eodem Libro. — [i] Orat. 50. — [j] Orat. de infantibus, *etc.*

At non item de infidelitate *negativâ*, quæ, cùm ab ignorantiâ involuntariâ oriatur, non potest esse culpabilis : *Si non venissem*, inquit Christus, *et locutus fuissem eis, peccatum non haberent*[1]. Nemo credere tenetur quod ignorat : *Quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante*[2]? Ideò, nedùm culpet infidelitatem eorum qui non crediderunt Evangelio quod ignoraverunt, Ecclesia solenniter hanc propositionem damnavit : « Infidelitas simpliciter negativa in iis quibus Christus non evangelizatus est, « peccatum est[a]. » Insuper, salvâ Ecclesiæ auctoritate, licet affirmare infideles, qui Evangelium non cognoscunt, eo in statu esse quo erant Gentiles ante Messiæ adventum : non illis imposita sunt alia officia sive religiosa sive moralia, quàm ea quæ ipsis innotescunt sive lege naturali sive educatione quæ ipsis transmisit, licèt imminutas, traditiones primævas de Deo, divinâ providentiâ, futurâ redemptione et existentiâ alterius vitæ. Salvator non venit ut perderet, sed ut salvaret mundum. Quis dicat nationibus numerosis impossibile esse salvari, ex quo Christus humani generis redemptionem in cruce consummavit? Infidelis tamquàm à Deo revelatum credens quodcumque de verâ religione cognoscit, atque sincerè cupiens voluntatem divinam in omnibus cognoscere, eo ipso implicitè credit quod credimus, ac fides ejus oriens è gratiâ quæ nemini deest, quantumvis imperfecta sit, ad salutem absolutè sufficit. Ergò salvabitur, si legem Dei, qualem cognoscit, observaverit. Verum est quidem quòd nemo in regnum Dei introire potest, nisi baptismate renatus fuerit; distinguunt autem theologi, juxta mentem Evangelii et doctrinam SS. Patrum, tria baptismata, *aquæ* scilicet, *voti*, et *sanguinis* sive martyrium. Porrò baptisma *voti*, seu votum baptismatis, in eo qui Deum amat propter ipsum et super omnia, supplet Sacramentum. Concilium Tridentinum declarat baptismum esse necessarium solummodò *in re vel in voto*[b]. Quod optimè intelligi potest de voto *implicito*, quale reperitur in eo qui, baptismum ignorans, paratus est ad faciendum quodcumque Deus præscribit velut medium salutis. Cujus sententiæ patronos citare possimus plures doctores, inter quos S. Thomam[c], S. Alphonsium de Ligorio[d], qui, deficiente baptismo aquæ, nihil aliud exigunt quàm votum implicitum hujus Sacramenti conjunctum cum amore perfecto. Prætereà, quandò Ecclesia docet necessarium esse baptisma ad spiritualem hominis regenerationem, docet illud esse tantummodò necessarium «post promulgatum Evangelium,» ut ait Concilium Tridentinum[e]. Hæc autem promulgatio non *simultanea* fuit, sed *successiva ;* lex igitur baptismatis non simul omnibus hominibus obligatoria esse potuit. Nùm auxilio et mediis salutis destitutæ fuissent plurimæ illæ gentes quæ Evangelium et baptisma non cognoverunt nisi pluribus sæculis post mortem Apostolorum? Nùm remedia primitiva quibus utebantur Patriarchæ contra peccatum originale tùm parvulorum tùm adultorum, ad nihilum redacta essent ubique, cùm institutum vel promulgatum fuit baptisma ab Apostolis? Nemo illud asseverare potest: licet existimare illa remedia vim suam apud Gentiles retinuisse, donec lex Evangelica apud eos sufficienter promulgata fuerit. Beneficia evangelica quibus fruimur, eorum qui illis privantur conditionem pejorem non fecerunt quàm erat ante Christum.

ARTICULUS II.

DE PRÆDESTINATIONE.

NUM. 1. Quid est prædestinatio? — 2. De gratuitate prædestinationis. — 3. De numero prædestinatorum.

1. Prædestinatio est consilium quod Deus ab æterno proposuit certum hominum numerum ad salutem æternam perducendi per gratiam, ità ut eam certò attingant, salvo ipsorum libero arbitrio. Juxta D. Thomam, « Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro[f]. » Prædestinationem igitur sub duplici respectu gratiæ et gloriæ considerabimus. Quamvis Deus gratias ad salutem necessarias omnibus tribuat, de fide est quòd non easdem omnibus gratias concedit, quòd speciales gratias aliis potiùs quam aliis largitur, et quòd ab æterno vitam æternam reservat iis qui us-

[1] *Joan.* XV, 22. — [2] *Rom.* X, 14.

[a] Vide Decreta S. Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII adversus Baii errores. — [b] Sess. 6, c. 4. — [c] Part. 3, Quæst. 69, Art. 4. — [d] Tract. de Baptismo, c. 1. — [e] Sess. 6, c. 4. Vide etiam Tract. de Baptismo S. Bernardi, c. 1. — [f] Part. 1, Quæst. 23, Art. 2.

què ad finem perseverabunt. « Prædestinationis « hujus fidem, *inquit* Augustinus, numquàm Ec- « clesia Christi non habuit[a]. » Juxta S. Prosperum, « prædestinationem Dei nullus catholicus negat[b]. » Prædestinationem Dei nos docet expressè Scriptura sacra : *Venite, benedicti Patris mei, possidete* PARATUM VOBIS REGNUM A CONSTITUTIONE MUNDI [1]. *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit* [2]. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ*[3]. Quicumque ad gloriam prædestinati sunt, certò salvabuntur; decretum enim prædestinationis tàm certum est quam divina præscientia : *Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ* [4]. Præstitutus est igitur et immutabilis prædestinatorum numerus : neque crescet, neque imminuetur. Nihilominùs qui salvantur, liberè salvantur: liberum arbitrium semper servant: gratiæ etiam quandò cooperandum est, possunt resistere.

2. De fide est gratuitam esse prædestinationem. Attamen, si consideretur sub respectu gloriæ quoad adultos, præsupponit merita justi. Vita æterna apud Scripturam vocatur *merces* justi [5], *bravium* quod meritus est [6], *corona justitiæ* [7]. De fide est bona opera hominis justificati esse dona Dei simulque merita hujus hominis justificati; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum fiunt, verè mereri vitam æternam [c]. Hìc autem occurrit quæstio de quâ inter Scholasticos multùm certatum est, utrùm scilicet decretum prædestinationis ad gloriam absolutum sit et antecedens prævisionem meritorum hominis gratiæ cooperantis, an conditionatum et subsequens meritorum prævisionem. Juxta sententiam quæ hoc decretum absolutum esse contendit, justus ad gloriam non pervenit, quia gratiæ cooperatur; sed cooperatur gratiæ, quia ad gloriam prædestinatus est : illum prædestinando, Deus decrevit dandas illi gratias efficaces quæ, salvo ejus libero arbitrio, illum ad salutem æternam certò perducent. Juxta sententiam quæ hoc decretum esse conditionatum contendit, Deus omnibus hominibus gratias ad salutem necessarias tribuit, non tamen easdem singulis; et quos prævidet his gratiis benè usuros, hos ad gloriam prædestinat; illos autem reprobat quorum impœnitentiam finalem prævidet. In priori sententiâ, decretum prædestinationis est gratuitum sub omni respectu : in posteriori, hoc decretum est gratuitum, in quantùm præsupponit merita acquisita per gratiam, quæ de se gratuita est. Hinc distinguenda est posterior sententia ab errore Pelagianorum et Semipelagianorum, qui gratiam esse necessariam ad omnia salutis opera negabant : distinguenda est quoque prior sententia ab errore Prædestinatianorum, qui asserunt Deum, decreto absoluto et antecedenti, ad æternas pœnas prædestinare omnes illos qui ad regnum cœleste non prædestinati sunt; Catholicus enim quisque profitetur decretum reprobationis posterius esse prævisione abusûs gratiarum. Theologi qui decretum *absolutum* prædestinationis ad gloriam propugnant, sententiam suam Scripturâ sacrâ et sanctis Patribus fundatam esse contendunt; illi autem qui decretum *conditionatum* patrocinantur, iisdem auctoritatibus innituntur. Cùm igitur ex unâ parte illa quæstio nonnisi Ecclesiæ judicio definiri possit, et ex alterâ parte Ecclesia illam non diremerit, relinquitur unicuique facultas pro decreto absoluto aut conditionato standi. Faciliùs quidem quàm absolutum concordat decretum conditionatum cum voluntate Dei salvandi omnes homines, et videtur congruentius opinioni quam de providentiâ et bonitate divinâ habemus; cùm autem illa quæstio in incerto relinquatur, jàm non licet sententiam de decreto absoluto ut erroneam atque temerariam rejicere.

3. Deus solus numerum prædestinatorum cognoscit : vanæ sunt et gratuitæ opiniones quæ eâ de re habitæ sunt. Attamen quæri potest utrùm prædestinatorum numerus numero reprobatorum major sit, aut vice versâ. Circa hanc quæstionem quæ facta est, ait Benedictus XIV, « sanè curiosiùs quàm uti- « liùs [d], » sufficiat nobis dicere : 1° certum esse quòd non salvabuntur omnes homines : 2° etiamsi salvanda esset dimidia pars generis humani, etiamsi reprobandi essent paucissimi inter Catholicos, nobis adhuc timendum esse semper ne inter reprobos numeremur, nobisque semper laborandum esse ut cum tremore salutem nostram operemur. Attamen, quia prædicatores non raró immodici sunt circa numerum reprobatorum, advertendum est illos à veritate discedere qui docent de fide esse quòd sit parvus electorum numerus; sive quia Ecclesia

[1] *Matth.* XXV, 34. — [2] *Rom.* VIII, 29 et 30. — [3] *Ephes.* I, 4 et 5. — [4] *Joan.* X, 27 et 28. — [5] *Matth.* X, 41. — [6] *Philipp.* III, 14. — [7] II *Tim.* IV, 8.

[a] De dono perseverantiæ, c. 23. — [b] Respons. 1 ad objectiones Gallorum. — [c] Concilium Tridentinum, Sess. 6, Can. 32. — [d] Institutio l'es ecclesiasticæ, Institut. 27.

de hoc nihil definivit, sive quia, admissâ sententiâ (quam reverà admittimus) juxta quam plerique hominum damnationem incurrunt, non indè sequitur quòd major pars Catholicorum damnanda sit, præsertim eo quòd infantium baptizatorum pars ferè dimidia moritur salvâ innocentiâ baptismali. Triplex est opinio circa hanc quæstionem, utrùm scilicet, in Ecclesiâ Christi, reprobatorum numerus numerum prædestinatorum excedat. Alii existimant plures esse electos quàm reprobos, eo quòd in parabolâ ubi Christus regnum cœlorum convivio nuptiali assimilat, unus convivarum exclusus est non habens vestem nuptialem. Alii opinantur tot esse electos quot reprobos, innitentes in parabolâ in quâ quinque virgines prudentes et quinque fatuæ memorantur. Alii tandem contendunt plures esse reprobatos quàm prædestinatos, dicente Domino : *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi* [1]. *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem ; et multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* [2] *!* Communior est tertia opinio : attamen, quia præfati textus, quibus probatur majorem hominum partem damnationem incurrere, non definiunt utrùm pauciores sint electi quàm reprobi inter Catholicos, res dubia est, *inquit* Suarezius, qui insuper addit sibi verisimilius videri quòd salvatur major pars hominum qui in Ecclesiæ catholicæ gremio moriuntur [a].

ARTICULUS III.

DE REPROBATIONE.

NUM. 1. Quid est reprobatio? — 2. Deus damnat illos solos qui damnari promeruerunt. — 3. Decretum reprobationis non est antecedens.

1. Reprobatio, quæ prædestinationi opponitur, est decretum quo Deus è regno cœlesti excludit atque ad pœnas æternas damnat peccatores qui in impœnitentiâ finali moriuntur. De fide est quod existit talis reprobatio. In die judicii, dicet Dominus prædestinatis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi* [3]. Item reprobatis dicet : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* [4]. Decretum illud, licèt infallibile sicut et præscientia divina, reprobandis nullam peccandi necessitatem imponit, imò præsupponit libertatem, aut abusum voluntarium ac liberum gratiæ quam Deus nemini denegat. Nullus reprobatus est propter decretum reprobationis ; decretum autem illud tantummodò locum habet, quia peccator semetipsum reprobat, voluntariè ac liberè in peccato usquè ad finem perseverando.

2. Deus ad æternas inferni pœnas illos solos damnat qui eas promeruerunt : eorum damnationem decrevit tantummodò post prævisionem peccatorum et impœnitentiæ eorum. Sic habet Concilium Tridentinum : « Si quis justificationis gratiam non« nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, « reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, « sed gratiam non accipere, utpotè divinâ potestate « prædestinatos ad malum, anathema sit [b]. » Definitio illa Concilii Tridentini adversus Calvinum, qui Prædestinatianorum errorem renovavit, concordat cum definitione Concilii Arausicani (529), cujus actus à Bonifacio II confirmati sunt : « Aliquos verò « ad malum divinâ potestate prædestinatos esse non « solùm non credimus, sed etiam, si sunt qui tan« tum malum credere velint, cum omni detesta« tione illis anathema dicimus [c]. » Concilium Valentinum (855) similibus verbis loquitur : « Deum « præscire et præscîsse æternaliter, et bona quæ « boni erant facturi, et mala quæ mali sunt ge« sturi... fideliter tenemus et placet tenere, bonos « præscîsse omninò per gratiam suam bonos fu« turos, et per eamdem gratiam æterna præ« mia accepturos : malos præscîsse per propriam ma« litiam malos futuros, et per suam justitiam æternâ « ultione damnandos..... Nec prorsùs ulli malo « præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut « aliud esse non posset, sed quòd ille futurus erat « ex propriâ voluntate, ille, sicuti Deus, qui novit « omnia antequàm fiant, præsciit ex suâ omnipo« tenti et incommutabili majestate. Nec ex præ« judicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ ini« quitatis credimus condemnari : *nec ipsos malos* « *ideò perire quia boni esse non potuerunt, sed*

[1] *Matth.* XX, 16 *et* XVII, 14. — [2] *Id.* VII, 13 *et* 14. — [3] *Id.* XXV, 34. — [4] *Ibid.* 41.

[a] Tractat. de divinâ prædestinatione et reprobatione, Lib. 6, c. 3. Item consulantur Institutiones ecclesiasticæ Benedicti XIV, Institut. 27 ; Tractatus de verâ religione, Bergier, Tom. 10, p. 355, edit. in-8°, etc., etc. — [b] Sess. 6, Can. 17. — [c] Labbe, Concil. Tom. 4, col. 1671.

« *quia boni esse noluerunt*[a]. » Idem Concilium, ex Concilio Arausicano, dicit anathema contra eos qui dicunt aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse[b].

3. Impius est ergò quicumque asserit Deum velle voluntate antecedenti vel absolutâ reprobatorum damnationem. « Deus, *inquit* Augustinus, potest « aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus « est : non potest quempiam sine malis meritis « damnare, quia justus est[c] : » *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*[1]. Summus judex malos ad æternas pœnas damnat, solummodò ob hanc rationem, quia bonum quod in terrâ facere poterant, non fecerunt : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum*[2]. Decretum igitur damnationis æternæ fundatur in prævisione peccatorum et impœnitentiæ finalis reproborum : quod apprimè congruit voluntati divinæ salvandi omnes homines : quæ voluntas est sincera, antecedens, sed conditionata, de quâ superiùs facta est mentio[d].

Diximus suprà, p. 226, de virginitate B. Mariæ ante Conceptionem Christi et in hâc sanctissimâ Conceptione : porrò nobis necesse visum fuit probemus etiam ejusdem virginitatem post hanc Conceptionem. Cæterùm interest narrationem Angeli absolvere, quinimò et totum hocce Evangelium explanare, ut res de quibus quæstio est in hâc Appendice, planè tractentur : quod facimus in duobus Articulis sequentibus.

ARTICULUS I.

CONTINUATIO VERBORUM ANGELI.

(Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ Προφήτου, λέγοντος· Ἰδοὺ ἡ Παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός.) *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium ; et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.*

Num. 1. Virginitas B. Mariæ post Conceptionem Christi et ante matrimonium ipsius cum Josepho. — 2. Quæ est vis ac significatio particulæ *ut* in istâ locutione : *Ut adimpleretur ?* — 3. Animadvertuntur duo quibus illud, ut apud Matthæum legitur, differt ab exemplari hebraico. — 4. Cur nomine Emmanuelis Christum designavit Isaias ?

1. Angelus igitur hæc addit : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam.* Equidem interpretes plerique omnes verba hæc Evangelistæ esse opinantur ; longè tamen veriùs ipsius Angeli ea esse dixeris, sicut non una ratio dicere suadet. 1° Ità sensere S. Chrysostomus, Homil. 5 in Matth., n. 2, S. Proclus Constantinopolitanus, Epist. 2 de fide ad Armenos, § 12, Theophilactus in hunc locum, atque ante hos Irenæus, Hæres. Lib. 3, c. 16, aliàs 17, § 2, et c. 21, aliàs 26, § 4, et Lib. 4, c. 23, aliàs 40, § 1. Nam si Matthæi hæc essent, illa : *Hoc autem totum factum est*, cùm de prioribus dicta sint, viderentur complecti ipsam quoque Angeli legationem ad Josephum, quæ tamen dici nequit facta fuisse *ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam* ; at, si Angeli sunt, complecti nequeunt nisi mysterium conceptûs virginei, quod unum is ipse enarraverat : quarè, si Matthæus hæc loqueretur, non alius locus iis esse posset, nisi post versiculum duodevicesimum aut vicesimum quintum. 2° Neminem autem illud præterit, quòd, nisi Angeli forent ea verba, is non satis apertè Josephum docuisset eum, quem Maria alvo continebat, esse Christum ; contra ea verò plenissimè id præstitisse dicendus est, si ipse fuit qui Isaiæ vaticinium ad dictum suum declarandum et comprobandum attulit. 3° Deniquè hæc partem esse somnii Josepho à Deo immissi, cujus narratio nondùm absoluta est, apparet ex iis quæ habet versiculus vicesimus quartus. Nihil autem obest contraria ratio excogitata à Gussetio, Vesp. groning. p. 420, quòd Angelus locutus

[1] *Sap.* I, 13. — [2] *Matth.* XXV, 41 *et* 42.

[a] Labbe, Concil. Tom. 8, col. 135. — [b] Ibidem, col. 136. — [c] Lib. 3 contra Julianum. — [d] P. 238, n. 1.

sit de rebus futuris, verbum autem γέγονεν, *factum est*, præteritam rem sonet; vix ulla enim ratio magis inepta poterat excogitari; Angelus enim, etsi de rebus etiam futuris, præcipuè tamen de re præteritâ fuerat locutus, de conceptu, dicimus, virgineo, ad quem oraculum Isaiæ pertinebat. Paulusius autem, dùm hæc Josephi somniantis verba esse scripsit, Philologisch-crit. Comment. über das Nov. Test. ad hunc locum, næ somniando scripsisse jure credatur. Quæ cùm ità sint, Angelum testem habemus hoc Isaiæ vaticinio Christum ex Virgine oriturum fuisse prænuntiatum. Cæterùm, bis in Novo Testamento, hìc et apud Lucam [1], illud oraculum relatum ab Angelo legimus, ejusque πλήρωμα Angeli ipsius testimonio comprobatum. Indè jàm concludas virginitatem B. Mariæ post conceptionem Christi. Insuper, « postquàm in utero « habuit, *inquit* Jacobus de Vitriaco, p. 75, ad finem « bum. 5, usquè ad horam quâ Christus natus est, « ex eâ quidam splendor exibat (ut dicunt) à facie « ejus; nec poterat à Joseph videri in facie præ ni- « miâ claritate, sicut etiam legimus de Moyse. » Atqui splendor iste reddebat omnibus virginitatem Mariæ conspicuam. « Sicuti oculis nostris, *ait* « etiam S. Hilarius, p. 105, n. 5, cùm radiis solis « attentiùs voluerimus intendere, hebetat visus, « et nimiam ob claritatem fit obscuritas, ut videre « omninò nequeamus; sic..... sanctissima Maria « claritate virtutis Altissimi obumbrata (nam hanc « obumbrationem, non obscuritatem, sed infinitam « claritatem debemus intelligere), cognosci non po- « terat à Joseph, donec pareret. » Certè « non po- « terat, *ait* Albertus Magnus, p. 92, initio col. 2, vir « justus et sanctus etiam cogitare de pollutione uteri, « quem auro sui splendoris et sanctitatis ornavit « Deus, corporaliter in eo habitans. »

2. *Ut adimpleretur.* Verbum solenne Scriptoribus Novi Testamenti, cùm deprompta ex Vetere Testamento testimonia afferunt. Ejus autem et similium vis ac significatio est *fieri* seu *evenire* illud ipsum de quo est in testimoniis quæ afferuntur, illud, dicimus, ipsum quod vel prænuntiatum à Prophetis fuit, vel per typos præsignificatum. Sed de hujus locutionis vi peculiaris quæstio erit in Appendice ad calcem festi Nativitatis Domini positâ, cùm tractabimus de ipsâ oraculi Isaiæ usurpatione, et quorsùm à Matthæo allatum fuerit; nunc aliquid dicemus de particulâ *ut*, à quâ ea dependet. Disceptatur an in hàc et in hujus similibus locutionibus particula ἵνα, *ut*, usurpetur αἰτιατικῶς, valeatque idem ac *ideò ut*, an potiùs ἐκτατικῶς, pro *ità ut*. Hoc alterum defendit Chrysostomus, hæc scribens : « Neque enim, *inquit* in I Cor. xi, 19 « Hom. 27, § 2, quia prædixit, illa facta sunt, « sed potiùs, quia omninò futurum erat, ideò prædixit. » Item Theophilactus in Matth. xiii, 35 « Particula *ut* non est *causæ*, sed eventûs significa- « tiva. Non enim docuit Jesus, *ideò ut* impleretur « prophetia; sed, *quia* ipse docuit, impleta est « prophetia. » Quorum sententiæ confirmandæ faciunt plura Novi Testamenti capita, in quibus particulæ *ut* ea vis est quam hi dicunt [2]. Nihilominùs videtur hæc particula ità explicari interdùm posse, ut huic αἰτιατικῇ vis insit, idque in hàc quoque Matthæi narratione : quod facilè dabis, ubi consideres quòd prophetiæ sint quædam Dei veluti promissiones, quibus spondet se aliquid præstiturum, nec secùs sentire oporteat de typis quibus, Vetere adhuc Fœdere obtinente, Deus ea quæ futura erant designabat. Nam, sicut qui aliquid promisit, illud præstat, ideò ut impleat promissum, ità quæ prædicta fuerant, eveniunt *ideò ut* oracula impleantur. Rectè prorsùs Franciscus Lucas, in hunc locum, rem ità definit : « Qui prædixerat, *quia* facere sta- « tuerat, facit *quia* prædixerat, (*ideò*) *ut* verax « sit. »

3. *Quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium; et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Oraculum hoc nobilissimum ab Isaiâ editum explanandum à nobis erit in Appendice ad calcem festi Nativitatis Domini positâ. Nunc duo tantùm animadvertimus quibus illud, ut apud Matthæum descriptum legitur, differt ab exemplari hebraico. Quorum unum est, pro hebraico הָרָה, *ava*, positum esse ἐν γαστρὶ ἕξει, *in utero habebit;* hoc tamen debetur fortassè græcis Isaiæ Interpretibus, in Vaticano quorum exemplo quidem legitur ἐν γαστρὶ λήψεται, *in utero concipiet*, dùm in Alexandrino, ità ut est in Matthæo. Tùm הָרָה, *ava*, quamquàm sit nomen quod idem valet ac participium *concipiens*, cùm tamen Propheta de re futurâ loquatur, rectè vertitur futuro tempore *concipiet*, perindè ac insequens participium יֹלֶדֶת, *iolédeth*, in græcâ quoque Isaiæ interpretatione versum est *pariet;* solent enim Hebræi etiam futurum tempus per participium enuntiare; atque etiam Hieronymus hæc duo transtulit *concipiet et pariet.* Alterum discrimen est in verbo καλέσουσι, *vocabunt*, reddito pro hebraico קָרָאת, *qaratha*, quod Græci, transtulerunt καλέσεις, *vocabis*, et de quo sic disserit Hieronymus in Isaiam, vii, 14 : « Verbum « קָרָאת, *qaratha*, quod omnes (scilicet septua- « ginta Interpretes, et tres reliqui, *Aquila*, *Sym-* « *machus et Theodotio*) similiter transtulerunt « *vocabis*, pro quo in Matthæo scriptum est *voca-*

[1] *Luc.* i, 31.— [2] *Marc.* iv, 12; *Luc.* viii, 10; ix, 45 *et* xi, 50; *Joan.* vii 23; ix, 39 *et* xviii, 32; *Rom.* v, 20; xi, 32, *etc. Nold. Concordant. particular. hebræo-chaldaicar. ad verbum* לְמַעַן, *lemaan, n.* 4, *ed. Tympii.*

« *bunt*, quod in hebræo non habetur, potest intel- « ligi *vocabit*, quòd ipsa scilicet Virgo quæ con- « cipiet et pariet, hoc Christum appellatura sit « nomine. — In multis testimoniis, quæ Evangelistæ « vel Apostoli de Libris veteribus assumpserunt, cu- « riosiùs attendendum est non eos verborum ordi- « nem secutos esse, sed sensum. Undè et in præ- « senti loco pro *concipiet in utero* Matthæus « posuit *in utero habebit*, et pro *vocabis*, *voca-* « *bunt.* » Verbum *vocari* Hebræis tantumdem subindè valet ac *esse*. Grotius rectè animadvertit « *vocatum iri aliquo nomine* dici in Scripturis « eum etiam qui non eo vocis sono sit appel- « landus, sed cujus rebus celebrandis vox ista « conveniat. » Loca passim occurrunt [1]. Ideò, ubi Isaiæ est יִקָּרֵא, *iqra*, *vocabitur* [2], Chaldæus habet יִתְקַיֵּם, *ietaqem*, *manebit;* et Lucas citans dictum locum Isaiæ [3], יִקָּרֵא, *iqra*, vertit ἐστίν, *est* [4]. Rectiùs tamen et pleniùs in rem nostram Rosenmuellerus minor de illis verbis Ecclesiastæ : *Qui futurus est, jàm vocatum est nomen ejus* [5], hæc commentatur : « Quod qui futurus est, quâ fruatur « sorte, sive dives sit, sive pauper, à Deo est « constitutum, cujus decreta mutari non possunt.... « *Nomen* שֵׁם, *schem*, hîc intellige *attributa*, *qua-* « *litatem*, *conditionem*, ut in Libro Psalmorum [6], « ubi *Dei nomen* est ejus natura et qualitas. *Hinc* « *nomen alicujus jàm vocatum esse* est definitum « esse ac veluti in tabulas relatum, qualis alicujus « futurus sit status, sors, conditio. » Sed clariùs Henricus Morus, illustrans illud Rabbinorum : הוּא שְׁמוֹ וּשְׁמוֹ הוּא, *ava schemo ouschemo ava*, ait « *Nomen* et *rem*, *vocari* et *esse*,» idem frequenter apud Hebræos significare. Ex quo, jure colligas verbo *vocare* notionem subesse posse *efficere ut aliquid sit*, sicut D. Thomas ipse docet, 1, Quæst. 63, Art. 2, eaque huic verbo subest reipsà non uno in loco, verbi gratiâ, apud Paulum [7], et in illâ Moysis enuntiatione : *Appellavitque lucem diem; et tenebras noctem* [8] [a]. Quòd autem hæc notio huic verbo subsit in hoc loco, facilè vincas, cùm Christus *Emmanuel* haudquaquàm fuerit vocatus. Sic sensit etiam Chrysostomus : « Cur, inquies, non vocatus « est Emmanuel, ut Propheta dixerat, *ait,* p. 38, « n. 5, sed Jesus Christus? Quia non dixerat « (Angelus) καλέσεις, *vocabis*, sed : καλέσουσι, « *vocabunt* [b], turbæ (scilicet), hoc est, rerum exitus.» Et paulò post : « De Christo dicendum, *inquit*, quòd « à rebus ipsi nomen imposuerit (Scriptura). » Item Theophilactus : « Divina Scriptura, *inquit*, Com- « ment. in Matth. I, 23, ex operibus imponit nomi- « na. » Neque secùs scripserat Origenes hâc de re : « Hoc quod dicitur *Emmanuel*, inquit, Hom. 1 in « Ezech., n. 4, non unum nomen sonat, sed rem si- « gnificat; adveniente quippè Jesu, dicimus : *No-* « *biscum Deus.* » Enimverò nemo natus dicitur in Scripturis sacris, cui nomen *Emmanuel* inditum : non igitur *vocari* idem hoc in loco est ac *nomen habere,* sed tantùmdem ac *esse*. Itaque Isaias de eo loquitur procul dubio, qui et *Deus* est, et *nobiscum* est, qualis esse nemo alius potest, nisi Christus. Proindè sensus est ipsam Virginem id effecturam, ut is quem paritura erat, *Emmanuel* esset, *Nobiscum Deus*, Θεάνθρωπος. — Mos autem fuit, ut mater filiis nomen imponeret, idque à primâ orbis ætate. Id enim dicuntur fecisse Eva ipsa [9], duæ filiæ Lothi [10] : id, ut videtur, fecit Sara, utpotè quæ rationem nominis suggessit [11] : id Agar [12], id fecere duæ uxores Jacobi, Lia [13] et Rachel [14], id mater Samsonis [15], et Anna mater Samuelis [16], id nurus Heli pontificis maximi [17], Bethsabea mater Salomonis [18], Elisabeth mater Joannis Baptistæ [19], aliæque [20]. Scripsit Lightfoot, Harmon. quatuor Evangelist., Sect. 5, id factum « semper in ipso pariendi « instanti, causâ aliquâ extraordinariâ impellente; » sed ea quæ modò ex Scripturis sacris retulimus, et quibus ipse id effici putat, nihil est quod suadeat in hoc sensu accipere.

4. *Emmanuel*, עִמָּנוּ־אֵל, *immanou-El*, *Nobiscum Deus*, quam interpretationem Matthæus ipse nomini huic subjecit. Cur autem hoc nomine Christum designaverit Isaias, non una ratio est. Etenim « per fidelissimum sequestrem Dei et hominum Je- « sum Christum, ut hunc appellavit Tertullianus, « Lib. de Resurrectione carnis, c. 51 et 63, *nobis-* « *cum Deus pacem reconciliavit* [21]. » Ad hoc, cùm Christus sit Deus, eo in terris degente, *nobiscum Deus* conversatus esse verè ac propriè dicebatur [22]. Potissimum verò illud est, quòd *nobiscum Deus*, natura humana videlicet cum divinâ in unâ Christi personâ conjuncta est : quæ nominis vis ac significatio maximè omnium propria habenda

[1] *Isai.* I, 26 ; IX, 6; XLVIII, 8; LIV, 5; LVI, 7; LVIII, 12; LX, 14 *et* LXII, 2, 4 *et* 12; *Jerem.* III, 17 *et* XXIII, 6; *Ezech.* XLVIII, 35 *et Zach.* VIII, 3. — [2] *Isai.* XIV, 20. — [3] *Id.* LVI, 7. — [4] *Luc.* XIX, 46. — [5] *Eccle.* VI, 10. — [6] *Psalm.* IX, 11; XLVIII, 12 *et* CII, 1. — [7] *Rom.* IV, 17. — [8] *Gen.* I, 5. — [9] *Id.* IV, 1 *et* 25. — [10] *Id.* XIX, 37 *et* 38. — [11] *Id.* XXI, 3, *coll.* 6. — [12] *Id.* XVI, 11, *sed conf.* 15. — [13] *Id.* XXIX, 32 *et seqq. et* XXX, 11, 13, 18 *et* 20. — [14] *Id.* XXX, 6, 8 *et* 24 *et* XXXV, 18. — [15] *Judic.* XIII, 24. — [16] I *Reg.* I, 20. — [17] *Ibid.* IV, 21. — [18] II *Reg.* XII, 24, *hebr. secundùm* קְרִי *qori.* — [19] *Luc.* I, 60. — [20] I *Paralip.* IV, 6, *et* VII, 16. — [21] II *Cor.* V, 18 *et* 19; *Ephes.* II, 15 *et* 16 *et Coloss.* I, 20 *et* 22. — [22] *Baruch.* III, 38.

[a] Lege Pinciani, Comment. in historiam creationis Mosaicæ, § 35 et 36. Neapol. 1851.

[b] Si Interpretes Bibliorum, Codicesque tùm græcos tùm latinos, ac Patrum scripta pervolvas, quinque hujus vocis diversas interpretationes reperies tùm ubi Matthæi locus vertitur, tùm ubi Isaiæ : sunt autem *vocabis*, *vocabit*, *vocabitis*, *vocabunt*, *vocabitur.*

est, quippè quia non tàm *reconciliationem* aut *conversationem*, quàm duorum, quorum notiones comprehendit, *conjunctionem*, nomen hoc ipsum per se exprimere apparet, humanæ, dicimus, divinæque naturæ. Dignus sanè est, qui hanc nominis hujus significationem exponens legatur Cyrillus Alexandrinus, Schol. de Incarnatione Unigeniti, c. 1, et seqq. Lege etiam Tertullianum, Lib. adversus Judæos, c. 9, et Lib. 3 contra Marcionem, c. 13; Lactantium, Lib. 4 divinarum Institut., c. 12, et Theodoretum, in Matth., ad hunc locum, qui omnes eodem hoc modo hoc nomen interpretantur. Sed placet hàc de re testimonia ex scholis Rationalistarum arcessere. « Puero nomine עִמָּנוּ־אֵל, *im-* « *manou-El*, appellando, inquit Rosenmuellerus, « Schol. in hunc locum, portendi patet populi Ju« daici à malis et adversis liberationem ejusque « defensionem adversus qualescumque hostes. Eam « verò præstandam esse ab ipso illo è Virgine nas« cituro masculo, qui verè sit Deus, humanâ na« turâ assumptâ inter homines versaturo, adeòque « reipsà עִמָּנוּ־אֵל, *immanou-El*, Θεάνθρωπος, « manifestum est indè quòd, in eodem hoc vatici« nio, infrà, puer ille nasciturus disertè dicitur « appellandus esse inter alia אֵל גִּבּוֹר, *El ghibbor*, « *Deus fortis* [1]. » Si conferas cum hoc Isaiæ oraculo oraculum Michææ [2], in quo utraque Christi Nativitas commemoratur, ipsa oraculi utriusque similitudo, de quâ etiam dicemus in Appendice ad calcem festi Nativitatis Domini positâ, hanc nominis *Emmanuelis* interpretationem, putamus, magis tibi magisque probabit.

ARTICULUS II.

CELEBRATIO MATRIMONII B. JOSEPHI CUM B. MARIA.

Διεγερθεὶς δὲ ὁ Ἰωσὴφ ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ Ἄγγελος Κυρίου· καὶ παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον· καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. *Exsurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen ejus Jesum.*

Num. 1. Vera epocha matrimonii B. Josephi cum B. Mariâ. — 2. Virginitas B. Mariæ post ejus matrimonium cum B. Josepho.

1. *Exsurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus.* Quid autem ei Angelus præceperat? Duo, quorum primum est: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, et secundum: *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Probavimus illud: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, significare: *Noli timere ducere Mariam uxorem tuam;* gallicè: *Ne craignez pas de prendre Marie pour votre femme, de vous marier avec Marie.* Et hìc Evangelista dicit: *Et accepit conjugem suam:* quod significat: *Et duxit Mariam uxorem suam;* gallicè: *Et il prit Marie pour sa femme, et il se maria avec Marie.* Equidem probavimus suprà, verbo *accipere*, ipsas nuptias significari sponsæque domum deductionem, quæ continuò post somnium Josepho immissum gesta fuisse, ex totà enuntiatione consequitur [a].

2. *Accepit* igitur Josephus Mariam *conjugem suam*, unum quod præceperat ei Angelus: *et vocavit nomen* filii primogeniti quem peperit eadem Maria, *Jesum,* alterum quod ei jusserat facere idem Angelus. Nam sententiam non interrumpunt illa: *Et non cognoscebat eam*, etc. Hæc enim cum priore illâ sententià: *Et accepit conjugem suam*, connectenda sunt, utpotè quæ declarant quo in sensu dicatur Josephus Mariam accepisse, idemque valent ac: *Sed non cognoscebat eam.* Undè tota narratio sic erit: *Fecit sicut præcepit ei Angelus Domini*, id est (sic interpretantur Gesenius, Thesauro philologiæ criticæ, p. 397 (Lipsiæ 1835), et Noldius, Concordantiâ particularum Hebræo-chaldaicarum ad particulam וְ, *ve*, καί, *et* [3]), *accepit conjugem suam*, sed *non cognoscebat eam*, *donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit no-*

[1] *Isai.* IX, 5. — [2] *Mich.* V, 2 et 3. — [3] *Conf. Gen.* XIII, 15 *coll. Act.* VII. 5; *Judic.* VIII, 27 *coll. Hebr.* XI, 32 *et* I *Reg.* XVII, 40 *hebr.*

[a] Vide pp. 219-220, n. 4, et p. 236, n. 1.

men ejus Jesum. Quòd autem interpretari liceat *et* per *sed*, procul dubio est, cùm particula καί, *et*, non secùs ac hebraicum וְ, *ve*, pro *sed* seu *tamen* quàm sæpissimè usurpetur à Scriptoribus sacris. Quod attinet ad particulam וְ, *ve*, exempla affatim tibi suppeditat Noldius, Opere citato, ad hanc particulam, § 59 et 65, plenèque te docebit Gesenius, Opere etiam laudato; particulæ verò καί, in illo sensu adhibitæ, specimina non pauca suggerent Schleusnerus, Nov. thes. crit. philolog. Vet. Test. et Lex Novi Test., et Walh, Clavis Novi Test. philologiæ, qui nobiscum sentit quoad hunc locum Matthæi. Occurrunt tibi nonnulla alia capita Novi Testamenti, in quibus particula καί ante negationem, ut est in hâc Matthæi enuntiatione, idem valet ac *sed*[1]. Cæterùm, ut Knatchbullus annotavit ad hunc locum, hæc addit Matthæus, « ne scilicet « cavillator aliquis ex loco Isaîæ paulò antè ad- « ducto objicere auderet Prophetam quidem verè « dicere Virginem concepturam et edituram esse « filium, non autem asserere Virginem parituram « esse filium. » — De usu adverbii *donec* hujusque similium, regulam hanc duplicem, eamque rectissimam, statuit Christianus Noldius, Opere citato, ad verbum עַד, *ad*, § 2, Not. : « *Usquè ad* et *donec* « post affirmationem non semper *negant* conse- « quens. *Usquè ad* et *donec* post negationem non « semper *affirmant* consequens. » Posterior regulæ pars apprimè facit contra eos qui ex hoc loco, seu veriùs ex hâc voculâ, argumentum sibi præsto esse putârunt, quo veriti haud sunt inficiari sanctissimam Christi Matrem post partum virginem perpetuò mansisse. Plurimos autem locos habes, ex quibus petas quæ hanc regulam comprobent; multaque reperiuntur quæ ad adverbium *donec* post negationem adhibitum pertinent[2]. Lege Hieronymi Librum adversus Helvidium, § 3-8 (Glassium, Philologiâ sacrâ, Lib. 1 et 5, c. 12; ed. Bathe) et Auctorem Operis imperfecti, Hom. 1, aliàs 2, p. 27, t. 6 Opp. Chrysostomi, ed. Maurinorum. — Franciscus Lucas Brugensis, in hunc locum, jàm illud animadvertit, quòd Matthæus Christum, Mariæ filium, *primogenitum* vocavit, « non « quòd post eum alii ex Mariâ nati sint, ut vole- « bat Helvidius, sed quòd ante eum nullus. » Neque enim in hoc quidquam est, quod loquendi modo Hebræis usitato non conveniat. Nam et in aliis Scripturæ Libris appellatio *primogeniti* illud subindè significat[3], imò et apud Scriptores alios, ut apud Orpheum, qui, ut narrat Lactantius, Lib. 1 divinarum Institut., c. 5, « Deum verum et ma- « gnum πρωτόγονον, id est, primogenitum appellat, » itemque apud Patres græcos (vide Suicerum, Thesaur. ecclesiast., ad hoc verbum[a]).

[1] *Matth.* XII, 5, 39 *et* 43 *et* XXVI, 55 *et* 60 ; *Act.* VII, 5 ; *Ephes.* IV, 26 *et Coloss.* II, 8. — [2] *Gen.* VIII, 7 ; *Num.* XX, 17; *Deut.* VII, 24; *Psalm.* LXX, 18 *et* CXI, 8 ; *Isai.* XLII, 4 ; *Matth.* V, 18; *Luc.* XXII, 16, *etc.* — [3] *Coloss.* I, 15 *et Hebr.* I, 6.
[a] Vide infrà, in festo Nativitatis Domini, SS. Patres, tùm græcos, tùm latinos, interpretantes hæc verba Evangelii : *Et peperit filium suum primogenitum.*

In hanc Appendicem translata sunt multa ex Auctoribus quorum nomina sequuntur. Clarissimus Franc. Xav. PATRITIUS, è Societate Jesu, Doctor decurialis Collegii Romani sacris Libris interpretandis et linguæ hebraicæ tradendæ, Lib. 3 de Evangeliis, Friburgi Brisgoviæ 1853 : Suarezius, Tom. 2, ed. Lugduni, 1594, et Eminentissimus Cardinalis Gousset, Theologiâ dogmaticâ.

DIE XXV DECEMBRIS.

IN NATIVITATE DOMINI.

MONITUM.

Festum Nativitatis Domini verè nuncupari potest « omnium festorum Metropolis, ut ait Chrysostomus, « quia ab hoc, ceu à fonte quopiam diversi fluvii, nata sunt nobis alia festa. » Sive enim *magnum pietatis sacramentum*, quod in hoc festo proponitur, devoto animo attendas, sive trium Evangeliorum, quæ in die illâ recitantur, interpretationes propemodùm innumeras perlustres, sive sacros ritus, qui ad hanc solennitatem pertinent, piâ curiositate secteris, non poteris non exclamare cum eodem Chrysostomo : « Appe- « tit festum omnium festorum maximè venerandum tremendumque... Diem hunc potissimùm amplector « diligoque[a]. » Lector, maximè si concionator sit christianus, in *nostrâ Bibliothecâ* amplissimos et ditissimos SS. Patrum Auctorumque ecclesiasticorum thesauros indagabit, et, ut speramus, reperiet; sed quò magis votis ejus respondeamus, atque ut nihil prætermittamus ex tàm uberi materiâ, ad calcem hujus Festi subjicimus *Appendicem exegeticam* circa interpretationem præfatorum Evangeliorum et difficultates quæ in illis occurrunt, *theologicam* circa quæstiones theologicas quæ sive ex Evangeliis sive è mysterio Nativitatis Dominicæ oriuntur, et *liturgicam* circa ritus qui ad solennitatem hujus Festi attinent. Hic ordo, prout opus erit, in casu simili semper servabitur.

AD PRIMAM MISSAM IN NOCTE.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Cap. II, 1-14.

In illo tempore : Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem [1] David, quæ vocatur [2] Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

[1] 1 *Reg.* XX, 6. — [2] *Mich.* V, 2 *et Matth.* II, 6. — [a] *Vide suprà*, p. 110, *n.* 1 *et* 2.

✠ BREVIS EXPLANATIO SUPERIORIS EVANGELII

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII MENOCHII,

CUM SCHOLIIS MARIANÆ ET ANNOTATIONIBUS EMM. SA.

---

1. *Factum est autem,* nimirùm divino consilio, ut hujus descriptionis occasione, Josepho cum beatâ Virgine in Bethleem profectis, Christus ibi nasceretur.

In diebus illis, sub idem tempus. Videtur edictum jàm nato Joanne Judæis propositum: « Scilicet anno « imperii Augusti circiter quadragesimo secundo. » SA.

A Cæsare Augusto, primo Romanorum Imperatore, cujus anno 42 Christus natus est.

Universus orbis, Romanus orbis, eæ scilicet regiones et provinciæ, quæ Romano subdebantur imperio. Indicta videtur descriptio, ut constaret summa capitum, et sciretur quantùm virium colligi posset ad bellicos apparatus, et ut vectigal hâc occasione exigeretur: quod Jurisconsulti *capitationem* appellant.

2. *Hæc descriptio prima.* Hæc descriptio prima dicitur, quia nulla talis umquàm anteà facta fuerat à Cyrino; nam aliam ante 20 annos Augustus instituerat. « Duæ descriptiones factæ sunt sub Cy« rino : hæc de quâ Lucas loquitur, et altera post « aliquot annos, cùm iterùm Syriæ præesset, de quà « loquitur Josephus, Lib. 18, cap. 1. Neque enim ea« dem descriptio fuit, ut quidam putant: propterea « Lucas hanc *primam descriptionem* vocat. Sol« vebant autem singuli per capita, ut Lucas Tuden« sis in Chron. ait, denarium. » MARIANA.

Facta est à præside Syriæ Cyrino. Mirum non est descriptionem non esse factam per Herodem regem, sed per præsidem Syriæ, quia non Judæa sola, sed Syria tota, cui Herodes non imperabat, describebatur. Itaque Judæa, pars provinciæ, per totius provinciæ præsidem censenda erat.

3. *Ut profiterentur,* scilicet, se hujus aut illius esse familiæ. In Græco est, ἀπογράφεσθαι, *ut describerentur, ut nomina darent.*

Singuli in suam civitatem, scilicet ibant. Sensus enim est : Ibant omnes in suam quisque civitatem, ut ibi profiterentur.

4. *Ascendit*, ivit; nam verbum עָלָה, *ala,* pro *ascendere*, et simpliciter pro *ire*, accipitur apud Hebræos. Ivit ergò Joseph, sicut et alii in suas ibant civitates. « *Nazareth.* Cives erant Bethleem, inquilini « autem Nazareth, Joseph et Maria. » MARIANA.

Quòd esset de domo, etc. Non ipse solùm, sed beata etiam Virgo.

5. *Cum Mariâ*, scilicet ascendit. Quamquàm potest etiam necti cum illis verbis : *Ut profiteretur.*

Desponsatâ sibi uxore prægnante. In græco est, οὔσῃ ἐγκύῳ, id est, *quæ erat prægnans.* Quod hìc habemus, *desponsata,* in græco est, μεμνηστευμένῃ[a]. « *Uxore.* Apparet uxores describi solitas; alioqui cur « eò gravida proficisceretur? Imò et filii etiam descri« bebantur, et Christum quidam aiunt fuisse de« scriptum, quòd descriptionis tempore natus jàm « esset. » SA.

7. *Filium suum primogenitum.* Primogenitum vocat Christum, non quòd post illum alios genuerit, sed quòd ante illum neminem genuisset.

Et pannis eum involvit, ἐσπαργάνωσεν, ad verbum, *fasciavit*, fasciis obvolvit, ut cum teneris et recèns natis infantibus fieri solet. Viles et pauperes fuisse panniculos probabile est, licèt mundos et puros.

In præsepio. Locus est in quo jumentis pabulum apponi solet. « *Præsepio,* scilicet inter bovem et « asinum, secundùm Nazianzenum et Nyssenum : « erat autem præsepe in quodam specu prope Beth« leem, secundùm Justinum in Tryphonem. » SA.

In diversorio, in communi hospitio, in tabernâ meritoriâ, ad quam divertunt peregrini : multitudo eorum qui Bethleem venerant ut nomina darent, civitatis angustia et beatæ Virginis paupertas in causâ fuerunt, cur in hospitium non admitterentur. Qui Jerosolymitanam regionem lustraverunt, narrant stabulum, in quod se beata Virgo recepit, speluncam fuisse: quod cum testimonio veterum Auctorum convenit.

8. *Vigilantes,* ἀγραυλοῦντες, in agro stabulantes, sub dio cubantes cum grege, ut facere solent pastores etiam hyeme, in locis calidis aut temperatis. Noster Interpres legit, ἀγρυπνοῦντες, vel γρηγοροῦντες.

Custodientes vigilias noctis, id est, per vices vigilantes, distributis inter se quatuor noctis spatiis; noctes enim apud antiquos, ex militari disciplinâ, in quatuor æquales partes dividi solent, quæ vigiliæ dicebantur. Quemadmodùm ergò milites in castris per vigiliarum vices excubare solebant, ità etiam pastores, ad noxias gregi bestias, aut fures arcen-

[a] Quam vocem explicavimus suprà, in Appendice ad Expositionem Evangelii Vigiliæ Nativitatis Domini, pp. 217-218, n. 2: sed quæ hic usurpatur in sensu *nuptæ*, ut illud ibidem observavimus, et insuper dicimus infrà, in Appendice ad calcem hujus Festi positâ.

dos. «*Pastores. Ignobilia mundi elegit Deus* [1].» Sa.

9. *Stetit juxta illos*, ἐπέστη αὐτοῖς, *illis superadstitit*; significatur enim quasi de cœlo supervenisse Angelum, et supra pastores sublimem constitisse : Gabrielem fuisse, est vetus traditio.

Claritas Dei, id est, divinus quidam splendor. In græco est, δόξα Κυρίου, *gloria Domini*.

Timuerunt timore magno, propter subitum et insolitum Angeli conspectum.

10. *Evangelizo vobis gaudium magnum*, faustum et lætum vobis nuntium apporto.

Omni populo, Judaico; loquitur enim Angelus accommodatè ad personas pastorum, et ad exspectationem Judæorum, qui Christum sibi solis venturum putabant, quemadmodùm et Christus ad eos se solos venisse professus est [2], quamvis non receptus à suis, ad alienos se contulerit, id est, ad Gentiles.

11. *Qui est Christus Dominus*, Messias, quem Judæi omnes exspectatis.

In civitate David. Dixit potiùs *in civitate David* quàm *in Bethleem*, quia notum erat Judæis Messiam ex genere Davidis nasciturum.

12. *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem*, etc. Signum exhibet, quo pastores natum Christum agnoscant. Invenietis, *inquit*, infantem, quasi dicat : Quem infantem invenietis, involutum pannis, et in præsepio positum, ipse est Christus Dominus. Præterea me vera nuntiare cognoscetis, quia, cùm ad locum ubi natus est perveneritis, eum non in matris ulnis, sed in præsepio reclinatum invenietis. Simile argumentum et signum dedit Samuel Saüli, dictorum suorum veritatem confirmans : *Cùm abieris*, inquit, *hodiè à me*, *invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel*, etc. [3].

Positum in præsepio. Videtur spelunca illa nomen habuisse præsepii, quòd patens et omnibus expositus locus esset, in quo jumenta, cùm opus esset, collocare solerent. Alioqui, si peculiare aliquod et ignotum præsepe fuisset, alio signo ipsum præsepe fuisset describendum ut, inveniri posset.

13. *Multitudo militiæ cœlestis*. Dicitur Angelorum multitudo, *militia*, vel exercitus cœlestis, propterea quòd Angeli instar militum plurimi sunt, et per choros quasi per cohortes tributi, et Deo ut imperatori promptissimè obediunt, et adversus dæmones prœliantur.

14. *Gloria in altissimis Deo*. Sententia est : Nato Christo in altissimis est gloria Deo; Angeli enim in cœlis habitantes, Deum, propter opus Incarnationis et Nativitatis, summis laudibus celebrant.

Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. In græco est, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *in hominibus bona voluntas*. Itaque, juxta græcam lectionem, Angeli optant gloriam Deo, terræ pacem, hominibus bonam voluntatem, Dei nimirùm, erga illos. Idem sensus latini textûs : In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis divinæ et beneplaciti divini, id est, pax hominibus quos Deus amat, et jam gratos habet, et in quibus sibi complacet. Porrò pax cujus hoc loco meminit Angelus, illa est de quâ Apostolus ait : *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* [4]. «*Hominibus* « *bonæ voluntatis*, supple, spes nuntiatur : sic ex « antiquis plerique legunt tàm græci quàm latini : « inter alios, Optatus, Lib. 2 contra Donatistas. In « græcis tamen Codicibus hodiè legitur εὐδοκία, id « est, *bona voluntas*, scilicet : benevolentia Dei « nuntiatur erga homines. Syriacus *sabera* habet, id « est *exspectatio*, seu *nuntius*; nam verbum *sabar* « significat *exspectare* seu *nuntiare*. Sic sensus « erit : *hominibus bona spes*, seu *bonus nuntius* « *affertur*. Nostra tamen lectio præ cæteris placet, « et Velesius ad marginem scribit εὐδοκίας, in ali- « quo græco exemplari inventum. » Mariana.

✠ FUSIOR EXPLANATIO EJUSDEM EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII CORNELII A LAPIDE,

JOANNIS MALDONATI ET CORNELII JANSENII,

INTER SE VELUTI QUADAM CATENA COLLIGATI.

CORNELIUS JANSENIUS.

1. *Factum est autem in diebus illis*, circa tempus scilicet nativitatis Joannis, et paulò post, Deo hujusmodi descriptionem orbis vel procurante vel certè tempus ejus illud potiùs quàm aliud ordinante, ut illius occasione beata Virgo in Bethleem veniret, *exiit edictum à Cæsare Augusto*, nempè Octavio, cui nomen *Cæsaris*, à Julio Cæsare, à quo

[1] Cor. I, 28. — [2] Matth. XV, 24. — [3] I Reg. X, 2. — [4] Coloss. I. 19.

adoptatus fuerat, adhæsit; cognomine verò dictus *Augustus*, quòd urbem et imperium *auxisset, et fideliter administrâsset.* Hinc omnes Romani principes posteà sunt appellati *Cæsares et Augusti:* apud Syros *Antiochi:* apud Persas *Arsacidæ:* apud Philistiim *Abimelech:* apud Ægyptios olim *Pharaones;* et post Alexandrum usquè ad Cleopatram, *Ptolemæi,* ut Hieronymus testatur in cap. 29 Ezechielis. *Ut describeretur universus orbis*, Romanis scilicet subjectus, hoc est, ut numerus capitum in acta publica referretur, et tributum pro facultatibus uniuscujusque solutum esset; nam facultates singulorum in hujusmodi descriptionibus fuisse censas testis est Josephus, Lib. 18 Antiq., cap. 1. Capita etiam singulorum non tantùm adultorum, sed etiam puerorum, descripta fuisse probat immunitas quæ posteà Syriæ concessa fuit, ut soli puberes tabulis adscriberentur, ut patet ex L. Formâ D. de censibus. Undè Justinus Martyr, Oratione ad Antonium Pium, audacter dicit : « Christum natum in Bethleem ex descriptionibus censûs acti, quæ sub « Cyrino, primo vestro in Judæâ procuratore, sunt « confectæ, intelligere potestis. » Et Tertullianus, Lib. 4 contra Marcionem, cap. 7 : « Censum, *inquit*, « Augusti, testem fidelissimum Dominicæ Nativitatis, « Romana archiva custodiunt, ut credibile sit hâc de « causâ Deum voluisse hanc descriptionem fieri, ut « Christiani indè probarent infidelibus Christum in « Bethleem de familiâ David natum esse. »

CORNELIUS A LAPIDE.

1. *Factum est autem in diebus illis* (quibus natus est Joannes Baptista), *exiit* (Vatabl. *ut exiret*) *edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis*, Syrus, *universus populus possessionis* seu *dominii ejus*, scilicet, Augusto et Romanis subjectus; nam, teste Suetonio, Augustus Gothis, Armeniis et Indis non imperabat. Facta est hæc descriptio, tùm ut constaret numerus hominum Augusto subjectus, tùm ad vectigal colligendum, quod in ærarium Romanum tot bellis exhaustum inferretur; singuli enim capitis sui censum dabant. Verisimile est Judæos dedisse quod aliàs ex lege in censu dabant, scilicet singulos dimidium siclum, id est, duos Regales, sive duos Julios [1].

Cæsare. Cæsar hìc proprio nomine vocatus fuit Octavius, sive Octavianus, Julii Cæsaris ex sorore nepos, qui, primus Romæ monarcha, ejus imperium mirè auxit et illustravit : undè Augusti cognomen adeptus est, teste Plinio, Lib. 3, cap. 20, anno 18 imperii sui (à quo proindè Censorinus annos Augusti enumerat, eosque vocat Augustæos, vel Augustianos), quasi numen aliquod è cœlo delapsum ; regnavit enim in summâ pace, amplitudine, majestate, felicitate per 57 annos: undè illud : *Augusto felicior, Trajano melior.*

Porrò hæc descriptio ab Augusto facta est, cùm plenam haberet in toto orbe pacem; ideòque Janum tertiò clausisset: quod factum est anno 40 imperii ipsius : quæ omnia facta sunt dirigente Deo, ut significaret jàm Christum nasci, qui pacem toti orbi afferebat.

Hâc de causâ Augusto Cæsari Virgo Deipara, infantem ulnis gestans, apparuit in Capitolio, cùm jàm antè ipse oraculo Apollinis edoctus natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidem in Capitolio aram erexisset hoc titulo : *Ara primogeniti Dei.* Quocircà Constantinus Magnus ibidem templum erexit in memoriam Dei Genitricis Mariæ, quod etiam nunc exstat, et vulgò *Ara cœli* nuncupatur, ubi et locus visionis Augusti ostenditur. Ità ex Suidâ, Nicephoro et aliis Baronius in apparatu Annalium. Rursùm Romæ, tempore Augusti, sub quo natus est Christus, è tabernâ meritoriâ per totum diem fons olei largissimus è terrâ profluxit : locus etiam nunc Romæ ostenditur in Ecclesiâ S. Mariæ Transtiberinâ. « Quo « signo, ait Osorius, Lib. 6, c. 20, quid evidentiùs « quàm in diebus Cæsaris Augusti futura Christi « Nativitas declarata est? Christus enim *unctus* in« terpretatur, » quia nos unxit ungitque oleo gratiæ et lætitiæ, per totum diem vitæ et mortalitatis nostræ [a].

Quæres quoto anno imperii Augusti natus est Christus? Respondeo : Variæ sunt hâc de re Chronologorum et Doctorum sententiæ.

Prima censet Christum natum anno 41 Juliano, qui fuit annus 40 regni Augusti, Herodis 36, Romæ conditæ 749, Olympiadis 193 annus quartus. Anni Juliani incipiunt ab anno quo Julius Cæsar reformavit Calendarium, qui fuit vitæ et regni ejus penultimus; anno enim sequente occisus, successorem reliquit Augustum Cæsarem : hinc fit ut anni Juliani semper uno anno antecedant annos Augusti. Ità Chronicon Weingartense, et nonnulli recentiores insignes Chronologi. Hæc sententia valdè convenit cum historiis sacris et profanis. Tantùm illi obstat, quod Lucæ de Christo, cùm baptizaretur anno 15 Tiberii Cæsaris, dicatur : *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta* [2], cùm juxta hanc sententiam fuerit 32 annorum, saltem inchoatorum; nam Augustus regnavit 57 annos. Ergò Christus nascens anno 40 Augusti, cum eo vixit 17 annos : adde 15 Tiberii, habebis 32. Respondent ipsi Christum dici quasi vel circiter 30 annorum, quia erat 32,

[1] *Exod.* XXX, 13 *et Matth.* XXII, 19. — [2] *Luc.* III, 1 *et* 23.

[a] Quoad miracula quæ circa tempus Nativitatis Domini locum habuisse memorantur, vide Appendicem ad calcem hujus festi positam.

sicut S. Augustinus, in Breviariis antiquis, dicitur baptizatus anno ætatis 30, cùm præcisè fuerit 33 annorum, uti habent Breviaria nuper correcta.

Secunda censet Christum natum anno 42 Juliano, qui fuit 41 Augusti Cæsaris, ab Actiacâ victoriâ 29, regni Herodis 37, Urbis conditæ 750, Olympiadis 194 annus primus. Ità sentit Severus Sulpitius. Favent S. Hieronymus, Irenæus, Tertullianus.

Tertia censet Christum natum anno 43 Juliano, qui fuit 42 Augusti, Herodis 38, Urbis conditæ 751, Olympiadis 194 annus 2. Ità Clemens Alexandrinus, Cassiodorus, Zonaras, Marianus Scotus, Baronius, Salianus, Toletus, Genebrardus, Salmeron, Serarius, Scaliger ; et sic habet Martyrologium Romanum die 25 Decembris.

Quarta censet Christum natum anno 44 Juliano, qui fuit 43 Augusti, Herodis 39, Urbis conditæ 752. Ità S. Epiphanius, Eusebius, Orosius, Nicephorus, Hermannus Contractus, Copernicus, Onuphrius, Gerardus Mercator. In eamdem inclinant Franciscus Suarez, Sigonius, Pererius, Ribera, Maldonatus, Mariana.

Quinta censet Christum natum anno 45 Juliano, qui fuit 44 Augusti. Ità Joannes Lucidus et Dionysius Exiguus cum suis asseclis.

Sexta censet Christum natum anno 46 Juliano, qui fuit 45 Augusti, Herodis 41, Urbis conditæ 754, etc. Ità Paulus Middelburgensis, Episcopus Semproniensis, Petrus de Aliaco, Bellarminus et Beda, ac novissimè, sed exactissimè Dionysius Petavius in Rationario Temporum.

Hæ sententiæ singulæ suas habent conjecturas, suas quoque difficultates : quarè in re tàm ancipiti nil certò definiri potest.

Lector ex his eligat quam volet. Probabiliores sententiæ sunt, prima, secunda et tertia. Secunda et tertia magis sunt communes, et plures habent Auctores, eisque favet quod ait Lucas : *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta* [1], in baptismo. Nam juxta secundam sententiam finiebat tunc annum trigesimum; juxta tertiam verò eumdem inchoabat.

Primæ sententiæ expressè adstipulantur prisci Annales apud Epiphanium, et vetus Chronicon apud Eusebium; insuper anonymus Chronologus, qui ante 1400 annos scripsit. Eidem favet :

Primò, quòd illo anno clauso Jano summa fuerit in orbe pax, ut dixi.

Secundò, quòd Herodes anno regni sui 37, et ultimo paulò ante mortem, jussit occidi infantes à bimatu [2]. Ergò Christus tunc erat bimulus, agebatque annum ætatis secundum. Ergò natus erat anno præcedenti, qui fuit Herodis 36, Augusti 40; mortuus est enim Herodes anno Juliano 43, Augusti 42, ut omnes veteres Historici testantur, ait Sigonius. Hoc argumentum est validum, et vix ab aliis solvitur, nisi torqendo τό à *bimatu*.

Tertiò, quia Christus natus est anno bissextili, in fine anni, id est, in Decembri, ut patet, si à nostro bissexto annos retrò computes, ascendendo usquè ad Christum ; omnes enim anni centesimi sunt bissexti. Annus autem 40 Augusti fuit bissextus, ut docent Macrobius, Censorinus et alii. Ergò decimus bissextus fuit Julianus 41, sive Augusti 40. Adde quòd ex Josepho, Dione, Hegesippo et aliis passim, liqueat Herodem universim tantùm regnâsse annis 37, mortuumque esse anno 43 Juliano ante Pascha. Ergò eodem anno vel aliquo sequenti (ut vult sententia tertia, quarta, quinta et sexta) sub eo nasci non potuit Christus in fine anni, scilicet in Decembri.

Deniquè hic annus est, quo Augustus Caium Cæsarem, ex Juliâ filiâ suâ et M. Agrippâ genero suo (qui Pantheon Romæ ædificavit, orbis miraculum) nepotem, quem principem juventutis creârat, ac in filium adoptârat, et totius imperii hæredem constituerat, agentem annum ætatis decimum sextum, prætextâ de more exutum togâ virili induit, et cum solenni pompâ in forum deduxit. Natus est enim Caius anno ab Urbe conditâ 734, M. Apuleio et P. Silio Consulibus; anno verò 748, agens annum ætatis 15, ab Augusto designatus est Consul : quæ omnia ex Dione, Libro 45 et 55, ac ex lapide Ancyrano et aliis doctè docet Lipsius in Libro 1 Annalium Taciti, n. 18 et seq. Quarè Caius annum ætatis 16, et consequenter annum prætextæ, explebat, anno Urbis 749, qui fuit imperii Augusti 40, scilicet eodem anno Deus Pater longè veriùs Jesum Christum, cœli et terræ Dominum, in orbem induxit, ut per eum fideles omnes in Christum credentes sibi adoptaret in filios, et regni cœlestis hæredes constitueret. Undè et mox Caius Cæsar ab Augusto missus in Judæam et Orientem, ibidem diem obiit, ut Christo novo Regi jàm nato locum cederet, et orbis imperium resignaret, quasi ei omni jure debitum et proprium.

Ex hâc pariter sententiâ facilè intelligitur, cur Christus ante annum ætatis duodecimum non venerit in Jerusalem ad templum, quia scilicet usquè ad illum annum ibidem regnabat Archelaus, Herodis filius, à quo, æquè ac ab Herode, Christo erat timendum : Archelaus enim regnavit 10 annos, quibus adde duos ultimos Herodis, habebis annos 12, post quos Archelaus ab Augusto regno fuit pulsus in exsilium, tùmque Christus liberè et sine metu adiit Jerusalem et templum.

JOANNES MALDONATUS.

Factum est autem. Accidit, וַיְהִי, *vaiehi.* Significatur autem non casus, ut videtur latinum verbum præ se ferre, sed divina providentia, quæ effe-

[1] *Luc.* III, 23. — [2] *Matth.* II, 16

cit, ut eo potissimùm tempore Augustus imperator in animum induceret, ut universus describeretur orbis, uti eâ occasione Maria Christo prægnans in Bethleem veniret, ut imperatoris obsequeretur edicto, ibique pareret, ubi prædictum à Prophetis erat nasciturum Christum [1].

In diebus illis, sub idem tempus. Dubium utrùm nato jàm Joanne, an antequàm nasceretur, quia non constat an statim ut edictum promulgatum est, descriptio facta sit. Quin Auctores nonnulli testantur longè antè promulgatum quàm facta descriptio, repugnantibus Judæis, et quasi novum servitutis genus detrectantibus, ad quos deprimendos, ut ex Josepho colligunt, Coponius à Romanis missus fuerat, quamquàm hæc opinio eodem auctore Josepho, Libro 18 Antiq., cap. 1, refutari mihi videtur, qui Judæos scribit non difficilè eam servitutem subiisse. Itaque probabilius est nato jàm Joanne edictum illud exstitisse.

Exiit edictum à Cæsare Augusto, primo Romanorum Imperatore, cujus anno 42 natus est Christus.

Ut describeretur universus orbis. Synecdochem esse, quâ major pars pro toto accipiatur, omnes monent, et res per se manifesta est; nec enim totus orbis Romani imperatoris jussu describi poterat, cùm totus ejus non pareret imperio. Totus igitur orbis, id est, ea orbis pars, quæ sub Romanis erat, describi jussus est. Similia exempla passim occurrunt, v. g. : *Et commota est universa civitas* [2]; et, *Tenebræ factæ sunt super universam terram* [3]. Sunt qui existiment ne totum quidem Romanorum imperium fuisse descriptum, sed solam tantùm Syriam, in quâ tunc Judæa censebatur; sed probabilius est, idque omnes ferè Auctores tradunt, totum descriptum imperium. Quâ enim ratione, aut quo jure una pars potiùs quàm altera describeretur[a]? Invenio qui dicunt hæc ipsa edicti fuisse verba : « Jubemus ut universus describatur orbis. » Crederem, si se edictum legisse dicerent.

Major quæstio, etsi non admodùm, ut mihi quidem videtur, ad intelligendum hunc locum necessaria, quam ob causam ea descriptio facta, qualisve fuerit. Quidam enim interpretes non alio consilio factum putant, quàm ut numerus constaret hominum, qui sub Romanorum essent potestate. Quâ solâ ratione Davidem olim legimus populum numerâsse [4]. Conjecturam ex Jospho et Tertulliano faciunt. Quorum ille, Libro 18 Antiquitatum, c. 1, de hâc populi recensione scribens, nullam de tributo, nullam de aliâ ejus faciendæ causâ mentionem facit : hic verò, Libro 4 adversus Marcionem, scribit hunc censum Augusti in Romanorum archivo suo tempore servatum fuisse : tantùm ergò descriptionem fuisse numeri, quæ unà cum aliis scriptis servaretur ; tributum enim servari non potuisse. Communem omnium ferè Auctorum opinionem sequi malo, ideò descriptionem factam, ut in singula capita vectigal aliquod certum imponeretur : quod Jurisconsulti *capitationem* vocant. Hoc ut magis credam, et Romanorum avaritia, et omnium regum consuetudo persuadet, qui nonnisi duabus de causis recensere populum solent, aut ut sciant quantùm ex eo pecuniæ possit emungi, aut quantùm colligi virium ad bellicos casus. Hanc enim ob causam à Davide populum fuisse numeratum [1] perspicuum est : et paulò post docebimus hanc descriptionem non futuri belli causâ fuisse factam. Itaque reliquum est ut tributi causâ facta fuerit, ut Euthymius, Strabus, Beda, et Græcus apud D. Thomam auctor existimant [b]. Quin etiam Josephus eodem loco tradit Cyrinum, consularem virum, missum fuisse, ut singulorum censeret facultates : quod nonnisi imperandi vectigalis causâ fieri potuit. Confirmat hanc opinionem, quod ibidem tradit, Judam Gaulanitem eâ de causâ populum commovisse, quasi Judæis non liceret profanis regibus tributa solvere. De quo, sicut et de hâc descriptione in Actis Apostolorum fit mentio [2]. Illud etiam ipsum quod Tertullianus scribit, hanc opinionem adjuvat. Quid enim attinebat hanc descriptionem in Romanorum archivis asservari, nisi tributi causâ? Quantum autem tributi in singula capita impositum fuerit, incertum ; sed probabilis est multorum opinio, tantùm saltem Judæis impositum fuisse, quantùm priùs Deo temploque solvere solebant, id est, mediam partem sicli, quæ drachmas duas continebat. De aliis gentibus minor est conjectura, quantùm jussæ solvere ; neque enim idem omnibus tributum imperatum fuisse credendum est, cùm non omnium eadem haberetur ratio [c].

Difficilior hîc est quæstio, quomodò Romani, vivente adhuc Herode rege, Judæos censere potuerint, illisque vectigal imperare. Id facilè et non malè quidam solvunt, dicentes Herodem ab Augusto precariò regnum accepisse : itaque non solùm vectigalis,

[1] *Mich.* V, 2. — [2] *Matth.* XXI, 10. — [3] *Id.* XXVII, 45. *Idem videre est Act.* II, 28 *et* XXIV, 5 ; *Rom.* I, 8 *et Coloss.* I, 6. — [4] II *Reg.* XXIV, 2.

[a] Quamobrem Hegesippus, Lib. 2, c. 9, scribit : « Orbis terrarum, qui Romano imperio clauditur et definitur. » BENED. XIV, Tract. de festis Domini.

[b] Benedictus XIV citat etiam Ambrosium.

[1] II *Reg.* XXIV. 9. — [2] *Act.* V, 37.

[c] Hæc descriptio ab Augusto edicta esse videtur, propter testamentum Herodis, quod rex ille Cæsari Romano approbandum subjecerat, ut sanciretur voluntas testamentaria de distribuendâ Judæâ inter ipsius liberos. Quò faciliùs hæc distributio ornaretur, necesse erat ut Cæsar regionem et cujusque possessiones pernosceret. ALLIOLI.

sed penè etiam mancipium Romanorum erat, et ad eorum nutum et regebat populum, et ipse regebatur. Hoc facilè apud Josephum lector inveniet.

Alia etiam nunc quæstio reliqua est, utrùm omnes omninò homines, an soli viri, et ii ipsi utrùm omnes, an soli patresfamilias censi fuerint. Nam et hoc à quibusdam interpretibus disputatur, et juvat aliquid ad loci hujus explanationem. Auctores nonnullos invenio non malos, qui solos viros, eosque patres tantùm familiâs, descriptos fuisse putent. Non credo; nam neque belli, sed augendi, ut diximus, vectigalis causâ facta descriptio est, et capitatio, qualem istam apparet fuisse, in singula omninò fiebat capita; et non erat cur beata Virgo unà cum Josepho in Bethleem civitatem suam veniret, si soli censendi erant viri. Hactenùs, quæ ad historiam pertinent: illud ad mysterium, edictum illud non tàm ab Augusto, quàm à Deo profectum fuisse, ut per eam occasionem in Bethleem Maria veniret, ibique ubi Prophetæ nasciturum prædixerant, nasceretur Christus, ut Ambrosius et Beda hoc loco.

2. *Hæc descriptio prima facta est præside Cyrenio.* Sic legendum, etsi in præsidis nomine variatur, dùm alii Cyrenium, alii Cyrinum, alii Quirinum vocant. Non ergò significatur hanc descriptionem à Cyrenio præside, sed eo præside factam fuisse, neque posteà alias fuisse factas, sed nullam factam antè, non quidem in hâc, vel illâ provinciâ; nam in nonnullis fortassè provinciis, ut nonnulli putant, aliæ factæ fuerant; sed nullam ante hanc in toto factam imperio. Multis de causis creditur hoc Evangelistam notavisse, quod per se quidem consideratum videri poterat ad rem non magnoperè pertinere. Prima fuit, ut adhiberet fidem historiæ, dùm omnes temporis circunstamtias et rerum conditiones exponeret, dùm consulem quodammodò designaret, ut existimat Ambrosius. Secunda, ut id divinitùs factum appareret, non aliam ob causam quàm ut Christus in Bethleem, ut à Prophetis prædictum fuerat, nasceretur, ideò tunc factum, antè non factum. Tertia, ut ostenderet summæ pacis tempore natum Christum, qui mundo pacem afferebat. Ubique enim terrarum tunc fuisse pacem, clausumque tunc tertiò Jani templum omnes et Ecclesiastici et profani testantur Auctores. Quarta, ut Christus in primo illo describeretur censu, ut nos à censu et tyrannide diaboli liberaret. Ità Origenes, Ambrosius.

De tempore difficilis admodùm hinc oritur quæstio. Constat ex omnibus ferè Auctoribus Christum quadragesimo secundo imperii Augusti anno, regnante, ut Matthæus ait, adhuc Herode, natum fuisse. Scribit Josephus, Libro 17 Antiquitatum, c. 15, et Lib. 18, c. 1, Cyrenium, mortuo jàm Herode rege, et Archelao, ejus filio atque successore, in Galliam relegato, missum fuisse ut censum hunc ageret. Quâ ergò ratione fieri potuit, ut hujus descriptionis tempore Christus nasceretur, cùm omnes Auctores tradant Archelaum post patrem Herodem novem regnàsse annos, antequàm in exsilium mitteretur, et Herodes post natum Christum duos, ut minimùm, regnaverit necesse sit, quibus Christus fuit in Ægypto; et, si credimus Epiphanio, multò etiam plures? Itaque si præside Cyrenio, ut Lucas ait, hæc descriptio facta est, et vera sunt, quæ de Archelao et Cyrenio Josephus tradit, undecim, ut minimùm, annis Lucas errat. Quod nonnulli respondent, censum multis antè annis edictum fuisse quàm peragi posset, tumultuantibus Judæis et onus aversantibus, et Christum natum fuisse, cùm primum Cæsaris edictum publicatum est, descriptionem verò factam, cùm Josephus scribit, præside Cyrenio, suprà refutavimus; et hâc etiam nunc ratione refutari potest, quòd si tunc, cùm natus est Christus, descriptio facta non fuisset, non utiquè venissent Joseph et Maria Bethleem, ut describerentur. Nam si quis respondeat Joseph et Mariam promptiores fuisse ad parendum edicto, quomodò ad illud respondebit, quòd præ multitudine, ut versu 7 docebimus, hominum, in eamdem civitatem confluentium, locum in diversorio non invenerint? Breviùs ergò, et, ut opinor, meliùs alii respondent lapsum memoriâ Josephum diversa confudisse tempora. Quod ut faciliùs credatur, faciunt alii ejusdem Auctoris in historiâ non pauci nec dissimiles errores. Sed fingamus tàm expertæ fidei tàmque probatæ esse diligentiæ, ut nullus in eo alius error signari possit: certè si Matthæus et Lucas, non sacri, sed profani Auctores essent, tamen quia tempore Christi vixerunt, et cum eo ejusque matre versati sunt, plus fidei quàm Josephus, mererentur, præterquàm quòd Evangelistas non errare aliâ etiam ratione probari potest. Constat ex omnibus etiam profanis historiis Christum anno Tiberii decimo octavo passum fuisse, et passum 33 ætatis anno. Si indè versus initium annos retexamus, reperiemus vivente adhuc Herode natum fuisse. Nam si ex regno Tiberii decem et octo detrahamus annos, ex regno autem Augusti 15, relinquitur natum fuisse anno Augusti 42. Nam Augustum quinquaginta septem imperàsse annos Josephus ipse, Lib. 18 Antiquit. c. 4, auctor est. Anno autem Augusti 42, etiam ex Josephi sententiâ, Herodes vivebat. Indicat enim, Lib. 1 de bello Judaico, c. 2, Messalâ et Atratino consulibus factum regem, quos licèt Annales diversis annis consules ponant, tamen si ab ultimo eorum, Atratino, triginta septem annos numeremus, quos idem Josephus Herodem regnâsse tradit, Lib. 17 Antiq., c. 10, reperiemus mortem illius incidisse in annum imperii Augusti 45, cujus anno 42 Evangelistæ et sacræ omnes historiæ

Christum natum fuisse docent. Itaque duobus post natum Christum annis mortuus est Herodes. Eodem modo alia quæstio solvi potest, quæ ex eodem Josepho nobis nascitur. Scribit, Lib. 18 Ant. c. 3, hanc descriptionem, de quâ Lucas loquitur, 37 annis post Actiacam victoriam factam fuisse; quibus si addas 14 annos, quos idem Josephus ait Augustum ante eam victoriam unà cum Antonio imperavisse, invenies, secundùm Josephum, anno Augusti 51 descriptionem factam, id est, novem annis post natum Christum. Ut Christiani, Evangelistæ potiùs quàm Josepho credamus: ut homines, ejus ætatis quâ gesta res est Auctori, quàm remotioris.

Duo adhuc scrupuli vexare lectorem possunt. Alter, si hæc descriptio vivente adhuc Herode facta est, quomodò Cyrenius præses tunc esse poterat? Nec enim præsides in Judæâ priùs cœperunt esse, quàm mortuo Herode, et, Archelao ejus filio in exsilium misso, tota ad Romanos gubernatio devoluta est. Facilis responsio. Cyrenius non Judææ, sed Syriæ, ut ait Evangelista, præses erat, cùm est facta descriptio; sed quia Judæa ad provinciam Syriæ tunc pertinebat, ut omnes Auctores tradunt, ejus fuit officium non solùm Syriam, sed Judæam etiam describere. Alter est, cur, si Herodes adhuc vivebat, non dixit Lucas Herode potiùs regnante, quàm præside Cyrenio, præsertim cùm non de Syriâ, ubi præses Cyrenius, sed de Judæâ, ubi rex Herodes erat, ageretur, sicut Matthæus dixit: *Cùm autem natus esset Jesus in Bethleem Judæ, in diebus Herodis regis* [1]? Respondeo ideò Cyrenium potiùs Romanorum in Syriâ præsidem, quàm Herodem Judæorum Regem ab Evangelistâ nominatum, quia de censu agebat Romanorum, qui non per regem Herodem, sed per præsidem Cyrenium actus fuerat [a].

CORNELIUS JANSENIUS.

Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino, non prima absolutè, sed prima sub isto Cyrino, seu Quirino, ut alii nominant; nam egit ipse et secundum censum post mortem Archelai filii Herodis, multis scilicet annis post ipsum primum, de quo loquitur Josephus suprà citatus. Quem cùm Eusebius putâsset eumdem esse cum eo de quo hîc Lucas, hinc factum est ut Josephum graviter errâsse plerique Annalium Scriptores existimaverint, cùm fuerit error Eusebii, non Josephi. Prima igitur hæc descriptio dicitur facta à Cyrino, quia inchoavit eam; perficiendam verò reliquit Sentio Saturnino, ut Tertullianus, Lib. 4 contra Marcionem, c. 19, insinuat, quamquàm aliqui putent hunc censum à Cyrino extraordinariè fuisse actum in Syriâ, cùm neque consul esset, neque præses Syriæ, sed Saturninus, cui eum propterea adscribit Tertullianus; et ideò id quod Lucas dicit, *à præside Syriæ*, græcè est ἡγεμονεύοντος, id est, *imperante*, scilicet per præfecturam extraordinariam. Quam rationem exponendi difficultatem esse simplicissimam, et à pluribus remotis expeditam, putat Dionysius Petavius. Sed quia istam extraordinariam illius præfecturam probare difficile est, hinc aliqui suspicati sunt solutionem ex Græcâ phrasi petendam, quam sic exponi posse volunt, ut sensus sit: Hæc descriptio facta est, priusquàm præsideret Syriæ Cyrinus, scilicet à Sentio Saturnino; nam Cyrinus adhuc diù pòst præsedit Syriæ, juxta testimonium Josephi de censu agentis.

CORNELIUS A LAPIDE.

2. *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Prima,* scilicet generalis, quæ contigit in toto orbe jàm pacato sub Augusto et Romanis; nam aliæ in certis provinciis particulares, vel minùs universales hâc generali fuere priores. Ità Paulus Orosius, Beda, Maldonatus, Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas, et alii. Rursùm *prima*, quia secunda descriptio facta est post 10 annos, scilicet anno 10 Archelai, cùm idem Cyrinus missus est in Syriam ad illam peragendam, et ad bona Archelai, jàm ab Augusto damnati, et in exsilium pulsi, in fiscum redigenda, teste Josepho, Lib. 18 Antiq., c. 1. Porrò Tertullianus, Lib. 4 contra Marcionem, c. 7, 19 et 36, ait primam hanc descriptionem factam esse sub Sentio Saturnino, qui scilicet ad eam peragendam propriè legatus et missus erat ab Augusto, eo tempore quo Syriæ Cyrinus in omnibus et consequenter in censu præsidebat. Aut, ut alii, Cyrinus inchoatum à se censum perficiendum reliquit Saturnino, eo quòd ipse ad bellum cum Homonadensibus gerendum avocaretur, de quibus et paulò pòst publicè triumphavit.

Hinc sequitur descriptionem et censum hunc non fuisse lustralem et quinquennalem, sed novum et universalem; scilicet inter tres Augusti, medium et celeberrimum, quem Augustus sine collegâ fecit, Censorino et Asinio consulibus, ut habet inscriptio lapidis Ancyrani, et Suetonius in Augusto, c. 27, et Josephus, Lib. 17 Antiq. c. 3. Primum enim peregerat ante 20 annos in sexto suo consulatu, cum collegâ M. Agrippâ genero suo, anno imperii sui 17. Tertium verò post 20 circiter annos, ultimo imperii et vitæ suæ anno, instituit cum Tiberio ge-

[1] *Matth.* II, 1.

[a] Factum illud historicum, quod hactenùs totiès disceptatum est, nuperrimè elucidatum fuit investigationibus eruditi cujusdam Galli. Tholuch (de hoc loco) investigationes illas exponit, demonstratque Augustum et censum et descriptionem Judææ edixisse eo tempore quod designat Lucas.

nero suo; hic enim, mortuo M. Agrippâ, Juliam ejus conjugem, Augusti filiam, uxorem duxerat, uti Livia, Tiberii mater, nupserat Augusto : quâ de causâ, Tiberius Augusto in imperium successit. Porrò descriptionibus hisce et censibus, utpotè tantis et tàm variis, quinquennium impendebatur.

Cyrino. Fuit hic P. Sulpitius Quirinus, sive Cyrinus, vel Cyrinius, quem Augustus Cæsar Caio Cæsari, suo ex Juliâ filiâ nepoti, in Syriam eunti rectorem dederat, ac Caio ibidem defuncto Syriæ præsidem remanere jussit, uti Velleius, Caii comes, ac Suetonius, Florus, Dio et alii testantur.

Hujus descriptionis generalis factæ sub Cyrino historici profani, qui jàm exstant, vix meminerunt; olim tamen in tabulis publicis fuisse consignatam liquet ex S. Justino, Oratione ad Antoninum Pium, et ex S. Cyrillo, Libro 6 contra Julianum, Orosio, Tertulliano et aliis.

JOANNES MALDONATUS.

3. *Et ibant omnes ut profiterentur*, ἀπογράφεσθαι, *ut describerentur, ut nomina darent.* Noster Interpres non solùm descriptionem, sed causam etiam descriptionis inspexit, quæ ideò fiebat, ut se quisque hujus vel illius profiteretur esse familiæ, seque imperatori subditum agnosceret: ideò vertit: *Ut profiterentur*, cùm paulò antè idem verbum reddidisset: *Ut describeretur universus orbis*, suprà, et ἀπογραφὴν, *descriptionem*, etiam suprà.

Singuli in suam civitatem ibant. Sic verba conjungenda sunt, ut nomen *singuli* non referatur ad verbum *profiterentur*, sed ad verbum *ibant*, et ad id quod sequitur, *in suam civitatem;* sensusque sit : *Ibant omnes in suam quisque civitatem, ut ibi profiterentur.*

Potest quæri quid opus fuerit in suam quemque civitatem ire, ut describeretur. Rectè plerique respondent, sive veteri consuetudine, sive novo consilio hanc initam fuisse rationem populum describendi, ut familiæ singulæ describerentur; nemo enim esse poterat, quin ad aliquam familiam pertineret, in illo præsertim Judæorum populo, in quo tanta diligentia familiarum in omnem posteritatem olim conservabatur. Erat hoc et facilius et brevius : itaque omnes populi descriptiones quæ umquàm in eo populo factæ sunt, hâc ratione factas legimus [1]. Quapropter verisimile est hanc describendi per familias populi rationem in solâ Judæâ etiam tempore ejus edicti servatam fuisse; alias verò gentes, suo quamque more, fuisse descriptas.

Quærunt alii in quam quisque civitatem ire debuerit, ut profiteretur. In eamne ubi natus, an in eam undè oriundus esset, an in eam ubi habitaret, an in eam ubi domum et bona sua haberet? Euthymius existimat in eam quemque iisse civitatem, quæ tribûs suæ metropolis esset; fuisse autem Jerusalem metropolim tribûs Benjamin; Bethleem verò tribûs Judæ: ideò Josephum et Mariam, quia ex tribu Judæ erant, iisse Bethleem. At Evangelista aliam rationem reddit, *eo quòd esset de domo et familiâ David.* Non ergò quia ex tribu Judâ, sed quia ex familiâ Davidis erant, Bethleem descriptionis causâ venerunt. Alii in eam civitatem ire quemque debuisse putant, ubi domum et bona sua haberet; ideòque Josephum et Mariam iisse Bethleem, quòd, cùm ex familiâ Davidis essent, domum aliquam, pauperem licèt, in eâ haberent civitate. Id videntur ex Cypriano [a] confirmare potuisse, qui in Serm. de Nativitate Christi scribit his verbis: « Veniunt in Bethleem : quem prædixit Gabriel in« venitur Emmanuel : civitas parva, domus pauper« cula, supellex exigua. Nulla domûs ambitio, nisi « reclinatorium in stabulo, mater in feno, filius « in præsepio. » Certè Nicephorus, Libro 1, cap. 13, existimat et in Bethleem et in Nazareth domicilium et possessiones aliquas habuisse. Quo ergò modo *non erat eis locus in diversorio*, si domum propriam habebant? Quomodò recèns natus Christus in præsepio positus est? Non, quemadmodùm illi interpretantur, ut commodiùs aut tutiùs esset, sed quia, quemadmodùm apertè docet Evangelista, alius non erat locus. Nec ità profectò Cyprianus [b] sentit; nam quod dicit: « Civitas parva, domus exigua, supellex paupercula, » non indicat domum illam, quamvis exiguam, fuisse Josephi. Eodem enim contextu eodemque tenore dicit : « Civitas parva; » atqui non propterеà significat Josephum dominum ejus fuisse civitatis; sed tantùm docere voluit Christum, et civitatem parvam, et domum exiguam in quâ nasceretur, elegisse. Si quæràs quænam domus fuerit, respondebit stabulum. « Nulla, *inquit*, « domûs ambitio, nisi reclinatorium in stabulo. » Alii in eam unumquemque civitatem iisse dicunt ubi natus erat : quod nihilomagis probabile videtur, cùm Marcus Josephum et Mariam in Nazareth Galilææ natos fuisse significet [2], siquidem ibi cives ejus urbis fratres, et sorores Christi, id est, omnem ejus cognationem esse dicebant. Alii, in eam undè oriundus quisque esset : quod non solùm Evangelistæ, sed ne rationi quidem consentaneum est. Poterat enim unus et idem homo ex diversis oriundus esse civitatibus, si alibi ejus pater, alibi mater, alibi avus, alibi atavus nati fuissent. Credo igitur in eam quemque iisse civitatem, quæ non tribûs, ut putat Euthymius, sed familiæ suæ caput esset. Nam sicut populus in tribus, ità tribus in familias dividebantur. Atque hoc cum eâ ratione, quam

[1] *Vide Josue* VII, 14; I *Reg.* X, 19, 20 *et* 21 *et* II *Reg.* XXIV, 2. — [2] *Marc.* VI, 3.

[a] Aut potiùs ex Arnoldo Bonavallensi. — [b] Arnoldus.

Evangelista reddit versu sequenti, rectè cohæret, eo, inquit, *quòd essent ex domo et familiâ David;* erat enim Bethleem patria Isai patris Davidis[1], ibique David natus fuerat et educatus. Itaque ab eo qui eam familiam primus regno nobilitavit, Bethleem civitas Davidis appellabatur, ut hoc loco, et infrà, versu 2; quamquàm in Veteri Testamento, cùm Davidis civitas nominatur, ubique arx Sionis intelligitur, quòd ædificata à Davide fuisset.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et ibant omnes ut profiterentur (se subditos Augusto et Romanis, eisque nomen suum hâc de causâ darent) *singuli in civitatem suam*, quæ familiæ ipsorum erat caput, uti Bethleem erat caput familiæ Davidis, ex quâ natus est Joseph et Christus, quia in Bethleem natus et educatus fuerat David. Patet ex sequenti. Judæi enim suam gentem et rempublicam in 12 tribus, has deindè in singulas familias, quæ suum habebant caput, diviserant; ideòque hanc eorum divisionem apud eos in censu hoc secuti sunt Romani. Nimirùm omnia hæc fiebant Deo dirigente, ut ex hâc descriptione toti orbi liqueret Christum, recèns natum in Bethleem, esse prognatum ex tribù Judâ et stirpe Davidis, ipsumque esse Messiam, uti Prophetæ prædixerant, etsi hoc non intenderet, imò nesciret Augustus, ejusque præses Cyrinus.

Ut profiterentur. Græcum ἀπογράφεσθαι, significat et *describi* et *profiteri.* Utrumque enim hîc fiebat; singuli enim describebantur, et profitebantur subjectionem ei qui describebat, scilicet Cyrino præsidi , quasi vicario Augusti Cæsaris. Romæ enim singuli describebantur, quasi cives et subditi, de quorum fide in Augustum et senatum non dubitabatur; alibi verò dicebantur profiteri, scilicet, subjectionem Cæsari, quasi exteri et armis Romanorum subacti. Porrò Orosius, Libro 6, cap. ult., ex hâc descriptione colligit Christum fuisse civem Romanum, ut quasi tacitè innueret Christianos omnes Romano Pontifici et Ecclesiæ subdi debere : « Christus, *inquit*, dicendus civis Romanus, censûs professione Romani. »

Symbolicè, descriptione hâc quâ omnes se Augusti et Romanorum servos profitebantur, significabatur Christum jàm natum venisse, ut nos à servitute diaboli liberaret, et universum orbem sibi subderet, suæque fidei et cultui servire, non vi armorum, sed efficaciâ gratiæ suæ compelleret : quâ de causâ Augustus tùm nomen Domini recusavit, teste Orosio et aliis. Rursùm S. Gregorius, Homiliâ 8 in Evang. : « Quid est, *ait*, quòd nascituro « Domino mundus describitur, nisi quòd hoc apertè « monstratur, quia ille apparebat in carne, qui « electos suos adscriberet in æternitate? Quod contrà de reprobis per Prophetam dicitur : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur*[2]. » Sic et Origenes : « Diligentiùs intuenti « *ait*, sacramentum quoddam significare videtur, « quòd in totius orbis professione describi oportue« rit et Christum, ut, cum omnibus scriptus, sancti« ficaret omnes, et cum orbe relatus in censum, « communionem suî præberet orbi,» « liberans eum, « *ait* Euthymius, à servitute diaboli, qui princeps « est mundi. »

Hinc patet Christum descriptum fuisse non statim à Nativitate, sed octavo die postquàm circumcisus est; in circumcisione enim more communi inditum est illi nomen Jesus, quod, adstantibus Bethleemitis qui erant ex stirpe David, in tabulas publicas, quas Cyrinus ad Augustum transmisit, relatum est, scilicet, Jesum Mariæ filium, natum in Bethleem, prognatum esse ex David. Ità Justinus, Apologiâ 2 ad Antoninum Pium, Origenes, Theophylactus et Euthymius.

CORNELIUS JANSENIUS.

4. *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ*, quia Judææ situs altior erat quàm Galilææ. Et hinc est quòd in Scripturis passim dicuntur *ascendere in templum Domini*, quia altissimo loco situm, *et descendere in domum regis:* et rursùm Christus dicitur *ascendisse Jerosolymam, et descendisse Capharnaum*, quæ erat vicina Galilææ.

De civitate Nazareth, ubi habitabat; nam in descriptione nulla habebatur ratio, ubi quis natus esset, vel habitaret, vel domum aut bona sua haberet, sed loci familiæ celebris.

In civitatem David, quæ vocatur Bethleem : quod additur distinctionis causâ ; erat enim et alia civitas David, arx Sion, quam armis occupaverat; sed in Bethleem natus erat: « quam parùm splendi« dam parùmque populosam Dominus præelegit Na« tivitati, sicut Jerosolymam, passioni, *inquit* Leo, « Sermone 1 de Epiphaniâ. » Accedebat et nominis congruentia ; nam ex Bethleem, id est, *domo panis*, conveniebat panem vitæ procedere.

Eo quòd esset de domo et familiâ, id est, de familiâ *David;* nam prius nomen exponitur per posterius, quamvis alioqui *familiæ et domus* distingui possint, ut *Tribus* dicantur à primis filiis Jacob et Joseph, *Familiæ* à celebribus quibusdam nepotibus eorum , *Domus* à singulis patribusfamilias. Sed hæc distinctio non semper servatur in Scripturis. Insinuatur autem hîc omnes omninò de stirpe David similiter in Bethleem esse descriptos.

JOANNES MALDONATUS.

Ascendit autem et Joseph, sicut alii ascendebant in suam quisque civitatem. עָלָה, *alath*, *ascen-*

[1] I *Reg*. XVI, 1. — [2] *Psalm*. LXVIII, 29.

dere, apud Hebræos, frequenter ponitur pro *ire*, etiamsi locus quo itur, eminentior non sit, quamquàm et situs Bethleem, si cum situ comparetur Nazareth, altior erat, quia aquæ à Judæâ in Galilæam defluebant. Verba ad hunc modum jungenda sunt : *Joseph etiam ascendit à Galilæa, à civitate Nazareth*, ne sensus esse videatur *ascendisse Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth*, id est, qui erat Galilæus et civis Nazareth. Habitabat Joseph cum Mariâ in Nazareth, civitate Galilææ ; ibique, ut opinor, nati erant. Quâ autem occasione eorum parentes ex Bethleem, gentili civitate, migraverint in Nazareth, prorsùs ignoratur, nec, ut arbitror, sciri potest, cùm nulla de eâ re exstet historia ; probabile tamen est quod, Hær. 51, scribit Epiphanius, Machabæorum tempore, propter assidua bella, quæ in Judæâ erant, in Galilæam commigràsse.

Eo quòd esset de domo et familiâ David. Non solùm Josephum, sed etiam Mariam ex familiâ Davidis fuisse probabimus infrà [a]. Quod autem quidam hoc loco inter domum et familiam Davidis hoc discrimen ponunt, ut qui per feminas ex Davide descendebant, ex ejus domo ; qui autem per viros, ex ejus familiâ esse dicerentur, nimis subtiles interpretes mihi videntur; nemo enim ignorat domum et familiam idem esse ; sed nimirùm Evangelista, ut uno verbo alterum explicaret, utrumque conjunxit ; et probabimus infrà [b], Mariam per viros ex Davide descendisse.

CORNELIUS A LAPIDE.

Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, etc.

Ascendit, id est, profectus est ex Nazareth, urbe Galilææ, ubi Angelo nuntiante, beata Virgo Christum conceperat: undè Christus à Judæis dictus est Galilæus et Nazarenus.

In Bethleem, quæ ultra Jerusalem sita erat, ab eâque distabat itinere duarum horarum : quarè à Nazareth in Bethleem, iter erat tridui et ampliùs, quod beata Virgo prægnans, et partui proxima, confecit pedes, ut multi piè sentiunt. « Ascendit, « *ait* S. Bernardus, Sermone in illud Apocalyp- « sis : *Signum magnum apparuit in cœlo*, in « Bethleem, imminente jàm partu, portans pre- « tiosissimum illud depositum, portans onus « leve, portans à quo portabatur. » Et paulò pòst : « Sola sine corruptione concepit, sine gra- « vamine tulit, sine dolore filium parturivit. » Audi S. Gregorium, Homiliâ 8 in Evangelia : « Qui « benè etiam in Bethleem nascitur; Bethleem « quippè *domus panis* interpretatur. Ipse namque « est qui ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo « descendi* [1]. Locus ergò in quo Dominus nascitur, « panis anteà vocatus est, quia futurum profectò « erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, « qui electorum mentes internâ satietate reficeret. « Qui non in parentum domo, sed in viâ nascitur; « ut profectò ostenderet, quia per humanitatem « suam, quam assumpserat, quasi in alieno nasce- « batur; » ut doceret nos in terrâ esse peregrinos, cives verò cœli; ut ab hoc exsilio magnis virtutum passibus tendamus in cœlum, ceu patriam et civitatem nostram.

JOANNES MALDONATUS.

5. *Ut profiteretur*, græcè ἀπογράφεσθαι, *ut describeretur*, ut explicavimus suprà, p. 259, col. 1.

Cum Mariâ. Potest nomen Mariæ referri aut ad verbum proximum : *Ut profiteretur*, aut ad superius : *Ascendit*, versu præcedenti. Hoc probabilius, licèt per hyperbaton dictum esse videatur. Non nego tamen Mariam fuisse descriptam [c] ; nam eorum opinionem, qui solos viros descriptos fuisse putant, suprà refutavimus.

Desponsatâ sibi uxore prægnante. Non est sensus desponsatam illi fuisse, cùm jàm esset prægnans; sed fuisse illi priùs desponsatam ; et tunc, cùm in Bethleem ascenderunt, fuisse prægnantem. Græcè ea ambiguitas, quæ in nostrâ apparet versione, nulla est, οὔσῃ ἐγκύῳ, *quæ prægnans erat. Desponsata* autem dicitur græcè μεμνηστευμένῃ, quæ eam propriè significat quæ desponsata et pacta in conjugium est, nondùm tamen domum ducta, quamvis Maria verè jàm ducta esset, ut indicaretur, ità eam uxorem fuisse, ut esset tamen virgo [d].

CORNELIUS JANSENIUS.

6. *Factum est autem cùm essent ibi*, id est, cùm aliquot diebus ibi hærerent, *impleti sunt dies ut pareret*, naturales scilicet et legitimi, quos dies Augustinus, Libro de 83 diversis Quæstionibus Evangel., Quæst. 56, ponit ducentos septuaginta sex, hoc est, novem menses et sex dies; tot enim inveniri ait inter VIII Calendas Aprilis, quo conceptus est, et VIII Calendas Januarii, quo natus est Dominus, « sicut à majoribus traditum suscipiens Eccle- « siæ custodit auctoritas, » inquit idem, Libro 4 de Trinitate, cap. 5, ubi hoc latiùs tractat.

[1] *Joan.* VI, 51.

[a] In festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, ubi agetur de genealogiâ Christi. — [b] Eodem loco.

[c] Ex eo quòd Maria debuit quoque profiteri, constat eam familiæ suæ quam repræsentabat prolem unicam fuisse atque bonorum paternorum hæredem ; mulieres enim quæ hæredes erant, solæ descriptionibus subjectæ erant. Ecce quàm mirum in modum Providentia cuncta regit ! Ut Mariæ subesset causa veniendi Bethleem ubi nasciturus erat Salvator prænuntiatus (*Mich.* V, 2), Deo permittente, Augustus imperator censum e singularem Judææ descriptionem edicit. ALLIOLI.

[d] De voce *desponsatâ* vide quod disseruimus, suprà, in Appendice ad expositionem Vigiliæ Nativitatis Domini, p. 217, n. 2, et quod dicimus, infrà, in Appendice ad calcem hujus Festi positâ.

JOANNES MALDONATUS.

6. *Factum est autem cum essent ibi.* Non casu, neque solâ naturâ factum esse, sed divinâ providentiâ intelligendum est, quæ constituerat, et per Michæam prophetam declaraverat, ut in Bethleem Christus nasceretur [1]. Ea providentia fecit, ut per id tempus edictum à Cæsare Augusto de describendo orbe universo prodiret, ut eâ occasione Joseph et Maria tùm, cùm instabat partus, in eam venirent civitatem, ut ab omnibus interpretibus notatum est.

Quærunt nonnulli quomodò Maria, tam propinqua partui, tantum spatium conficere potuerit? quatuor enim, ut minimùm, dierum à Nazareth in Bethleem iter erat. Creditur vulgò asino vectam fuisse: quod nec probari potest, nisi auctore populo; et nescio an Mariæ paupertati satis conveniat; nam quæ asinum habebat, quomodò nullum in diversorio locum invenire, quomodò agnum emere non potuisset? At leve hoc argumentum est. Fateor; sed ad refellendum id quod nullo argumento probatur, quamvis leve satis est argumentum. Magis probabile, et pium est, quod graviores Auctores, Fulgentius in Sermone de laudibus Mariæ, Bernardus, Homiliâ in illa verba Apocalypsis: *Signum magnum apparuit in cœlo*, et Nicephorus, Libro 1, cap. 12, tradunt non fuisse Mariæ molestum, sicut cæteris mulieribus, et gravem uterum: quod ego mihi omninò verum esse persuadeo; nam quæ sine viro concepit, sine dolore peperit, credendum est et uterum sine molestiâ ullâ gestâsse. Nihil ergò vicinitas partûs impediebat quominùs in Bethleem etiam pedibus venire posset: quin juvabat potiùs; quia Christus, qui ibi nasci decreverat, eam, ut credibile est, ut eò veniret, instigabat, et occulto juvabat auxilio, non tàm ab eâ gestatus, quàm eam gestans. Veri etiam simile est Mariam neque locum, neque diem sui partûs ignorâsse; quarè eo se libentiùs atque alacriùs in viam dedisse, quòd partum suum videbat appropinquare. Colligitur ex hoc loco Mariam non eodem die, aut eâdem nocte, quâ in eam pervenit civitatem, peperisse, ut vulgaris quædam fert opinio; sed per aliquot dies fuisse Bethleem, antequàm pareret, cùm dicat Evangelista, *cùm essent ibi, dies impletos fuisse pariendi.* Cur autem hoc ipsum Evangelista dixerit? Observârunt Origenes, Ambrosius et Theophilactus, non omnibus, sed solis sanctis mulieribus *tempus pariendi impleri* in Scripturis dici, ut Mariæ hoc loco, et Elisabethæ, superiùs [2], quòd, ut ait Ambrosius, plenitudinem justi vita habeat, inanes autem dies sint impiorum. Sed non eam arbitror hoc verbum vim habere, sed eam potiùs ut indicet Evangelista eo prorsùs modo eoque ordine successisse omnia, quo ab Angelo prædicta fuerant. Dixerat autem Angelus de utrâque, et Mariâ et Elisabethâ, fore ut conciperet filium ac pareret: ideò Evangelista non contentus dixisse utramque concepisse, addidit *impletum fuisse pariendi tempus*, id est, suo tempore peperisse, quasi dicat ne uno quidem die retardatam fuisse divinam promissionem.

CORNELIUS A LAPIDE, hoc loco.

Nota. Christus natus est paulò post solstitium hiemale, cùm crescere incipiunt dies; Joannes Baptista verò natus est paulò post solstitium æstivum, cùm dies incipiunt decrescere, quia, ut ipse ait: *Illum oportet crescere, me autem minui* [3]. Ità S. Augustinus. Rursùm in solstitio hiemali alcyones (aves sunt paulò majores hirundinibus) circa mare Siculum ponunt ova, eaque quatuordecim diebus excudunt, ac per totidem dies pacatum est mare: undè nautæ id observant, captantque id tempus, ut securè navigent, teste Plinio, Libro 10, c. 3, et S. Ambrosio, Libro 5 Hexaëmeron, c. 13: quarè dies alcyonii vocantur dies placidi, sereni, hilares. Ità Christus, noster Alcyon, iisdem diebus natus est, quasi Rex placidus et pacificus: undè Angeli ei accinuerunt: *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus.* Rursùm Plinius docet pluviam in solstitio æstivo, et calorem in hiberno portendere uberem frugum messem. Ità pluviam Baptismi, lacrymarum et pœnitentiæ adduxit Joannes Baptista, Christus verò calorem gratiæ et charitatis, quibus copiosa fidelium, doctorum, martyrum, virginum, omniumque sanctorum messis prognata surrexit.

JOANNES MALDONATUS.

7. *Et peperit filium suum primogenitum.* Hoc erat hæreticorum argumentum, qui de Mariæ virginitate malè sentiebant, quòd Christum Evangelista Mariæ primogenitum appellet, quasi post eum alios genuerit; ubi enim secundogenitus nullus est, ibi nec primogenitum esse posse dicebant. Epiphanius videtur vim argumenti declinâsse. Negat enim, Hæres. 78, Christum Mariæ primogenitum appellatum; nec enim Evangelistam dixisse ibi, et aliàs [4]: *Peperit* filium primogenitum suum, sed *filium suum primogenitum*, ut significaret filium esse Mariæ, primogenitum autem Dei: *ipse namque est primogenitus omnis creaturæ* [5]; et: *Primogenitus ex mortuis* [6]; et: *Primogenitus in multis fratribus* [7]. Meliùs et fortiùs asserit Hieronymus, adversus Helvidium, primogenitum Mariæ Christum dici, non quòd post eum alius, sed quòd ante eum nemo genitus sit; hunc

[1] *Mich.* v, 2. — [2] *Luc.* I, 57. — [3] *Joan.* III, 30. — [4] *Matth.* I, 25. — [5] *Coloss.* I, 15. — [6] *Ibid.* 18. — [7] *Rom.* VIII, 29.

enim Scripturarum esse usum, ut unigeniti etiam primogeniti dicantur; quia qui unigenitus est, necessariò ante omnes alios, id est, nemo ante eum genitus est: quod est esse primogenitum. In Exodo, Deus vocat populum Israel primogenitum suum [1], cùm alium non haberet; et alibi dicitur percussisse omnia primogenita terræ Ægypti [2], inter quos non dubium, quin aliqui unigeniti fuerint; et infrà, jubet omnem primogenitum sibi sanctificari [3]; consuetudo autem, legis interpres, etiam unigenitos docet intelligendos; alioquin exspectandum erat, donec alii posteriùs geniti nascerentur. D. etiam Paulus primogenitum Dei pro unigenito Christum appellavit [4]. Cur ergò Evangelista addidit epithetum, *Primogenitum?* Ideò, ut opinor, ut significaret Mariam non solùm concepisse virginem, sed etiam peperisse. Nam de conceptu dixerat: *Antequàm convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu sancto* [5]. De partu autem dicit: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* [6], id est, cùm eam non cognovisset, peperit filium suum: qui ideò solus maximè propriè primogenitus dicitur, quia, cùm primogenitus diceretur, qui vulvam aperiebat [7], solus ille aperuit, qui solus clausam invenit, ut Tertullianus docuerat; aperuisse autem interpretor, non verè aperiendo, sed quemadmodùm si aperuisset, verè nascendo.

Et pannis eum involvit, græcè, καὶ ἐσπαργάνωσεν, *et fasciavit,* ut ità dicam, id est, fasciis obvolvit, ut involvi solent teneri adhuc infantes, ut membra constringantur atque firmentur, enormiter aliquandò fluxura, si dissoluta essent. Non erat ea diligentia in Christi corpore necessaria, sed erat debita; nam quamvis sine viro conceptus, sine matre servari poterat, tamen præstitit illi mater officium, quod pia ac diligens præstare mater debuit; et passus est in se fieri Christus, quod in aliis hominibus fieri consuevit, ut verum se hominem cæteris similem declararet. Sumitur ex hoc loco non minimum argumentum ad confirmandam Ecclesiæ catholicæ sententiam, Mariam sine rupturâ ullà corporis, sine ullo dolore peperisse: quod utrumque non alià ratione Calviniani negant, quàm quòd omnis pietatis omnisque honoris beatæ Mariæ Virginis inimici sint. Si enim aperto peperisset corpore, quomodò potuisset recèns natum infantem excipere, et suis manibus involvere? Itaque non solùm falsa, sed etiam fabulosa, et, ut suspicor, ex Rabbinis nata opinio illa est, quam non modò in nescio quibus apocryphis libris, sed etiam apud Suidam, nimis in hàc re credulum auctorem lego, parienti Mariæ obstetrices affuisse. Acutiùs Ecclesiastici viderunt Auctores hoc ipso loco indicari, sine ullâ eam obstetricis ope peperisse, Gregorius Nazianzenus in Christo patiente, Cyprianus in Sermone de Nativitate Christi [a], Gregorius Nyssenus, Oratione 1 de Resurrectione Christi, Hieronymus, Libro contra Helvidium, Fulgentius in Sermone de laudibus Mariæ, et Bernardus, Sermone 4 in Vigiliâ Natalis Domini. Cypriani [a], et Hieronymi, quia illustriora sunt, verba recitabo. « Panniculi, *inquit* primus, pro « purpurâ, pro bysso in ornatu regio laciniæ con« geruntur: genitrix est et obstetrix, et devotam « dilectæ soboli exhibet clientelam: attrectat, am« plectitur, jungit oscula, porrigit mammam, to« tum negotium plenum gaudio: nullus dolor, nùlla « naturæ contumelia in puerperio. » Et alio ejusdem Sermonis loco: « Ultrò, *inquit,* maturus ab « arbore bajulâ fructus elapsus est, nec oportuit « vellicari, quod spontè prodibat. » Hieronymus verò sic: « Absit, *inquit,* ut hoc de matre Salvato« ris et viro justo sit existimandum. Nulla ibi ob« stetrix, nulla muliercularum sedulitas interces« sit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater « et obstetrix fuit. » Quales fuerint fasciæ aut panni, quibus natus involutus est Christus, certò non possumus affirmare. Hæretici valdè probare posse vellent sericos, aut certè pretiosos fuisse. Nos viles, si non sordidos, fuisse credimus, quales pauperum esse solent. Constat enim tàm pauperem Mariam fuisse, ut illi ne prægnanti quidem aut parienti locus fuerit in diversorio, ut infantem in præsepi præ inopiâ posuerit, ut ad emendum agnum in sacrificium satis non habuerit facultatis. Quid Cyprianus eâ de re senserit paulo antè audivimus. Eadem omnium veterum Auctorum sententia est.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et peperit filium suum, etc.

Peperit, naturaliter, uti aliæ matres: fuit ergò ipsa verè et naturaliter mater Christi, et consequenter Dei; Christus enim est Deus. Porrò beata Virgo magis fuit parens Christi, quàm sint aliæ matres suorum filiorum; nam ipsa in solidum fuit parens et mater Christi, quia ab eâ Christus accepit omnem suam substantiam, quam alii non à solâ matre, sed etiam à patre accipiunt; ac consequenter amor inter Christum et matrem longè major fuit, quàm sit inter alias matres et filios, adeòque amor qui inter matrem et patrem dividitur, in Virgine unitus et collectus fuit, quia ipsa tàm matris quàm patris vicem subivit. Secundò, sicut ipsa concepit, ita et peperit manens virgo; ac consequenter Christus natus est clauso matris utero, eumque nascens penetravit, sicuti radii solis penetrant vi-

[1] *Exod.* IV, 22. — [2] *Id.* XII, 29. — [3] *Id.* XIII, 2 *et* XXII, 29. — [4] *Hebr.* I, 6. — [5] *Matth.* I, 18. — [6] *Ib.* — [7] *Exod.* XIII, 2 *et* XXXIV, 19.

[a] « Aut quisquis est Auctor, *inquit* Cornelius à Lapide, Libri « de cardinalibus Operibus Christi, Sermone 1. » Porrò is auctor est, ut diximus, Arnoldus Bonavallensis. Hoc monitum jàm non repetatur.

trum. Hinc tertiò, beata Virgo uti concepit sine concupiscentiâ, ità peperit sine dolore, sine lassitudine, sine secundinarum fluxu et illuvie, aliisque sordibus partûs, sine obstetrice. Ità Patres passim. Fuit ergò Virgo tota alacris et vegeta, atque in filii amorem et contemplationem absorpta, utpotè quæ in singula momenta eum nascentem exspectaret, videre et amplecti gestiret. Ità Patres et Doctores. Vide Suarezium. Audi S. Gregorium, Homiliâ 26 in Evangelia : « Illud corpus Dominicum intravit ad « discipulos januis clausis, quod ad humanos oculos « per Nativitatem suam clauso exiit utero Virginis. »

Porrò Christum natum esse die Dominicâ, quæ prima fuit dies mundi, ac consequenter feriâ sextâ sive die Veneris fuisse conceptum sicut et passum, ex VI Synodo, Sophronio, Ruperto et aliis docet Suarezius, 3 Part., Quæst. 35, Disput. 12, Barradius et alii, licèt Salianus Christum natum velit feriâ sextâ, conceptum feriâ quartâ. Audi Rupertum, Lib. 3 de divinis Officiis, c. 16 : « Nocte Dominicâ « natus est Christus, consonante mirabilium suo- « rum ordine, ut quo die dixit : *Fiat lux, et facta « est lux* [1], ejusdem diei nocte oriretur in tenebris « lumen rectis corde, » putà, Sol justitiæ, Christus Dominus.

Hinc sicut sol per clausum penetrat vitrum ; sic Christus in lucem prodiit clauso Virginis utero, ait S. Basilius, Oratione in S. Nativitatem Christi. Hinc et beata Virgo ipsa, festi Nativitatis Christi nocte, revelavit S. Brigittæ, ut ipsa refert, Libro 6 Revelationum, cap. 88, dicens : « Cùm nasceretur ex me, « indicibili exsultatione et mirabili festinantiâ, « clauso virginali utero meo prodibat. » Atque hujus suæ exsultationis sensum tunc beata Virgo reipsà communicavit S. Brigittæ. Et Libro 7 Revelationum, cap. 22 : « Peperi, *ait*, sicut nunc vidisti, « flexis genibus, orando sola in stabulo. Peperi « enim eum cum tantâ exsultatione et lætitiâ ani- « mæ, quòd non sensi aliquod gravamen, quandò « ipse exibat de corpore meo, nec dolorem ali- « quem ; sed statim involvi cum panniculis mun- « dis, quos diu antè præparaveram. Quæ quandò « vidit Joseph, miratus est cum magno gaudio et « lætitiâ, ex eo quòd sine adjutorio pepereram. » Et in Sermone Angelico, cap. 15 : « Ipse Deus « suam majestatem inclinavit, de cœlo descendens « in uterum Virginis, non in unâ tantùm ipsius « corporis parte introiens, sed per totum ipsius « corpus Virgineis visceribus se infundens, for- « mando sibi honestissimè ex solius Virginis carne « et sanguine corpus humanum; et ideò electis- « sima illa mater flammanti rubo, sed læsionis « inexperto, quem vidit Moyses, congruè simila- « tur. » Et nonnullis interjectis : « Quemadmodùm « etiam per totum Virginis corpus, quandò idem « Dei Filius concipiebatur, cum suâ divinitate in- « troivit; sic et quandò nascebatur cum humani- « tate et deitate, velut ex rosâ integrâ odoris sua- « vitas, ità et ipse per totum ipsius corpus Virginis « fusus est, Virginali gloriâ in matre integrâ per- « manente. »

Deniquè omnes Virginei partûs figuras è Veteri Testamento coacervat hìc Geometra in Catenâ Græcorum, quam edidit Corderius.

Quartò, quærunt aliqui, quis primus Christum nascentem locus exceperit. Barradius censet fuisse terram sive humum ; ideòque ad hoc, ut Christus nos doceret humilitatem, quæ ab humo dicta est, sicut et homo; sic enim cæteri infantes nascuntur : undè Salomon : *Et in similiter factam decidi terram* [2].

Alii censent Christum primò exceptum brachiis et ulnis matris, ideòque cum summo ejus gaudio et reverentiâ ; hoc enim talem matrem et talem filium decere videbatur; ideòque physicè erat proclivis et obvia; idemque colligunt ex eo quod statim subdit Lucas : *Et pannis eum involvit.* « Quarè « ipsa, *ait* Franciscus Lucas, suis manibus excepit « prodeuntem è suo utero, tamquàm pomum matu- « rum ex arbore delabens, nervo umbilicari sponte « ac sine violentiâ se dissolvente, quemadmodùm sol- « vitur maturi pomi caudex, quo arbori adhæret : ex- « ceptum manibus provoluta in genua adoravit, ado- « ratum suavissimè est osculata, ac deindè involvit « pannis ac fasciis. » Undè et S. Cyprianus de Nativitate Christi : « Ultrò, *ait*, maturus ab arbore fructus « delapsus est, nec oportuit vellicari, quod sponte « prodibat. »

Pientiùs et sublimiùs Franciscus Suarezius opinatur Christum, mox ut natus est, ab Angelis in brachia matris sanctissimæ et amantissimæ fuisse depositum : idem insinuat Nyssenus, et tradit Geometra, in Catenâ : hic enim locus erat illi decentissimus, et tàm matri quàm filio exoptatissimus : indè ipsa illum reclinavit in præsepio.

Deniquè S. Brigitta, Libro 8 Revelationum, cap. 47, insinuat Christum nascentem sponte suâ venisse in manus Virginis matris dulcissimæ ; et hoc valdè probabiliter et piè credi potest.

Porrò P. Ribadeneira in festo Nativitatis : « Tra- « ditur, *inquit*, beatam Virginem, mox ut vidit « Christum in lucem editum, admirantem Deum « humanatum, ac ad carnem infantilem humiliatum, « coram eo in terram se prostravisse, atque hisce « verbis cum profundissimâ reverentiâ ac cordis ju- « bilo eum salutàsse : Exoptatus ades, Deus meus, « Dominus meus, et filius meus, non dubitans se « ab eo, licèt infante intelligi; sicque eum adoràsse,

[1] *Gen.* I, 3. — [2] *Sap.* VII, 3.

« osculando pedes illi quasi Deo, manus quasi Do-
« mino, et faciem quasi filio; mox arctissimè eum
« pectori suo admovisse ulnisque strinxisse *. »

Quintò, « Christus nascens more aliorum infantium, *ait* S. Bernardus, Sermone 4 de Nativitate, « vagiit et lacrymatus est, tùm ut inciperet peccata nostra deflere et luere, tùm ut aliis infantibus « se conformaret. » Nam, ut ait Salomon, qui fuit typus Christi : *Et ego natus accepi communem aërem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans*, etc. ; *nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium* [1]. Rursùm Christus jàm natus hasce lacrymas, ac seipsum, totamque vitam, mortem et crucem Deo in holocaustum pro salute hominum obtulit, ut docet Apostolus : *Qui*, inquit, *in diebus carnis suæ preces supplicationesque*, etc., *offerens*, *exauditus est pro suâ reverentiâ* [2].

Sextò, Angeli omnes Christum Deum ac Dominum suum in terram nascentem comitati sunt, sicut aulici omnes comitantur regem peregrè proficiscentem ; ac natum infantem, Deumque immensum ad spithamæ quantitatem quasi coarctatum, obstupuerunt, venerati sunt et adorârunt. Hoc enim significat Apostolus dicens : *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei* [3], uti ibidem explicant S. Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius, Ambrosiaster et alii. Quarè tunc stabulum et præsepium fuit quasi versum in cœlum empyreum, utpotè plenum Angelis, adeòque Cherubinis et Seraphinis omnibus, qui relicto cœlo ad stabulum descenderunt, Deum suum hominem factum veneraturi ; fuit enim hoc opus Incarnationis et Nativitatis Verbi, Angelis priùs inopinabile et quasi incredibile, utpotè opus summum propriumque divinæ potentiæ, sapientiæ, justitiæ et clementiæ, superans omnem hominum et Angelorum intellectum, ut ostendi in Evangelio Vigiliæ, suprà, p. 8, col. 1, et ostendam in Evangelio festi Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, infrà. Hoc est quod ait Apostolus : *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum* (quod est Deus homo, sive Verbum caro factum), *quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ* [1]. Et David : *Inclinavit*, ait, *cœlos et descendit* [2]. Imò Deus ipse descendit, eumque factum infantem Deipara reclinavit in præsepio. « Factus est Deus homo, *ait* S. Augustinus, « Sermone 9 de Nativitate, ut homo fieret Deus, « ut panem Angelorum manducaret homo. » Hoc est *Verbum abbreviatum, quod fecit Dominus* [3].

Moraliter, causæ cur Christus homo fieri nascique voluerit in terrâ, fuere multæ.

Prima : ut nos, in carne patiens et moriens, à peccatis et gehennâ redimeret. Rursùm, ut nos doceret, exemplo magis quàm verbo, viam salutis, daretque perfectum sanctitatis omniumque virtutum exemplar, ac imprimis summæ et profundissimæ humilitatis; ipse enim, *cùm in formâ Dei esset*, etc., *semetipsum exinanivit* (id est, ex omni inanem et quasi nihilum effecit), *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* [4]. Nimirùm voluit Christus exemplo suo docere quod S. Augustinus docuit verbo : « Fode, *inquit*, in te fundamentum humili- « tatis, et sic ad fastigium pervenies charitatis. » Dedit ergo hìc ideam summæ humilitatis ; descendit enim quasi è summo majestatis throno in imam abjectionis vallem, exuit quasi paludamentum gloriæ suæ, et induit saccum carnis nostræ.

Secunda : quia Christus nobis consanguineus et frater, imò caro et sanguis noster fieri voluit, ut quasi carneus cum carneis, homo cum homine, par cum pari ageret. Undè S. Bernardus, Sermone 3 super *Missus est* : « Studeamus effici, *inquit*, sicut « parvulus iste : discamus ab ipso, quia mitis est « et humilis corde, ne magnus Deus sine causâ « factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in « vacuum crucifixus, communicemus passionibus, « et ipsum offeramus propitiationem pro peccatis « nostris, quoniam ad hoc ipse natus est. »

Tertia : Christus carnis nostræ parvitatem, vilitatem, ærumnas, famem, sitim, frigus, æstum, verbera, clavos, crucem suscepit, non propter se, sed propter nos, ut hoc efficacissimo amoris sui stimulo corda hominum algida pungeret et compungeret, eosque ad se redamandum stimularet, imò cogeret ; semper enim quasi occlamat nobis Christus incarnatus : Ego me totum tibi dedi, tu te

[1] *Sap.* VII, 3, 4 et 5. — [2] *Hebr.* V, 7. — [3] *Id.* I, 6.

* Has opiniones sollicitare nolumus, *ait* Benedictus XIV, ac per nos sua cuique sit fides ; rejicienda verò prorsus est eorum sententia, qui ad hunc partum obstetricem adhibitam putant, quam dicunt S. Anastasiam fuisse. Beata enim mater ab omni dolore vacua filium peperit, quem suis manibus exceptum pannis involvit, nec cujusquam alterius manus contrectavêre. Vide Baronium ad annum 1 Chr., n. 6, 7 et 8. Luculentissimum est etiam adversus Helvidium Hieronymi testimonium : « Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas interces- «sit : ipsa pannis involvit infantem, ipsa et mater et obstetrix. » De S. Anastasiâ fabulam explodit Baronius in Notis ad Martyrolog. ad 25 diem Decembris. Eam enim tertio vixisse constat sæculo, et sub Diocletiano martyrium esse passam. Occasio ejus fabulæ exstitit ex Commemoratione quæ de eâ fit 25 Decembris die, qui Natalis est Jesu Christi ; eo enim die martyrii palmam adepta est, ac propterea statio ad ejus Ecclesiam instituta fuit. BENED. XIV, Tract. de festis Domini.

[1] I *Tim.* III, 16. — [2] *Psalm.* XVII, 10. — [3] *Isai.* X, 23 et *Rom.* IX, 28. — [4] *Philip.* II, 6 et 7.

totum modò redde mihi : ideò incarnatus sum, ut vivam in te et in carne tuâ, ut dicas cum Paulo : *Vivo ego, jàm non ego, vivit verò in me Christus*[1]. Audi S. Ambrosium : « Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis « esse perfectus: ille involutus pannis, ut tu mor- « tis laqueis absolutus sis: ille in præsepibus, ut « tu in altaribus: ille in terris, ut tu in cœlis: ille « locum in eo diversorio non habebat, ut tu plures « haberes in cœlestibus mansiones: *Qui cùm dives*, « inquit, *esset, propter vos pauper factus est, ut* « *illius inopid vos ditaremini*[2]. » Ex quibus appositè pièque concludit : « Meum ergò paupertas illa « patrimonium est, et infirmitas Domini mea vir- « tus est. Maluit sibi egere, ut omnibus abundarem. « Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea « lacrymæ illæ delicta laverunt. Plus igitur, Do- « mine Jesu, injuriis tuis debeo, quòd redemptus « sum, quàm operibus, quòd creatus sum. »

Quarta : Depressit se in terram et carnem, ut nos eveheret in cœlum. « Ideò, *ait* S. Anselmus, « Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. » « Non « poteramus Deum, qui est purissimus et increatus « spiritus, mente concipere et colere : vestivit ergò « Deus se carne nostrâ, ut eum concipere, imò oculis « cernere, auribus loquentem audire, et eo perfrui « possemus, *ait* Cyrillus, Catechesi 12. » Atque hæc inter primas fuit Incarnationis Christi causa, quam Ecclesia in Præfatione Missæ de Nativitate Christi, ità decantat : « Quia, per Incarnati verbi myste- « rium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ clarita- « tis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognosci- « mus, per hunc in invisibilium amorem rapia- « mur. » Christus enim incarnatus, est objectum latriæ, charitatis, gratitudinis, omniumque virtutum. Quocircà jugis nostra cogitatio, sermo et conversatio debet esse cum Verbo incarnato, præsertim quia illud quotidiè recolimus, imò renovamus in sacrificio Missæ. Ità cum eo semper versati sunt beata Virgo et Joseph. Ità S. Magdalena Christum ubique comitabatur, ac post ejus mortem secessit in eremum, ut jugiter hoc magnum pietatis sacramentum, quod oculis conspexerat, ruminaret et obstupesceret. Ità Apostoli, ità S. Paulus. Hâc de causâ S. Paula, S. Eustochium, et plurimæ matronæ et principes cum S. Hieronymo migrârunt in Bethleem, ut ibi jugiter quasi Christum nascentem et reclinatum in præsepio intuerentur. Ità jugiter versabatur cum Verbo incarnato S. Bernardus, qui cùm de eo agit (agit autem frequentissimè), totus melleus amore liquescit, seque superat, nec tàm ut homo quàm ut angelus loquitur. Ità S. Franciscus cum nato Christo dissuaviabatur, ac dulcissimè eum compellabat parvulum de Bethleem, et concionans non aliud ingeminabat quàm hoc : « Ame- « mus parvulum de Bethleem. » Deniquè tot millia Anachoretarum, Monachorum, Religiosorum, relictis hominibus et sæculi turbis, in solitudines, in monasteria, in claustra se abdiderunt, ut jugiter hoc incarnationis et œconomiæ Christi ac redemptionis nostræ mysterium meditarentur, admirarentur, laudibus omnique gratiarum actione et vitæ imitatione celebrarent. Postula ergò, ô Religiose, ô sacerdos, ô fidelis, à Christo, ut ipse tuam carnem et animam sibi uniat ac regat, sicut univit rexitque suam, quam pro te ad hoc assumpsit.

Primogenitum et unigenitum. Primogenitus enim est qui primò gignitur, etiamsi nemo alius post eum gignatur. Talis enim gaudet juribus et privilegiis primogenituræ.

Et pannis eum involvit vilibus et pauperibus, sed honestis et mundis. Nota τὸ *involvit*, scilicet, ipsa Virgo Deipara, utpotè alacris et vegeta, per partum non debilitata, nec in lecto decumbens, sed potiùs roborata et pedibus consistens, parvuloque suo omnia non matris dumtaxat, sed et obstetricis ac ancillæ obsequia studiosissimè impendens.

Tropologicam causam dat Nyssenus de Nativitate Christi : « Pannis, *inquit*, constringitur, qui pecca- « torum nostrorum vincula (et pelliceas Adæ tuni- « cas, *ait* S. Bernardus, Sermone 28 in Cantic.) in « se suscepit. » Et S. Augustinus, Sermone 9 de Nativitate : « O beata infantia, per quam nostri ge- « neris vita est reparata! O gratissimi delectabiles- « que vagitus, per quos stridores dentium æter- « nosque ploratus evasimus! O felices panni, quibus « peccatorum sordes extersimus! O præsepe splendi- « dum, in quo non solùm jacuit fenum animalium, « sed cibus inventus est Angelorum! »

Porrò Æthiopicus pro *fasciis eum involvit*, vertit : *Et ligavit pollices ejus*, quasi hoc esset signum infanti nato proprium, ex quo agnosceretur à pastoribus ; nam pannis involvi illi commune erat cum cæteris infantibus. Undè tradunt Æthiopes filium, nomine Menelich, quem regina Saba ex Salomone conceperat, et rediens in Æthiopiam ibi pepererat, eamdem remisisse in Jerusalem, eique annulum quem à Salomone acceperat, in pollicem inseruisse, ut ex hoc signo quasi legitimus filius à Salomone agnosceretur. Hæc illi penes quos sit fides.

JOANNES MALDONATUS.

Et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Quid hoc loco diversorium appelletur, et qualenam fuerit, nonnulli dubitant. Eorum opinionem, qui diversorium hoc loco propriam domum Josephi et beatæ Virginis significare

[1] *Galat.* II, 20. — [2] II *Cor.* VIII, 9.

putant, quasi κατάλυμα non solùm pro publico hospitio, sed pro omni etiam domicilio accipiatur, suprà, ℣. 3, refutavimus; et ex hoc ipso loco magis etiam refutari potest; quo enim modo in diversorio, id est, domi suæ illis locus non erat? Respondent non fuisse locum illis commodum, ut ponerent filium. At Evangelista non solùm puero, sed et illis ipsis, id est, Mariæ et Joseph locum non fuisse indicat, ubi consisterent in diversorio, ideò se in stabulum recepisse. Alia quædam inter minùs nobiles interpretes fertur opinio ex Bedâ, ut aiunt, diversorium diffinientes locum in vico supernè tectum, cæterà patulum, et in diversas apertum vias, quales illi sunt quos in Gallicis videmus urbibus ad agendos mercatus accommodatos, quosque Galli patriâ linguâ *halles* appellant. Id neque Beda dicit, neque credibile est ejusmodi fuisse diversorium. Quarè per diversorium, quamvis non solùm publicum hospitium, sed omne etiam consuetum hominum domicilium intelligendum esse putent, ità ut diversorium, id est, hominum habitatio, stabulo, id est, bestiarum habitationi opponatur, tamen non existimo consuetum hominum hospitium, quo omnes peregrini divertunt, excludi. Hoc modo major sententiæ vis additur, ut significetur Josephum et Mariam non solùm in publicis hospitiis, sed ne in privatis quidem civium domibus locum invenire potuisse: itaque ab hominibus exclusos, se in stabulum, id est, in locum bestiarum recepisse.

Quæritur à quibusdam quî fieri potuerit ut illis in diversorio locus non esset. Si eorum vera esset opinio qui existimant in eam quemque civitatem, ut describeretur, ire debuisse, in quâ domum haberet, major esset quæstio; cùm enim singuli singulas haberent domos, non poterat cuiquam deesse locus omnibus se in suam quoque domum recipientibus. Sed eam opinionem, ℣ 3, confutavimus. Duæ igitur, cur Joseph et Maria in diversorio locum non invenerint, causæ probabiles offeruntur. Altera, multitudo civium, et eorum qui ex genere Davidis erant, undiquè per id temporis, ut describerentur, in eam civitatem affluentium. Hæc, ut opinor, potissima fuit causa; sed altera etiam fuit summa, et omnibus odiosa, paupertas; nam si divites fuissent, non dubito quin illis locus non fuisset defuturus; quò enim pecunia non penetrat? Alii aliam etiam afferunt causam, quòd in Bethleem ultimi omnium pervenissent. Id non recipio, non solùm quia probari non potest, sed etiam quia potest conjecturâ aliquâ refutari. Indicavit enim, ut annotavimus, Evangelista superiore versu per aliquot dies, antequàm Maria pareret, ibi fuisse: non ergò postremi venerant. Et est verisimile Josephum et Mariam ad parendum Cæsaris edicto fuisse promptissimos.

Alii solent quærere ubi stabulum illud fuerit, ubi natus est Christus. Quidam extra urbem Bethleem illud ponunt; et quia, si intra urbem fuisset, non potuissent Magi Christum adorare, quin ab omnibus civibus visi fuissent, itaque non potuisset locus ubi Christus esset, Herodem latere; et quia non potuissent pastores quâ nocte Christus natus est, in mediâ urbe locum invenire, nullo indice: in quâ sententiâ, inter antiquissimos Auctores, Justinus etiam est in dialogo cum Tryphone, inter recentiores, nonnulli, quibus ideò non assentior, quia id in summâ dicunt, Christum in Bethleem non esse natum: quod Scripturæ repugnat. Et quod de Magis dicitur, leve est; graves enim Auctores, Epiphanius et alii, sentiunt Christum, cùm Magi venerunt, non jàm in stabulo, sed in domo fuisse, ut Matthæus significat, dicens: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum*[1]. De pastoribus, quomodò stabulum invenerint, ℣. 16, dicemus. Cùm in urbe igitur stabulum illud fuerit, alia reliqua quæstio est, quam nisi ab aliis magno studio tractari viderem, libenter præterirem, conjunctumne cum diversorio, an ab eo separatum stabulum illud fuerit. Id ego non solùm incertum esse arbitror, sed etiam curiosum quærere. Tamen est verisimile publici hospitii stabulum fuisse, in quod se Joseph et Maria, domo exclusi, receperint. Qui Jerosolymitanam regionem lustraverunt, narrant stabulum illud speluncam fuisse quamdam, in quâ præsepe in rupe excisum esset: quod cum testimonio veterum Auctorum convenit; nam et Epiphanius, Hæresi 51, et Gregorius Nyssenus in Oratione de sanctâ Christi Nativitate illud semper speluncam appellant; Theodoretus verò, Libro 8 de Græcarum affectionum curatione, tofaceum specum vocat. Dubitari etiam potest an Christus in ipso stabulo, ubi præsepe erat, natus fuerit; potuit enim in diversorio, aut alibi nasci, et cùm locus ibi commodus non esset cunis, in præsepi, tamquàm in cunis, poni. Potuit quidem id fieri, sed credendum non est ità factum esse. Nam quamvis Evangelista non dicat in stabulo natum fuisse, sed, cùm natus jam esset, in præsepi reclinatum, tamen dubium mihi non est, quin eodem loco, id est, in stabulo natus et reclinatus fuerit; cùm enim dicit Evangelista non fuisse eis locum in diversorio, non de infante, aut non de solo certè infante, sed etiam de Josepho et Mariâ loquitur. Itaque non solùm significat non fuisse in diversorio locum commodum infanti, sed non fuisse locum ubi Joseph et Maria commorari possent, ideòque in stabulum divertisse. In stabulum ergò, cùm primùm venerunt, locum in hospitio non reperientes, sese contulerunt; aut si in ipsum hospi-

[1] *Matth.* II, 11.

tium primùm excepti sunt, supervenientibus potentioribus coacti sunt cedere, et in stabulum abire. Ibi habitabant, ibi Virgo peperit, ibi natum reclinavit infantem. Cur ergò Evangelista de stabulo mentionem non fecit, nisi cùm de infante in præsepi reclinato locutus est? Quia non agebat de Joseph et Mariâ, nisi propter infantem; et quia, quòd Joseph et Maria in stabulo habitabant, non mysterium, sed necessitas erat; *non* enim *erat eis locus in diversorio;* quòd autem Christus in præsepio reclinaretur, mysterium erat. Oportebat enim ut *in medio duorum animalium cognosceretur*, quemadmodùm septuaginta Interpretes reddiderunt quod nos legimus apud Habacuc : *In medio annorum vivifica illud*[1], et ex illis veteres Auctores citare solent : oportebat, ut cognosceret *bos possessorem suum*, *et asinus præsepe domini sui*[2], ut veteres Auctores, Origenes, Homiliâ 13, Ambrosius, hoc loco, Gregorius Nyssenus in Oratione de sancta Christi Nativitate, et Gaudentius, Tractatu 8 in Exod., exponunt. Et verò credibile est aliqua etiam tunc in stabulo fuisse animalia, præsertim in tantâ hominum multitudine, ut prophetia eo etiam modo impleta esse videretur. Ac Gregorius quidem Nyssenus eo loco quem modò designavimus, bovem et asinum ibi fuisse putat. Sed non ideò recipienda ea opinio est, quæ apud vulgum obtinuit, utrumque et bovem et asinum Josephi fuisse : asinum duxisse, ut eo gravida Maria veheretur; bovem verò, ut venderet, et censum indè debitum solveret.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et reclinavit eum in præsepio. Omissis variis variorum opinionibus, quas recensent Barradius, Azor, Baronius, Toletus et alii, nota locum Nativitatis Christi propriè non fuisse stabulum domûs rusticanæ, ut S. Cyprianus, vel quisquis est auctor Tractatûs de Operibus Cardinalibus, et alii imaginantur; sed fuisse speluncam excisam in rupe, ad extremam et Orientalem partem urbis Bethleem, uti docent oculati testes, S. Hieronymus, Epist. 18 ad Marcellam, Brochardus, Adrichomius et alii, ac Beda de Locis sanctis, c. 8. An spelunca hæc sita fuerit in urbe, an forìs, ad muros urbis, variant Auctores. Audi S. Hieronymum : « Ecce in hoc parvo « terræ foramine cœlorum Conditor natus est, hìc « involutus pannis, hìc visus à pastoribus, hìc de« monstratus à stella, hìc adoratus à Magis. » Addit Beda è petrâ hujus speluncæ per miraculum, ob Christum in eâ natum, perennem scaturire fontem, illumque usquè ad sua tempora perdurare ; atque totam speluncam à Christianis marmore incrustatam esse, ac grandi Ecclesiâ desuper ædificatâ ornatam.

Porrò in hâc speluncâ fuisse præsepe ligneum, commune et notum omnibus pastoribus, liquet ex hoc quòd, ex eo sibi ab Angelo indicato, pastores mox locum Nativitatis Christi agnoverint, et ad illum se contulerint. Præsepe hoc Romam deindè translatum est, ac in Basilicâ S. Mariæ Majoris conditum : ibidem religiosè visitur et colitur.

Deniquè Christus collocatus fuit in præsepio, duabus de causis. Prior, quòd in totâ speluncâ non esset commodior nec decentior Christo locus quàm præsepium, ut in ejus feno quasi in lecto recumberet tener Christus. Posterior, ut in rigore hiemis (erat enim finis Decembris), Christus halitu bovis et asini calesceret. Ad præsepe enim hoc alligatum fuisse bovem et asinum traditio est, hicque est communis fidelium sensus. Et de iis Ecclesia intelligit illud Habacuc : *In medio duorum animalium cognosceris ;* ac iisdem appropriat illud Isaiæ : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*, uti explicant ibidem Hieronymus, Nazianzenus, Cyrillus, Paulinus, Prudentius et alii apud Baronium.

Tropologicam causam dat Nyssenus de Nativitate Christi : « Præsepe, *ait*, bestiarum est domus, in « quâ Verbum nascitur, ut cognoscat *bos possesso-* « *rem et asinus præsepe domini sui*, » etc.[a].

Sic et S. Cyrillus in Catenâ. Symbolicè, præsepe est altare, in quo Christus in Missâ per consecrationem quasi nascitur et immolatur. Undè S. Chrysostomus in Catenâ : « Quod in præsepio videntes « atque tugurio Magi, cum multâ veneratione ac « timore accesserunt et adorârunt, tu idipsum, non « in præsepio, sed in altari cernens, majorem istis « barbaris exhibe pietatem. »

Exemplo Christi in speluncâ nati, multæ matres sanctorum eos in stabulo pepererunt. Mater S. Francisci cùm ex eo gravida parere non posset, à paupere peregrino monita ut in stabulum se conferret, fore ut statim pareret, dicto obediens, felici partu in stabulo S. Franciscum, paupertatis Christi imitatorem, enixa est. Ità habet ejus vita apud Ribadeneiram. Hodiè quoque nonnullæ piæ matres parituræ, ex piâ devotione et humilitate stabulum adeunt, ut Christo et B. Virgini se suosque infantes assimilent.

Porrò S. Epiphanius, Oratione de Deiparâ : « Sta« bulum, *inquit*, visum est esse cœlum in terrâ. » Ubi enim est Deus, ibi est cœlum, sicut ubi est Pontifex, ibi est Roma. Subdit Epiphanius : « Virgo, « *ait*, in speluncâ citra laborem prægnans, cœli et « terræ Dominum deposuit in præsepio : tunc etiam « ordines Angelorum circumstabant Virginem cum « clamore dicentes : *Gloria in altissimis Deo*, etc. » Et Chrysippus : « In præsepio choreæ circumstete-

[1] *Habac.* III, 2. — [2] *Isai.* I, 3. — [a] Vide hunc Sermonem, infer, intrà Sermones de Nativitate Domini.

« runt Angelorum. Regum omnium palatiis ipsi« que templo pauperrimum illud stabulum Angeli « anteponebant : eò in admirationem summam « rapti confluebant, recènsque Regem natum ado« rabant. »

Moraliter, Christiani omnes crebrò considerent et intueantur Christum in præsepio, ut advertant quis et quantus ille sit, quid faciat, pro quibus et cur faciat; Christus enim in præsepio, hoc est, Deus homo, Verbum infans, est amor æquè ac stupor omnium Angelorum ac fidelium, quòd omnes stupent et stupebunt per omnem æternitatem. Quis enim non attonitus stupeat, si profundè hunc puerum inspiciat, eumque roget : Quis es tu, ô parvule Bethleemitice? Eumque audiat respondentem: Disce id ex Isaiâ : *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* [1]. Dicat tibi idipsum David Psaltes et Propheta regius : *Magnus Dominus et laudabilis nimis* [2], factus est puer parvulus et amabilis nimis. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui; quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula* [3]. Dicat Daniel: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei* [4]. Dicat Salomon, regum sapientissimus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Quandò præparabat cœlos, aderam: quandò certâ lege et gyro vallabat abyssos, quandò æthera firmabat sursùm, et librabat fontes aquarum, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum : et deliciæ meæ, esse cum filiis hominum* [5]. Dicat Siracides: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis*, etc. *Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices* [6]. Dicat Job : *Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et undè cognosces? Longior terrâ mensura ejus, et latior mari* [7]. Et: *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non oritur. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus* [8]. Dicat Gentilium Sibylla, dicat ex eâ Virgilius, princeps poetarum et vatum :

« Ultima Cumæi venit jàm carminis ætas,
« Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
« Jàm nova progenies cœlo demittitur alto,
« Chara Deûm soboles, magnum Patris incrementum.
« Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
« Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
« Irrita perpetuâ solvent formidine terras.

Addit hanc auream esse ætatem Christi,

« quo ferrea primùm
« Desinet, ac toto surget gens aurea mundo [a]. »

Meritò ergò exclamat S. Augustinus, Sermone 13 de Nativitate : « O miracula! ô prodigia! ô myste« ria, fratres! naturæ jura mutantur, *etc.* [b]. »

Quid fecit tantus Deus, in tantillâ carne, jacens in præsepio? Audiamus ipsummet in præsepii cathedrâ, non verbo, sed facto docentem et prædicantem : Ego, qui tribus digitis appendo molem terræ, qui ex nihilo creavi cœlum et terram, Rex gloriæ, et Dominus majestatis, sub quo columnæ cœli contremiscunt, et curvantur qui portant orbem, tuî unius, ô homo, amore, ut te peccato et æternis gehennæ incendiis addictum liberarem, et in cœlum beandum deducerem, *veni saliens in montibus, transiliens colles* [9]: salii è cœlo in terram, ex sinu Patris in uterum Virginis, ex utero in terram, è terrâ in crucem, è cruce in infernum : ex inferno resilii in terram, è terrâ in cœlum, ut te inferno erutum in cœlum deveherem. Per viscera misericordiæ meæ, visitavi te, oriens ex alto, ac cœlum terræ, Verbum carni, spiritum luto, Deum homini hypostaticè junxi et arctissimè devinxi. Parvulus factus sum, os tuum et caro tua: factus sum homo, ut te Deum efficerem. In præsepio jaceo inter jumenta, quasi cibus bovis et asini, quia ut jumentum animaliter vivebas, volutans te in carne et sanguine. Factus eras *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* [10]: *homo* enim *cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [11]. Carnem ergò assumpsi, ut carnem meam comedas, at carnem non jumenti, sed Dei, ut illam jungens carni tuæ, os ori, manum manui, pedem pedi, ventrem ventri, illis instar Elisei [12], inspirem halitum vitæ cœlestis et divinæ. Quis et quorsùm hic halitus? Halitus est altissimæ humilitatis, ditissimæ paupertatis, ecstaticæ charitatis, sapientissimæ stultitiæ et mundi contemptûs, ut doceam te reipsà quod verbo per Salomonem docui : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* [13], præter

[1] *Isai.* IX, 6. — [2] *Psalm.* XLVII, 1. — [3] *Ibid.* 10 *et* 15. — [4] *Dan.* VII, 10 *et Apoc.* V, 11. — [5] *Prov.* VIII, 22, 27, 28, 30 *et* 31. — [6] *Eccli.* XXIV, 5-13. — [7] *Job.* XI, 8 *et* 9. — [8] *Id.* IX, 6, 7, 8 *et* 10. — [9] *Cant.* II, 8. — [10] *Psalm.* XXXI, 9. — [11] *Id.* XLVIII, 21. — [12] IV *Reg.* IV, 32-36. — [13] *Eccle.* XII, 8.

[a] Ecloga 4. — [b] Infer, intrà Sermones de Nativitate Domini, usquè ad hæc verba: « Quem cœlum et terra benedicit, in præ« sepio angusto collocatur. »

amare Deum, et illi soli servire. *Ego sum via, veritas et vita* [1]. Me ergò ut viam in cœlum, si errare non vis, sequere : mihi ut veritati ausculta : me ut veram vitam complectere. Vanæ sunt opes, vanæ deliciæ, vani honores terreni, quos stulti mortales et, instar puerorum, fatui avidissimè sectantur et ambiunt. Veræ opes, veræ deliciæ, veri honores sunt in cœlis : quibus fruuntur Deus, Angeli et Beati : ad illos anhela. Ego Christus, qui sum Rex regum, pauper et omnium indigus nascor; et tu, ô Christiane, commoda et divitias ambis! Ego, quem cœli non capiunt, corpore et præsepio exili concludor; et te, ô Christiane, pudet esse parvulum, humilem, abjici, contemni! Ego, qui sum increata et immensa Sapientia, dura et molesta carni, molesta spiritui elegi : tu voluptatibus utriusque indulges! Ego non in Herodis, non in Augusti palatio, sed in speluncâ et præsepio nasci volui : elegi humiles habitare casas, et aulæ prætuli caulam : tu aulam et aulica sectaris! *Filii hominum*, filii Enos, miselli, insipientes, oblivione et furore perciti, *ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* [2]? Discite ex me ubi sit vera sapientia, vera gloria, vera virtus, vera vita, nimirùm in profundâ humilitate, in ardenti charitate, in contemptu rerum omnium terrenarum et desiderio cœlestium. «Clamat stabulum, « *ait* S. Bernardus, Sermone 5 de Nativitate, clamat « præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni, *etc.*[a].»

Clamant omnia austeritatem, pœnitentiam, paupertatem, humilitatem, sed maximè incensam charitatem; quod enim cœpit hìc Christus, hoc totâ deinceps vitâ prosecutus perfecit. Hoc est quod ipse ait Matthæus : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* [3]. Nimirùm natus in stabulo, vixit in hospitio, mortuus est in patibulo. Utiquè non propter se, sed *propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ nos divites essemus* [4]. Deniquè Christus natus est carne, ut nos renasceremur spiritu, imò ut ipse per spiritum nascatur in nobis. Audi Innocentium III, Sermone 3: « Sicut « tres in Christo substantias fides Catholica confi- « tetur, divinitatem, carnem, spiritum, ità tres in « ipso nativitates Scriptura sacra testatur : divinam « ex Patre, carnalem ex matre, spiritualem in « mente. Ex Patre nascitur semper, de matre natus « est semel, in mente nascitur sæpè. » Porrò hoc fit per ardentia, efficacia et crebra ad Christum desideria et suspiria. Undè subdit Innocentius : « Chri- « stus concipitur per affectum, nascitur per effec- « tum, nutritur per profectum. »

Quia non erat eis locus in diversorio. Eis, scilicet, Mariæ et Joseph : undè Arabicus : *Quia non erat eis locus in quo diversarentur*. Perperàm ergò aliqui legentes *ei*, scilicet, Christo, sic cum Barradio explicant : «Christus reclinatus fuit in præsepio, quia « non erat ei locus commodior in illo diversorio, « id est, in stabulo ; » nam Græca, Latina, Syrus et Arabicus habent *eis*, non *ei*. Causam dat cur B. Virgo peperit in speluncâ, et Christum non in lecto, sed in præsepio reclinavit, quia scilicet omnia loca in hospitio jam præoccupata erant, affluente turbâ ditiorum ad communem censum. Verisimile est enim in urbe parvâ Bethleem unum tantùm fuisse diversorium (ut hìc innuit Lucas; idemque in Germaniâ fieri vidi), ad quod hospites omnes et advenæ diverterent, quod proindè affluente turbâ facilè impleretur, ut plures non caperet : sed Christi prævisione et providentiâ id factum est, ut summæ humilitatis et paupertatis nobis daret exemplum. Porrò Christus ex humilitate se abscondens, manifestatus et glorificatus fuit à Deo, per stellam vocantem Magos, per Angelos missos ad pastores, per idola eversa, per circulos solis et parelia, perque alia miracula, quæ recenset Orosius, Lib. 6, cap. 20, et fusiùs Baronius, Tom. 1 Annalium.

JOANNES MALDONATUS.

8. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes*, græcè ἀγραυλοῦντες, in agro stabulantes, sub dio cubantes cum grege, ut facere in regionibus calidis etiam hieme pastores solent. Noster Interpres pro ἀγραυλοῦντες, videtur legisse ἀγρυπνοῦντες, *vigilantes :* quod non malè convenit, cùm similis sententia, quasi hujus verbi explicatio, sequatur.

Et custodientes vigilias noctis super gregem suum, τὰς φυλακάς, *custodias*, id est, quatuor noctis vigilias ordine suo agentes. Φυλακάς, *custodias*, quatuor noctis partes Græci appellant, in quas militari disciplinâ divisa nox erat, ut milites, qui iidem totâ nocte vigilare non poterant, quartâ vigilarent parte, essentque semper, qui, per quaterna noctis intervalla, aliis somno aut labore oppressis integri succederent. Eas custodias Latini *vigilias* appellarunt : ideò noster Interpres, non verborum proprietatem, sed sensum et usum intuitûs, *vigilias* reddidit. Apparet ex hoc loco quod in bello propter hostes facere solebant milites, id pastores propter bestias aut fures facere solitos, ut excubias ordine suo agerent. Itaque quod Auctor Scholasticæ scribit historiæ morem antiquis fuisse, ut in utroque solstitio vigilias noctis custodirent ob solis venerationem, eumque morem ad Judæos propter vicinitatem permanâsse, puerilis est error. Quod dicit *in regione eâdem* pastores fuisse, eò pertinet, ut significet non procul ab urbe fuisse eos; ideòque facilè venire, et Christum videre potuisse. Quis locus ille fuerit, cùm ego di-

[1] *Joan.* XIV, 16. — [2] *Psalm.* VI, 3. — [3] *Matth.* VIII, 20. — [4] II *Cor.* VIII, 9.
[a] Infrà, inter Sermones de Nativitate Domini, usquè ad hæc verba : «Clamant..... jàm vulnera ablui et detergi.»

cere non ausim, Hieronymum dicentem inducam. Is in epitaphio Paulæ ad Eustochium virginem sic scribit: « Haud procul indè descendit ad Turrim « *Ader*, id est, *gregis*, juxta quam Jacob pavit greges « suos, et pastores nocte vigilantes audire meruerunt : *Gloria in excelsis Deo, et super terram* « *pax hominibus bonæ voluntatis.* » Et in traditionibus Hebraicis, ad hunc modum : « *Et profectus est* « *Israel, et extendit tabernaculum suum trans tur-* « *rim Ader*[1] : hunc locum Hebræi esse volunt, ubi « posteà templum ædificatum est, et Turrim *Ader* « Turrim *gregis* significare, hoc est, congregationis « et cœtûs : quod et Michæas propheta testatur « dicens : *Et tu, turris gregis, nebulosa filiæ Sion,* « etc.[2] ; illoque tempore Jacob trans locum, ubi « posteà templum ædificatum est, habuisse tentoria. « Sed si sequamur ordinem viæ pastorum, juxta « Bethleem locus est, ubi vel Angelorum grex in « ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora sua pavit, « loco nomen imponens : vel, quod verius est, quo- « dam vaticinio futurum jàm tunc mysterium « monstrabatur. » Quâ horâ, aut quâ vigiliâ Angelus pastoribus apparuerit, ne quærendum quidem arbitror, etsi scio auctorem illum Commentariorum in Psalmos, qui Arnobio falsò tribuuntur, Psalmo 129 affirmare ausum quartam fuisse vigiliam.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et pastores erant in regione eâdem, etc.

In regione eâdem, putà, in agris et campis vicinis Bethleem. S. Hieronymus, Epist, 27, Brochardus, Adrichomius, et alii in Descriptione Terræ sanctæ, asserunt fuisse locum eumdem in quo Jacob pavit greges suos, qui indè dictus est Turris *Ader*, id est, *gregis*, eo quòd pascuis pro gregibus alendis abundet. Hic ergò Angeli Christo nato cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo.* Quâ de causâ S. Helena ibidem templum ædificavit in honorem SS. Angelorum, adeòque medio in agro sacellum erectum est in tantæ rei memoriam. Distat à Bethleem ferè mille passibus. Sic et Haymo : « Distat, *ait*, Turris *gregis* à Bethleem uno milliario, in quo etiam hodiè trium pastorum corpora requiescunt. »

Vigilantes, græcè ἀγραυλοῦντες, id est, *in agro stabulantes*, aut *pernoctantes ;* ἀγρὸς enim est ager, αὐλὴ est caula, stabulum, septum, ovile. Theophilactus verò ἀγραυλοῦντες interpretatur *in agro canentes;* nam ἐν ἀγρῷ αὐλεῖν, est in agro canere tibiâ vel fistulâ, ut pastores facere solent, tùm ut fallant tempus, tùm ut se recreent, tùm ut oves demulceant, et ad strenuè pascendum hoc suo cantu incitent.

Ex hâc voce, Josephus Scaliger, in Emendatione temporum, contendit probare Christum natum esse in Septembri, quia tunc, inquit, non autem in Decembri, cùm media est hiems, omniaque rigent gelu aut nive, in agris stabulantur et pascuntur oves. Verùm Christum natum esse die 25 Decembris, communis est Ecclesiæ et omnium sæculorum traditio[a]. Ad argumentum Scaligeri respondeo, in regionibus calidis, qualis est Palæstina, etiam in hieme greges degere et pasci in agris et campis compascuis, sive sub dio, sive in mapalibus ad hoc comparatis, qualia in Turre Ader ob vicina pascua erecta fuisse non est dubium, ut scilicet oves ad ea tempore congruo statim exirent. Sic in Italiâ et agro Romano videmus pecudes et pecora totâ hieme in campis degere et pasci.

Et custodientes vigilias noctis super gregem suum, græcè φυλάσσοντες τὰς φυλακάς, id est, *custodientes custodias*, scilicet, per quatuor noctis vigilias excubantes, ut greges suos custodirent, ne à lupis vel furibus raperentur. Hinc colligitur Christum natum esse nocte, putà, post mediam noctem, cùm jàm inciperet dies 25 Decembris ; idque mysticè (nam alius litteralis ejus loci est sensus) significatur Sapientiâ : *Cùm quietum*, inquit, *silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens, Sermo tuus, de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit*[3]; idque ad hoc, ut significaretur quòd Christus, quasi Sol veritatis et justitiæ, illucesceret his qui in tenebris et umbrâ mortis sedebant, *ait* S. Augustinus, Quæst. 53 inter Quæst. Veteris et Novi Testamenti. Hâc de causâ Ecclesia, in festo Nativitatis Christi, post mediam noctem Missas celebrat.

In hujus rei memoriam, eodem loco posteà ædificata fuit Ecclesia trium Pastorum (tot enim fuisse pastores, quot et Magos, docet etiam S. Bernardus, Sermone 6 de Nativitate Domini), divinæ Nativitatis consciorum monumenta continens, ait Beda de Locis sanctis, c. 8. Hi enim pastores per Angelum vocati ad Christum, eo viso et adorato, per ejus gratiam eximii evasêre sancti. Undè Lucius Dexter in Chronico, quod dedicat S. Hieronymo : « Anno, *in-* « *quit*, Urbis Romæ 752, Lentulo et Messalâ con- « sulibus, uno anno ante Augusti et Sylvani consu- « latum, Christus nascitur : tribus pastoribus (qui « fuerunt sancti) primùm ostenditur. » Vide Baronium, anno 1 Christi, et Suarezium Part., 3, Quæst. 36, Disput. 14, Sect. 2.

Porrò congruum rationi erat, ut tres dumtaxat pastores Verbum Patris, Spiritus sancti ope caro factum, primi hominum, adorarent, ut ipsi adoratores existerent S. Trinitatis, illiusque mysterium suo numero repræsentarent, uti posteà fecere tres Magi.

[1] *Gen.* XXXV, 21. — [2] *Mich.* IV, 8. — [3] *Sap.* XVIII, 14 *et* 15.

[a] Cui velle oblatrare, *inquit* D. Augustinus, stolidissimæ dementiæ est. CORDERIUS.

CORNELIUS JANSENIUS.

9. *Et ecce,* ex improviso, *Angelus Domini*, qui creditur fuisse idem Gabriel. Undè Beda, verbis ex Ambrosio mutuatis : « Angelus Mariam, Angelus « Joseph, Angelus pastores instruit : et concipien- « dum et conceptum et natum cœli cives Dominum « loquuntur, eumdem Angelum fuisse insinuans. » *Stetit juxta illos,* visibili scilicet corpore, et propter Nativitatem Christi, in humanâ carne jàm familiarior; nam, ut Augustinus ait, Lib. 9 de Civitate, c. 9, ad ærumnas hujus vitæ (scilicet ex peccato damnatæ) pertinet quòd Angeli nobis non eâ, quâ homines, familiaritate misceantur. *Et claritas Dei,* id est, splendor quidam eximius divinitùs circumfusus, *circumfulsit illos,* id est, fulsit circum illos, ut et tenebræ noctis dispellerentur, et divinitùs missum intelligerent. *Et timuerunt timore magno,* humanâ videlicet infirmitate, quam ad subitam Dei vel Angelorum apparitionem experiri solent.

JOANNES MALDONATUS.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, græcè, ἐπέστη αὐτοῖς, *superadstitit illis:* idem sensus, nisi quòd his verbis magis exprimitur; significatur enim, quasi de cœlo supervenisse Angelum, et supra pastores sublimem constitisse.

Et claritas Dei circumfulsit illos, καὶ δόξα Κυρίου, *et gloria Domini,* id est, divinus quidam splendor; nam iis non assentior, qui aliud *lumen,* hoc loco, aliud δόξαν, *gloriam,* fuisse credunt; quid enim circumfulgere potuit, nisi lumen? Et videmus similem fuisse Christi, Eliæ, et Moysis in transfiguratione fulgorem, ab eodemque Lucâ δόξαν, *gloriam,* seu *majestatem* appellari [1]. Noster certè Interpres hoc sensu hunc locum intellexit, cùm δόξαν reddiderit *claritatem.* Idcircò lux ista missa, quæ pastoribus affulgeret, ut quos videbant audiebantque, Angelos lucis esse intelligerent, qui à Deo mitterentur, illisque fidem haberent. Sic Leo, Sermone 5 de Epiphaniâ : « Cum ortum Domini Angelo nun- « tiante pastores cœlestis exercitûs sunt claritate « circumdati, ut non ambigerent de majestate « pueri, quem erant in præsepi visuri, nec putarent « quòd in solâ naturâ hominis esset editus, cui su- « pernæ militiæ famularetur occursus. » Rectè observavit Beda nusquàm aliàs in Scripturis Angelos cœlesti lumine fulgentes apparuisse. Merebatur Sol justitiæ, qui amictus est *lumine sicut vestimento* [2], ut ejus etiam ministri Angeli, in ipsius præsertim Natali die, lumine vestirentur.

Quatuor hîc quæstiones sunt. Prima, cur Christus statim natus innotescere voluerit. Secunda, cur non omnibus. Tertia, cur pastoribus potiùs quàm aliis. Quarta, cur per Angelos potiùs quàm alio genere revelationis.

Primæ quæstionis facilis ex divinæ Providentiæ conjecturâ solutio est. Conveniebat aliquos Nativitatis ejus esse testes, ut constaret non alium, quàm qui in Bethleem et in stabulo natus, atque in præsepi positus esset, Judæorum Regem esse. Solent nascentibus regibus adhiberi testes, ne quis falsus pro vero rex supponatur. Id ipsum Christus fieri voluit se nascente, et tamen non defuerunt pseudo-Christi, qui ejus nomine venirent, dicerentque: *Ecce hic est Christus, aut illic* [3].

Cur autem non omnibus innotescere voluerit, in promptu ratio est. Non conveniebat ut omnes aut multi tunc mysterium cognoscerent, ne res ad Herodis usquè aures penetraret.

Cur potiùs pastoribus, multæ à variis Auctoribus probabiles rationes afferuntur.

Prima, quòd simplicissimum hominum genus id fuerit, quod et Deo maximè probaretur, cujus *cum simplicibus sermocinatio est* [4], et ad fidem esset naturâ suâ propensum. Ac nimirùm facilè pastores crediderunt Regem et Salvatorem esse mundi, quem in stabulo natum videbant more pastoris: quod Scribæ et Pharisæi minimè credidissent, qui tot posteà tantisque conspectis miraculis credere noluerunt. Hanc rationem Cyprianus in Sermone de Nativitate Christi, Theophilactus, Euthymius et Chrysostomus apud D. Thomam reddunt. « A sa- « pientibus, *inquit* Cyprianus, et prudentibus non « quærit testimonium, qui parvulis se revelat. In « hujus doctrinæ initio statim fastus et ambitio con- « demnatur. »

Secunda est quòd Christus veniret, ut verus esset pastor, princepsque pastorum, ut vocatur à Joanne [5] et à Petro [6]. Itaque oportebat se primùm pastoribus ostendere. Sic Euthymius, et poeta Sedulius [a] :

« Tunc priùs ignaris pastoribus ille creatus
« Emicuit, quia pastor erat [b]. »

Tertia, quia erat agnus, ut ait Auctor Librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ, qui Augustino tribuuntur, Libro 1, cap. 3. Et in hoc conveniens ab Angelis peractus ordo conspicitur, ut priùs pastoribus natus agnus, et gregibus pastor nuntiarentur. Et Sedulius eodem loco,

« Gregibusque refulsit
« Agnus, et Angelicus cecinit miracula cœtus. »

Quarta, ut exemplo suo doceret pastoribus primùm Ecclesiæ mysteriorum à Deo revelationes fieri, ut ex illis cæteri discant. Ità Origenes, Homi-

[1] *Luc.* IX, 31 *et* 32. — [2] *Psalm.* CIII, 2. — [3] *Matth.* XXIV, 23 *et* 24. — [4] *Prov.* III, 32. — [5] *Joan.* X, 2, 11 *et* 14. — [6] I *Petr.* II, 25 *et* V, 4.

[a] Lib. 2 Carm. — [b] Hinc Christus olim pingebatur ut Pastor cinctus ovibus, uti videre est Romæ in Ecclesiâ SS. Cosmæ et Damiani, aliisque priscis. A LAPIDE.

lià 12, et Leo, Sermone 9 de Nativitate Christi, et Euthymius in Commentariis. « Quod enim, *inquit* « Leo, pastoribus pro gregum suorum custodià « vigilantibus nuntiavit Angelus, etiam nostrum « implevit auditum, etc. [a]. »

Quinta deniquè ratio, cur primùm pastoribus patefieri voluerit, non alia mihi videtur fuisse, quàm quà posteà voluit ex piscatoribus et infimæ conditionis hominibus Apostolos facere. Fecit primùm ex pastoribus Evangelistas et Apostolos : fecit posteà ex piscatoribus Pastores. Quo consilio exponit D. Paulus : *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* [1]. In hanc sententiam D. Bernardus, Serm. 3 de Nativitate, et Theophilactus interpretantur. D. Ambrosius, Serm. 13, Hieronymus in epitaphio Paulæ, Beda, et græcus Auctor apud D. Thomam docere putant voluisse Deum aut ejus Angelos, vigilantibus, maximèque pastoribus Ecclesiarum curam gerentibus, apparere. Quid ex hoc loco Valentiniani ad confirmanda sua illa deliria colligerent, referre piget, et poterit lector apud Irenæum Lib. 3, c. 2, reperire [b].

Ad quartam quæstionem D. Gregorius, Homilià 10 in Evangelia, respondet his verbis : « Sed quærendum « nobis est quidnam sit, quòd Redemptore nato pasto- « ribus in Judæà Angelus apparuit, et ad adorandum « hunc ab Oriente Magos non Angelus, sed stella « perduxit. Quia videlicet Judæis, tamquàm ratione « utentibus, rationale animal, id est, Angelus prædi- « care debuit; Gentiles verò, quia uti ratione nescie- « bant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, « sed per signa perducuntur. » Undè etiam Paulus dicit prophetias fidelibus datas, non infidelibus; signa autem infidelibus, non fidelibus [2].

Et timuerunt timore magno. Vehementer timuerunt : notus Hebraismus, qualis ille : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* [3]; et : *Gavisi sunt gaudio magno valdè* [4]; et : *Gaudio gaudet propter vocem sponsi* [5]. Vulgaria hæc sunt. Timuerunt autem pastores et subito et insolito Angeli conspectu [c].

Quot pastores fuerint quibus Angelus apparuit, minùs et jàm compertum est quàm quot fuerint reges qui ad adorandum venerunt Christum ; sed tamen D. Bernardus, Serm. 6 de Natali Domini, auctor est fuisse tres, quemadmodùm Leo, Sermone 1, 5, 6 et 7 de Epiphanià, tres Magos fuisse dixit. Credibile aliquam de eà re olim traditionem fuisse, undè id uterque Auctor acceperit.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et ecce Angelus Domini, etc.

Angelus in corpore assumpto, ut significaret Deum corpus assumpsisse, et per carnem assumptam hominibus conspicuum se reddidisse, ait Titus.

Porrò S. Cyprianus (vel quisquis est Auctor) de Nativitate Domini, Toletus, Franciscus Lucas et alii censent Angelum hunc fuisse Gabrielem ; hic enim et B. Virgini et Zachariæ apparuit, fuitque totius hujus negotii Incarnationis Verbi administer.

Stetit juxta illos : quod alii vertunt : *Stetit super illos*, quasi Angelus è cœlo lapsus. Vatabl. : *Adstitit illis.* Syrus : *Venit apud eos.* Pastores hi, quia erant Judæi et fideles, vocantur per Angelum (Judæis enim sæpè apparebant Angeli); Magi verò, quia Gentiles et astrologi, vocantur per stellam. Vide S. Gregorium, Homilià 10 in Evang., suprà.

Et claritas Dei (lux, splendor mirus, non tàm humanus quàm divinus) *circumfulsit illos.* Arabicus : *Gloria Domini orta est super illos.* Ubique enim in Scripturà Deus gloriam suam manifestavit per cœlestem lucem et fulgorem. « Claritatem Do- « mini, ait Euthymius, intellige divinum lumen. » Titus : « Divinà claritate cœlestique glorià circum- « fusi sunt. » Itaque fulgor hic non fuit sidereus, sed augustior, qui esset index majestatis Domini, cujus Angelus erat legatus.

Porrò S. Ambrosius, Serm. 6 [d], Nativitatis Christi die, solem putat novo quodam fulsisse splendore, et ad ortum festinàsse : « Oriente, *inquit*, Salvatore, « non solùm humani generis salus, sed etiam solis « ipsius claritas innovatur, *ut per ipsum restau-*

[1] I *Cor.* I, 26, 27, 28 *et* 29. — [2] I *Cor.* XIV, 22. — [3] *Psalm.* XIII, 5 *et* LII, 6.— [4] *Matth.* II, 10.— [5] *Joan.* III, 29.

[a] Infrà, inter Sermones de Nativitate Domini, usquè ad hæc verba : « *Evangelizo vobis... qui est Christus Dominus, in civitate David.* »

[b] Tropologicè, Christus, *addit* Cornelius à Lapide, se revelat et communicat iis qui suis actionibus et cogitationibus quasi pastoribus invigilant, ac consolatur eos qui suam non habent consolationem. Ità S. Bernardus, Serm. 5 de Nativitate : « Non « consolatur, *inquit*, Christi infantia garrulos, etc. » Vide infrà, inter Sermones de Nativitate Domini, usquè ad hæc verba : « Cæterùm audiant quòd et ipsi quoque Angeli non alios « consolantur. »

[c] Naturale est homini, conspecto Angelo etiam bono, timere, ut Origenes, Ambrosius, Beda (in Luc. I, 12), et Chrysostomus apud D. Thomam monuerunt. (MALDONATUS in Luc. I, 12.)

Et verò quis insolito et supra humanum Angelorum viso, non timeat? Timuit Daniel (X, 8 et 16). Timuit Zacharias (Luc. I, 12). Timuit ipsa Maria Virgo (Id. I, 29). Sed aliter boni quàm mali timent. Auget enim malis mala conscientia timorem. Timent mali, ut nequam servi, ne pœnas dent : timent boni, ut filii, ne coram Angelis minùs reverentes esse videantur, et quia non potest humana infirmitas divinum ferre conspectum. (IDEM in Matth. XXVIII, 4.)

[d] Pertinet potiùs ad S. Maximum (ut videre est infrà), cujus est Sermo 4.

« *raret omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terrâ* « *sunt*, sicut ait Apostolus [1]. Si enim obscuratur sol, « cùm Christus patitur, necesse est illum splendi- « diùs solito lucere, cùm nascitur. » Et post nonnulla : « Ex eo deniquè factum puto, ut nox decres- « ceret, dùm sol festinus ob Dominicæ Nativitatis « obsequium, antè mundo lucem protulit, quàm « nox cursum sui temporis consummaret. Quin « potiùs ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid « obscuritatis habuisse, in quâ pastores vigilant, « exsultant Angeli, astra deserviunt... Si sol ad « Jesu Nave orationem defixus stetit in die, cur « non ad Jesu Christi Nativitatem festinus promo- « veret in noctem? »

Tropologicè, S. Gregorius, Homiliâ 8 : « Quid, *in-* « *quit*, est quòd vigilantibus pastoribus Angelus « apparet, eosque Dei claritas circumfulget, nisi « quòd illi præ cæteris videre sublimia merentur, « qui fidelibus gregibus præesse sollicitè sciunt ; « dùmque ipsi piè super gregem vigilant, divina « super eos gratia largiùs coruscat. » Idem, Lib. 7, Epist. 32 : « Lux gregis flamma est pastoris ; « decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdo- « tem moribus et vitâ clarescere, quatenùs in eo, tam- « quàm in speculo vitæ, plebs commissa, et eligere « quod sequatur, et videre possit quod corrigat. »

Et timuerunt timore magno. Sacro horrore et reverentiâ perfusi sunt, tùm « propter visionis et « splendoris novitatem, » ait Euthymius, tùm ob Angeli cœlestis majestatem, quæ homines ità percellit, ut penè exanimentur : undè olim opinio erat, moriturum eum qui vidisset Angelum, juxta illud Manue, patris Samsonis : *Morte moriemur, quia vidimus Deum* [2]. Hinc disce signum Angeli boni esse, primò terrere, deindè consolari : undè subdit : *Nolite timere*, etc.

JOANNES MALDONATUS.

10. *Et dixit illis Angelus : Nolite timere.* Sic solent plerumquè boni Angeli, cùm hominibus apparent, territis timorem pellere, ut quæ dicturi sunt, æquo animo possint accipere.

Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Tres causas Angelus reddit quarè pastores timere non debeant ; quòd illis gaudium nuntiaturus veniat ; quòd non privatum, sed publicum gaudium commune omni populo futurum ; quòd non aliis, sed ipsis id annuntiaret : quod magni singularisque erat beneficii. Hanc vim habere videtur illud *vobis*. *Gaudium* autem vocat lætum nuntium, quod gaudii materiam præbiturum erat. Videtur Angelus et re ipsâ et verbis *Evangelium* initiare. Nam et re quidem verâ *Evangelium*, id est, bonum nuntium prædicabat, et verbo ipso usus est *Evangelizandi* : Εὐαγγελίζω ὑμῖν, *Evangelizo vobis*. Cùm dicit, *omni populo*, Beda et Theophilactus non solùm Judæorum, sed Gentilium etiam populum intelligendum existimant, quòd majori Christus lætitiæ credentibus Gentilibus, quàm non credentibus Judæis fuerit. Magis mihi sententiæ ratio, quàm sententia ipsa probatur. Ità enim se res habet, majus Christum Gentilibus gaudium, quàm Judæis attulisse ; sed tamen Angelum de solo Judæorum populo locutum arbitror, accommodatè non solùm ad personam pastorum, quibuscum loquebatur, quique Judæi erant, sed ad omnium etiam Judæorum exspectationem ac sensum, qui Christum sibi solis venturum sperabant, quemadmodùm et Christus ad eos se solos venisse testatus est [3], quamvis non receptus à suis [4], ad alienos, id est, Gentiles sese contulerit.

CORNELIUS A LAPIDE.

11. *Quia natus est vobis hodiè* (hàc nocte) *Salvator, qui est Christus* (Messias tot sæculis exspectatus) *Dominus, in civitate David*, in Bethleem, ex semine et stirpe David. Singula verba habent pondus, et novam gaudii materiam suggerunt, ut patet ea ruminanti et penitiùs expendenti, uti ea minutim et fusè expendit Toletus.

JOANNES MALDONATUS.

Quia natus est vobis hodiè Salvator. Hoc est Evangelium, id est, gaudium illud magnum quod se illis Angelus nuntiaturum dixerat, Salvatorem illis natum esse. Quo nihil ab Angelo majus dici, nihil à Judæis jucundius audiri poterat, in nullam rem æquè atque in venturum Christum intentis, qui se ab eâ tyrannide, quâ oppressi erant, liberaret. Hoc enim Salvatoris nomine sæpè Christus per Prophetas promissus fuerat [5]. Non igitur temerè, sed magno consilio, et veluti artificio quodam factum est, ut Angelus hoc nomine usus fuerit : partim, opinor, quia ipsum per se Salvatoris nomen splendidum et lætum erat, et salutem exspectantibus jucundum auditu, et gaudium illud magnum, quod promiserat Angelus, præ se ferens : partim, ut ad prophetias illas alluderet, quas paulò suprà commemoravimus, quibus Judæis Christus Salvatoris nomine promissus fuerat. Quod ait, *vobis*, perindè est ac si dicat, Judæis, quibus promissus erat ; sed habet aliquantò majorem vim quàm si dixisset Judæis ; majore enim ferit affectu pastorum animos, cùm dicit, *vobis*, quasi illis venisset solis.

Qui est Christus Dominus, Christus ille verus Deus, quem Judæi omnes exspectatis. Describit Christum Angelus omninò talem, qualem Judæi venturum sperabant, ut probet pastoribus fidem suam, se non vana, sed certa, et explorata nuntiare, atque iis consentanea, quæ à Judæis crederentur. Rectè ex hoc loco Christi divinitas probari

0. — [2] *Judic.* XIII, 22. — [3] *Matth.* XV, 24. — [4] *Joan.* I, 11. — [5] *Isai.* XIX, 20 *et* LXII, 11 *et Zach.* IX, 9.

potest; cùm enim Angelus Christum Dominum vocat, Deum esse significat.

In civitate David. Potuit Angelus breviùs dicere: *In Bethleem;* sed voluit eâ etiam ratione Christum describere, et eum de quo loquebatur, verum esse Messiam significare, qui et in Bethleem, et ex genere Davidis nasciturus erat: ideò et urbis, et Davidis nomen expressit.

CORNELIUS JANSENIUS.

12. *Et hoc vobis signum* erit, non probativum, Salvatoris humilitas scilicet et paupertas nascentis, ut S. Bernardus voluit, moraliter potiùs quàm litteraliter, sed signum distinctivum illius infantis ab aliis quos quærere potuissent. *Invenietis infantem pannis involutum*, fasciis puerilibus, *positum in præsepio*, quasi natum more pastoris, qui pastor unus et bonus futurus est juxta Prophetas. Cùm autem ex nomine præsepii locum pastores intellexerint, consequens videtur præsepium fuisse publici stabuli, pastoribus passim notum, vel certè non omnia Angeli verba hìc esse expressa. Porrò pastoribus maluit Deus primò revelare Christum suum, tùm ex illâ generali et archivâ regulâ divinæ Providentiæ, ex quâ stulta, et infirma, et ignobilia mundi solet eligere; tùm quia quantò vilior eorum persona erat ad humanam providentiam, tantò pretiosior erat ad faciendam fidem; «nescit « enim, *inquit* Ambrosius, fucare, vel palliare sim- « plicitas; » tùm deniquè, ut essent typus Pastorum Ecclesiæ, quos primos Deus elegit illitteratos et simplices, ad prædicandam aliis Christi Nativitatem.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et hoc vobis signum (quo hunc puerum ab aliis recèns natis secernatis et dignòscatis) : *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Cæteri enim infantes tunc nati erant in domo et lecto; Christus verò solus in stabulo et præsepio. Hinc patet præsepe hoc fuisse commune et notum omnibus, nisi dicas Angelum digito ostendisse, aut internâ inspiratione, ut vult Toletus, pastoribus indicâsse speluncam in quâ erat hoc præsepe. Hoc signum dat Angelus, ne pastores putent Messiam suum quasi regem Judæorum, requirendum in regiâ Herodis similive palatio, uti Judæi putant; hic enim primus Christi adventus fuit humilitatis; sicut secundus ad judicium erit majestatis. Signum ergò Verbi incarnati et abbreviati est fasciarum et præsepii humilitas; hanc enim efficaciter, nascendo, vivendo et moriendo in summâ abjectione, docere nos voluit Christus. Nam, ut ait S. Bernardus, Serm. 1 de Nativitate : « Quid magis indignum, quid dete- « standum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm « ut videns Deum cœli parvulum factum, ultrà ap- « ponat homo magnificare se super terram : into- « lerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit « majestas, vermiculus infletur et intumescat. »

JOANNES MALDONATUS.

Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Ut probet Angelus se à Deo missum esse, veraque nuntiare, signum adhibet, id est, argumentum, quod fidem facit. Sic Gabriel dixit Zachariæ : *Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usquè in diem, quo hæc fiant*[1]. Sic Mariæ : *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ, et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis*[2]. Sic ille alius Angelus Gedeoni duplex dedit signum[3]. Illud movere lectorem potest, quòd signum ipsum, quod hoc loco Angelus tradidit, non satis certum esse videatur. Quo enim modo sequitur infantem illum Salvatorem esse, quia pannis involutus et in præsepi positus erat? Indè potiùs probari posse videbatur, humano quidem judicio rem æstimantibus, Salvatorem non esse. Notæ sunt ex Ephesino Concilio facetiæ Nestorii negantis se Deum bimestrem trimestremve vocaturum. Quidam hoc sic interpretantur, quasi Angelus non dederit signum, quo sibi pastores crederent, sed quo infantem dignoscerent, et ab aliis, si qui essent, infantibùs distinguerent. Sic Beda : « Et notandum, *inquit*, solertiùs quod « signum nati Salvatoris datur, infantem non Tyrio « exceptum ostro, sed pannis squalentibus involu- « tum : non in ornatis auro stratoriis, sed in præse- « pibus inveniendum. » Alii signum hoc esse, quòd Christus tamquàm veritas debuerit figuræ respondere; in Veteri autem Testamento duos potissimùm homines Christi figuram fuisse, Moysen et Cyrum; utrumque autem, dùm infans esset, in summâ inventum fuisse paupertate. Nota utriusque historia est, altera ex sacris, altera ex profanis Auctoribus. Bernardus etiam in iis est, qui paupertatem, tamquàm verum Salvatoris signum datum fuisse putant : quod ego magis arbitror ad mores, quàm ad litteralem, quem quærimus, sensum accomodatum. Sunt qui, ex eo quòd Angelus dicit, *positum in præsepi*, colligunt præsepe illud, in quo Christus jacebat, celebre et vulgò notum fuisse, quò nullâ aliâ adjectâ loci notatione, pastores, ubi locus esset, intellexerint; idque ex Brochardo confirmant. Cæterùm Brochardus non scribit quale quàmve celebre fuerit, cùm Christus natus est; sed quale suâ fuerit ætate. Sic igitur existimo signum, quod Angelus tradit, in eo consistere, quòd futura prædicat, fore, ut cùm eò pastores venerint, infantem in præsepi positum inveniant : quod, nisi à Deo missus fuisset, scire non potuisset. Nam, etsi

[1] *Luc.* I, 20. — [2] *Ibid.* 36. — [3] *Judic.* VI, 36 *et* 37.

jàm tùm infans in præsepi positus erat, poteratque de re præsenti certò et asseveranter quivis loqui; tamen poterat mater, antequàm eò pastores venirent, indè removere, et aut materno more in ulnas accipere, aut alibi ponere : quod facturum non esse Angelus divinavit. Atque hoc sensu Cyprianus in Serm. de Nativitate Christi et Euthymius interpretantur. Estque, Libro Regum, simile admodùm exemplum. Ut probaret Saüli Samuel vera esse quæ dixerat, et sibi divinitùs revelata, hoc tradit signum : *Cum abieris hodiè à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicentque tibi : Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas* [1]. Major quæstio est, quomodò potuerint tàm facilè pastores locum invenire, cùm Angelus tantùm dixerit infantem in præsepi positum esse, nec, in quo præsepi esset, declaraverit. Credibile est Angelum locum omninò pastoribus designâsse, et quodammodò demonstrâsse digito, sed nimirùm Evangelistæ id studii non fuisse, ut omnia Angeli verba, sed ea tantùm quæ ad rem maximè pertinerent, quæque mysterii aliquid præ se ferrent, recitaret; quale est illud, quòd in civitate David esset natus, quòdque in præsepi eum inventùri essent; quorum alterum ad describendam personam veri Messiæ, alterum ad faciendam dictis fidem erat necessarium.

CORNELIUS JANSENIUS.

13. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis,* id est, magna cœlestium Angelorum multitudo, instar exercitûs : quo nomine passim Angeli vocantur, quia numero innumerabiles sunt [2], quia ordine per choros tamquàm legiones dispositi sunt, quia potentissimi, quia Deo, Imperatori summo, ad nutum præstò sunt ad debellandos hostes, tùm visibiles, tùm aëreas dæmonum potestates. Et hinc vocatur Deus ipse *Dominus virtutum, exercituum, Sabaoth,* quæ quidem sunt *laudantium Deum* de tanto beneficio, non sibi quidem, sed hominibus præstito. Utilis fuit ista tantorum testium multitudo, ut non offenderentur paupertate nascentis, cujus majestati et gloriæ servirent.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium. Quia, ut dixi, ℣. 7, omnes Angeli Christum in terrâ nascentem comitati et venerati sunt ; hi autem sunt acies et militia, hoc est, exercitus cœlestis, quia potentissimè pro Deo contra dæmones et impios pugnant : undè vocatur Deus *Sabaoth*, id est, *exercituum*, scilicet, cœlestium et angelicorum. Sic Jacob, qui fuit typus Christi, fugiens Esaü fratrem suum, vidit copiam Angelorum sibi auxiliantium : undè dixit : *Castra Dei sunt hæc;* ideòque locum vocavit *Mahanaim*, id est, castra in duali, ob duas acies sive turmas Angelorum sibi in tutelam venientium [3]. Rursùm, si ob creationem mundi laudârunt Deum astra matutina, et jubilârunt omnes filii Dei, id est, omnes Angeli, ut ait Job [4], quantò magis idem fecerunt ob Incarnationem et Nativitatem Verbi?

JOANNES MALDONATUS.

Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis. Militiam cœlestem Angelorum multitudinem vocari dubium non est. Solent enim Angeli, qui in cœlo sunt, Dei milites appellari [5]; sive quòd Deo, tamquàm duci milites, obediant, ut Beda ait; sive quòd iis etiam ad gerenda bella pro militibus utatur Deus, ut ex Daniele perspicuum est [6]: quamvis alio quodam sensu militia cœli in Litteris sacris idololatria infamis esse soleat, stellasque significet, quæ pro diis à vanissimis hominibus colebantur. Multi et noti sunt loci [7]. Duobus nominibus Evangelista Angelorum multitudinem exaggeravit ; et quòd non simpliciter Angelos, sed militiam, quasi magnum Angelorum exercitum, appellavit; et quòd multitudinem fuisse dixit. Quod ait, multitudinem Angelorum cum priore Angelo factam fuisse, interpretari possumus: aut multos alios è cœlo venisse Angelos, qui antè non venerant, ut Beda et Euthymius intelligunt : aut, quod magis probo, multos alios Angelos, qui ibi cum altero priùs erant, sed nec apparebant, neque audiebantur, aut apparere, aut audiri certè cœpisse. *Subitò* autem dicit, quòd de improviso aut apparuerint, aut audiri cœperint. Eò pertinebant omnia, ut non uno tantùm, aut duobus testibus, in quorum tamen ore omne verbum stare lex præcipiebat [8], sed omnium ferè Angelorum testimonio, Christi ortus, Salvatorisque officium probaretur; rectèque in Serm. de Nativitate Christi scribit Cyprianus : « Multiplicantur testes, militia cœlestis « conclamat, credit pastorum cuneus et exsultat. » Rectè etiam Beda, et non minùs ad mores, quàm ad sensum hujus loci accommodatè : « Uno, *inquit,* « evangelizante nuntio natum in carne Deum, mox « multitudo militiæ cœlestis advolans, consono in « laudem Creatoris ore prorumpit, ut et sui, sicut « semper, obsequii devotionem Christo impendat, « et nos suo pariter instituat exemplo, quotiès vel « aliquis fratrum sacræ eruditionis verbis insonue« rit, vel ipsi lecta, sive audita, quæ pietatis sunt, « ad mentem reduxerimus, Deo statim laudes ore, « corde et opere reddendas. »

14. *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax*

[1] I *Reg.* x, 2. — [2] *Job,* xxv, 3. — [3] *Gen.* xxxii, 1 *et* 2. — [4] *Job,* xxxviii, 7. — [5] *Id.* xxv, 3. — [6] *Dan.* x, 20. — [7] IV *Reg.* xxi, 3 *et* 5 *et* II *Paralip.* xxxiii, 3 *et* 5. — [8] *Deut.* xiii, 9; xvii, 6 *et* xix, 15 *conf. Matth.* xviii, 16 *et* II *Cor.* xiii, 1.

hominibus bonæ voluntatis. Brevis licèt sit Angelorum hymnus, multas tamen habet difficultates. Illud constat, Dei laudes in eo cani, ejusque duas esse partes, alteram in quâ de Deo, alteram in quâ de hominibus agatur. Tres alii faciunt, ut, *Gloria in altissimis Deo,* una sit: *In terrâ pax,* altera: *In hominibus bona voluntas,* quemadmodùm græcè legitur, tertia: quam opinionem posteà refutabimus. In primâ igitur parte illud solùm dubitatur, sintne hæc verba optantium precantiumve Angelorum, an annuntiantium, id est, an Deo Angeli gloriam optent, quasi dicant : *Gloria in excelsis* sit *Deo ;* an annuntient, tamquàm si dicerent: *Gloria* est *in excelsis Deo.* Multis interpretibus optantium esse placet, quòd, ut ait Lucas, Deum Angeli laudarent; qui verò laudant, optandi modo uti soleant. Atqui indè ego è contrario annuntiantium esse probo; est enim laudare, non bona ei qui laudatur optare, quæ nondùm in eo sint; sed, quæ in eo jàm sunt, prædicare, ut ab aliis cognoscantur, aut apud se certè confiteri. Omnes Psalmi exemplorum pleni sunt, qui, cùm Deum maximè laudant, res ab eo mirabiliter gestas commemorant[1]. Propterea canentes Angeli, ea quæ à priore Angelo dicta fuerant, procul dubio confirmare voluerunt. Ille autem non dixerat, quod futurum erat, sed, quod jàm erat factum, annuntiaverat, Salvatorem natum esse. Ergò et isti nihil Deo optant, sed eum ob missum Salvatorem laudant. Adde quòd sequentia vix optantis esse possint : *Et in terrâ pax hominibus,* ut illi ipsi Auctores confitentur : atqui verisimile profectò non est tàm paucis verbis tantoperè laudandi rationem fuisse mutatam. Ità etiam Theophilactus et Euthymius exponunt. Sensus ergò est: *Gloria in altissimis,* id est, in cœlo, parta est Deo, hoc est, materia glorificandi Deum Angelis qui in cœlo sunt, Christo nato exhibita est. Itaque non jungo illud: *In altissimis* cum *Deo,* quasi sensus sit : *Gloria Deo, qui est in altissimis,* quemadmodùm quosdam interpretari video, sed: *In altissimis gloria est Deo,* id est, Angeli, qui in altissimis sunt, Deum laudant, aut laudent, ut exponit D. Augustinus, Libro 2 de Sermone Domini in monte, c. 10; solet enim cœlum pro Angelis, sicut terra pro hominibus accipi[2].

Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Sunt, qui duo, ut paulò antè diximus, in his verbis membra distinguant: *Et in terrâ pax, hominibus bona voluntas ;* bona enim voluntas, *non bonæ voluntatis,* græcè est. Sic Andreas Jerosolymitanus in Sermone de laudibus beatæ Mariæ, Nicephorus, Lib. 1, cap. 12, Theophilactus et Euthymius in Commentariis. Ego unum tantùm membrum esse arbitror, vetustiores secutus Auctores, Origenem, Homiliâ in Lucam 13, Cyprianum, Sermone de Nativitate Domini, Hilarium in Lib. 2 de Trinitate, Ambrosium[a], Serm. 5, Augustinum, Lib. 2 de Sermone Domini in monte, cap. 10, Severianum apud Chrysostomum, in Sermone de pace, Cæsarium, Homiliâ 12, Leonem, Serm. 6 de Nativitate, Gregorium, Lib. 28 Moralium, cap. 7, et Homiliâ 8 in Evangelia, Bedam in Commentariis, Bernardum, Serm. 4 in Vigiliâ Natalis Domini, Serm. 2 de septiformi spiritu in Christo, Serm. 1 de S. Andreâ et Serm. 13 de laude et gloriâ semper attribuendâ. Nec sententia satis aliter constare potest. Nam cui in terrâ, nisi hominibus, pax esse poterat? Itaque cœlo opponitur terra, Deo homines, quòd Deo gloria, hominibus pax dicatur esse : iidem rursùs homines Angelis opponuntur, quòd in cœlo Angeli Dei gloriam, in terrâ homines hominum pacem celebrare videantur: quis ergò sensus est : *Et in terrâ pax hominibus?* Mittamus enim nunc illud *bonæ voluntatis,* de quo posteà disseremus. Ad quos *hominibus pax* esse dicitur, ad Deum, an ad Angelos, an ad homines? Sunt, qui ad homines dicant, quasi sensus sit, homines, qui priùs inter se dissidebant, veniente Christo conciliatos. Non convenit cum hâc interpretatione, quod ipse de se testatur Christus : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium ; veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam ; et inimici hominis, domestici ejus* [3]. Alii ad Angelos pacem referunt, quasi homines, qui priùs propter peccata sua Angelis invisi erant, sublato per Christum peccato, reconciliati fuerint, quemadmodùm videntur Cyprianus in Sermone de Nativitate Domini, Gregorius et Severianus exponere. Alii ad Deum, quod magis probo. Credibile enim est declarâsse Angelos, dùm Dei beneficium erga homines laudabant, quid ex eo lucri hominibus accessisset, sicut declaraverant Deo accessisse gloriam. Quid autem accessit, quod pluris faciendum magisque prædicandum esset, quàm quòd pax illis cum Deo esset conciliata? Estque hoc consuetudini loquendi Scripturarum consentaneum : *Ipse,* inquit D. Paulus, *est pax nostra, qui fecit utraque unum* [4]; et : *Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso : et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, et*

[1] *Psalm.* CV *et* CVI. — [2] *Deut.* XXXII, 1 ; *Job,* XV, 15 ; *Psalm.* LXVIII, 35 et CXLVIII, 1. — [3] *Matth.* X, 34 *et Luc.* XII, 51. — [4] *Ephes.* II, 14. — [a] Aut potiùs Maximum, etiam Serm. 5. Hoc jàm non repetatur.

pacem iis qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem[1]; et : *Justificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in quâ stamus*[2]. Atque ità Nicetas interpretatur in Commentarios in Orationem 2 de Paschâ Gregorii Nazianzeni.

Bonæ voluntatis. Græcè εὐδοκία, *bona voluntas.* Est autem εὐδοκία propriè, quæ ab Hebræis vocatur רָצוֹן, *ratson*, nisi quòd רָצוֹן, *ratson*, in Scripturâ sacrâ, et de Deo et de hominibus dicatur; εὐδοκία verò, quantùm equidem observare potui, ferè de solo Deo dici solet; significat enim bonam Dei erga homines voluntatem, et, quam vulgò vocamus, *gratiam :* quod vetus Interpres solet reddere *beneplacitum*, sicut verbum εὐδοκεῖν, *beneplacere*[3]. Cæterùm duplex hìc quæstio est : altera quomodò legendum, altera quomodò verba jungenda ; ex his enim duabus rebus sensus hujus loci colligendus est. Omnes nunc græci Codices habent εὐδοκία, *bona voluntas*, atque ità omnes, non antiquissimi, Græcorum interpretes legunt, Andreas Jerosolymitanus, Nicephorus, Theophilactus, Euthymius, et his antiquior Gregorius Nazianzenus, Oratione 2 de Paschâ. Sed non dubito, multis fretus auctoribus, affirmare græcos nunc Codices hoc loco esse corruptos, legendumque esse εὐδοκίας [a], *bonæ voluntatis*, ut noster legit Interpres, cujus magna profectò auctoritas esse debet, et omnes ferè antiquissimi Auctores latini simul et græci, Origenes, Homiliâ in Lucam 13, Cyprianus in Sermone de Nativitate Domini, Cyrillus, Catechesi 12, Ambrosius, Sermone 5, et qui suprà citati sunt, Augustinus, Cæsarius, Leo, Gregorius, Beda, Bernardus. Ratioque ipsa docet ità esse legendum; nam quis, quæso, sensus est : *In hominibus bona voluntas?* Exponunt quidam : *Et in terrâ pax hominibus*, quæ est bona Dei erga illos voluntas, ut sit appositio ; sed hoc quàm violentum est! præterquàm quòd, ut antè probavimus, non sunt hæc duo membra, sed unum : quarè nomen pacis necessariò cum hominibus jungi debet : itaque non potest alterum substantivum, nisi in secundo casu, cum iisdem rectè conjungi. Reliqua igitur est altera quæstio, quâ ratione verba jungenda sint, id est, quonàm sit genitivus ille *bonæ voluntatis* referendus, *ad pacem*, an *ad homines*; quidam enim *ad pacem* referunt, quasi sensus sit : *Et in terrâ pax bonæ voluntatis in hominibus*, id est, pax ex bonâ Dei voluntate liberalitateque profecta. D. Cyprianus in Sermone illo de Nativitate Christi, Ambrosius, Sermone 5, Beda in Commentariis, Bernardus, Serm. 1 de S. Andreâ, et, ut arbitror, nemo non antiquus quidem Auctor, *ad homines* referunt, ut pax *non omnibus hominibus*, sed *iis tantùm qui bonæ sunt voluntatis*, annuntietur. Assentior, sed quo sensu dicantur *homines bonæ voluntatis*, in eo mihi videor à multis eorum non sine ratione dissentire. Putant enim illi *bonæ voluntatis homines* appellari, qui bonam habeant voluntatem et ad recipiendam divinam misericordiam et pacem illam, quæ annuntiabatur, propensam, quales illi ipsi pastores erant, quibuscum Angeli loquebantur, ut iidem omnes, quos citavimus, Auctores explicant; et quidem, ità ut Ambrosius significari his dicat verbis pacem non debiti esse, sed meriti, quasi pax non quibusvis hominibus, sed bonâ eam voluntate merentibus promittatur: quod à summo licèt profectum Auctore, imitari lectorem nolim. Jàm docuimus εὐδοκίαν non hominum, sed Dei erga homines bonam voluntatem significare. Itaque sensus est : *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*, id est, iis quos Deus amavit, qui Deo placuerunt, quos bonâ Deus prosecutus est voluntate. Quibus verbis prædestinati designantur, non quòd non omnibus hominibus Christus pacem attulerit, cùm dicat D. Paulus pacificâsse omnia, *sive quæ in terris, sive quæ in cœlo sunt*[1], et se dedisse *redemptionem semetipsum pro omnibus*[2], et pro omnibus mortuum esse[3]; sed quòd ejus pax, atque redemptio non omnibus, sed solis prædestinatis, qui eam recipere voluerunt, profutura esset : *Quia quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit*[4]. Potiùs ergò significatur, non hominum merito, sed solâ Dei misericòrdiâ atque liberalitate, et, ut ipsius prædestinationis verbo utar, τῇ εὐδοκίᾳ, *beneplacito*, ut noster vertit Interpres, hanc inter Deum et homines reconciliatam esse pacem; hoc enim est quod, quasi hunc locum explicans, scribit D. Paulus : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus*[5].

CORNELIUS A LAPIDE.

Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. Sic et Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus, excepto τῷ *bonæ voluntatis*, de quo mox. Tò in *altissimis*, vel, ut passim alii legunt, *in excelsis*, referri potest tùm ad *Deo*, quod dicendum est : Gloria est Deo qui ha-

[1] *Ephes.* II, 15, 16, 17 et 18. — [2] *Rom.* V, 1 et 2. — [3] *Ephes.* I, 9.

[a] Lectio (εὐδοκίας pro εὐδοκία) et interpunctio Vulgatæ nituntur duobus manuscriptis, et quidem vetustissimis et optimis, et aliis permultis : insuper sensus magis congruere videtur. DRACH.

[1] *Coloss.* I, 20. — [2] I *Tim.* II, 6. — [3] II *Cor.* V, 14. — [4] *Rom.* VIII, 30. — [5] *Ephes.* I, 7.

bitat in cœlis altissimis, ibique gloriam suam Angelis et Beatis ostendit; tum potiùs ad *gloria*, quod dicendum est : In cœlis altissimis Angeli dant gloriam Deo, sicut in terrâ homines fruuntur pace per Christum jàm natum. Rursùm hæc verba accipi possunt tùm assertivè, subaudiendo *est*, tùm optativè, subaudiendo *sit*. Assertivè, quod dicendum est : Gloria jàm in cœlo est Deo, et in terrâ est pax, quia omnes Cœlites in cœlo glorificant Dei misericordiam, sapientiam, fidelitatem, quòd Christum à se patribus promissum jàm mundo fideliter exhibuerit : hinc in terrâ est pax, quia Christus natus est, ut ipse, quasi Rex pacificus, homines qui nascuntur filii iræ, Deo reconciliet. Ità Toletus et Maldonatus. Optativè, quod dicendum est : Gloria sit in altissimis Deo, id est, laudetur et glorificetur Deus in cœlo, omnes Cœlites benedicant et glorificent Deum, quòd dignatus sit Christum mittere in terram, ut in eâ incarnatus, hominibus pacem, id est, reconciliationem, gratiam, salutem omniaque bona afferat. Laudent ergò Deum cœlum et terra, jubibent illi Cœlites omnes et terrigenæ, quia natus est Christus, qui est gloria Dei, gaudium Angelorum, pax hominum. Ità Jansenius, Barradius et alii. Sunt enim hæ voces Angelorum laudantium, partim congratulantium Deo et hominibus, partim optantium gloriam hanc et pacem in Nativitate Christi inchoatam, in ejus vitâ et morte perfici.

Græci hunc hymnum faciunt trimembrem ; sic enim habent : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax, in hominibus bona voluntas.* Sic et Syrus, et Arabicus, qui pro *bona voluntas*, vertit, *hilaritas.* Sic quoque legunt Patres græci passim, scilicet, S. Athanasius, Basilius, Nyssenus, Epiphanius, Eusebius, Theophilactus, Euthymius, ut videre est in Catenâ Græcorum.

Verùm meliùs Latini omnes, et ex Græcis, Origenes, S. Chrysostomus et S. Cyrillus pro εὐδοκία, id est, *bona voluntas*, legunt εὐδοκίας, id est, *bonæ voluntatis*, ac consequenter hymnum hunc faciunt bimembrem. Sicut enim gloria datur Deo, quasi personæ quæ glorificatur, sic et pax datur hominibus bonæ voluntatis, quasi personis, quibus pax Christi competit et congruit : atque sic meliùs cohæret nexus totius sententiæ ; nam pax in terrâ alia intelligi nequit, quàm hominum bonæ voluntatis. Appositè S. Bernardus, Sermone 3 de Circumcisione : « Quæ, *ait*, major Deo gloria, quàm tanta « dignatio et tanta benignitas? » Idem, Epist. 126 ad Episcopos Aquitaniæ : « Displicet, *ait*, mortali« bus Angelica illa partitio, quâ gloria Deo, pax « hominibus nuntiatur, et dùm gloriam usurpant, « turbant pacem. Solus gloriam meretur, qui facit « mirabilia solus, sicut dicit Apostolus : *Soli Deo* « *honor et gloria*[1]. » Et paulò post : « Quonam ergò « modo stabit pax hominum coram Deo, vel cum « Deo, si Deo non potest apud homines esse tuta « sua gloria? O stulti filii Adam, qui contemnentes « pacem et gloriam appetentes, et pacem perdunt « et gloriam ! »

Et in terrâ pax hominum cum Deo, cui nos Christus reconciliavit : imò carnem nostram sibi hypostaticè univit ; ac consequenter *pax*, id est, tranquillitas mentis et conscientiæ ; ac tertiò, *pax* et concordia cum aliis hominibus. Porrò *pax* Hebræis omne bonum, omnem prosperitatem et felicitatem significat. Hinc aliqui, *pax*, inquiunt, est Christus jàm natus : *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*[2]; nam *Deo placuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt*[3]. Audi S. Augustinum, Oratione contra Judæos, Paganos et Arianos, c. 10 et 11 : « In « utero, *inquit*, virginali spirituales nuptiæ celebra« tæ sunt : Deus conjunctus est carni, et caro co« hæsit Deo. Hinc procedens ut sponsus de thalamo « suo, ad cujus nuptias commota universa exsul« tare visa est creatura. Namque Angelorum cho« rus ex his nuptiis pacem designat hominibus « bonæ voluntatis, quia qui erat Dei Filius, factus « est et hominis filius. »

Bonæ voluntatis. Tripliciter id exponi potest.

Primò, referendo illud ad τό *hominibus*, ut eos determinet, quod dicendum est : Pax sit hominibus, at non omnibus, sed iis qui sunt bonæ voluntatis (ità S. Ambrosius), hoc est, qui suscipiunt Christum, ait Beda.

Secundò, S. Leo, Sermone de Nativitate : « Pax, « *ait*, sit hominibus, quæ scilicet faciat eos esse bo« næ voluntatis, ut nimirùm suam voluntatem Dei « legi et voluntati per omnia subjiciant et confor« ment. »

Verùm quia græcè est εὐδοκία, quæ vox respondet Hebraicæ רָצוֹן, *ratson*, ac in sacrâ Scripturâ ferè non hominibus, sed Deo ipsi tribuitur, et significat Dei gratiam, benevolentiam, beneplacitum, amorem et dilectionem erga homines, hinc meliùs Nyssenus, Theophilactus, Euthymius hunc dant sensum : Pax sit hominibus, quos Deus hâc gratiâ et bonâ voluntate, id est, benevolentiâ et amore suo gratis sine hominum merito dignatur et prosequitur, ut scilicet det eis salvatorem talem et reconciliatorem, qui pacem inter se et homines, ac inter cœlum et terram, putà, inter cœlites et terrigenas, constituet. Sic Psalmo dicitur : *Scuto bonæ voluntatis* (græcè εὐδοκίας) *tuæ coronasti nos*[4], id est, scuto, quod est bona voluntas, id est, benevolentiâ tuâ, velut coronâ cinxisti nos. Sic apud Matthæum dicitur :

[1] I *Tim.* I, 17. — [2] *Ephes.* II, 14. — [3] *Coloss.* I, 20. — [4] *Psalm.* V, 13.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui[1], græcè, εὐδόκησα. Et alio Psalmo : *Beneplacitum est Domino in populo suo*[2]. Sic homines bonæ voluntatis alibi vocantur *filii dilectionis*[3], id est, filii voliti et dilecti à Deo.

Porrò Jansenius τὸ *bonæ voluntatis* refert ad *pax*, quod dicendum est : Pax sit hominibus, pax, inquam, proveniens non ex eorum meritis, sed ex bonâ voluntate, id est, benevolentiâ et gratiâ Dei : sed hoc intricatius et obscurius est. Aliter quoque S. Ambrosius : « *Bonæ voluntatis*, inquit, ut intelli-« gas pacem Christi non debiti esse, sed meriti. »

Moraliter disce hìc quàm Deus humilitate delectetur, et humiles exaltet. Christus ecce nocte nascens abscondit se in præsepio ; at Deus eum glorificat per Angelos. Audi S. Augustinum, Lib. 2 de Symbolo, cap. 5 : « Sic voluit nasci excelsus humi-« lis, ut in ipsâ humilitate ostenderet majestatem. » Et Sermone 215 de Tempore : « In summo, *ait*, ho-« nore summa sit humilitas : honoris laus est hu-« militatis virtus. » Et S. Ambrosius : « Ex utero, « *inquit*, Christus funditur ; sed coruscat è cœlo : « terreno in diversorio tacet ; sed cœlesti lumine « fulget : nupta peperit ; sed virgo concepit : nupta « concepit ; sed virgo generavit. Quòd si ætas car-« nis ignava operis fuit, profectò Deus erat, qui « divinitatis operibus exercebat carnis ætatem. » Et S. Bernardus, Sermone 1 de Circumcisione : « Christus, ab ipso Nativitatis exordio, divinis hu-« mana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere ; « sed cui fecunditatis fructus sic accedat, ut non « decidat flos virginitatis : pannis involvitur ; sed « panni ipsi Angelicis laudibus honorantur : abs-« conditur in præsepio ; sed proditur radiante stellâ « de cœlo : sic et circumcisio veritatem susceptæ « probat humanitatis, et nomen quod est super « omne nomen, gloriam indicat majestatis. »

Hàc ergo de causâ Christus ubique ità humilitatem cum majestate in seipso combinavit et contemperavit, ut doceret majestatis decus esse humilitatem, uti est gemmula in annulo aureo, ac vicissim, humilitatis præmium esse solium majestatis.

CATENA AUREA S. THOMÆ AQUINATIS

IN IDEM EVANGELIUM.

1-5. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David*[4], *quæ vocatur Bethleem*[5], *eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.*

BEDA,

(Luc. 2, in principio illius. Tom. 5.)

Nasciturus in carne Dei Filius, sicut de virgine natus, virginitatis sibi decus ostendit esse gratissimum ; ità pacatissimo tempore sæculi procreatur, quia pacem quærere docuit, et pacis sectatores invisere dignatur. Nullum autem potuit majus esse pacis indicium, quàm unâ totum orbem descriptione concludi ; cujus moderator Augustus tantâ duodecim annos[a] circa tempus Dominicæ Nativitatis pace regnavit, ut, bellis toto orbe sopitis, Prophetæ præsagium ad litteram videatur implesse[b]. Undè dicitur : *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.*

GRÆCUS,

(vel Metaphrastes, et Alexander Monachus in Catenâ græcorum Patrum.)

Tunc etiam nascitur Christus, cùm principes Judæorum defecerant, et ad Romanos principes translatum erat imperium, quibus Judæi tributa solvebant ; et sic impletur prophetia prædicens

[1] *Matth.* XVII, 5. — [2] *Psalm.* CXLIX, 4. — [3] *Coloss.* I, 13. — [4] I *Reg.* XX, 6. — [5] *Mich.* V, 2 *et Matth.* II, 6.

[a] Nam post duodecim annos rebellantibus Parthis, Dacis, Atheniensibus, renovata fuêre bella. CORNELIUS A LAPIDE.

[b] Quod est : *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis* (*Psalm.* LXXI, 7). « Hoc, *inquit* S. Hieronymus, ad istum « locum, impletum est tempore Augusti Cæsaris, cùm Dominus « de thalamo virginali processit. » Nam ità his diebus omnia bella quieverunt, ut etiam illud impleretur, quod alius Propheta cecinit, dicens : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium* (*Isai.* II, 4), id est, omne bellandi studium vertetur ad pacem, et pro discordiâ, erit in toto orbe concordia. Gladii mutabuntur in vomeres, et lanceæ in falces, ut, omisso furore bellandi, agriculturæ serviant, et uberrimas falcibus messes secent. Quod quidem spiritualiter intelligi potest, quandò omnis duritia cordis nostri, Christi vomere frangitur, et eradicantur spinæ vitiorum, ut semen sermonis Dei crescat in fruges, et posteà labores manuum nostrarum manducemus. Tunc, juxta Isaiam, *erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium et se-*

non deficere ducem de Judâ, nec principem de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est[1]. Jàm verò Cæsare Augusto quadragesimum secundum annum imperii peragente, exiit ab eo edictum totum orbem conscribi ad tributa solvenda : quod cuidam, nomine Cyrino, Cæsar commiserat, quem Judææ et Syriæ præsidem statuit. Undè sequitur : *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.*

BEDA,

(Luc. 2, super illud : *Hæc descriptio prima facta est.*)

Signat autem hanc descriptionem, vel primam esse earum quæ totum orbem concluserint, quia pleræque jàm partes terrarum sæpè leguntur fuisse descriptæ, vel primò tunc cœpisse, quandò Cyrinus in Syriam missus est.

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de tempore ortûs Salvatoris, circa fin. Tom. 5.)

Pulchrè autem præsidis nomen addidit, ut seriem temporis designaret; nam si consules adscribuntur tabulis emptionis[a], quantò magis redemptioni omnium debuit tempus ascribi!

BEDA,

(Luc. 2, super illud : *Ascendit Joseph à Galilæâ.* Tom. 5.)

Supernâ autem dispensatione professio censûs ità descripta est, ut in suam quisque patriam ire juberetur, secundùm quod sequitur : *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in civitatem suam :* quod ideò factum est, ut Dominus alibi conceptus, alibi natus, insidiantis Herodis furorem faciliùs evaderet : undè sequitur : *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth in Judæam.*

CHRYSOSTOMUS

(in diem Natalem Christi.)

Domino autem dirigente, Augustus hoc edictum censuit, ut Unigeniti præsentiæ famuletur ; nam hoc edictum matrem attrahebat in patriam, quam Prophetæ prædixerant, scilicet, in Bethleem Judæ. Undè dicit : *Civitatem David, quæ vocatur Bethleem.*

GRÆCUS,

(vel Iræneus contra Hæreses, Lib. 3, cap. 11.)

Ideò autem addidit, *civitatem David*, ut promissionem factam David à Deo[b], quòd ex fructu ventris ejus Rex perpetuus adveniret, esse completam annuntiet. Undè sequitur : *Eo quòd esset de domo et familiâ David.* Per hoc autem quòd Joseph erat de cognatione David, contentus fuit Evangelista ipsam quoque Virginem de cognatione David promulgare, cùm lex divina præciperet conjugales copulas ex eâdem progenie contrahi. Undè sequitur : *Cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.*

CYRILLUS,

(in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Dicit autem eam fuisse desponsatam, innuens quòd solis sponsalibus præcedentibus est conceptio subsecuta ; neque enim ex virili semine sancta Virgo concepit.

GREGORIUS,

Homil. (8 in Evang.).

Mysticè autem, nascituro Domino mundus describitur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de tempore ortûs Salvatoris, in princip. Tom. 5.)

Et dùm professio sæcularis obtenditur, spiritalis impletur, non terrarum regi dicanda, sed cœli. Professio ista fidei, census est animorum ; abolito enim Synagogæ censu vetusto, novus census Ecclesiæ parabatur. Denique ut scias censum non Augusti esse, sed Christi, totus orbis profiteri jubetur. Quis autem poterat professionem totius orbis exigere, nisi qui totius orbis habebat imperium? Non enim Augusti, sed *Domini est terra et plenitudo ejus*[2].

BEDA,

(Luc. 2, ante illud : *Hæc descriptio prima facta est.* Tom. 5.)

Qui etiam vocabulum Augusti perfectissimè complevit[c], utpotè suos et augere desiderans, et augere sufficiens.

[1] *Gen.* XLIX, 10. — [2] *Psalm.* XXIII, 1.

curitas usquè in sempiternum (*Isai.* XXXII, 17). Sicut enim Christus Dominus est Rex pacificus; ità et regnum ejus est regnum pacis ac securitatis. Quocircà voluit quoque nasci tempore pacis, ut significaret etiam spiritualiter se nonnisi in pacifico corde nasci ac commorari, juxta illud : *Factus est in pace locus ejus* (*Psalm.* LXXV, 3). Ad quem locum S. Hieronymus ait : « Non est umbraculum Domini, nisi ubi pax est. « Ubi zelus atque discordia, ibi non est protector Deus. Locus « Dei non est, nisi in animâ quæ pacem habet. Quæ ergò ani- « ma non habet pacem, sciat se non esse locum Dei : *Non enim* « *est dissensionis Deus, sed pacis*, ait Apostolus (II *Cor.* « XIV). » Pacem autem hanc pulchrè definit S. Augustinus in hæc verba : « Pax est serenitas mentis, tranquillitas animæ, « simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis « (Lib. de verbis Domini). » Et de hâc pace ait Isaias, quòd *erit opus*, id est, effectus *justitiæ*, quia solùm justi, qui legem Dei custodiunt, fruentur hâc pace, juxta illud : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* (*Psalm.* CXVIII, 165). Nam de impiis scriptum est : *Non est pax impiis*, dicit Dominus (*Isai.* LVII, 21). CORDERIUS, in Catenâ LXV græcorum Patrum in Luc. Ed. Antuerpiæ, 1638.

[a] Id est, si consulum nomina prænotantur in ejusmodi tabulis, quantò magis debuit in omnium redemptione prænotari Cyrini tempus ! etc.

[b] Juxta illud : *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et stabiliam thronum regni ejus usquè in sempiternum* (II *Reg.* VII, 12); ut et : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psalm.* CXIII, 11).

[c] Ab augendo scilicet derivatum per quamdam saltem allusionem vocis, etsi non per propriam significationem.

THEOPHILACTUS,

(in principio Comment. in cap. 2 Lucæ.)

Conveniens etiam erat ut per Christum cultus multorum deorum deficeret, et unus Deus coleretur : undè unus rex orbi imperâsse describitur.

ORIGENES,

(Homil. 11 in Luc., circa fin.)

Diligentiùs autem intuenti sacramentum quoddam videtur figurari, quòd in totius orbis professione describi oportuit Christum, ut, cum omnibus scriptus, sanctificaret omnes, et cum orbe relatus in censum, communionem suî præberet orbi.

BEDA,

(undè suprà.)

Sicut autem tunc, imperante Augusto, et præsidente Cyrino, ibant singuli in suam civitatem, ut profiterentur censum ; sic modò, imperante Christo per Doctores, Ecclesiæ Præsides, profiteri debemus censum justitiæ.

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de tempore ortûs Salvatoris, à medio. Tom. 5.)

Hæc est ergò prima professio mentium Domino, cui omnes profitentur, non præconis evocatione, sed Vatis dicentis : *Omnes gentes, plaudite manibus*[1]. Deniquè ut scias censum esse justitiæ, veniunt ad eum Joseph et Maria, hoc est, justus et virgo : ille qui Verbum servaret, ista quæ pareret.

BEDA,

(undè suprà.)

Civitas nostra et patria est beata, ad quam crescentibus quotidiè virtutibus ire debemus. Quotidiè autem sancta Ecclesia, suum comitata Doctorem, de rotâ mundanæ conversationis, quod Galilæa sonat, in civitatem Juda, scilicet, confessionis et laudis, ascendens, censum suæ devotionis Regi æterno persolvit: quæ, in exemplo beatæ Virginis Mariæ, concipit nos virgo de Spiritu : quæ alii quidem desponsata, ab alio fecundatur, dùm præposito sibi Pontifici visibiliter jungitur[a], sed invisibili Spiritûs virtute cumulatur, indicans ipso nomine, quòd instantia loquentis Magistri nil valet, nisi augmentum superni juvaminis, ut audiatur, acceperit.

6-7. *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.*

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de temp. ortûs Salvatoris. Tom. 5.)

Breviter sanctus Lucas, et quo modo, et quo tempore, et quo loco secundùm carnem Christus natus sit, explicavit, dicens : *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.* Quo modo quidem, quia nupta concepit, sed virgo generavit.

GREGORIUS NYSSENUS,

(in Catenâ Græcorum Patrum, non eodem tenore, vel eâdem serie, sed sparsim et per partes ; nec ex eodem loco, sed in diem Natalem Christi partim, et partim Oratione in Cantica vel Homiliâ 3.)

Apparens enim ut homo, non per omnia legibus humanæ naturæ subjicitur. Nam quod ex muliere nascitur, humanitatem redolet : virginitas verò, quæ ortui deservivit, ostendit quod transcenderet hominem. Hujus ergò jucunda portatio, ortus immaculatus, partus facilis, absque corruptelâ nativitas, nec ex luxu incipiens, nec doloribus edita, quia, namque ea quæ naturæ nostræ mortem per culpam inseruit, damnata est ut cum doloribus pareret, oportebat parentem vitæ cum gaudio partum perficere. Eo autem tempore per incorruptionem virgineam ad vitam transmigrat mortalium, in quo diminui incipiunt tenebræ, et nocturna immensitas exuberantiâ deficere cogitur ; mors enim peccati finem pravitatis attigerat ; sed de cætero tendit ad nihilum propter lucis præsentiam, quæ radiis evangelicis totum orbem lustravit.

BEDA,

(Luc. 2, super illud : *Ascendit et Joseph.*)

Eo etiam tempore dignatus est incarnari, quò, mox natus, censui Cæsaris adscriberetur, atque ob nostri liberationem ipse servitio subderetur : undè etiam non solùm propter indicium regii stemmatis, sed etiam propter nominis sacramentum, Dominus in Bethleem nascitur.

GREGORIUS,

(Homil. 8 in Evang., circa princip.)

Bethleem quippè *domus panis* interpretatur ; ipse namque est qui ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*[2]. Locus ergò in quo Dominus nascitur, *domus panis* anteà vocabatur, quia futurum erat, ut ibi ille per naturam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret[b].

BEDA,

(Luc. 2, super illud : *Impleti sunt dies.*)

Sed et usquè ad consummationem sæculi Dominus in Nazareth concipi, in Bethleem nasci non desinit, cùm quilibet audientium, verbi flore suscepto, domum se æterni panis efficit : quotidiè in utero virginali, hoc est, in animo credentium, per fidem concipitur, per baptismum gignitur.

Sequitur : *Et peperit filium suum primogenitum.*

[1] *Psalm.* XLVI, 1. — [2] *Joan.* VI, 51.

[a] Et in hujus Symbolum Episcopus, cùm consecratur, annulum sumit.

[b] Hæc eadem verba reperiuntur apud Bedam, immediatè post præcedentia.

HIERONYMUS

contra Helvidium (aliquantulùm ante med. Libri incipientis : «Nuper rogatus.» Tom. 2.)

Ex hoc Helvidius nititur approbare *primogenitum* dici non posse, nisi eum qui habeat et fratres; sicut *unigenitus* ille vocatur, qui parentibus sit solus filius. Nos autem ità definimus : Unigenitus est primogenitus: non omnis primogenitus est unigenitus. *Primogenitum* non esse dicimus eum quem alii subsequuntur, sed ante quem nullus : alioquin, si non est primogenitus, nisi is quem sequantur et fratres, tamdiù sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiù et alii non fuerint procreati, ne fortè partu posteà non sequente, unigenitus sit, et non primogenitus.

BEDA,

(Luc. 2, ante illud : *Et pannis eum involvit.*)

Est etiam *unigenitus* in substantiâ divinitatis, *primogenitus* in susceptione humanitatis : *primogenitus* in gratiâ, *unigenitus* in naturâ.

HIERONYMUS

contra Helvidium (ante med. Lib. incip. : «Nuper rogatus.»

Nulla autem ibi obstetrix, nulla muliercularum sollicitudo intercessit. Ipsa pannis involvit infantem : ipsa mater et obstetrix fuit. Undè sequitur : *Et pannis eum involvit.*

BEDA,

(undè suprà.)

Qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur, ut nos stolam primam recipere valeamus. Per quem omnia facta sunt, manus pedesque cunis adstringitur, ut nostræ manus ad opus bonum exsertæ, nostri sint pedes in viam pacis directi.

GRÆCUS,

(vel Metaphrastes in Catenâ græcorum Patrum.)

O admirabilem coarctationem et peregrinationem, quam subiit, qui continet orbem! Ab initio captat penuriam, et eam in seipso decorat.

CHRYSOSTOMUS,

(Homil. in diem Christi Natalem.)

Non indicatur in nostrâ editione, ubi quod sequitur, pertinet ad eumdem Græcum usquè ad Bedam.

Nimirùm, si voluisset, venire poterat movendo cœlum, concutiendo terram, emittens fulmina; non autem sic processit : non enim perdere, sed salvare volebat, et ab ipsis primordiis humanam conculcare superbiam; atque ideò non tantùm homo fit; sed etiam homo pauper, et pauperem matrem elegit, quæ caret iis quibus natum infantem reclinet : sequitur enim : *Et reclinavit eum in præsepio.*

BEDA,

(undè suprà.)

Duri præsepis angustiâ continetur, cui cœlum sedes est, ut nos per cœlestis regni gaudia dilatet. Qui panis est Angelorum, in præsepio reclinatur, ut nos, quasi sancta animalia, carnis suæ frumento reficiat.

CYRILLUS,

(in Catenâ græcorum Patrum.)

Reperit etiam hominem factum bestialem in animâ; et ideò in præsepio loco pabuli ponitur, ut vitam bestialem mutantes, ad consonam homini perducamur scientiam, pertingentes non fenum, sed panem cœlestem, vitæ corpus.

BEDA,

(super illud : *Reclinavit eum in præsepio.* Tom. 5.)

Qui autem ad dexteram Patris sedet, in diversorio, loco eget, ut nobis in domo Patris sui multas mansiones præparet [1]. Undè sequitur : *Quia non erat ei locus in diversorio.* Nascitur, non in parentum domo, sed in diversorio, et in viâ; quia per incarnationis mysterium via factus est, quâ nos ad patriam, ubi veritate et vitâ fruemur, adduceret.

GREGORIUS,

(Homil. 8 in Evang., parùm à principio.)

Et ut ostenderet, quia per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur, non secundùm potestatem, sed secundùm naturam.

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de Nativitate Christi, à med.)

Propter te ergò infirmitas, in se potentia : propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare quod cernis, sed quòd redimeris agnosce. Plus, Domine Jesu, injuriis tuis debeo quòd redemptus sum, quàm operibus quòd creatus. Non prodesset nasci, nisi etiam redimi profuisset.

8-12. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere : Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David ; et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.*

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc.)

Videte quemadmodùm divina cura fidem adstruat. Angelus Mariam, Angelus Joseph, Angelus pastores edocet : de quibus dicitur : *Pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

[1] *Joan.* XIV, 2.

CHRYSOSTOMUS,

(in Catenâ græcorum Patrum.)

Josepho quidem in somnis apparuit Angelus [a]; pastoribus autem visibiliter, quasi rudioribus. Non autem Angelus ivit Jerosolymam, non requisivit Scribas et Pharisæos; erant enim corrupti, et præ invidiâ cruciabantur; sed hi erant sinceri, antiquam conversationem Patriarcharum et Moysis colentes. Est autem semita quædam ad philosophiam perducens innocentia.

BEDA,

(in Homil. quæ inscribitur: « In Aurorâ Natalis Christi), » et inter Homil. hyemales habetur. Tom. 7.)

Nusquàm autem in totâ Veteris Testamenti serie reperimus Angelos, qui tàm sedulè apparuere patribus: cum luce legitur apparuisse. Sed hoc privilegium rectè huic tempori est servatum, quandò *exortum est in tenebris lumen rectis corde* [1]. Undè sequitur: *Et claritas Dei circumfulsit illos.*

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de Natali Salvatoris.)

Ex utero funditur; sed coruscat à cœlo: terreno in diversorio jacet; sed cœlesti lumine fulget.

GRÆCUS,

(vel Geometer in Catenâ græcorum Patrum.)

Verùm pavidi facti sunt in miraculo. Undè sequitur: *Et timuerunt timore magno.* Sed Angelus, cùm pavor ingruerit, fugat ipsum. Undè sequitur: *Et dixit illis Angelus: Nolite timere.* Non solùm sedat terrorem, sed etiam alacritatem infundit; sequitur enim: *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo,* non soli populo Judæorum, sed etiam omnibus. Causa autem gaudii ostenditur, novus et admirabilis partus [b] manifestatur ex ipsis nominibus; nam sequitur: *Quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus;* quorum primum, id est, *Salvator*, est actionis; tertium autem, scilicet, *Dominus,* majestatis.

CYRILLUS

(de Incarn. Unig. cap. 1. *Aliàs*, in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Sed id quod in medio ponitur, scilicet *Christus* [c], non naturam significat, sed hypostasim compositam [d]. In Christo enim Salvatore unctionem fore celebratam fatemur, non tamen figuralem, sicut olim in regibus ex oleo, quasi ex Propheticâ gratiâ, neque ad perfectionem alicujus negotii, juxta illud Isaiæ: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro* [2], qui, quamquàm esset idololatra, dictus est *Christus*, ut cœlesti censurâ [e] totam occuparet Babyloniorum provinciam; fuit autem unctus Salvator Spiritu sancto humanitùs in formâ servi, ungens autem ut Deus Spiritu sancto credentes in eum.

GRÆCUS,

(vel Geometer, undè suprà.)

Hujus autem Nativitatis et tempus ostendit, cùm dicit: *Hodiè*, et locum, cùm subdit: *In civitate David,* et signa, cùm subjungit: *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Ecce pastoribus Angeli Pastorem præcipuum prædicant, tamquàm agnum in antro manifestatum et editum.

BEDA,

(super illud: *Et hoc vobis signum.*)

Crebris autem infantia Salvatoris et Angelorum præconiis et Evangelistarum nobis est inculcata testimoniis, ut nostris altiùs cordibus quid pro nobis sit factum infigatur. Et notandum quòd signum nati Salvatoris datur, non Tyrio exceptum ostro [f], sed pannis squalentibus involutum: non in ornatis auro stratoriis, sed in præsepibus inveniendum.

MAXIMUS,

in Sermone Nativitatis. (Serm. 4.)

Sed si tibi panni fortassis vilescunt, Angelos collaudantes admirare. Si præsepe despicis, erige parumper oculos, et novam in cœlo stellam protestantem mundo Nativitatem Dominicam contuere: si credis vilia, crede mirifica: si de iis quæ humilitatis sunt disputas, quæ alta sunt et cœlestia venerare.

GREGORIUS,

Homiliâ (8 in Evang., ante med. *Pastores vigilantes.*)

Mysticè autem, quòd vigilantibus pastoribus Angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulsit, hoc est quòd illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicitè sciunt; dùmque ipsi piè super gregem vigilant, divina super eos latiùs gratia coruscat.

BEDA,

Homiliâ (in Evang. quod legitur in Aurorâ Natalis Domini.)

Significant enim mysticè pastores isti gregum Doctores quosque ac Rectores fidelium animarum. Nox, cujus vigilias custodiebant super gregem suum, pericula tentationum indicat, à quibus se suosque subjectos custodire non desistunt. Et benè, nato Domino, pastores super gregem vigilant, quia

[1] *Psalm.* CXI, 4. — [2] *Isai.* XLV, 1.

[a] « Quia, *inquit* Alphonsus Tostatus, Joseph potuit in somno « habere revelationem à Deo, et certificari per illam de quâ- « cumque re, sicut si esset vigilans. » De quo vide quæ diximus suprà, p. 234.

[b] *Aliàs*, qui.

[c] Addi potest: « Est unctionis, et. »

[d] Ex naturâ divinâ et humanâ, etsi non tamquàm ex partibus.

[e] Seu sententiâ, judicio, decreto, juxta formulam illam juridicam loquendi quâ *censere* dicuntur, qui decernunt.

[f] Id est, *purpurâ*, ex græcâ voce ὄστρεον. Dicitur autem *Tyrium ostrum* vel *Tyria purpura*, quia in urbe Tyro præ omnibus aliis excellebat.

natus est qui dicit : *Ego sum Pastor bonus*[1]; sed et tempus imminebat, quo idem Pastor oves suas, quæ dispersæ erant, ad vitæ pascua revocaret.

ORIGENES,

(Homil. 12 in Luc.)

Cæterùm, si ad sacratiorem oportet ascendere intellectum, dicam quosdam fuisse pastores Angelos, qui res humanas regerent; et cùm horum unusquisque suam custodiam conservaret, venisse Angelum nato Domino, et annuntiàsse pastoribus quòd verus esset Pastor exortus. Angeli enim ante adventum Salvatoris parùm poterant commissis sibi utilitatis afferre ; vix enim aliquis unus ex singulis gentibus credebat in Deum : nunc autem populi accedunt ad fidem Jesu.

13-14. ***Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.***

BEDA,

(Luc. 2, non remotè à fine illius. Tom. 5.)

Ne parva nimis Angeli videretur auctoritas, postquàm unus sacramentum novæ nativitatis edocuit, statim multitudo cœlestium agminum affuit. Undè dicitur : *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*. Benè chorus adveniens Angelorum, *militiæ cœlestis* vocabulum accepit, qui et duci illi *potenti in prœlio*[2], qui ad debellandas aëreas potestates apparuit, humiliter obsecundat ; et ipse potestates easdem contrarias, ne mortales tantùm tentare valeant quantùm volunt, fortiter armis cœlestibus proturbat. Quia verò Deus et homo nascitur, jure hominibus pax, et Deo gloria canitur. Undè sequitur : *Laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo*. Uno Angelo, uno evangelizante nuntio natum in carne Deum, mox multitudo militiæ cœlestis in laudem Creatoris prorumpit, ut et Christo devotionem impendat, et nos suo instruat exemplo, quotiès aliquis fratrum sacræ eruditionis verbis insonuerit, vel ipsi, quæ pietatis sunt, ad mentem reduxerimus, Deo statim laudes corde, ore et opere reddendas.

CHRYSOSTOMUS,

(in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Et olim quidem Angeli ad puniendum mittebantur, putà, ad Israelitas, ad David, ad Sodomitas, ad gemitûs convallem; nunc è contrà canunt in terrâ gratias agentes Deo, eo quòd suum descensum ad homines eis reseravit.

GREGORIUS,

Lib. 28 Moralium. (Cap. 4, (In novis exempl. cap. 7), super illud Job 38 : *Ubi eras, cùm me laudarent astra matutina?*)

Simul etiam laudant, quia redemptioni nostræ voces suæ exsultationis accommodant; simul etiam quia, dùm nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum impleri.

BEDA,

(Luc. 2, parùm à fine illius. Tom. 5.)

Optant etiam pacem hominibus, cùm subdunt : *Et in terrâ pax hominibus*, quia quos infirmos priùs abjectos despexerant, nascente in carne Domino, jàm socios venerantur[a].

CYRILLUS,

(in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Hæc autem pax per Christum facta est ; reconciliavit enim nos per se Deo et Patri[b], culpam hostilem de medio auferens : duos populos in unum hominem pacificavit, ac cœlicolas et terrenos in unum gregem composuit.

BEDA,

(undè suprà.)

Quibus autem hominibus pacem poscant, exponunt dicentes : *Bonæ voluntatis*, eis scilicet qui suscipiunt natum Christum ; *non* enim *est pax impiis*[3], sed *pax multa diligentibus nomen Dei*[4].

ORIGENES,

(Homil. 13 in Luc.)

Sed diligens lector inquiret quomodò Salvator dicat : *Non veni pacem mittere super terram*[5]; et nunc Angeli de ejus Nativitate cantant : *In terrâ pax hominibus*. Sed hoc quod pax esse dicitur *in hominibus bonæ voluntatis*, solvit quæstionem ; pax enim quam non dat Dominus super terram, non est pax bonæ voluntatis.

AUGUSTINUS,

Lib. 13 de Trinitate. (Cap. 13. Tom. 3.)

Pertinet enim justitia ad bonam voluntatem.

CHRYSOSTOMUS,

(in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Aspice autem mirandum processum : Angelos ad nos deduxit priùs, ac deindè duxit hominem ad superna : factum est cœlum terra, cùm terrena deberet recipere.

ORIGENES,

(Homil. 13 in Luc., parùm à principio.)

Mysticè autem, videbant Angeli se opus quod eis creditum fuerat, implere non posse absque eo qui verè salvare poterat, et medicinam suam inferiorem esse quàm hominum causa poscebat. Undè sicut, si veniat aliquis qui habeat summam in medicinâ no-

[1] *Joan.* x, 11. — [2] *Psalm.* XXIII, 8. — [3] *Isai.* LVII, 21. — [4] *Psalm.* CXVIII, 165. — [5] *Matth.* x, 34.

[a] Similia legis apud Gregorium, Hom. 8 in Evang.

[b] Juxta quod habetur apud Apostolum (II *Cor.* v, 18 *et* 19; *Ephes.* II, 16 *et Coloss.* I, 20 *et* 22), ubi partim de nostrâ reconciliatione cum Deo per Christum ipsum factâ, partim de reconciliatione utriusque populi priùs capitaliter inimici, judaici nimirùm et gentilis.

titiam, et illi qui priùs sanari nequiverant, cernentes ad magistri manus putredines cessare vulnerum, non invideant, sed in laudes medici erumpant, et Dei, qui sibi ægrotantibusque tantæ scientiæ hominem miserit, sic multitudo Angelorum pro Christi adventu Deum laudat.

SUPPLEMENTUM CATENÆ AUREÆ

IN IDEM EVANGELIUM,

EX CATENA REGIA SIMULQUE CATENA B. CORDERII COMPACTUM.

1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.*

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Quia gratia universalis, *inquit,* universam terram erat illustratura, unum prodit mandatum quod totum comprehendat orbem, quo tempore unus orbe toto Salvator nascitur.

(EX CATENA CORDERII[a].) ISIDORUS,

Lib. 1, Epist. 48.

Descriptus est autem Dominus, cùm in utero materno gestaretur, censumque persolvit Cæsari, potenti præcipiens subjici, quandò non nocet religioni.

GEOMETRA.

Cæterùm, si oporteat hinc aliquid per considerationem elicere, imperium quidem Imperii, descriptio verò descriptionis figura erat. Illud siquidem unius omnium Dei ac Regis monarchiam significavit; hæc verò voluntariam obedientiam, aut etiam omnium eorum qui volunt in cœlis descriptionem : et sicut edictum, sic et prædicationem totum orbem percurrere, quin et omnes ad propriam patriam accurrere, atque ad antiquam ac primam nostram patriam institutumque reverti, undè alius aliò, cùm vitæ instituto, tùm affectionibus, discesserat. Quòd autem omnes Cæsari censum ferant, significat omnes pro virili Deo fructus afferre debere, non corporales tantùm per beneficia ac sacrificia, sed et spiritales per contemplationes atque operationes.

EUSEBIUS.

Vaticinia verò Danielis, quibus destruenda quidem universa hominum regna, sed solum illud Christi prævaliturum denuntiat, hoc habebant argumentum : Quemadmodùm quondàm Ægyptiorum regi in somnis visorum interpres constitutus erat Joseph, similiter Daniel Chaldæorum regi Nabuchodonosori visionem explicat, ut nempè imago quæ per somnum ipsi apparebat, cujus caput aureum, pectus argenteum, venter æreus, pedesque ferrei, quatuor regna significet. Ipse quidem est aureum illud (caput) ob immensas divitias deliciasque illorum qui Assyriis imperàrant. Magnum quippè erat Assyriorum regnum ; complectebatur enim Ægyptum et Libyam Asiamque totam; extendebat verò se usquè ad Indorum orbem : longissimo quoque tempore floruit ; à Nemrod enim inchoans, ad Nabuchodonosorem usquè perduravit ; nec priùs deletum est, quàm Jerosolymis Dei templum violàsset. Hoc enim facto, Medi statim Assyriorum regnum dissolverunt, quorum primus, Cyrus, ad Persas imperium transtulit. Secundi itaque post Assyrios Persæ orbem rexerunt, splendido atque illustri modo, quemadmodùm significabat secunda pars imaginis ex argento facta. Tertium verò invasit Alexander ille Macedo, qui congressus cum Dario, captoque, ad Macedonas transtulit principatum, qui tertio loco post primos gentibus universis imperàrunt. Denotavit autem et hos tertia illa imaginis pars ærea ; sonora enim illa materia est, et longum clangorem edens : tale autem erat imperium Macedonum, utpotè Græcorum, et linguà garrulorum. Post hæc innuitur ferreum illud regnum, præpotens, atque omnia præcedentia robore excedens, cùm ferro à naturà vis insita sit reliquas omnes extenuandi domandique materias. Quod autem hoc? Romanorum est imperium, quod Macedonico successit. Sub hoc regno ferreo Christus nascitur, qui abscissus est lapis de monte, non ferro, sed sine manibus[1] ; nullis enim viri manibus Virgo subfuit, sed mirabili prorsùs ratione peperit. Regi itaquè per modum imaginis somnium apparebat, Prophetæ verò belluarum sub formis, brutorum, atque ferarum ostendebatur[b].

[1] *Dan.* II, 34.

[a] Et totiès ex hàc Catenà desumpta erunt dicta Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum, quotiès non indicabimus ex Catenà regià decerpta esse.

[b] Describit hîc Eusebius, simul ac pandit significationem statuæ ex auro, argento, ære ferroque conflatæ, quam, Danielis 2 capite, vidit olim in quiete Nabuchodonosor rex à lapide sine manibus à monte abscisso percuti atque everti. Cujus mysticam interpretationem optimè reddit Barradius,

ISIDORUS,

Lib. 1, Epist. 218.

Divini enim Danielis celebris illa visio, Assyriorum, Medorum, Macedonumque regnum, ut uniusmodi atque ex unâ quodque natione conflatum, uni ac singulari belluæ assimilavit ; aliud quidem ursæ, aliud autem leænæ, aliud verò pardo ; sed quartam visionem horrendæ belluæ, ac plurimum terroris habenti, dentibus ferreis utenti, atque unguibus æreis armatæ, ac comedenti, comminuentique ac conculcanti, nec ullius animantis similitudinem referenti, quæ romanum imperium perspicuè designabat, ex omnibus tribubus ac nationibus constitutum, atque omne robur ac gloriam in se continens ; non enim uno nomine exprimendum vidit principatum, in omnes potentiæ suæ jugum extendentem, et in infinitum quoddam regnum Dominicæ Incarnationis tempore excrescentem.

EUSEBIUS ET THEOPHANES.

Quemadmodùm quidem per aurum profundæ divitiæ Assyriorum, sic per leænam effeminatus illorum animus mollitiesque notabatur ; tarditas verò immobilitasque Persarum per ursam. Pardo verò alato Alexander assimilabatur, propter naturæ sagacitatem atque agilitatem. Non integris enim adhuc annis tredecim potitus imperio, orbem peragravit universum, omni volucri celeriùs pervolans Europam simul et Asiam, sic ut ad Oceanum usquè pertingeret. Romani autem à Macedonibus ceperunt imperium, ultimo eorum rege Perseâ sublato. Syrios verò subegerunt ducibus Pompeio atque Gabinio, quorum etiam auspiciis totam penè Asiam superârunt. Postremam deniquè Augustus captivam duxit Cleopatram, subactis Ægypto et Alexandriâ. Exindè quartum hoc imperium subigere cœpit universa : quod imaginis quidem visio ferreum nominavit, quippè cuncta domans atque comminuens ; Prophetæ verò visio, belluam terribilem, et formidandam, ac fortem valdè, sermone ipso testante finem prædictionis. Solum itaque romanum imperium omnes simul respublicas, provincias, polyarchias, et gentium principatus sustulit, eorum, inquam, omnium, qui ab omni ævo pro cujusque more propriis principibus subfuerant, et ex cunctis unicam monarchiam imperiumque constituit, sub quo et Christus nascitur, qui lapis erat, propter corpus terrenum, excitus sine manibus per Nativitatem ex virgine ; non enim opus habebat humano semine, divinâ virtute illâ quæ ad ipsum spectabant dispensante.

ATHANASIUS,

in Oratione de Incarnatione.

Dei Verbum naturæ nostræ imbecillitatem cernens, ut ex seipsâ minimè sufficiens sit cognoscere Creatorem, quomodò nimirùm ipsemet increatus, nos ex nihilo creârit, et corporeos finxerit ; et omninò multa sint ex parte creaturarum, quæ Auctoris earum comprehensionem cognitionemque impediant, meritò cùm Patris imago esset, mortale corpus assumpsit, ut et mors in ipso exstingueretur, hominesque rursùs ad imaginem renovarentur. Quemadmodùm enim depictæ in ligno figuræ, sordibus extrinsecùs obfuscatæ, rursùs adesse debet illud cujus est figura, ut renovari imago possit ; propterea quoque imago Patris accessit ad nostra hæc loca, ut hominem, ad similitudinem sui factum, renovaret ; hominibusque prodesse volens, ut homo venit. Cùm enim semel ad sensitiva sese mens hominum depressisset, Verbum in corpore dignatum est comparere, ut hominem ad se reduceret, hominesque ac sensus eorum ad se ipse inclinaret, et tamquàm hominem ipsum intuentes, ex operibus quæ patrabat, ipsum non hominem solùm, sed Deum quoque esse crederent.

4. *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem.*

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Cur autem [mandatum] hoc [scilicet descriptionis] factum est ? Quò nimirùm descriptio hæc ac professio sacratissimam Virginem opportunè in Bethleem emitteret, illic parituram, ut impleretur Prophetia, dicens : *Et tu, Bethleem, domus Ephrata, minima es, ut sis in principibus Juda ; ex te enim mihi egredietur, ut sit princeps in Israel* [1].

Bethleem ! Hæc est tanti Regis patria felicissima, ad quam, Serm. 1 in Vigil. Nativit., præclaram illam emisit apostrophen

S. BERNARDUS :

O Bethleem, *inquit*, parva, sed jàm magnificata à Domino, *etc.* [a].

SANCTUS HIERONYMUS,

in Michææ capite 5 :

Domus panis, inquit, dicitur Bethleem, propter panem vivum qui de cœlo descendit [2].

Micheæ quinto capite, Bethleem *Ephrata* nominatur : quod ibidem S. Hieronymus καρποφόρον, sive *frugiferam* ac *ferti-*

Tom. 1, Lib. 8, cap. 17, in hæc verba : « En tibi absque manibus, id est, hominum operâ, celsissimo ex monte, videlicet « Virgine Deiparâ, abscissum lapidem angularem Christum, « *qui*, ut Paulus ait, *fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14), ubi « primùm è monte abscissus est, ubi primùm è variis constantem metallis, id est, in superbum mundum, statuæ similem, « è variis compositum vitiis, impetum fecit, exemplique vi« ribus, aurum, argentum, opes, potentiam, honores, gloriam, « voluptatemque æquavit solo. »

[1] *Mich.* V, 2. — [2] *Joan.* VI, 51.

[a] Vide hunc Sermonem suprà, p. 127, n. 4, usquè ad hæc verba inclusivè : « Ubique psallitur, *etc.* »

lem interpretatur. Quod optimè illi convenit, ut quæ non frumenti solùm, vini, atque olei ferax sit, sed panem vivum de cœlo nobis præstitit, et vinum germinans virgines, oleumque lætitiæ atque exsultationis, quibus nutriuntur, recreantur foventurque omnes animæ sanctæ in vitam æternam : in cujus rei præsagium in Bethleem sub Christi Nativitatem (ut scribit Baronius in Apparatu) fons olei miraculosus scaturivit. De quo, Sermone de Nativitate, sic pulchrè

INCERTUS AUCTOR SUB NOMINE S. PETRI DAMIANI:

Pax inaudita à sæculo regnat, *inquit :* universus orbis ad censum, *etc.*[a].

6. *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.*

S. BERNARDUS,

Sermone 1 in Epiphaniam :

Postquàm enim, *inquit,* venit plenitudo temporis, venit et plenitudo divinitatis : venit in carne, ut et sic carnalibus exhiberetur, ut apparente humanitate benignitas agnosceretur. Ubi enim Dei innotescit humanitas, jàm benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quàm suscipiendo carnem meam? Quid tantoperè declararet ejus misericordiam, quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid tam pietate plenum, quàm quòd Verbum Dei propter nos fit fenum? Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò majorem exhibuit in bonitate; et quantò pro me vilior, tantò mihi charior est.

7. *Et peperit filium suum.*

S. AUGUSTINUS,

Eleganter et acutè, Sermone 13 de Nativitate, ait :

Dominus noster Jesus Christus, qui in æternum est cunctorum creator, hodiè de matre nascendo, *etc.*[b].

Filium primogenitum.

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Filium primogenitum, quia nimirum, qui ex sacratissimâ semperque Virgine Mariâ, cùm esset Deus verus, carnem assumpsit, Dominus noster Jesus Christus, carnis illâ assumptione frater noster effectus est; adeòque primogenitus appellatur, ut qui primatum teneat inter omnes fratres.

CYRILLUS.

Unigenitus quidem est, quatenùs Verbum est ex Patre, fratres secundùm naturam non habens, nec alteri cuiquam conjunctus, cùm sit unus ac solus Filius Dei; *primogenitus* verò per suam ad creaturas condescensionem. Quandò itaque *unigenitus* nominatur, hoc dicitur nullâ causâ assignatâ secundùm quam sit unigenitus, cùm absolutè *unigenitus Dei sit in sinu Patris*[1]. Cùm verò sacræ Scripturæ ipsum vocant *primogenitum*, statim subjungunt et quorum sit primogenitus, et causam propter quam hanc habeat denominationem. Aiunt enim quòd sit *primogenitus in multis fratribus*[2]; et, *primogenitus ex mortuis*[3]; illud quidem, in quantùm natus est similis nobis in omnibus absque peccato; hoc verò, in quantùm primus ipse carnem suam ad incorruptionem resuscitavit. Porrò *unigenitus* est secundùm naturam, quippè solus existens ex Patre, Deus ex Deo, lumen ex lumine resplendens; *primogenitus* verò propter nos, ut, cùm rerum conditarum primogenitus appelletur, per ipsum salventur quæ ipsi conjuncta sunt; cùm enim oporteat omninò ipsum esse primogenitum, maneant etiam necesse est illi quorum est primogenitus.

Et pannis eum involvit.

S. AUGUSTINUS

pulchrè hic, Sermone 9 de Nativitate, ait :

Occultatur in membris infantis potentia majestatis. Deus pendet ad ubera Genitricis. Pannorum, *etc.*[c].

Huic etiam loco accommodari possunt, quæ, Sermone 28 in Cantica, eleganter ad hæc verba : *Sicut pelles Salomonis*, scribit

S. BERNARDUS.

Agnosco pellem Salomonis : imò ipsum in pelle foris nigrâ Salomonem amplector. Habet et Salomon nigredinem; sed in pelle foris et in cute niger, non intùs; alioquin *omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs*[4]. Intùs divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas; sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, *et quasi absconditus vultus ejus et despectus*[5], *dùm tentatur per omnia pro similitudine absque peccato*[6]. Agnosco denigratæ formam naturæ, agnosco tunicas illas pelliceas, protoplastorum peccantium habitum. Deniquè semetipsum denigravit, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*[7]. Agnosco sub pelle hædi (qui peccatum significat), et manum quæ peccatum non fecit, et collum per quod mali cogitatio non transivit; ideòque *non est inventus dolus in ore ejus*[8]. Novi quòd sis levis naturâ, *mitis et humilis corde*[9], blandus aspectu, suavis spiritu, et quidem *unctus oleo lætitiæ præ participibus tuis*[10]. Undè ergò nunc instar Esaü pilosus et hispidus[11]? Undè ii pili? Mei sunt; nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris : meos agnosco hos pilos, *et in pelle meâ videbo Deum Salvatorem meum*[12]; non ta-

[1] *Joan.* I, 18. — [2] *Rom.* VIII, 29. — [3] *Coloss.* I, 18. — [4] *Psalm.* XLIV, 14. — [5] *Isai.* LIII, 3. — [6] *Hebr.* IV, 15. — [7] *Philipp.* II, 17. — [8] I *Petr.* II, 22. — [9] *Matth.* XI, 29. — [10] *Hebr.* I, 9. — [11] *Gen.* XXVII, 11. — [12] *Job,* XIX, 26.

[a] Infrà, inter Sermones de Nativitate, usquè ad hæc verba inclusivè : « *Oleum effusum nomen tuum.* »

[b] Infrà, inter eosdem Sermones, usquè ad hæc verba inclusivè : « Quem cœlum et terra benedicit, in præsepio angusto collocatur. »

[c] Infrà, inter eosdem Sermones, usquè ad hæc verba exclusivè : « Lacta, Maria, *etc.* »

men Rebecca sic illum induit, sed Maria, tantò digniorem qui benedictionem acciperet, quantò sanctior quæ peperit. Et benè in meo habitu, quia mihi benedictio vindicatur, mihi postulatur hæreditas, siquidem audierat : *Postula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*[1]. Quomodò dabis ei, si sua est? Et quomodò suam mones ut postulet? Mihi proindè postulat, qui meam ad hoc induit formam, ut suscipiat causam, quoniam *disciplina pacis nostræ super eum, et in eo posuit Dominus iniquitates omnium nostrûm*[2]: *undè debuit fratribus per omnia assimilari*, ut ait Apostolus, *ut misericors fieret*[3]: propterea *vox quidem, vox Jacob, manus autem, manus sunt Esaü*[4]. Suum est quod auditur ex eo : quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus et vita est : quod apparet, mortale et mors : aliud cernitur, et aliud creditur : nigrum sensus renuntiat, fides formosum probat : niger est, sed oculis insipientium; nam fidelium mentibus formosus valdè.

Et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Reclinavit eum in præsepio, tùm *quia non erat eis locus in diversorio*, ut ait sacer textus, tùm ut nos à brutali affectione genioque liberaret, brutis congruam vitam commutantes, hominesque decentem assumentes prudentiam.

CYRILLUS.

Reperit [Dominus] hominem factum bestialem : idcircò in præsepio tamquàm in loco pabuli ponitur, ut vitam brutalem mutantes, ad convenientem homini perducamur scientiam, et bestiali animâ ad propriam mensam præsepiumque accedentes, reperiamus non ampliùs fenum, sed panem cœlestem, vitæ corpus.

8. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Quia et priùs in Veteri Testamento per Prophetas, spirituales pastores, transmittebantur divina oracula, idcircò nunc quoque idipsum præstatur per pastores sensibiles; qui enim incorporeus erat, assumptà carne, per eam humano generi conspicuus apparuit. Ad hæc autem et quòd ii simplices essent; sectabantur enim veterum illam institutionem, operam ponentes suam atque intenti gregibus pascendis, velut olim Patriarchæ, atque adeò Moyses ipse.

9. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.*

S. BERNARDUS,

pulchrè, Sermone 3 de Nativitate :

Accedit, *inquit*, ad consolationem ipsa, quæ pastoribus vigilantibus exhibita est, visitatio et allocutio Angelorum. Væ vobis, divites, *etc.*[a].

Et, Sermone 5, indicans quibus Christi Nativitas solatio sit, ad illa verba, *Consolamini, consolamini, popule meus*, ait :

Utiquè populum humilem, quem salvum faciet. Nam *oculos superborum humiliabit*, etc.[b].

10. *Et dixit illis Angelus : Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.*

[S. BERNARDUS,

Serm. 2 de Vigiliâ Nativitatis, solis illud justis ac pœnitentibus dictum cupit, dicens :

Nolite timere, ô Juda et Jerusalem : nolite timere, veri confessores, qui non solùm ore, *etc.*[c].

11. *Quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.*

S. BERNARDUS,

qui uti ubiquè suavis, in mysterio tamen Incarnationis vel maximè mellifluus, Sermone 3 super *Missus*, iterùm eleganter, ait :

Magnificetur à nobis parvulus, magnus Dominus, qui ut faceret magnos, factus est parvulus. *Parvulus*, etc.[d].

ATHANASIUS,

Oratione 5 contra Arianos.

Dominus et Christus non sunt nomina substantiæ, sed dignitatis : illud quidem à potestate, hoc verò ab unctione. Neque Christus est diversus à Verbo, sed utrumque simul, Deus et homo. Verbum enim est unguentum; quod autem ab eo unctum est, est homo. Non sine hoc igitur solùm Christus vocabitur, sed in hoc nomine, quod unicum est, utriusque, humanitatis scilicet ac divinitatis, significatio declaratur. Ideòque homo Christus dicitur et Deus, cùm unus sit Christus.

DAMASCENUS,

Lib. 4 Fidei, cap. 6.

Non autem, ut quidam mentiuntur, ante Incarnationem ex Virgine mens est unita Verbo, et ex tunc vocatus Christus. Hoc enim commentum absurdum inter deliramenta recensetur Origenis, docentis animas præexstitisse corporibus. Nos autem Christum natum et appellatum dicimus Filium ac Verbum Dei, ex quo in utero B. Virginis commo-

[1] *Psalm.* II, 8. — [2] *Isai.* LIII, 5 *et* 6. — [3] *Hebr.* II, 17. — [4] *Gen.* XXVII, 22.

[a] Infrà, inter Sermones de Nativitate, usquè ad hanc phrasim inclusivè : « Si hunc tantillum vocis laborem, *etc.* »

[b] Infrà, inter eosdem Sermones, usquè ad hanc phrasim inclusivè : « Angeli quoque non alios consolantur; vigilantibus « enim, *etc.* »

[c] Vide hunc Sermonem suprà, p. 128, n. 1, usquè ad hanc phrasim exclusivè : « Deniquè hi tales, *etc.* »

[d] Infrà, inter Sermones de Nativitate, usquè ad hanc phrasim inclusivè : « O parvulus desideratus! O verè parvulus! Sed, *etc.* »

ratum et incommutabiliter caro factum est, caroque ejus inuncta divinitate (unguentum enim hæc est humanitatis), uti etiam sanctus scribit Cyrillus, Epist. ad Theodosium. « Ego enim, *inquit*, neque « Verbum Dei sine humanitate, neque templum « ex muliere natum, et Verbo non unitum, Christum « Jesum nominandum dixero ; Verbum enim Dei, « quatenùs per dispensativam quamdam unionem « humanitati modo inexplicabili unitum est, vo- « catur Christus. Postquàm enim unctus fuit oleo « lætitiæ, hoc est, Spiritu sancto, à Deo et Patre, « exindè Christus appellatur. »

EUSEBIUS.

Nam nomen Christus apud Hebræos sacerdotium simul et regnum significat.

LACTANTIUS,

Lib. 4 de verâ sapientiâ, cap. 7, hæc etiam docet, sic scribens :

Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni; sic enim Judæi reges suos appellabant. Sed exponenda hujus nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui eum immutatâ litterâ Christum solent dicere. Erat Judæis antè præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent ii qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ; sic illis unctio sacri unguenti, nomen ac potestatem regiam conferebat. Verùm quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant *ungi*, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus versus ille :

Αὐτοὺς δὲ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ·

ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est, *unctum*, qui Hebraicè *Messias* dicitur. Undè in quibusdam græcis scripturis, quæ malè de Hebraicis interpretatæ sunt, ἠλειμμένος, id est, *ungendo curatus*, scriptum invenitur ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen utrolibet nomine rex significatur, non quòd ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cujus capiendi nondùm tempus advenit, sed quòd cœleste ac sempiternum.

Moraliter, huic Christi nomini accommodari possunt, quæ Origenes scribit, Homil. 1 in Cantica, explicans illud : *Unguentum effusum*, vel *exinanitum*, ut ipse legit, *nomen tuum : ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis :* sic ait :

Hæc verba in personâ sponsi de Christo Domino intelliguntur, quòd in adventu ejus impletum est, ut nomen ejus ità per orbem terræ et per universum mundum diffunderetur, ut fieret odor suavitatis in omni loco, sicut et Apostolus dixit : *Quia Christi bonus odor sumus in omni loco ; aliis quidem odor ex morte in mortem; aliis autem odor de vitâ in vitam*[1]. Si enim omnibus fuisset odor vitæ in vitam, dixisset utiquè et hìc : *Omnes dilexerunt te, et traxerunt te ;* sed nunc ait : *Ubi nomen tuum est factum exinanitum, dilexerunt te*, non illæ vetulæ ac veterem hominem indutæ animæ, neque rugas habentes, neque maculas, sed *adolescentulæ*[2], in augmento scilicet ætatis et pulchritudinis positæ animæ, quæ semper innovantur, et de die in diem renovantur, novum se hominem induentes, qui secundùm Deum creatus est[3]. Propter istas ergò adolescentulas, et in augmentis vitæ et profectibus positas, exinanivit se ille qui erat in formâ Dei, ut fieret in unguentum exinanitum nomen ejus : ut non jàm inaccessam lucem tantummodò habitaret, et in formâ Dei permaneret, sed Verbum caro fieret, quò possent istæ adolescentulæ, et in augmentis profectuum positæ animæ, non solùm diligere, sed et trahere eum ad se. Trahit enim unaquæque anima et assumit ad se Verbum Dei pro capacitatis suæ mensurâ. Cùm autem traxerint ad se animæ Verbum Dei, et sensibus suis atque intellectibus inseruerint, et dulcedinis ejus et odoris senserint suavitatem, ubi unguentorum ejus fragantiam cœperint invenire, dumtaxat adventûs ejus, et redemptionis, ac passionis causas charitatemque agnoverint, quâ pro salute omnium, usquè ad mortem crucis, immortalis accessit, et in his omnibus velut divini cujusdam et ineffabilis unguenti odoribus invitatæ adolescentulæ, id est, animæ plenæ vigoris atque alacritatis effectæ, currunt post ipsum, atque ad odorem suavitatis ejus non lento gradu, nec tardis passibus, sed rapido cursu et totâ properatione festinant, sicut et ille qui dicebat : *Sic curro ut comprehendam*[4].

12. *Et hoc vobis signum.*

S. BERNARDUS,

Sermone 2 in Cantica :

Felices, *inquit*, illi in suâ pernoctatione pastores, qui signi hujus visione digni habiti sunt. Jàm tunc se abscondebat à sapientibus et prudentibus, et revelabat parvulis[5]. Et Herodes videre voluit; sed quia non bonâ voluntate, non meruit, pacis siquidem signum erat datum tantùm hominibus bonæ voluntatis; Herodi verò et similibus ejus, non dabitur nisi signum Jonæ Prophetæ[6]. Porrò ad pastores : *Et hoc*, ait Angelus, *vobis signum*, vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta sapientibus, vobis vigilantibus, et in lege Dei meditantibus die ac nocte, *hoc*, inquit, *vobis signum*. Quod? Quod Angeli promittebant, quod populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, hoc fecit Dominus nunc, et ostendit vobis : in quo recipiant increduli fidem, pusillanimes spem, perfecti securitatem. *Hoc* ergò *vobis signum*. Cujus rei signum? Indulgentiæ, gratiæ, pacis, et pacis cujus non erit finis, *etc.*

[1] II *Cor.* II, 15 *et* 16. — [2] *Cant.* I, 2. — [3] *Ephes.* IV, 23 *et* 24. — [4] I *Cor.* IX, 26. — [5] *Matth.* XI, 25. — [6] *Id.* XVI, 4.

Invenietis infantem.

EUCHERIUS,

ad hunc locum :

Quantùm ad litteram, *inquit*, ea causa esse videtur, ut priùs pastoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, et in præsepe adire tentarent, in quo puer positus erat. Spiritualiter autem, stabulum, Ecclesia; pastores verò, Episcopi et Doctores intelliguntur. Stabulum enim vocatur Ecclesia, ad quam Dei animalia undiquè fluunt, ibique stant, et morantur in eà. Hæc autem animalia, quasi in præsepio, in divinà Scripturà cibis spiritualibus nutriuntur. Ibi positum inveniunt Christum, ibique comedunt panem vivum. Beati qui hujus præsepis cibis aluntur, et de deliciis ibi positis reficiuntur! Vos autem Ecclesiæ Pastores, vos Episcopi et Sacerdotes, audite et intelligite : vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum evangelizat, quia *vobis datum est nosse mysterium regni Dei*[1] : vobis datum est nosse et intelligere secreta cœli. Nuntiate ergò quod audistis : prædicate quod vidistis : nolite celare quod cognovistis. Totiès enim Christus in stabulo oritur, totiès ut parvulus in præsepio ponitur, quotiès Virginis partum et Christi Nativitatem aliis nuntiatis. Indè enim hodierna festivitas, Nativitas Domini vocatur, non quòd Dominus iterùm de Virgine oriatur, sed quòd hodiè Dominus nascatur, non quòd ejus Nativitatis memoria hodiè innovatur, et in illius commemoratione celebratur et prædicatur.

Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.

Mira profectò res est, quòd Angelus Dei nuntius pro signo det pastoribus illos inventuros infantem pannis involutum, et in præsepio collatum! Quis mortalium de Deo id intelligere aut credere potuisset? Verè nunc Dei Patris Verbum, quod virtute suà cœlum terramque continet, abbreviatum dici potest, uti pulchrè, Sermone 1 de Nativitate, ait

S. BERNARDUS.

Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram. Vultis nosse quàm longum, *etc.*[a].

13. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium.*

S. BERNARDUS,

Sermone 2 de Epiphaniâ, hos Angelos sic alloquitur et invitat ad salutandum in carne Regem suum :

Egredimini, *inquit*, virtutes angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce Rex vester, sed in coronà nostrà, in diademate quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usquè modò caruistis, hanc hactenùs dulcedinem non gustàstis. Habetis sublimitatem ejus; sed humilitatem ejus non vidistis. Egredimini igitur, et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verumtamen non est opus illis nostrà exhortatione, quoniam ipsi sunt qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quantò sublimitas notior, tantò humilitas pretiosior et amabilior est. Ipsi nos præveniunt, ipsi nos exhortantur. Probat hoc Angelus qui gaudium magnum evangelizat pastoribus, et quæ cum eo facta est multitudo militiæ cœlestis exercitûs. Vobis ergò dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ, filiæ, non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi : *Egredimini, filiæ Sion :* egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terrà vestrà, et de cognatione vestrà, et de domo patris vestri, et videte Regem Salomonem. Egredimini igitur, et videte regem Salomonem; nam ubique Rex est. Licèt enim regnum ejus non sit de hoc mundo, tamen Rex est etiam in hoc mundo. *Egredimini* proindè, *filiæ Sion, et videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*[2]. Coronat eum Pater coronà gloriæ, sicut Psalmus ait : *Glorià et honore coronasti eum*[3]. Videte eum, filiæ Sion, in diademate quo coronavit eum mater sua. Suscipite coronam parvuli, propter vos Regis vestri. Agamus gratias redemptori et mediatori nostro, per quem nobis innotuit tàm bona erga nos voluntas Dei Patris.

14. *Gloria in excelsis Deo, et in terrà pax hominibus bonæ voluntatis.*

ATHANASIUS.

Angeli lætantur, pastores luce perstringuntur, Angelicum exercitum videntes, et canentes hymnos audientes, et Bethleem, quæ *domus panis* interpretatur, ferventer custodiunt, præfigurantes Ecclesiæ pastores ac sacerdotes, quorum munus est cœlestem panem quærere, Agnum, inquam, Dei, qui quotidiè mysticè immolatur.

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Quod multitudo cœlestis militiæ, claro laudis præconio, prædicat : *Gloria in altissimis Deo, et in terrà pax hominibus bonæ voluntatis*, hoc indicat Deum, qui degentium in altissimis erat gloria, nunc demùm illorum effectum pacem, qui in terris habitant. Ille namque pax nobis factus, ac bona voluntas, gregem unum utrosque ostendit, tùm nimirùm cœlites, tùm terricolas. Et quidem Angeli, omnesque cœlestes Virtutes, modò tantùm desertrices illas excipias, in jugi cum Deo pace perstiterant, ejus implentes mandata, cùm nos interim peccatum Deo fecisset inimicos. Quia ergò Dominus noster ac Deus Jesus Christus inimicitias solvit, juxta quod ait Apostolus : *Ipse enim est pax nostra*[4], meritò Angeli hujusce pacis conciliatorem laudant.

[1] *Marc.* IV, 11. — [2] *Cant.* III, 11. — [3] *Psal.* VIII, 6. — [4] *Eph.* II, 14.
[a] Infrà, inter Sermones Nativitatis, usquè ad hæc verba inclusivè : « Intolerabilis impudentiæ est, ut ubi se exinanivit « majestas, *etc.* »

S. AMBROSIUS,

Sermone 5, pulchrè hìc ait :

Digna planè et justa sententia, quæ in Nativitate Christi, et Deo honorem repræsentat in cœlis, et hominibus pacem præsentat in terris. Ante Salvatoris enim ortum nec cœlestia reverentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant. Sed videte quid dicat ipsa sententia : *Pax in hominibus bonæ voluntatis*, non in quibuscumque hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus, ut intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti.

S. GREGORIUS,

Homiliâ 8 in Evangelia.

Priùs quippè quàm Redemptor noster per carnem nasceretur, discordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate atque munditiâ per primæ culpæ meritum et per quotidiana delicta longè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant Angeli, cives Dei; sed quia nos cognovimus Regem nostrum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Quia enim Rex cœli terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa jàm Angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram Angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, et quos priùs infirmos abjectosque despexerant, jàm ut socios venerantur.

CHRYSOSTOMUS,

super illud Psalmi LXXI, 7 : *Et abundantia pacis, donec auferatur luna.*

Quantam enim abundantiam pacis nunc videmus, ut caro, quæ concupiscit adversus spiritum, subjugetur, et subjugati sint affectus carnales spiritui ! *Sit abundantia pacis, donec tollatur luna.* Habemus aliam pacem abundantem in nobis, charitatem, quam hæreditariam donavit nobis, dicens : *Pacem meam do vobis* [1]. Hæc est *abundantia pacis.* Sed quamdiù? Donec *tollatur luna*, id est, finiatur omnis prædicatio Ecclesiæ ; Ecclesia enim dicitur, quæ crescit in Sanctis, decrescit in peccatoribus.

EJUSDEM EVANGELII EXPOSITIO

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI.

ORIGENES PRESBYTER [a].

NUMERUS UNICUS. Christus nascens cur in censum relatus?

1. *Factum est autem in diebus illis, exivit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur omnis orbis. Hæc fuit descriptio prima à præside Syriæ Cyrino.* Dicat aliquis : O evangelica narratio, quoniam prima descriptio universi orbis sub Cæsare Augusto fuerit, et inter omnes etiam Joseph cum Mariâ desponsatâ sibi atque prægnante nomen retulerit in censum, ac priusquàm descriptio compleretur, ortus fuerit Jesus! Diligenter intuenti sacramentum quoddam videtur significare, quòd in totius orbis professione describi oportuerit et Christum, ut, cum omnibus scriptus, sanctificaret omnes, et cum orbe relatus in censum, communionem suî præberet orbi, ut post hanc descriptionem, describeret quosque ex orbe secum in Libro viventium; ut quicumque credidissent in eo, posteà cum sanctis illius scriberentur in cœlis : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Joan.* XIV, 27.

[a] Edit. Caroli et Vincentii De la Rue (Paris. 1733-59), ubi hæc Homiliæ est finis Homilia 11. Quæ etiam reperitur in Operibus S. Hieronymi (edit. Dom. Vallarsii, Veronæ 1766-72), ubi, sicut in Operibus Origenis inscribitur : « De eo quod scriptum est : *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu*, usquè ad eum locum ubi ait : *Hæc est descriptio prima, quæ facta est sub præside Syriæ Cyrino.* »

S. ATHANASIUS, ARCHIEPISCOPUS ALEXANDRINUS,

ET ECCLESIÆ DOCTOR[a].

MONITUM.

Hunc Sermonem Athanasii esse putavit Lucas Holstenius, qui ineptissimum illum dialogum inter Josephum et beatam Virginem qui Num. 5 legitur, interpolatoris alicujus audaciâ additum fuisse suspicatur: cujus opinioni suffragari fortè videantur Lipomanus et Surius, qui hunc Sermonem in vitis Sanctorum, omisso dialogo, ediderunt. Hanc autem Holstenii opinionem impugnant editores Maurini, quorum hæc sunt verba : « Cùm dialogus ille in Manuscriptis omnibus quæ inspicere licuit compareat, arbitramur ab « ipso Surio et Lipomano, utpotè ridiculum, resectum fuisse. Etiamsi porrò hic dialogus adscititius esset, « multa alia superessent νοθείας signa. Primùm enim multùm abhorret hoc opusculum ab Athanasii illâ « gravitate et styli ἐνεργεία. Secundò multa, pro opusculi brevitate, insueta vocabula hîc exstant. Item, « Num. 6, postquàm dictum fuit stabulum Bethleemiticum typum gerere Ecclesiæ, paucis interjectis, « hæc leguntur : *Thronus Virgo, crateres mammæ, vestis sacerdotalis Incarnatio, flabella Cherubim, discus Spiritus sanctus, Pater disci operculum* : quæ nugatoria esse nemo non fateatur; « quis enim ferat Spiritum *disco*, Patrem *disci operculo* conferri, ubi Angeli sacerdotum, pastores diaconorum officio funguntur, ut ibidem dicitur. His de causis Homiliam istam censemus Athanasio abjudicatam oportere. » Utram libuerit sententiam, lector amplectatur.

Num. 1. Si exiguæ sunt Nativitatis Christi circumstantiæ, ea quæ in his proponuntur mystica sunt. — 2. Miranda in Christo nascente mysteria. — 3. Ratio horum mysteriorum. — 4. Ordinis perturbatio ex multiplici principatu ante Christum. Romani imperii institutio ad divini imperii normam. — 5. Censu romano compressa Judæorum sævitia. — 6. Spelunca Christi Nativitatis, Ecclesia. — 7. Materna ergà filium suum Mariæ officia. — 8. Mariæ perpetua virginitas. — 9. Incomparabili modo primogenitus est Mariæ Jesus.

1. Quemadmodùm operarii auriferæ terræ metalla effodienda nacti, cùm in venam incidunt quæsiti auri ramenta exhibentem, illìc operam ponunt suam, illìc effodiunt, utpotè viâ ibi ad lucrum commonstratâ, non retrò cedunt, nec antè sedem commutant quàm propositæ rei latibulum deprehendant, eâdem prorsùs ratione nos Ecclesiastici operis distributores, Lucam Evangelistam præ manibus habentes, ut Dominicum virginei partûs thesaurum contemplemur, non antè finem perquirendi faciamus quàm propositas diligenter colligamus divitias. Quamobrem ordine Evangelistæ vestigia indagabimus, ne quidpiam lucro faciendo idoneum omittamus; etiamsi enim verba principio exigua videantur, at magna gratiæ mysteria. Nemo sermonem fastidiat, quasi parvi momenti lectionem audierit; nam si spectetur nati Domini potestas, exigua et perquàm exigua sunt quæ modò lecta sunt, panni scilicet, præsepe, incommodus locus; et hæc quidem exigua sunt; quæ autem in hisce proponuntur, mystica sunt, nempè uterus inenarrabilis, sinus incomprehensibilis, ubera sanctè radicata, lac insolito fluens modo, mamilla à naturali ordine aliena, Mater Domini censu descripta, Joseph sponsus nomine, nec re consortio fruens.

2. Audisti modò Lucam Evangelistam dicentem : *In diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, etc. Videtisne quàm exigua verba, quàm magna mysteria? Dominus in utero gestatur, et prima descriptio edicitur. Qui universam creaturam descriptam habet, quique discipulis suis ait : *Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* [1], in parvis Romanorum Codicibus matrem suam describi concessit. Quis non loquatur? Quis non miretur humilem Domini attemperationem? Sursùm liber, deorsùm censu descriptus : sursùm Filius, deorsùm servus: sursùm Rex, deorsùm mercenarius : sursùm dives, deorsùm egenus: sursùm adoratur, deorsùm tributum solvit: sursùm divinus thronus, deorsùm spelunca rustica: sursùm paternus et incomprehensibilis sinus, deorsùm stabulum parvum et præsepe. Quis non mirabitur magnas sursùm res, et viles deorsùm pannos? Qui solvit, ligatur : qui nutrit, enutritur : incomprehensibilis, puer apparet : qui fontes scaturire facit, ubera mutuatur : qui omnia gestat, inexplicabili modo gestatur : qui nusquàm non est, in certo loco incircumscriptè circumscribitur.

3. O res stupendas! Elisabeth in concinnâ ædiculâ parit, et Virgo in parvâ gignit speluncâ : Joannes in lecto, Dominus in præsepio. Non sine causâ Dominus ex Virgine natus : non sine causâ

[1] *Luc.* x, 20.

[a] Edit. Jac. Lopini et Bern. de Montfaucon (Paris. 1698) ubi Sermo iste inscribitur : « In censum sive descriptionem S. Mariæ, et in Josephum. »

pannis involutus est, nec sine causâ mamillam suxit : non sine causâ in præsepio reclinatus est, nec sine causâ Augusti descriptione accitus est : omnia ex certâ causâ et ratione, etsi occultâ, peracta sunt. Ex Virgine nascitur, ut primum hominem Adam, ex limo virginis terræ formatum, reformet. Pannis involvitur, ut peccatorum nostrorum nexus solvat, vincula vinculis solvens, juxta dictum illud : *Unusquisque enim vinculis peccatorum suorum constringitur*[1]. Mamillam suxit, ut gratiæ lac, quod ex latere ejus effluxit, scaturiret ; nihil enim aliud lac est, nisi sanguis albescens : in præsepio reclinatus est, ut humanum genus brutorum more desipiens corrigeret, duorumque animalium esca fieret. Quorum duo animalium ? Ethnici Judaicique populi, de quibus scriptum est : *In medio duorum animalium cognosceris* [2]. Descriptionem sub Augusto Cæsare admisit, ut inconditum orbis statum componeret ; ipsa quippè descriptio probi in orbe futuri ordinis pignus fuit.

4. Et quòd vera hæc sint, paucis percipe. Antequàm Dominus homo fieret, hominum genus magna tyrannis occupabat, nullâ ratione terra gubernabatur, regia dignitas ludibrio erat, apud homines multos ingens regum turba exoriebatur : si cui erant centum circiter homines subditi, regium is sibi habitum continuò usurpabat. Talis erat hominum pugna, cùm certorum locorum principatus ambirent, nec ex loco transirent in alium, nisi quandoquè sibi mutuò bellum inferrent. Cùm diutiùs ejusmodi confusio perseveraret, ubi primùm Dominus in terrâ virgineum occupavit palatium, permultos illos abstulit principatus, ac monarchiam instituit, ubi Romanorum imperium omnes obtinere decrevit, ad cœlestis scilicet imperii normam. Quemadmodùm enim unum in cœlo Dei regnum obtinet, omnesque Angeli voluntati ejus subjiciuntur, dæmonibus barbarorum more imperium detrectantibus ; eâdem ratione et in terrâ, licèt permultæ sint indomitæ gentes, unum tamen Romanorum imperium obtinet. Probi igitur hujusce ordinis constituendi causâ, primam sub Augusto descriptionem Rex in utero gestatus edici mandavit : undè et se ipse in Romani imperii censu describi permisit ad confirmationem statutarum legum. Tùm enim regis lex obtinet, cùm prior ipse quam tulit, legem implet. Nam qui legem ponit, nec implet, is legis abrogator est potiùs quàm legislator. Boni igitur hujusmodi ordinis ponendi causâ, prima sub Augusto descriptio facta est, ut et legis cultus auferretur, et Judæorum natio cohiberetur, ut ne perversis Judæis, si suo jure viverent, liceret innoxios occidere, sed necessitatis jugo legibus parerent.

[1] *Prov.* V, 22.— [2] *Habac.* III, 2.— [3] *Luc.* XXIII, 15.— [4] *Joan.* XIX, 12.— [5] *Ibid.* 15.— [6] *Joan.* XIX, 15. — [7] *Jerem.* XXXVIII, 15.

5. Necessaria itaque fuit suprà dicta sub Augusto descriptio. Ipsa quippè descriptio Judæorum populum depressit, Christianorum contrà genus exaltavit, Judæis, Romani metu imperii, non audentibus priore suo uti furore. Quapropter post eam descriptionem, cùm Dominum comprehendissent, et morti tradere festinarent, non ausi sunt arbitratu suo agere, sicut olim cum Prophetis quos cæco impetu dilaniârunt ; sed Pilato coram sisterunt tùm Romanorum præsidi, exacturo ut coram se accusaretur ; idque ut pro dictis ejus pœnas exposcerent, et artificio consensum ejus obtinerent. Quamobrem Pilatus, utpotè Romanorum præses, ut Judæos vidit caninâ linguâ Domini necem postulantes, gnarus eos præ invidiâ tradidisse illum, interrogabat Judæos hisce verbis, ut probè nôstis omnes, *nihil morte dignum invenio in hoc homine*[3]*:* O Judæi, quid Romanorum imperium polluere conamini, petulanter justum capientes, et insontem sontem esse volentes? *Nihil morte dignum invenio in hoc homine.* Barabbas ergò occidatur, Christus autem dimittatur ; quia ille quidem homicida et seditiosus, hic verò beneficus et vitæ largitor, quandoquidem hanc adversus illum accusationem adornâstis. Verùm cùm ne hâc quidem ratione assentirentur Judæi, sed Cæsaris inimicum Pilatum proclamarent, Pilatoque Christi patrocinium suscipienti in faciem dicerent : *Non es amicus Cæsaris* [4], siquidem velis eum vivere qui se regem dicit ; at ne ità quidem Judæis concessit Pilatus, ut quidvis proprio agerent arbitrio. Si namque concessisset illis, Judæi Dominum lapidibus interemissent, aut serrâ ligneâ [a] dissecuissent. Quòd si factum fuisset, nos crucis jacturam fecissemus ; nam apud Romanos supplicium, crucis erat lignum. Quamobrem interrogat Judæos Pilatus : *Quid vultis faciam de Jesu, qui dicitur Christus* [5]*?* At illi Romanorum instituto confisi, clamârunt : *Tolle, tolle, crucifige eum* [6]*;* et confestim Pilatus annuit ; desuper enim nutum hunc acceperat. Ob eum igitur probum ordinem prima sub Augusto Cæsare descriptio edicta fuit ; nisi enim edicta fuisset, nequaquàm Domini corpus perfectæ sepulturæ traditum fuisset ; futurum enim erat ut Judæi, præ nimio furore, corpus Domini aut in ignem conjicerent, aut in mare demergerent. Si enim amicum sibi Jeremiam [7] in lacum cœni demiserunt, quid facturi erant in Domini corpus, nisi se cohibentem reperissent Romanorum legem ? Quarè cùm Judæis minimè concederetur à Pilato ut corpus Domini acciperent, Joseph ab Arimathæâ, amicus Pilati, adiens illum, petiit ab eo corpus Domini, allato pro eâ re ingenti pretio. Necessaria itaque fuit descriptio sub Augusto Cæsare facta ; tametsi enim sponsus Virginis mœrore affe-

[a] Sic sectum Isaiam traditio est.

ctus est, attamen mundus universus præstantioris ordinis initium accepit. Quid illud est : Sponsus Virginis mœrore affectus est? Paucis ausculta. Cùm Joseph, Virginis sponsus, ut modò audisti, propter Augusti censum in Bethleem concessit *cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante*, ignorabat Joseph mysterium in Virgine abditum ; necdùm Angeli oraculum acceperat[a] : at Virgo, tùm ex verbis, tùm ex uteri tumore, certò sciebat quid gestum esset ; quantò enim magis uterus intumescebat, tantò securiorem Virgo vitam degebat, unà virginitatem servans intemeratam, fetumque gestans citra vel minimam molestiam ; nec tantùm illo gravata, quantùm levata. Horum causâ anxius Joseph, cùm videret eam uterum gestare, ignoraretque intùs reconditum thesaurum, mœrore affectus, Virginem in viâ objurgavit hisce verbis[b] : Quid tibi videtur, ô Maria? Nonne tu es quæ, ut verecunda virgo, in Templi septo es educata? Nonne tu es, ô Maria, quæ viri aspectum non sustinebas? Nonne tu es, ô Maria, quæ contra propositum tuum me in sponsum admisisti? Nonne tu es, ô Maria, quæ virginitatis rosam immarcescibilem servare peroptabas? Nonne tu es, ô Maria, quæ Susannam diligebas, Ægyptiam oderas? Nonne tu es, ô Maria, quæ vi stupratam Thamar sæpè legebas, et impudicum Amnonem exsecrabare? Quorsùm abiit ille continentiæ tuæ thalamus? Quorsùm ille castitatis immaculatus thorus? Quorsùm verecundus ille vultus? Ego pudore afficior, tu confidenter agis? Quia peccatum sileo tuum, tu propiùs accedere festinas? Non vides alvi tuæ tumorem? Intus infans palpitat, et tu, quasi nihil experta, hilaris es? Abi, Maria, remigra in domum tuam : quære pudicitiæ tuæ furem : cum illo describare. Ego contumeliam illam non admitto, nullam ad pœnam deprecandam invenies excusationem. Tùm Virgo ad Josephum : Quid indignaris, mi sponse? Quid me ut impudicam damnas? Quid contumeliosis oculis uteri mei tumorem conspicis? Quid me ad erubescendum cogis? Gloria sum mulierum : à priore illas turpitudine emergere feci : Evam revocavi : igneum transtuli gladium ; et tu me jubes occultari! Nemo pœnas à me reposcere poterit, quæ communem omnium gesto Dominum. Si de meipsâ testimonium feram, inanis gloriæ cupida deprehendor. Paululùm exspecta, Joseph, tibique pastores vera persuadebunt : te Magi certiorem facient : stella pudore afficiet : Angeli ad compunctionem excitabunt. Jàm dubitas : paulò pòst gloriam dabis, ubi cœlestem exercitum audies cum concentu clamantem : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax, in hominibus beneplacitum*. Tùm genua flectes, nec perquires. Annon transitum nostrum consideras, ô Joseph, quòd scilicet vir nullus nobis sit comes itineris? Non vides solem splendidiore amictum veste? Non vides universam creaturam exsultantem? Non vides montes saltare? Non vides colles lætari? Non vides aquarum alveos exundare? Non vides Jordanem extra ripam effluentem? Ex signis rem conjice significatam, nec ambigas, ô Joseph, quòd me prægnantem cernas. Meipsam mutuò dedi, nec polluta sum : uterum commodavi, nec virginitatem temeravi. Ne propositis rebus fidem abneges, ô Joseph : cùm obstetrice usa fuero[c], tùm quæ sim exploratum erit : jàm probris afficior, tùm beata prædicabor : nunc ut ream ambigis, tunc ut sanctam propè adesse rogabis. Ne glorieris quòd me custodire videaris ; ego namque te custodio. Nam qui uterum meum in tabernaculum sibi apparare dignatus est, is est totius naturæ custos. Pergamus ergò et describamur, ut et militaris lex, et imperatorium edictum impleatur. His pudefactus Joseph, duplici deinceps viâ incedebat, pedibus quidem terram vestigio calcans, cogitationibus autem nubes supergressus. Quid enim aliud agendum Josepho restabat, quàm ut sursùm mente degeret, quandoquidem omne donum perfectum desuper datum est? Quamobrem deinceps Joseph unà Virgini comes et adjutor erat, atque futurarum spectator rerum ; non quòd Virgini adjutore esset opus, nedùm ei qui in Virgine gestabatur, quique omnium auxiliator erat et est, et ad quem exclamat ille qui ità vociferatur : *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum et terram*[1] ; sed quòd necesse esset, ad œconomiæ illius negotium, adjutorem Joseph esse, ut Virgo conjux reputaretur, ut diabolo lateret quod agebatur, neque rem gestam ille edisceret, quâ ratione scilicet Deus cum hominibus conversari dignatus sit.

6. Quid igitur Lucas Evangelista? Nam operæ pretium est videre et domicilium in quo peperit Virgo, quod Ecclesiæ typum gerit[d] : ubi altare est præsepe : qui vice suâ ministrat, Joseph : diaconi, pastores : sacerdotes, Angeli : summus sacerdos, Dominus : thronus, Virgo : crateres, mammæ : vestis sacerdotalis, Incarnatio : flabella, Cherubim : discus, Spiritus sanctus ; Pater autem disci operculum. Quòd autem Ecclesiæ typum præfiguraret locus in quo Virgo Dominum peperit, audîsti jamjàm

[1] *Psalm.* CXX, 2.

[a] Animadverte hîc errorem ; nam anteà, id est, in somno Josepho immisso, eum Angelus docuerat de Spiritu sancto esse quod in Mariâ natum est.

[b] Piâ aure audiendi istius modi dialogismi, in quibus haud facilè decorum servetur.

[c] Sumptum ex Protevangelio Jacobi, ex quo perindè Zeno, Andreas Cretensis, etc., obstetrices hausere.

[d] Comparatio speluncæ Bethleemiticæ et Ecclesiæ prolixè à sancto Germano ἐν τῇ μουσικῇ θεωρίᾳ pertractatur : in eâ tamen id proprium Athanasii est, quòd Josephum ἐφημερευτὴν appellat, voce hactenùs nullibi lectâ ; alludit autem ad ἐφημερίας, sive vices sacerdotum Leviticorum, quarum et B. Lucas, cap. 1, meminit.

Evangelistam Lucam dicentem : *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.*

7. O res admirabiles! Papæ, quàm exigua verba! quàm magna mysteria! *Factum est, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.* O rem stupendam! Conditor temporum definitum tempus exspectat! Qui terminum tempori constituit, statutum mensium spatium exspectavit, ut nemo phantasiam aut speciem tantùm illud esse existimaret : *Factum est, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio.* Perpende mysticum Virginis partum : ipsa peperit, ipsa pannis involvit. Inter feminas hujus sæculi, alia parit, alia pannis involvit : apud Virginem, non item : ipsa peperit, ipsa pannis involvit: ipsa, infatigabilis mater, ipsa obstetrix sine magistrâ [a], non permisit quemquam impuris manibus partum intemeratum contingere : ipsa per sese curavit eum qui ex se, et ante se, et propter se natus erat : *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.*

8. Vides, ô dilecte, quomodò Ecclesiæ typum nobis jàm antè depinxerit vile illud diversorium, ubi Virgo illa peperit quæ semel uterum gestavit, nec secundâ vice genuit, nec contumeliæ notam sustinuit, licèt insani quidam, quòd audierint Lucam Evangelistam sic loquentem : *Et peperit filium suum primogenitum,* secundam fuisse Virginis conceptionem docuerint, incorruptionem in corruptionem transmutantes, in suis dogmatibus ità loquentes : Nequaquàm primogenitus dictus fuerit, nisi subsequatur alter. Adversarii autem nostri, non modò Lucam suæ pravitatis producunt testem; sed etiam Evangelistam Matthæum qui ea ipsa enarret, et apertiùs adhuc affirmet; atque ejus voces impii illi proferunt, in scriptis suis ea loquentes quæ Joseph in visione accepisse scribitur, Matthæo Evangelistâ dicente : *Apparuit autem Angelus Domini in somnis Joseph, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, ex Spiritu sancto est. Surgens autem Joseph,* ait, *accepit Mariam conjugem suam; et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum* [1]. Simili modo adversarii, has voces mutuantur, ut gloriosam Virginem secundò peperisse doceant. Sed apage absurditatem : immaculatum prorsùs permansit, hoc virginale et gloriosum cimelium : nequaquàm pollutum fuit secundum cœlum : nequaquàm profanatum fuit vas illud, quod Deum altissimum continuit. Dominus primogenitus ex Virgine audivit [b], ac probè audivit, non quòd secundum ex eodem genere acciverit; sed quia primogenitus, id est, incomparabilis erat. Neque enim quia beatus Paulus de æternâ Domini ex Patre generatione ait : *Qui est primogenitus omnis creaturæ* [2], naturalem statim Domini fratrem conscripsit : neque rursùm ipse Paulus, cùm ipsum Dominum *primogenitum ex mortuis* [3] vocavit, statim alium Domino similem induxit, qui pari modo infernum conculcaverit.

9. Quamobrem prudenter audi, ac piè credito. Primogenitus est filius ex mortuis, ex Patre et ex Virgine, ut per omnia unica filiationis dignitas agnosceretur. Incomparabilis autem est Dominica proles ; nam ubi Mater Virgo, quânam ratione proles explicatur? Similiter, quòd Evangelista Matthæus de Josepho dicat : *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Non planè cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Donec uterum Virgo gestabat, non cognoscebat eam Joseph, nec sciebat quid in illâ esset : ignorabat quid negotii gereretur, ignorabat quid appararetur ; atque tunc solùm cognovit, cùm illa peperit [c]: tunc agnovit Joseph quænam Virginis esset virtus, et quid Deus facere dignatus esset : tunc novit eam ubera dedisse, nec in venâ suâ rapinam sustinuisse : tunc novit eam peperisse, et quæ ad partum attinent non novisse : tunc scivit mamillam à præruptâ petrâ spirituali petræ datam fuisse : tunc novit Joseph de illâ Isaiam scripsisse : *Ecce Virgo concipiet* [4]. Incomparabili itaque modo primogenitus est Jesus. Quòd si in rei veritate loqui oporteat, ipse Dominus et unigenitus ex Patre (solus namque ex solo, sine principio natus est), idem Dominus et unigenitus et primogenitus: unigenitus ex Patre, unigenitus ex Matre, propter œconomiæ decretum. Habet enim multos fratres, non naturâ, sed gratiâ, et in Virgine et in Patre. Simili quoque modo in Resurrectione fratres habet Dominus. Ecquinam illi? Ante omnes, sancti Apostoli, quibus Dominus dicit : *Vado ad Patrem meum, et Patrem vestrum* [5]*:* quibus Dominus ait : *Vos autem, cùm oratis, dicite : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum* [6], in Christo Jesu Domino nostro : cui gloria et imperium nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Matth.* I, 20, 24 et 25. — [2] *Coloss.* I, 15. — [3] *Ibid.* 18. — [4] *Isai.* VII, 14. — [5] *Matth.* VI, 9. — [6] *Joan* XX, 17.

[a] Quod probare videtur Holstenii sententiam, suspicantis suprà dictum dialogum « interpolatoris alicujus audaciâ additum fuisse, » siquidem in isto dialogo asseritur quod hic negatur, quoad obstetricem, quæ hic est B. Virgo, et suprà, alia fuisset.

[b] *Audivit* hic eumdem sensum habet ac *vocatus est.*

[c] Nota *a*, p. 295, hic etiam habet suam applicationem.

S. TITUS, BOSTRENSIS EPISCOPUS[a].

NUM. 1. Ratio universalis edicti. — 2. Dominus primogenitus, quia frater noster. Non unâ de causâ Dominus reclinatur in præsepio. — 3. Spiritales pastores Prophetæ. Cur Angeli, Christo nato, præ cæteris, pastoribus visi sint? — 4. Cur Angeli : *Gloria in excelsis*, etc. concinuerint? Angeli et homines simul unum mysticum corpus absolvunt.

1. *In diebus illis, exiit edictum.* Quandoquidem universalis quædam gratia totum terrarum orbem illustratura erat, tempore quo unus Servator in totius mundi salutem nascebatur, unum exiit edictum, universum orbem comprehendens : undè Evangelista : *Et factum est in diebus illis, exiit edictum.* Ecquis, inquis, universalis edicti hujus usus exstitit? Inter cætera commoda, quæ attulit descriptio hæc, opportunè sacratissimam Virginem è Nazareth in Bethleem emisit, quò Christum isthic in lucem ederet, adeòque, ut prophetiam quæ dicit : *Et tu, Bethleem, domus Ephrata, minima es, ut sis in principibus Juda; ex te enim mihi egredietur, ut sit princeps in Israel* [1], expletam probaret.

2. *Et peperit filium suum primogenitum.* Cur Evangelista filium illius primogenitum vocat; neque enim sacratissima semperque Virgo Deipara Maria ullum umquàm alium filium habuit? Quia Dominus noster Jesus Christus, qui carnem ex illâ suscepit, cùm verus alioqui Deus esset, secundùm carnem factus est noster frater. Primogenitus itaque appellatus est, quasi inter omnes fratres primatum tenens. *Et reclinavit eum in præsepio.* Reclinatur in præsepio; tùm quia, ut Evangelium prodit, *non erat illis locus in diversorio;* tùm rursùm quò nos à belluinâ illâ vivendi ratione amentiâque, brutis animantibus propriâ, liberaret, liberatosque ad prudentiam homine dignam transferret.

3. *Et pastores erant in eâdem regione vigilantes.* Ut divina oracula in Veteri Testamento per corporis exsortes spiritus transmittebantur ad spirituales pastores, hoc est, ad Prophetas, et indè ad alios; ità nunc per sensiles crassoque corpore indutos transmittuntur ad carnales pastores; nam et is quoque qui corporis antè expers erat, per carnem assumptam mortalium generi conspicuum se reddidit. Quin, ob id quoque, præ cæteris, pastoribus beneficium hoc obtigit, quòd, præ cæteris, simplices doli que exsortes erant; sectabantur enim adhuc veterum consuetudinem; nam, ut Patriarchæ et ipse etiam Moyses pascendis gregibus quondàm intenti erant, ità nunc ipsi quoque.

4. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, hoc est, non tantùm Judæorum genti, sed toti mortalium generi absolutè. Quod autem cœlestium exercituum multitudo, non absque gaudio laudumque præconio, recinebat : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax*, illud haud obscurè indicabat, Deum, qui antè illorum gloria erat qui degebant in supremis, nunc demùm eorum pacem effectum esse qui versantur in terris. Etenim qui factus est nobis pax bonaque voluntas, is, illos qui in cœlo et eos rursùm qui degunt in terrâ, unum gregem absolvere palàm ostendit [2]; siquidem Angeli Virtutesque cœlestium ordinum universæ, iis dumtaxat exceptis qui à Deo desciverunt, dùm Dei Optimi et Maximi jussa constanter exsequuntur, pacem quam cum illo habebant, in perpetuum retinuerunt, nos autem peccatum, tamquàm hostes, à Deo abalienaverat. Quia ergò Dominus noster Jesus Christus inimicitiam dissolvit, suoque Patri nos denuò reconciliavit, juxta illud Apostoli : *Christus est pax nostra* [3], jure meritòque Angeli Christum Deum nostrum, tamquàm pacis hujus conciliatorem, celebrant, laudibusque evehunt. *Et claritas Dei circumfulsit illos.* Divinâ claritate cœlestique gloriâ circumfusi, necnon Angelorum exercitum conspicati, spiritualique eorumdem hymno recreati pastores, magno mox ardore feruntur in Bethleem, quæ interpretatur *domus panis.*

[1] *Mich.* v, 2 *et Matth.* ii, 6. — [2] *Joan.* x, 16.— [3] *Ephes.* ii, 14.

[a] E Bibliothecâ maximâ Patrum, Tom. 4, p. 419 (Lugduni, 1677). E Commentariis S. Titi in S. Lucam. Hæc autem legimus ad caput horum Comment. : « Auctor hujus Operis cùm sæ« piùs citet Joannem Chrysostomum et Isidorum Pelusiotam, « Chrysostomi discipulum, item et Cyrillum Alexandrinum, « et constet Chrysostomum sub Juliano, sub quo claruit S. Ti« tus, ut refert Sozomenus, Lib. 2 Hist., c. 14, fuisse pue« rum aut tantùm octo annorum,... rursùmque Isidorus et « Cyrillus juniores Chrysostomo fuerint, hinc non parva « suspicio est alterius potiùs quàm Titi, Bostrensis Episcopi, « hoc esse Opus. Accedunt et aliæ conjecturæ quas omittimus.» Lector igitur non statim adjudicet S. Tito hos Commentarios. Porrò Homiliam suprà cusam dividimus in duas partes, quarum prior, hîc posita, ad Missam Noctis, posterior verò, quam infrà reperies, ad Missam Auroræ pertinet.

JOANNIS NEPOTIS SILVANI, JEROSOLYMITANI EPISCOPI,

HOMILIA I[a].

MONITUM.

Cùm hæc Homilia integra, qualis à Combefisio edita fuit sub nomine Chrysostomi, duorum Evangeliorum interpretationem contineat, illam in duas partes divisimus, quarum prior, hìc posita, ad Missam Noctis, posterior verò, quam infrà reperies, ad Missam Auroræ attinet.

De quâ sic habet Combefisius : « Hæc Homilia non est Chrysostomi. Wastelius tribuit Joanni, Jeroso- « lymitano Episcopo. Videtur Auctor latinè dixisse, nec alibi quàm Jerosolymis, sive in Palæstinâ, cùm « adhuc presbyter esset. » Cùm igitur doctissimus Wastelius Opera Joannis Jerosolymitani ediderit, atque *Vindicias* conscripserit ad comprobandam illorum Operum auctoritatem, pergratum erit lectori argumenta summatim ediscere, quibus probare nititur Wastelius hanc Homiliam suprà dicto Joanni esse adjudicandam.

Primò liquet ex ipso textu quòd Homiliastes in Judæâ sermonem habuerit; hæc enim, quæ pluriès leguntur, verba : *Hujus provinciæ, in istâ provinciâ*, si ea cum immediatè præcedentibus et subsequentibus verbis conferas, evidenter ostendunt non de Antiochiâ, non de Cæsareâ, non de Constantinopoli aut hujusmodi aliâ Gentium regione, sed de provinciâ Judææ fieri mentionem. Insuper eamdem provinciam (tamquàm ubi ipse et auditorium constituti erant), quasi indice versùs terram inflexo, ostendit adverbio demonstrativo loci *hìc*, ubi ait : « Hìc Christus natus est. Petrus qui hìc fuit cum Joanne, qui hìc fuit « cum Jacobo (Jerosolymorum Episcopo). Alibi pax erat : hìc bellum erat. Hìc ubi discordia, hìc traditio « fuit. » Et pronomine æquivalenti, « In istâ provinciâ nullus Judæorum erat. In istam civitatem ad- « duxit Neotericos. » Prætereà idem Auctor, in Homiliâ de S. Joanne Baptistâ, manu Christi sepulchrum monstrat, imò et insidentem se facit ipsi petræ sepulchri : « Et scriptum est, *ait*, quoniam in isto illo se- « pulchro nullus antè sit positus... et quid ostendebat ? Lapis iste cui ego insideo. » Porrò hunc concionatorem qui sic suam provinciam Ecclesiamque ad sacrum usquè suggestum depingit, manifestum est non esse Episcopum S. Cyrillum, quia ipse idem concionator innuit se adhuc presbyterum fuisse, cùm illam Homiliam dixit ad populum : « Præparemus aures nostras Pontifici, et quidquid à nobis minus « dictum est, intentis auribus audiamus. » Et ipse S. Cyrillus contrariam praxim sententiamque tenuit, ac Natalitia Christi Domini celebrabat in ipsâ Epiphaniâ Domini. Neque tempore S. Cyrilli emendatus fuit error Orientalium circa diei Natalis Domini definitionem; tempore autem episcopatûs Nostri Joannis dies festus Natalis Domini celebratus fuit vigesimo quinto die Decembris, et antiquus Orientalium error reparatus, siquidem eum sublatum fuisse constat, antequàm S. Hieronymus firmam sedem in ditione Jerosolymitanâ fixit, illudque ex ipsius Hieronymi testimonio probatur, Lib. 1 in Ezechielem, cap. 1.

Secundò insinuatur Auctor ipse Joannes, ex illis verbis : « Vos ejecistis, nos suscepimus. Petrus qui hìc « fuit cum Joanne, qui hìc fuit cum Jacobo, nos in Occidente docet. » Quibus verbis adstringimur ad hominem avitis parentibus ortum Occidente. Tres principes viros nominat, duos, Joannem scilicet et Jacobum, qui plurimos annos in ipsis Jerosolymis egerunt, eamque velut nobilissimi animarum patres suâ prædicatione illustrârunt, et Petrum, Apostolorum principem, ut hinc manifestè agnoscatur Auctoris nostri majores civitate ac habitatione olim Romanos fuisse. Eò spectant quoque illa omnia quæ de Adriano Ælio meminit, et in Jerosolymam Christianorum, hoc est, civitatem Æliam, introductis Neotericis. Insuper ne obliviscatur lector in Auctore « neoterico » conjungere cum « Petrus nos in Occidente docuit : » atqui inter illorum temporum illiusque sedis Jerosolymitanæ Episcopos, uni hoc tantùm competit Joanni Jerosolymitano, ut qui cognomine Nepos dictus sit, vocabulo prorsùs Romano, tamquàm oriundus è familiâ Nepotum, nobilium Romanorum.

Num. 1. Christi nascentis summa paupertas. Domini præsepe pretiosum, etsi luteum. — 2. Pastorum vigilantia et festinatio. — 3. Pax ab Angelis nuntiata.

1. *Et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Et reclinavit eum mater ; Joseph autem non audebat eum attingere, quem sciebat de se non esse generatum. Mirabatur, gaudebat natum, et natum non audebat attingere. *Et reclinavit eum in præsepio.* Quarè *in præsepio?* Ut compleretur vaticinium Isaiæ Prophetæ : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepium do-*

[a] Edit. Wastelii, Bruxellæ, 1643.

mini sui [1]. Scriptum est in alio loco : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* [2]. Si homo es, panem comede : si animal es, ad præsepe accede. *Quia non erat ei locus in diversorio ;* omnia enim judicia infidelitas repleverat. Non invenit locum in Sancto sanctorum, qui auro, gemmis, serico et argento fulgebat : et tamen non nascitur inter aurum et divitias; sed in stercore nascitur, hoc est, in stabulo; ubicumque enim stabulum, ibi et stercus est, ubi erant spurcitiora peccata nostra. Propterea in stercore nascitur, ut eos qui sunt de stercore, sublevet: *Levans de stercore inopem* [3]. In stercore nascitur, ubi et Job sedebat [4], et posteà coronatus est. *Quia non erat ei locus in diversorio.* Quicumque pauper est, accipiet consolationem : Joseph et Maria, mater Domini, non habebant servulum, non ancillam: de Galilæâ, de Nazareth soli veniunt: non habebant jumentum : ipsi sunt domini et famuli. Rem novam! Ingrediuntur in diversorium, non ingrediuntur in civitatem ; paupertas enim timida inter divites non audebat accedere. Videte magnitudinem paupertatis! In diversorium vadunt, non dixit quòd erat in viâ; sed in diverticulo erat, extra in viâ, hoc est, non in viâ, sed extra viam, non in viâ legis, sed in diverticulo Evangelii; et tamen in ipso diverticulo erant [a]. Alibi, nullus locus vacabat ad Nativitatem Salvatoris, nisi præsepe, præsepe ad quod jumenta et asini ligabantur. O si mihi liceret videre illud præsepe, in quo Dominus jacuit! Nunc nos, Christiani, quasi pro honore tulimus luteum, et posuimus argenteum [b]; sed mihi pretiosius illud est quod ablatum est. Argentum et aurum meretur Gentilitas : Christiana fides meretur luteum illud præsepe. Qui in isto præsepi natus est, aurum condemnat et argentum. Non condemno eos qui honoris causâ fecerunt, neque enim illos condemno qui in templo fecerunt vasa aurea ; sed admiror Dominum qui creator est mundi, quòd non inter aurum et argentum, sed in luto nascitur.

2. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes.* Non inveniunt Christum, nisi vigilantes: pastorum est vigilare. Non invenitur Christus, nisi vigilantibus pastoribus. Undè dicit et sponsa: *Ego dormio, et cor meum vigilat* [5]; et : *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel* [6]. *Pastores erant in regione eâdem.* Herodes erat, Pontifices erant, Pharisæi erant: illis dormientibus, Christus in eremo invenitur [c]. *Vigilantes pastores, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Custodiebant enim gregem, ne, dùm dormiunt, lupus irrumperet; et ideò multùm vigilabant, quia insidiæ bestiarum satis imminebant gregi. Vigilabant, quasi super gregem, sed non poterant conservare: propterea deprecabantur ut Dominus veniat, et servet gregem suum.

3. *Ecce Angelus Domini stetit juxta illos.* Digni erant, ut veniret ad illos Angelus, qui sic vigilabant. *Et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt.* Humanus timor majorem visionem aspicere non potest. Deniquè, quia timore fuerunt perterriti, propterea emplastrum quasi vulneribus datur, et sanatur, et dicitur: *Nolite timere ;* non enim potestis audire quæ dico, nisi timor recesserit: *Natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Multa sunt, quæ dicuntur. Cùm illi utiquè mirarentur, *subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Dominum, et dicentium.* Quoniam unus dixerat Nativitatem Domini, ne unus Angelus testis videretur, propterea omnis exercitus sonat, et dicit: *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* [d]. Si quotidiè in cœlo ruinæ fiunt [e], quomodò in cœlo *gloria* est, et *in terrâ pax* poscitur? Videte quid dicitur: in cœlis gloria, ubi nulla dissensio est ; in terrâ pax, ubi bella quotidiè. *In terrâ pax :* in quibus *pax? In hominibus.* Et quarè Gentiles pacem non habent? Quarè Judæi pacem non habent? Ideò adjecit : *Pax hominibus bonæ voluntatis,* hoc est, qui suscipiunt natum Christum.

[1] *Isai.* I, 3. — [2] *Psalm.* XXXV, 7. — [3] *Id.* CXII, 7. — [4] *Job,* II, 8. — [5] *Cant.* V, 3. — [6] *Psalm.* CXX, 4.

[a] Isthæc apertè hominis latini ; græcæ enim voces ἐν καταλύματι istas allusiones non ferunt. COMBEFISIUS. — Hæc autem ratio non valdè infirmat Wastelii *Vindicias*, quoad istam Homiliam.

[b] Vides olim pretiosa donaria Ecclesiis offerri solita ?

[c] Rus Bethleemiticum, eremum vocat.

[d] Hinc apparet Auctorem latinum fuisse, cùm in græcis Codicibus aliter legantur verba quæ is exponit prout apud Latinos leguntur. COMBEFISIUS.— Igitur legendum est casu primo, *bona voluntas*, etsi interpres textum græcum accommodavit ad lectionem Vulgatæ. WASTELIUS. — Cæterùm, Origenes, Hom. 2 in Luc., infrà, et Codices alexandrinus et cantabrigensis habent εὐδοκίας, *bonæ voluntatis*, casu secundo, sicut habent etiam interpretationes gothica et saxonica.

[e] Contra errorem Origenis docentis Angelos adhuc posse peccare.

✠ EJUSDEM HOMILIA II [a].

NUM. 1. Ratio edicti ab Augusto emissi. — 2. Cur Angelus apparuit Josepho *in somnis*, pastoribus autem visibiliter, et cur istos requisivit, non autem Scribas et Pharisæos? — 3. Cur ad homines Deus mittebat olim Angelos, et cur nunc ad eos mittit?

1. *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ*, etc... Domino autem dirigente, Augustus hoc edictum censuit, ut Unigeniti præsentiæ famuletur; nam hoc edictum matrem attrahebat in patriam, quam Prophetæ prædixerant, scilicet, in Bethleem Judæ. Undè dicit (Lucas): *Civitatem David, quæ vocatur Bethleem.*

2. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes*, etc. Josepho quidem in somnis apparuit Angelus; pastoribus autem visibiliter, quasi rudioribus. Non autem Angelus ivit Jerosolymam, non requisivit Scribas et Pharisæos; erant enim corrupti et præ invidiâ cruciabantur; sed hi erant sinceri, antiquam conversationem Patriarcharum et Moysis colentes. Est autem semita quædam ad philosophiam perducens innocentia.

3. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*, etc. Et olim quidem Angeli ad puniendum mittebantur, putà, ad Israelitas, ad David, ad Sodomitas, ad gemitûs convallem; nunc è contrà canunt in terrâ, gratias agentes Deo, eo quòd suum descensum ad homines eis reseravit. Aspice autem mirandum processum: Angelos ad nos deduxit priùs, ac deindè duxit hominem ad superna: factum est cœlum terra, cùm terrena deberet recipere.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, ARCHIEP. CONSTANTINOP., ET ECCLESIÆ DOCTORIS, HOMILIA I [b].

MONITUM.

Hanc Homiliam habuit Chrysostomus in die Natali Domini nostri Jesu Christi, quinque diebus post Concionem in S. Philogonium. In hâc porrò de Natali Christi Concione, illius ut nuper habitæ mentionem facit Chrysostomus, n. 7, his verbis: « Et quod nuper vos cohortatus sum, ad id etiam nunc, et in « posterum semper vos cohortari non desistam. Quidnam hoc? Cùm accessuri estis ad tremendam divi- « namque illam mensam, et ad sacra mysteria, cum timore ac tremore hoc facite, cum purâ conscientiâ, « cum jejunio et precatione, non tumultuantes, etc. »

Hâc primâ vice de die Natali Jesu Christi concionatus est Chrysostomus, vertente scilicet anno 386, die vigesimâ quintâ Decembris, quo ineunte anno in presbyterum ordinatus, concionari cœpit. Cùm enim *nondùm decimus annus esset*, inquit Chrysostomus, *ex quo dies ille* Antiochenis *innotuerat*, ab Occidente, ubi ab exordio celebratus fuerat, Antiochiam delatus, multi diem festum hujusmodi, quasi novum ac recenter inductum, detrectabant, alii tamen magno numero libenter admittebant: quam disceptationem ut sopiret Chrysostomus, ubi primùm occurrit illa celebritas, hanc Homiliam habuit, ut in ipso presbyteratûs sui initio subortam litem tolleret, et diem Christi Natalem in vigesimam quintam Decembris incidere multis argumentis probaret. Non hoc uno nitimur argumento, ut illam in annum 386 conferamus, aliud longè validius suppeditant ipsa Chrysostomi concionantis verba num. 5, ubi ait se mense Septembri proximo multos prolixosque contra Judæos habuisse Sermones; illi verò contra Judæos Sermones incidunt in Septembrem anni 386, siquidem anno sequenti 387, quo eâdem anni tempestate

[a] Excerpta est à fragmentis minoribus Comment. in Lucam. Juxta Catenam auream S. Thomæ, Num. 1 desumeretur ex Chrysostomo, in diem Natalem Christi, et Num. 2 et 8 ex eodem, in Catenâ græcorum Patrum, ut videre est pp. 281, ad finem col. 1; 284, initio col. 1 et 285, ad finem col. 1 et 2.

[b] In edit. B. de Montfaucon, quâ utimur sicut, lectorem præmonuimus, hunc habet titulum: « In Salvatoris nostri « Jesu Christi diem Natalem; qui quidem dies incognitus « adhuc illis temporibus, ante paucos admodùm annos innotuerat per aliquos qui ex Occidente venerant atque indicaverant. » Hæc Homilia à nonnullis doctis viris in νοθείας suspicionem vocatur; sed ne minima quidem ἀμφιβολίας nebula obtendere potest, siquidem tùm ex memorato superiùs in S. Philogonium Sermone, tùm ex styli notis atque signis omnibus conspicuum est hanc Concionem esse verum germanumque Chrysostomi fetum.

Interpretatio latina ea est quam Petr. Pantinus Tiletanus, Decanus Bruxellensis, edidit, sed non paucis in locis emendata; nam, ut notat Henr. Savilius, « hanc Orationem à « doctissimo Pantino Tiletano editam ante aliquot annos An- « tuerpiæ, damus emendatiorem ex alio Ms. in Bibliothecâ « nostrâ. Recipit eam Catalogus Augustanus, num. 92. »

multos longosque contra Judæos Sermones iterùm habuit, eversionem statuarum eodem anno, mense Februario, factam memorat.

His porrò argumentis præcipuè utitur Chrysostomus ut probet Natalem Christi in 25 Decembris incidere. Primò ait hinc probabiliter argui eam esse veram sententiam, quòd tantâ celeritate quaquaversùs denuntiata, Deo ità providente, ab omnibus suscepta sit. Deindè illam diem ab exordio per totum Occidentem celebratam fuisse, maximèque Romæ; cùm autem census Cyrenii jussu Augusti factus, in tabulisque descriptus, penes Romanos haberetur, hinc veram germanamque Natalis Christi diem Romanos hausisse. Aliud deindè argumentum mutuatur ex eo die quo ingressus est in Sancta Sanctorum Zacharias, quem ipse summum fuisse Pontificem putat ; indè verò calculum ducit, ut probet in vigesimam quintam Decembris incidere diem Natalem Domini. Non abs re erit hîc plura præmittere quæ non parùm lucis rei quæ per totam Homiliam agitur, afferant.

Observatu porrò digna sunt quæ de Natali die habet Cosmas ; nam de ritu Ægyptiorum et Jerosolymitanorum talia fatur : « Cùm Zacharias decimâ septimi mensis ingressus esset in templum, secundùm « Legis traditionem, ac nuntium accepisset de Joanne sibi ex Elisabethâ nascituro, sexto illius mense « Virgo quoque nuntium accepit, ità ut tunc primi mensis initium esset. Nam cùm decimâ septimâ « mensis Zacharias nuntium acceperit, et eodem mense Elisabeth conceperit, palàm sanè est sex anni « menses tunc præteriisse, ac sex reliquos fuisse, exceptis decem illis diebus, vel fortassè duobus aliis, « aut tribus, aut septem, donec Zacharias abiret domum, ità ut dies superessent CLXVIII, aut CLXVII, « aut CLXIII. Initium itaque conceptionis Domini, id est, initium primi mensis, sextus mensis Elisabethæ « erat secundùm Evangeliorum traditionem ; nam hunc ordinem Deus semper servavit et servat. Hinc « verò liquet, quòd omnes ortum Christi nono decurso mense à primi mensis initio celebremus, id est, « Choiac 28 ; Jerosolymitani verò, quasi ex B. Lucæ auctoritate, qui ait Christum baptizatum fuisse incipientem quasi annorum triginta, in die Epiphaniæ Natalem celebrant. Et verè quidem tàm Lucas, « quàm Jerosolymitani supputant : at accurata ratio non sic habet; sed tamen in ipso ortûs die baptisma « contigit, ut aiunt Lucas et Jerosolymitani. Verùm Ecclesia ab antiquis temporibus, ne duas illas so- « lennitates eo ipso die celebrans, alterutrius oblivionem induceret, præcepit, ut, secundùm numerum « Apostolorum, duodecim dies intercederent, atque tunc Epiphaniæ solennitas celebraretur : quemad- « modùm etiam 40 dierum Jejunium Domini, quod ante pugnam cum diabolo ineundam persolvit, Re- « surrectione Domini claudi jussit, ut et nos secundùm exemplar pro facultate pugnantes, et Christum « imitantes, excipiamus Passionem et Resurrectionem Domini, etiamsi non iisdem diebus contigerit. « Simili itaque modo Epiphaniam Domini nostri Jesu jussit post duodecim à Natali ejus dies celebrari. « Soli autem Jerosolymitani ex conjecturâ probabili, nec tamen ex accuratâ ratione, in Epiphaniis Na- « tale agunt ; in die autem Natali memoriam celebrant Davidis et Jacobi Apostoli, non quòd ambo eàdem « ipsâ die mortui sint, sed, ut arbitror, ne ipsi extra festum cognatorum Christi neglecti maneant, eorum « memoriam omnes colunt. »

Quod habet Cosmas, Zachariam Joannis patrem decimâ septimi mensis in templum ingressum esse, in Epistolis Cyrilli Jerosolymitani ad Julium Papam, et in ἀμοιβαίαις Julii ad eumdem prorsùs modum enarratur : undè fortassè Cosmas hanc opinionem mutuatus est. Illæ verò mutuæ Cyrilli et Julii Epistolæ in Epistolâ Joannis Archiepiscopi Nicæni ad Zachariam Catholicum Armeniæ afferuntur : ubi videas Natalem Domini diem ad vigesimam quintam Decembris à Julio Papa celebrandam edici. Cujus calculi rationem ex libro quodam Josephi, historiæ scriptoris, Romæ, ut dicitur ibidem, deprehensi, peti et usurpari animadvertas. Hæc porrò Josephi verba in testimonium afferuntur, ὅτι ἐν μηνὶ τῷ ζ', ἐν τῇ ἑορτῇ τῆς Σκηνοπηγίας, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἱλασμοῦ, ὤφθη ὁ Ἄγγελος τοῦ Θεοῦ. Καὶ κωφωθεὶς ὁ ἱερεύς, κτλ. Id est, « Mense septimo, in festo Scenopegiæ, visus est Angelus Dei. Et mutus factus sacer- « dos, etc. » Sub hæc autem Joannes Nicænus Julium inducit Hebræorum menses cum Romanis conferentem. Quia verò editâ computatione, Annuntiationem et Incarnationem, utpotè sexto prægnantis Elisabethæ mense factam, in Hebræorum mensem Nisan cadere comperit, hinc colligit natum Christum esse 28 mensis Choiac, sive 25 Decembris. Vide Combefisium, Historiâ Monothelitarum, p. 298. Veteres tamen Ægyptii et Orientales omnes, ut concors universorum sententia est, pari ritu Epiphaniæ Natalisque Domini festum 6 Januarii celebrabant. At versùs quarti sæculi medium invecta easdem in regiones consuetudo fuit, ut vigesimâ quintâ Decembris Natalem diem agerent : undè Athanasius ad 25 Decembris ortum Christi consignat in Fragmentis Commentarii in Matthæum, p. 26. Verùm priscam illam consuetudinem ad ætatem usquè suam in Ecclesiâ Jerosolymitanâ obtinere testis est Cosmas; aliis ritum posteriùs inductum servantibus. Idipsum confirmat Joannes Nicænus, dùm ait asseverare Jerosolymitanos, Jacobum fratrem Domini, primum Jerosolymorum Episcopum, ad Natalem Christi diem celebrandam Januarii sextam diem assignavisse ; Cosmas verò priscum Ægyptiorum ritum, quo non 25 Decembris,

sed Januarii 6 Natalem celebrabant, vel prorsùs ignoravit, vel consultò tacuit, tametsi, ut suprà dictum est, Orientales ad usquè medium sæculi quarti ritum celebrandi 25 Decembris vix noverant, ut videre est in Sermone Gregorii Nysseni de die Natali : « Nunc per totum orbem habitatum, *inquit*, diem festum celebrantium concors sonus auditur. » *Nunc* scilicet, et non anteà. In hâc Homilià autem de Natali Domini, auctore Chrysostomo, quam putamus ab eo adhuc presbytero Antiochiæ pronuntiatam, dicitur à paucis annis Natalis Domini festum in Orientalium notitiam venisse, atque ab Occidentalibus in Orientem advectum fuisse. Apud Occidentales verò nonnisi post Epiphaniæ solennitatem Natalis Domini festum institutum fuerat ; indèque erat quòd in Occidente et in urbe Romà Natali potior Epiphania haberetur, ut legitur in veteri ordine Romano : « Nec hoc prætereundum est, quòd secunda Nativitas « Christi (quo intelligitur Epiphania), tot illustrata mysteriis, honoratior sit quàm prima, » videlicet quàm Natalis : quod item ad verbum legitur in Librò de divinis Officiis, capite de Baptismo Domini, qui Alcuino quidem adscribitur, sed nonnisi post decimum sæculum editus putatur. Nec prætereundum est Cosmam, dùm ait : « Ex traditione divinæ Legis, » Moysis legem indicare, putareque Zachariam in die Propitiationis in sanctuarium ingressum esse, ut in Lege præcipitur. In Lege porrò id muneris uni summo Pontifici adscribitur : quo videas eam Cosmæ opinionem esse, Zachariam, nimirùm Joannis patrem, fuisse summum Pontificem. Neque mirum est eà fuisse sententià Cosmam, quandò idipsum, etsi falsum, à multis antiquorum creditum est. Sic Chrysostomus in hoc de Natali Sermone, Zachariam pro summo Pontifice habens, in sanctuarium in festo Tabernaculorum ingressum illum esse colligit, sive pòtiùs in die Propitiationis, quæ quatuor tantùm diebus festum Tabernaculorum antevertit : quà die soli summo Pontifici hanc peragere functionem licebat.

NUM. 1. Tribus demonstrationibus probatur die 25 Decembris natum esse Christum : 1° ex celeritate quâ hæc sententia ab omnibus suscepta est : — 2. 2° Ex tempore descriptionis. Quà occasione Christus natus in Bethleem ? — 3. Maria è familià David. Lex Judæorum antiqua circa ædificationem templi illiusque divisionem in duas partes. — 4. Probatur 3° ex computatione temporis quo Zacharias Angelum allocutus est. — 5. Quisnam fuerit conceptionis Christi primus mensis, ac proindè quisnam fuerit mensis ejus Nativitatis ? — 6. Infidelium stoliditas qui christiana dogmata irrident. — 7. Quis modus accedendi ad divina mysteria?

1. Quæ jàm olim Patriarchæ parturierunt, Prophetæ prædixerunt, justi cernere cupierunt[1], ea evenere, et finem hodierno die acceperunt, Deusque per carnem *in terrà visus est, et cum hominibus conversatus est*[2]. Gaudeamus proindè et exsultemus, dilecti. Nam si Joannes adhuc in utero materno, Marià ingrediente ad Elisabeth, exsultavit, multò magis nos, non Mariam, sed ipsummet Servatorem nostrum hodiè natum conspicientes, exsultare et gaudio gestire par est, et suspicere atque cum stupore admirari Incarnationis ejus magnitudinem, omni cogitatione superiorem. Tecum enim reputa quantùm sit solem ex cœlis descendentem videre in terrà currentem, radiosque hinc suos omnibus emittentem. Quòd si tale aliquid in sensili illo luminari eveniens, meritò omnes, quotquot id viderent, in stuporem raperet, considera nunc mihi et perpende quàm longè majus sit justitiæ Solem ex nostrà carne radios suos ejaculantem aspicere, animasque nostras illustrantem. Desiderabam ego jàm pridem diem hunc videre, idque non simpliciter, sed cum tantà frequentià, quantà nunc adestis, identidemque intueri exoptabam theatrum nostrum ità compleri, quemadmodùm nunc videre est. Cujus desiderii mei summa deniquè evenit. Nondùm decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifestè nobis innotuit. Attamen, perindè ac si jàm olim à multis annis nobis traditus esset, ità operà vestrà celebratus inclaruit. Quarè non erraverit, qui eumdem novum simul et antiquum nuncupet ; novum quidem, quòd nunc demùm illius notitia ad nos pervenerit ; antiquum verò et vetustum, quòd celeriter vetustioribus ætate velut suppar redditus sit, et ad eamdem cum ipsis ætatis mensuram pervenerit. Ut enim generosæ et nobiles stirpes simul atque terræ inseruntur, etiam celeriter in altitudinem magnam succrescunt, fructibusque onerantur, non aliter hic dies, cùm ab exordio iis qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demùm non ante multos annos transmissus, repentè ità increvit, talemque tulit fructum, qualem nunc cernere licet, septis nostris ubique refertis, temploque universo præ multitudine concurrentium angustato. Quo vestro tàm prompto studio dignum præmium ab eo qui hodiè secundùm carnem Christus natus est, exspectate : ille vobis hanc alacritatem abundè remunerabitur; maximum siquidem erga natum amoris indicium est, studium hodierno diei impensum. Quòd si nonnulla etiam à nobis conservis vestris ad hanc rem facientia afferri oporteat, ea feremus et nos quæ poterimus, vel potiùs quæ divina gratia ad utilitatem vestram dicenda

[1] *Matth.* XIII, 17. — [2] *Baruch.* III, 38.

dederit. Quid igitur hodierno die audire cupitis? Quid aliud, quàm de hoc ipso die? Nam multos etiam nunc inter se de eo ipso disceptare probè novi, et hos quidem illum reprehendere, alios defendere; multus ubique de hoc die sermo, partim incusantium, quasi novus sit nuncque recèns invectus, partim eumdem propugnantium, tamquàm antiquum ac vetustum, cùm et olim Nativitatem ejus Prophetæ prædixerint, et jàm indè à primordio ab ipsâ Thraciâ Gades usquè incolentibus manifestus et celebris fuerit. Agedùm igitur, de hisce sermonem exordiamur. Si enim hic ipse dies, adhuc in disceptatione positus, tantâ animi vestri propensione fruitur, utiquè si notior, atque adeò manifestus evadat, haud dubiè longè majorem hujusce studii vestri fructum percipiet, perspicuitate, quæ ex hâc docendi ratione nascetur, hanc ipsam animi vestri affectionem majorem in vobis efficiente. Habeo porrò tres ad probandum demonstrationes, per quas omninò intelligimus hoc ipsum esse tempus, quo Jesus Christus Dominus noster ac Dei Verbum in lucem est editus. Quarum hæc prima est, quòd tantâ celeritate quaquaversùs hoc festum denuntiatum sit, et ad tantum fastigium excreverit, adeòque inclaruerit. Et quod Gamaliel de prædicatione dixit: *Quoniam si est ex hominibus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non potestis dissolvere illam, ne fortè et Deo repugnare inveniamini* [1], hoc et ego fidenter de die hoc pronuntiaverim, quoniam ex Deo Deus Verbum est, idcircò non solùm non dissolutum esse: quin potiùs per annos singulos majus incrementum sumere, clarioremque evadere. Quoniam et illa prædicatio paucorum annorum spatio universum terrarum orbem occupavit, quamquàm tentoriorum opifices, piscatores, litterarum rudes et imperiti homines essent, qui illam quoquoversùs perferrent: neque quidquam ministrorum vilitas nocuit, cùm potentia ejus qui prædicabatur omnia anticiparet, impedimenta submoveret, ac suam vim exereret.

2. Quòd si quis fortè pervicacior illis quæ dicta sunt, non acquiescat, est altera demonstratio, quam afferemus. Quæ verò ista? Quæ in descriptione illâ, cujus Evangelia mentionem faciunt, sita est. *Factum est enim,* inquit Evangelista, *in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, ut profiterentur, singuli in civitatem suam. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Ex his liquet, primæ descriptionis tempore natum esse. Et cui veteres historiarum Codices, qui Romæ publicè asservantur, lectitare libeat, perfacilè etiam tempus hujus descriptionis accuratè discere poterit. Cæterùm quid hoc ad nos, dicat aliquis, qui illic neque sumus neque fuimus umquàm? Ausculta, neque diffidas quia ab illis qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam urbem inhabitant, hunc diem accepimus; nam illi ipsi qui illic commorantur, multò antè et ex antiquâ traditione ipsum celebrantes, ad nos usquè illius notitiam nunc transmiserunt. Neque enim Evangelista simpliciter nobis illud tempus indicavit; sed ità ut etiam unà hunc diem nobis manifestum redderet et exploratum, Deique Incarnationem patefaceret. Neque enim suopte impulsu, aut ex se ipso Augustus edictum hoc promulgavit, sed Deo animum ipsius concitante, ut vel invitus adventui Unigeniti subserviret. At quid hoc, inquis, ad Incarnationem ostendendam momenti habet? Non parvum, dilecte, neque ubivis obvium, sed magnum omninò; adeòque unum ex iis hoc est, quæ necessariò ac studiosè quæruntur. Quale tandem illud? Galilæa regio quædam est Palæstinæ; Nazareth autem in eà civitas. Rursùs Judæa regio est, ab indigenis hoc nomine vocitata; Bethleem verò Judææ civitas. Christum porrò omnes Prophetæ prædixerant, non à Nazareth, sed à Bethleem venturum, illìcque nasciturum. Ità enim scriptum est: *Et tu, Bethleem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui reget populum meum Israel* [2]. Et Judæi olim ab Herode interrogati ubi nasceretur Christus, hoc ipsum ei testimonium retulerunt. Hanc eamdem ob causam loquente Nathanaele ad Philippum, postquàm ei dicenti: *Jesum à Nazareth invenimus,* respondisset: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Christus de ipso ait: *Ecce verè Israelita in quo dolus non est* [3]. Cujus autem rei gratiâ ipsum ità commendavit? Quòd nuntio illo Philippi non protinùs fuerit abreptus; nam manifestè planèque sciebat, neque in Nazareth, neque in Galilæâ Christum nasci debere, sed in Judæâ et in Bethleem: quod et ità factum fuerat. Quandoquidem ergò Philippum id latebat, Nathanael autem pro peritiâ quam legis habebat, cùm sciret ea quæ à Prophetis dicta essent, responsum vaticinio superiùs allato consentaneum dabat, à Nazareth Christum non venturum, propterea etiam inquit Christus: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Hâc etiam de causâ qui-

[1] *Act.* V, 38 et 39. — [2] *Matth.* II, 6 et *Mich.* V, 2. — [3] *Joan.* I, 45-47.

dam Judæorum Nicodemo dicebant: *Scrutare, et vide quia è Galilæâ Propheta non excitatur* [1]; et rursùs: *Nonne à Bethleem castello, ubi erat David, Christus venit* [2]*?* Atque adeò communis omnium sententia erat, haud dubiè illinc, non autem à Galilæâ, venturum esse. Itaque cùm Joseph et Maria, cives Bethleemitæ, relictâ patriâ in Nazareth vitam suam instituissent, et illîc commorarentur, ut videlicet sæpè multis hominibus usu venire solet, qui è civitatibus, undè ortum duxerant, emigrantes, in aliis in quibus ab initio nati non fuerant, commorentur, oporteretque Christum in Bethleem nasci, exiit edictum, quod, Deo itâ statuente, etiam invitos illam in urbem compulit. Lex enim quæ jubebat unumquemque in patriâ suâ nomen profiteri, adegit eos à Nazareth pedem efferre, et in Bethleem redire, ad nomen illîc suum describendum. Hoc ergò subindicans Evangelista ait: *Ascendit ergò Joseph à Galilæâ, ex civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: et peperit filium suum primogenitum.*

3. Vidisti, dilecte, providentem Dei administrationem, per infideles atque fideles ea quæ ad se pertinent dispensantis, nempè ut vim potentiamque ejus qui à vero ipsius cultu alieni sunt, agnoscant. Et stella quidem Magos ab Oriente perduxit [3]; at lex Mariam in patriam à Prophetis prædictam traxit. Hinc nobis evidenter constat etiam Virginem ipsam ex genere Davidico fuisse. Nam si ex Bethleem ortum duxit, manifestum est quòd etiam ex domo et familiâ David fuerit. Quod item superiùs manifestè docuit Evangelista, cùm dixit: *Ascendit autem et Joseph ex Galilæâ cum Mariâ, eo quòd esset ex domo et familiâ David.* Nam cùm seriem stirpis Joseph recensuisset, hujus autem majores nemo ut illius enumerasset, ne hinc tibi dubitatio oriretur, ac diceres: Undè ergò manifestè patet etiam ipsam è David ortam? Audies: *In mense,* inquit, *sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David* [4]. Quæ verba, *de domo David,* accipienda sunt tamquàm de Virgine dicta: quod et hîc manifestè indicatum est. Atque hâc de causâ edictum et lex illa promulgata fuit, quæ eos in Bethleem duceret; simul atque enim in civitatem ascendissent, confestim etiam Jesus nascitur, ac proindè etiam in præsepi reclinatur, quòd undiquè multi eò concurrissent, et loca præoccupâssent, magnasque divertendi angustias effecissent: quo in loco etiam Magi illum adoraverunt. Ut autem (hujusce diei) dilucidiorem adhuc demonstrationem exhibeam, vestris mecum assurgite animis; nam longiorem rerum memoriam excitare et priscas leges recitare statui, ut ex omni parte vobis orationem nostram manifestiorem reddam. Lex erat Judæis, eaque perantiqua: sed age, potiùs paulò altiùs sermonem repetamus. Quo tempore ab Ægyptiacis turbis et barbarâ Pharaonis tyrannide Hebræorum populum Deus liberavit, videns ipsos impietatis adhuc secum reliquias habere, rebusque omnibus sub sensum cadentibus ad insaniam usquè addictos, templorumque magnitudinis ac pulchritudinis admiratione duci, templum ipsis ædificari præcipit, quod non modò materiæ magnificentiâ atque artis varietate, sed et structuræ formâ, cætera omnia, quæ ubique terrarum erant templa, obscuraret. Et quemadmodùm pater, liberorum amans, filium profligatis, perniciosis, lascivis hominibus usum, nimioque luxu dissolutum, ad se longo temporis intervallo recipiens, tutò et cum dignitate in majori rerum abundantiâ constituit, ne in angustias aliquas conjectus, priorum recordatione atque etiam cupiditate corripiatur; itâ Deus Judæos ad res sensiles cum stupore propensos videns, in hisce ipsis rebus præstantissimum aliquid efficit, ne umquàm posteà Ægyptiorum, aut eorum quæ apud Ægyptios experti fuerant, cupiditate caperentur; templumque ipsis statuit ad mundi exemplar totiusque universi, tàm quod sensu, quàm quod solo intellectu percipi potest. Sicut enim terra est, et cœlum, et medium, sepimenti instar, hoc firmamentum; itâ et illud quoque fieri jussit. Duasque in partes diviso hoc templo, et ad medium obtento velo, eam partem quæ extra velum erat, omnibus ingrediendi potestatem fecit; ad alteram verò illam interiorem nemini, præterquàm summo Sacerdoti, aditum atque intuitum patere permisit. Cæterùm, quòd hæc non nostra conjectura sit, sed quòd templum reverà totius mundi ad exemplum exstructum fuerit, audi quid Paulus de Christo in cœlum ascendente loquens dicat: *Non enim in manufacta Sancta introivit Christus, exemplaria verorum* [5], ostendens quòd quæ apud nos sunt, verorum sint exemplaria. Quòd porrò velum dirimeret Sancta sanctorum à sanctis extrà positis, sicut hoc cœlum quæ super se sita sunt, ab omnibus quæ apud nos sunt, disjungit, audi quomodò etiam hoc subindicaverit, cùm cœlum velum appellat. De spe namque referens, quòd ipsam sicut anchoram animæ habeamus, tutam ac firmam, deindè subjungit: *Et incedentem usquè ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, supra cœlum sursùm* [6]. Vides quomodò cœlum velamen ap-

[1] *Joan.* VII, 52. — [2] *Ibid.* 42. — [3] *Matth.* II, 1 *et* 2. — [4] *Luc.* I, 26 *et* 27. — [5] *Hebr.* IX, 24. — [6] *Id.* VI, 19 *et* 20.

pellaverit? Extra velum autem erat candelabrum, et mensa, et altare æreum, ad sacrificia et holocautomata excipienda. Intra velum verò arca circumtecta ex omni parte auro, tabulas testamenti habens, et urnam auream, et virgam Aaron quæ fronduerat, et altare aureum, non illud sacrificiorum et holocaustorum, sed solius suffimenti. Et per ea quæ extrà erant, omnibus incedere fas erat; per ea verò quæ intùs, soli summo Sacerdoti. De hisce ipsis rursùs testimonium ex Paulo dabo, qui sic ait: *Habuit quidem prius tabernaculum justificationes culturæ, et Sanctum sæculare* [1] *:* Sanctum sæculare appellat exterius tabernaculum, quandoquidem toti mundo ingredi licebat : *in quo candelabrum, et mensa, et propositio panum. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testamenti : super eam autem erant Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium. His vero ità compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes; in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro suâ et populi ignorantiâ* [2]. Vides solum ingredi summum Sacerdotem, idque semel dumtaxat toto anno?

4. Verùm quid hæc, inquis, ad præsentem diem? Exspectate paulisper, nec tumultuemini ; à capite enim fontem ducimus, et ad ipsum rei fastigium pervenire contendimus, ut cuncta nullo negotio vobis aperta atque perspecta sint. Quinimò ne diutiùs verborum integumentis nostra obumbretur oratio, neve implicatior fiat, nimiàque eorum quæ dicuntur, longitudine defatigemini, jàm rationem vobis exponam cur hæc omnia, tam altè repetita, moverim. Quæ porrò hujus rei ratio? Cùm menses jàm sex Elisabeth Joannem in utero gestaret, tùm Maria concepit. Itaque si discamus quisnam sextus ille mensis fuerit, certò etiam sciemus quandò cœperit Maria concipere. Deindè cùm cognoverimus quodnam conceptûs sui principium habuerit, utiquè quandò pepererit cognoscemus, novem menses à conceptione numerantes. Undè igitur quisnam ille sextus mensis fuerit prægnationis Elisabeth, nobis constabit? Hinc scilicet, si quo mense gravida fieri cœperit, intelligamus. Undè autem quis ille fuerit, addiscemus, si sciamus quo tempore lætum hâc de re nuntium Zacharias ejus maritus acceperit. Cæterùm hoc ipsum undè nobis explicatum erit? Ex divinis Scripturis, quo modo sacrum Evangelium refert Zachariæ versanti intra Sancta sanctorum Angelum lætum attulisse nuntium, et de partu Joannis ei prædixisse. Si ergò è sacris Litteris clarè docuerimus semel dumtaxat Sancta sanctorum summum Sacerdotem [a] sine ullo comite ingredi, et quo tempore, et quoto anni mense, unicâ illâ vice introeat, in cognitionem apertam temporis, quo lætum illum nuntium accepit, deveniemus : quo declarato, etiam principium conceptionis protinùs omnibus elucescet. Itaque quod semel tantùm in anno huc introiretur, etiam Paulus manifestavit : quin et Moyses idipsum apertè ostendit, hoc modo loquens : *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum, et ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quod est supra arcam testimonii, et non moriatur* [3]; et iterùm : *Et omnis homo non erit in tabernaculo testimonii, quandò ipse Sanctuarium ingreditur ad expiandum, donec egrediatur : et expiabit pro se et domo suâ, et pro universo cœtu Israel. Et expiabit super altare, quod est coram Domino* [4]. Ex his liquet, non quolibet tempore in Sancta sanctorum ingressum fuisse, et dùm intùs esset, nemini fas fuisse ea contingere, sed extra velum consistendum fuisse. Verùm hæc vos sedulò mente vestrâ tenete. Reliquum enim est, ut quodnam illud tempus fuerit, quo solus ingrediebatur in Sancta sanctorum, idque semel dumtaxat in anno, vobis demonstrem. Quâ ratione autem hoc patebit? Ex eodem nimirùm hoc Libro; ità enim dicitur : *Mense septimo, decimâ die mensis, humiliabitis animas vestras, et omne opus non facietis, sive indigena, sive advena qui additur inter vos. In hâc enim die expiatio erit vestri, ut emundemini ab omnibus peccatis vestris : coram Domino mundemini : sabbata sabbatorum, requies erit hæc vobis, et humiliabitis animas vestras, eritque vobis hoc legitimum sempiternum. Expiabit autem sacerdos, quem unxerint, et cujus manus initiaverint ut sacerdotio fungatur post patrem suum, et induetur stolâ sanctâ; et expiabit Sancta sanctorum, et tabernaculum testimonii; et altare expiabit; et pro sacerdotum peccatis, et pro universo populi cœtu expiabit. Eritque hoc vobis legitimum sempiternum, ut expietis pro filiis Israel ab omnibus peccatis eorum. Semel in anno fiet, sicut præcepit Dominus Moysi* [5]. De festo Tabernaculorum hic sermo est; tunc enim semel summus Sacerdos quotannis ingrediebatur : quod et ipse explicavit his verbis, quoniam *semel in anno* hoc *fiet*.

[1] *Hebr.* IX, 1. — [2] *Ibid.* 2-7. — [3] *Levit.* XVI, 1 *et* 2. — [4] *Ibid.* 17 *et* 18. — [5] *Ibid.* 29-34.

[a] Obsoleta hæc Chrysostomi opinio de Zachariæ summo sacerdotio, cujus nihil Josephus aut alii rerum Judaicarum Scriptores meminerunt ; nec satis ex Evangelio textu colligi potest.

5. Si ergò festi Tabernaculorum tempore, solus summus Sacerdos ingreditur in Sancta sanctorum, age, deinceps ostendamus tunc Zachariæ Angelum apparuisse, quandò in Sanctis sanctorum erat; soli enim ipsi incensum adolenti visus est; solus verò numquàm ingreditur summus Sacerdos, nisi tunc temporis. Nihil autem impedit quin ipsa audiamus verba Evangelistæ: *Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam, nomine Zacharias, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Factum est autem, cùm ipse sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris, horâ incensi*[1]. Hoc loco in memoriam revoca, dilecte, testimonium illud, quod ait: *Et omnis homo non erit in tabernaculo testimonii, ingrediente ipso ad expiandum in Sancta sanctorum, donec egrediatur*[2]. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi*[3]. Non dixit altaris sacrificiorum, sed *altaris incensi*, propterea quòd altare sacrificiorum et holocaustorum foris esset, intùs verò incensi, ut vel hinc quòd ipsi soli conspiceretur, et quòd dicatur populus ipsum foris exspectâsse, manifestum evadat in Sancta sanctorum ipsum ingressum fuisse. *Et turbatus est Zacharias videns, et timor cecidit super ipsum. Dixit autem ad ipsum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam audita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. Et erat plebs exspectans Zachariam; et mirabantur quòd tardaret ipse in templo. Egressus autem innuebat, neque poterat loqui ipsis*[4]. Vides intra velum fuisse? Tunc igitur hunc lætum nuntium accepit. Tempus autem tùm erat festi Tabernaculorum et jejunii; hoc enim illa verba sibi volunt: *Humiliabitis animas vestras*[5]; idque à Judæis sub finem mensis Septembris, quod et vos testamini, celebrabatur. Tunc enim longis copiosisque orationibus in Judæos usi sumus[a], importunum eorum jejunium accusantes. Hoc ergò tempore etiam Elisabeth, uxor Zachariæ, concepit. Et occultabat se mensibus quinque, dicens: *Sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines*[6]. Cæterùm opportunum nunc videtur, ut ostendamus præterea, cùm sextum jàm mensem ipsa Joannem in utero gestaret, Mariam lætum de conceptione suâ nuntium accepisse. Quandò enim venit ad eam Gabriel, et dixit: *Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum;* et: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum*[7]; cùmque ipsa hoc sermone turbaretur, modumque ejus rei discere quæreret, respondens Angelus dixit ad eam: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ: et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*[8]. Quòd si ergò post mensem Gorpiæum seu Septembrem Elisabeth concepit, ut ostensum est, annumerare oportet sex ab eo intermedios menses: sunt autem hi, Hyperberetæus sive October, Dius sive November, Appellæus seu December, Audonæus seu Januarius, Peritius seu Februarius, Dystrus seu Martius. Itaque post hunc sextùm mensem principium conceptionis accepit Maria: à quo si novem menses numeremus, utiquè in præsentem hunc mensem deveniemus. Est igitur primus conceptionis Mensis Aprilis sive Xanthicus, deindè Artemisius seu Maius, Desius sive Junius, Panemus sive Julius, Loius sive Augustus, Gorpiæus seu September, Hyperberetæus sive October, Dius sive November, Appellæus seu December. Atque hic mensis est, quem præsentem habemus, quo et hunc diem celebramus. Ut autem quod dico etiam apertius vobis clariusque evadat, breviter hæc rursùm repetens, dilectioni vestræ edisseram. Semel in anno ingrediebatur solus summus Sacerdos in Sancta sanctorum, idque Gorpiæo seu Septembri mense: tunc ingressus est Zacharias in Sancta sanctorum: tunc nuntium de Joannis nativitate habuit: illinc abiit: tunc uxor ejus concepit. Post mensem autem Gorpiæum seu Septembrem, cùm sextum jàm mensem ipsa in utero haberet, qui scilicet est Dystrus seu Martius, ipsa deniquè Maria concepit. A Xanthico seu Aprili igitur incipiendo, novem menses si numeremus, in præsentem incidemus, quo Dominus noster Jesus Christus natus est.

6. Atque omnia quidem, quæ de hoc die dicenda erant, vobis hactenùs exposuimus. Unum tantùm si nunc addidero, orationi meæ finem imponam: quæ majora sunt, communi doctori dicenda relinquens[b]. Quoniam enim multi Ethnicorum, cùm audiunt Deum in carne natum, irrident nos et insectantur, multosque ex simplicioribus turbant atque inquietant, opus est, cùm ad ipsos, tùm ad hujusmodi qui hisce turbantur, sermonem dirigere, ne quid um-

[1] *Luc.* I, 5, 8-10. — [2] *Levit.* XVI, 17. — [3] *Luc.* I, 11. — [4] *Ibid.* 12, 13, 21 *et* 22. — [5] *Levit.* XVI, 29 *et* 31. — [6] *Luc.* I, 25. — [7] *Ibid.* I, 30 *et* 31. — [8] *Ibid.* 35-37.

[a] Orationes quinque contra Judæos à Chrysostomo mense Septembri habitæ sunt: quas hìc in memoriam revocat.

[b] Nimirùm Flaviano Episcopo, coramque se planè perorare bis verbis demonstrat.

quàm insanis hominibus acquiescentes commoveantur, aut turbentur ex hujusmodi infidelium irrisione. Nam et parvi pueri res serias, atque adeò necessarias sæpè nobis agitantibus ridere solent; non tamen idcircò risus hic argumentum est rerum quæ ridentur, vilitatis, sed eorum qui rident, stoliditatis. Quod idem nobis de hisce Ethnicis dicere licet: qui pueris ipsis propè amentiores cùm sint, ea irrident quæ religioso quodam horrore atque omni admiratione plena sunt; illa autem quæ reverà ridenda erant, magnificè extollunt atque exornant. Verumenimverò et nostra ità ab ipsis irrisa in propriâ suâ nihilominùs majestate perdurant, nullo per ipsorum risum, quod ad præstantiam suam attinet, damno accepto; et ipsorum contrà, licèt exornata, privatam suam turpitudinem produnt. Nonne enim extremi cujusdam stuporis est illos errones, in lapides, ligna et vilia signa deos suos inducentes, et tamquàm in carcere quopiam concludentes, nihil tamen arbitrari se turpe aut dicere aut facere; nos autem accusare quòd asseramus Deum sibi templum vivum construxisse ex Spiritu sancto, per quod orbi terrarum universo profuit? Et cujusmodi tandem hoc accusationis genus? Si enim turpe est Deum in humano corpore habitare, multò magis in ligno et lapide[a]; sanè tantò turpius, quantò lapis et lignum homine vilius, nisi fortè ipsâ materiâ sensûs experte genus nostrum abjectius illis esse videatur. Quin etiam in feles et canes ipsi, multi autem hæreticorum in alia insuper hisce ignominiosiora audent Dei essentiam habitatum immittere. Quod nos neque dicimus, neque dicentes aliquandò audire sustineamus; sed illud tantùm asserimus, Christum carnem mundam, sanctam, irreprehensibilem, peccatoque omni inaccessam, ex virgineo utero prodeuntem assumpsisse, atque ità suum figmentum restauràsse. Ac illi quidem, et qui pari cum ipsis impietate delinquunt Manichæi, in canes et simias ferasque omnis generis divinam essentiam inducentes (animam enim omnibus his ex illâ essentiâ esse dicunt), non horrent neque erubescunt; nos verò Deo indigna dicere aiunt, quia nihil horum ne cogitatione quidem admittimus, sed tantùm quod Deo conveniens atque decens erat dicimus, nempè ipsum advenisse, et hoc generationis modo proprium suum opus restauràsse. Quid ais? Dic mihi. Tune, qui homicidarum et præstigiatorum animam divinæ essentiæ esse asseris, nos accusare audes, qui horum quidem nihil non modò non ferimus aut sustinemus audire, sed qui illa dicunt, impios esse judicamus? Quid igitur dicimus? Illud nimirùm, Deum constructo sancto hoc sibi templo, per idipsum ex cœlo cœlestem quemdam rerum statum in vitam nostram invexisse. Et quidni meritò milliès vos capitis damnandi, tùm ob accusationem, quà nos impetitis, tùm ob impietatem, quam in Deum admittere non desistitis? Si enim Deo est indecens, ut vos dicitis, inhabitare corpus purum et immaculatum, multò certè indecentius est præstigiatoris, sepulchrorum suffossoris, latronis, imò simiæ et canis; non autem sanctum illud atque incontaminatum, quodque nunc in dexterâ Patris sedet. Quod enim damnum aut macula Deo accesserit ex hàc œconomià? Non videtis solem hunc, cujus corpus sensibile, corruptioni subjectum atque infirmum est, rumpantur licèt milliès hæc audientes Gentiles ac Manichæi? Neque verò sol dumtaxat, sed etiam terra, mare, atque omnis omninò rerum fabrica sub aspectum cadens, vanitati subjecta est. Nam audi Paulum hoc manifestè docentem, dùm ait: *Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe*[1]. Qui deindè ostendere volens quidnam sit illud vanitati subjectum esse, subintulit dicens: *Quia et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*[2]. Nempè corruptibile quid nunc est creatura, siquidem corruptioni servire nihil est aliud quàm corruptibile esse. Quod si ergò sol, corpus corruptibile cùm sit, ubique radios suos emittit, cœno, sordibus, aliisque multis id genus rebus sese communicans, nihil tamen ex hàc fœditate corporearum istiusmodi sordium in suà illâ puritate læditur, sed mundos illos suos in se radios retrahit, ac multis rursùm corporibus, quæ ipsum suscipiunt, vim suam virtutemque participat, ac noxii aut sordidi ex illis ne minimum quidem ipse in se recipiens, quantò magis justitiæ ille Sol, ille virtutum incorporearum Dominus, in puram carnem ingrediens non solùm non inquinatus est, sed contrà etiam puriorem eam ipsam sanctioremque effecit? Atque hæc quidem omnia mente volventes, et commemorantes divinam vocem, dicentem: *Inhabitabo in illis, et inambulabo*[3]; et rursùm: *Vos templum Dei estis*[4]; et: *Spiritus Dei inhabitat in vobis*[5], etiam nos adversùs istos dicamus, et impudentia impiorum ora obstruamus, nostrisque interim bonis lætemur, ac Deum incarnatum ob tàm indulgentem ad nos usquè suî demissionem glorificemus, et pro virium nostrarum facultate condignam ipsi venerationem gratiamque reddamus. Deo autem nulla à nobis gratiarum par retributio fieri queat, nisi solùm ea quæ consistit in nostrâ animarumque nostrarum salute, atque in virtutis studio.

7. Ne simus ergò hìc ingrati erga tanti in nos

[1] *Rom.* VIII, 20. — [2] *Ibid.* 21. — [3] II *Cor.* VI, 16. — [4] *Ibid.* — [5] I *Cor.* III, 16.

[a] Vide Athanasium et Patres alios qui hoc argumento adversùs Gentiles usi fuere.

beneficii auctorem, sed omnes omnia ei pro virili offeramus, fidem, spem, charitatem, temperantiam, misericordiam, hospitalitatem. Et ad quod nuper vos cohortatus sum [a], ad id etiam nunc et in posterum semper vos cohortari non desistam. Quidnam hoc? Cùm accessuri estis ad tremendam divinamque illam mensam et sacra mysteria, cum timore ac tremore hoc facite, cum purâ conscientiâ, cum jejunio, et precatione, non tumultuantes, non calcitrantes, non proximum impellentes; extremæ enim hoc superbiæ est contemptionisque minimè vulgaris : quarè etiam talia perpetrantibus punitionem multam conciliat. Tecum reputa, ô homo, qualem hostiam es contrectaturus, qualem mensam aditurus : tecum reputa, quòd, cùm terra sis et cinis, corpus et sanguinem Christi sumis. Et si vos rex quidem ad convivium vocet, cum timore accumbitis, cibosque appositos cum reverentiâ et silentio sumitis; Deo autem te ad suam mensam vocante, Filiumque suum ibi apponente, ubi Angelicæ potestates assistunt cum timore et tremore, ubi Cherubini velant facies suas, atque Seraphini cum tremore clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* [1], tu mihi audes vociferando ac tumultuando ad spiritale illud convivium accedere? An te fugit eo tempore multâ tranquillitate mentem esse plenam oportere, multâque pace ac quiete opus esse, non autem tumultu, iracundiâ strepituque? Hæc enim immundam animam accedentem efficiunt. Quænam autem venia nobis habeatur, si post tanta peccata, saltem tempus hoc, quo ad sacram hanc mensam adimus, ab irrationabilibus hisce perturbationibus non purgemus? Quid autem omninò est magis necessarium, quàm ea quæ in hâc mensâ proponuntur? Aut quid urget nos ut connitamur, et spiritualibus rebus relictis, ad ea quæ carnem spectant, properemus? Ne, rogo vos atque obtestor, ne divinam in nos iram concitemus : medicamentum est id quod proponitur vulnerum nostrorum salutare, divitiæ indesinentes, quæ cœlorum nobis regnum conciliant. Cum horrore itaque accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata nostra: lacrymemur mala nostra lugentes: intentas ac largas preces Deo fundamus ; sicque nos ipsos emundantes, tacitè et cum debitâ modestiâ tamquàm ad cœlorum Regem adeuntes accedamus, sanctamque hanc et immaculatam hostiam recipientes, exosculemur, oculis eam complexi [b], mentemque et animum incendamus, ne in judicium aut damnationem conveniamus, sed in animæ temperantiam, in dilectionem, in virtutem, et cum Deo reconciliationem, in pacem firmam, ac mille deniquè bonorum occasionem, ut et nos ipsos sanctos reddamus, et proximos ædificemus. De his assiduè vobiscum ago, nec agere desistam. Quæ enim utilitas omninò temerè huc concurrere, si nihil quod utile sit, addiscatis? Quodnam, obsecro, lucrum affert, semper ad gratiam vobis concionari? Breve præsens hoc tempus est, ô dilecti : sobrii simus, vigilemus, nos ipsos componamus : omne benevoli animi studium in omnes sincerè ostendamus : in omnibus reverenter agamus: seu divina verba audire, sive orare, sive ad Dei mensam accedere, sive aliud quid deniquè faciendum sit, cum timore ac tremore id fiat, ne negligentiâ nostrâ maledictionem nobis accersamus : *Maledictus enim,* inquit Propheta, *omnis, qui facit opus Domini negligenter* [2]. Tumultuatio enim et iracundia efficitur contumelia in hostiam quæ proponitur. Certè extrema contemptio est, contaminatum se offerre Deo; nam audi quid de talibus dicat Apostolus : *Si quis templum Dei corrumpat, disperdet illum Deus* [3]. Ne ergò pro eo quòd Deum nobis reconciliare debebamus, eum in nos irritemus; sed omnem curam, munditiem, animæque tranquillitatem præ nobis ferentes, cum precibus et corde contrito accedamus, ut hoc pacto Dominum nostrum Jesum Christum nobis propitium reddentes, promissa nobis bona obtinere possimus gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi : cum quo Patri unà cum sancto Spiritu gloria, potestas, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA II [c].

NUM. I. Non fortuitò, sed decreto divino natus est Salvator eo tempore quo *exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Visionem Nabuchodonosoris Daniel interpretatur. — 2. Christus est lapis

[1] *Isai.* VI, 3. — [2] *Jerem.* XLVIII, 10. — [3] I *Cor.* III, 17.

[a] Vide suprà Homiliam in S. Philogonium, pp. 110-112.

[b] Respicit morem sumendi Eucharistiam tunc solennem, ut cuique in manus daretur, isque secum orans et exosculans, quin et oculis circumducens, ut faciunt Græci in hujusmodi cærimoniis etiamnùm plurimi, sumeret.

[c] In edit. B. de Montfaucon præfertur titulus ille : « Homilia in illud : *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, et in descriptionem Deiparæ. » Non lectu indigna est hæc Homilia, licèt à Salvilio, Frontone Ducæo, Tillemontio, quibus nos adstipulamur, Chrysostomo abjudicanda censeatur. Stylus non inventionem quidem illam Chrysostomi præfert, non profluentem orandi modum, non similitudinum frequentiam, non popula-

qui factus est in montem magnum. Visio Danielis circa quatuor bestias quæ significant quatuor regna. — 3. Nihil Christi Nativitate pauperius. Pastores inveniunt in speluncâ puerum, Mariam quæ est verè ejus mater, et Joseph, atque Deum Pastorem adorant.

1. Cum communis omnium nostrum Servator nasciturus est, dilectissimi, à Cæsare Augusto in totum orbem terrarum universale exit edictum; nam quoniam universalis gratia quædam toti mundo affulsura erat, ea quæ sunt reipublicæ cum religione quodammodò connectuntur, et in universum orbem fit unum decretum Servatore nascente. *Exiit* igitur *edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, in præparationem concordiæ concentûsque religionis, ut Evangelii prædicationi via sterneretur, ut iter doctrinæ præpararetur. Priùs quidem multi erant principatus, quandò Cæsaris non erat edictum præconii ejusdem universalis; postquàm autem per universum terrarum orbem communi quodam præconio religionis fides propaganda fuit, tùm universus orbis sub unâ tesserâ copulatur: neque tantùm orbis terrarum, sed et cœlestibus terrena junguntur, et magno hominum commodo pietas ac Dei cultus publicatur, ut nemini divina veritas occultetur. Imperat Cæsar Augustus, et paret Joseph, ac Virginem secum assumit. Cùm Græcum ac Gentilem aliquem, vel ipsum etiam Judæum interrogaveris, quamobrem Augusto tantum honoris obtigerit, ut multo tempore regnârit (annos enim sex et quinquaginta mensesque quatuor imperavit), nihil illi quidem respondent; ipsi verò sorte aliquâ longissimum temporis spatium obvenisse arbitrantur, neque rerum causas intelligunt, neque Dei gratiæ credunt; ejus enim ætate natus est Jesus Christus. Si igitur Romanorum imperator Augustus et eorum primus, eo imperante solùm, Salvator Christus meritò in ipsâ constitutione imperii Romanorum dispensationem in carne suscepit. Erat quippè immittenda virga ferrea, de quâ dixit David : *Reges eos in virgâ ferreâ*; et : *Postula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* [1], quasi solus cum Filio Pater colloqueretur ac diceret : Regnum tuum aspernati sunt Judæi, tuumque imperium probris affecerunt: contemptibilis natio est hæc: pauci sunt qui aversati sunt: *Postula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, non angulum Palæstinæ, neque circumcisam nationem, vanam et animâ vecordi præditam, sed *dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges* autem *eos*, quandoquidem Evangelio obedire noluerunt, quandoquidem miraculis credere noluerunt, *reges eos*, non sermone, sed opere et *virgâ ferreâ*, imperio Romano: proptereà virgæ imperio sunt subjecti. Nam cùm Jerosolymam venisset Jesus, et in templo mercatum ac negotiationem turpi lucro redundantem conspexisset, vendebant quippè intùs, et emebant, et occasione ac specie sacrificiorum intra fanum ipsum mercaturam exercebant, cùm ergò virgam et flagellum de funiculis fecisset, ejecit eos de templo, dicens : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* [2]. Quòd si virgam illam toleràssent, non utiquè eos in virgâ ferreâ rexisset; quandò autem salutarem virgam ignominiosè rejecerunt, non flagello subjecti sunt, neque sermoni, qui minimè stupidos acrique præditos sensu castigat, sed virgæ ferreæ : ac sæpenumerò illam submovere conati sunt; sed comprehendit eos virga ferrea, quæ non simpliciter percutit, sed è medio tollit. Quo itaque tempore virga ferrea initium cœpit imperantis Augusti ætate, tunc nimirùm et Christus est natus. Principium Romanorum principium prædicationis, quartum temporum regnum. Hæc enim apud Prophetas mysticè in futurum recondita videre licet; nihil quippè non scriptum reperitur neque in Novo, neque in Veteri Testamento; sed Vetus Novum præoccupavit, et Vetus interpretatum est Novum. Sæpè dixi duo Testamenta esse et duas ancillas duasque sorores, quæ dominum unum satellitum in morem stipant. Dominus apud Prophetas annuntiatur, Christus in Novo prædicatur: non nova sunt nova, vetera siquidem præcesserunt : non exstincta sunt vetera, quippè quæ in Novo Testamento sunt exposita. Enimverò Danielem illum intueri potes, juvenem quidem ætate, prophetiâ verò jàm canum, in Babylone prophetantem. Quarè verò in Babylone? Fuerat quippè in captivitatem abductus populus in Babylonem, jàmque in terris Assyriorum septuaginta annos exegerat. Ibi ergò nascitur Daniel, ibi educatur [a]; neque tamen ullam ex alienigenarum regione labem contrahit. Erat enim eo sensu ac magnitudine animi præditus, quæ patribus digna esset, et ab ipsâ juventute fit Propheta, mentemque illius Spiritus sanctus afflavit; cùmque decem et octo annorum esset, prophetiam suam inchoavit Ac multa quidem sunt ea quæ prædixit; interpre-

[1] *Psalm.* II, 9 *et* 8. — [2] *Joan.* II, 16.

rem doctrinam ; nihil tamen hìc habetur à sagaci scriptore alienum. Licèt autem inscriptio censum et descriptionem Deiparæ præferat, illa tamen hypothesis perquàm minimam Homiliæ partem occupat; est quippè totus Orator in explanandâ Danielis de variis imperiis prophetiâ. Interpretationem latinam concinnavit Fronto Ducæus.

[a] Epiphanius, Severus et alii adductum volunt captivum, non ibi natum.

tatur autem et regna quatuor. Vidit enim Assyriorum rex Nabuchodonosor quatuor in imagine differentias, unum quidem corpus, quatuor verò colores; nam caput quidem aureum erat imagini, pectus argenteum, venter æreus, pedes ferrei; et ex quadruplici erat materiâ conflata. Et viderat quidem rex; qui verò interpretaretur, non erat. Venere magi, venere Chaldæi, producti sunt vates : qui regem seducebant, vocati sunt; quid verò illi respondent? *Dic nobis somnium, et interpretamur.* Deus sapienter providens, uti ne ab illis more solito deciperetur, omnem imaginem somnii ex regis memoriâ delevit, dicebatque rex illis : *Dicite mihi somnium meum.* Cùm autem illi se non posse alterius somnium narrare palàm faterentur, sed tantùm, ubi illud audivissent, interpretari, accersitur Daniel, postquàm indicatum est eum ad hæc præstanda idoneum esse; atque ad regem Nabuchodonosor introducitur, somnii afferens revelationem à Spiritu sancto manantem; et his verbis regem compellat : Hæc et ista vidisti, ô rex. Tùm simul atque hæc verba Propheta protulit, in audientis regis memoriam somnium rediit, et ex auditione recordatio nata est visionis. Interpretatur itaque illud Propheta; jàm enim ex ipsâ denuntiatione somnii fidem sibi conciliârat interpres, et ait : Imago quam vidisti, regna sunt quatuor; quatuor enim regna consurgent in terris. Atque illa quidem imago integra erat, unum corpus consistebat. Vidisti verò, rex, abscissum esse lapidem sine manibus, et imaginem contrivisse, ac lapidem occupâsse, atque implevisse terram universam. Hoc illud est quod vidisti : quatuor regna vidisti. *Tu es caput aureum.* Primi enim regnant Assyrii, opibus admodùm potentes et clarissimi, deliciisque ac mollitie perditissimi. Et ait illi : *Tu es caput aureum, et post te consurget regnum aliud minus te.* Nam post Assyrios regnant Persæ ac Medi; fuerunt autem et isti illustrissimi. *Tertium consurget regnum æreum*, Græcorum ac Macedonum regnum, quandoquidem, cùm in Græciâ esset Alexander, motis castris in Persidem impetum fecit, et Dario superato regnum ejus sub imperium suum ditionemque subjunxit. Comparatus est ergò æri, quòd sonorâ in colloquiis voce uteretur; Græci enim qui sub Alexandro merebant, ut et Alexander ipse, cùm facundâ et expeditâ in congressu linguâ sint præditi, cum ære collati sunt. Etenim splendidum quidem est aurum, at minùs sonorum; pariterque argentum : æs verò materiâ quidem ac mole minus; sed sonorum est, cùm pulsatur : ait ergò tertium regnum esse, quod per æs significatur. Quartum verò regnum et postremum est ferreum : *Reges* itaque *illos in virgâ ferreâ.* Vide concentum et concordiam prophetiæ; vidit quippè quomodò sine manibus lapis de monte sit abscissus. Quo pacto abscissus est? Non ferro, sed sine manibus; sponte enim et absque alienâ ope Virgo parit : lapis autem percussit imaginem, et factus est in montem magnum, et implevit universum orbem terrarum. Unus lapis terram implet omnem : *Ille quidem lapis abscissus est sine manibus, et factus est in montem magnum, et implevit universum orbem terrarum* [1].

2. Qualis tandem est lapis iste? Audi Isaiam dicentem : *Ecce ego pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali, et omnis qui credit in eum, non confundetur* [2]. Neque verò solus Isaias de lapide verba facit; sed et David prædicit : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino facta est hæc; et est mirabilis in oculis nostris* [3]. Qualis tandem angulus est factus? Omnis angulus duos parietes seipso conjungit; conjunxit autem hic lapis Novum ac Vetus Testamentum, duos populos ex Gentibus et ex Judæis : *A Domino facta est hæc; et est mirabilis in oculis nostris*, non in oculis omnium, sed in oculis nostris, qui credimus. Cùm igitur Ecclesiam videris per lapidem unum ex JudæisGentibusque conflatam, tùm maximè tibi veniat in mentem quod jàm dicitur. Verùm dicet fortassè quispiam : Ubi, quæso, sunt inter nos aliqui ex Judæis? Nam ex Gentibus quidem plerosque videmus; qui verò ex Judæis, ubi sunt? Undè erat Paulus? Undè erat Petrus? Undè porrò Andreas? Undè item Joannes? Undè denum millium Ecclesia in Jerusalem congregata? Primùm ex Judæis, deindè ex Græcis. Cùm enim ii qui apud ipsos erant, spem habentes pietatis, crediderunt, tùm venit illa virga ferrea, et eos qui in incredulitate permanserunt, dissipavit; *reges* enim *eos in virgâ ferreâ, et tamquàm vas figuli confringes eos* [4]. Quarè verò tamquàm vas figuli? Si ceciderit quidem lutum, dùm adhuc est humidum, in pristinum statum restituitur; sin autem jàm vas fuerit factum, ignique semel admotum, et in aridissimam testam conversum sit, postquàm fuerit confractum, non ampliùs resarciri potest : *Reges eos in virgâ ferreâ : tamquàm vasa figuli confringes eos.* In regno itaque ferreo Christus nascitur : abscissus est lapis sine manibus. Vide facta consona et verba similia : percussit imaginem, et effecit ut regna cessarent, quæ erant in terrâ; et factus est in montem magnum, ac totam terram implevit. Hoc somnium rex Nabuchodonosor viderat; oblitus autem erat somnii, ut ne illud magis narraret, et ab illis de more falleretur, dùm alia pro aliis ipsi referrent. Post paulùm verò temporis idem Da-

[1] *Dan.* II, 1-15. — [2] *Isai.* VIII, 14; XXVIII, 16; *Rom.* IX, 33 *et* I *Petr.* II, 7. — [3] *Psalm.* CXVII, 22 *et* 23. — [4] *Id.* II, 9.

niel aliâ ratione somnium videt. Videbatur enim ad mare consistere; neque verò illud somnium erat, sed revelatio visionis. Atque Daniel (pedetentim autem ac sensim prophetiæ figuram prosequamur): *Quatuor*, inquit, *bestiæ grandes ascendebant de mari*, *diversæ inter se*, et multa, *inquit*, erat in ipsis diversitas. *Prima quasi leæna, et alas habebat quasi aquilæ.* Illìc habes aurum, hìc leænam: quarè hìc leænam, et illìc aurum? Illìc aurum propter delicias et opes: hìc leænam ob femineum sexum et muliebrem mollitiem; sed tamen bestiam: *Prima quasi leæna.* Secundam bestiam vidit quasi ursum, et in parte unâ stetit. Illìc argentum; hìc verò ursus propter asperitatem ac violentiam. Tertiam, *inquit*, bestiam vidi quasi pardum, velocissimam belluam. Quandoquidem velocissimo incursu Macedonum rex Alexander in Orientem impetum fecit, comparatus est pardo. Illìc æs ob sonorum sermonem, quo Græci utuntur: hìc pardus ob incursionis et accessûs hostilis velocitatem. Quartam porrò bestiam appellat ille quidem: ejus tamen nomen non exprimit; sed terribilem eam dicit, atque adeò supra modum formidolosissimam: dentes ejus magni, comedens erat atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcabat; et ipsa autem diversa nimis præ omnibus bestiis, quæ ante eam; et terribilis erat bestia; neque dixit nomen ipsius. Nam quoniam futurum erat ut prophetiæ locus innotesceret, tempore Romanorum ipsum proferens, ne regnum ignominiæ notâ inuratur, sine nomine bestiam derelinquit, ne nomine expresso aliquid infamiæ in regnum redundet. Cùm igitur, *inquit*, vidi bestiam quartam, timui et contremui. Erat enim terribilis admodùm: omnia conculcabat, omnia conterebat, omnia devorabat, omnibus dominabatur quocumquè pergitabat, omnia sibi subjiciebat. Quid porrò ait? *Continuò flumen ignis vidi: thronus est positus: antiquus dierum sedit: mille millia deserviebant ei, et dena millia denum millium assistebant ei*, antiquo scilicet dierum. *Libri aperti sunt; et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniens; et usquè ad antiquum dierum pervenit.* Et quid deindè factum est? Non jàm bestiæ, non jàm mare, non jàm bestiarum terror; sed principatum accepit, et dominabatur ipse: *Regnum ejus, regnum sempiternum, quod non evertetur; et imperium ejus in generationem generationum.* Huc usquè, *inquit*, sermonis terminus [1]. Ac Propheta quidem ità regna quatuor videt; sic enim eum decebat, quia à rebus sæcularibus abstinebat; rex autem, prout ipsi conveniebat, ità videt tamquàm in auro, et argento, et ære, et ferro regna quatuor. Si enim rex in bestiarum specie regna vidisset, eique deindè interpretatus Daniel esset, absurdum fuisset ei dicere: Tu es prima bestia; probris siquidem eum quem alloquebatur, incessere visus esset; verùm intuetur rex tamquàm rex, et cernit Propheta tamquàm in aliâ figurâ similia. Hæc à nobis narrata sunt, dilectissimi, non sine causâ, neque temerè veterem historiam retexuimus; sed ut vos certiores redderemini, gloriâ, honore ac laude cumulatum et illustratum fuisse Augusti imperium, ac multo tempore duràsse, propterea quòd, eo imperante, natus est Christus; tantoque honore decoratus est vir ille, ut et nomen ejus titulus fieret dignitatis. Etenim operæ pretium est intelligatis eum annos sex et quinquaginta regnàsse; cùm verò duos et quadraginta annos complevisset, Christus nascitur: itaque spatio quindecim annorum regni ejus Christus educatur. Successit autem Augusto Tiberius, et in decimo octavo anno regni Tiberii, ad crucem venit, et patitur, et resurgit, et in cœlum ascendit; sic ut sint Augusti quidem quindecim, Tiberii autem octodecim; Jesus verò, Tiberio imperante, cùm annorum triginta esset, suam apud discipulos divinitatem declaravit, ac per tres deinceps annos prædicavit; ubique siquidem venerabilis Trinitas occurrit: quamobrem cùm annos tres prædicàsset, decimo octavo Tiberii anno ad Passionem venit, cùm dispensationem in carne perfecisset.

3. *Accidit igitur in illis diebus*, ut ad lectionem redeamus, *exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Hæc descriptio ipsa rerum est declaratio, prima est veritatis manifestatio, ut ne genus humanum vagum erret: hæc est descriptio prima. Nùm hoc quoque reticuerunt Prophetæ? Recurramus ad Testamentum Vetus, et res Judaicas adversùs Judæorum incredulitatem pervestigemus. Testem mihi advoco virum fide dignum Davidem, Judæis quidem vel solâ ejus mentione factâ venerabilem, Ecclesiæ verò fide dignum. Quid ergò inquit David? *Dominus narrabit in Scripturâ populorum et principum horum* [2]. Hæc sunt verba Prophetæ, hæc Evangelii sunt facta: *Hæc descriptio prima. Ascendit autem et Joseph*, inquit, *à Galilæâ, ex civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut describeretur illìc cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante*; nam in solis sponsalibus conceptio evenit. *Factum est autem cum essent ibi, et impleti sunt dies ut pareret: et peperit filium suum primogenitum, et pannis involvit, et posuit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Nihil hàc re vilius, nihil Christi Nativitate pauperius. Jesus mendicum agebat propter nos, qui dives erat: in præsepio Maria posuit Salvatorem: nihil erat quod substerneretur, nihil quo tegeretur

[1] *Dan.* VII, 1-28. — [2] *Psalm.* LXXXVI, 6.

nam neque obsequio hujusmodi cultuve indigebat, neque sæculari isto apparatu illi opus fuit, quemadmodùm neque ex naturæ legibus est conceptus. Sufficiebat enim Virginis ministerium; ipse verò cuncta disponebat. Itaque *posuit eum,* inquit, *in præsepio. Et pastores erant in regione eâdem excubantes.* Matthæus quidem Magos advenisse narrat; Lucas autem pastores in eâdem fuisse regione : illic Magi, hic pastores. Venitque Angelus ad eos, magna proclamans : *Magnum vobis hodiè gaudium evangelizo, quia natus est mundo Salvator in civitate David*; et uno Angelo verba faciente, aperti sunt cœli, unusque apparuit canentium hymnos concentus, ac dicentium : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum;* omnia siquidem conjungenda sunt, cœlum et terra connectenda sunt in unum, ut terrena fiant cœlestia, ut fiat pax iis qui longè habitant, et iis qui propè [1]. Pastores ergò felicem nuntium audiunt. Quam ob causam pastores? Quia nimirùm tamquàm oves aberraveramus, mundo Pastor advenit Jesus Christus, Salvator orbis terrarum, et pastores ob Pastorem evangelizantur, et: *Gloria in altissimis Deo;* futurum enim erat ut homines glorificarent, et gratias agerent ei qui pacem in terram miserat, eo quòd inimicitiis in Deum homines liberati erant. *In hominibus beneplacitum;* futurum enim erat ut ea quæ sunt pietatis, homines ut bona vellent, et bona censerent. Pastores itaque felici nuntio accepto, et hoc audito sermone, rem ipsam viderunt, in speluncam venerunt : non stratum viderunt, non lectum viderunt, non mensam apparatam viderunt, sed Mariam sedentem, et Joseph, et puerum reclinatum. Non commemorat primo loco patrem Evangelista, sed Mariam primùm commemorat; illa quippè verè est mater : imò verò nec ipsa mater, quandoquidem non naturaliter peperit, sed supernaturaliter concepit [a]; non enim sciebat quid fieret [b]; sed artificis instrumentum erat. Viderunt igitur Mariam, et Joseph, et puerum : auditis verbis, res ipsas viderunt, mirati sunt, salutem nacti sunt. Jacebat ergò puerulus, illo interim vili corporis cultu contentus, ejusdemque incrementum exspectans : et quemadmodùm artifex quidam exspectabat, atque officinam construebat, ut tamquàm citharœdus quidam citharâ uteretur, et ut sagittarius ad id quod opus fuisset, telo et sagittâ uteretur; ità et Jesus communicans omnibus paulatim augetur. Cur non igitur confestim? Cur non adultâ simul ætate perfectusque vir advenit? Venit ut naturam nostram imitaretur, ut massam per delibationem sanctificaret. Enimverò si jàm adultus ætate venisset et vir perfectus in mundum, dicturi fuissent hæretici Virginem eum minimè peperisse, neque ex genere nostro massam accepisse. Natus est ergò ex Virgine, cùm ex communi massâ accepisset, ut Adamum creaturam et figmentum suum sanctificaret; ideòque paulatim crescit : cum hominibus quidem conversatur ut homo, sed cùm sit naturæ Dominus, sine peccato vitam traducit. Cum ergò puerulum ipsum audieris, repete mihi prophetiam illam Isaiæ, quam olim dicebat : *Parvulus natus est nobis, cujus principatus factus est super humerum ejus, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi* [2]. Cùm parvulum audieris, noli nomen aspernari; sed Dei clementiam et salutem dispensationis admirare, ut dignus fias, qui Evangelica verba exaudias, per fidem prosequens, per patientiam exercitatus, per religionem decertans, per charitatem perfectus, per omnia integer factus in Christo Jesu Domino nostro : cum quo Patri simul cum Spiritu sancto gloria, potestas, honor et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA III [c].

NUM. 1. Christus nascens quasi ver est cœleste nobis. In Nativitate ejus duo præcipua mysteria, scilicet infans Deus et Virgo mater. — 2. Carnalis Christi generationis et tempus et locus. — 3. Signa quæ fiunt in generatione Christi.

1. Cùm post gelidam hiemem vernus calor elucet, tunc terra floridam herbam emittit, arbores comatis ramis ornantur, aer sole illustratus lætior est, et omnis avium chorus per æthera volans me-

[1] *Ephes.* II, 17. — [2] *Isai.* IX, 6.

[a] Quod non impedivit quin præstiterit B. Virgo in hâc conptione quod aliæ feminæ in conceptione filiorum suorum æstare solent, ut matres possint appellari, ità ut verè sit ter ipsa. Vide suprà, p. 224, n. 2.

In Hymno ad Laudes, in Nativitate Domini, cantatur :

Venter puellæ bajulat
Secreta quæ non noverat.

[c] Hæc Homilia quæ in editione B. de Montfaucon inscribitur « In Natale Domini nostri Jesu Christi, » desumpta fuit ex Savilio, Tom. 17, qui, ut dicit Combefisius, eam edidit ex Ms. Collegii novi Oxonensis; sed habetur inter spurias ab editoribus Maurinis. Porrò illam dividimus in duas partes, quarum prior, hic posita, ad Nativitatem Christi, posterior verò, quam infrà reperies, ad Epiphaniam pertinet.

lodiis personat. Tunc et qui montes incolunt bubulci et pastores, ex tuguriis egressi, jucunditate aeris vultus in meliorem formam mutant, et cum dulcisonarum avium cantibus, variis tibiarum sonis concertantes, oviumque sensus demulcentes, ad pascua agnos lento gressu ducunt. Tunc et agricola postquàm in tabernaculo falcem cote acuit, ad vineam concedit, ut putet inutiles vitis palmites. Tunc et marini nautæ tranquillum pelagus videntes, relictà terrà, ligno, aquæ et vento animas suas concredentes, læti dorso maris gestati, sine metu trajiciunt. In summâ, ne in ipso proœmio longior sim, omnis ars, omnis cura, ad vitæ hominum usum spectans, aere sereno, sine obice ad opera se confert. Age ergò, quia Christus nobis ver cœleste ex Virginis visceribus ortus est, frigidasque et procellosas diaboli nubes dissipavit, ac dormientia hominum corda ex fumo ignorantiæ expergefecit, ad cœlestem et beatam gloriam corda nostra excitemus. Sed linguæ meæ cursum reprimit Christi generatio divinitate fulgens, et me ad seipsam attrahit. Cùm enim infantem ex virgine natum sub conspectum duco, necnon virginem sine viri operâ prægnantem, et post partum virginem, rem curiosiùs exploro, et cùm modum non inveniam, id fide obsigno. Quomodò enim mirum non fuerit, neque omnem mentem superaverit, quòd virgo genuerit, et virgo post partum inventa fuerit? Quòd genuerit, natus infans probat; quòd verò post partum virgo permanserit, ipsa ejus corporis natura docuit. Vide ergò mysterium visibile et invisibile, quod capitur et non capitur, quod tangitur nec invenitur. Quis enim non videbat et non tangebat et infantem et matrem? Quis verò videns matrem virginem, et infantem virginis filium, mysterium curiosiùs inquirendo invenire potest? O mysterium verè cœleste et terrenum, ejus qui tenebatur et non tenebatur, videbatur et non apparebat? Talis enim erat qui hodiè natus est Christus, cœlestis et terrenus, qui tenebatur et non tenebatur, videbatur et invisibilis erat : cœlestis secundùm divinitatis naturam, terrenus secundùm humanam formam : qui videbatur secundùm carnem, invisibilis secundùm spiritum : qui tenebatur secundùm corpus, teneri non poterat ut Verbum. Sed Christus quidem Deus omnipotens, ut voluit, mundo suo natus apparuit; mentem verò meam magis obstupefacit virgo prægnans, quia virgo non de cœlo descenderat, sed ex semine David conspiciebatur : non ex spiritu, sed ex corpore et animâ constans, in utero concepit; atque id tumor uteri arguebat, et nullus infantis intùs inclusi sator apparebat. Cœlum enim inhabitat, et infantem in virgineo utero mysticè operabatur. Secundùm naturam nascebatur, et obstetrices [a] infantem virgineumque ventrem manutractabant, et corruptionem, ut in aliis mulieribus, non reperiebant; Deus enim erat qui per ipsam prodibat. O rubus, quem vidit Moyses in monte ardentem, et non combustum! Virgo Maria, gignens et non corrupta! O lapis, quem vidit Daniel ex monte excisum absque humanâ manu! O virginis infantis Virgo mater, et sacer Filius matris innuptæ! Ubi sunt curiosi illi exploratores? Dicant nobis quomodò virgo sine viro genuit infantem, nec gignendo corrupta est. Si autem modus investigari nequit, quia ex Spiritu sancto natus est, multò magis investigari nequit ineffabilis Verbi ex Patre generatio. Sed tu quidem credis; observas enim illam gignentem non corruptam fuisse : at Deum incusas, dicens : Si incorruptus Pater Filium suum gignens, secundùm stultitiam tuam corruptus est, multò magis virgo corruptibilis naturæ, gignens corrupta est. Si verò tu testificaris Virginem gignentem, non corruptam fuisse, multò magis crede incorruptum Patrem incorruptum Filium gignentem, non corruptum fuisse. Sed relictis blateronibus illis, ad theologos præcones accurramus.

2. *Cùm natus esset Jesus in Bethleem Judææ, in diebus Herodis regis* [1]. Necessariò Evangelista assignat et locum et tempus, ut qui generationem Christi secundùm carnem non credit, quærens et locum et tempus, rei veritatem inveniat; tempus enim ex Herodis regno apud chronographos quæsito, locum verò ex Bethleemi significatione reperiet. Nam si in mundanis pactis et consules scribuntur, et menses numerantur, et dies assignantur, et urbes annotantur ad dictorum securitatem, quantò magis oportet, quandò parta fuit universi mundi salus, et locum et tempus posteris accuratè significari. Et Matthæus quidem generationem Christi secundùm carnem ità narrat; Lucas verò præter accuratam temporum notam addit etiam descriptionem tunc primò factam, his verbis : Annò quadragesimo primo Cæsaris Augusti, *exiit edictum ab Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset ex domo et familiâ David, ut describeretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Annotat Lucas primam illam descriptionem, tùm ut tempus accuratè significet, tùm ut mysterium maximum et occultum subindicet. Dicit enim primam et violentam descriptionem [b], eo quòd factus est homo. Christo enim nato, et carne

[1] *Matth.* II, 1.

[a] Videtur respicere quod de obstetricibus est in Evangelio Jacobi apocrypho.

[b] Locus, ut videtur corruptus, sic fortè est restituendus, καὶ θεῖαν ἀπογραφὴν μετὰ τὸ. Dicit, *inquit*, Lucas primum etiam in cœlo factum censum, post creatum hominem.

demùm deificatâ, ac diabolo expulso morteque solutâ, oportebat animas justorum et fidelium nomina in cœlorum libris describi, Cæsare in terrâ jubente, Patre verò Angelis supernè præcipiente. Quapropter Dominus id discipulis suis prædicabat dicens : *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur; sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*[1]. *Cùm autem natus esset Jesus in Bethleem Judææ in diebus Herodis, ecce Magi ab Oriente venerunt, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam in Oriente, et venimus adorare eum*[2].

3. Hei mihi! miraculis superor, contemplationibus detineor, nec invenit lingua mea quid primò dicat, aut quid prætermittat. Si generationem ejus considerem, obstupesco, quia antequàm puer ex naturâ exiret, signa perficiebat. Annon hoc est maximum signum, quòd virgo postquàm genuit, virgo maneat, quòd cœlum tacens per stellam loquatur? Iis qui cupiebant natum videre, stellam mittit unà peregrinantem, quæ desideratum infantem ostenderet. Et Matthæus quidem Magos memorat ex Oriente venientes ; Lucas verò de Angelo loquitur : *Et pastores erant vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et Angelus Domini visus est eis, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus : Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est nobis hodiè Christus Dominus in civitate David. Et facta est subitò cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax, in hominibus beneplacitum.* Christus natus est, terrena cœlestibus junguntur, Angeli cum hominibus choreas agunt, pastores vigilant, et Magi adorant : cœlum luminibus fulget, et terra fructum suum splendidum in præsepio gestat. Et tunc impletum est id quod de terrâ scriptum erat : *Veritas de terrâ orta est*[3]; veritas enim est Christus qui dicit : *Ego sum via et veritas*[4]. *De terrâ,* id est, de Virgine ortus est secundùm carnem.

✠ S. CYRILLUS, ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPUS,

ET ECCLESIÆ DOCTOR[a].

NUM. 1. Tempus Nativitatis Jesu Christi utiliter, imò necessariò designatum. Evangelio demonstratur B. Virginem æquè ac Josephum de Davidis tribu esse. Duæ in Christo naturæ, unusque ex utrâque Deus Filius. — 2. Lucas utitur hîc voce *desponsatâ,* etsi hoc momento B. Virgo fuisset *nupta*, ut demonstret manentibus tantùm sponsalibus evenisse Conceptionem et Emmanuelis Nativitatem. Cur census edictus fuit? — 3. Vera acceptio verborum *primogeniti* et *unigeniti*. — 4. Cur Jesus in præsepio reclinatur? Cur mysterium Nativitatis ejus pastoribus ante omnes revelatur? — 5. Etsi infans recèns natus fasciis involutus sit, ostendit tamen quòd Deus est. — 6. Beneficia Incarnationis Domini. — 7. Deus solus bonum noscit. Inimici essemus Deo, sed ea res per Christum destructa fuit.

1. *Factum est autem diebus illis, exiit edictum*, etc. Utiliter, imò necessariò designavit Evangelista Servatoris nostri Nativitatis tempus. Namque ut cognoscamus regem de familiâ Davidis tunc nullum fuisse apud Israelitas, sed eorum principes defecisse, rectè meminit Cæsaris edictorum, ceu qui cum cæteris populis Judæam quoque sceptro suo cohiberet ; sic enim descriptionem omnium mortalium fieri mandaverat. *Eo quòd esset de domo et familiâ Davidis.* Sacrorum Evangeliorum Liber, ad Josephi stirpis seriem deducens, qui de Davidis familiâ genus erat sortitus, demonstrat simul Virginem quoque de Davidis tribu æquè ac illum fuisse, quia divina lex conjugia intra eamdem tribum fieri jubebat. Cæterùm cœlestium dogmatum Interpres, magnus Apostolus Paulus, veritatem palàm edicit, ex Judâ ortum esse Dominum testans[5]. Diversæ quidem ad veram unitatem faciendam concurrerunt naturæ, unusque ex utrâque Deus Filius, non quòd naturarum diversitas ob adunationem perempta fuerit; nam duarum potiùs naturarum adunatio facta est ; propterea unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Atque ob hanc inconfusæ adunationis sententiam, Deiparam quoque sanctam Virginem prædicamus, quia nimirùm Dei Verbum caro factum est et homo, atque ab ipso conceptu copulavit sibi sumptum ex Virgine templum. Cernimus enim duas naturas indivisibili adunatione copulatas, indistinctè, inseparabiliter. Nam caro, caro est, non deitas,

[1] *Luc.* X, 20. — [2] *Matth.* II, 1 et 2. — [3] *Psalm.* LXXXIV, 12. — [4] *Joan.* XIV, 6. — [5] *Hebr.* VII, 14.

[a] E Novâ Patrum Bibliothecâ Cardin. Mai, Romæ 1854. E Commentario S. Cyrilli in Lucam.

quamquàm Dei caro facta est. Æquè Verbum Deus est, non caro, quamquàm ob dispensationis mysterium carnem illam sibi propriam efficit. Etsi autem et diversæ et inæquales naturæ sunt quæ ad unitatem (Christi) faciendam concurrerunt, unus tamen ex utrâque solusque est; neque licet unicum Dominum Jesum Christum in hominem seorsùm dividere, et item in Deum seorsùm; sed unum eumdemque dicimus esse Christum Jesum, naturarum diversitatem probè scientem, ipsasque sine ullâ mutuâ confusione retinentem [a].

2. *Cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Desponsatam ait fuisse sacer Evangelista Josepho Mariam, ut demonstret manentibus tantùm sponsalibus evenisse Conceptionem miramque Emmanuelis Nativitatem, præter humanæ naturæ leges; non enim Virgo virili suscepto semine partum effudit. Quænam autem rei ratio? Omnium inchoatio, Christus, et secundus, ut aiunt Scripturæ, Adamus, Spiritu sancto operante genitus fuit, ut ad nos quoque gratiam transmitteret; futurum quippè erat ut nos pariter, haud jàm diutiùs hominum filii, sed Dei potiùs essemus, in Christo scilicet primò per Spiritum regenerationem adepti, ut fieret ipse *primogenitus inter omnes*, prout ait sapientissimus Paulus [1]. Providentissimè autem census occasio sanctam Virginem misit Bethleemum, ut alterius quoque vaticinii exitum videremus; scriptum est enim, ut diximus: *Et tu, Bethleem, domus Ephratæ, modica es* [b] *ut sis in millibus Judæ: ex te mihi exibit qui dux fiet in Israele* [2]. Iis autem qui dicunt quòd, si carnaliter peperit Virgo, ipsa corrupta fuerit, sin verò minùs corrupta fuerit, phantasticè tantùm peperisse, nos dicimus: Propheta ait Dominum Deum Israelis ingressum esse atque egressum, et tamen januam clausam mansisse [3]. Præthereà si inconfusè Verbum factum est caro, absque semine prorsùs conceptum, sine ullâ item corruptione natum est.

3. *Peperitque filium suum primogenitum.* Quem, inquam, *primogenitum? Primogenitum* nunc dicit, non primum inter fratres, sed primum simul et unicum; nam et hìc quoque vocabuli *primogeniti* sensus est. Etenim primus dicitur interdùm à Scripturâ qui unus est, veluti illud: *Ego sum Deus primus, et mecum non est alter* [4]. Ut ergò ostenderet haud simplicem hominem à Virgine genitum, addidit *primogenitum*; non enim alium habuit filium, cùm virgo permanserit, nisi Patris cœlestis Filium, de quo Deus Pater voce Davidis clamat: *Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ* [5]. Hujus sapientissimus quoque Paulus meminit dicens: *Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei* [6]. Jàm verò quomodò in mundum introiit? Est enim extra ipsum non localiter, sed potiùs naturaliter; diversus enim naturâ est à re quâvis in universo mundo contentâ. Introiit ergò in mundum, quatenùs factus est homo, mundique pars cœpit esse propter Incarnationem. Quamquàm verò divinitùs erat *unigenitus*, attamen postquàm frater noster evasit, tùm demùm *primogenitus* quoque nominatus est, ut quatenùs adoptivorum hominum princeps factus est, nos pariter Dei filios fieri curaret. *Primogenitum*, ob dispensationis mysterium, dictum esse puta; etenim secundùm deitatem *unigenitus* est. Rursùs *unigenitus* est, quatenùs Verbum est ex Patre, fratres naturales non habens, nec alii cuiquam connumeratus; unus enim solusque est consubstantialis Patri Filius Dei; *primogenitus* autem propter suam ad creaturas inclinationem. Cùm ergò *unigenitus* appellatur, sic nempè absolutè dicitur, quin ulla causa admisceatur, ob quam reapsè taliter nominetur, cùm utiquè *unigenitus Dei sit in Patris sinu* [7]. Cùm autem *primogenitum* ipsum sacræ appellant Scripturæ, statim addunt et quorum sit primogenitus, necnon causam ob quam ejusmodi appellationem sortitus sit. Dicunt enim *primogenitum inter multos fratres* [8], et *primogenitum ex mortuis* [9]; illud quidem, quatenùs factus est per omnia similis nobis absque peccato; alterum verò, quatenùs ipse primus carnem suam ad immortalitatem resuscitavit. Porrò *unigenitus* exstitit secundùm naturam, ceu solus ex Patre, Deus de Deo, solus de solo, Deus ex Deo effulgens, lumen de lumine; *primogenitus* autem propter nos, ut, quoniam primogenitus eorum qui facti sunt dicitur, per ipsum salvetur quidquid pari ac ille conditione est; nam si eum esse primogenitum prorsùs necesse est, sequitur ut ii quoque quorum est primogenitus, maneant. Quòd si, prout vult Eunomius, *primogenitus* ex Deo dicitur, ceu primus

[1] *Rom.* VIII, 29. — [2] *Matth.* II, 6 *et Mich.* V, 2. — [3] *Ezech.* XLIV, 2. — [4] *Isai.* XLV, 6. — [5] *Psalm.* LXXXVIII, 28. — [6] *Hebr.* I, 6. — [7] *Joan.* I, 18. — [8] *Rom.* VIII, 29. — [9] *Coloss.* I, 19.

[a] Sæpè etiam alibi, ut hìc, de duabus manentibus in Christo naturis perspicuè locutus est Cyrillus, putà, in Libris atque Epistolis adversùs Nestorium (præsertim in illâ quæ incipit Καταφλυαροῦσι), in Dialogo quòd unus sit Christus, in Scholiis, atque in novis, quæ nos ipsi edidimus, ejusdem Scriptis. Quamobrem singulari Severi Antiocheni impudentiâ atque mendacio opus fuit, ut Cyrillum hæreseos suæ Monophysiticæ patronum esse jactaret. MAI.

[b] Itâ quatuor Codices sine negante particulâ, uti reapsè se habet textus hebraicus Michææ, V, 2, cum græco et latino Vulgato: quâ super re satis dictum est à sacris Criticis, præsertim à S. Hieronymo ad Mich., loco citato, et Epist. 57.

inter multos genitus, pariterque sit Virginis *primogenitus*, utiquè ex hâc etiam talis fuerit, tamquàm alio prior. Jàm verò quia reapsè solus, non autem prior aliis, ex Mariâ *primogenitus* prodiit, utiquè ex Deo quoque *primogenitus* processit, non tamquàm primus in multis, sed tamquàm unicus reverà genitus [a]. Præthereà, si priora rectè dicuntur causa posteriorum, primòque Deus erat et Dei Filius, utiquè eorum qui filii appellantur causa Filius est, quia hi ab illo nomen sunt auspicati. Ergò qui posteriorum filiorum causa est, meritò dicetur *primogenitus*, non quòd primus ortu sit inter illos, sed quia obtinendæ filiorum appellationis causa ipsis fuit. Ac sicuti, quia Pater dicitur primus, juxta illud : *Ego sum*, inquit, *primus, et ego novissimus* [1], minimè hinc prorsùs cogimur credere illum posteriorum affinem [b]; ità, etiamsi primus dicitur in creatis rebus Filius, sive ante omnem creaturam *primogenitus*, non ideò tamen unus erit ullatenùs ex creatis. Sed quemadmodùm Pater, ut se principium omnium ostenderet, dixit : *Ego sum primus ;* sic etiam Filius primus in creatis rebus dicitur ; *per ipsum* enim *omnia sunt facta* [2], ipseque est creaturarum omnium principium, utpotè Conditor et Creator.

4. *Et reclinavit eum in præsepio.* Invenit hominem jumenti instar effectum : idcircò Jesus ceu pabulum in præsepi positus fuit, ut nos belluinam vitam amittentes, ad dignum homine intellectum redeamus, et qui animo efferato fuimus, ad hanc ejus præsepis mensam venientes, jàm non fenum inveniamus, sed panem de cœlo, corpus vivificum. *Et pastores erant in eâdem regione vigilantes.* Celebratum hymno ab Angelis mysterium pastoribus ante omnes revelatur, qui typum futurorum in Ecclesiâ Pastorum gerebant. Illos nimirùm oportuit primos audire verba : *In terrâ pax*, quia spiritales pastores pacem universo Ecclesiæ populo proclamaturi erant. Prætereà pastorum persona, et excitatum iis ex hâc revelatione gaudium, significant prorsùs advenisse ad errantem ovem pastorem. Etenim nihil magis pastores delectat quàm amissæ pecudis inventio; quam quidem invenire nemo, nisi princeps Pastorum Christus, poterat. Deindè quia Bethleem *panis domum* interpretamur, ubinam congregari post promulgatum Evangelium debebant pastores, nisi in spiritali cœlestis panis domo, id est, Ecclesiâ, in quâ mysticè quotidiè sacrificatur [c] is qui de cœlo descendit panis, et vitam mundo suppeditat [3]? Initiatorum primitiæ pastores fuerunt : rursùs itaque ad veritatem spectat typus ; spiritalibus namque pastoribus semet Christus demonstrat, ut hi deinceps ipsum aliis annuntient ; prorsùs ut tunc pastores à sanctis Angelis edocti, aliis vicissim festinantes rem nuntiaverunt. Itaque Angeli initium prædicandi Christi faciunt, laudantque ut Deum, illum qui ex muliere mirabiliter secundùm carnem natus erat. Deus enim reapsè erat in specie nostrâ rerum omnium Dominus, ut inflictam primæ mulieri maledictionem antiquaret; dictum quippè illi fuerat : *In dolore filios paries* [4]. Sed postquàm mulier incarnatum peperit Emmanuelem qui vita est, maledictionis vis excidit : exstinctus fuit unà cum morte etiam pariendi dolor in terrenis matribus [d]. Visne aliam quoque rei causam cognoscere? Sapientissimi Pauli memento, de Christo scribentis : *Quod enim impossibile erat in lege, quatenùs ea propter carnem infirmabatur, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et pro peccato, damnavit in carne peccatum, ut justificatio legis in nobis compleretur, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum* [5]. Quid ergò est, quòd in similitudinem carnis missum fuisse Filium dicit? Latet in carnis nostræ membris peccati lex, et congenitarum cupiditatum insanus motus. Dei autem Verbum homo factum, sanctam habuit carnem verèque purissimam, eratque in similitudine carnis nostræ, non tamen secundùm illam; alienum quippè omninò erat ab inhærentibus corpori nostro inquinationibus, motuque et proclivitate quæ nos ad illicita defert. Porrò hæc causa fuit cur Servator incarnari voluerit.

5. *Et pannis eum involvit.* Cùm vides infantem fasciis involutum, cave ne in ejus solâ secundùm carnem Nativitate mentem tuam defigas, sed scande potiùs ad dignæ Deo majestatis contemplationem, in cœlum nempè conscende; sic enim in supernis spectabis excelsitatibus eximiâ gloriâ circumdatum, videbis, inquam, in sublimi sedentem throno, audies Seraphim hymnis eum celebrantes, plenumque dicentes cœlum ac terram majestate ejus. Jàm idipsum in terrâ quoque peractum est ; etenim gloria Dei circumfulsit pastores, ac cœlestis exercitûs laudem Christo canentis multitudo. Plurimi certè nati sunt per tempora sancti Prophetæ ; nemo tamen illorum glorificatus fuit umquàm Angelorum voce; homines enim erant, et intra modulum nostrum servi Dei fideles. Non ità Christus; est enim Deus ac Dominus, et sanctorum Prophetarum missor, atque, ut ait Psalmista : *Quis in nubibus æquabitur Domino, et quis ei compa-*

[1] *Apoc.* XXII, 13. — [2] *Joan.* I, 3. — [3] *Id.* VI, 51 *et* 52. — [4] *Gen.* III, 16. — [5] *Rom.* VIII, 3 *et* 4.

[a] Animadverte acutum et theologicum Cyrilli argumentum.
[b] Affinem, *seu* congenitum.

[c] Animadverte Missæ quotidianæ in vetere etiam Ecclesiâ consuetudinem.
[d] Hoc spiritali aliquo sensu intelligendum videtur, nisi fortè Cyrillus unicè designat B. Mariam, quæ certè sine dolore peperit.

rabitur inter filios Dei [1] ? Etenim nobis quidem, qui sub jugo servilique conditione sumus, attributa est ab illo filiorum appellatio; sed enim Christus ipsa rei veritas est, nempè Dei Patris naturalis Filius, tunc etiam cùm caro factus est; mansit enim quod erat, etiam postquàm id assumpsit quod non erat. Quòd autem vera dicam, testabitur denuò Isaias, dicens : *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, cujus nomen appellabunt Emmanuelem : butyrum et mel comedet : priusquàm noverit mala præoptare, bonum eliget*, *quia nimirùm antequàm discernat puer bonum à malo, malitiæ resistet, ut bonum præoptet* [2]. Cæterùm quidni omnibus constet puerum nuper natum ac tenerum, qui ob brevitatem temporis atque ætatis quidquam intelligendo ineptus est, bonum à malo discernere prorsùs nequire; rei quippè omnis ignarus est ? At enim in omnium Servatore Christo, grande erat immensumque miraculum. Edebat enim, ceu adhuc puer, butyrum et mel. Butyrum autem lac virgineum appellat Propheta, propterea quòd haud ex feminea mollitià neque voluptate ac lubricitate effectum fuerat; concretum imò et solidum, nullamque habens peccati amaritudinem, sed mellis potiùs dulcedinem, siquidem quidquid Dei est, melle dulcius favoque est. Christo nato, statim diaboli potentia prædæ fuit. Et is quidem colebatur *Damasci;* ibique plurimos adoratores habebat. Verumtamen quo tempore sancta peperit Virgo, tyrannidis ejus vires confractæ sunt. Igitur ad veritatis notitiam ethnici pertracti fuerunt.

6. Mos est divinitùs inspiratæ Scripturæ, diversis nominibus universalem Deum appellandi, et quidem ex gestis per tempora rebus appellationes excogitandi. Id in Christo etiam factitatum est. Est enim verus Deus : quam rem illa quoque verba demonstrant : *Accelera spolia detrahere : festina prædari* [3]. Ejus initium crux fuit, per quam universi orbis regnum obtinuit [a], quandoquidem ipse verè usquè ad mortem crucis Patris obedivit. Animadverte, charissime, et intellige non ad ethnicorum consuetudines transisse eos qui per fidem sanctificati sunt, sed ad horum potiùs mores accessisse illos qui vocati fuere. Et carnivoræ quidem belluæ sunt lupus, leo, ursus, panthera; herbis autem pascuntur quicumque sunt cicures, hœdi, agni, vituli; sed feræ, inquit [b], unà cum cicuribus pascentur, et eorumdem escis utentur. Ergò nequaquàm cicures ad ferarum consuetudines transierunt; sed hæ potiùs ad illorum, ut dixi, mores conversæ sunt. Mutati sunt itaque homines ex ferino ingenio ad congruam sanctis mansuetudinem: immutati fuerunt per Christum, factique sunt agni qui erant lupi; ipse enim eos cicuravit, duosque populos, ut dixi, in religiosà sententià copulavit. Hoc olim hierophanta quoque Moyses prædicavit, dicens : *Lætamini, Gentes, cum populo ejus : Dominum Deum nostrum magnificate* [4].

7. Quia enim Deus ineffabiliter incarnatus erat, solus ipse bonum noscebat, humanâque malitià carebat, quod utiquè excelsæ præ omnibus substantiæ proprium est; nam quod naturaliter, firmiter atque immutabiliter bonum est, id ei unicè proprièque convenit; nam *nemo bonus, nisi solus Deus* [5], juxta ipsius Servatoris effatum. Cave igitur, ne ut infantulum tantummodò in præsepi jacentem spectes, sed potiùs divitem in paupertate nostrà Deum, ejusque rei causâ à sanctis ipsis Angelis decantatum, cujusmodi ille hymnus erat : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax, inter homines bona voluntas.* Profectò Angeli, cunctæque sanctæ Virtutes, quæ attributum sibi ordinem retinuerunt, pacem quoque cum Deo conservant, nullatenùs voluntatem ejus transgrediuntur, sed in stabili justitiâ ac sanctitate manent. Nos verò miseri, qui Domini mandatis cupiditates nostras opposuimus, hostium instar apud illum evasimus. Verumtamen ea res per Christum destructa fuit, qui nostra pax est, nosque Patri Deo conjunxit, causam odii peccatum de medio tollens, fide justificans, sibique proximos faciens qui longè aberant, alioqui etiam *condens duos populos in unum novum hominem, pacem faciens, duosque illos in uno corpore Patri reconcilians* [6]. Placuit enim Deo Patri *cuncta in Christo instaurare* [7], et cum superioribus infima copulare, atque unum gregem efficere, cœlestes atque terrestres. Factus est itaque Christus pax nobis et bona voluntas. *Dixitque illis Angelus,* etc. Credendum est Archangelum hunc fuisse, pastoribus gaudii nuntium, qui, cum exercitu suo, cœlo descendit ad salutis humanæ felicem notitiam perferendam, solus tamen pastores alloquens, quorum oculis agmen ab ipso ductum non apparebat, propter Angelicæ naturæ invisibilitatem.

[1] *Psalm.* LXXXVIII, 7. — [2] *Isai.* VII, 14-16. — [3] *Id.* VIII, 3.— [4] *Deut.* XXXII, 43. — [5] *Matth.* XIX, 17. — [6] *Ephes.* II, 13-16. — [7] *Id.* I, 10.

[a] Haud scio an Cyrillus hoc loco innuere videatur amigeratam illam lectionem Psalmi XCV, 10 : *Dominus regnavit à ligno;* de quâ tot verba à philologis sacrisque Criticis facta sunt. MAI.

[b] Isaias, cap. XI, 6-7 et LXV, 25.

✠ THEOPHILACTUS, ARCHIEPIS. ACRIDIS IN BULGARIA.

Num. 1. Cur Christus censetur? Cur in præsepio nasci dignatus est? — 2. Pastores, ob simplicitatem et innocentiam morum, moniti sunt ab Angelo de Nativitate Domini. Gaudent Angeli de pace hominibus datâ.

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit decretum à Cæsare Augusto, ut censeretur totus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside Syriæ Cyreno. Et ibant omnes ut profiterentur, in suam quisque civitatem. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore, quæ erat prægnans. Accidit autem, cùm essent ibi, completi sunt dies pariendi. Et peperit filium suum primogenitum, ac fasciis eum involvit, reclinavit eum in præsepi, quòd non esset eis locus in diversorio.* Propterea fit descriptio, ut, cùm omnes in suas patrias irent, ascenderet et Virgo in Bethleem, quæ ejus patria erat, nasceretur que sic Dominus in Bethleem, ac impleretur prophetia. Decebat autem ut, cùm Deus unus multorum deorum cultui finem esset impositurus, unus etiam rex, nempè Cæsar, imperaret. Porrò Christus cum omnibus describitur; oportebat enim etiam Dominum cum toto orbe censeri, ut sanctificaret eos qui censentur, aboleretque servitutem : quoniam sicut circumcisus circumcisionem abolevit; ità descriptus sicut servus, servitutem naturæ nostræ abolevit; non enim ultrà sunt servi hominum, qui Domino serviunt, sicut Apostolus dicit : *Nolite fieri servi hominum; sed tametsi corpore simus servi, spiritu tamen sumus liberi, neque cum impietate dominorum simul abducimur* [1]. Primogenitum verò filium nominavit Virginis Dominum, quamvis nullum secundum pepererit, idque meritò; primogenitus enim dicitur, qui primus natus est, etiamsi non nascatur posteà secundus. In præsepium autem reclinatur, fortè ut statim ab initio vitæ frugalitatem nos doceret, fortè etiam quodam symbolo declaravit quòd peregrinatus sit in hoc mundo, qui locus noster est, qui brutis animantibus comparati sumus. Sicut et præsepe proprius brutorum locus est; ità nostrum præsepe est mundus, nos verò bruta : ut autem nos redimeret à brutorum sensu et irrationabilitate, propterea et ipse tali loco fuit reclinatus.

2. *Et pastores erant in regione eâdem rusticantes, et excubantes excubias nocte super gregem suum; et ecce Angelus Domini adstitit illis, et claritas Domini circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus : Ne timeatis; ecce enim annuntio vobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo, quia natus est vobis hodiè Servator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem fasciis involutum, positum in præsepi. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, ac dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax, in hominibus bona voluntas.* Pastores erant rusticantes, hoc est, vel rusticam agentes vitam, vel in agro stabulantes et versantes : quibus apparet Angelus, propter simplicitatem et innocentiam morum, et quòd justorum vitam imitari videantur; etenim prisci Patriarchæ pastores erant, ut Jacob, Moyses, David. Neque in Jerusalem apparuit Pharisæis vel Scribis, qui omnis malitiæ receptacula erant. Illi autem, cùm simplices essent, divinis spectaculis potiti sunt, monstrante Deo quòd statim ab initio eos agrestiores præ aliis elegerit, præconesque fecerit; abierunt enim, et de omnibus illis prædicàrunt. Angelus verò magnum illis gaudium evangelizavit, quod futurum omni populo, qui propriè populus Dei; nam et omnium hominum populo Incarnatio Dei facta est gaudium. Quid autem hymnus Angelorum declarat? Vel omninò gratiarum actionem supernorum exercituum, et gaudium, eo quòd terreni beneficia tanta consequamur; gloriam enim Deo dicunt; super terram autem pax nunc facta est; et cùm priùs humana natura inimica fuerit Deo, nunc ità conciliata est, ut et Deo adjuncta sit, et incarnatione unita. Vides igitur pacem Dei cum homine. Et aliter quoque intelligitur : pax est ipse Filius Dei : *Ego enim*, inquit, *pax* [2]. Ista igitur pax, Filius Dei, inquam, super terram facta est. *Et in hominibus bona voluntas*, hoc est, Deo requies in illis hominibus. Requievit enim sive refocillatus est nunc et benè habitus in hominibus; nam priùs quidem non sibi complacuit, nec bonum affectum habuit in hominibus.

[1] *Galat.* V, 1 *et* 13. — [2] *Joan.* XIV, 27 *et* XX, 21.

II. PATRES ET SCRIPTORES LATINI.

S. AMBROSII, MEDIOLANENSIS EPISCOPI,

ET ECCLESIÆ DOCTORIS, HOMILIA I [a].

Num. 1. Christus in primâ orbis descriptione nascitur, novum ipse instituturus censum. Christi census per fidem. — 2. Census mentium. Christi Nativitas in nostro cujusque pectore. — 3. A divinâ Christi generatione Joannes ad temporalem descendit. — 4. Majus redemptionis beneficium quàm creationis. — 5. Gentes irrationabiles præsepe Domini agnoverunt. Deum esse probant multa signa. — 6. Grex est populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. — 7. Laudatur de cœlis Dominus et videtur in terris.

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* De ortu Salvatoris dicturi, non putamus alienum ut, quo natus sit tempore, requiramus. Quid enim professio sæcularium ad generationem Domini pertineret, nisi ut advertamus hoc quoque divinum esse mysterium, quia, dùm professio sæcularis obtenditur, spiritalis impletur, non terrarum regi dicanda, sed cœli? Professio ista [b] fidei, census est animorum; abolito enim Synagogæ censu vetusto, novus census Ecclesiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, sed auferret: et spiritaliter in typo plebs sua jam Christo nomina conferebat. Non hîc spatia terrarum, sed mentium animorumque censentur: nec describuntur limites, sed proferuntur: nec ætas ulla distinguitur, sed omnis adscribitur; nullus [c] enim ab hoc immunis est censu, quia omnis ætas munifica Christo est, quem vagientes pueri martyrio confitentur [1], quem intra uterum positi exsultatione testantur [2]. Nihil in hoc censu vereare terribile, nihil immite, nihil triste: sola unumquemque fides signat. Vis Christi audire censores? Jubentur [d] censere sine virgis: nec terrore, sed gratiâ plebem quærere: recondere gladium, non possidere aurum [3]. Talibus censoribus acquisitus est orbis. Deniquè, ut scias censum non Augusti esse, sed Christi, totus orbis profiteri jubetur. Quandò nascitur Christus, omnes profitentur: quandò mundus concluditur, omnes periclitantur. Quis ergò poterat professionem totius orbis exigere, nisi qui totius habebat orbis imperium? Non enim Augusti, sed *Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo* [4]. Gothis non imperabat Augustus, non imperabat Armeniis: imperabat Christus. Acceperunt utiquè Christi censorem [e], qui Christi Martyres ediderunt. Et ideò fortassè nos vincunt, ut præsentia docent, quoniam quem illi oblatione sanguinis fatebantur, huic Ariani quæstionem generis inferebant.

2. *Hæc*, inquit, *descriptio prima facta est sub præside Syriæ Cyrino.* Atqui plerasque jam partes terrarum sæpè fuisse descriptas loquuntur historiæ. Hæc est ergò professio prima [f], sed mentium: cui omnes profitentur, quia nullus excipitur, non præ-

[1] *Matth.* II, 16 *et seqq.*— [2] *Luc.* I, 44.— [3] *Matth.* X, 9 *et* 10. — [4] *Psalm.* XXIII, 1.

[a] Ex Expositione Evangelii secundùm Lucam, Lib. 2. — Ex editione Jac. Du Frische et Nic. Le Nourry. Paris., 1686-90.

[b] Romana editio post voces « Professio ista, » loco moverat dictionem « fidei, » quæ tamen omnium vet. edit. ac Mss. auctoritate propugnatur. Iterùm eadem editio pro, « qui tormenta non exigeret, » reposuerat, « qui tributa non exigeret. » Perperàm; etenim obscurum non est allusionem fieri ad censoriam Romanorum disciplinam, quam constat fuisse longè severissimam. Ipseque Ambrosius hoc infrà satis apertè indicat, cùm illi opponens Christi censuram, dicit: « Nihil in hoc « censu vereare terribile, nihil immite, nihil triste: sola unum- « quemque fides signat, etc. » His autem ultimis verbis innuitur ille vetus censorum ritus, quo nonnullos ignominiæ causâ Ceritum ceris sive tabulis adscribebant: quò spectat illud Horatii, Epist. 6, Lib. 1:

> « Quid deceat, quid non, obliti: Cerite, cerâ
> « Digni, etc. »

Quâ de re parœmia exstat apud Eras., Chil. 1, Cent. 10, Ada. 81.

[c] Mares ante annum decimum quartum, feminæ ante decimum secundum, non cogebantur apud censores profiteri, cùm ante illam ætatem tributum ab eisdem non exigeretur. Consule super hoc J. Lipsium, Lib. 2 de Mag. Rom., cap. 3.

[d] Sic omnes Mss. Contra verò cunctæ edit.: « Jubentur censere, sed non virgis. » Minùs benè, cùm manifesta fiat allusio ad Luc. IX, 3, ubi prohibentur Apostoli ne virgam ferant, ad proseminandum Evangelium proficiscentes.

[e] Sanctus Ambrosius respicit fortè hic magnum Gregorium, Armeniorum Apostolum.

[f] Edit. omnes, « professio prima, non terrarum, sed mentium. » Apertus sensus; verùm quia in cunctis et Gall. et Vat. Cod. desunt « non terrarum; » et alioqui potest sententia constare illis expunctis, in hoc Mss. consensum sequi maluimus. Dicitur autem « professio prima, » non absolutè, sed prima sub Cyrino, ut opponatur secundæ sub eodem peractæ, ut docent Baronius, Appar. ad Annales Eccles., p. 29, Jans. Gandavensis aliique interpretes in hunc locum. Sed litteralem sensum undè parùm utilitatis redire poterat ad suos lectores, hoc loco non excutit B. Ambrosius. Quod porrò subditur, « non præconis evocatione, » hoc satis declarat suos præcones fuisse censoribus, licèt hoc negetur à nonnullis. Qui de censurâ

conis evocatione, sed Vatis, qui multò antè prædixit : *Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis, quoniam Deus summus, terribilis, et Rex magnus super omnem terram* [1]. Deniquè, ut scias censum esse justitiæ, veniunt ad eum Joseph et Maria, hoc est, justus et virgo : ille, qui Verbum servaret, ista quæ pareret. Ubi profitentur justus et virgo, nisi ubi nascitur Christus? *Omnis enim spiritus qui confitetur Jesum in carne venisse, de Deo est* [2]. Ubi autem secundùm altiorem rationem nascitur Christus, nisi in corde tuo et in pectore tuo? *Propè est enim Verbum in ore tuo et in corde tuo* [3]. Pulchrè autem quòd et præsidis nomen addidit, ut seriem temporis designaret : *Præside*, inquit, *Cyrino facta est hæc prima professio*, ut quasi consulem quemdam, signi gratiâ, huic Libro Evangelista adscripsisse videatur ; nam si consules adscribuntur tabulis emptionis, quantò magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi! Habes ergò omnia quæ in contractibus esse consueverunt, vocabulum summam illic potestatem gerentis, diem, locum, causam. Testes quoque adhiberi solent : hos quoque nativitati suæ et generationi secundùm carnem Christus adhibuit, qui signarent Evangelium, dicens : *Vos eritis mihi testes in Jerusalem* [4].

3. *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et posuit in præsepio, quia non erat locus in eo diversorio* [a]. Breviter sanctus Lucas et quo modo, et quo tempore, et quo loco secundùm carnem Christus natus sit, explicavit. At verò de cœlesti generatione si quæris, lege Evangelium sancti Joannis, qui à cœlestibus exorsus, ad terrena descendit. Illic invenies et quandò erat, et quomodò erat, et quid erat, quid egerat, quid agebat, et ubi erat, et quò venerit, et quomodò venerit, quo tempore venerit, quâ causâ venerit. *In principio*, inquit, *erat Verbum :* habes quandò erat. *Et Verbum erat apud Deum :* habes quomodò erat. Habes etiam quid erat : *Et Deus*, inquit, *erat Verbum :* quid egerat : *Omnia per ipsum facta sunt :* quid agebat : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* et ubi erat : *In hoc mundo erat :* quò venerit : *In sua propria venit* : quomodò venerit : *Verbum caro factum est.* Quandò venerit, Joannes testimonium perhibet de ipso, dicens : *Hic est de quo dixi : Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.* Quâ causâ venerit, Joannes ipse testatur : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [5]. Si igitur generationem utramque cognovimus, et utriusque [b] munus unum, et causam quâ venit advertimus, ut pereuntis mundi peccata suscipiens, peccati labem, et omnium mortem in se, qui vinci non posset, aboleret, consequens est ut nunc quoque sanctus Lucas Evangelista nos doceat, et vias Domini secundùm carnem crescentis ostendat.

4. Nec quemquam movere debet quòd altiori consilio Joannis infantiam diximus prætermissam, Christi verò infantiam asserimus esse descriptam; non enim omnium est dicere : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam : omnibus omnia factus sum* [6] : neque de quoquam alio ità dici potest, quia *vulneratus est propter iniquitatem nostram, et infirmatus est propter peccata nostra* [7]. Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus : ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis absolutus sis : ille in præsepibus, ut tu in altaribus [c] : ille in terris, ut tu in cœlis : ille alium locum in eo diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones : *Qui cùm dives*, inquit, *esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopiâ vos ditaremini* [8]. Meum ergò paupertas illa patrimonium est, et infirmitas Domini mea virtus est. Maluit sibi egere, ut omnibus abundarem. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta laverunt. Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo quòd redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset.

[1] *Psalm.* XLVI, 2 *et seq.* — [2] I *Joan.* IV, 2. — [3] *Rom.* X, 8. — [4] *Act.* I, 8. — [5] *Joan.* I, 1, 3, 9, 10, 11, 14, 30 *et* 29. — [6] I *Cor.* IX, 22. — [7] *Isai.* LIII, 5. — [8] II *Cor.* VIII, 9.

ejusque officio plura voluerit, adeat Lib. 13 Cod. Theod., Tit. 10 de Censu, et Tit. 11 de Censit.; Rosin. Antiq. Rom. Lib. 7, cap. 10; Laur. Polym. Lib. 3, Syn. 4, § 4, et alibi.

[a] Omnes editiones ac recentiores Mss. : *Quia non erat ei locus in diversorio.* Reliqui : *Quia non erat locus in eo diversorio :* quæ lectio etiam eo confirmatur, quòd Mss. et editiones magno consensu præ se ferant : *Ille alium locum in eo diversorio non habuit.* Undè intelligas Ambrosium in græcis vocibus ἐν τῷ καταλύματι accepisse particulam τῷ non pro articulo, sed pro demonstrativo, ut non raro etiam à probatis Auctoribus usurpatur. Hinc prætereà advertas licet eumdem sanctum Ambrosium ab opinione Eusebii, Demonstrat. Evang. Lib. 7, c. 5; Epiphanii, Hæres. 20; Hieronymi, Epist. 28 ad Marcellam, et aliorum dissentire, quandoquidem hi omnes Christum non in stabulo domûs, sed in saxeâ speluncâ natum volunt. Neque tamen desunt qui Doctori nostro patrocinentur, quos videre potes apud Interpretes.

[b] Sic Mss. aliquot melioris notæ. Alii nonnulli prætermittunt dictionem *munus*, quod haud dubiè in quibusdam recentioribus emendare conati sunt qui reposuerunt « et utriusque unam esse causam, *etc.* : » quam lectionem secutæ sunt omnes editiones.

[c] « Ut tu in in altaribus, » nempè ad accipiendum corporis Dominici sacramentum. Quò illud similiter pertinet, quod, Lib. de Init., c. 8, dicitur : « His abluta plebs... contendit ad altaria. » Et non multò post : « Venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum. » Locus nobis erit plura alibi dicendi de ritu quo in priscâ Ecclesiâ divinissimum illud sacramentum administrabatur.

5. Sed nemo intra usum corporis formam omnem divinitatis includat [a]. Alia natura carnis est, alia divinitatis gloria. Propter te infirmitas, in se potentia : propter te inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare quod cernis; sed quòd redimeris agnosce. Quia in pannis est, vides : quia in cœlis est, non vides : infantis audis vagitus, non audis bovis dominum agnoscentis mugitus : *Agnovit enim bos possessorem suum, et asina præsepe domini sui* [1], imò *præsepium* dixerim, sicut scripsit qui transtulit; nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator illorum [b] qui phaleras sermonum sequuntur, neget in hoc positas esse fortunas Græciæ, hoc an illo verbo usus sit; sed rem spectandam putat : si ipsi philosophi eorum qui totos dies in disputatione consumunt, minùs latinis et receptis usi sermonibus sunt, ut propriis uterentur, quantò magis nos negligere verba debemus [c], spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quòd operum miracula divinorum nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt! Deniquè asinam illam irrationabilem non [d] fuco deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ præsepia sancta paverunt. Hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis divinum mysterium revelatum est: irrationabiles Gentes, pecudum intra præsepia more viventes, alimoniæ sacræ ubertate pascendas. Agnovit ergò asina, species scilicet et forma Gentilium, præsepe domini sui; et ideò dicit: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit* [2]. An mediocribus signis Deus probatur, quòd Angeli ministrant [3], quòd Magi adorant [4], quòd Martyres confitentur? Ex utero funditur; sed coruscat è cœlo : terreno in diversorio jacet; sed cœlesti lumine fulget: nupta peperit; sed virgo concepit : nupta concepit; sed virgo generavit. Docuit enim nos sanctus Matthæus non mediocre mysterium, quod sanctus Lucas, quia plenè jàm erat expositum, silendum putavit, satis se divitem fore credens, si præsepe Domini sibi ex omnibus vindicâsset [e].

6. Quòd si ætas carnis ignava [f] operis fuit, profectò Deus erat, qui divinitatis operibus exercebat carnis ætatem : qui etiam pastores faciebat in illâ regione vigilare: *Custodientes vigilias noctis supra gregem suum.* Videte Ecclesiæ surgentis exordium : Christus nascitur, et pastores vigilare cœperunt, qui Gentium greges, pecudum modo antè viventes, in caulam Domini congregarent, ne quos spiritalium bestiarum per offusas noctium tenebras paterentur incursus. Et benè pastores vigilant, quos bonus Pastor informat. Grex igitur populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. Aut fortassè etiam ille sit pastor, cui dicitur : *Esto vigilans, et confirma*, etc. [5], quia non solùm Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinatur, sed etiam Angelos destinavit.

7. *Ecce Angelus Domini stetit ante illos.* Videte quemadmodùm cura divina fidem adstruat : Angelus Mariam, Angelus Joseph, Angelus pastores edocet. Non satis est semel missum; *duobus enim vel tribus testibus stat omne verbum* [6]. *Et facta est cum Angelo multitudo exercitûs cœlestium laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Benè Angelorum nominatur exercitus, qui ducem cœlestis militiæ sequebantur. Cui igitur laudem Angeli, nisi Domino suo dicerent, juxta quod scriptum est : *Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis : laudate eum, omnes Angeli ejus* [7]? Impleta igitur prophetia est. Laudatur de cœlis Dominus, et videtur in terris. De quo sanctus Marcus ait, quia *cum bestiis erat, et Angeli ministrabant ei* [8], ut in altero misericordiæ insigne, in altero divinæ indicium potestatis agnoscas. Tuum est quòd bestias patitur, suum quòd ab Angelis prædicatur [g].

✠ EJUSDEM HOMILIA II [h].

NUM. 1. Cur Filius Dei tempore pacis nascitur? — 2. Cur pannis involvitur et in præsepio reclinatur? — 3. Pastores supra gregem suum vigilantes, sanctos prædicatores significant. — 4. Angelorum instar, in

[1] *Isai.* I, 3. — [2] *Psalm.* XXII, 1. — [3] *Matth.* IV, 11. — [4] *Id.* II, 11.— [5] *Apoc.* III, 2.— [6] *Matth.* XVIII, 16.— [7] *Psalm.* CXLVIII, 1 *et* 2. — [8] *Marc.* I, 13.

[a] Hæc verba Nestorii et Eutychetis hæreses simul jugulant.

[b] Demosthenes in Orat. pro Ctesiphonte.

[c] His verbis vellicantur illi, quibus sacra Scriptura non sapit, nisi eloquentiæ lepore condita.

[d] Cunctæ edit. ac Mss. non pauci, « non succo deliciarum. » Cod. verò melioris ævi, « non fuco deliciarum, » id est, lautè ac opiparè conditis cibis. Quidni enim delicatas illas cupedias, ciborum fucum non liceat appellare?

[e] Mysterium de quo hìc loquitur S. Ambrosius est adoratio Jesu Christi à Magis : hanc partem Expositionis nostri Doctoris reperies in festo Epiphaniæ, ubi convenientiùs collocatur.

[f] Edit. Rom. cum uno aut altero Mss. « ignara operis fuit. » Aliæ ac reliqui Mss. « ignava, *etc.* » Concinniùs; sic enim significatur infantia non modò quid agatur ignorare, sed etiam agendi virtute destitui.

[g] Posteriorem partem hujus Homiliæ, qualis est apud Combefisium, reperiet lector infrà, inter Expositiones Evangelii Missæ in Aurorâ.

[h] In editione laudatâ est Sermo num. 3, inter Sermones S. Ambrosio hactenùs adscriptos, qui inscribitur : « In die Natalis Domini Sermo 1. » Aberat ex antiquis editionibus

laudes Dei prorumpere debemus. — 5. Unusquisque, in hâc Nativitate Filii Dei, corrigat quidquid in se reprehensibile cognoscit, — 6. Deindèque seipsum Domino offerat.

1. Domini nostri Jesu Christi, fratres, Nativitatem celebrantes, videamus sensum hujus Evangelicæ lectionis, quæ modò lecta est: dicit enim sanctus Evangelista *Augusti Cæsaris edicto censum professum esse mundum universum; et ob hoc ascendisse Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ut ibi profiteretur cum Mariâ uxore prægnante, et pro utroque solveret censum, utpotè de eâdem familiâ.* Tanta quippè fuit pax, Filio Dei apparente in carne, per duodecim annos, ut omnes, secundùm Isaiæ vaticinium, *contunderent gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces* [1]. Ideò verò Filius Dei, auctor pacis, tempore pacis nascitur, ut omnes sequaces suos pacem amare doceret; nam sicut Cæsar Augustus misit Cyrinum ad exigendum censum; ità Deus, verus Augustus, misit prædicatores in mundum ad censum fidei exigendum. Reddamus ergò, fratres, censum fidei et bonæ actionis. Nullus remaneat: omnes ascendamus de Galilæâ, id est, de volubilitate mundi, in Judæam, id est, rectæ confessionis regionem, quatenùs Bethleem, id est, *domus panis* esse mereamur, illius, videlicet, qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* [2].

2. Narrat prætereà Evangelium quia, cùm genuisset beata semper Virgo Maria Christum, pannis ipsum involutum posuerit in præsepio: quæ nec mysterio vacant; voluit enim Christus pannis involvi, ut nos à laqueis mortis absolveret. Et benè dicit: *Ibant*, ut ostendat quòd in viâ nascitur; hoc autem, quia viam nobis se ostendere venerat. Voluit in angusto præsepio poni, qui venerat nobis regni cœlestis latitudinem præparare. Non in sericis vel in auratis pannis, sed in vilibus involvi voluit, qui nobis immortalitatis stolam reddere venerat. Iis adstringi se permisit, qui nostros pedes et manus ad opera bona agenda solvere properabat. Quid ad hæc dicendum est, fratres? Exclamandum est cum Psalmistâ: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* [3]*?* Ille quidem invenit *calicem*, quem retribuet [4]; nos verò reddamus quod possumus, id est, eleemosynas, vigilias, lacrymas, pacem: *Dimittamus in nos peccantibus, ut nostra nobis dimittantur à Deo peccata* [5].

3. Pastores verò qui, nascente Dei Filio, supra gregem suum vigilabant et Angelos videbant, sanctos prædicatores significant, qui quò majorem curam habent animarum, eò frequentiùs Angelicâ allocutione revelari merentur. Angelo verò apparente, pastores turbantur, quia humanæ naturæ est ad Angelorum aspectum pavere, et bonorum est Angelorum consolationem adhibere timentibus. Undè mox pastores alloquitur, dicens: *Nolite timere;* et subdit quarè: *Ecce*, inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Pulchrè dicit: *Omni populo*, quia de omni populo venerunt ad fidem.

4. Uno itaque Angelo cum pastoribus loquente, subitò multitudo Angelorum apparens hanc vocem emisit: *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* In quo facto moraliter monemur, ut uno fratre legente, vel docente, vel quodlibet opus bonum agente, multitudo fidelium in laudem Dei prorumpat, et ad imitandum bonum quod cernit, assurgat. Apparente verò Filio Dei in carne, gloria in altissimis Deo canitur, et pax in terrâ esse hominibus bonæ voluntatis annuntiatur. Simus ergò et nos, fratres, bonæ voluntatis, quatenùs in pace vivere mereamur.

5. Sensum tamen Evangelicæ lectionis et propter brevitatem diei et prolixitatem divini officii sub brevitate perstringimus, ut vos monere possimus de his quæ ad nostram specialiter salutem pertinent. Monendi enim sumus, ut afflictionem quæ nobis propter dissonantiam regum supervenit, nostris reputare studeamus peccatis. Ut ergò et ab istâ persecutione et ab æternâ damnatione liberari mereamini, unusquisque quidquid in se reprehensibile recognoscit, in hâc die in quâ Filius Dei nascitur, corrigat, id est, qui fuit adulter, voveat Deo castitatem: qui avarus, largitatem: qui ebriosus, sobrietatem: qui superbus, humilitatem: qui detractor, charitatem voveat, et reddat, secundùm illum Psalmi versiculum: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* [6]. Nos fideliter voveamus: ille dabit possibilitatem solvendi.

6. Valdè quippè honestum est, fratres, ut nullus sit qui non hodiè Domino aliquid offerat. Regibus vel amicis susceptis munera damus, et Creatori omnium ad nos venienti nihil dabimus? Nihil enim à nobis

[1] *Isai.* II, 3. — [2] *Joan.* VI, 51. — [3] *Psalm.* CXV, 12. — [4] *Ibid.* 13. — [5] *Matth.* VI, 12. — [6] *Psalm.* LXXV, 12.

« Ambrosii procul dubio, *aiunt* editores Benedictini, nihil « præ se fert: verba autem illa: *Propter prolixitatem divini officii... Propter dissonantiam regum*, eidem minimè « conveniunt: fortè minùs abhorreant à CÆSARIO, cujus ad « stylum totus hic Sermo satis accedit. » Porrò quòd hæc verba: *Propter prolixitatem divini officii*, etc., Ambrosio non conveniant, non diffitemur: sed negamus hunc Sermonem nihil hujus sancti Doctoris præ se ferre; nam, si duos ultimos excipias numeros, nihil aliud est quàm Homiliæ præcedentis analysis; quæ quidem exuberantia esse videtur, et eo ipso insinuari potest dictum Sermonem auctorem habere Ambrosio posteriorem, etsi hoc exemplum reperiatur apud Chrysostomum. Vide suprà Homilias 1 et 2, pp. 29-39.

magis requirit, quàm nosmetipsos. Offeramus ergò ei nos ipsos, quatenùs et à præsentibus malis et ab æternis cruciatibus, ipsius ineffabili pietate, liberati, in cœlestis regni beatitudine suscepti, perpetuò valeamus gaudere, præstante ipso Domino ac Redemptore Jesu Christo : cui est omnis honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM.

Adsunt Commentarii in quatuor Evangelia, ideòque in S. Lucam, falsò S. Hieronymo adscripti. Reperiuntur in Operibus hujus sancti Doctoris, Tom. 2 edit. laudatæ suprà, p. 49. Consilium inieramus hìc edendi quod ad Evangelium nostrum pertinet; at legendo hujusce Evangelii Expositionem, obstupuimus coram *immanibus vitiis*, ut loquuntur editores Operum S. Hieronymi, *quibus horret exaggeraturque* : proindè à proposito discessimus, eò magis quòd citati editores monere non omittunt hanc Expositionem seipsos edidisse, nonnisi eâ ratione quòd sibi *integrum non erat librum prætermittere*. Hæc tantummodò excerpimus, cùm reliqua sint omninò memoratu indigna.

« Ipso tempore (quo nascitur Jesus Christus), 1° apparuit circulus æreus erga solem : 2° fluxit fons « oleum (*sic*) à tabernâ meritoriâ totâ die, usquè ad vesperum. (Moraliter.) Ostendit quòd nascitur in tem- « pore ejus, à quo fluxisset fons olei, id est, spiritalis unctio per totum Evangelium usquè in finem « mundi. 3° *Locus in diversorio*, id est, domus inter duos muros, duas januas habet : figuram Eccle- « siæ inter paradisum et mundum. 4° *Transeamus in Bethleem*, ostendit nobis non aspicere retrò, nec « ad dexteram, nec ad lævam, nisi ad Christum. 5° *Invenerunt Mariam, Joseph et infantem* : per « hos tres sanatus est mundus. 6° *Maria conservabat omnia verba hæc*, id est, quod Angelus ei « dixit. »

VENERABILIS BEDÆ, ANGLO-SAXONIS PRESBYTERI,

HOMILIA 1[a].

NUM. 1. Dominus elegit et locum et tempus Nativitatis. — 2. Christiani debent quoque singuli censum profiteri in Ecclesiâ et offerre Deo, in similitudinem denarii regalis, decalogi observationem. — 3. Cur Christus natus non est ubi habitaturus erat? — 4. Ecclesia Mariam imitatur. Christus est primogenitus et unigenitus. — 5. Humilitas Christi. — 6. Pastorum vigilantia. — 7. Salvator dicitur natus esse *hodiè*, non hâc nocte. — 8. Signum nati Salvatoris. — 9. Ministerium Angelorum. Quibusnam pax optatur?

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Nasciturus in carne Dei Filius, sicut parentes sibi quos voluit, et locum Nativitatis quem voluit, elegit, eosque ad ipsum locum, priusquàm nasceretur, quomodò voluit, advexit; ità etiam tempore quo voluit, imò quo ipse unà cum Patre et Spiritu sancto à sæculis disposuerat, perque ora Prophetarum prædixerat, mundum, ut salvaret, intravit. Quomodò enim de Virgine matre natus, virginitatis sibi gloriam et Angelicum castimoniæ decus ostendit esse gratissimum; sic quoque pacatissimo sæculi tempore procreatus, quia pacem magnoperè quæreret atque amaret, edocuit : quia pacis charitatisque sectatores semper invisere dignaretur indicavit, juxta quod ipse fidelibus promittens, ait : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [1]. Quod enim majus regni quietissimi, et pulcherrimæ, quantùm ad homines, potuit esse pacis indicium, quàm unâ totum orbem descriptione concludi, eodem cunctos longè latèque mundi fines censûs numismate comprehendi? cujus auctor ac moderator Augustus, tantâ, juxta fidem historiarum, duodecim annos circa tempus Nativitatis Dominicæ pace regnavit, ut tàm forinsecis quàm civilibus bellis toto orbe sopitis, spiritale Prophetæ præsagium etiam ad litteram videatur implêsse : qui videlicet Propheta, cùm mysticâ dispensationem Christi voce præcineret, dicens : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes* [2], post pauca, etiam temporis illius sacratissimi statum describere curavit : *Et conflabunt*, inquit, *gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra*

[1] *Matth.* XVIII, 20. — [2] *Isai.* II, 2.

[a] E Libro 1 Expositionis Evangelii in Lucam, c. 2.

gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prœlium. Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini[1]. Non solùm autem hæc nova mundi descriptio illius summi Regis adventui testimonium perhibebat, qui congregatos à mundi plagis omnibus electos suos æternæ beatitudinis albo conscriberet; verùm etiam ejusdem regni duces quietâ sui moderaminis pace juvabat, quia nimirùm compressis à prœliorum turbine gentibus universis, prædicaturos orbi Christi discipulos, quòlibet propter verbum ire vellent, ab ingruentium fervore seditionum, tremenda id temporis (ut ità dixerim) Romani nominis umbra protegebat. *Exiit* ergò *edictum à Cæsare Augusto, ut censum profiteretur universus orbis*, quia imminebat edictum Regis Christi, quo salutem consequeretur universus orbis: qui vocabulum Augusti perfectissimè complens, utpotè suos et augescere desiderans, et ipse augere sufficiens, censoribus suæ professionis, non ablatione pecuniæ subjectos, sed fidei oblatione signare præcipit: *Euntes*, inquiens, *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*[2].

2. *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Hunc Cyrini temporibus habitum censum, etiam Josephus, illustris Hebræorum historiographus, in octavo decimo Antiquitatum Libro, hoc modo memorat: « Cyrinus autem, vir unus, ex consensu curiæ Romanæ, per singulos magistratus usquè ad gradum consulatûs ascendens, per cætera quoque honorabilis, cum paucis Syriam venit, à Cæsare jus dare gentibus missus, et censor simul patrimoniorum futurus. » Itaque quod ait: *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino*, significat hanc descriptionem, vel primam esse earum quæ totum orbem concluserint, quia pleræque jàm partes terrarum sæpè leguntur fuisse descriptæ, vel certè primò tunc cœpisse, quandò Cyrinus in Syriam missus est. Quo modo autem tunc, imperante Augusto, et Cyrino præsidente, *ibant omnes, ut censum profiterentur singuli in suam civitatem*; ità et nunc, imperante per Ecclesiæ Præsides, id est, Doctores, imò suadente et præmia pollicente Christo, eamus omnes, nullus excipiatur à censu justitiæ. Veniamus ad eum, qui laboramus et onerati sumus, et ipse reficiet nos. Tollamus jugum ejus super nos, et discamus ab eo quia mitis est et humilis corde, et inveniemus requiem animabus nostris[3]. Hæc est enim nostra civitas et patria, requies videlicet beata et cœlestis animarum, ad quam in sæculi nascentis exordio à Deo Christo creati, ad quam ab homine Christo sumus in fine sæculorum recreati. Ad quam nimirùm civitatem pacis et quietis ire, et devotos Regi nostro thesauros ferre, est, crescentibus quotidiè virtutis ac fidei profectibus, supernæ lucis quæ sint gaudia æterna speculari, et pro his acquirendis prospera mundi simul et adversa contemnere, et, his acquisitis, mundatos nos *ab omni inquinamento carnis et spiritûs*[4], pretiosius auro Deo munus offerre. Quòd si etiam genus numismatis, quod Cæsari pendebatur, diligentiùs inspexerimus, non parùm nobis devotionis et ipsum mandare probabimus: quod non aliundè meliùs quàm de ipso Evangelio quærere et invenire valemus, ubi tentantibus se de tributo Cæsari reddendo, Dominus ait: *Ostendite mihi numisma censûs. At illi*, inquit, *obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo*[5]. Ubi primùm notandum quòd Cæsaris denarius qui decem nummos habebat, quod etiam nomine prodit, imagine ejus et subscriptione titulatus solvebatur. Deindè inferendum quia, jubente Domino, quæ Cæsaris, Cæsari, et quæ Dei sunt, Deo esse reddenda, nobis quoque solerter intimatur, in similitudinem denarii regalis, Deo Regi nostro decalogum legis offerendum, hoc est, amorem Dei et proximi, quorum unus tribus præceptis, septem alius complectitur, integro esse corde servandum. In quo videlicet Scripturæ sacræ denario, decem mandatis cœlestibus quasi totidem aureis nummis insignito, vultum nomenque Regis æterni, hoc est, agnitionem divinæ voluntatis quisquis intueri novit, inveniet: quod et in tabulis sui cordis quisque perfectè credit, sperat, diligit, stylo sedulæ castigationis exarat. Et hunc nobiscum denarium quasi sacculo inclusum in viâ portamus, quandò discere scientes cum Psalmistâ: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo*[6], ipsum tamen hactenùs fidei signaculum gaudiumque spei et charitatis, in occultâ nostræ conscientiæ meditatione servamus, Deo teste, reconditum. Verùm in patriam pervenientes, Regi nostro cujus visionem sitimus, ad quem in suo decore contuendum toto nisu virtutis, totâ mentis intentione properamus, quæ in terris latuerant, in cœlis coronanda nostræ bonæ conversationis donaria proferemus, quandò quæ in tenebris diximus, in lumine dicentur, et quod in aurem locuti sumus in cubiculis, prædicabitur in tectis[7].

3. *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de*

[1] *Isai.* II, 4 et 5. — [2] *Marc.* XVI, 15 et 16. — [3] *Matth.* XI, 28 et 29. — [4] II *Cor.* VII, 1. — [5] *Matth.* XXII, 19, 20 et 21. — [6] *Psalm.* IV, 7. — [7] *Luc.* XII, 3.

civitate Nazareth, in Judæam civitatem. Supernâ dispensatione professio censûs itâ descripta est, ut in suam quisque patriam ire juberetur; non tantùm propter mysterium quod diximus, verùm etiam ùt Dominus alibi conceptus, alibi natus, insidiantis sibi Herodis furorem faciliùs evaderet. Qui si Bethleemitis parentibus nasceretur, fugam eorum subitam callidus scrutator potuisset habere suspectam, præsertim cùm eos de stirpe David, undè Christus erat futurus, cuncti genus ducere nôssent. Cui David ipse, suo et nomine, et patriâ, et officio, testimonium perhibet; David quippè *manu fortis*, sive *desiderabilis* interpretatur; nomen quidem indè mutuans, quòd et gigantem fortiter straverit, et *pulcher aspectu* [1] decorâque facie fuerit ; sed altiori mysterio illum de suâ domo ac familiâ nasciturum præfigurans, qui singulariter mundi principem debellaret, *speciosus formâ præ filiis hominum* [2], et ipse in Bethleem natus, et intellectualium pastor ovium, hoc est, simplicium rector animarum. Cujus non prætereunter tanta tàmque benigna est humilitas intuenda, qui non solùm incarnari pro nobis, sed et eo tempore dignatus sit incarnari, quo mox natus censu Cæsaris adscriberetur, atque ob nostrî liberationem, ipse servitio subderetur. Quam etiam nobis humilitatis ejus semitam (neque enim conditiones venit mutare, sed animos) Petrus insinuat: *Subditi,* inquiens, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquàm ab eo missis* [3]; sed et coapostolus ejus Paulus : *Reddite,* inquit, *omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* [4].

4. *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret,* etc. Benè non solùm propter indicium regii stemmatis, sed et propter nominis sacramentum Dominus in Bethleem nascitur; [[a] Bethleem namque *domus panis* interpretatur; ipse namque est qui ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* [5]. Locus ergò in quo Dominus nascitur, *domus panis* antè vocatus est, quia futurum profectò erat ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret.] Sed usquè hodiè, et usquè ad consummationem sæculi, Dominus in Nazareth concipi, nasci in Bethleem non desinit, cùm quilibet audientium, verbi flore suscepto, domum se æterni panis efficit : quotidiè in utero virginali, hoc est, in animo credentium per fidem concipitur, per baptisma gignitur: quotidiè Dei genitrix Ecclesia, suum comitata doctorem, de rotâ mundanæ conversationis, quod Galilæa sonat, in civitatem Juda, confessionis videlicet et laudis, ascendens, censum suæ devotionis æterno Regi persolvit : quæ, in exemplum beatæ semper Virginis Mariæ, nupta simul et immaculata, concipit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu; et quasi alii quidem desponsata, sed ab alio fecundata, per singulas suî partes, quæ unam Catholicam faciunt, præposito sibi Pontifici visibiliter jungitur, sed invisibili Spiritûs sancti virtute cumulatur: undè et benè Joseph *auctus* interpretatur, indicans nimirùm hoc vocabulo quòd instantia magistri loquentis nil valet, si non augmentum superni juvaminis, ut audiatur, acceperit. Quòd autem filium suum *primogenitum* Maria peperisse describitur, non juxta Helvidianos accipiendum est, alios quoque filios eam procreâsse, quasi nequeat *primogenitus* dici, nisi qui habeat fratres, sicut non *unigenitus*, nisi qui caret fratribus, solet appellari; quia et testimonium legis, et aperta ratio declarat omnes unigenitos etiam primogenitos, non autem omnes primogenitos, etiam unigenitos posse vocari, hoc est, non solùm esse primogenitum, post quem alii, sed omnem, ante quem nullus è vulvâ processerit. Deniquè, quia *omne masculinum, quod aperit vulvam, sanctum Domino vocari* præcipitur [6], sive fratres sequantur, sive non sequantur, quod primum de vulvâ nascitur, *primogeniti* est jure consecrandum. Verùm altiori ratione Dei Filius in carne apparens, et juxta divinitatis excellentiam *unigenitus à Patre,* et juxta fraternam societatem *primogenitus* est *omnis creaturæ.* De hâc dicitur : *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus* [7]. De illâ autem : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre* [8]. Est ergò *unigenitus* in substantiâ deitatis, *primogenitus* in susceptione humanitatis : *primogenitus* in gratiâ, *unigenitus* in naturâ. Indè est quòd frater nuncupatur et Dominus : frater, quia *primogenitus :* Dominus, quia *unigenitus* est.

5. *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum,* etc. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* [9]*?* Qui enim *major est omni laude* [10], *parvulus natus est nobis* [11], ut nos viri possimus esse perfecti. Qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur, ut nos stolam primam recipere valeamus. *Per quem omnia facta sunt* [12], manus pedesque cunis adstringitur, ut nostræ manus ad opus bonum exser-

[1] I *Reg.* XVII, 42. — [2] *Psalm.* XLIV, 3. — [3] I *Petr.* II, 13. — [4] *Rom.* XIII, 7 *et* 8. — [5] *Joan.* VI, 51. — [6] *Luc.* II, 23. — [7] *Rom.* VIII, 29. — [8] *Joan.* I, 14. — [9] *Psalm.* CXV, 12. — [10] *Eccli.* XLIII, 33. — [11] *Isai.* IX, 6. — [12] *Joan.* I, 3.

[a] Quæ uncis includuntur, reperies apud Gregorium, Serm. in Nativitatem Domini, infrà.

tæ, nostri sint pedes in viam pacis directi. Cui cœlum sedes est, duri præsepis angustiâ continetur, ut nos per cœlestis regni gaudia dilatet. Qui panis est Angelorum, [[a] in præsepio reclinatur, ut nos, quasi sancta animalia, carnis suæ frumento reficiat.] Qui ad dexteram Patris sedet, in diversorio, loco eget, ut nobis in domo Patris sui multas mansiones præparet[1]. Quamvis hoc, quòd non in parentum domo, sed in diversorio, et in viâ nascitur, per significationem intelligi altiùs potest. Ipse namque ait: *Ego sum via, et veritas, et vita*[2]. Qui ergò per divinitatis essentiam veritas et vita permanet, per incarnationis mysterium via factus est, quâ nos ad patriam, ubi veritate et vitâ frueremur, adduceret.

6. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos.* Pulcherrimâ ratione, Domino nato, pastores vigilant, gregemque suum ab insidiis noctis custodiendo defendunt, ut, videlicet, etiam per hoc ostendatur illud adesse tempus, quod verus et solus bonus Pastor olim promisit, dicens: *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerunt in die nubis et caliginis*[3]; et paulò post: *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David. Et cessare faciam bestias pessimas de terrâ,* etc.[4]. Quæ mirabiliter à Prophetâ prædicta, mirabiliùs à Domino videmus impleta. Meminit et Michæas Propheta loci hujus et temporis, dicens: *Et tu, turris gregis nebulosa, filiæ Sion usquè ad te venient; et veniet potestas prima, regnum filiæ Sion*[5]. Turris quippè gregis, quæ hebraicè *Turris Ader* vocatur, mille circiter passibus à civitate Bethleem ad Orientem distat, vaticinio sui nominis pastores hos multò antè demonstrans, ad quam usquè filiæ Sion, Angelicæ videlicet Potestates, pastoribus apparendo venerunt. Vigilent itaque, nato Domino, pastores supra gregem ovium suarum: significent, ejus dispensatione manifestatâ, vigilaturos in Ecclesiâ Pastores animarum castarum, quibus dicatur: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*[6]. [Benè autem vigilantibus pastoribus Angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget, quia illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicitè sciunt, dùmque ipsi piè super gregem vigilant, divina super eos gratia largiùs coruscat.] Aliter Angelus Mariam, Angelus Joseph, Angelus pastores instruit. Et concipiendum, et conceptum, et natum cœli cives Dominum testantur, ut et mortales sufficienter imbuant, et suum Auctori servitium incessanter impendant. Nam et in sequentibus, tentato, passuro, resurgenti, atque ad cœlos ascendenti, semper adesse perhibentur.

7. *Et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Non omni populo Judæorum, quorum plurimi rebelles exstitere, sed omni fidelium populo de cunctis tribubus, gentibus et linguis in unam Christi Ecclesiam congregato, æternum gaudium evangelizatur, et magnum. *Quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Hæc est potestas prima, hoc regnum filiæ Sion, quod præfato Prophetæ testimonio promissum est in Turre gregis venturum. Ubi notandum quòd Angelus, qui in noctis utiquè vigiliis pastores affatur, non ait: *Hâc nocte;* sed: *Hodiè natus est vobis Salvator,* non aliam, scilicet, ob causam, nisi quia gaudium magnum evangelizare veniebat. Nam ubi tristia quæque nocturnis temporibus gesta vel gerenda significantur, ibi sæpè nox vel adjungitur, vel etiam sola nominatur, ut est illud: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in istâ nocte*[7]; et alibi: *Amen, dico tibi, quia tu hodiè in nocte hâc, priusquàm bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus*[8]. Neque enim frustrà Angelus tanto lumine cinctus apparuit, ut claritas Dei pastores circumfulsisse, hoc est, ex omni parte illorum radios luminis aspersisse dicatur, quod numquàm in totâ Testamenti Veteris serie, totiès Angelis apparentibus, adjungitur; sed mysticè præmonuit quod apertè posteà monuit Apostolus, dicens: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur nos arma lucis: sicut in die honestè ambulemus*[9].

8. *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Crebris infantia Salvatoris et Angelorum præconiis et Evangelistarum nobis est inculcata testimoniis, ut nostris altiùs cordibus quid pro nobis sit factum infigatur, quia, videlicet, *vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra*[10]. Et notandum solertiùs quod signum nati Salvatoris datur: infantem non Tyrio exceptum ostro, sed pannis squalentibus involutum: non in ornatis auro stratoriis, sed in præsepibus inveniendum: hoc est, non tantùm humilitatis eum et mortalitatis, sed et paupertatis habitum suscepisse

[1] *Joan.* XIV, 2. — [2] *Ibid.* 6. — [3] *Ezech.* XXXIV, 11 *et* 12. — [4] *Ibid.* 23, 25 *et seqq.*: *Isai.* XL, 11; *Ose.* III, 5; *Joan.* I, 45 *et* X, 11 *et* 16. — [5] *Mich.* IV, 8. — [6] I *Petr.* V, 2. — [7] *Matth.* XXVI, 31; *Marc.* XIV, 27 *et Joan.* XVI, 32. — [8] *Marc.* XIV, 30. — [9] *Rom.* XIII, 12 *et* 13. — [10] *Isai.* LIII, 5 *et* I *Cor.* XV, 3.

[a] Quæ uncis includuntur in istâ paginâ, leguntur etiam apud Gregorium, loco superiùs citato.

pro nobis, quia, *cùm dives esset, pauper factus est pro nobis, ut nos illius inopiâ ditaremur* [1]. Cùm esset Dominus cœlorum, pauper factus est in terris, ut terrigenas edoceret paupertate spiritûs regnum acquirere posse cœlorum.

9. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Uno evangelizante nuntio natum in carne Deum, mox multitudo militiæ cœlestis advolans, consono in laudem Creatoris ore prorumpit, ut et sui, sicut semper, obsequii devotionem Christo impendat, et nos suo pariter instruat exemplo, quotiès vel aliquis fratrum sacræ eruditionis verbis insonuerit, vel ipsi lecta sive audita, quæ pietatis sunt, ad mentem reduxerimus, Deo statim laudes ore, corde et opere reddendas. Et benè chorus adveniens Angelorum, *militiæ cœlestis* vocabulum accepit, qui et duci illi *potenti in prœlio* [2], qui ad debellandas aëreas potestates apparuit, humiliter obsecundat; et ipse potestates easdem contrarias, ne mortales tantùm tentare valeant quantùm volunt, fortiter armis cœlestibus proturbat. Nam, sicut imperatoris optimi provisione, cuncta manu militari loca adversus hostilem muniuntur adventum; ità et Deus, quoniam immundi spiritus ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, quorum præsentiâ et dæmonum confringatur audacia, et nobis pacis gratia ministretur. Quia verò Deus et homo nascitur, jure hominibus pax, et Deo gloria canitur. Glorificant Angeli Deum pro nostrâ redemptione incarnatum, quia, dùm nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum repleri. Optant pacem hominibus, quia [[a] quos infirmos priùs abjectosque despexerant, nascente in carne Domino, jàm ut socios venerantur.] Qui, cùm pacem hominibus poscunt, exponunt et quibus, videlicet, *bonæ voluntatis*, hoc est, eis qui suscipiunt natum Christum; non autem Herodi, Pontificibus, et Pharisæis, cæterisque Antichristis, qui ejus Nativitate auditâ, turbati sunt, eumque, quantùm valuere, gladiis insecuti: *Non est* enim *pax impiis, dicit Dominus* [3]. *Pax* autem *multa diligentibus nomen tuum, Domine, et non est illis scandalum* [4]. Quibus et hoc quod sequitur, aptissimè congruit: *Exspectabam salutare tuum, Domine* [5]: hoc est, venturum Christi adventum longâ votorum præstolatione suspirabam [b].

✠ EJUSDEM HOMILIA II[c].

Num. 1. Sicut matrem Virginem Christus elegit; ità etiam elegit tempus in quo nasceretur, scilicet, tempus summæ pacis et descriptionis totius orbis. Nos quoque cum Mariâ et Josepho eamus ad profitendum in sanctam civitatem, id est, Ecclesiam. — 2. Quarè Christus in Nazareth conceptus est et in Bethleem natus? — 3. Quo sensu Christus dicatur filius Mariæ primogenitus? — 4. Summa Salvatoris dignatio in præsepio jacentis. — 5. Christus, magnus ovium Pastor, pastoribus annuntiatus. — 6. Cùm vera lux mundi nasceretur in mundo, dignum erat ut claritas lucis novæ pastoribus appareret. — 7. Explicantur verba Angeli evangelizantis gaudium magnum. — 8. De signo nati in carne Salvatoris. Cum Angelis eum collaudemus. — 9. Quinam sunt homines bonæ voluntatis? Nostra conversatio in cœlis sit.

1. Audivimus ex lectione Evangelicâ, fratres charissimi, quia, nascituro in mundum Redemptore, mundi Deo et Domino nostro Jesu Christo, *exiit edictum à Cæsare Augusto*, qui tunc mundani regni apicem tenebat, *ut mundus describeretur universus.* Quod non casu contigisse putandum est; sed certissimâ dispensatione ejusdem nostri Redemptoris intelligendum esse provisum. *Ipse* etenim, *Mediator Dei et hominum* [6], sicut matrem sibi divinitùs, quam voluit, prævidit, de quâ nasceretur, quandò vellet, humanitùs; ità etiam tempora divinitatis, quæ voluit, elegit: imò ipse ea qualia voluit esse, donavit, talia, videlicet, in quibus sopito turbine bellorum, nova pacis tranquillitas totum contegeret orbem. Quod enim majus in hâc vitâ potuit esse pacis indicium, quàm ab uno homine orbem describi universum atque unius censûs numismate concludi? Matrem quippè elegit

[1] II *Cor.* VIII, 9. — [2] *Psalm.* XXIII, 8. — [3] *Isai.* XLVIII, 22; LVII, 21; *Exod.* XVII, 6 *et Num.* XX, 11. — [4] *Psalm.* CXVIII, 165. — [5] *Ibid.* 166 *et Gen.* XLIX, 18. — [6] I *Tim.* II, 5.

[a] Quæ uncis includuntur, pariter leguntur apud Gregorium, loco jàm citato.

[b] Posteriorem partem hujus Homiliæ, qualis est apud Combefisium, reperiet lector infrà, inter Expositiones Evangelii Missæ in Aurorâ.

[c] In editione Coloniæ 1612 est Homilia 5 ex hyemalibus de Sanctis. At in duabus editionibus quas in Angliâ vulgârunt doctissimi viri Smith et Giles, reponitur inter Homilias subdititias, quarum est trigesima prima. Juxtà Catenam auream S. Thomæ, quæ unum locum ex hâc Homiliâ mutuatur, ut videre est p. 284, initio col. 1, his verbis: « Nusquàm autem in « totâ Veteris Testamenti serie, *etc.*, » esset Vener. Bedæ genuina; attamen ex eo quòd ferè semper offert easdem ideas, plùs vel minùs amplificatas, quas præcedens Homilia, suspicari forsàn liceret, sicuti editores laudati, eam habere auctorem Vener. Bedâ posteriorem.

virginem, quia non aliter Dei Filium nasci in carne, quàm de intemeratâ genitrice decebat. Tempus, quandò nasceretur, summæ pacis elegit, quia hæc nimirùm ei nascendi in mundo causa fuit, ut genus humanum ad supernæ pacis dona reduceret: hinc etenim scriptum est : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*[1], id est, qui de Angelis et hominibus unam Dei domum pius mediator et reconciliator instituit. Pacis temporibus natus est Dominus noster, ut etiam statu temporis ipsum esse se doceret, de quo præmissa[a] prophetia[b] dicebat : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis*[2]. Undè benè idem Propheta, aliàs, cùm incarnationis illius ac nostræ redemptionis sacramenta mystico sermone descripsisset, dicens : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes*[3], serenitatem quoque pacis, quæ tunc esset futura, manifestè designavit, subjiciens : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prœlium*[4]. Propter quod et mox exhortando subjunxit : *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini*[5]. Præmisit ergò tempora pacis, et sic apparens in carne, ipse auctor pacis et temporum conditor, primò domui Jacob, id est, plebi Israeliticæ, deindè cunctis Gentibus ad se confluentibus januam lucis aperuit, et pacis æterna gaudia prædicavit. Nec prætereundum quòd ejus pacis terrena[c] serenitas nato Regi cœlesti, non solùm testimonium gratiæ perhibuit, sed et obsequium impendit, quia prædicatoribus verbi illius, peragrandi orbem facultatem tribuit, et ubicumquè vellent, Evangelii gratiam disseminandi : quod fieri minimè posset, si non uno totus orbis regeretur imperio. Sed et ipsa totius orbis descriptio, quæ à terreno rege facta memoratur, cœlestis opera Regis manifestè designat, qui ad hoc nimirùm apparuit in mundo, ut de cunctis per orbem nationibus electos in unitatem fidei suæ colligeret, ac nomina eorum, sicut ipse promisit, in æternum scriberet in cœlo. Hoc quoque, quòd ad edictum Augusti *ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem*, in nostri Regis est nobis servitio spiritualiter agendum. Nostra quippè civitas sancta Ecclesia est, quæ partim adhuc peregrinatur à Domino in terris, partim jàm cum Domino regnat in cœlis, et post finem hujus sæculi perfecta, in æternum tota cum illo regnabit. In hanc ergò civitatem debemus omnes ire : nullum à tam salubri itinere oportet excusari. Omnes nos necesse est nato Regi debitum pendere censum, hoc est, et in unitate Ecclesiæ nunc præsentis jussis obtemperare divinis, et ad ingressum patriæ cœlestis infatigabili bonorum operum cursu properare. Dabatur autem in professione censûs denarius, qui decem nummorum in se pondus habebat, Cæsaris imaginem continens et nomen. Quod nos quoque spiritualiter oportet imitari ; solvimus enim Regi nostro denarium, cùm decem præcepta legis illius implere satagimus. In quo videlicet denario nomen ejusdem Regis nostri conscriptum gestamus, cùm in cunctis actibus nostris meminerimus nos à Christo Christianos vocari, et dignitatem nominis ipsius intemeratam in nobis conservare curamus. Imaginem quoque ejus in eodem denario bonæ nostræ conversationis exprimere debemus, illam utiquè, quam ipse docuit, dicens : *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*[6]. Hæc est namque imago Dei, ad quam in primo homine conditi sumus, ut videlicet participatione divinæ sanctitatis perpetuò sancti essemus; hinc etenim Psalmista ait : *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine*[7]. Sed quia hoc lumen divini vultûs homo peccando amisit, placuit Deo humani vultûs habitum in carne nascendo assumere, quo nos doceret in spiritu debere renasci : placuit in similitudine carnis peccati sine peccato apparere, ut nos emundaret ab omni peccato, et claritatem nobis suæ reformaret imaginis.

2. *Ascendit autem,* inquit, *Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Divinitùs constat esse procuratum, ut ad suam quisque civitatem pergens, ibi censum profiteretur, quatenùs hoc edicto generali parentes nostri Salvatoris de Nazareth in Bethleem venire contingeret, sicque ad complenda vaticinia Prophetarum utraque civitas Incarnationis ejus insigniretur arcanis, una videlicet Conceptionis, altera Nativitatis honore præfulgens. Testatur namque Isaias Propheta quòd Redemptorem nostrum in Nazareth concipi oporteret, cùm dicit : *Egredietur virga de radice Jesse, et Nazareus*[d] *de radice ejus ascendet*[8]. Interpretatur autem Nazareus *flos*, sive *mundus*. Quo vocabulo, incarnatus pro nobis, Dei Filius rectè potuit cognominari, quia et ipse, mundus vitiis

[1] *Ephes.* II, 14. — [2] *Isai.* IX, 7. — [3] *Id.* II, 2. — [4] *Ibid.* 4. — [5] *Ibid.* 5. — [6] *Levit.* XIX, 2. — [7] *Psalm.* IV, 7. — [8] *Isai.* XI, 1.

[a] *Aliàs*, promissa. — [b] *Aliàs*, Propheta. — [c] *Aliàs*, terrenæ.
[d] *Nazareus* interpretatur *separatus et coronatus*. Jesum Christum *Nazareum* dici à Nazareth existimat Eusebius Cæsariensis, et S. Matthæus (*Matth.* II, 23) id evidenter significat. Errant ergò qui putant Christum Nazareum appellatum à ritu Nazareatûs, quem suscepisset; hoc enim falsum est, cùm sciamus eum vinum bibisse : quod tamen Nazareis imprimis erat vetitum. BENED. XIV, *de festo Natalis Domini.*

omnibus, naturam suscepit hominis, et in se credentibus cunctis flos spiritualium fructuum origoque processit, quibus rectè ac beatè vivendi et monstravit exempla et dona concessit. *Egressa est* ergò *virga de radice Jesse, et Nazareus de radice ejus ascendit*, quia intemerata Virgo Maria de stirpe David orta est, de cujus carne Dominus in civitate Nazareth veritatem carnis sine inquinamento carnis assumpsit. Quòd verò in Bethleem esset nasciturus, hoc quoque propheticis designatur oraculis, cùm dicitur : *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel* [1]. Qui benè in Bethleem natus esse dicitur, non solùm propter indicium regii stemmatis, quia David indè fuit; sed et propter nomen ipsum, quia Bethleem *domus panis* interpretatur : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* [2]. Quia ergò propterea de cœlo ad terram descendit, ut nobis vitæ cœlestis alimoniam donaret, nosque æternæ dulcedinis munere satiaret, meritò locus in quo nascitur, *domus panis* vocatur. Est et alia ratio supernæ dispositionis, quâ Dominus noster non in eâ quâ conceptus erat civitate, sed in aliâ nasceretur, ut videlicet ex hoc inimicos insidiantes faciliùs Nativitatis ejus conscii vel ministri devitarent. Prævidebat quippè, quòd eum mox natum Herodes persequi, atque ad mortem quærere inciperet; et propterea sic Nativitatis ejus mysterium voluit in civitate David peragi, ut parentes ejus non ibi domum, non possessionem haberent, sed tantummodò tempore Nativitatis ipsius illuc novitii adventarent, hospites manerent, statimque completâ eâdem Nativitate, ac declaratis signis cœlestibus, quæ ei testimonium dare decebat, in Ægyptum cum ipso secederent. Sic etenim factum est, ut non solùm eum dùm quæreret Herodes, minimè reperiret; sed nec ullam cognatos ejus vexandi occasionem haberet, cujus parentes qui essent, explorare non poterat. Nec prætereunda silentio maxima Conditoris et Redemptoris nostri dignatio, quæ non solùm incarnari pro nobis, sed eo tempore voluit incarnari, quo mox natus professione censûs adscriberetur. Induit enim carnem, ut nos virtute spiritûs indueret : descendit de cœlo ad terras, ut nos de terris elevaret ad cœlum : solvit tributum Cæsari, ut nobis perpetuæ libertatis gratiam donaret : servivit Dei Filius in homine regi, qui divinæ servitutis ignorabat obsequium, ut nobis per hoc etiam humilitatis formam tribueret, insinuans videlicet quantùm per charitatem servire debeamus invicem, cùm ipse non despexerit ei qui veræ charitatis erat nescius, impendere servitium. Ubi hoc quoque suo præmonstravit exemplo, quod postmodum principis Apostolorum erat verbo docturus : *Subditi estote omni creaturæ humanæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquàm ab eo missis* [3].

3. *Factum est autem*, inquit, *cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum. Primogenitum* vocavit Dominum, non quia credendum sit beatam Dei Genitricem alios post eum peperisse filios, quam perpetuâ castitate unà cum viro suo Joseph constat esse memorabilem ; sed ob id eum rectè *primogenitum* appellat, quia, sicut Joannes ait : *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri* [4] : in quibus filiis ipse jure primatum tenet, qui et antequàm nasceretur in carne Dei Filius, absque initio natus exstiterat. Descendit autem ad terras, factus est nostræ particeps naturæ, largitus est nobis suæ participium gratiæ, ut, sicut Apostolus ait, *sit ipse primogenitus in multis fratribus* [5].

4. *Et pannis eum*, inquit, *involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Et hìc intuenda est, fratres charissimi, magna Redemptoris nostri dignatio : hìc ex totis medullis cordis unicuique nostrûm cum Prophetâ dicendum : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* [6]? Ille enim cui veraciter canimus : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* [7], *parvulus natus est nobis* [8], ut nos renascendo de parvulis magnos, hoc est, de peccatoribus faceret justos. Qui ad dexteram Patris sedet in cœlo, loco egebat in diversorio, ut nobis copiam felicium mansionum in domo Patris sui donaret [9]. Qui omnem creaturam sive in cœlis invisibilem, sive visibilem in hoc mundo, multifariis induit ornatibus, qui in suâ majestate, sicut de eo Propheta dicit : *Amictus lumine sicut vestimento* [10], ipse in assumptione nostræ fragilitatis exiguis contegitur pannis, ut primam nobis stolam restituat, id est, ad gratiam nos immortalitatis, quam in primo parente amisimus, miseratus reducat. Ille *per quem omnia facta sunt* [11], manus pedesque suos, imò totum corpus quod induit, cunis involvi disposuit, ut manus nostras in bono opere promptas redderet, pedes nostros in viam pacis dirigeret, cuncta corporis nostri membra divinis manciparet obsequiis. Ille quem *cœlum et cœli cœlorum non capiunt* [12], parvi præsepis angustiâ continetur, ut amplitudinem nobis supernarum sedium tribueret. Et quâdam præcipui gratiâ sacramenti in præsepio sibi sedem elegit, ubi animalia solent ad vescendum convenire; insinuavit enim jàm tunc, quia fideles omnes in sacrosanctâ

[1] *Mich.* V, 2; *Matth.* II, 6 *et Joan.* VII, 42.— [2] *Joan.* VI, 51.— [3] I *Petr.* II, 13 *et Rom.* XIII, 1.— [4] *Joan.* I, 12.— [5] *Rom.* VIII, 29.
— [6] *Psalm.* CXV, 12.— [7] *Id.* CXLIV, 3.— [8] *Isai.* IX, 6.— [9] *Joan.* XIV, 2.— [10] *Psalm.* CIII, 2.— [11] *Joan.* I, 3.— [12] II *Paralip.* VI, 18.

altaris mensâ ejusdem Incarnationis suæ mysteriis esset refecturus : indicavit etiam quia cunctos sibi humiliter obsequentes internæ suavitatis soleat gratiâ recreare, de quibus benè per Prophetam dicitur : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [1]; in bove etenim designat populum Judæorum, qui jugum legis portare et ejus consueverat verba ruminare ; in asino autem exprimit populum Gentium, qui sordibus idololatriæ semper manebat immundus; et [a] quo utroque populo plurimi ad Evangelii gratiam conversi, et possessorem à quo creati sunt, cognoverunt, et cœlestibus ejus quærebant alimoniis ad perpetuam crescere salutem. Quorum primitias ei consecratas accipimus in pastoribus illis meritò venerandis, qui natum eum primi, Angelo nuntiante, videre et prædicare meruerunt, et in Magis qui ad ejus cunabula de Oriente cum muneribus et precibus, stellâ duce, venerunt; hi namque de Judæis ad Dominum, illi venere de Gentilibus. Verùm de Magis die sancto Epiphaniæ ipso ad quem venere, Domino propitiante, pleniùs audiemus : interim de pastoribus, qui primi ad eum venientes, prioris populi fideles designant, quæ sint gesta, videamus. Sequitur :

5. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis supra gregem suum. Et ecce Angelus Domini adstitit juxta illos, et claritas Domini circumfulsit illos.* Aptè autem satis hoc supernâ est providentiâ dispositum, ut, nascente Domino, pastores in viciniâ civitatis vigilarent, suosque greges à timore nocturno vigilando protegerent. Oportebat namque ut, cùm magnus Pastor ovium, hoc est, animarum nutritor fidelium, in mundo natus est, testimonium ejus Nativitati vigilantes supra gregem suum pastores darent. Ipse enim est qui ait : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis* [2]. Nam et futurum jàm tunc erat, ut per orbem universum electi pastores, id est, prædicatores sancti mitterentur, qui ad ovile Dominicum, videlicet, sanctam Ecclesiam, populos credentium cogerent: quorum primo, hoc est, beato Petro, cùm se Dominum amare profiteretur, idem Dominus ac princeps Pastorum, ad comprobandum eumdem amorem, præcepit, dicens : *Pasce oves meas* [3]; quia nimirùm solus ille Conditorem perfectè diligit, qui et proximis curam puri amoris impendit.

6. *Et ecce*, inquit, *Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.* Quid est quòd, apparente Angelo, divinæ quoque claritatis eos splendor circumdedit, quod numquàm in totâ Testamenti Veteris serie reperimus (cùm tàm innumeris vicibus Angeli Prophetis et justis apparuerunt, nusquàm eos fulgore divinæ lucis homines circumdedisse legimus), nisi quòd hoc privilegium rectè hujus temporis dignitati servatum est? Cùm enim vera lux mundi nascebatur in mundo, dignum profectò fuit, ut præco Nativitatis illius etiam corporales hominum visus novitate cœlestis perfunderet lucis; dicit namque de illius Nativitate Propheta : *Exortum est in tenebris lumen rectis corde;* et quasi quæreremus quod esset lumen de quo diceret, continuò subdit : *Misericors, et miserator, et justus Dominus* [4]. Cùm ergò misericors et justus Conditor ac Redemptor generis humani mundum gloriâ novæ Nativitatis illustrare dignatus est, decebat omnimodis, ut ipsam etiam in quâ natus est regionem, claritas lucis novæ compleret. Apparens ergò cum claritate, quid Angelus pastoribus dicat, audiamus.

7. *Nolite timere; ecce enim evangelizo vòbis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Verè gaudium magnum, quia gaudium cœleste, gaudium æternum, gaudium quod nullâ tristitiâ interveniente turbatur. *Quod erit omni populo.* Non omni populo Judæorum, neque omni populo Gentium, sed omni populo credentium, qui vel de Judæis vel de Gentibus orbis totius ad unam Christi confessionem aggregatur, ab unâ eâdemque mysteriorum Christi perceptione Christianus vocatur, de quo dicit Propheta : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* [5]. *Quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Benè dixit : *Hodiè natus est :* non dixit : *Hâc nocte*, quia, videlicet, cum luce cœlesti apparuit, qui diem natum evangelizabat his qui vigilias noctis agebant, illum, videlicet, de quo Psalmista præcinit, dicens : *Benè nuntiate diem ex die, salutare ejus* [6]; salutare quippè Dei, id est, Dominus Jesus, dies est ex die, quia qui temporaliter in civitate David homo ex virgine matre apparuit, ipse ante omnia tempora non localiter lumen de lumine, Deus verus de Deo vero natus est. Quia ergò *habitantibus nobis in regione umbræ mortis lux orta est vitæ* [7], aptè nuntius ortûs ejusdem dicit : *Quia natus est nobis hodiè Salvator*, ut hoc quoque verbo admoniti, semper recordemur quia *nox præcessit* antiquæ cæcitatis, *dies autem appropinquavit* æternæ salutis; et ipsi *abjiciamus opera tenebrarum* [8], et *ut filii lucis ambulemus; fructus enim lucis est*, sicut idem Apostolus ait, *in omni justitiâ, et bonitate, et sanctitate* [9].

[1] *Isai.* I, 8. — [2] *Joan.* X, 27 et 28. — [3] *Id.* XXI, 17. — [4] *Psalm.* CXI, 4. — [5] *Isai.* IX, 2. — [6] *Psalm.* XCV, 2. — [7] *Isai.* IX, 2. — [8] *Rom.* XIII, 12.— [9] *Ephes.* V, 9.

[a] *Aliàs*, ex quo.

8. *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Hoc nobis signum nati in carne Salvatoris semper animo retinere condecet, ut semper ejus beneficiis gratias rependere benè vivendo discamus, quia ità voluit habitum nostræ fragilitatis assumere, ut paupertatis quoque generalis statum non refugeret; est enim indicium assumptæ infirmitatis, quòd infans et pannis involutus est; et paupertatis, quòd non in strato, sed in præsepio positus invenitur. *Misericordias* ergò *Domini in æternum cantemus* [1], quia, ut nos perpetuò beatè vivamus, ipse abjectionis ac mortalitatis nostræ socius fieri non abnuit. Annuntiante autem Angelo uno gaudium Dominicæ Nativitatis, repentè multitudo militiæ cœlestis adfuit, quæ eidem nato Domino obsequium suæ devotionis redderet : et quem in cœlo semper glorificare consueverat, nunc solità hymnorum laude apparentem in terrâ concelebrat. Ubi nos quoque suâ laudatione cœli cives instituunt qualiter hujus sacratissimæ solennitatis gaudia celebrare, quantas Verbo Dei laudes dicere debeamus, quòd in eâ *caro factum est, et habitavit in nobis* [2], ut nos ad suæ gloriæ visionem sublevaret, nobis participium gratiæ et veritatis, quâ ipsum plenum est, donaret. Laudant ergò Deum, et dicunt :

9. *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Et apertè gloriam Deo dicunt, pacem prædicant hominibus, quia illum, in cujus Nativitate lætantur, *Mediatorem Dei et hominum* [3], hoc est, Deum esse verum et hominem nôrunt. Gloriam in excelsis Deo cantant, quia jàm venisse tempus illud exsultant, quo mundus, abjectis diis qui ab hominibus facti sunt, Conditorem suum qui est in cœlis cognosceret. Pacem optant hominibus, quia quos ejectos priùs ab æternâ felicitate merito peccati despexerant, jàm nunc, redimente Domino, in ejusdem supernæ habitationis gaudiis secum futuros intelligunt. Pacem hominibus mandant, quos in cœlesti Jerusalem, hoc est, in visione perpetuæ pacis, socios habere desiderant, ut ipsos quoque homines admoneant per observantiam pacis ad suum debere pervenire consortium. Et benè cùm dicerent : *Et in terrâ pax hominibus*, adjungunt : *Bonæ voluntatis*, quia cum illis societatem pacis Angelici spiritus habere festinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Illos secum post absolutionem carnis ad contemplationem veræ pacis subvehere lætantur, quos in carne commorantes omnia quæ agunt aut loquuntur, de radice bonæ voluntatis proferre conspiciunt; tales namque etsi infirmitas fortè aliquandò vel ignorantia à perficiendâ eà quam cupiunt bonâ actione retardat, ante interni tamen arbitri oculos integritas quam corde tenent bonæ voluntatis excusat. Bona autem voluntas est diligere Conditorem nostrum *ex toto corde*, *totâ animâ*, *totâ virtute*, *diligere et proximos tamquàm nos ipsos* [4], atque ejusdem dilectionis in nobis vigorem indiciis quibus valemus piæ actionis ostendere. Quod cùm omnibus horis ac momentis facere debeamus, quantò magis cùm Nativitatem Domini ac Salvatoris nostri, vel annuà festivitate colimus, vel frequentiore devotione recolimus : in quà specialiter Angelicâ exhortatione docemur dona ei bonæ voluntatis offerre : in quà cives patriæ cœlestis eidem bonæ voluntati nostræ consortium suæ pacis promittunt : in quâ ipsi quoque eumdem hymnum Angelici concentûs Deo dicere solemus! Sit igitur nobis, fratres charissimi, communis ista solennitas, sit terrestribus cum cœlestibus nec tantùm ista solennitas, sed et omnis nostra conversatio sit supernorum civium apta consortio. Meditemur interim in viâ quod habere desideramus in patriâ, concordemus etiam nos, quantùm valemus, vitæ illi mundissimæ beatorum spirituum, cui tunc associari speramus internâ puritate perpetuæ dilectionis : si divinæ laudationis dona, quibus in futuro vacare cupimus, etiam in præsenti sectemur, discamus cùm Apostolo dicere : *Nostra conversatio in cœlis est*, ut hoc quoque, quod sequitur, cum fiduciâ possimus addere : *Undè etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum* [5]. Illi namque Salvatorem ad judicium venientem cum gaudio exspectant, qui se ad ejus voluntatem cœlestem in terris vitam egisse meminerunt. Dat autem etiam fragilibus nobis ac minùs perfectis magnam spem percipiendæ salutis ipse Conditor et Salvator noster, qui pro nostrâ confirmatione fragilis apparens, mox ore consono militiæ cœlestis, bonæ nostræ voluntati dona suæ perpetuæ pacis promisit Jesus Christus, Deus et Dominus noster : qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritûs sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Psalm.* LXXXVIII, 2. — [2] *Joan.* I, 14. — [3] I *Tim.* II, 5.— [4] *Deut.* VI, 5 ; XI, 13 ; *Matth.* XXII, 37 ; *Marc.* XII, 30 *et Luc.* X, 27. — [5] *Philipp.* III, 20.

S. BRUNO ASTENSIS, ABBAS MONTIS CASINI,

ET EPISCOPUS SIGNIENSIS [a].

Num. 1. Descriptio totius orbis, quæ erat magnæ pacis indicium, secundùm familias facta fuit. — 2. Christus Mariæ primogenitus, pro nobis pauper factus. — 3. Stabulum Ecclesia intelligitur, præsepe Scriptura divina, pastores Episcopi et Doctores.

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.* Quòd mundus universus describitur, et sub unius potestatis tributum redigitur, magnæ pacis indicium est. Si enim mundus adhuc repugnaret, et contra Romanum imperium dimicaret, nequaquàm ejus edicto describi, et sub tributum redigi potuisset. De hâc enim pace Propheta prædixerat : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prœlium* [1]; et Psalmista : *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis* [2]. Quia enim *Princeps pacis* [3] oriebatur, pacem utiquè fieri oportebat [b]. *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Maria desponsatâ sibi uxore prægnante.* His enim verbis apertè monstratur, quòd hæc descriptio secundùm familias facta fuerat : undè ad proprias civitates atque familias, ubicumquè essent, singulos redire oportebat, quatenùs communicato consilio, omnes simul tributum dare promitterent, et factâ descriptione secundùm unamquamque familiam, totius tributi summam colligerent [c]. Venit itaque et Joseph cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante in Bethleem, civitatem David, ubi eorum familia habitabat, ut et ipsi, sicut cæteri, eamdem facerent professionem.

2. *Factum est autem, dùm essent ibi, impleti sunt dies Mariæ ut pareret : et peperit filium suum primogenitum.* Ibi enim Christum nasci oportebat, quia sic per Prophetam nuntiatum fuerat : *Et tu Bethleem, terra Juda, non eris minima in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* [4]. *Primogenitus* autem secundùm legem filius dicitur, qui primus de matris utero procedit, sive alii sequantur, sive non sequantur. Cùm enim lex statim post unum mensem omne primogenitum Domino offerre præcipiat [5], quis non intelligat sine alicujus relatione primogenita dici, cùm nihil adhuc genitum sit, cui hoc primogenitum referri possit? Quid enim, si mater illicò mortua fuerit, vel si ulteriùs filium non genuerit? Numquid idcircò primogenitus ille non erit, qui ex eâ jàm natus, et post unum mensem Deo oblatus, ab ipsâ lege primogenitus est vocatus? Igitur aut lex mentitur, aut primogenitus aliquandò sine relatione dicitur. Peperit itaque beatissima Virgo, concipiens virgo, pariens virgo, et in æternum permanens virgo : clausa ante partum, clausa in partu, clausa post partum. *Peperit enim filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* O pietas immensa! ô humilitas ineffabilis! ô sacramentum inenarrabile! Deus homo fit, æternus temporalis, immensus localis, immortalis passibilis : parvis pannis involvitur, qui cœli ambitu præ magnitudine non continetur [d] : *Quis audivit unquàm tale? Quis vidit huic simile* [6]? Reclinatur in præsepio ; et panis vivus, qui de cœlo descendit [7], non hominibus, sed pecoribus anteponitur, id est, non Judæis, sed Gentibus [e] ministratur. Tunc *cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [8] [f]. Sed quid dicam? Quòd cœli terræque Creator, quòd *Rex regum et Dominus dominantium* [9] non habuit locum in diversorio; sic enim Apostolus ait : *Quia, cùm omnium dives esset, pro nobis pauper factus est* [10].

3. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes*, etc. Quantùm enim ad litteram, ea causa

[1] *Isai.* II, 4. — [2] *Psalm.* LXXI, 7. — [3] *Isai.* IX, 6. — [4] *Mich.* V, 2. — [5] *Exod.* XIII, 2 *et Num.* XVIII, 16. — [6] *Isai.* LXVI, 8. — [7] *Joan.* VI, 51. — [8] *Isai.* I, 3. — [9] *Apoc.* XIX, 16. — [10] II *Cor.* VIII, 9.

[a] E Comment. in Luc. Part. 1, c. 2, n. 7.

[b] Pacatum fuisse orbem sub Christi ortum Hieronymus, Eusebius, Orosius aliique Patres ex Prophetarum oraculis eliciunt, quos allegat Estius, Prop. 9, c. 8. Maldonatus, p. 257, ad finem col. 1, affirmat hoc testari ecclesiasticos et profanos omnes Scriptores. Kepplerum id negantem refutat Norisius, Dissert. 2 in Cenotaphiâ Pisanâ Caii et Lucii Cæsarum. Vide etiam infrà Serm. 5 S. Leonis.

[c] Descriptionem non fuisse hujusmodi quâ tributum exigeretur, volunt recentiores viri. Vide Norisium, Pagium, Tillemontium, *etc.*

[d] Confer cum hoc textu Gregorii Nazianzeni locum qui sic incipit : « O novam mixtionem! *etc.* » quem vide infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini.

[e] Simili sensu loquitur Ambrosius, suprà, p. 321, n. 2 : « Hic est Dominus, hoc præsepe, *etc.* »

[f] Vide Ambrosium hunc eumdem Isaiæ textum afferentem, loco jàm laudato.

esse videtur, cur priùs pastoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, et in præsepe adire tentarent, in quo puer positus erat; spiritualiter autem stabulum Ecclesia: præsepe Scriptura divina: pastores verò, Episcopi et Doctores [a] intelliguntur. Stabulum enim vocatur Ecclesia, ad quam Dei animalia undiquè fluunt, ibique stant, et morantur in eâ: undè scriptum est: *Animalia tua, Domine, inhabitabunt in eâ* [1]. Hæc autem animalia, quasi in præsepio, in divinâ Scripturâ cibis spiritualibus nutriuntur: ibi positum inveniunt Christum, ibique comedunt panem vivum. Beati qui hujus præsepis cibis aluntur, et deliciis ibi positis reficiuntur. Vos autem, Ecclesiæ Pastores, vos, Episcopi et Sacerdotes, audite, et intelligite: vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum evangelizat, quia *vobis datum est nôsse mysterium regni Dei* [2], vobis datum est nôsse et intelligere secreta cœli [b]. Nuntiate ergò quod audistis: prædicate quod vidistis: nolite celare quod cognovistis. Totiès enim Christus in stabulo oritur, totiès ut parvulus in præsepio ponitur, quotiès Virginis partum et Christi Nativitatem aliis nuntiatis. Indè enim hodierna festivitas, Nativitas Domini vocatur, non quòd hodiè Dominus nascatur, non quòd Dominus iterùm de Virgine oriatur; sed quòd ejus Nativitatis memoria hodiè innovatur, et in illius commemoratione celebratur et prædicatur. *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Utinam hoc signum Judæi susciperent, et Christum nobiscum in præsepio quærerent [c]! quamvis enim pannis sit involutus, et sub velamine litteræ jacet occultus, invenirent tamen, si eum quærerent; et intelligerent, si credidissent. Quisquis igitur es qui vis videre Jesum, accede ad hoc præsepe, scrutare Scripturas, remove pannos, pelle litteram; *Littera enim occidit; spiritus autem vivificat* [3]; et tunc videbis quod videre non poteras. Sic enim Ecclesiæ Pastores eum quærunt, et quærentes inveniunt, et invenientes venerantur, et credunt. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Dominum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis* [d].

✠ RADULPHUS ARDENS [e].

NUM. I. Quo tempore Christus natus est? — 2. Quo loco? — 3. Ex quibus natus est? — 4. Quo cultu educatus? — 5. Quibus revelatus est? — 6. Et per quæ indicia? — 7. Angeli evangelizant pacem hominibus bonæ voluntatis. Quàm necessaria et quàm fructuosa est bona voluntas!

1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, etc. In hâc sancti Evangelii lectione, fratres charissimi, exponit nobis Lucas manifestè causas solennitatis hodiernæ. Exponit enim hîc sex res nobis, videlicet, quo tempore natus sit Christus, quo loco, ex quibus, quo cultu nutritus, quibus, et per quæ indicia sit revelatus. Porrò quo tempore natus sit Christus, ostenditur, cùm ait: *Exiit edictum*, etc. Cùm Augustus Cæsar monarchiam penè totius mundi in tantâ pace possideret, ut universum mundum unâ descriptione concluderet, nasci voluit, fratres charissimi, Christus, ut etiam ad litteram tunc completa visa sit illa prophetia: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prœlium* [4]. Quantùm ad litteram, in tali tempore nasci voluit Christus, ut se Principem pacis, et Monarcham cœli et terræ, et suos in libro vitæ descripturum demonstraret. Moraliter verò, fratres, sub servitute tributi voluit Dominus nasci, ut nobis in se voluntariæ humilitatis et mutuæ subjectionis præberet exemplum. Si enim ipse, cùm sit Rex regum et Dominus dominantium, propter nos venit in hunc mundum non dominari, sed subdi; non ministrari, sed ministrare, quid nos, miseri servi, quid facere debemus propter eum? Propter eum dicam, an propter nos? Sed meliùs dicam et propter eum et propter nos. Nam et propter Christum lucrandum, et propter nos salvandos, nos humiliare debemus. Si ergò Deus propter hominem se subdidit homini, homo quâ ratione

[1] *Psalm.* LXVII, 11. — [2] *Luc.* VIII, 10. — [3] II *Cor.* III, 6. — [4] *Isai.* II, 4.

[a] Nota sunt S. Ambrosii verba: « Videte Ecclesiæ surgentis exordium, *etc.*, » quæ videre est suprà, p. 321, n. 6.

[b] Lege suprà, p. 326, n. 6, et confer verba Vener. Bedæ his consimilia: « Pulcherrimâ ratione, Domino nato, *etc.* »

[c] De hoc signo vide suprà Serm. 7 S. Bernardi, p. 145, n. 8.

[d] Posteriorem partem hujus Homiliæ, qualis est apud Combefisium, reperiet lector infrà, inter Expositiones Evangelii Missæ in Aurorâ.

[e] In hâc Homiliâ quæ est undecima in Operibus Radulphi Ardentis (Edit. Paris. 1564), et quæ inscribitur: « In Natali Domini, » Radulphus zelo ardenti invehitur in pastores, sive sacerdotes, sive etiam episcopos, qui super gregem sibi commissum non vigilant.

subdi homini refugit? Itaque, fratres, cùm sponte nos humiliamus, cùm servimus proximo et ministramus, Christum imitamur. Quandò verò dominari hominibus, serviri et ministrari cupimus, non ipsum in hoc, sed satanæ superbiam imitamur. Quomodò ergò, fratres, humilitatem et subjectionem Christi sequuntur episcopi, sacerdotes et monachi, qui contendunt de dominatione, qui non solùm personas, sed et Ecclesias suæ ditioni gestiunt subjugare? Nos ergò, fratres, securiorem et firmiorem viam Christi sequamur, humilitatem et subjectionem, juxta quod Apostolus ait : *Si servus es, non sit tibi curæ; sed si potes liber fieri, magis utere* [1]. Mysticè autem, Augusto Cæsare, superbo diabolo penè jàm super universum mundum tyrannidem exercente, et ad suum servitium transcribente, natus est Christus. *Hæc descriptio*, inquit, *prima facta est à præside Syriæ Cyrino*, id est, à primo apostatâ, angelo sibi super alios per superbiam dominationem usurpante; Cyrinus autem *dominans* sive *dominus* interpretatur. *Et ibant singuli, ut profiterentur in suam civitatem*. Civitas, fratres, avarorum avaritia est. Civitas luxuriosorum luxuria est. Civitas gulosorum gulositas est. Et avari ibant, et conveniebant per consensum in vitium avaritiæ, ut si non ore, tamen opere se servos diaboli profiterentur. Luxuriosi quoque ibant, et conveniebant propter consensum in urbem luxuriæ, ut et si non ore, tamen opere se servos diaboli profiterentur ; et similiter cæteri vitiosi. Adeò autem, fratres, hìc diaboli servitus ante adventum Christi invaluerat, quòd et mater Christi et sponsus ejus, id est, synagoga et sacerdotium, irent in Bethleem, id est, in amorem terreni, non cœlestis panis, per hoc diabolo professionem facientes. Hanc autem in quâ tunc mundus erat miseriam, etiam hiems et nox in quà Christus natus est, designat. Cùm igitur in tantâ servitute esset totus mundus, natus est Christus, *factus adjutor in opportunitatibus, in tribulatione* [2]. Sed et hodiè, fratres (quod sine gemitu dicere nequeo), multi falsi Christiani, postquàm à servitute diaboli per Christum sunt mancipati, rursùs peccando in diaboli redeunt servitutem; qui enim diaboli opera facit, quid aliud quàm diabolo facit professionem? *Qui* enim *peccatum facit, servus est peccati* [3], et qui facit opera diaboli, servus est diaboli.

2. Quo autem loco Christus natus sit, ostenditur, cùm dicitur : *In civitate David, quæ vocatur Bethleem* [a]. *Ephrata, nequaquàm minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* [4]. [[b]Benè autem in Bethleem, quæ *domus* dicitur *panis*, nascitur qui verus panis est, suos externâ satietate refecturus. Benè etiam non in parentum domo, sed in viâ nascitur, ut in hoc ostenderet quia per humanitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur : alieno, dico, non quantùm ad potestatem, sed quantùm ad naturam]. In quo et, fratres, nobis innuitur quòd non solùm ipse, sed et nos omnes homines, cùm in hunc mundum nascimur, non in nostram patriam, sed in viam, peregrinationem et exsilium venimus: undè et David, licèt rex dives : *Advena*, inquit, *ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei* [5]. Hinc est, fratres, quòd, quandò infans nascitur, flere potest, ridere non potest. Plorat et ipse Christus. Sed quòd cæteri infantes plorant, necessitatis est : quòd Christus plorat, dignationis. Cæteri infantes plorant, quia patiuntur: Christus, quia compatitur. Si ergò, fratres, Christus plorat propter nos, quarè ipsi propter nosmetipsos non ploramus? Et si, infantes, ex infirmitate naturæ ploramus, quarè, adulti, cùm miseriam nostram intelligimus, non magis ploramus? Pensemus ergò, fratres, quanta sit miseria humana, ob cujus medicinam Christum necesse fuerit plorare ! Et à tanto tantam nobis exhibitam medicinam non spernamus; sed tantâ devotione veneremur, diligamus et imitemur.

3. Ex quibus verò Christus natus sit, ostenditur, cùm subditur : *Eo quòd essent* [c] *de domo et familiâ David*, Joseph scilicet et Maria; unusquisque enim secundùm legem de tribu suâ ducebat uxorem. Natus est igitur Christus, fratres, ex matre nobili, sed paupere : virgine, sed desponsatâ. Quòd verò de matre nobili natus est, est mysterii : quòd de paupere, est humilitatis : quòd de virgine, est munditiæ : quòd de sponsatâ, est sacramenti. De matre nobili natus est, quæ non solùm ex regiâ stirpe trahebat originem, sed etiam ex sacerdotali [d] : undè et Elisabeth cognata Mariæ fuisse commemoratur [6]. Porrò ex regiâ et sacerdotali tribu nasci voluit Christus, quia est *Rex regum* [7], et *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech* [8] erat futurus. De matre paupere, quia nec et in suâ purificatione agnum offerre potuit, natus est, ut nobis voluntariæ humilitatis et paupertatis exemplum donaret. De matre semper virgine natus est, ut se munditiam diligere, et in mundis cordibus habitare demonstraret. De sponsatâ verò matre nasci voluit, ut sacramentum Incarnationis suæ diabolo occultaret. Mater Christi, fratres charissimi, quæ in nobilitate non se extulit, sed paupertatem et humilitatem dilexit, eos redarguit qui de nobilitate

[1] I *Cor.* VII, 21. — [2] *Psalm.* IX, 10. — [3] *Joan.* VIII, 34 ; *Rom.* VI, 15 et 16 et II *Petr.* II, 19. — [4] *Mich.* V, 2; *Matth.* II, 6 et *Joan.* VII, 42. — [5] *Psalm.* XXXVIII, 13. — [6] *Luc.* I, 36. — [7] *Apoc.* XIX, 16. — [8] *Psalm.* CXIX, 5.

[a] Aliquid ibi deesse videtur. — [b] Quæ uncis includuntur, ferè ad verbum legis apud Gregorium, Serm. in Nativitatem Domini, infrà. — [c] Vulgata : *Esset*. — [d] Probavimus suprà, p. 228, col. 2, B. Virginem non esse de tribu sacerdotali ; et Eusebius Cæsariensis, p. 103, n. 8, optimè explicat in quo sensu S. Elisabethæ esset cognata. Solummodò igitur natus est Christus è tribu regiâ, non autem et sacerdotali.

superbiunt, et humilitatem oderunt atque paupertatem. Rursùs in hoc, fratres, quòd virginali castitate conjugium decoravit, dat matronis exemplum in conjugio castitatem conservandi : quæ si penitùs etiam à licito complexu continent, profectò castitatem beatæ Virginis imitantur; sed et si quandoquè debitum viro reddunt, non sunt sine merito castitatis, dùm fidem tori servant intemeratam. In hoc quoque quòd beata Virgo sub conjugio virginitatem celavit, dat omnibus exemplum castitatem cæterasque virtutes celandi. Nam flores virtutum coram Deo tantò plus vernant et fragrant, quantò favor popularis eos non exurit. Similiter et Joseph, fratres charissimi, qui ex omnibus viris mundi electus est, ut esset Virginis sponsus, cœlestium secretorum conscius, familiaris Angelis, nutritius Christi, viris proponitur in exemplum justitiæ et fidei, humilitatis et castitatis, qui et ipse quoque conjugium castitate ornavit, et castitatem sub conjugio celavit.

4. Quo autem cultu educatus sit Christus, ostendit, cùm dicitur : *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Fuerunt igitur indumentum Christi, panni viles : lectus, arctum præsepe : cibus, lac virginale ; lac enim de carne corruptà elicitum eum manducâsse non credo [a] : undè et legimus : « Ipsum « Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de « cœlo pleno. » In hoc cultu, fratres charissimi, quatuor invenimus : primò admirationem in hoc quòd ille qui lucem habitat inaccessibilem et qui cœlum luce vestivit, vilibus pannis circumamicitur : quòd ille qui totum mundum continet, in arcto præsepio continetur : quòd ille qui omnibus *dat escam in tempore opportuno* [1], modico lactis educatur. Quis enim hæc non poterit admirari? Ministerium, quia ideò Dominus voluit indui pannis, ut se vilitatem et corruptibilitatem nostram induisse demonstraret: ideò poni voluit in præsepio, ut se refectionem piorum esse significaret : ideò lacte virginali voluit pasci, ut se in purà matris Ecclesiæ doctrinà delectari demonstraret. Medicinam, quia ideò dignatus est Dominus pro nobis pannis vilibus involvi, ut nos stolà incorruptionis vestiret : ideò voluit pro nobis in arcto præsepio poni, ut nos in lato cœli palatio collocaret : ideò voluit lactis pro nobis egere nutrimento, ut nos Angelorum pane satiaret. Exemplum, quia ideò vilibus pannis propter nos circumdatus est, ut nos vilitatem pannorum propter eum non abhorreremus, sed amaremus : ideò in angusto præsepio propter nos positus est, ut nos propter eum parvo et vili tugurio contenti essemus : ideò simplici cibo pastus est, ut nos quoque simplicitate et vilitate ciborum esse disceremus contenti. Et hoc, fratres mei, contra illos est qui in pretiosis et mollibus vestibus delectantur, qui in constructione palatiorum et turrium gloriantur, qui aviditate pretiosorum cibariorum capiuntur.

5. Quibus Christus revelari voluit, ostenditur, cùm subditur : *Et pastores erant in regione eàdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Quantùm ad litteram, fratres, Christus tamquàm verus pastor, tamquàm humilis, tamquàm pauper, pastoribus, humilibus et pauperibus voluit primò revelari. Mysticè verò, isti pastores gregum significant quosque pastores fidelium animarum : qui si fuerint in eàdem regione, si vigilaverint super gregem suum, et custodierint vigilias noctis, profectò illis præcipuè Dominus suorum arcana sacramentorum dignabitur revelare. Isti sunt pastores in eâdem regione in quà natus est Dominus, qui in munditiâ et castitate, in quâ natus est Christus et permansit, sese, quantùm possunt, regere contendunt. Vigilant super gregem suum, qui in regimine animarum sibi commissarum solliciti sunt. In quo etiam pensandum est, fratres charissimi, quòd dicitur *super gregem suum;* non enim sufficit pastoribus si sint in scientià et vità sicut populus : undè et in opprobrium dicitur eis : *Et erit sicut populus, sic sacerdos* [2]. Et sicut præeminet pastor gradu, sic sapientià et vità debet eminere : undè et dicitur : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion* [3]. Hinc est quod sacerdos accipiebat *armum separatum* [4], quia actio pastoris non solùm debet esse fortis, sed et singularis. Custodiunt vigilias noctis super gregem suum, qui populum sibi commissum in adolescentià, in virili ætate, in senectute, in decrepità ætate, informare contendunt; et quos in adolescentià nequierunt, saltem vel in virili ætate, vel in senio, vel in decrepità ætate corrigere concupiscunt. Sed quomodò, fratres, hìc dicitur *vigilias noctis custodientes super gregem suum,* cùm in manu hominis non sit custodire vel se, vel alium, præsertim cùm scriptum sit : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam* [5]? neque enim potest pastor jacere solus, sed socius, nec ad Dominum ire solus, sed socius. Verum utiquè est, fratres mei, quòd in manu pastoris non est gregem custodire ; sed tamen ei ex necessitate officii inditum est, quoad potest, ad custodiendum vigilare. Nam si aliquis vestrûm committat centum oves opilioni suo, et ille, devoratis et perditis cunctis ovibus, solus ad dominum revertatur, quid ei dicturus est dominus suus? Nonne incarcerabit vel turpiter fu-

[1] *Psalm.* CXLIV, 15. — [2] *Isai.* XXIV, 2 *et Ose.* IV, 9. — [3] *Isai.* XL, 9. — [4] *Levit.* X, 14. — [5] *Psalm.* CXXVI, 1.

[a] Lac sanctissimæ Virginis non de carne corruptà, sed è contrà de carne purissimâ effluebat, siquidem à labe originali immunis concepta fuerit. Quòd alioquin de carne sanctissimâ efflueret lac B. Virginis, indicant hæc ipsa verba quæ profert Radulphus : « Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat « ubere de cœlo pleno. »

gabit eum? Quid ergò, fratres, quid dicturus est Deus illi pigro pastori, qui nullam animarum sibi commissarum ad ipsum reducit? Nonne illum tamquàm multarum animarum homicidam acriùs cæteris damnabit? Utiquè: *Nam durius judicium his qui præsunt fiet* [1].

6. Per quæ indicia voluit Christus revelari, ostenditur, cùm dicitur: *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas ejus* [a] *circumfulsit illos.* Benè, fratres, Angelus nuntians Nativitatem Christi stetisse legitur; stare enim pugnantium est. Et ille Nativitatem ejus nuntiabat, qui aëreas potestates debellare veniebat. Ille verò Angelus, qui ejus resurrectionem nuntiavit, super lapidem revolutum sedit, quia profectò illum nuntiabat, qui jàm victor sedebat. Benè et Angelus Nativitatis nuntius stetisse juxta pastores memoratur, quia videlicet Christum propè et propitium fieri hominibus per carnem et misericordiam denuntiabat, juxta illud: *Propè timentes eum salutare ipsius* [2]. [Benè quoque Angelus cum luce in Christi Nativitate, quod in toto Veteri Testamento non legitur, apparuit, quoniam, juxta Prophetam, tunc *exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors et miserator Dominus* [3] [b].] *Et timuerunt*, inquit, *timore magno*, quia humana infirmitas concutitur, ubi divina sublimitas manifestatur; sed quia digni erant consolatione, dixit eis Angelus: *Nolite timere.* Sicut enim diaboli et diabolicorum hominum est hominem ad tremorem et desperationem commonere; ità bonorum Angelorum et hominum est homini consolationem et spem præbere. Quarè autem pastoribus non timendum, sed gaudendum esset, ostendit Angelus, cùm subdit: *Ecce nuntio vobis gaudium magnum*, *quod erit omni populo,* subaudis, electorum. Gaudium magnum et commune, fratres, nuntiat Angelus pastoribus; quia quoddam gaudium est quod non est magnum, sed parvum, vel potiùs nullum, ut gaudium quod habetur de aliquâ re transitoriâ, de quo dicitur: *Væ vobis qui ridetis* [4]! sed gaudium istud erat magnum, quia de salute nostrâ. Rursùs erat commune, quia omni populo credenti erat communicandum; ideò enim factus est Deus homo, ut homines Deos faceret, et gaudium quod habebat solus, communicaret pluribus. Hoc, fratres, contra illos qui soli sibi vivere volunt, et bonum quod habent, cæteris communicare nolunt; et ideò communi sanctorum bono justè privantur. Quod autem illud gaudium sit, exponit Angelus cùm subdit:

7. *Quia natus est hodiè vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Tribus nominibus, fratres, vocat Angelus puerum, Salvatorem, Christum, et Dominum. Christum, quia unctus est plenitudine omnium gratiarum, de quo omnes accepimus [5]: Salvatorem, quia salvat et glorificat electos: Dominum, quia damnat reprobos. Sed quarè, fratres, ait *hodiè*, cùm in nocte natus sit Christus? Quia eam noctem sacramento Nativitatis suæ splendidam Christus reddidit et solennem, juxta quod scriptum est: *Et nox sicut dies illuminabitur* [6]. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* [7]. *In civitate David* ideò dicitur, ut ostendatur verè Christus esse qui in Bethleem secundùm Prophetas erat nasciturus. Sed quia Judæi signa petunt, subdit Angelus: *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Ac si diceret: Ex hoc potestis probare quod dico, cùm cognoveritis esse vera et absentia quæ nuntio, et futura quæ prædico, ut, cùm me veracem in his cognoveritis, in cæteris quoque me veracem esse non dubitetis. Signum verò Angelus in humilitate et paupertate Christi posuit, ut demonstraret nobis per quæ salvaremur, et quæ imitari debemus. Cæterùm, ne attestatio unius Angeli insufficiens videretur, non duorum tantùm subjungitur vel trium testimonium, sed etiam multorum, cùm dicitur: *Et facta est cum Angelo*, concors, scilicet, in testimonium, *multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum*, *et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac si diceret: Ex Nativitate Christi, Deus ab altissimis Virtutibus glorificatur et benedicitur, eo quòd ruina Angelica ex reparatione hominis suppletur, et pax et reconciliatio cum Deo hominibus bonæ voluntatis præbetur. Non autem ait hominibus bonæ operationis, quia bona operatio sine bonâ voluntate non sufficit; bona verò voluntas sine bonâ operatione, si facultas deest, sufficere potest. Itaque, fratres mei, si multùm laborare, si multùm largiri, si multùm jejunare non potestis, saltem habeatis bonam voluntatem, quæ si prompta fuerit, procul dubio pro facto reputabitur. Non enim pensat Deus quantùm quis offerat, sed ex quanto. Reliquerunt quippe Petrus et Andreas navem et retia [8], et omnia reliquisse judicantur [9]. Obtulit vidua minuta duo, et divitibus multùm offerentibus præfertur [10]. Offeramus et nos, fratres, quod possimus; et si non habemus facultatem, saltem offeramus bonam voluntatem, quoniam Nativitas Christi dat pacem hominibus bonæ voluntatis: quam ipse nobis largiatur, qui hodiernâ die pro nobis de Virgine nasci dignatus est, Jesus Christus Dominus noster: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Sap*, VI, 6. — [2] *Psalm.* LXXXIV, 10. — [3] *Id.* CXI, 4. — [4] *Luc.* VI, 25 et *Isai.* LXV, 13. — [5] *Joan.* I, 16. — [6] *Psalm.* CXXXVIII, 12. — [7] *Ibid.* 11. — [8] *Matth.* IV, 20. — [9] *Id.* XIX, 27. — [10] *Luc.* XXI, 3.

[a] Vulgata: *Dei.* — [b] Similia leguntur apud Vener. Bedam, suprà, p. 326, ad med. num. 7, et p. 330, ad finem num. 7.

✠ HIERONYMUS,

PRIMUM PRIOR S. FRIGDIANI LUCENSIS,

DEINDE EPISCOPUS ARETINUS [a].

NUM. 1. Quarè Christus nasci voluit in tempore pacis et in descriptione orbis? — 2. Ut ascendit Joseph de Nazareth in Bethleem, ità et nos eamus de virtute in virtutem. — 3. Ut, cùm esset ibi, Maria peperit filium suum, ità et nos, cùm simus ibi, pariamus Christum. — 4. Christus nasci voluit in præsepio tribus de causis. — 5. Pastores prædicatores, nox sæculum, grex populum significat. — 6. Bonis pastoribus sermo divinus magnum gaudium affert.

1. *In illo tempore : Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, etc. [[b] Quia Dominus ac Redemptor noster ad hoc venit in mundum, ut inter hominem et Deum, inter nos et Angelos pacem reformaret, idcircò in tempore pacis nasci voluit. Nam in tantà pace natus est Christus, quòd totus mundus ab uno homine regebatur, in nullo ei contradicebatur, sed totus orbis ad reddendum tributum describebatur, sicut per Evangelistam dicitur : *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis;* et quod per Isaiam dicitur, ad litteram adimpletum fuisse videtur : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prælium* [1]; et Psalmista : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis* [2].] [[c] In descriptione quoque orbis, ideò Dominus nasci voluit, ut ostenderet quia ideò venerat ut electos suos scriberet in æternitate. Quo contrà dictum est de reprobis per Prophetam : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* [3].] Sequitur : *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Et nos omnes eamus, non tantùm gressibus pedum, quantùm gressibus morum, et censum nostræ fidei, quæ Regi nostro, id est, Christo debetur, profiteamur in nostram civitatem, id est, in sanctam Ecclesiam.

2. Sequitur : *Ascendit autem Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem.* Et nos similiter euntes de virtute in virtutem, de Nazareth, quæ interpretatur *munditia* vel *sanctitas*, id est, de munditià cordis et sanctitate boni operis, quæ est in Galilæà, id est, in transmigratione de vitiis ad virtutes, ascendamus in Bethleem, quæ *domus panis* interpretatur, id est, ad cœlestem beatitudinem quæ est domus illius qui dixit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* [4], et si non corpore, tamen et conversatione, sicut faciebat Apostolus, qui dicebat : *Nostra autem conversatio in cœlis est* [5]; hæc autem Bethleem est in Judæâ, quia beatitudo cœlestis semper est in confessione laudis Dei, sicut scriptum est : *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te* [6]. Et qualiter faciebat hoc Joseph, *eo quòd esset de domo et familiâ David*, et nos suprà dicta faciamus, eo quòd sumus de domo et familià Christi, qui significatur per David; David namque interpretatur *manu fortis;* et de Christo Psalmista dicit : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* [7]. Christi manus adeò fortis est, ut extensa omnia mala fugaret; nam tangendo leprosos mundabat, cæcos illuminabat, mortuos suscitabat. Vis audire fortitudinem Christi? Audi Evangelistam dicentem : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes* [8]. Interpretatur etiam *visu desiderabilis;* et de Christo dicit Propheta : *Speciosus formâ præ filiis hominum* [9]; et beatus Petrus ait : *In quem desiderant Angeli prospicere* [10]. Quarè autem in Bethleem? Joseph causam subdendo manifestat, cùm ait : *Ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Et nos cum Marià, id est, animâ nostrâ, semine verbi Dei gravidâ, profiteamur, id est, prænuntiemus censum bonæ fidei et sanctæ conversationis.

3. Et quia non sufficit benè promittere, nisi promissa etiam opere compleamus, ideò sequitur : *Factum est autem, cùm esset ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum.* Et nos, cùm simus ibi, id est, in promissione boni, faciamus ut nostra Maria, id est, anima nostra pariat Christum, id est, bonum propositum, quod intùs gestabat, opere complendo demonstret. Maria Christum pannis involvit; et nos bonum opus nostrum Sanctorum exemplis circumdandò munia-

[1] *Isai.* II, 4. — [2] *Psalm.* LXXI, 7. — [3] *Id.* LXVIII, 29. — [4] *Joan.* VI, 51. — [5] *Philipp.* III, 20. — [6] *Psalm.* LXXXIII, 5. — [7] *Id.* XXIII, 8. — [8] *Luc.* VI, 19. — [9] *Psalm.* XLIV, 3. — [10] I *Petr.* I, 12.

[a] E Steph. Baluzii Miscellaneis apud Joan. Dom. Mansi, Tom. 2, ubi hic Sermo inscribitur : « Ad Missam in Nocte super Lucam. »

[b] Quæ uncis includuntur, reperiuntur, quoad sensum, apud Bedam, pp. 323-324, n. 1.

[c] Quæ uncis includuntur, leguntur, ferè ad verbum, apud Gregorium, infrà, Serm. in Nativitatem Domini.

mus, et reclinemus in præsepio, ubi animalia reficiuntur, id est, in sanctâ Scripturâ, in quâ reficiuntur animalia Dei, de quibus dicitur: *Animalia habitabunt in eâ*[1]. In hoc ergò præsepio, id est, in sacrâ Scripturâ filium nostrum, id est, opus nostrum reclinare debemus, ut cum sacrâ Scripturâ concordet, et cum eâ conveniat.

4. Et notandum quòd Dominus non in pretiosâ camerâ aut nobili loco nasci voluit, sed in præsepio, ubi ponitur fenum et ubi bestiæ ligantur; et hoc tribus de causis. Primò, ut exemplum humilitatis nobis daret. Secundò, ut ostenderet quia fenum nostræ carnis susceperat; caro namque fenum dicitur, dicente Isaiâ: *Omnis caro fenum*[2]; et iterùm: *Verè fenum est populus*[3]; et Propheta: *Homo sicut fenum dies ejus*[4]. Tertiò, ut innueret quòd propter bestias, id est, propter peccatores venerat.

5. Sequitur: *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis supra gregem suum.* [[a] Pastores prædicatores, nox sæculum, grex populum significat.] Sicut ergò tunc pastores in nocte vigilantes custodiebant gregem suum; sic et sancti prædicatores, in nocte hujus sæculi, gregem suum, id est, populum sibi commissum custodire, et super ipsum vigilare debent; scriptum quippè est: *Beatus servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem*[5]. Et quoniam pastoribus Dei præcepta servantibus divinus sermo per intellectum innotescere solet, et miraculorum claritas in eis fulgere, ideò subjunctum est: *Ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos.* Angelus Domini, qui latinè *nuntius* interpretatur, divinus sermo est; et hic semper juxta pastores, id est, sanctos prædicatores stare debet, ut sancti prædicatores divinum sermonem et sacram Scripturam juxta se et ante se semper habeant, quatenùs in lege Domini meditantur die ac nocte. Et si hoc fecerint, claritas miraculorum circumfulgebit eos, ut per Dei gratiam miracula etiam facere mereantur quandoquè in corpore, semper autem in spiritu; et timebunt timore magno, quia scriptum est: *Beati omnes qui timent Dominum*[6]; et: *Beatus vir qui timet Dominum*[7].

6. Sequitur: *Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Semper pastoribus Dei præcepta servantibus sermo divinus magnum gaudium annuntiavit, sicut servo illi pastoris typum tenentis, qui de quinque talentis alia quinque lucratus fuerat, ait: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*[8]. Et quoniam de nostro provectu Angeli semper gaudent, sicut scriptum est: *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*[9], idcircò sequitur: *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.*

✠ B. ÆLREDUS, ABBAS RIEVALLENSIS IN ANGLIA[b].

NUM. 1. Deus per Apostolos edixit ut mundus describeretur. — 2. Ordo religiosorum est quasi civitas bonis observantiis vallata. — 3. Quò sensu dicuntur Christiani mutare gladios suos in vomeres? — 4. Vigilantes, pastorum instar, super gregem affectionum nostrarum, gaudeamus de nato Christo. — 5. Nunc igitur Deum amemus, quem anteà timebamus. — 6. Lætitiæ causa est nobis Nativitas Christi. — 7. Quarè Salvator dicitur Christus? Quantùm propter nos se inclinavit! — 8. Fratrum nostrorum infirmitati condescendamus. De signis quibus agnoscitur nascens Christus. — 9. Bethleem est Ecclesia, et præsepium altare, ubi sumitur corpus et sanguis Christi.

1. *Nolite timere: ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Rumorem quem Angelus mùndo prædicat, charitati vestræ hodiè meritò debeo commendare. Jàm exiit edictum à nostro Imperatore Deo, ut totus mundus describatur: orbis subjectus est Imperatori nostro, Deo videlicet. Missi sunt legati ejus per universum mundum, ut describatur et censum profiteatur. Legati isti sunt Apostoli, et prædicatores sancti quorum *sonus exiit in omnem terram, et in fines orbis terræ verba eorum*[10], *ut describeretur universus orbis.* Sicut terrenus ille imperator describi voluit et præcipit omnem mundum, ut omnes scirent se pertinere ad illam metropolim civitatem Romam, et

[1] *Psalm.* LXVII, 11. — [2] *Isai.* XL, 6. — [3] *Ibid.* 7. — [4] *Psalm.* CII, 15. — [5] *Luc.* XII, 43. — [6] *Psalm.* CXXVII, 1. — [7] *Id.* CXI, 1. — [8] *Matth.* XXV, 21. — [9] *Luc.* XV, 10. — [10] *Psalm.* XVIII, 5 *et Rom.* X, 18.

[a] Ità Ambrosius, p. 321, n. 6. — [b] E Bibliothecâ Patr. Cistercens. D. Tissier, Tom. 5. ubi Sermo ille inscribitur num. 2.

omnes ei tributum solverent, id est, denarium, in quo ejus erat imago; sic noster Imperator, qui jàm acquisivit universum mundum, vult ut omnes scribantur in illà civitate, quæ *sursùm et libera est, et est mater omnium nostrùm*[1], de quà dicit Propheta : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*[2]. Hæc civitas meritò potest appellari Roma, id est, excelsa. Beatus qui suscipit hoc sui Imperatoris edictum, ut scribi possit in civitate istâ; particeps enim gaudii est, quod Angelus hodiè annuntiat : *Auditui ejus Dominus dedit gaudium et lætitiam*[3]; socius enim eorum est, et in sorte hæreditatis eorum invenitur, qui ab ipso, qui natus est hodiè Salvator mundi, fons et origo omnis veri gaudii, audierunt : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*[4]. Denarius autem ille, quem noster Imperator requirit à nobis, quis est? Sine dubio anima nostra, quæ habet ejus imaginem in se; fecit enim nos Deus ad imaginem suam, sed in animâ. Beatus qui ei hoc tributum reddit, qui hunc denarium solvit, qui suam imaginem ei restituit!

2. Videtis, fratres, per universum mundum homines currere ad legatos Imperatoris nostri, ut digni habeantur scribi in illà gloriosâ et excelsâ civitate, et ut ei reddant imaginem, hoc est, animas suas. Hoc faciunt singuli in suâ civitate. Una est civitas, ad quam omnes tendimus, in quâ omnes volumus scribi ; sed *quamdiù sumus in corpore, peregrinamur à Domino*[5], vigilantes contra hostes nostros. Non omnes sumus in unâ civitate, nec omnes in uno loco se custodiunt; licèt enim una civitas dicatur et sit sancta Ecclesia, tamen in ipsâ diversi sunt ordines, quasi diversæ civitates, in quibus singuli profitentur, id est, suam faciunt professionem; sunt enim multi, qui vel nolunt, vel non possunt servare castitatem. Ne ergò isti per libidines et fornicationes, sive immunditias rapiantur ab inimicis suis, necesse habent ut sint in aliquâ civitate, ubi se tueantur. Istorum civitas, ubi se custodiunt ab illis vitiis, conjugium est. Ista civitas multos habet incolas, licèt infirmos. Sed et continentes, qui castitatem servare disponunt, alii unam civitatem eligunt, alii aliam. Alii eligunt solitudinem, alii claustrum, alii magis student in jejuniis, alii præcipuè in vigiliis, alii per quotidianos labores superbiam carnis edomant, alii cordis contritione et lacrymarum profusione vitia exstinguunt. Videamus nos et nostram civitatem. Munitissima civitas est Ordo noster, et vallata undiquè bonis observantiis, quasi quibusdam muris et turribus, ne hostis noster decipiat, ne nos ab exercitu nostri Imperatoris avertat. O qualis murus paupertas! Quomodò nos defendit contra superbiam mundi, contra vanitates et superfluitates noxias et damnabiles! Qualis turris silentium, quod premit assultum contentionis, rixæ, dissensionis et detractionis! Quid obedientia, humilitas, vilitas vestium? Quid asperitas ciborum? Muri sunt, turres sunt contra vitia, contra assultus inimicorum nostrorum. In hâc civitate profitemur nos, non Romanos, sed Angelicos; istæ enim observantiæ ostendunt nos esse de societate Angelorum, non de servis Romanorum. In tempore professionis hujus impletur illud Isaiæ : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces*[6]; et subdit : *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prœlium*[7].

3. Sine dubio, fratres, licèt prœlia abundent, crebrescant seditiones, et occisiones multiplicentur, impletur modò quod promittit Propheta : *Non levabit gens contra gentem gladium*. Duæ gentes sunt de quibus in istâ Scripturâ sæpè fit mentio : una electorum, alia reproborum. Illa utiquè gens reproborum regnum diaboli est; et est divisum istud regnum adversùm seipsum : ideò gens ista numquàm habet pacem in seipsâ : semper pugnant, se invicem destruunt sive corporaliter, sive spiritualiter. Et gens ista aliquandò levabat gladium contra illam aliam gentem, quandò scilicet terrena civitas reproborum persequebatur Ecclesiam Dei, et occidebant et trucidabant sanctos martyres Christianos. Hoc modò non fit : cessavit illa aperta persecutio, in quâ multi propter timorem non audebant profiteri se esse Christianos. Securè modò, qui ad supernam civitatem illam pertinent, ad eam tendunt et profitentur censum, quem requirit ab eis Imperator magnus, Deus ipsorum, quia in tempore hoc non levat gens contra gentem gladium. Liberè videtis multos conflare gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Ad litteram quotidiè impletur hoc, non in illâ perfidâ gente, quæ pacem non habet, nec habuit, nec habebit; sed in illâ generatione justorum quæ benedicetur. Nonne videtis homines sæculi nobiles ad conversionem venientes, lanceas et gladios suos dimittere, et quasi rusticos manibus suis cibum suum operari? Sed multò meliùs, et apertiùs, atque pleniùs hoc spiritualiter impleri intelligitur in omni genere hominum, pauperum scilicet et divitum, clericorum et laicorum. Attendamus gladium, de quo dicit Dominus : *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit*[8], et illum vomerem, quo scinditur terra cordis nostri, juxta illud : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*[9]; et videbimus innumerabilem multitudinem in hoc tempore mutare gladios suos in vomeres. Gladius iniquitas est. Hoc gladio quisque

[1] *Galat.* IV, 26. — [2] *Psalm.* LXXXVI, 3. — [3] *Id.* L, 10. — [4] *Luc.* X, 20. — [5] II *Cor.* V, 6. — [6] *Isai.* II, 4. — [7] *Ibid.* — [8] *Matth.* XXVI, 52. — [9] *Joel*, II, 13.

seipsum priùs lædit quàm alium, sicut dicit beatus Augustinus : « Omnis, *inquit*, homo priùs in se« ipsum iniquus est, quàm in alium, quia statim ut « concipit voluntatem lædendi alium, etiam ante« quàm alium lædat, se lædit, quem gladio iniqui« tatis occidit. » De hoc gladio dicit Dominus Petro : *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quàm multi, fratres, in tempore isto hunc iniquitatis gladium conflant in vomerem compunctionis! Multi, qui priùs animam suam gladio peccati occiderunt, modò cor suum per compunctionem pœnitentiæ scindunt : lanceas quoque suas, id est, subtilitatem sui ingenii, quà solebant multos secum trahere ad peccatum, multi hodiè mutant in falces, quibus fructus spirituales colligant, ut obviam veniant Domino, portantes manipulos justitiæ et salutis. Meritò ergò in die isto et tempore, hunc rumorem, quem Angelus annuntiat nobis, commendamus. Et quis est rumor iste? *Natus est vobis hodiè Salvator mundi*, ait, *in civitate David.* Meritò commendat gaudium, qui prædicat Salvatorem natum. Verum est enim gaudium, gaudium salutis; et gaudium salutis veraciter nobis confert Nativitas Salvatoris.

4. Oportet nos igitur gaudio magno gaudere pro his quæ nobis hodiè dicuntur ab Angelo, scilicet, quia natus est hodiè Salvator. Sed, fratres charissimi, non omnibus sapit rumor iste. Non sapuit Herodi, nec Scribis et Pharisæis : imò, audito eo, turbati sunt, et multi cum eis [1]. Sed nec modò omnibus sapit. Multis hodiè plus sapiunt corruptibiles deliciæ ventris, quàm istæ incorruptibiles deliciæ mentis. Multi hodiè magis gaudent in potatione, quàm in Christi Nativitate. Aure audiunt isti rumorem istum, sed non intelligunt; non enim habent aures interiores, quas requirit, qui dixit : *Qui habet aures audiendi, audiat* [2]. Vobis autem benè dicitur rumor iste, qui et aures ad audiendum, et sanum palatum ad gustandum habetis; vigilatis namque, et vigilias noctis custoditis super gregem vestrum. Illi autem, qui calicibus epotandis student, ut inebrientur et luxurientur, non vigilant in nocte; sunt enim somno inertiæ depressi et vino ebrietatis : *Qui enim dormiunt*, sicut ait Apostolus, *nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* [3]; dies enim eorum nox est, propter opera tenebrarum quæ agunt : *Obscuratum est insipiens cor eorum* [4]. Vos verò circumfusa est claritas Dei, sicut filios diei, imitantes beatos pastores istos, de quibus Evangelium loquitur; vigilatis quippè, sicut dixi, et vigilias noctis super gregem vestrum custoditis, cautè vos ubiquè habendo, et omnes actus vestros, ut Deo placeant, intendendo. Et reverà sic oportet; nox enim est, in quà ille *leo rugiens circuit* ovilia Christi, *quærens quem devoret* [5]. Si pastores dormientes invenerit, rapit de gregibus eorum, et quod rapuerit, ad mortem trahit : proindè custodiamus vigilantes gregem nostrum. Grex noster affectus nostri boni, et bonæ cogitationes. Super hos greges necesse est ut vigilemus, nequandò prævaleat inimicus adversùs eos, et auferat eos nobis, dissipans et disperdens. Super gregem suum vigilant, qui omnes cogitationes suas, locutiones et opera sollicitè conservant, ne in aliquo aliquam offensionem incurrant : similiter qui sensus suos, id est, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum custodit, ne fur ille pessimus eos furetur vel rapiat. Furatur visum, quandò per negligentiam incautè per visum peccamus : rapit, quandò per vim delectationis nos compellit peccare. Sic et auditum furatur, quandò penè nescientes, ad vanitates et verba otiosa audienda, nos allicit : rapit, quandò vi delectationis ad vana facienda impellit. Furatur gustum, quandò per concupiscentiam gulæ ignorantes decipit : rapit, quandò gulæ desiderio scientes vincit.

5. Hoc ipsum quoque de aliis sensibus intelligendum. De his gregibus dicit in Canticis Sponsus sponsæ suæ, Christus scilicet Ecclesiæ, sive cuilibet sanctæ animæ : *Capilli tui sicut grex caprarum* [6]. Capilli animæ nostræ sunt cogitationes subtiles, quæ procedunt de rationali mente, quæ est caput animæ. Sicut nobis nescientibus capilli oriuntur de capite, et iterùm nobis nescientibus defluunt; ità sine dubio cogitationes sæpè etiam nobis nescientibus veniunt et recedunt. Et sicut in sectione capillorum nullus dolor sentitur; ità, quandò superfluas cogitationes abjicimus, gaudemus potiùs quàm dolemus. Comparantur capilli isti in sanctis animabus gregi caprarum, qui pascitur in montibus et erecto capite, quia cogitationes sanctorum semper se de cœlestibus pascunt, et ad cœlestia erigunt se, implentes illud Apostoli : *Quæ sursùm sunt quærite*, etc. [7]. Porrò quòd sensus carnis, hædorum nomine, debeamus accipere, dicitur in eisdem Canticis : *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere, et abi post hædos tuos* [8]; quia sine dubio qui oculos aufert à seipso, nolens seipsum, suam scilicet infirmitatem, attendere, sed magis aliorum vitam explorare et judicare, ipse planè egredietur à consortio ovium Christi, et pascet carnales sensus suos pessimà delectatione peccati. Sed quia vos, exemplo pastorum istorum, gregem vestrum vigilantes custoditis, vobis adhuc hodiè dicitur quod illis tunc dictum est ab Angelo, et quod initio sermonis hujus proposuimus vobis. Audite igitur illud, et cum speciali jucunditate percipite : *Nolite timere.* Meritò utiquè vobis dicitur : *Nolite timere*; sed quid?

[1] *Matth.* II, 3. — [2] *Luc.* VIII, 8. — [3] I *Thess.* V, 7. — [4] *Rom.* I, 21. — [5] I *Petr.* V, 8. — [6] *Cant.* IV, 1. — [7] *Coloss.* III, 1. — [8] *Cant.* I, 7.

Utiquè amate; habetis enim justam et manifestam causam quarè debetis amare, potiùs quàm timere. Ante hunc diem necesse erat timere: ante hunc diem habuimus Creatorem Dominum, judicem Deum; et utiquè justè eum timuimus, quia Creatori nostro, cui nos, creatura ejus, tantam injuriam fecimus, quòd eum in primo homine contempsimus, noluimus esse subjecti; sed ex consilio diaboli tentavimus ei fieri pares: *Eritis*, ait, *sicut dii, scientes bonum et malum*[1]. Meritò potuimus timere Dominum nostrum, quem sicut mali servi offendimus; meritò enim Dei judicium potuimus timere, qui nihil dignum habuimus, quo possemus tantum expiare peccatum.

6. Non erat, ante hunc diem, undè securè gauderet homo, nisi in quantùm cognovit vel credidit hunc diem futurum. Hodiè autem vobis dicitur: *Nolite timere*; sed amate: nolite tristari; sed gaudete: ecce Angelus de cœlo adest, annuntians vobis gaudium magnum: gaudete ergò pro vobis, gaudete et pro aliis, quia gaudium hoc non solùm est vobis, sed *omni populo*. O quale gaudium! quàm magnum! quàm dulce! quàm desiderabile! Huc usquè tristabamini, quia mortui eratis; sed jàm gaudete, quia ad vos vita venit, ut vivatis. Tristabamini, propter tenebras vestræ cæcitatis; sed gaudete, quia hodiè *exortum est lumen in tenebris rectis corde*[2]. Tristabamini, quia miseri eratis; sed nobis natus est misericors et miserator, ut vos ad beatitudinem transeatis. Tristabamini, quia oppressi eratis mole peccatorum; sed gaudete modò, quia hodiè natus est Salvator, *qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum*[3]. Hoc est gaudium, quod annuntiat Angelus: *Natus est hodiè Salvator*. Timuistis huc usquè eum qui creavit vos: amodò amate eum qui sanabit vos. Timuistis huc usquè judicem vestrum: amate amodò Salvatorem vestrum: *Natus est*, ait, *vobis hodiè Salvator*. Quis est iste, vel qualis? Audite: *Qui est Christus Dominus: chrisma*, græcè, *unctio*, latinè: indè Christus, id est, *unctus*. Ecce qualis venit Salvator noster: Christus venit, unctus venit; *ipse* enim *tamquàm sponsus processit de thalamo suo*[4]; et unctus processit, ut magis placeret sponsæ suæ. Sed undè unctus? Audi: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis: myrrha, et gutta, et casia à vestimentis tuis*[5]. Ecce lapis quem unxit oleo sanctus Jacob[6]. Ipse *lapis*, hodiè *abscissus de monte sine manibus*[7], id est, natus de Virgine sine opere virili, processit unctus *oleo exsultationis*. Et benè *oleo exsultationis*, quia *exsultavit ut gigas ad currendam viam*[8]: exsultavit et cucurrit. Quod nobis per Apostolum suum præcepit, hoc ipse primitùs exhibuit. Dicit Apostolus: *Non ex tristitiâ, aut ex necessitate, quia hilarem datorem diligit Deus*[9]. Sic ipse primò unctus oleo exsultationis, viam quâ nos salvavit, non ex tristitiâ aut ex necessitate, sed suâ bonâ voluntate et cum magnâ exsultatione ingressus est. Meritò ergò Christus, quia *unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis*, consortes ejus vocat omnes sanctos, qui ejus nominis participes sunt, vocati à Christo Christiani.

7. Similiter et sanctos Veteris Testamenti qui, licèt hoc nomine non vocarentur, re tamen, quam hoc nomen significat, non fraudantur. Omnes sunt uncti oleo lætitiæ, de quibus dicit Apostolus: *Spe gaudentes*[10]; sed quia omnes aliquid inveniunt in seipsis peccati, undè debeant contristari, ipse qui nullum habebat peccatum, dignè dicitur *unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Myrrha*, inquit, *et gutta, et casia à vestimentis tuis*. O Christe, ô uncte, ô quantùm fragrant hæc vestimenta tua! Vestimenta ejus membra sunt corporis assumpti pro nobis: *Verbum caro factum est*[11]. Ibi *myrrha*, ibi *gutta*, ibi *casia*. O dulcia unguenta uncti nostri! Ille qui in se est vita immortalis, pro nobis mortalis factus est: ideò *myrrha*. Ille qui per præsentiam divinitatis omnia implet, pro nobis exinanivit semetipsum, factus sicut aqua effusa: ideò *gutta*. Ille quem tremunt Angeli, *humiliavit semetipsum, factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis*[12]: ideò *casia*. Myrrha, quâ mortua corpora solent inungi, significat mortalitatem. Gutta, quæ per parvas guttas colligitur, significat exinanitionem, quâ propter nos minoratus est paulò minùs ab Angelis. Casia, humilis herba vel arbor, sed odorifera, significat humilitatem ejus, cujus odor per totum mundum respersus est. Meritò ergò Christus, meritò unctus, meritò *oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ te*, quem priùs timuerunt, sentientes hunc odorem unguentorum tuorum, *dilexerunt*[13]. Ergò, fratres, teramus hæc unguenta sedulâ meditatione in corde. Cogitemus quàm dulcis nobis debet esse myrrha mortalitatis ejus, per quam nos ab omni mortalitate liberamur: quàm dulcis ejus minoratio, quâ nos ad cœlestia sublevamur: quàm dulcis ejus humilitas, quâ nos exaltamur. Consideremus quantùm se Christus inclinavit propter nos. Videte mira. Appropinquante morte, Christus tristatur[14], et Paulus lætatur[15]. Mortuo amico suo Lazaro, Christus plorat[16], et non plorat mulier illa Machabæa in morte horrendâ septem filiorum[17]. *Venit Joannes Ba-*

[1] *Gen.* III, 5. — [2] *Psalm.* CXI, 4. — [3] *Matth.* I, 21. — [4] *Psalm.* XVIII, 6. — [5] *Id.* XLIV, 8 *et* 9. — [6] *Gen.* XXVIII, 18. — [7] *Dan.* II, 34. — [8] *Psalm.* XVIII, 7. — [9] II *Cor.* IX, 7. — [10] *Rom.* XII, 12. — [11] *Joan.* I, 14. — [12] *Philipp.* II, 8. — [13] *Cant.* I, 2. — [14] *Matth.* XXVI, 37. — [15] *Philipp.* I, 18. — [16] *Joan.* XI, 35. — [17] I *Machab.* VII, 20.

ptista, non manducans, neque bibens: venit Christus manducans et bibens; et vorator et potator vini appellatur [1]. Non sapiunt tibi ista, ô Judæe, sive pagane, non tibi sapiunt, nullum hinc sentis odorem. Imò hinc paganus nobis opponit stultitiam, hinc sibi Judæus scandalum sumit. Quarè ista tibi non sapiunt? Quarè non fragrant? Non utiquè quòd ista sapida non sint et odorifera; sed quia tu insipidus es et putidus. Mihi certè magis sapit tristitia tua, Domine Jesu, quàm omnis mundi lætitia. Magis mihi dulces sunt tuæ lacrymæ, quas fudisti in morte amici, quàm illa fortitudo philosophorum, qui sapientem nullo volunt affectu moveri. Dulciùs certè mihi olet cibus tuus et potus in medio peccatorum et publicanorum, quàm rigida abstinentia Pharisæorum. Certè *odor unguentorum tuorum super omnia aromata* [2]. Quomodò mihi sapit, quòd cerno Dominum majestatis exhibentem se, quantùm ad corporalia exercitia et humanas affectiones, non secundùm modum fortium, sed secundùm modum infirmorum! Quantùm me confortat hoc in infirmitate meâ!

8. Hæc certè infirmitas Domini mei, sine dubio fortitudo et firmamentum est infirmitatis meæ. Undè monendi estis, qui fortes estis in religione, et ad asperitates omnes promptissimi, ut non eòs temerè judicetis, quos videtis aliquandò temperare rigorem suum secundùm esse infirmorum. Si enim videro fratrem meum, cujus corporis et animæ curam habeo (non enim totum hominem diligo, si quorumlibet istorum aliquid negligo), si ergò videro eum necessitatem patientem, vel propter asperitatem ciborum, vel laborum, vel vigiliarum, si, inquam, videro eum cruciari corpore et corde tentari (valdè difficile est, quandò caro nimis affligitur, ut mens non tentetur), si ergò video eum sic afflictum, *et habuero substantiam mundi, et clausero viscera mea ab eo, quomodò charitas Dei manet in me* [3]? Certè, si semper me habeo secundùm rigorem fortium, et non aliquandò condescendo ad esse infirmorum, non curro in odore unguentorum Christi, sed in duritiâ Pharisæorum, qui se jactabant de rigore abstinentiæ, et judicabant discipulos Domini, imò ipsum Dominum, vocantes eum voratorem et potatorem vini. Hoc utiquè cavendum est ne sub specie condescensionis nutriatur mollities remissionis; sed tenendum est illud beati Gregorii, ut « nec districtio rigida, nec pietas sit remissa. » *Curramus* ergò, fratres, *curramus in odorem unguentorum* [4] istorum, quibus unctus est Christus: curramus cum pastoribus ad unctum nostrum, quia quod eis dictum est, dicitur et nobis; quia videlicet *natus est nobis hodiè Salvator mundi, qui est Christus Dominus.* Et benè additur: *Dominus.* Si quis propter fetorem vitiorum carnalium non potest sentire odorem istum, nec ideò potest amare unctum, id est, Christum, timeat saltem Dominum, quia *natus est nobis hodiè Salvator mundi, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Ipsa est Bethleem, ad quam debemus currere, sicut fecerunt pastores, audito rumore isto; sicut enim cantare soletis: « Gloriam Deo cantaverunt, cucurrerunt in Bethleem. » *Et hoc,* ait, *vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Ecce quòd dixi quia amare debetis. Timetis Dominum Angelorum; sed amate infantem parvulum: timetis Dominum majestatis; sed amate involutum pannis: timetis regnantem in cœlo; sed amate jacentem in præsepio. Sed quale signum acceperunt pastores? *Invenietis infantem pannis involutum, et jacentem in præsepio,* quòd ipse est Salvator, quòd ipse est Christus, quòd ipse est Dominus. Sed quid magnum est involvi pannis, jacere in stabulo? Nonne et alii infantes involvuntur pannis? Quale ergò hoc signum est? Magnum certè, si tamen intelligimus. Intelligimus, si non solùm istum amorem audimus, sed etiam lucem, quæ cum Angelis apparuit, in corde habemus. Ideò cum luce apparuit, quandò istum rumorem primò nuntiavit, ut sciamus quia illi soli verè audiunt, qui lucem spiritualem in mente habent.

9. Multa dici possunt de hoc signo; sed quia hora præteriit, parùm quid indè dicam, et breviter. Bethleem, *domus panis,* sancta Ecclesia est, in quâ ministratur corpus Christi, verus scilicet panis. Præsepium in Bethleem, altare in Ecclesiâ. Ibi pascuntur animalia Christi, de quibus dictum est: *Animalia tua habitabunt in eâ* [5]. De hâc mensâ scriptum est: *Parâsti in conspectu meo mensam* [6]. In hoc præsepio est Jesus pannis involutus. Involutio pannorum est tegumentum sacramentorum. In hoc præsepio, in specie panis et vini, est verum corpus et sanguis Christi. Ibi ipse Christus esse creditur; sed involutus pannis, hoc est, invisibiliter in ipsis sacramentis. Nullum tàm magnum et evidens signum habemus Nativitatis Christi, quàm quòd in sancto altari sumimus quotidiè corpus et sanguinem ejus, et quòd illum, qui semel pro nobis natus est de Virgine, quotidiè cernimus pro nobis immolari. Ergò, fratres, ad præsepium Domini festinemus; sed quantùm possumus, priùs ad accessum hunc nos per gratiam ejus præparemus, quatenùs sociati Angelis, et *corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ* [7], cantemus Domino in omni vitâ et conversatione nostrâ: *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis,* per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum: cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Matth.* XI, 18 et 19. — [2] *Cant.* IV, 10. — [3] *Joan.* III, 17. — [4] *Cant.* I, 3. — [5] *Psalm.* LXVII, 11. — [6] *Id.* XXII, 5. — [7] I *Tim.* I, 5.

✠ GUILIELMUS ALVERNUS, PARISIENSIS EPISCOPUS[a].

NUM. 1. Occasio veniendi in Bethleem. — 2. Cur Christus natus sit in terrâ alienâ, in parvâ villâ, in Bethleem, in viâ? — 3. De matris curâ erga natum filium. — 4. Cur revelatio Nativitatis Christi pastoribus facta est, et quomodò? — 5. De invento Christo à pastoribus.

1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur omnis orbis.* Evangelica historia quæ hodiè recitatur in Ecclesiâ, quatuor nobis ostendit : primò, ubi Salvator natus sit : secundò, quam curam mater ipsius de ipso nato habuerit, ibi : *Et pannis involvit eum*, etc. : tertiò, quòd Nativitas ejus pastoribus sit revelata, ibi : *Pastores erant in regione eâdem*, etc. : quartò, quomodò ea quæ de Salvatoris Nativitate pastoribus sunt dicta, ab ipsis sunt comperta, ibi : *Pastores loquebantur ad invicem.* Ubi verò primum ostenditur, duo nobis declarantur, scilicet : occasio quâ Joseph cum uxore suâ prægnante in Bethleem ascenderit, et beata Virgo filium suum ibi pepererit. Occasio adventûs ipsorum in Bethleem fuit edictum Augusti Cæsaris de orbe describendo; ipse enim volens scire numerum provinciarum, et civitatum, et villarum, et personarum, quæ erant subjectæ Romano imperio, voluit ut de villis convenirent homines ad civitates, undè originem duxerant : ideò Joseph cum uxore suâ venit in Bethleem, undè David, de cujus progenie erant, fuerat oriundus [1]. Et notandum quòd Augustus Cæsar, cujus regni anno 42 Salvator natus est, licèt inter homines maximæ potestatis esset, tamen Dei ordinatione prohibuit ne aliquis eum dominum vocaret, quasi cedens vero Domino in mundum venienti. Tria verò in regno ejus fuerunt, quæ conditionem regni Salvatoris indicabant. Subjecti enim ipsius subjectionem suam profitebantur, solventes nummum argenteum, imaginem et superscriptionem ejus habentem, et decem nummos usuales valentem. Ipsi etiam describebantur, et pacis abundantiâ fruebantur : undè duodecim annis circa Nativitatem Salvatoris in tantâ pace regnavit, ut ad litteram videretur esse impletum illud Isaiæ : *Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces* [2]. Professio subjectionis attestabatur ejus potestati, descriptio sapientiæ seu discretioni, pax bonitati, quæ tria habet Salvator in summo. Ipsi enim *data est omnis potestas in cœlo et in terrâ* [3]. In ipso etiam *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei* [4]. Ipse etiam accepit *spiritum, non ad mensuram* [5]. Vult Salvator eos qui subjecti sunt regno suo, ejus dominium liberè profiteri : *Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem* [6]. Vult etiam ut seipsos ei reddant ejus imagine insignitos; non enim placet ei divisio illorum qui sua offerunt Deo et seipsos diabolo. Vult etiam ut suî, præter imaginem gratiæ, similitudinem, quasi superscriptionem habeant, quâ mandata decalogi impleant. Ipse etiam electos in æternitate describit, secundùm illud : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* [7]. Ipse est *Princeps pacis* [8]. Erat discordia inter Deum et hominem, propter præcepti dati homini transgressionem. Erat etiam discordia inter homines, propter cultûs diversitatem. Item erat discordia inter homines et Angelos. Nam, sicut dicit Gregorius [b], «qui « extranei eramus à Deo, extraneos nos Angeli de« putabant. » Sed hæc omnia pacificavit Salvator, in mundum veniens : *Pacificans quæ in cœlis et quæ in terris* [9]. *Ipse est pax nostra* [10]. *Pacem faciet mihi* [11]. Item ad ea quæ pacis erant, doctrinâ et exemplo monuit. Ipse pacem nostram charè emit : *Disciplina pacis super eum*, etc. [12]. Ipse finis regni cœlestis pacem posuit : illuc non intrat hostis : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis* [13].

2. Circa locum verò Nativitatis quatuor sunt attendenda. Primum est quòd nascitur in terrâ alienâ : secundum est quòd nascitur in villâ parvulâ : tertium, quòd nascitur in Bethleem : quartum, quòd nascitur in viâ. In terrâ nascitur alienâ, ad ostendendum quòd hæc pars mundi in quâ homo exsulat, est in terrâ alienâ, licèt in eâ inveteratus sit : *Inveterasti in terrâ alienâ* [14]. Ipse est in eâ, quasi advena et peregrinus; aliundè enim venit, et ad alium locum tendit : de paradiso terrestri fuit expulsus, et ad paradisum cœlestem tendit : *Advena ego sum apud te et peregrinus* [15]. *Non habemus hic manentem patriam, sed futuram inquirimus* [16]. Ipse est in villâ parvulâ conceptus, in villâ parvulâ natus, sed in civitate regiâ, scilicet, Jerusalem, crucifixus; in magnis enim civitatibus plus est sapientiæ mundanæ, quæ inimica est Deo : ibi etiam plùs regnat *concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* [17]. Ascensus Mariæ à Nazareth ubi conceperat, in Bethleem ubi peperit, designat ascensum à flore boni propositi ad fructum boni operis. In quibusdam Christus concipitur, et non nascitur : imò quasi abortum

[1] I *Reg.* XVII, 12. — [2] *Isai.* II, 4. — [3] *Matth.* XXVIII, 18. — [4] *Coloss.* II, 3. — [5] *Joan.* III, 34. — [6] *Rom.* X, 10. — [7] *Luc* X, 20. — [8] *Isai.* IX, 6. — [9] *Coloss.* I, 20. — [10] *Ephes.* II, 14. — [11] *Isai.* XXVII, 5. — [12] *Id.* LIII, 5. — [13] *Id.* XXXII, 18. — [14] *Baruch* III, 11. — [15] *Psalm.* XXXVIII, 13. — [16] *Hebr.* XIII, 14. — [17] I *Joan.* II, 16.

[a] Est Sermo 2 in editione Aureliæ quam sequimur. — [b] Serm. in Nativitatem Domini, infrà.

patitur, quia bonum propositum ad opus non perducitur. Rectè etiam in Bethleem Christus nascitur, cujus nomen *domus panis* interpretatur, cùm ipse sit *panis vivus qui de cœlo descendit* [1]. Ante Christi Nativitatem, erat mundus plenus famelicis hominibus; *omne* enim *quod est in mundo, est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* [2]. Et quid est aliud concupiscentia carnis, nisi fames deliciarum? Quid concupiscentia oculorum, nisi fames divitiarum? Quid superbia vitæ, nisi fames honoris? In personâ horum famelicorum dicit filius prodigus : *Ego autem hîc fame pereo* [3]. Hos famelicos panis iste satiat, dùm Christi gratia famem sive ardorem concupiscentiæ sedat. In hoc etiam quòd Christus in Bethleem nascitur, datur intelligi quòd ad hoc quòd Christus in aliquo nascatur spiritualiter, multùm valet refectio verbi divini. Undè Bernardus in Sermone [a]: « Considera quòd *in Bethleem Judæ* « *Christus nascitur*, et sollicitus esto quomodò « *Bethleem Judæ* inveniaris, et jàm nec in te quidem suscipi dedignetur. Bethleem est aliquis per « verbi divini refectionem, Juda est per humilem « confessionem. » Ipse in viâ natus est, ad ostendendum quòd vita præsens via est ad mortem. Undè Gregorius in Homiliâ : « Quid est vita mortalis, nisi « via? Et quale sit, fratres mei, perpendite, in la- « bore viæ lassescere, et tamen viam nolle finire? « Nocte et die incessanter ad mortem tendimus : « singulis diebus unam magnam diætam ad mortem « facimus. » Sic Augustinus [b]: «Nil aliud est tempus « præsentis vitæ, quàm cursus ad mortem, in quo « nemo vel parvulùm stare vel tardiùs ire promit- « titur; sed omnes urgemur pari motu. »

3. Cura quam pia mater habuit de filio, fuit quòd, cùm eum peperisset, ipsa *eum pannis involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus*, supple *alius*, *in diversorio.* Diversorium dicitur platea vacua inter duos muros, desuper cooperta, habens duos exitus, ubi homines divertere solebant. «Ibi manserunt non invenientes hos- « pitium, propter multitudinem quæ in Bethleem « convenerat, ut dicit sanctus Chrysostomus [c]. » Et videntur nobis insinuari quatuor defectus in verbis prædictis, quos beata Virgo cum filio suo passa est. Primus est defectus familiæ. Solent mulieres, cùm pariunt, habere aliquam mulierem quæ eis assistit, quæ curam prolis gerit: quam verisimile est beatam Virginem non habuisse, per hoc quòd ipsa puerum pannis involvit, et in præsepium reclinavit. Ad idem facit hoc quòd extranea erat, nec erat in alicujus hospitio, sed in diversorio, et nox erat profunda. Secundus videtur fuisse defectus operimenti; pauci enim panni quos pauper mater habebat, peregrè profecta sine pellibus, non videntur benè suffecisse tenero puero de nocte et in medio hyemis. Undè Bernardus in Sermone [d]: « Et certè cùm tanta ne- « cessitas esset, nullam audio pellium fieri men- « tionem.» De igne etiam nulla fit mentio, qui valdè necessarius fuisset ei ad illuminationem et calefactionem. Tertius defectus videtur fuisse lecti. Præsepe pro lecto habuit. Præsepe non est lectus, nec locus dormitationis; sed refectionis potiùs est mensa jumentorum quàm lectus. Quartus videtur fuisse defectus habitaculi. Non habuit sufficiens habitaculum; adeò enim fuit angustum, quòd non fuit locus ubi puer collocaretur, nisi præsepium. Hos defectus pati voluit ille à quo est omnis sufficientia, ut tuos defectus suppleret, et ut in ipsis, cùm aliquos defectus pateris, solatium haberes; magna enim est consolatio membris ex capite, ut ait Augustinus.

4. Circa revelationem Dominicæ Nativitatis, duo sunt nobis attendenda: scilicet, quarè sit specialiter facta pastoribus super gregem suum vigilantibus, et revelationis modus. Multiplici enim ratione facta est pastoribus. Primò, ad commendationem simplicitatis. Mundus deridet simplicitatem, secundùm illud : *Deridetur justi simplicitas* [4]; Deus verò amat eam, et est familiaris ei : *Cum simplicibus sermocinatio illius* [5]. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus* [6]. Secundò, ad commendationem vitæ laboriosæ. Undè Bernardus in Sermone [e]: « Quàm « multi nobiles secundùm carnem, quàm multi sa- « pientes hujus sæculi, horâ illâ, in stratis mollibus « quiescebant; et nemo eorum dignus habitus est « novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, « audire Angelos cantantes : *Gloria in excelsis* « *Deo!* Agnoscant ergò homines, qui *in labore ho-* « *minum non sunt* [7], quòd visitari ab Angelis non « merentur. » Tertiò, ad commendationem vitæ pastoralis ad litteram, cujus fuerunt antiqui Patres : *Viri pastores ovium sumus* [8]. Quartò, ad commendationem vigilantiæ in pastoribus spiritualibus. Sic Gregorius [f]: « Quid est quòd vigilantibus pasto- « ribus Angelus apparuit, eosque Dei claritas cir- « cumfulsit, nisi quòd illi præ cæteris videre « sublimia Dei merentur, qui fidelibus gregibus « præesse sollicitè sciunt, dùmque ipsi piè super « gregem vigilant, divina super eos gratia largiùs « coruscat? » Valdè conveniens fuit, ut Nativitas Agni pastoribus nuntiaretur : *Emitte Agnum, Domine*, etc. [9]. *Ecce Agnus Dei* [10]. Item valdè con-

[1] *Joan.* VI, 51. — [2] I *Joan.* II, 16. — [3] *Luc.* XV, 17. — [4] *Job*, XII, 4. — [5] *Prov.* III, 33. — [6] I *Cor.* I, 27. — [7] *Psalm.* LXXII 5.— [8] *Gen.* XLVII, 3. — [9] *Isai.* XVI, 1. — [10] *Joan.* I, 36.

[a] 1 in Vigiliam Nativitatis Domini, p. 127, n. 6. — [b] Lib. 13 de Civitate Dei, c. 10. — [c] Homiliâ 1 suprà, p. 304, ad finem col. 1. — [d] 3 in Nativitatem Domini, ad finem num. 1, infrà. — [e] Eodem 3, n. 5. — [f] Serm. in Nativitatem Domini, infrà.

veniens fuit ut Princeps pastorum, qui ovem perditam veniebat quærere, pastoribus revelaretur. Ad modum verò revelationis sex pertinent. Angelus enim per quem fuit revelatio, juxta pastores stat: claritas Dei eos illuminat: Angelus eos confortat: gaudium Nativitatis eis nuntiat: signum eis dat; et ne parva videatur unius Angeli auctoritas, multitudo Angelorum glorificat, et Nativitatis utilitatem indicat, dicens: *Pax hominibus bonæ voluntatis*, Christum scilicet suscipientibus, non persequentibus: *Non est pax impiis, dicit Dominus* [1]. In hoc quòd Angelus juxta pastores stat, duo nobis ostenduntur, scilicet: concordia et reverentia Angeli ad hominem. Sic Gregorius[a]: «Priusquàm Redemptor noster per carnem « nasceretur, discordiam cum Angelis habuimus, « à quorum claritate et munditiâ per primæ culpæ « meritum perque quotidiana delicta longè distaba- « mus... Sed, quia cognovimus Regem nostrum, re- « cognoverunt nos Angeli cives suos,... et quos in- « firmos abjectosque despexerant, jàm socios ve- « nerantur. Hinc est quòd Loth [2] et Josue [3] Angelos « adorant, nec tamen adorare prohibentur; Joannes « verò prohibetur adorare[b]: *Vide ne feceris* [4]. » Item Angeli humanam naturam quasi infirmam contemnere ausi non sunt, quam super se in Rege cœli venerantur. In hoc quòd claritas Dei eos circumfulget, ostenditur quòd vera lux orta sit in mundo: *Vobis timentibus nomen meum, orietur Sol justitiæ* [5]. In hoc quòd Dei claritas eos circumfulsisse dicitur, luminis abundantia ostenditur, quod, secundùm Glossam, « in totâ serie Veteris Testamenti non « invenitur. » Homine avertente se à vero lumine per præcepti transgressionem, factæ sunt tenebræ spirituales, quas comitabatur horror sive timor: ideò dixit Angelus: *Nolite timere*. Tenebras comitabatur tristitia, secundùm illud: *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo* [6]; ideò dixit Angelus: *Evangelizo vobis gaudium magnum*. Item mundus superbiam angeli apostatæ imitabatur: ideò specialiter humilitas Salvatoris nati pastoribus indicatur: *Invenietis*, inquit, se occultantem *infantem*, non se jactantem, *pannis involutum*, quantùm ad humilitatem habitûs, *et positum in præsepio*, quantùm ad domum et lectum, habentem stabulum pro domo, et præsepium pro lecto. Et quia pro nobis humiliatus est, à nobis est glorificandus. Auditur multitudo Angelorum Deum glorificans, et exemplo suo ad Dei glorificationem nos incitans, et utilitatem Nativitatis, quæ est pax, nobis indicans. Distributio illa Angelica dans gloriam Deo et hominibus pacem, licèt valdè sit utilis hominibus, superbo tamen non placet, ut dicit Bernardus[c]: « *Gloriam meam alteri non dabo* [7], ait Domi- « nus; et superbus: Ego, inquit, eam, licèt non « dederit, usurpabo. »

5. Circa pastores, qui ad locum Nativitatis transierunt, et, sicut ab Angelo audierunt, invenerunt, tria nobis attendenda sunt: quòd transire in Bethleem non differunt, quòd festinanter incedunt, quòd, cognitâ Salvatoris Nativitate, divinæ laudi intendunt. Primum, ibi: *Factum est ut discesserunt Angeli*. Secundum, ibi: *Venerunt festinantes*. Tertium, ibi: *Reversi sunt glorificantes*. Sicut verbum Angeli initiantis Christi Nativitatem non inaniter audierunt; sic multitudinem Angelorum glorificantem Deum imitati sunt.

HUGO DE SANCTO CARO,

ORDINIS PRÆDICATORUM, S. R. E. CARDINALIS E TITULO S. SABINÆ.

NUM. 1. Quarè Dominus pacato tempore nasci voluit? — 2. De descriptione edictâ à Cæsare Augusto. — 3. Descriptio quadruplex quâ Deus electos describit. — 4. De ascensu Josephi de Nazareth in Bethleem. — 5. De triplici ascensu Prælati. — 6. Christus nascens, pannis involutus et reclinatus in præsepio. — 7. Quarè Christus in diversorio nascitur? Quid mysticè significatur per diversorium et præsepe? — 8. De pastorum vigilantiâ, sensu morali et mystico. — 9. Noctis quatuor vigiliæ et quatuor noctes in quibus vigilandum est. Vitiorum genus quadruplex. —

[1] *Isai.* LVII, 21. — [2] *Gen.* XIX, 1. — [3] *Jos.* V, 15. — [4] *Apoc.* XXII, 9. — [5] *Malach.* IV, 2. — [6] *Tob.* V, 12. — [7] *Isai.* XLII, 8.

[a] Serm. in Nativitatem Domini, infrà.

[b] « Loth et Josue adorant Angelos, » id est, Deum quem sub specie Angelorum discernere sciunt; vel si eorum adoratio nonnisi Angelos spectat, tunc jàm non est adoratio vera, non est propriè cultus latriæ, sed duliæ cultus, solus qui Angelis conveniat et eis reddi possit. «Nec tamen adorare prohibentur,» id est, honorare, cultu duliæ colere: « Joannes verò prohibetur adorare; » prohibetur equidem adorare, id est, cultu latriæ colere; sed non prohibetur honore Angelum, qui ei alloquebatur, afficere: porrò, ut ex ipso textu patet, volebat eum cultu latriæ colere, nesciens esse Angelum, autumans è contrà Deum esse, siquidem iste Angelus cogitur eum monere quòd « conservus illius est. »

[c] Serm. 4 in Nativ. Domini, ad finem num. 2, infrà.

10. De apparitione Angeli pastoribus. — 11. Triplici ratione nuntiata est Salvatoris Nativitas, et magnum gaudium dicitur quadruplici ratione. — 12. Angelus tria dat signa nascentis Christi. — 13. De hymno Angelico. — 14. Pax quadruplex.

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, etc. In hoc secundo Capitulo, incipit Lucas narrare per ordinem Nativitatem Salvatoris. Et primò ostendit quandò et ubi natus est Salvator, scilicet in Bethleem : ubi præmittitur quà occasione venerit beata Virgo in Bethleem, eo videlicet quòd de domo et familià David esset Joseph, vir Mariæ, matris Domini : secundò de Angelicà annuntiatione pastoribus factà et cantu Angelorum audito, et de visitatione pastorum qui Dominum visitaverunt, secundùm quod ab Angelis fuerunt edocti, ibi : *Et pastores erant,* etc. Fuit autem natus Dominus, imperante Augusto, sub quo duodecim annis circa tempus Nativitatis Christi, videlicet ante et post, tanta fuit pax in toto orbe, ut ad litteram videretur impletum, quod prædixit Isaias : *Conflabunt gladios suos in vomeres*, etc. [1]. Et in hàc pace fecit edictum Augustus, ut totus orbis describeretur, mittens per universas regiones præpositos, generale promulgans edictum, ut de singulis civitatibus, et villis, et oppidis ad ipsas civitates pertinentibus, in quâlibet civitate præsides, ad suam præsentiam convocarent omnes, et unusquisque pro capite suo, id est, pro inscriptione capitis solveret unum nummum argenteum, et profiteretur ore se esse subditum Romano imperio, et nomen uniuscujusque et accepta pecunia scriberentur, et scripta deferrentur Romam, et coram Augusto legeretur scriptura, utità sub certo numero posset comprehendere, primò quotus esset numerus regionum, et per numerum regionum sciret numerum civitatum, et sic numerum personarum. Hujusmodi ergò subjectionis exhibitio dicitur professio, quia sic ore et opere profitebatur quilibet se subditum Romano imperio. Dicitur etiam descriptio, quia nomina regionum, et civitatum, et personarum profitentium scribebantur. « Tunc etiam « primùm, sicut dicit Glossa, facta est Judæa stipen- « diaria Romanis. » A tempore autem Pompeii fuerat tributaria. Vel fortè, quia constitutio tributi facta sub Pompeio non diù stetit, propter imminens bellum inter ipsum et Julium, sed quæ fiebat sub Augusto, ideò dicit Glossa : « Tunc primùm stipendiaria, etc., » quia accipiebantur tributa à Judæis, et dabantur in stipendium Romanis militibus. « Vo- « luit autem Dominus tempore descriptionis nasci, « ad innuendum quòd appariturus erat in carne, qui « suos adscriberet in æternitate, sicut dicit Grego- « rius [a]. » De quà descriptione dicitur : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* [2]. Voluit autem Dominus tempore pacatissimo nasci, triplici ratione. Primò, ad figurandum quòd ipse erat qui pacem reformaturus erat inter Deum et hominem, inter homines et homines, inter Judæum et Gentilem, inter hominem et Angelum. Fecerat siquidem pacem in cœlo, et venit facere eam in terrà : undè Job : *Qui facit concordiam in sublimibus suis* [3]. Secundò, ad ostendendum quòd ipse erat amator pacis, quam summoperè quæsivit, etiam usquè ad sanguinis effusionem : undè : *In pace factus est locus ejus* [4] : undè in Natali Domini nullus debet odium in corde tenere. Tertiò, ut discipuli quos ad prædicandum missurus erat, quocumquè vellent, securè transire possent : *Erit in die illà via de Ægypto in Assyrios, et intrabit Assyrius Ægyptum*, etc. [5]. Licèt autem tempore prædicationis Apostolorum tanta pax non erat, tamen aliqua illius pacis vestigia supererant. Cùm autem tanta pax esset, potuit ista descriptio fieri. Nota etiam quòd Salvator noster quadragesimo secundo anno Augusti Cæsaris natus est. In principio cujus regni apparuerunt tres soles in Oriente, qui paulatim in unum solare corpus redacti sunt, ad significandum quòd fides trini et unius Dei toti mundo manifestanda esset. Et in Nativitate Domini, stella creata est, quæ Magis apparuit : Romæ, templum Pacis corruit : fons olei erupit : Cæsar præcepit ne quis eum dominum vocaret : Angelus apparuit pastoribus : multitudo Angelorum laudantium fuit. His visis, accedamus ad litteram.

2. *Factum est autem in diebus illis*, quibus crescebat Joannes, vel quibus Maria in domum reversa est post tres menses quibus cum Elisabeth mansit, *exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Glossa interlinearis aliam ponit litteram : « *Ut censum profiteretur universus orbis terræ*, » id est, dando censum : vel « censu, » id est, in datione censûs. Quasi hyperbolicè videtur esse dictum *universus orbis*, quia pro majori parte dictum est; numquàm enim omnes gentes subditæ fuerunt Romano imperio. Et ad mysticum intellectum referendum est, ut per generale imperium Augusti præfiguraretur generale imperium Christi; nulla enim natio est in quà aliquis non profiteatur Christum. Nec de Augusto ità fuit verum ad litteram. Omnes etiam descripti sunt in libro Dei ; sed quidam ad gloriam, in paginâ prædestinationis, alii ad gehennam, in paginà reprobationis [b] : *Quæcumque trades, nu-*

[1] *Isai.* II, 4. — [2] *Luc.* X, 20. — [3] *Job*, XXV, 2. — [4] *Psalm.* LXXV, 2. — [5] *Isai.* XIX, 23.

[a] Serm. in Nativitatem Domini, n. 1, infrà. — [b] Vide quæ diximus de prædestinatione et reprobatione, pp. 243-245.

mera, et appende; datum verò, et acceptum omne describe[1]. *Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino.* Nota quòd ante hanc descriptionem et videntur fuisse quædam particulares descriptiones; nam rex quidam Ægyptius, Alexander, fecit describere capita hominum in regno suo: undè, secundùm Josephum, hæc descriptio dicta est prima, non quòd fuerit prima; sed quòd prima generalis, id est, prima inter generales, in quibus omnes solvebant denarium; erant autem aliæ speciales pertinentes ad allodia, in quibus qui plus tenebant de allodio, plus solvebant de censu; et præter hoc exigebatur denarius argenteus ab unoquoque pro capite suo. Alius est sensus secundùm Bedam, secundùm quem non dicitur hæc descriptio prima in respectu; sed nomen ponitur pro adverbio, ut sit sensus: *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino,* id est, «tunc primùm « facta est, quandò Cyrinus missus est à Cæsare in « Syriam, censor patrimoniorum. » Glossa: « Censor patrimoniorum, id est, allodiorum. » Non enim exigebat nisi de allodiis; ut si quis haberet terram suam sub feudo vel sub censu definito, responderet ei à quo haberet. Si autem haberet in allodio, cogebatur respondere præsidi Romano; et sic tantùm erat censor, id est, judex patrimoniorum vel allodiorum, ut judicaret quantùm tributi singuli Judæorum deberent solvere, secundùm quantitatem patrimoniorum. Et est intelligendum de speciali patrimonio Judææ, quia Judæa specialiter tunc constituta est tributaria; quod enim generaliter exigebatur ab omnibus, scilicet, nummus argenteus novæ monetæ, exigebatur pro professione, non pro tributo, scilicet, ut profiterentur se subditos Romano imperio. Augustus ergò mittens præsides ad describendum orbem, primò misit Cyrinum in Syriam, in quâ est Judæa; et præcepit ut exigeret tributa à Judæis; et secundùm quantitatem patrimoniorum, major vel minor erat exactio tributorum, ità fortè ut unusquisque de singulis libris quas habebat, redderet nummum; et præter hoc tributum, exigebatur à Judæis generalis professio, scilicet, denarius: undè descriptio illa generalis incœpit à tributo Judææ, et indè processit per universum orbem. Tertius sensus est, sed parùm differens secundùm Glossam, quæ talis est: « Syria in « quâ Judæa, est media et quasi umbilicus totius « terræ: census ergò in medio terræ primùm exi- « gitur, ut indè posteà usquè ad fines terræ exige- « retur et redderetur; » quod dicendum est: Ideò inchoata est descriptio à Syriâ, quia est umbilicus nostræ terræ habitabilis. Et est quasi alia sententia: ut sit prima quasi, id est, primò incœpta in medio terræ: undè benè incœptum est in medio, ut indè fieret progressus undequaquè.

3. Mysticè. Nota quòd quadruplex est descriptio, quâ Deus describit electos. Prima, per prædestinationem: de quâ: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*[2]. *Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vitâ in Jerusalem*[3]. Secunda est per gratiæ infusionem: de quâ: *Epistola estis Christi, ministrata à nobis, et scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi*[4]. Tertia, per prædicationem: *Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera*[5]. Quarta erit per glorificationem: *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*[6]. De his quatuor dicitur: *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; et quos justificavit, hos et magnificavit*[7]. Hanc quadruplicem descriptionem facit Cyrinus, præses Syriæ, id est, Christus, Rector et Judex Ecclesiæ; Cyrinus enim interpretatur *hæres:* undè significat Christum, de quo Matthæus: *Hic est hæres: venite, occidamus eum*[8]. *Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Jesu Christi*[9]. Syria interpretatur *sublimis;* et significat Ecclesiam, quæ in sublimitate virtutum posita est: *Non potest abscondi civitas supra montem posita*[10]. Denarius, qui pro censu redditur, significat decalogum legis, in quo vultus regis, id est, agnitio Dei invenitur: undè Psalmus: *A mandatis tuis intellexi*[11]. Ab hoc censu nullus excipitur, quia sine observantiâ decalogi nullus salvatur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*[12]. Sequitur:

4. *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem,* in quâ oriundus erat, mysticè, id est, in suam Ecclesiam, in quâ debet quilibet profiteri, id est, confiteri laudes et peccata, contra Clericos qui in suis numquàm aut raro confitentur. *Ascendit autem,* secundùm situm loci, *et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth,* ubi conceptus est Christus, *in Judæam civitatem David,* ut *Judæam* sit adjectivum, *quæ* (civitas) *vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Eleganter Evangelista historiographi more procedit. Qui enim historicè describit contractus emptionum, et has omnes circumstantias debet describere, scilicet, nomen con-

[1] *Eccli.* XLII, 7. — [2] *Luc.* X, 20. — [3] *Isai.* IV, 3. — [4] II *Cor.* III, 3. — [5] *Matth.* XIII, 52. — [6] *Apoc.* XIV, 1. — [7] *Rom.* VIII, 30. — [8] *Matth.* XXI, 38. — [9] *Rom.* VIII, 17. — [10] *Matth.* V, 14. — [11] *Psalm.* CXVIII, 104. — [12] *Matth.* XIX, 17.

sulis sub quo emptio contracta est, et tempus in quo facta est, et locum et testes, ut hæc sint signa et indicia contractæ emptionis. Benè ergò Evangelista describens Christi Nativitatem, quæ emptio fuit, imò redemptio nostra, in signum ejus et indicium hæc omnia determinavit: Glossa : « Vocabu- « lum, sive nomen imperatoris et præsidis, sum- « mam censûs, multitudinem populi, diem, id est, « tempus, locum, id est, Bethleem, causam quarè « illuc venerat Joseph cum Mariâ, scilicet, ut pro- « fiteretur. » Testes sunt Apostoli [1], qui significaverunt Evangelium, id est, signis et miraculis confirmaverunt.

5. Mysticè. *Ascendit autem*, etc. Per hoc significatur, ut dicit Glossa, ascensus Prælatorum, qui debent ascendere de Galilæâ, id est, de mundi volubilitate, in Bethleem, id est, in quietem contemplationis, ubi est veri panis refectio. Est autem triplex ascensus prælati. Primus est per pœnitentiam : quod notatur per hoc quòd Joseph ascendit cum Mariâ uxore suâ : quam debet habere sociam Prælatus usquè ad mortem : undè Josue : *Præcepit Rahab exploratoribus, ut ascenderent in solarium; et operuit eos stipulâ* [2], id est, pœnitentiâ. *Ascendit David clivum olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens , et operto capite* [3]. Secundus est per contemplationem : quod significatum est per ascensum Petri : *Ascendit Petrus in superiora domûs, ut oraret* [4]; et hîc dicitur quòd Joseph ascendit in Bethleem, id est, in contemplationis refectionem. Tertius ascensus est per prædicationem : *Ascende , tu qui evangelizas Sion* [5]; et significatur per ascensum Angelorum in scalâ quam vidit Jacob [6]. *De civitate Nazareth :* Nazareth interpretatur *flos :* Bethleem interpretatur *domus panis :* de odore floris in refectionem panis : sic de flore ad fructum ascendere debemus, id est, de proposito ad opus : *Ascendit Jonathas, manibus et pedibus reptans, et armiger ejus post eum* [7]. *Qui ædificat ascensionem suam in cœlo*, etc. [8]. *Ut profiteretur*, etc. Glossa : « Ubi « profitentur justus et virgo Christi, nisi ubi Chri- « stus nascitur, scilicet, in pacato corde? *Propè « est verbum in ore tuo et in corde tuo* [9]. » Per exteriorem professionem quam faciebant Joseph et Maria in Bethleem, ubi Christus natus est corporaliter, exprimitur spiritualis professio voti virginalis, quam uterque fecerat ibi, ubi Christus nascitur spiritualiter, id est, in corde pacato; et posteà uterque expressit ore, quia *propè est verbum in ore tuo et in corde tuo*, id est, cùm verbum Dei, id est, propositum est in corde tuo, propè est ut sit in ore. Sequitur :

5. *Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies Mariæ ut pareret.* Evangelista tempus et locum in quo peperit, et reclinatorium in quo puerum editum reposuit, diligenter ad instructionem nostram prosequitur, ut exemplo Christi et parentum ejus de paupertate instruamur. *Dies Mariæ*, id est, tempus partûs Mariæ. *Dies* dicitur, quia tunc ortus est Sol super terram : *Ortus est Sol, et congregati sunt* [10]. Quòd autem sub Cæsare nasci voluit, ejus humilitatem commendat, qui, cùm esset Dominus omnium, alii subjici non dedignatus est : *Et erat subditus illis* [11]. Beatus Bernardus : « Quis? Quibus? Deus, hominibus. » *Impleti*, qui priùs erant vacui : *Menses vacuos ego habui, et noctes laboriosas enumeravi mihi* [12]; sed per Christi adventum omnia sunt impleta : *Ubi venit plenitudo temporis , misit Deus Filium suum* [13]. Tunc fuit lex impleta : *Non veni solvere legem, sed adimplere* [14]. Uterus Virginis impletur : *Ave, gratia plena* [15]. Cor humanum repletum est: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* [16]. *Misericordiâ Domini plena est terra* [17]. Sequitur :

6. *Et peperit filium suum primogenitum.* Beda [a] : « Non post quem alius, sed ante quem nul- « lus : in quo eliditur hæresis Helvidii. » Bernardus [b] : « Considera quòd *in Bethleem Judæ* Chri- « stus *nascitur*, et sollicitus esto quòd *Bethleem « Judæ* inveniaris. *Bethleem Judæ* es, si *corde « credas ad justitiam, ore autem confitearis ad « salutem* [18]. » Bethleem interpretatur *domus pa- « nis :* Judas *confessio*. Justitia in corde est panis « quem Deus esurit : item panis iste munditia est : « undè : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* [19]. » *Qui pascitur inter lilia* [20]. Bethleem ergò se exhibet, qui Deo præparat munditiam in corde. *Et pannis eum involvit.* Pondus est in verbo ; pannus enim vilitatem et vetustatem notat : undè pauperes dicimus pannosos, qui multiplicitatem pannorum inutilium consuunt : *Habitu inventus ut homo* [21]. *Quis conclusit ostiis mare, quandò erumpebat quasi de vulvâ procedens, cùm nubem ponerem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem* [22]? *Mare* est Christus, à quo omnia flumina gratiarum : *Omnia flumina intrant in mare*, etc. [23]. Hoc mare *conclusit ostiis* Deus Pater, quia certos terminos prædicandi ei assignavit : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Is-*

[1] *Matth.* X, 18. — [2] *Jos.* II, 6. — [3] II *Reg.* XV, 30. — [4] *Act.* X, 9. — [5] *Isai.* XL, 9. — [6] *Gen.* XXVIII, 12. — [7] I *Reg.* XIV, 13. — [8] *Amos*, IX, 6. — [9] *Deut.* XXX, 14. — [10] *Psalm.* CIII, 22. — [11] *Luc.* II, 51. — [12] *Job*, VII, 3. — [13] *Galat.* IV, 4. — [14] *Matth.* V, 17. — [15] *Luc.* I, 28. — [16] *Joan.* I, 17. — [17] *Psalm.* XXXII, 5. — [18] *Rom.* X, 10. — [19] *Matth.* V, 6. — [20] *Cant.* II, 16. — [21] *Philipp.* II, 7. — [22] *Job*, XXXVIII, 8 et 9. — [23] *Eccle.* I, 7. — [24] *Matth.* XV, 24.

[a] In Homiliâ 1, suprà, p. 325, ad med. col. 2. — [b] In Sermone 1 in Vigiliam Nativitatis, suprà, pp. 127-128, n. 6.

rael, etc. [1]. *Nubes* caro ejus : *Ascendet Dominus super nubem levem* [2]. *Caligo* paupertas et vilitas ejus : *Non est ei species neque decor* [3]. *Et reclinavit eum in præsepio*, ut cibum jumentorum ; homo enim jumentum factus est : *Homo, cùm in honore esset, non intellexit*, etc. [4] : ideò Dominus factus est fenum, quod cibus est jumentorum, id est, caro : *Omnis caro fenum* [5]. Bernardus : « Si rex est, ubi aula regia? Ubi thronus regius? « Ubi curiæ regalis frequentia?» Matris præsentia. Nota quòd non legitur eum tetigisse; et hoc propter reverentiam pueri, quem sciebat de Spiritu sancto conceptum esse.

7. Mysticè. Ponitur in præsepio, id est, corpus Christi super altare, *quia non erat ei locus*, supple *alius, in diversorio*. Glossa : « Eget loco, ut « nos in cœlis habeamus mansiones. » Secundùm aliam Glossam : « Ideò in vià nascitur, quia viam « nobis ostensurus erat. » Undè locus Nativitatis convenit nato; ipse enim est *via* [6]. Tertiò, in diversorio ideò nascitur, ut nos doceat non palatia, sed diversoria in hoc mundo quærere. Tullius : « Commorandi nobis natura diversorium, non ha- « bitandi dedit [a]. » *Divertebat ad eam, ut comederet panem* [7]. *Deus vester forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere* [8]. *Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio* [9]. Isidorus [b] : « Diversorium dicitur, quia « ibi diversi conveniunt. » Secundùm Bedam, « quia « diversa habet orificia, id est, ora; est enim platea « vacua inter duos vicos, habens introitum et exi- « tum ad utrumque vicum, et propter intemperiem « aeris cooperta, ut in festivis diebus cives ibi con- « venirent ad confabulandum et colludendum. » Et dicit Joannes Chrysostomus [c], quòd « propter mul- « titudinem eorum qui convenerant causà faciendæ « professionis, non invenerunt sibi domum hospi- « talem, sed nocte illà in diversorio manserunt, et « ibi peperit, et puerum editum reclinavit in præ- « sepe. Quòd autem repositus dicitur inter bovem « et asinum, non multùm, inquit, de auctoritate « habetur. » Volunt tamen quidam referre ad prophetiam quà dictum est : *Bos cognovit possessorem suum*, etc. [10]. *In medio duorum animalium cognosceris* [11]. Et de asino quidem probabile est quòd adduxerit eum Joseph, super quem sederat sponsa prægnans, et paravit ei præsepe in alià parte diversorii. De bove autem non multùm probabile est, nisi fortè habuerit eum quis venalem. Et diversorium mysticè significat Ecclesiam, quæ quodammodò media est inter mundum et paradisum, etc. Præsepio Domini significatur 1° Ecclesia : *Bos*, id est, Judæus, *cognovit possessorem suum, et asinus*, id est, Gentilis conversus, *præsepe domini sui*, etc. [12]. 2° Sacra Scriptura : *Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est* [13], id est, ubi non sunt expositores, littera vacua est. 3° Crux Domini : in quà cibus Angelorum factus est cibus jumentorum : *Numquid volet rhinoceros servire tibi*, id est, Christus, *aut morabitur ad præsepe tuum* [14], id est, quod pro te subiit? 4° Claustrum : *Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equorum equestrium* [15], id est, quadraginta millia ecclesias clericorum sæcularium, et duodecim millia claustra virorum claustralium, *etc*.

8. *Et pastores erant in regione eadem*. Moraliter : *Rectorem te posuerunt?* etc. [16]. Juxta Turrim quamdam inter Bethleem et Jerusalem, ubi Jacob rediens à Mesopotamià moratus est cum grege suo, ubi Rachel mortua est et sepulta; et dicitur *Turris gregis* [17]. *Et tu, Turris gregis, nebulosa filia Sion*, etc. [18]. *Vigilantes*, primò pro se, et posteà *custodientes*, etc. : *Attendite vobis et universo gregi*, etc. [19]. *Et custodientes vigilias noctis super gregem suum*, non alienum, de quo non requiretur ratio : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum* [20]? *Redde rationem villicationis tuæ* [21], non alienæ; et expone de quadruplici grege tuo, id est, animarum, virtutum, cogitationum, operum. Mysticè. Per istos pastores significantur boni Prælati, qui super grege suo custodiendo pervigilant diligenter, tamquàm reddituri rationem pro grege : undè : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem*, etc. [22]. Ubi dicit Chrysostomus : « O Prælate, « tanto igni submittis caput tuum! Miror, si quem « contigerit salvari de his qui principantur in tan- « tis minis et tantà pigritià! Video tamen currentes « et sponte se projicientes in pericula! » *Durissimum judicium his qui præsunt, fiet* [23]. Sed hoc de malis pastoribus dicitur. De bonis : *Novit justus animas jumentorum suorum; viscera autem impiorum crudelia* [24]. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera; non enim habebis jugiter potestatem*, etc. [25]. Meritò autem illà horà vigilare dicuntur pastores, quia natus erat summus Pastor, qui de suis ovibus usquè ad ultimum exiget rationem, cùm venerit greges suos visitare, dicens cuilibet pastori, et dicturus in die judicii : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum* [26]? *Custodi virum*

[1] *Matth.* XV, 24. — [2] *Isai.* XIX, 1. — [3] *Id.* LIII, 2. — [4] *Psalm.* XLVIII, 21. — [5] *Isai.* XL, 6. — [6] *Joan.* XIV, 6. — [7] IV *Reg.* IV, 8. — [8] III *Reg.* XVIII, 27. — [9] *Gen.* XLII, 27. — [10] *Isai.* I, 3. — [11] *Habac.* III, 2 *secundùm* LXX *Interpretes.* — [12] *Isai.* I, 3. — [13] *Prov.* XIV, 4. — [14] *Job*, XXXIX, 9. — [15] III *Reg.* IV, 26. — [16] *Eccli.* XXXII, 1. — [17] *Gen.* XXXV, 21. — [18] *Mich.* IV, 8. — [19] *Act.* XX, 28. — [20] *Jerem.* XIII, 20. — [21] *Luc.* XVI, 2. — [22] *Hebr.* XIII, 17. — [23] *Sap.* VI, 6. — [24] *Prov.* XII, 10. — [25] *Id.* XXVII, 23 *et* 24. — [26] *Jerem.* XIII, 20. — [a] Cicero, de Senectute. — [b] Lib. 15 Etymolog., c. 3. — [c] Homilià 1 suprà, p. 304, ad finem col. 1.

istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro animâ ejus [1]. Debent igitur vigilare pastores, à quibus tàm districta ratio requiretur; et maximè, quia lupi insidiantur gregi, id est, dæmones non dormiunt: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquàm leo rugiens*, etc. [2]. Item, quia præceptum est eis: *Videte, vigilate et orate* [3]. Item: *Et janitori præcepit ut vigilet* [4]. Item, quia vigilantibus promittitur merces: *Beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem* [5], id est, vigilantem. Item, quia incertum est de adventu furis, vel Domini. De fure: *Si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utiquè*, etc. [6]. De Domino: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam* [7].

9. Sunt autem quatuor vigiliæ noctis: conticinium, intempestum, galli cantus, antelucanum: de quibus dicitur: *Vigilate ergò; nescitis enim quandò dominus domûs veniat, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè* [8]. In primâ vigilaverunt Patriarchæ super gregem Domini usquè ad Moysen. In secundâ, duces et judices usquè ad David. In tertiâ, reges et Prophetæ usquè ad captivitatem Babylonicam. In quartâ, sacerdotes usquè nunc. Sunt similiter quatuor noctes in quibus vigilandum est. Prima est malorum tyrannorum persecutio: de quâ: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea* [9]. Secunda, peccatum: *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo* [10]. Tertia, dæmonum tentatio: *Nocte os meum perforatur doloribus; et qui me comedunt, non dormiunt*, etc. [11]. Quarta, quælibet tribulatio: *Nocte vastata est Ar Moab* [12], quæ interpretatur *arca mœroris* vel *maledictio*, id est, peccatrix anima. In primâ nocte, vigilandum est super gregem Dominicum, ne diripiatur ab hæreticis, à tyrannis, à falsis fratribus, ab Antichristo et antichristianis; primi siquidem conantur auferre fidem, secundi substantiam, tertii mores, quarti vitam. In secundâ nocte vigilandum est similiter super gregem virtutum, ne diripiatur à quadruplici genere vitiorum: quorum primum est noxia delectatio, secundum ad opus explendum deliberatio, tertium tenax consuetudo, quartum desperatio. Et significantur per erucam, locustam, bruchum, et rubiginem: de quibus dicitur: *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* [13]. *Eruca* est morosa delectatio, *locusta* volitans deliberatio, *bruchus* consuetudo, *rubigo* desperatio. Item in tertiâ nocte vigilandum est super gregem cogitationum et affectionum, ne diripiatur à quadruplici genere tentationum, id est, levi et occultâ, levi et apertâ, gravi et occultâ, gravi et apertâ: de quibus: *Non timebis à timore nocturno, à sagittâ*, etc. [14]. Item in quartâ nocte vigilandum est super gregem operum et locutionum, ne diripiatur à quâcumque tribulatione vel adversitate, sive inferatur à Deo, sive à proximo, sive à diabolo, sive veniat à seipso. *Hæc sunt* quatuor *cornua, quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Jerusalem* [15].

10. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos.* Nota, sicut dicit Beda [a]: « Et concipiendum, Mariæ [16], « et conceptum, Joseph [17], et natum Dominum hîc, « cives cœli testantur, ut et mortales sufficienter « imbuant, et suum Auctori servitium impendant. » *Et claritas Dei circumfulsit*, id est, ex omni parte illorum fulsit, sive radios sui luminis aspersit, ut sit pondus in verbo; nec tale invenitur in totâ serie Veteris Testamenti. Et nota quia verbo et luce adstruitur ortus Domini, quia ipse est et Verbum et lux: *Verbum caro factum est* [18]. *Ego sum lux mundi* [19]. Et nota quia dupliciter honorantur pastores vigilantes: consortio et allocutione Angelorum, et claritatis divinæ illustratione: Undè Beda [b]: « Vigilantibus pastoribus apparet Angelus, « et eos claritas circumfulget, quia illi præ cæteris « sublimia videre merentur, qui fidelibus sollicitè « præsunt, super quos divina gratia largiùs coruscat. » *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur* [20]. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*, etc. [21]. Tunc claritas aliquem circumfulget, cùm retrò per justitiam punit mala præterita, antè per prudentiam cavet futura, à dextris per temperantiam non dissolvitur per prospera, à sinistris per fortitudinem non frangitur per adversa. Vel: Claritas illum circumfulget, qui non solùm videt pericula, quæ habet ante oculos, sed etiam ea quæ habet ad dorsum; nec solùm ea quæ habet à sinistris, sed etiam ea quæ habet à dextris. Quidam vident solùm pericula, quæ habent ante oculos. Mortem habet ante oculos senex vel infirmus; sed sanus et juvenis habet post dorsum quasi insidiis: undè Seneca: « Juvenes habent mortem à tergo, et senes ante oculos. » Quidam timent pericula solùm à sinistris, id est, ab adversitate, cùm tamen majus sit periculum in prosperitate: undè: *Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis* [22].

[1] III *Reg.* XX, 39. — [2] I *Petr.* V, 8. — [3] *Marc.* XIII, 33. — [4] *Ibid.* 34. — [5] *Luc.* XII, 43. — [6] *Ibid.* 39. — [7] *Matth.* XXV, 13. — [8] *Marc.* XIII, 35. — [9] *Cant.* III, 1. — [10] *Psalm.* VI, 7. — [11] *Job*, XXX, 17. — [12] *Isai.* XV, 1. — [13] *Joel*, I, 4. — [14] *Psalm.* XC, 5 *et* 6. — [15] *Zach.* I, 19. — [16] *Luc.* I, 31. — [17] *Matth.* I, 20. — [18] *Joan.* I, 14. — [19] *Id.* VIII, 12. — [20] I *Tim.* V, 17. — [21] *Dan.* XII, 3. — [22] *Psalm.* XC, 7.

[a] In Homiliâ 1, suprà, p. 326, initio col. 2. — [b] Ibidem, ad finem col. 1.

Et timuerunt timore magno. Sic Manue exterritus ad visionem Angeli, dixit : *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*[1]. Sic mulieres[a]. In quo apparet liquidè quantùm sit diminuta dignitas hominis per peccatum : qui creatus est ad Dei visionem, et non potest sustinere Angelicam. *Et dixit illis Angelus: Nolite timere.* Hic est mos boni Angeli perterritos consolari : *Nolite expavescere*[2]. E contrà mos mali angeli est territos magis terrere. Undè « in adventu mali semper crescit timor, in ad« ventu boni semper decrescit, sicut dicit Gregorius. »

11. *Ecce enim evangelizo vobis*, etc. Triplici ratione primò nuntiatur pastoribus Nativitas Salvatoris. Prima est, quia pauperes erant, et propter pauperes venit ipse in mundum; et *ipsorum est regnum cœlorum*[3]. *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus*[4]. *Ad evangelizandum pauperibus misit me*[5]. Secunda, quia simplices erant et innocentes; et tales faciliter obediunt, et credunt quod dicitur eis : *Innocens credit omni verbo*[6]; et hìc dicitur : *Et venerunt festinantes*, etc. Tertia ratio est mystica : ad innuendum quòd Prælatis et Doctoribus Ecclesiæ, quorum typum gerunt isti pastores, vigilantibus super gregem suum, revelat Dominus primò se et secreta sua, ut ipsi aliis revelent, sicut montes primò rapiunt radios solis orientis : *Suscipiant montes pacem populo*[7]. *Gaudium magnum* dicitur quadruplici ratione. Prima, quia natus est hæres in regno Ecclesiæ : *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa*[8], id est, in amaritudine. Loquitur toti Ecclesiæ. Sic Abraham et Sara lætati sunt de ortu Isaac : *Dixit Sara : Risum fecit mihi Dominus*[9]. Secunda, quia natus est Ecclesiæ propugnator, qui devicto hoste abstulit opprobrium de Israel : *Opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ*[10]. *Dixit David : Nunc vadam, et auferam opprobrium populi*[11]: undè Angelis quærentibus : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* respondit : *Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum*[12]. Tertia ratio est, quia natus est Salvator perditorum, sicut dicit hìc Angelus; et Zacharias : *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus venit tibi justus et Salvator*[13]. Quarta ratio est, quia salus venit omni populo : undè sequitur : *Quod erit omni populo,* non solùm multis, ut in nativitate Joannis : *Et multi in nativitate ejus gaudebunt*[14]. Vel : *Omni populo*, id est, Ecclesiæ de omnibus populis colligendæ. *Quia natus est vobis hodiè Salvator,* vel *nobis*, quia consortio hominum implendus est numerus Angelorum. *Hodiè* dicit, cùm nox esset, quia gaudium venerat nuntiare : undè non pro qualitate temporis dictum est hoc, sed pro qualitate rei ; quia enim rem lætam nuntiabat, convenientiùs dicit *hodiè* quàm *nocte*, cùm sit una dies naturalis dies et nox ; ubi enim de tristibus agitur, solet fieri mentio de nocte, ut in negatione Petri et egressu Judæ : *Omnes scandalum patiemini in me, in hâc nocte*[15]. Alia ratio est, quia Sol jàm ortus erat super terram : undè erat verè dies : ideò in nocte illâ celebrat Ecclesia solenniter Missam : *Et nox sicut dies illuminabitur*[16]. Item : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*[17]. *Qui est Christus Dominus, in civitate David :* Sic ordina litteram : *Quia natus est nobis Salvator in civitate David*, id est, in Bethleem, undè David natus est, *qui* scilicet *Salvator*, *est Christus Dominus*, id est, unctus Dominus, mansuetus, scilicet, et benignus. Per hoc enim quòd Christus sonat *unctus*, notatur dignitas ejus, quia solùm ungebantur reges et sacerdotes. Ipse est ergò Rex sive Messias de quo prophetatum fuerat.

12. *Et hoc vobis signum*, quòd natus sit : *Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Glossa Bedæ : « Signum salutis est « fidelibus humilitas Salvatoris, quæ est opposita « superbiæ, per quam mors in mundum intravit. « Quòd si dicat aliquis : Quarè totâ die facis men« tionem de humilitate Christi ? Quia signum est « salutis adipiscendæ vel acquirendæ; tanta enim « Christi humiliatio, argumentum est dandæ nobis « ab eo salutis. Signum est salutis nobis acqui« rendæ, id est, exemplum est nobis et indicium « quâ viâ debeamus quærere salutem. Nam per « superbiam salutem amisimus : ideò necesse est ut « si redire volumus, per oppositam viam redeamus, « id est, per humilitatem. » Et huic sententiæ magis congruit finis Glossæ. Nota quòd tria signa dat Angelus pastoribus, per quæ possent Dominum invenire, scilicet, puritatem, paupertatem, humilitatem. Puritas intelligitur per infantem : paupertas per pannorum involutionem : humilitas per præsepis reclinationem. Bernardus[b] : « In signum positi sunt « panni tui, Domine Jesu, sed in signum, cui à mul« tis usquè hodiè contradicitur ! *multi* quippè *voca« ti, sed non multi electi*[18], et ideò nec signati. » Certum signum est quòd aliquis sit de populo Salvatoris, cùm Christi humilitatem imitatur : undè :

[1] *Judic.* XIII, 22. — [2] *Marc.* XVI, 6. — [3] *Matth.* V, 3. — [4] *Psalm.* XI, 6. — [5] *Luc.* IV, 18 *et Isai.* LXI, 1. — [6] *Prov.* XIV, 15. — [7] *Psalm.* LXXI, 3. — [8] *Mich.* I, 15. — [9] *Gen.* XXI, 6. — [10] *Isai.* XXV, 8. — [11] I *Reg.* XVII, 36. — [12] *Isai.* LXIII, 1. — [13] *Zach.* IX, 9. — [14] *Luc.* I, 14. — [15] *Matth.* XXVI, 31. — [16] *Psalm.* CXXXVIII, 11. — [17] *Ibid.* 10. — [18] *Matth.* XX, 16.

[a] Id est, *Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome*, expaverunt, quandò *introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ* (*Marc.* XVI, 1, 5 *et* 6). — [b] Serm. 4 in Nativitatem Domini, n. 1, propè finem, infrà.

Tu populum humilem salvum facies [1]. Tria prædicta signa quærit populus in vicariis Christi; sed non invenit : undè : *Signa nostra non vidimus,* etc. [2]. Hæc signa terribilia sunt multis, cùm tamen per hæc inveniatur Dominus : undè : *Turbabuntur Gentes, et timebunt qui habitant terram à signis tuis* [3]. *Testimonium ejus nemo accipit,* id est, pauci; *qui autem acceperit, signavit,* id est, signo ostendit *quia Deus verus est* [4], qui hæc signa dedit per Angelum. De his signis dicit Ecclesiasticus : *Innova signa, et immuta mirabilia* [5]. Innovata fuerunt hæc signa Nativitatis in passione, quia in Nativitate fuit infans, in passione clamans : in Nativitate pannis involutus, in passione vestibus nudatus : in Nativitate reclinatus in præsepio, in passione affixus in patibulo. Immutata fuerunt et mirabilia, quia ibi ortus est Sol in mediâ nocte, hìc occidit Sol in meridie : *Occidet Sol in meridie* [6] : ibi Joseph Deum pannis involutum reclinavit in præsepio, hìc Joseph alius Deum *sindone involutum posuit in sepulchro* [7] : ibi Æternus nascitur, hìc Æternus moritur : *Multifariè multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè locutus est nobis in Filio* [8]. Locutus est autem, in eo non loquente, cùm adhuc infans esset, quinque verba, scilicet, verbum consolationis, increpationis, exhortationis, consilii, eruditionis. Verbis consolationis locutus est, quia, sicut dicit Augustinus, magna consolatio est membris ex capite : undè in die Natalis [a] legitur illud Isaiæ : *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester* [9]. Sed non omnes consolatur Christi Nativitas : undè Bernardus [b] : « Non consolatur Christi infantia garrulos : « non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes : « non consolantur panni ejus ambulantes in stolis : « non consolantur stabulum et præsepe amantes « primas cathedras in synagogis. » Et subjungit : « Pannosos et laborantes Christi Nativitas consolatur. » Idem [c] : « Agnosco certè, agnosco Jesum, « magnum Sacerdotem, sordidis opertum vestibus. » Et suprà : « Quoniam multa hodiè auro « et gemmis fulgent altaria, putas, ad hæc divertent « Angeli, et pannosos homines declinabunt? Si ità « est, cur pastoribus ovium magis apparuere quàm « terræ regibus, quàm sacerdotibus templi ? » Idem [d] : « Sanè ad consolationem accedit ipsa quoque, quæ pastoribus vigilantibus exhibita est, visitatio et allocutio Angelorum..... Agnoscant « omnes quantùm placeat supernis civibus labor, « cujus spiritualis intentio est, quandoquidem et « eos qui pro victu corporis, corporali eos urgente « necessitate, laborant, suo dignantur alloquio, et « alloquio tàm felici. Nimirùm humanam in eis cognoscunt ordinationem, quâ constituit Deus ut *in* « *sudore vultûs sui vescatur Adam pane suo* [9]. » Increpat autem Christi Nativitas, se laudantes et se ostentare cupientes. Undè Bernardus [e] : « Nocte « voluit Christus nasci. Ubi sunt qui tàm impudenter ostentare gestiunt semetipsos?... Deniquè tacet « Christus;... et ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cœlestis exercitûs... Laudet te os « alienum, sileat tuum. » Exhortatur Christi Nativitas ad pœnitentiam. Undè Bernardus [f] : « Age « pœnitentiam... Hoc tibi prædicat stabulum illud : « hoc præsepe clamat : hoc membra illa infantilia « alloquuntur : hoc lacrymæ et vagitus evangelizant ». Idem [g] : « O duritia cordis mei ! Utinam, « Domine, sicut *Verbum carò factum est* [10], ità et « cor meum carneum fiat! Plorat quippè Christus « sicut cæteri; at non queritur sicut cæteri. Illi ex « passione lugent, Christus ex compassione... Ideò « lacrymæ Christi mihi et pudorem pariunt et dolorem. Ludebam ego foris in plateâ, et in secreto « regalis cubiculi super me ferebatur judicium « mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus : exiit, posito « diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, « nudus pedes, flens et ejulans quòd morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subitò « procedentem, stupeo novitatem, causam percontor, et audio. Quid facturus sum? Adhucne ludam, et deludam lacrymas ejus? Planè, si insanus « sum et mentis inops, non sequar eum, nec simul « cum lugente lugebo : ecce undè pudor. Dolor et « timor, undè ? Utiquè quia ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem... Filius « Dei jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso « sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus « necesse est Dominum Christum vulnerari... Compatitur Filius Dei, et plorat : homo patitur, et ridebit ! Sic et medicinæ æstimatio, et doloris « mihi et timoris exaggeratio est. » Consuluit etiam Christus facto, ut molestiæ præeligerentur deliciis. Undè Bernardus [h] : « Elegit Filius Dei tempus quod molestius est, præsertim parvulo et « pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad « involvendum, præsepe ad reclinandum; et certè « cùm esset tanta necessitas, nullam audio fieri « pellium mentionem... Non est tale judicium « mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat; sed

[1] *Psalm.* XVII, 28. — [2] *Id.* LXXIII, 9. — [3] *Id.* LXIV, 8 *et* 9. — [4] *Joan.* III, 32 *et* 33 — [5] *Eccli.* XXXVI, 6. — [6] *Amos,* VIII, 9. — [7] *Matth.* XXVII, 59 *et* 60. — [8] *Hebr.* I, 1 *et* 2. — [9] *Isai.* XL, 1. — [10] *Gen.* III, 19. — [11] *Joan.* I, 14.

[a] Ad secundam Lect. Officii matutini, in principio. — [b] Serm. 5 in Nativitatem Domini, n. 5. — [c] Serm. 4 in Nativitatem Domini, ad medium num. 1. — [d] Serm. 3 in Nativitatem Domini, n. 5. — [e] Eodem Serm. 3, n. 2. — [f] Eodem Serm. 3, ad medium num. 3 et initio num. 1. — [g] Eodem Serm. 3, ad finem num. 3. — [h] Eodem Serm. 3, ad finem num. 1.

« divinam falli impossibile est sapientiam..... « Christus utiquè, qui non fallitur, elegit quod « carni molestius est. Id ergò melius, id utilius, id « potius eligendum; et quisquis aliud doceat vel « suadeat, ab eo, tamquàm à seductore, cavendum « est. » Docuit etiam Christus in Nativitate pretiosum esse quod à mundo contemptibile judicatur. Undè Bernardus[a]: « Fortè aliquis arbitrabitur Filio « Dei sublimia esse quærenda palatia, ubi cum « gloriâ Rex gloriæ susciperetur; sed non propter « hoc à regalibus sedibus venit ille : *In sinistrâ « ejus divitiæ et gloria, in dexterâ longiturnitas « vitæ* [1]. Horum omnium æterna in cœlis affluen- « tia suppetebat; sed paupertas non inveniebatur in « eis... Hanc itaque Dei Filius concupiscens, descen- « dit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque suâ æsti- « matione faciat pretiosam. Adorna thalamum « tuum, sed humilitate et paupertate. »

13. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*, duplici ratione, sicut dicit Beda[b], scilicet, « ne parva videatur unius Angeli auctori- « tas. » Item[c]: « Uno evangelizante, multitudo in « consonam laudem prorumpit, ut et officium « suum Deo impendat, et nos instruat, ut quotiès « sacram eruditionem fratris ore audimus, Deo « laudes corde, ore et opere reddamus. Item *exer- « citus* nominatur, qui sequebantur militiæ ducem, « qui contra malignos spiritus ad tutelam nostram « Angelorum ordinat exercitum. » *Laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* In græco textu est *bona voluntas.* Nota : quod sequitur in Hymno hoc Angelico[d], Hilarius dicitur composuisse ex auctoritate Telesphori Papæ. Solis Episcopis licebat incipere, quod adhuc in die cœnæ observatur alicubi ; Symmachus verò Papa attendens quòd sacerdos *Angelus Domini est* [2], statuit ut omnes sacerdotes canerent hunc Hymnum in festis : *Gloria in altissimis Deo.* Hìc innuitur qualis sit cœlestium civium operatio. Eorum enim operatio est assidua Dei laudatio : in quo verbo inhabitantes terram ad Dei glorificationem admonentur. Deum autem glorificat, qui eum naturaliter laudat, qui operibus suis eum honorat, ea propter ipsum faciendo, et qui proximo suo materiam glorificandi Deum ministrat, dando ei bonum exemplum, juxta illud : *Sic luceant opera vestra coram hominibus*, etc. [3], et qui gloriam sibi oblatam recusat propter Deum, dicens : *Non nobis, Domine, non nobis*, etc. [4]. Et hoc valdè difficile : undè Gregorius : « Difficile est humanam gloriam non appe- « tere; sed difficillimum est oblatam respuere. » Deum etiam glorificat, qui frequenter eum bonorum suorum auctorem recogitat, non seipsum. Ideò, Christo nato, hoc cantant Angeli, quia ipse erat Patrem glorificaturus : *Pater, glorifica Filium tuum, ut Filius tuus glorificet te* [5]... Meritò canitur ei : *Gloria in altissimis*, id est, ab altissimis, id est, ab Angelis : id est, meritò glorificatur ab Angelis per reparationem Angelicæ ruinæ, et canitur, id est, nuntiatur *pax hominibus* cum ipsis Angelis. Mysticè. Altissimi sunt qui in ultimo gradu humilitatis sunt; et in his sedens est Dominus, et ab his laudatur : *Ex ore infantium*, etc.[6]. *Gloriâ* significatur : 1° Alicujus magnifici latè patens præconium : *Magnificat anima mea Dominum* [7]. 2° Frequens fama cum laude. Ità Tullius. *Benedicam Dominum in omni tempore*, etc. [8]. 3° Ore multorum celebrata laudatio : *Laudate Dominum, omnes Gentes*, etc. [9]. 4° Clara cum laude lætitia : *Lætamini in Domino*, etc. [10].

14. *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*, qui suscipiunt natum Christum, non his qui, auditâ ejus Nativitate, sunt turbati et eum persecuti, ut Herodes [11], *quia non est pax impiis, dicit Dominus* [12]. Bernardus[e]: « Angelus sic distinguit, ut « Deo sit gloria, hominibus pax; sed quia filii Adæ « cupiunt quod Dei est, scilicet, gloriam, pacem « perdunt et gloriam : *Gloriam meam alteri non « dabo* [13]. » Insinuantur autem nobis duo in hoc verbo : scilicet, quis sit fructus bonæ voluntatis, et quàm facile jàm sit homini pacem habere. Fructus autem bonæ voluntatis est pax; nec est parvus iste fructus : undè Glossa super illud : *Pax super Israel* [14] : « Uno verbo dicit omnia bona. E contrario « *non est pax impiis* [15] : non est impius, quin ad « minus habeat bellum intestinum, superiore parte « rationis inferiorem accusante et condemnante. » Facilè etiam habetur jàm pax, cùm sola bona voluntas ad hoc sufficiat : undè Augustinus : « Nihil tàm « facile est bonæ voluntati quàm ipsa sibi, et hæc « sufficit Deo. » Verissimè igitur Angeli clamaverunt : *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et nota quia quadruplex pax datur hominibus, quà indigebant, propter quadruplicem discordiam sive guerram quam habebant. Prima erat inter Deum et homines, propter præcepti transgressionem. Secunda inter Angelos et homines, propter Adæ et Evæ ejectionem : undè dicit Gregorius[f]: « Quandò extranei « eramus à Deo, extraneos nos Angeli deputabant. »

[1] *Prov.* III, 16. — [2] *Malach.* II, 7. — [3] *Matth.* V, 16. — [4] *Psalm.* CXIII, 9. — [5] *Joan.* XVII, 1. — [6] *Psalm.* VIII, 3. — [7] *Luc.* I, 46. — [8] *Psalm.* XXXIII, 1. — [9] *Id.* CXVI, 1. — [10] *Id.* XXXI, 11. — [11] *Matth.* II, 3. — [12] *Isai.* XLVIII, 22 *et* LVII, 21. — [13] *Id.* XLII, 8. — [14] *Psalm.* CXXIV, 5. — [15] *Isai.* XLVIII, 22.

[a] Sermone 1 in Vigiliam Nativitatis Domini, suprà, p. 127, n. 5. — [b] In Catenâ aureâ, p. 285, col. 1. — [c] Ibidem, et p. 327, n. 9. — [d] De hoc Hymno, vide quod dicitur infrà, in Appendice ad calcem hujus festi, ad quæstionem liturgicam. — [e] Serm. 4 Nativitatem Domini, ad finem num. 2, infrà. — [f] Serm. in Nativitatem Domini, infrà.

Undè quodammodò naturam humanam despiciebant : undè anteà se permittebant adorari ab hominibus [a], sed post Incarnationem non, ut in Apocalypsi videtur [1]. Tertia guerra erat inter homines et homines, propter diversarum legum æmulationem. Quarta inter carnem et spiritum, propter mutuam altercationem; primò enim spiritus corrupit carnem, et nunc caro corrumpit spiritum. Venit ergò Dei Filius, et satisfecit Patri pro homine, *factus obediens usquè ad mortem* [2]. Et facta est pax inter Deum et homines : de quâ dicitur : *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi* [3]; et secundùm hoc dicitur : *Mediator Dei et hominum* [4]. Guerram inter Angelos et homines pacificavit, quia de ipsis hominibus ruinam Angelicam reparavit : quod ipsi rogant : *Benignè fac, Domine, in bonâ voluntate tuâ, Sion, ut ædificentur muri Jerusalem* [5] : de hâc dicitur : *Veniat pax : requiescat in cubili suo*, etc. *Vos autem accedite huc*, id est, in cœlum, *filii auguratricis* [6], id est, homines. Item in eodem : *Creavi fructum labiorum pacem*, *pacem ei qui propè est*, id est, Angelo, *et qui longè est*, id est, homini, *dixit Dominus* [7]. Secundùm hoc dicitur *Salomon*, id est, *pacificus*. Et dicit Glossa Bedæ : « Quia Deus et homo nascitur, hominibus « pax cum ipsis Angelis canitur, id est, cum gaudio « nuntiatur, et gloria Deo qui ab Angelis pro nostrâ « redemptione et pro suâ reparatione glorificatur. » Item guerram inter homines et homines pacificavit, quia omnes in unam Ecclesiam et fidem unicam convocavit : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor* [8]. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* [9]. Secundùm hoc, dicitur lapis angularis : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem* [10]. Item guerram inter spiritum et carnem pacificavit, in se utrumque concorditer assumens et pacificè gerens : undè dicitur : *Simul in unum dives et pauper* [11], id est, spiritus et caro in Christo concordes : de hâc pace dicitur : *In pace factus est locus ejus* [12]. *Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ : legem mandatorum decretis evacuans, ut condat duos*, id est, spiritum et carnem, *in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem* [13]. Secundùm hoc dicitur *Emmanuel* [14]. Sic plenè reformata est pax hominum per Christum : ideò dicitur : *Pax multa diligentibus legem tuam* [15].

✠ S. BONAVENTURA, EPISCOPUS ALBANUS,

S. R. E. CARDINALIS ET ECCLESIÆ DOCTOR [b].

Num. 1. In hoc Evangelio determinatur Nativitatis Christi veritas. De descriptione totius mundi. — 2. Cur Christus alibi conceptus, alibi natus, alibi educatus? — 3. Opportunitas et novitas partûs Mariæ. — 4. Paupertas Christi nascentis. — 5. Ad exemplum pastorum, sacerdotes gregi commisso invigilare debent. — 6. Quarè pastoribus apparuit Angelus? — 7. De gaudio pastorum et illius causâ. — 8. Christus indicatur signo paupertatis et humilitatis. — 9. Glorificandus est Deus. Quænam pax promittitur hominibus bonæ voluntatis?

1. *Factum est autem in diebus illis*, etc. Terminatâ parte illâ, in quâ agitur de conceptu Salvatoris in utero, sequitur secunda pars, in quâ agitur de ortu Salvatoris ex utero; et hoc facit (Lucas) in præsenti Capitulo. Habet autem hæc pars duas partes, in quarum primâ determinatur Nativitatis Christi veritas, in secundâ determinatur nascentis humilitas. Quia enim Christus in Nativitate suâ factus est ex muliere, et factus est sub lege per humilitatem, ideò utrumque pertinet ad Evangelistam determinare. Et incipit secunda pars, ibi : *Et postquàm consummati sunt dies octo*, etc. Prima pars habet tres partes, in quarum primâ ostenditur qualiter Christi Nativitas fuit consummata : in secundâ, qualiter ab Angelis annuntiata, ibi : *Et pastores erant in regione* : in tertiâ, qualiter per pastores manifestata et divulgata, ibi : *Et factum est, ut discesserunt*, etc. Prima pars habet tres partes, quoniam ad Nativitatem Salvatoris exprimendam, oportet assignare tempus, et locum, et pariendi modum. Describit ergò Evangelista in primâ parte tempus debitum : in secundâ, locum idoneum, ibi : *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ* : in tertiâ verò, Virgini partum, ibi : *Factum est autem, cùm essent*. Tempus autem idoneum Nativitatis Christi, fuit tempus universalis imperii describendi, quia,

[1] *Apoc.* XXII, 9 et IX, 10.— [2] *Philipp.* II, 8. — [3] *Isai.* XXVII, 5. — [4] I *Tim.* II, 5. — [5] *Psalm.* L, 20.— [6] *Isai.* LVII, 2 et 3. — [7] *Ibid.* 19. — [8] *Joan.* X, 16.— [9] *Ephes.* II, 14. — [10] *Isai.* XXVIII, 16. — [11] *Psalm.* XLVIII, 2. — [12] *Id.* LXXV, 2. — [13] *Ephes.* II, 14 et 15. — [14] *Isai.* VII, 14. — [15] *Psalm.* CXVIII, 165.

[a] Vide notam *b*, suprà, p. 345. — [b] Ex Expositione in cap. Lucæ, Tom. 1-2.

ut dicit Gregorius[a] : « Ille veniebat in carne, qui « electos suos adscriberet in æternitate. » In hàc autem descriptione universalis imperii, triplex notatur excellentia, scilicet, potentiæ in præcipiendo, sapientiæ in discernendo, et justitiæ in prosequendo, quia hæc tria futura erant in Christo, secundùm illud Jeremiæ : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum*; *et regnabit rex :* ecce potentia. *Et sapiens erit :* ecce sapientia. *Et faciet judicium et justitiam in terrâ*[1] *:* ecce justitia, ut sit in eo omnimoda perfectio. Quantùm ad excellentiam potentiæ in præcipiendo, dicit : *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Cæsar iste Augustus proprio nomine fuit Octavianus, sed à Julio Cæsare qui anteà imperaverat, *Cæsar* est cognominatus, à quo omnes imperatores Romani posteà *Cæsares* dicti sunt. Iste etiam dictus est *Augustus*, quia *rempublicam auxit ;* et ab isto omnes alii dicuntur *Augusti*[b]. Et iste protulit universale edictum, quia universale habebat dominium, non in omnes et singulas, sed in principales universi partes : undè imperium suum fuit magnum, secundùm illud Danielis: *Et regnum quartum erit velut ferrum. Quo modo ferrum comminuit et domat omnia : sic comminuet et conteret omnia hæc*[2]. Hoc fuit Romanorum imperium, quod designatum fuit per imperium Nabuchodonosor : de quo Jeremias : *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, regis Babylonis, servi mei, et servient ei omnes Gentes. Gens autem et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor, visitabo super gentem illam, dicit Dominus*[3]. In his diebus, scilicet, hujus regni, erat tempus adventûs Christi, quia dicitur : *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; et regnum ejus alteri populo non tradetur ; comminuet autem et consumet universa regna hæc ; et ipsum stabit in æternum*[4]. Istius solius plena est orbis descriptio, secundùm illud Psalmi : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*[5]. Et ideò dicitur quòd habet in vestimento et in femore suo scriptum : *Rex regum, et Dominus dominantium*[6], quia, sicut dicit Ecclesiastes : *Excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ Rex imperat servienti*[7]. Quantùm ad excellentiam sapientiæ in discernendo, subdit : *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino*, « quia hæc fuit, ut dicit Am« brosius[c], prima descriptio generalis, quæ in« choata est à Cyrino. » Vel : « Prima facta, id est, « primò inchoata, secundùm Bedam[d], ab illo qui « præsidebat in Syriâ, quæ est umbilicus terræ ha« bitabilis. » Et sic fiebat dicta descriptio distinctè et ordinatè. Et sunt hæc duo indicia sapientiæ in principe, secundùm quod dicitur de Salomone : *Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultrà spiritum*[8]. Hæc autem descriptio facta est, non propter vanitatem, sicut illa David, propter quam percussus est populus[9], sed propter imperii utilitatem, ut sciretur quantitas tributi; et hoc est discretionis, non elationis : *Ubi manus multæ sunt, claude ; et quodcumque trades, numera, et appende ; datum verò et acceptum omne describe*[10]. Sed non est cujuscumque singulorum regum tributa describere, sed nascentis Christi : undè Psalmus : *Et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis*[11]. Quantùm ad excellentiam justitiæ in prosequendo, subditur : *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Faciebant ergò regis imperium, et nullus occupabat alienum ; et ità subjectionem habebant ad regem in professione, et pacem ad invicem in quiete, et justitiam in cohabitatione, secundùm illud : *Reddite omnibus tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*[12]. *Ut profiterentur*, scilicet, se subjectos esse Romano imperio, et hoc, reddendo censum. Et illud erat justum, secundùm illud : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo*[13]. Et quia jàm Judæa facta erat tributaria, signatur quòd tempus advenerat Nativitatis Christi, secundùm illud in Genesi : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est ; et ipse erit exspectatio Gentium*[14]. *Ibant*, etiam nullo præstante impedimento : quo ostenditur quòd istud imperium erat pacatissimum. Et ideò tempus erat, ut veniret Christus, pacis annuntiator, de quo : *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*[15]. Et ità jàm completum erat illud :

[1] *Jerem.* XXIII, 5 et XXXIII, 14 ; *Isai.* IV, 2 ; XL, 11 et XLV, 8 ; *Ezech.* XXXIV, 12 ; *Dan.* IX, 24 et *Joan.* I, 45. — [2] *Dan.* II, 40. — [3] *Jerem.* XXVII, 6, 7 et 8. — [4] *Dan.* II, 44. — [5] *Psalm.* XXIII, 1 ; XLIX, 12 et I *Cor.* X, 26. — [6] *Apoc.* XIX, 16 ; XVII 14 et I *Tim.* VI, 15. — [7] *Eccle.* V, 7 et 8. — [8] III *Reg.* X, 4 et 5. — [9] II *Reg.* XXIV, 2 et 15. — [10] *Eccli.* XLII, 7. — [11] *Psalm.* CXXXVIII, 16. — [12] *Rom.* XIII, 7 et 8. — [13] *Matth.* XXII, 21. — [14] *Gen.* XLIX, 10 ; *Matth.* II, 6 et *Joan.* I, 45. — [15] *Ephes.* II, 14.

[a] Serm. in Nativitatem Domini, infrà. — [b] Vide Jansenium suprà, p. 254, initio col. 1. — [c] Homiliâ suprà, p. 319, initio num. 2. — [d] In Glossâ ordinariâ, ad calcem hujus Tomi.

Concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones : non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultrà belligerare, quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui; nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum et ultrà [1]. Et hoc est quod dicit Beda [a] : « Pacatissimo tempore voluit « nasci Christus, quia pacem magnoperè quæsivit « et amavit, et amatores pacis semper invisit. »

2. *Ascendit autem et Joseph*, etc. Postquàm descripsit tempus debitum, describit hìc locum idoneum ; et hoc, quia locus ille conveniens erat prophetali vaticinio, conveniens erat divino promisso, et conveniens erat etiam imperiali edicto. Ostenditur ergò conveniens prophetali vaticinio, in hoc quod dicit : *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth*, quia secundùm unam prophetiam Nazareth competebat conceptioni : secundùm aliam litteram, *Nazareus de radice ejus ascendet*, etc. [2]; secundùm aliam verò, Bethleem Nativitati : ideò subdit : *In Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem : Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel; et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis* [3]. Undè dicitur quòd Herodi quærenti ubi Christus nasceretur, responderunt Scribæ : *In Bethleem Judæ; sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu, Bethleem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* [4]. Et hæc fuit civitas David, quia indè sumpsit originem : *Dixit Dominus ad Samuelem : Veni ut mittam te ad Isai Bethleemitem; providi enim in filiis ejus mihi regem* [5]. Et nota quòd alibi natus est Christus, alibi conceptus, et alibi educatus, ut Herodem et alios impios lateret Incarnationis mysterium : undè Joannes : *Numquid à Galilæâ venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus* [6]? Ostenditur etiam locus ille conveniens divino promisso, cùm subditur : *Eo quòd esset de domo et familiâ David*, ipse, scilicet, et sponsa sua Virgo Maria. Undè dicit Bernardus « quòd in alterâ completa est promissio facta David, altero tantùm teste et conscio. » Hæc promissio facta est David per Nathan : *Hæc dicit Dominus : Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicitque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. Cùmque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usquè in sempiternum* [7]. Et rursùs : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [8]. Ostenditur postremò conveniens imperiali edicto, cùm subditur : *Ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante;* hoc enim processerat ex imperiali edicto; et licèt antè jàm concepisset Virgo Regem cœli et terræ, tamen imperiali edicto etiam prægnans voluit obedire, ut posset cum filio dicere illud : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam* [9]; et per hoc, exemplum dare nobis obtemperandi omni potestati superiori, secundùm illud : *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquàm ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum* [10]. In hoc autem apparet quomodò humanum imperium famulatur divino. Præcipiente enim Cæsare ut omnes in civitatem suam irent, et obedientibus ejus imperio Mariâ et Joseph, factum est, quod neuter intendebat, scilicet, quòd Christus nasceretur in Bethleem, secundùm quòd erat æternaliter dispositum, et temporaliter promissum et vaticinatum et prophetatum; et ideò non est contemnendum mandatum præpositorum aliquo modo.

3. *Factum est autem, cùm essent ibi*, etc. Descripsit priùs Christi Nativitatem, quantùm ad tempus debitum, et locum idoneum. Hìc tertiò describit quantùm ad partum, quem describit quantùm ad tria, scilicet : quantùm ad opportunitatem pariendi, novitatem partûs, et paupertatem parientis. Ex quibus ostenditur Christi partus admirabilis, inauditus, et commendabilis. Primò igitur ostendit opportunitatem pariendi, cùm dicit : *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret*, juxta quod dictum est suprà, proximo Capitulo : *Elisabeth impletum est tempus pariendi* [11]. Verè impletum, quia in plenitudine temporis, sicut Christus conceptus, et natus : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* [12]. *Ideò convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis* [13]. Insinuat etiam novitatem partûs, cùm dicit : *Et peperit filium suum primogenitum.* Hoc verò dicit per privationem prioris; quia enim Virgo ipsum conceperat, ideò hic primogenitus ejus erat : *Ecce Virgo con-*

[1] *Mich.* IV, 3 et 5. — [2] *Isai.* XI, 1 et *Act.* XIII, 23. — [3] *Mich.* IV, 2; *Matth.* II, 6 et *Joan.* VII, 42. — [4] *Matth.* II, 6. — [5] I *Reg.* XVI, 1. — [6] *Joan.* VII, 41 et 42; *Mich.* V, 2 et *Matth.* II, 6. — [7] II *Reg.* VII, 11, 12 et 13 et III *Reg.* VIII, 19 et X, 5. — [8] *Psalm.* CXXXI, 11; II *Reg.* VII, 12; *Luc.* I, 55 et *Act.* II, 30. — [9] *Matth.* III, 15. — [10] I *Petr.* II, 13 et 14 et *Rom.* XIII, 1. — [11] *Luc.* I, 57. — [12] *Galat.* IV, 4. — [13] *Psalm.* XXII, 10.

[a] Homiliâ suprà, p. 323, n. 1.

cipiet, et pariet filium, etc.[1]. Et ideò partus novus fuit, sicut et conceptus, quia sicut conceptus sine pudore, sic et partus sine dolore: *Antequàm parturiret, peperit : antequàm veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?* Et posteà : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus*[2]*?* Talis partus decebat Christum, de quo Apostolus : *In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*[3]. Undè, sicut est primogenitus Patris, ità etiam primogenitus matris ; sicut etiam unigenitus Patris, ità unigenitus matris: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*[4]. Undè non dicit hìc : *Primogenitus*, ordinem respectu posterioris, sicut dicebat Helvidius hæreticus ; sed privationem respectu prioris, quia nullum habuit ante illum, ut ostendatur quòd ipse Domino totaliter erat dedicandus; primogenita enim omnia erant Deo offerenda : *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tàm de hominibus, quàm de jumentis; mea sunt enim omnia*[5].

4. Insinuat autem tertiò paupertatem parientis, quia egens operimenti, lecti, et hospitii erat. Propter defectum operimenti, dicit: *Et pannis eum involvit*, non unâ veste, sed multis, ut pannosus pauper posset dici, et exemplo monstraret illud Apostoli : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*[6]. Et hoc correspondet illi prophetiæ, ubi dicitur: *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis*[7]. Bernardus[a] : « Agnosco Jesum, Sacerdotem magnum, sordidis indutum vestibus, dùm altercaretur cum diabolo... At ubi exaltatum est Caput nostrum super inimicos nostros, mutavit vestem, *decorem induit*, *amictus lumine, sicut vestimento*[8]... Utilior siquidem est in conflictu lorica ferrea, quàm stola linea, licèt illa sit oneri, hæc honori. » Et in hoc reprehenditur cultus vestium pretiosarum : propter quod dicit : *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*[9]; et : *In vestitu ne glorieris umquàm*[10]. Propter defectum lectuli, subdit : *Et reclinavit eum in præsepio*, non in cubili, ità ut verificaretur illud : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*[11]. In præsepio ponitur Christus, ut ostendatur illud : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*[12]; et ut verificaretur illud : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui*[13]; et illud : *Consideravi opera tua, et obstupui : in medio duorum animalium cognosceris*[14]. In hoc autem, secundùm mysticum intellectum, quòd natus est in Bethleem, intelligitur quòd est panis vivus : Bethleem *domus panis* interpretatur. In hoc quòd in præsepio positus, notatur quòd est cibus simplicium et humilium, ratione carnis assumptæ: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri*[15]. In hoc quòd in medio duorum animalium, signatur quòd in hoc, pastu et pastore uniri debebant pecora duplicis ovilis : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere : vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor*[16]. Moraliter et ad litteram, in hoc damnavit Christus lectos delicatos, contra quos : *Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris*[17]*!* Propter defectum habitaculi, subdit : *Quia non erat ei locus in diversorio.* « Diversorium namque, secundùm Isidorum[b], dicitur eo quòd diversi ibi conveniant, et sic est locus patens. » « Secundùm Bedam verò, eo quòd diversa habeat orificia ; nam est platea vacua inter duos vicos, habens introitum et exitum ad utrumque, et propter intemperiem aëris superiùs cooperta, et ubi cives ad colloquendum venire possunt. » Hìc peperit Virgo Maria, quia non habebant domum, in quâ possent hospitari, sive quia pauperes erant, sive quia tardè venerant; et quia arctus erat locus, vel etiam aliis repletus, non habebant locum nisi arctissimum, inter bruta animalia. Undè poterat Christus dicere illud : *Ego ad nihilum redactus sum, et nescivi : ut jumentum factus sum apud te; et ego semper tecum*[18]. Et verificatum est illud Jeremiæ : *Exspectatio Israel, Salvator ejus in tempore tribulationis, quarè quasi colonus futurus es in terrâ, et quasi viator declinans ad manendum? Quarè futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos*[19]. Et in hoc damnatur ædificiorum amplitudo, secundùm illud Isaiæ : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usquè ad terminum loci*[20]*!* Augustinus : « Non erat illi nisi angustia in terris, ut tu ei locum cordis tui sibi proprium dilatares! *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*[21], et tu ampla palatia et ingentes

[1] *Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23 *et Luc.* I, 31.— [2] *Isai.* LXVI, 7, 8 *et* 9. — [3] *Coloss.* I, 14 *et* 15.— [4] *Joan* I, 14.— [5] *Exod.* XIII, 2 *et* XXXIV, 19; *Levit.* XXVII, 26; *Num.* VIII, 16 *et Luc.* II, 23. — [6] 1 *Tim.* VI, 8 *et Prov.* XXVII, 26. — [7] *Zach.* III, 3. — [8] *Psalm.* CIII, 1 *et* 2. — [9] *Matth.* XI, 8. — [10] *Eccli.* XI, 4 *et Act.* XII, 21 *et* 22. — [11] *Matth.* VIII, 20 *et Luc.* IX, 58. — [12] *Joan.* VI, 51. — [13] *Isai.* I, 3.— [14] *Habac.* III, 2, *juxta* LXX *Intrepretes*.— [15] *Isai.* XL, 6; *Eccli.* XIV, 18; *Jac.* I, 10 *et* I *Petr.* I, 24.— [16] *Joan.* X, 16. — [17] *Amos*, VI, 4. — [18] *Psalm.* LXXII, 22 *et* 23. — [19] *Jerem.* XIV, 8 *et* 9. — [20] *Isai.* V, 8. — [21] *Luc.* IX, 58 *et Matth.* VIII, 20.

[a] Sermone 4 in Nativitatem Domini, ad finem num. 1, infrà. — [b] Lib. 15 Etymol., c. 3.

« porticus metiris ! » Sic ergò Christum paupercula mater pauperem peperit, ut nos ad paupertatem invitaret, et suâ inopiâ ditaret, secundùm illud : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis* [1]. Et secundùm hanc omnimodam indigentiam damnavit avaram opulentiam : undè Bernardus [a] : « Elegit Filius Dei pauperem matrem, quæ « vix pannos habebat ad involvendum, præsepe « ad reclinandum, et locum ad reponendum... Non « est tale judicium mundi : aut iste fallitur, aut « mundus errat ; sed divinam falli est impossibile « sapientiam... Elegit ergò, qui non fallitur, quod « carni molestius est : id ergò melius, id utilius, « id potius eligendum. » Simus ergò cum Christo, sicut dicitur : *Sicut egentes, multos autem locupletantes : tamquàm nihil habentes, et omnia possidentes* [2]. Ex hoc insinuatur nobis, quòd iste erat verè Salvator mundi, qui in sui ortûs primordio, exemplum virtutis præbuit, et viam salutis ostendit ; habendo enim lectulum vilem, et humilem, et pauperem, jàm incipiebat ostendere quòd mundus iste contemnendus est, secundùm tria in eo contenta. Jàm incipiebat statum perfectionis exemplo monstrare, qui consistit in humilitate, austeritate et paupertate. Ostendit etiam in hoc Dominus summæ dignationis affectum, quia non tantùm parvulus, sed pauperculus, et despectus pro nobis est factus, ità ut verò posset dicere illud : *Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ* [3].

5. *Et pastores erant*, etc. Descripsit superiùs Evangelista qualiter Christi Nativitas fuit consummata. Hìc secundò describit qualiter fuit denuntiata. Ad denuntiationem autem Nativitatis Christi perfectè faciendam tria concurrunt. Primum est dispositio præparans ad audiendum. Secundum, annuntiatio invitans ad exsultandum, quod describit ibi : *Et dixit illis Angelus*. Tertium, confirmatio certificans ad credendum ; et hoc describit ibi : *Et hoc vobis signum*. Quantùm ad primum, notandum quòd dispositio præparans ad audiendum, fuit pastorum attentio, quæ ortum habuit à duplici causâ, scilicet : ex propriæ sollicitudinis vigilantiâ, et ex Angelici luminis circumfulgentiâ. Quantùm ad vigilantiam propriæ sollicitudinis, dicitur : *Et pastores erant in eâdem regione vigilantes*. Hoc igitur spectat ad pastorale officium : undè Jacob, pastor ovium Laban, dicebat : *Die noctuque, æstu urgebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* [4]. Et ad majoris attentionis insinuationem, subdit : *Et custodientes vigilias noctis super gregem suum ;* nocte enim potissimùm vigilandum est propter hostilem incursum repellendum, luporum scilicet, et latronum. Per hoc autem insinuatur spiritualis vigilantia, quæ debet esse in Prælatis : undè : *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto* [5]. Et ideò : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [6]. Vigilare etiam debet quilibet contra hostem spiritualem, secundùm illud : *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini : leva ad eum manus tuas pro animâ parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum* [7]. Vigilare etiam debet in contemplatione. In Psalmo : *Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis* [8]. Et Isaias : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te* [9]. Et hoc est, quia talis hora competit divinæ inspirationi. Talis etiam hora conveniebat divinæ Nativitati, secundùm illud : *Cùm quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens, Sermo tuus, Domine, exsiliens de cœlo, à regalibus sedibus venit* [10]. Et signanter dicit : *Super gregem suum*, secundùm illud : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera* [11]. Contra quod dicitur : *O pastor, et idolum derelinquens gregem* [12] *!* Et Jeremias : *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum ? Quid dices, cùm visitaverit te ? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum* [13].

6. Quantùm ad circumfulgentiam Angelici luminis, subditur : *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos*, etc. In hoc quòd juxtà stetit, ostendit familiaritatem et humilitatem ministerii, quo Angelus condescendit homini et adstat illi, modò ut adjutor, secundùm illud : *Consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui* [14], modò ut eruditor et illuminator, secundùm illud : *Apparuit ei Gabriel, stans à dextris altaris incensi* [15]. Simili modo et hìc. Undè Ambrosius [b] : « Angelus Mariam, Angelus Joseph, Angelus pa- « stores edocet. » In cujus rei signum subditur : *Et claritas Dei circumfulsit illos*, id est, fulsit circa illos. Simile dicitur de Angelo, qui apparuit Petro :

[1] II *Cor.* VIII, 9. — [2] *Id.* VI, 10. — [3] *Psalm.* LXXXVII, 16. — [4] *Gen.* XXXI, 40. — [5] II *Tim.* IV, 5. — [6] *Hebr.* XIII, 17. — [7] *Thren.* II, 19. — [8] *Psalm.* CXXXVIII, 11. — [9] *Isai.* XXVI, 9. — [10] *Sap.* XVIII, 14 *et* 15. — [11] *Prov.* XXVII, 23. — [12] *Zach.* XI, 17. — [13] *Jerem.* XIII, 20 *et* 21. — [14] *Dan.* XII, 1. — [15] *Luc.* I, 11.

[a] Sermone 3 in Nativitatem Domini, ad finem num. 1, infrà. — [b] Homiliâ suprà, p. 321, initio num. 7.

Ecce Angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo[1], scilicet, carceris. Ideò autem Angelus hîc lumen attulit, quia filius lucis fuit, et quia eum annuntiare venerat, qui est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[2]. Et ideò nocte lumen attulit, ut significetur impleri illud Isaiæ : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*[3]. Ex hâc autem claritate pastores sollicitos reddidit : propter quod subditur : *Et timuerunt timore magno*, sicut et Zacharias in conspectu Angeli : *Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum*[4]. Et nota quòd Angelus magis apparuit pastoribus, quàm alii generi hominum, tùm quia pauperes, propter quos veniebat Christus : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus*[5]. Bernardus[a] : « Quàm « multa hodiè auro et gemmis fulgent altaria ! « Putas, ad hæc divertent Angeli, et pannosos ho« mines declinabunt ? Si ità est, cur magis pasto« ribus ovium apparuerunt, quàm regibus terræ, « quàm sacerdotibus templi ? » Tùm etiam, quia simplices : *Abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus*[6]. Et Matthæus : *Abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis*[7]. Tùm etiam, quia vigiles : *Ego diligentes diligo, et qui manè vigilaverint ad me, invenient me*[8]. Sapientia : *Sapientia præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat*[9]. Et sequitur : *Cogitare ergò de illâ, sensus est consummatus ; et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit*[10]. Sive propter mysterium, ut insinuetur quòd doctrina veritatis debet à Prælatis pervenire ad subditos : undè Glossa : « Illi præ cæteris sublimia videre « merentur, qui fidelibus sollicitè præsunt. »

7. *Et dixit Angelus*, etc. Hîc secundò describitur annuntiatio invitans ad exsultandum. In quà præmittitur exhortatio ad fiduciam et ad lætitiam. Et subditur annuntiatio exprimens lætitiæ causam. Exhortans igitur Angelus ad fiduciam, dixit illis : *Nolite timere*. Non enim venerat Angelus nuntiare rem terribilem; sed potiùs desiderabilem, sicut et ille qui resurrectionem annuntiavit mulieribus : *Nolite expavescere*[11] : in quo tribuit sperandi fiduciam. In hoc agnoscitur differentia inter Angelum lucis, et tenebrarum, quia bonus Angelus assecurat ; sed malus finaliter terret. Et quod plùs est, invitat ad lætitiam : propter quod addit : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum*. Hoc optabat Raphael, cùm dicit : *Gaudium semper sit tibi*[12]. Propter hoc gavisi sunt Magi : *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valdè*[13]. Et dicitur : *Magnum*, ad differentiam gaudii hypocritarum, quod est momentaneum : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*[14]. Et Job : *Tenent tympanum et cytharam, et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos ; et in puncto ad inferna descendunt*[15]. *Magnum* est etiam, quia amplum : quod notat, cùm subdit : *quod erit omni populo;* et hoc, ad differentiam gaudii mundanorum, quod non est universale : *Mundus gaudebit; vos autem contristabimini*[16]. Contra quod dicitur : *Et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriosè fiebant ab eo*[17]. Et quia nemo gaudet perfectè, nisi ex causâ et ratione, ideò subditur denuntiatio exprimens lætitiæ causam, cùm dicitur : *Quia natus est vobis hodiè Salvator*, *vobis*, id est, ad utilitatem vestram, scilicet, hominum : *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis*[18]. Et verè ad utilitatem, quia Salvator : *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel, Salvator*[19]; et: *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos*[20]. Et verè Salvator, secundùm illud : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*[21]. In hoc autem insinuatur causa gaudendi pro Nativitate : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*[22]. Nec tantùm gaudendum ratione utilitatis, verùm etiam dignitatis; et ideò subinfertur : *Qui est Christus Dominus in civitate David*. Et sic reparabit regnum Israeliticum, secundùm illud : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ, amodò et usquè in sempiternum*[23]. Et ideò rectè additur : *Dominus*, quia ipse est *Rex regum, et Dominus dominantium*[24]. Et Apocalypsis : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium*[25]. Et ideò : *In civitate David*, id est, in Bethleem, undè ortus fuit David.

8. *Et hoc vobis signum*. Post dispositionem præparantem ad audiendam denuntiationem invitantem ad exsultandum, subditur hîc tertia confirmatio certificans ad credendum. Et quoniam *in ore duorum testium stare debet omne verbum*[26], ideò dupliciter confirmantur pastores, per visum et auditum. Isti enim duo sensus potissimè nobis deser-

[1] *Act.* XII, 7. — [2] *Joan.* I, 9 *et* III, 19. — [3] *Isai.* IX, 2. — [4] *Luc.* I, 12. — [5] *Psalm.* XI, 6. — [6] *Prov.* III, 32. — [7] *Matth.* XI, 25. — [8] *Prov.* VIII, 17. — [9] *Sap.* VI, 14. — [10] *Ibid.* 16. — [11] *Marc.* XVI, 6. — [12] *Tob.* V, 11. — [13] *Matth.* II, 10. — [14] *Job*, XX, 5. — [15] *Id.* XXI, 12 *et* 13. — [16] *Joan.* XVI, 20. — [17] *Luc.* XIII, 17. — [18] *Isai.* IX, 6. — [19] *Id.* XLV, 15. — [20] *Id.* XIX, 20. — [21] *Act.* IV, 12. — [22] *Malach.* IV, 2 *et Luc.* I, 78. — [23] *Isai.* IX, 7. — [24] I *Tim.* VI, 15. — [25] *Apoc.* XIX, 16 *et* XVII, 14. — [26] *Matth.* XVIII, 16.

[a] Sermone 4 in Nativitatem Domini, n. 1, infrà.

viunt ad cognoscendum. Primò ergò certificantur per signum probabile, deindè per testimonium credibile. Quantùm ergò ad signi probabilis persuasionem, dicitur : *Et hoc vobis signum.* Nam secundùm quod dicitur : *Judæi signa petunt*[1]. Et hoc maximè petebat Propheta David : *Fac mecum*, inquit, *signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me*[2]. Hoc signum petendum erat : *Pete tibi signum à Domino tuo*[3]. Hoc etiam promittebat : *In die illâ radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur*[4]. *Et hoc vobis signum, vobis*, inquam, pauperibus, quòd venerit pauperes liberare, secundùm illud : *Liberabit pauperem à potente, et pauperem cui non erat adjutor*[5]. *Quia invenietis infantem pannis involutum*, et pauperem et mendicum : *Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam*[6]. Bernardus[a] : « In signum positi sunt panni « tui, Domine Jesu ! sed in signum cui usquè hodiè à « multis contradicitur : *Multi autem sunt vocati,* « *pauci verò electi*[7], et ideò nec signati. » Erit etiam vobis humilibus signum, quòd venerit liberare humiles, secundùm illud : *Populum humilem salvum facies*[8]. In hoc quod subditur : *Et positum in præsepio*, ecce mira humilitas, quòd Dominus cœlorum inclinavit se usquè ad præsepe animalium brutorum : *Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum*, etc.[9]. Undè in Psalmo : *Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis*[10]. Et nota quòd pastores erant pauperes, simplices et contemptibiles. Ideò ne timerent accedere, datum est eis in Christo infantiæ signum, paupertatis et humilitatis. Et in hoc significatur qualiter et à quibus invenitur Christus. Undè : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus*, etc.[11]. Et ideò : *Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur*[12]. Et hoc, quia per ista signa non fuit cognitus à carnalibus et superbis. Undè : *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terrâ. Signa nostra non vidimus : jàm non est Propheta ; et nos non cognoscet ampliùs*[13] ; et iterùm : *Posuerunt signa sua, signa ; et non cognoverunt sicut in exitu super summum*[14]. Quantùm verò ad testimonii credibilis persuasionem, subditur : *Et subitò facta est cum Angelo multitudo.* Facta est, scilicet, ad confirmandum pariter dictum Angelicum, et ad venerandum parvulum natum, secundùm illud : *Cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei*[15]. Et signanter dicitur : *Multitudo*, secundùm illud : *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam*[16]. *Militiæ cœlestis*, secundùm illud Job : *Numquid est numerus militum ejus ? Et super quem non surget lumen illius*[17] ? Et ideò : *Nolite timere, dixit Eliseus ; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*[18] ; et hoc apparet in ortu ejus, secundùm illud in Apocalypsi : *Ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax*[19]. Et posteà : *Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis*[20]. Et hæc tota multitudo ad confirmationem verbi Angelici prorumpit in decantationem cantici : propter quod dicitur : *Laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Job : *Ubi eras, cùm me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei*[21] ?

9. *Gloria in excelsis Deo*, etc. Nota quòd glorificandus est Deus in Incarnatione, quia, ut dicit Daniel, in hoc opere demonstrantur sublimis bonitas, sapientia, potentia, et justitia Dei. *Gloria* ergò *in excelsis Deo.* Pro bonitate, quâ non despexit proprii plasmatis infirmitatem : *Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundùm voluntatem Dei et Patris nostri : cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen*[22]. Pro sapientiâ, quia invenit difficillimi solutionem decentissimam : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*[23] ! Et sequitur : *Ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen*[24]. Pro potentiâ ; quid enim potentius quàm Deum fieri hominem ? *Abraham confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere*[25]. Et item : *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, ipsi gloria in Ecclesiâ, et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen*[26]. Pro justi-

[1] I *Cor.* I, 22. — [2] *Psalm.* LXXXV, 17. — [3] *Isai.* VII, 11. — [4] *Id.* XI, 10 *et Rom.* XV, 12. — [5] *Psalm.* LXXI, 12. — [6] *Zach.* IX, 9 ; *Isai.* LXII, 11 *et Matth.* XXI, 5. — [7] *Matth.* XX, 16. — [8] *Psalm.* XVII, 28. — [9] *Isai.* LIII, 2 *et* 3 *et Marc.* IX, 11. — [10] *Psalm.* XXI, 7. — [11] I *Cor.* I, 26 *et* 27. — [12] *Luc.* II, 34 ; *Isai.* VIII, 14 ; *Rom.* XX, 33 *et* I *Petr.* II, 7. — [13] *Psalm.* LXXIII, 8 *et* 9. — [14] *Ibid.* 4 *et* 5. — [15] *Hebr.* I, 6 *et Psalm.* XCXVI, 7. — [16] *Hebr.* XII, 22. — [17] *Job*, XXV, 3. — [18] IV *Reg.* VI, 16. — [19] *Apoc.* XIX, 11. — [20] *Ibid.* 14. — [21] *Job*, XXXVIII, 4 *et* 7. — [22] *Galat.* I, 4 *et* 5. — [23] *Rom.* XI, 33. — [24] *Ibid.* 36. — [25] *Id.* IV, 20 *et* 21. — [25] *Ephes.* III, 20 *et* 21.

[a] Sermone 4 in Nativitatem Domini, infrà.

tiâ, quia simile simili re salvavit: *Sedenti in throno et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum*[1]; et ideò cantatur: « Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine[a]. » Et nota quòd gloriam Deo attribuunt, quia Dominus sibi illam reservavit: *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo*[2]. Pacem verò optant nobis in terris, quia ait Dominus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*[3]. Et rectè dicit: *Bonæ voluntatis*, quia, secundùm illud: *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus*[4]. Et præmittit gloriam Dei paci nostræ, quia nullus pacem habere potest, qui nititur gloriam Dei usurpare. Bernardus[b]: « Displicet hominibus Angelica partitio, quâ Deo gloria, et pax hominibus nuntiatur. » O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam! Certè qui gloriam appetit, Deo resistit; sed dicitur: *Quis restitit ei, et pacem habuit*[5]? *Acquiesce igitur ei, et habeto pacem; et per hæc habebis fructus optimos*[6], pacem scilicet pectoris, de quâ dicitur: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu*[7]; et pacem æternitatis, de quâ Isaias: *Declinabo super eam quasi fluvium pacis*[8]; et Psalmus: *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te*[9]. Nota etiam quòd pax optatur hominibus et denuntiatur, quia per Christum pacificatur homo cum Deo: *Faciet mihi pacem, pacem faciet mihi*[10]. Pacificatur cum Angelis: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*[11]. Pacificatur cum homine: *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum*[12]. Pacificatur in se: *Scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum*[13]. In horum figurâ dicitur: *Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes*[14]. Hanc Apostolus semper optat, et Christus præcepit: *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui*[15].

✠ B. ALBERTUS MAGNUS, ORDINIS PRÆDICATORUM,

EPISCOPUS RATISBONENSIS[c].

NUM. 1. Determinatur plenitudo temporis, ex parte præcurrentium in gratiâ: — 2. Ex parte signorum comitantium in monarchiâ Augusti: — 3. Ex parte convenientium in temporis et loci convenientiâ. — 4. De descriptione factâ ab Augusto: de descriptione à Deo factâ. — 5. De modo descriptionis: de pluribus quæ factæ sunt descriptionibus. — 6. Quarè à Judæâ prima incœpit descriptio? — 7. De obedientiâ descriptorum. De modo professionis. — 7. Josephi instar qui ascendit à Galilæâ, ascensiones in corde nostro disponamus. — 8. Ad quem locum ascendit Joseph? — 9. Quarè Bethleem dicitur *civitas David*? — 10. Bethleem verè est domus panis. — 11. Profitetur Joseph cum Mariâ desponsatâ sibi. — 12. De impletione temporis partûs Mariæ. — 13. De partu Mariæ. — 14. De curis quas nato virgo mater exhibuit. — 15. Quibus de causis Christus natus est in diversorio? — 16. De pastoribus quibus manifestata est Domini Nativitas. — 17. De vigilantiâ pastoribus necessariâ. — 18. Quatuor sunt noctes. — 19. De Angelo Nativitatem revelante pastoribus, et de claritate quæ circumfulsit illos. — 20. De causâ et universalitate gaudii in Nativitate Domini. — 21. De loco Nativitatis et de nati dignitate. — 22. De signis quibus agnoscitur Christus. — 23. Per hæc signa Christus nos consolatur, increpat, exhortatur, consulit et erudit. — 24. De gratiarum actione Angelorum. — 25. De pace in terrâ hominibus allatâ.

1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.* Hìc incipit secundum Capitulum, in quo Evangelista determinat de Nativitate et sacramentis conjunctis Nativitati Domini; et ideò quatuor per ordinem dicit, quæ tamen in tria conjungit Apostolus: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege*[16]. Et ideò determinat primò plenitudinem temporis, secundò qualiter natus est ex muliere, tertiò qualiter factus est sub lege. Plenitudinem autem temporis determinat quadrupliciter: ex parte præcurrentium in gratiâ, ex parte signorum comitantium in monarchiâ, ex parte subjectorum monarchiæ in obedientiâ, ex parte convenientium in temporis et loci convenientiâ. De præcurrentibus in gratiâ dicit: *Factum est au-*

[1] *Apoc.* V, 13. — [2] *Isai.* XLII, 8 *et* XLVIII, 11. — [3] *Joan.* XIV, 27. — [4] *Isai.* XLVIII, 22 *et* LVII, 21. — [5] *Job*, IX, 4. — [6] *Id.* XXII, 21. — [7] *Philipp.* IV, 7. — [8] *Isai.* LXVI, 12. — [9] *Psalm.* CXLVII, 14. — [10] *Isai.* XXVII, 5. — [11] *Coloss.* I, 20. — [12] *Ephes.* II, 14. — [13] *Job*, V, 24. — [14] *Jos.* XXI, 42. — [15] *Matth.* X, 12. — [16] *Galat.* IV, 4.

[a] Doxolog. Hymn. de festo. — [b] Sermone 4 de Nativitate Domini, ad finem num. 2, infrà. — [c] E Commentariis in Lucam, c. 2.

tem, præordinatione divinâ, *in diebus illis,* quandò Joannis nativitas Christi Nativitatem præcurrerat : quibus etiam beata Virgo domum reversa sex mensibus domi resederat : quibus vaticinia Zachariæ et Elisabeth audita et divulgata fuerant, et, ut generaliter dicatur, omnia signa prævenerant quæ Deus præordinaverat. Omnia enim tempus habent, et suis spatiis in præsuppositione divinâ præordinatis transeunt universa sub cœlo : *Posuisti terminos, qui præteriri non poterunt*[1]. *Clausi sunt signatique sunt sermones usquè ad tempus definitum*[2]; hæc enim omnia clausa usquè ad impletionem temporis præfiniti. *In diebus* autem *illis* dicit, quia singularum gratiarum illustrationes dies faciunt præfinitos; et cùm omnes illustrationes ortæ fuerunt, quasi singula astra matutina, tunc Novæ Legis surrexit aurora : *Ubi eras, cùm me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei*[3]? Jubilavit enim Elisabeth : jubilavit in utero Joannes : jubilavit beata Virgo, mater Dei : jubilavit Zacharias : jubilaverunt vicini et cognati quasi totus cœli concentus, exspectantes tempus et locum auroræ, et implentes illud quod dicitur : *Præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum*[4]. Et hoc est quod sequitur.

2. *Exiit edictum.* Tangit hîc signa concomitantia in Romanorum monarchiâ. Facit enim Lucas sicut bonus tabellio, confirmans contractum inter nostram naturam et Deum : undè Ambrosius in Glossam [a] : « Historico more scribens Evangelista, « ut seriem temporis designet, nomen præsidis, « tamquàm consulis, signi gratiâ, huic Libro ad- « scribit; nam si consules adscribuntur tabulis « emptionis, quantò magis redemptionis hominum « debuit tempus adscribi! Habemus hîc omnia quæ « in contractibus esse solent, vocabulum summam « potestatem illic gerentis, diem, locum, causam. « Testes etiam adhiberi solent : hos quoque Nati- « vitati suæ et generationi secundùm carnem Chri- « stus adhibuit, qui Evangelium signarent, hoc est, « confirmarent, dicens : *Eritis mihi testes in Je- « rusalem, et in Judæâ, et Samariâ, et usquè « ad ultimum terræ*[5]. » Ex his omnibus indicia sumuntur completi temporis ad suam Nativitatem. Attende autem sex circa Augustum Cæsarem, penes quem summa potestas resederat rerum. Primum, quòd monarcha fuit omnium dominus, ut dicit Josephus, et si fortè aliqua in orbe non subjecta erant in hominibus vel terris, ità erant parva quòd non curabantur; et ideò etiam in legibus et litteris suis, se mundi dominum appellabat, præ se ferens manu pomum aureum, quod mundi circulum terrestrem prætendebat. Secundum, quòd nomen ab *augendo* imperium accepit, hoc est, *Augustus.* Tertium est, quòd in tantâ pace regnavit, quòd quasi nullus erat tempore suo armorum usus, ut ad litteram videretur in eo impletum illud propheticum : *Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*[6]; et illud : *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultrà ad prœlium*[7]; sed quilibet utilitatibus propriis intendens, agriculturæ operam dabat, et arma conflabat in agriculturæ instrumenta. Quartum est in signis tempore imperii sui exortis[b]. Tres enim soles, ut dicunt Romanorum gesta, tempore Augusti in Oriente exorti, in unum collecti sunt circa medium cœli; et, sicut dicit Seneca, in morte ejus, cometes ad modum solis apparuit, qui in tres circa medium cœli est divisus. Templum pacis in parte corruit; et in parte, sicut adhuc apparet, perstitit in ortu Salvatoris. In eodem tempore fons olei erupit, qui usquè in Tibrim continuo fluxu manavit. Quintum est, quòd solus sine socio regni gubernacula suscepit; aliquandò enim duo imperatores Romæ rempublicam regebant, sicut Diocletianus et Maximianus; sed iste solus pacatissimè regnavit. Sextum est, quòd benignissimè et optimè præfuit. Hæc autem omnia sunt signa impleti temporis quòd Christus nascatur. Hoc autem quòd monarchia in unum fuit collecta, signat regnum Christi incipiendum, quod omnes unire debuit, et quod divisione suî destruendum non fuit : *Omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet*[8]. *Faciam eos in gentem unam in montibus in terrâ Israel; et rex unus omnibus imperans; et non erunt ultrà duæ gentes, nec dividentur ampliùs in duo regna*[9]. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor*[10]. *Ego ero eis Dominus, et servus meus rex David super eos, et pastor unus erit omnium eorum*[11]. Ecce convenientia regni Christi ex primo. Ex secundo autem, quòd nomen accepit ab *augendo,* veriùs impletur in Christo, qui suos semper auget numero et merito : *Auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos suos*[12]. *Addat Dominus Deus tuus ad populum tuum qui nunc est, multa millia*[13]. *Benedicam tibi et multiplicabo te*[14]. *Postula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*[15].

3. A tertio autem ostenditur convenientia; quia Christus est pax nostra, pacem fecit, pacificum di-

[1] *Psalm.* CIII, 9.—[2] *Dan.* XII, 9.—[3] *Job,* XXXVIII, 7.—[4] *Ib.* 12.—[5] *Act.* I, 8.— [6] *Isai.* II, 4.— [7] *Ibid.* — [8] *Luc.* XI, 17.— [9] *Ezech.* XXXVII, 22.— [10] *Joan.* X, 16. — [11] *Ezech.* XXXVII, 23 *et* 24. — [12] *Psalm.* CIV, 24. — [13] II *Reg.* XXIV, 3. — [14] *Gen.* XII, 2. — [15] *Psalm.* II, 8.

[a] Suprà, p. 320, ad finem num. 2. — [b] De his signis, vide in Appendice ad calcem hujus festi.

ligit et insignit, et in Testamento suis pacem dimisit. Quòd pax sit : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem inimicitiarum solvens in carne suâ*[1]. Fecit autem pacem inter nos et Deum, inter nos et Angelum, inter nos Gentiles et Judæum. Inter nos et Deum : *Per ipsum enim habemus reconciliationem ad Deum*[2]. *Pax vobis : ego sum*[3]. Inter nos et Angelum, quia Angelus nos ante Incarnationem viles et servos reputans, ab hominibus se permisit adorari[4]; post Incarnationem autem noluit permittere, reverentiam exhibens naturæ quam Deo vidit unitam : *Cecidi ante pedes Angeli, qui mihi hoc ostendebat, ut adorarem eum ; et dixit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus ego sum et fratrum tuorum : Deum adora*[5][a]. In signum hujus, pacem nobis nuntiant Angeli, dicentes : *Et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Inter Judæum et Gentilem fecit pacem : *Veniens evangelizavit pacem, pacem ei qui longè est, et pacem his qui propè*[6]. Longè quidem erat Gentilis ; propè autem per legis et prophetiæ acceptionem Judæus. Fecit autem pacem inter nos et Deum, per Mediatoris officium : inter nos et Angelos, per ruinæ Angelicæ restaurationem : inter Judæum et Gentilem, per unius fidei præconium, et unius Ecclesiæ habitaculum. De primo : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*[7]. De secundo : *Inveni drachmam quam perdideram*[8]. De tertio : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*[9]. Hic diligit pacificos, et in adoptionis filiorum Dei gratiam transfert : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*[10]. Pacem in Testamento suis reliquit : *Pacem meam relinquo vobis : pacem meam do vobis : non sicut mundus dat, ego do vobis*[11]. Dat autem pacem conscientiæ potiùs quàm temporis : undè : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras*[12]; pace enim temporis aliquandò datâ, durius est bellum conscientiæ; et illa non est vera pax : undè : *In magno viventes inscitiæ bello, tot et tàm magna mala pacem appellant*[13]. *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*[14]. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*[15]. Et ideò Christus dat pacem conscientiæ : *In pace factus est locus ejus*[16]; impiis enim nec exteriùs, nisi raro, nec interiùs umquàm est pax : *Non est pax impiis, dicit Dominus*[17]. Quartum etiam competit. Tres enim soles exorti, trium naturarum signant radios, corporalis, et spiritualis, et deitatis : quæ in unum collectæ in unitate personæ Christi totum illuminaverunt mundum. Vel, ut dicunt, fidem trium personarum in unitate unius essentiæ significaverunt : *Judæis lux nova oriri visa est*[18]; *fecit* enim tunc *Deus luminare majus, ut præesset diei*[19]. Et cometes in modum solis exortus et in tria scissus, significabat nostrum solem in occubitu suo in plura lumina converti, ad orientem, et ad occidentem, et ad meridiem totum nostrum illuminare hemisphærium, quia et mortuis corporibus per unitam ad corpus deitatem, et in inferno positis illuxit per unitam deitatem ad animam, et habitantibus in mundo per auroram refulsit resurrectionis. Templum autem pacis temporalis in parte corruit, propter persecutionem suorum in corpore ; et in parte stetit, propter tranquillitatem conscientiæ. Fons autem olei qui erupit, ortum ejus significabat, de quo dicitur : *Oleum effusum nomen tuum*[20]. Ex quinto convenientia sumitur : quia ille tunc nasci disposuit, de quo dicitur : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis*[21]. Quod exponens Basilius dicit : « Unigeni-« tum ideò dicit, quia cum secundo genito gloriam « paternam non divisit : » *Quærent Dominum Deum suum, et David regem ; et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum*[22]. Ex sexto sumitur convenientia ; quia numquàm aliquis in tantâ mansuetudine et benignitate gubernavit subjectos ut Christus : *Volui nequaquàm abuti potentiæ magnitudine ; sed clementiâ et lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optatâ cunctis mortalibus pace fruerentur*[23]. Sic igitur patet quòd signa sumpta in Augusto convenientia sunt Christi generationi.

4. Ab isto ergò Augusto *exiit edictum*, fixâ lege per senatusconsultum, *ut describeretur universus orbis*. Attende quòd, licèt David peccaverit[24], numerando et describendo populum, eo quòd hoc fecit in superbiam, iste tamen non peccavit, quia descripsit orbem, piè motus super populum ; describi enim fecit orbem, ut sciret quantùm posset facere in gubernationem reipublicæ per censicapitem[b]; et ideò, sicut legitur in Libello qui vocatur : « Descri-« ptio Augusti Cæsaris, » præcepit orbem, quoad nostram habitabilem, in quartas[c] dividi, et in quâlibet quartâ, montes illius quartæ et flumina principalia describi, et deindè civitates et urbes principales cum villis et pagis et suburbanis describi, ut

[1] *Ephes.* II, 14. — [2] *Rom.* V, 11. — [3] *Joan.* XX, 21. — [4] *Gen.* XVIII, 2. — [5] *Apoc.* XXII, 9. — [6] *Ephes.* II, 17. — [7] I *Tim.* II, 5. — [8] *Luc.* XV, 9. — [9] *Ephes.* IV, 5. — [10] *Matth.* V, 9. — [11] *Joan.* XIV, 27. — [12] *Philipp.* IV, 7. — [13] *Sap.* XIV, 22. — [14] *Psalm.* LXXII, 3. — [15] *Isai.* XXXVIII, 17. — [16] *Psalm.* LXXV, 3. — [17] *Isai.* XLVIII, 22. — [18] *Esther*, VIII, 16. — [19] *Gen.* I, 16. — [20] *Cant.* I, 2. — [21] *Joan.* I, 14. — [22] *Osc.* III. 5. — [23] *Esther*, XIII, 2. — [24] II *Reg.* XXIV, 10.

[a] Vide Notam *b*, suprà, p. 345. — [b] *Censicapitem :* verbum adhibitum tempore *feodalitatis*, quod autem jàm in usu non est, cuique substituta fuit vox *Capitatio.* — [c] *Quartas*, seu chartas.

sciretur numerus allodiorum et prædiorum. Et ultrà producendo descriptionem, præcepit ut quilibet rediret ad locum et genus suæ originis, ut sciret qui et quàm remoti essent vel non essent à suis patrimoniis; et, inquisitione factâ, unusquisque reciperet quod suum erat; et sic sciretur quid pro censi-capite solvere vel non solvere posset. Quam censi-capitem congregatam, legionibus militum, qui quaslibet terras in pace tenebant, per manum publicam fecit erogari; justum enim esse videbatur, ut illi qui pro omnibus militabant, communiter ab omnibus acciperent stipendia, quia omnes unà communi pace gaudebant et libertate. Stipendia dicuntur *à stipe pendendâ*. Nulli autem ab hoc tributo excipiebantur, nisi mendici pauperes [a]; hoc enim est de privilegio paupertatis, onera tributorum communium non portare. Undè: *Reddite omnibus debita : cui vectigal, vectigal : cui tributum, tributum : cui honorem, honorem* [1]; et : *Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo* [2]. Hàc igitur de causâ istud exiit edictum ab Augusto justissimo; pacificas enim vias de terrâ in terram facere non potuit, nisi per militum legiones; et milites vivere non poterant, nisi per stipendia; nec stipendia habuit, nisi per communem omnium contributionem; et si fortè, ut dictum est, aliquid non est descriptum de orbe, non est curandum. Hoc autem, ut dicit Gregorius, etiam signis temporum competit. Dicit enim [b] quòd, « nascituro « Domino, mundus describitur, quia ille apparebat « in carne, qui electos suos describeret in æterni- « tate. » Describit autem suos in æternitate quinque modis : per definitam in se prædestinationem, per appositam eis justitiam præsentem, per privilegiati meriti notam, per sui verbi in conscientiâ et corde doctrinalem picturam, et per beatitudinis æternæ ad seipsum conformitatem. De primo horum dicitur : *Salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ* [3]. *Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus fuerit in vitâ in Jerusalem* [4]. De secundo dicitur : *Epistola Christi estis, administrata à nobis, et scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi* [5]. *Gaudete in hoc quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis* [6]. E contrà dicitur de malis : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* [7]. De tertio dicitur : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti* [8]. *Scribam super eum nomen* novum privilegiatum; *sed et nomen civitatis novæ Jerusalem* [9]. De quarto dicitur : *Dabo leges meas in cordibus eorum, et in visceribus eorum superscribam eas* [10]. *Sume tibi librum grandem*, cor hominis, scilicet, *et scribe in eo stylo hominis* [11]. Et ideò conscientiæ sanctorum sunt libri : *Libri aperti sunt, et alius Liber apertus est qui est vitæ* [12]; et hoc est conscientia Christi; et ex his Libris mortui judicabuntur : *Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus* [13]. De quinto modo : *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo vidi centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus eorum* [14]. Et ità scribuntur etiam ad mortem æternam : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in æternum non prosperabitur* [15]. *Recedentes à te in terrâ scribentur, quia dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum* [16]. Sic ergò ex Scripturâ patet ad Nativitatem Domini convenientia; et hâc de causâ præfinivit hoc sapientia Dei Patris.

5. Attende autem quòd modus descriptionis erat ad denarium, qui habebat imaginem Augusti, et decem valuit usuales parvos. Et hæc descriptio dicitur : *Cujus est imago hæc et superscriptio? Responderunt : Cæsaris. Et dixit illis Jesus : Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo* [17]. Iste autem modus, in descriptione spirituali Christi, significat imaginem Dei ad quam factus est homo; denarius autem, obedientiam decalogi, ad quem totus mundus est inscriptus : *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine* [18]. Glossa Augustini : « Lumen vultûs, signatum super « nos, est imago creationis, et recreationis, et simi- « litudinis divinæ. Creationis quidem, in quâ creati « sumus, est naturæ; recreationis autem in quâ « creati sumus, est gratiæ imago, quæ est fides, « spes et charitas; similitudinis autem quâ tres « personas in unâ substantiâ imitamur, est memo- « ria, intelligentia, et voluntas : quæ tunc imitan- « tur, quandò Deus est in memoriâ sine oblivione, « veritas in intellectu sine errore, charitas in affectu « voluntatis sine contrariâ affectione. Hunc ergò de- « narium exhibe, et es descriptus, et ab Imperatore « summo gubernandus et regendus. » Quòd autem nunc ab imperatoris dixerat exisse edicto, subdit qualiter et per quem est exsecutioni mandatum, dicens : *Hæc descriptio prima*, etc. Attende quòd istud *prima* secundùm diversos Doctores quatuor modis exponitur. Secundùm Josephum quidem, multæ factæ sunt descriptiones antecedentium imperatorum, sed non fecerunt describi nisi prædia et allodia; et super illa imponebant censum, conver-

[1] *Rom.* XIII, 7. — [2] *Matth.* XXII, 21. — [3] *Dan.* XII, 1. — [4] *Isai.* IV, 3. — [5] II *Cor.* III, 3. — [6] *Luc.* X, 20. — [7] *Psalm.* LXVIII, 29. — [8] *Exod.* XXXII, 31 *et* 32. — [9] *Apoc.* III, 12. — [10] *Jerem.* XXXI, 33 *et Hebr.* X, 16. — [11] *Isai.* VIII, 1. — [12] *Apoc.* XX, 12. — [13] *Psalm.* CXLIX, 9. — [14] *Apoc.* XIV, 1. — [15] *Jerem.* XXII, 30. — [16] *Id.* XVII, 13. — [17] *Matth.* XXII, 20 *et* 21. — [18] *Psalm.* IV, 7.

[a] Et mares et feminæ de quibus agitur in Notâ *c*, suprà, p. 319. — [b] Serm. in Nativitatem Domini, n. 1, infrà

tendum in stipendia militum[1], sicut et in Ægypto : *Quintam partem regi dabitis : reliquæ quatuor permittentur vobis*[1]. Sed ista fuit prima inter generales; generalem autem voco, in quâ descripta sunt et allodia et homines. Alia expositio est Bedæ, qui dicit[a] « quòd quidem, sicut dictum est, *exiit edi-* « *ctum;* sed illud tunc primum exsecutioni fuit man- « datum, quandò missus est in Syriam censor sive « judex Cyrinus. » Et ità oportet resolvere nomen *prima* in adverbium *primùm*, ut sit sensus : *Hæc descriptio*, ab Augusto edicta, *prima*, hoc est, primùm *facta est* per exsecutionem *à Cyrino*, misso pro censore, et *præside Syriæ*. Tertia expositio vult exponere *prima* pro *principalis*, quia Syria *sublimis* interpretatur, sicut et principalis fuit; et à principali inchoatum est, ut illà non contradicente descriptioni, omnes aliæ descriptionem sustinerent provinciæ. Quarta expositio dicit quòd Syria non est dicta prima propter se, sed propter Judæam, quam in se habuit; Judæi enim gloriabantur quòd censum dare non deberent, quia decimas solverent, et primitias darent, et vota et sacrificia offerrent, et legibus humanis non subjacerent, ut dicit Hieronymus; et ideò quærebant : *Si licet dari censum Cæsari, an non*[2]*? Faciet te Dominus in caput, et non in caudam; et eris semper suprà, et non subter*[3]. Et ideò voluit ut primò inchoaretur ab eis, ut, ipsis subjectis, omnes alii censui colla submitterent. Et verificatum est vaticinium Jeremiæ : *Princeps provinciarum facta est sub tributo*[4]. Tunc enim rectè Judæorum regnum translatum est, quandò alteri regno imperanti solvebant tributum : *Non auferetur sceptrum de Judâ, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*[5]. Hoc est ergò quod dicit.

6. *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ*, qui tunc missus est in Syriam pro præside, *Cyrino;* tale enim nomen habebat, quod *hæres* interpretatur. Duæ etiam aliæ rationes assignantur, quarè à Syriâ et à Judæâ prima incœpit descriptio: quarum una est Hieronymi, dicentis quòd « Syria et « Judæa nostræ habitabilis media est, sicut umbilicus « in corpore; et ideò ab eà incœptum est, ut ab eà « tamquàm à medio faciliùs in extrema terrarum de- « rivaretur : *Ecce populus de umbilico terræ descen-* « *dit*[6]. » Alia ratio est et verior, quia illa terra antiquitùs monarchiam tenuit, et fortissimos habuit reges Alexandri Macedonis successores, ut dicit Rabanus; et ideò imperator ad illam fortissimos et sapientissimos præsides censores misit, per quos aptiùs et conveniențiùs descriptio poterat inchoari. Attende autem circa hoc quod dictum est quòd Judæa, ut dicit Hieronymus, media est nostræ habitabilis; hoc enim imaginandum est, sicut dicit Philosophia in Consolatione Philosophiæ[b], quòd terra dividatur in partes quatuor, ità ut intelligatur unus de coluris sphæræ superficies esse extensa per terram de polo in polum; hæc enim superficies dividet terram ab Austro in Aquilonem, tendens in duo media, scilicet, hemisphærium et in oppositum hemisphærio. Est autem compertum conjecturaliter, et non per demonstrationem, quòd in solo hemisphærio est habitatio hominum. Conjectura autem Ptolomæi est ista, quia, cùm eclipses lunares sint apud omnes uno modo, sed differunt in horis; quia lunaris eclipsis orientalis est apud orientales in primâ horâ noctis; et hæc eadem eclipsis apud illos qui sunt in Gadibus Herculis, in ultimis Hispaniarum partibus, est in horâ noctis duodecimâ. Nec invenitur aliqua observatio eclipsium lunarium ultra 12 horas; et illæ sunt 180 graduum, qui sunt cœli medietas. Et sic conjicitur quòd homines non habitant nisi sub medio cœlo, et conjicitur inferior medietas non esse habitata propter aquas; quia si aliquis ibi habitaret, aliquid de scriptis observationum suarum pervenisset ad nos. Superior autem medietas etiam inhabitabilis secundùm medietatem intelligatur æquinoctialis esse superficies, dividens terram in duo media, à medio cœlo in angulum oppositum mediæ terræ per Orientem et Occidentem : tunc erit una medietas ab æquinoctiali in polum arcticum; et hæc est habitabilis : et alia medietas erit ab æquinoctiali in polum antarcticum, et hæc inhabitabilis. Et hujus causam dicit Ptolomæus, esse brevitatem diametri solis conversam in medietatem austrinam, et ideò incensam[c]; augem autem solis conversam in medietatem borealem, et ideò habitabilem; est enim aux solis in signo Geminorum. Et sicut dicit Hieronymus, sola illa quarta, quæ est ab æquinoctiali in polum arcticum, est habitabilis; et hæc dividitur à compositoribus tabularum in septem climata; in solis enim illis est tolerabilis habitatio. Et in his septem climatibus Judæa est in quarto, quia Jerusalem habet in latitudine 33 gradus, et sic media est nostræ habitabilis : *Operatus est salutem in medio terræ*[7]. Hæc igitur dicta sunt ad intellectum verborum Hieronymi. Ille enim qui mediator est Dei et hominum, qui medius stetit hominum, qui medio jacuit duorum animalium, qui medius stetit latronum in cruce, medius apparuit discipulorum, et semper medium amavit, nec ad superfluum, nec ad diminutum declinans, medium etiam nostri elegit mundi, ubi nasceretur. Accipitur autem et hîc convenientia à præsidis nomine; Cyrus enim est *hæres*, et Cyrinus est denominatum ab illo : *Christo meo*

[1] *Gen.* XLVII, 24. — [2] *Matth.* XXII, 17. — [3] *Deut.* XXVIII, 13. — [4] *Thren.* I, 1. — [5] *Gen.* XLIX, 10. — [6] *Judic.* IX, 37. — [7] *Psalm.* LXXIII, 12.

[a] Homiliâ suprà, p. 324, n. 2. — [b] Auctore Boetio. — [c] *Aliàs*, intensam.

Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes, et dorsa regum vertam[1]. Tempore enim illius conveniens fuit illum nasci, de quo dicitur: *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas*[2]. *Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chisti*[3]. Undè et hæres hic facit descriptionem. Sequitur:

7. *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.* Hoc est secundum, quod accipit circumstantias à descriptorum obedientiâ. Dicit autem duo: facilitatem scilicet obediendi, et professionem descriptionis. Facilitas obedientiæ notatur in hoc quòd statim facto et promulgato edicto per censorem Cyrinum, *omnes ibant* sine contradictione quâlibet ad profitendum. Cujus causam dicit Glossa[a], « quia propinquum fuit eis verbum in corde et « amicum; » et ideò statim professi sunt. Propinquum enim fuit rationi, quòd qui diù vastati fuerunt bellis, et pace communi gaudere volebant, communi contributioni darent, undè milites defensantes pacem stipendiarentur; et ideò quod in corde eis ratio dictabat, statim ore sunt professi. Et hoc consonum est regno Christi, quod tunc inchoabat; verbum enim fidei propinquum est rationi; et ideò confiteri ore est facile: *Propè est verbum in ore tuo et in corde tuo*[4]. Apostolus dicit esse verbum fidei quod prædicamus; et ideò *corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio in salutem*[5]. Modum autem professionis subjungit, dicens: *Singuli in suam civitatem*, hoc est, undè nati sive oriundi fuerunt, ut sciretur quis quantùm de censicapite solvere posset. Accipitur autem et ab hoc convenientia temporis, quia Christi Nativitate redimus ab exsilio in nostram civitatem *Jerusalem, quæ sursùm est, quæ est mater nostra*[6]: *exhibentes in eâ imaginem nostræ professionis*[7]; *tollam quippè vos de Gentibus, et congregabo vos de universis terris, et reducam vos in terram vestram*[8]. Hoc petit David, dicens: *Salvos fac nos, Domine, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tuâ*[9]. Hoc est ergò quod sumitur de circumstantiis temporis, et personarum, et negotii. Sequitur:

10. *Ascendit autem et Joseph à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo et familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante.* Tangit hìc singulariter negotii et loci circumstantias Nativitatis Christi. Et tangit qualiter Joseph et beata Virgo ad locum Nativitatis veniunt, et quâ de causâ. Circa primum, dicit quis, undè, quò et qualiter venit. Qualiter quidem, quia *ascendit et Joseph.* Est enim Galilæa versùs planum ad mare; Judæa autem in montibus: undè: *Exsurgens Maria cum festinatione abiit in montana in civitatem Judæ*[10]. Sic ergò per situm terræ, ascendit etiam Joseph, innuens cuilibet filio et filiæ accrescenti, quòd interpretetur *Joseph*[11], quòd *ascensiones in corde suo disponere* debet *in valle lacrymarum*[12] sub Augusti imperio; Augustus enim et Joseph idem secundùm diversas linguas significant; Joseph enim *auctus* interpretatur latinè, quod idem Augustus sonat. Est autem ascendendum primò ad culmen virtutum: secundò autem, ad fastigium divinarum contemplationum: tertiò, ad gradum prædicationum: quartò, ad cathedram honorum, si vocatus fuerit aliquis. Primus ascensus significatur: *Rex David ascendit per clivum olivarum, flens, discooperto capite, nudis pedibus incedens*[13]. « Ad culmen enim virtu« tum, ut dicit Gregorius, non ascenditur, nisi præ« sumendo de Dei misericordiâ, et per fletum, et hu« militatem, et carnis mortificationem. » Secundus ascensus significatur per ascensum Petri in superiora domûs, ubi vidit visionem magnam de linteo et omnibus generibus reptilium in linteo, quæ Deus purificavit, et ideò communia à Petro non esse dicenda[14]. De tertio dicitur: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion*[15]. De quarto autem, per ascensum Jonathæ, qui *donum columbæ* interpretatur, et armigeri sui qui ascendit reptans manibus et pedibus[16], hoc est, nisi operibus et affectibus ad expugnandum castra diaboli in peccatoribus. Et sic tandem potest ascendere ad cathedram dignitatum: *Exaltent eum in ecclesiâ plebis, et in cathedrâ seniorum laudent eum*[17]. *Dixi: Conscendam in palmam: apprehendam fructum ejus*[18]; palma enim regale decus significat. Sic ergò ascendit et Joseph. Et tangit à quo ascendit in communi et in proprio. In communi quidem, quia *à Galilæâ*, ubi annuntiatus et conceptus est Salvator, ubi ad similitudinem eamdem, per divinum oraculum annuntiatur, et per sanctum propositum concipitur Dominus quotidiè, dicit Glossa: *A facie tuâ, Domine, concepimus, et quâsi parturivimus, et peperimus spiritum*[19]. Interpretatur Galilæa *rota*, et hoc modo mundi volubilitatem signat: *Deus meus, pone illos ut rotam*[20], in quâ unus semicirculorum semper premit alium, donec *rota* consumitur; et ideò ascendendum est de eâ, et dere-

[1] *Isai.* XLV, 1. — [2] *Matth.* XXI, 38 — [3] *Rom.* VIII, 17. — [4] *Deut.* XXX, 14. — [5] *Rom.* X, 10. — [6] *Galat.* IV, 26. — [7] *Ezech.* XXXVI, 24. — [8] *Jerem.* XXIX, 14. — [9] *Psalm.* CV, 47. — [10] *Luc.* I, 39. — [11] *Gen.* XLIX, 22. — [12] *Psalm.* LXXXIII, 6. — [13] II *Reg.* XV, 30. — [14] *Act.* X, 9 *et seqq.* — [15] *Isai.* XL, 9. — [16] I *Reg.* XIV, 4 *et seqq.* — [17] *Psalm.* CVI, 32. — [18] *Cant.* VII, 8. — [19] *Isai.* XXVI, 18. — [20] *Psalm.* LXXXII, 14.

[a] Ambrosii, ut videre est in Homiliâ suprà, p. 320, col. 1, non longè ab initio.

linquenda. Et tangit locum proprium undè ascendit : *De civitate Nazareth*, quæ *flos* interpretatur, quia florens ascendere debet, qui ascendit ad dignitatem. Et hoc significatum est Libro Numerorum, ubi Aaron ascendens culmen pontificatûs, per virgam florentem ascendit, et hæc eadem præcepta est *referri in tabernaculum*, *ut sit ibi in signum* eorum qui ascendere cupiunt [1]. Sequitur :

8. *In Judæam.* Et tangit locum, ad quem ascendit, in communi nomine et proprio. Communi quidem, quandò dicit *in Judæam*, sortem scilicet Judæ, qui interpretatur *confitens* vel *glorificans*, quia Prælatus ascendit in confessionem triplicem : peccatorum in pœnitentiâ, veritatis in prædicatione, laudis in gratiarum actione. De primo : *Dixi : Confitebor adversum me iniquitatem meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei* [2]. *Fili mi, da gloriam Deo, et confitere peccata tua, et indica mihi quid feceris* [3]. De confessione veritatis dicitur : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et narrabimus mirabilia tua* [4]. *Ore confessio fit ad salutem* [5]. De tertio : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* [6]. *Juda, te laudabunt fratres tui : manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum* [7]. Judæa autem hìc ponitur pro sorte Judæ, quia in sorte Judæ fuit Bethleem; et ideò dicitur : *Tu, Bethleem, terra Juda* [8]. Est enim alia quædam Bethleem in Galgalis vel Galilæâ, sicut dicit Hieronymus in Glossâ super illud Michææ : *Tu, Bethleem Ephrata* [9]. Litteralis autem quæstio est hìc. Cùm Jerusalem ab expugnatione dicatur *civitas David*, sicut dicitur in Libro Regum [10], quarè non ascendit in eam Joseph? Et dicendum quòd in veritate Jerusalem erat in sorte Benjamin; sed quia non potuit expellere Jebusæum, qui habitavit in eâ, cessit in possessionem David ab eventu expugnationis, sicut narrat Liber Regum; et ideò non directè erat de sorte Judæ. Et quia Joseph directè erat de sorte Judæ, ideò ascendit in Judæam illam, quæ de sorte Judæ fuit; in hàc enim sorte Christus nasci voluit, quia de sorte Judæ fuit : *Ecce vicit leo de tribu Juda* [11]. *Catulus leonis Juda* [12]. *Manifestum est quòd de Judâ ortus sit Dominus noster* [13]. Hæc est ergò causa litteralis, quarè Deus voluit quòd in Judæam istam ascenderet.

9. *In civitatem David*, quæ sorte hæreditariâ fuit civitas David. Videtur autem contrarium prophetiæ, quod hìc dicitur; dicit enim Michæas : *Tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda* [14]. Quod exponens ibidem Glossa dicit : « Parvulus vicus es in Judâ, in quo, hoc est, in cujus sorte « sunt tot millia civitatum, villarum, et vicorum. » Ergò non fuit civitas. Sed ad hoc dicendum quòd, licèt raró frequentaretur habitatore, tamen à David rege, et ab antiquo dignitatem et municipia habuit civitatis, propter futuram in eâ Domini nostri Nativitatem; et ideò hìc præcipuè vocatur civitas, civitas, inquam, civium dignitate, in quâ Angeli concinunt ad ortum novi Regis, quæ Regis et Matris Reginæ præsentiâ glorificatur, quæ à regibus visitatur, cui reges munera devotionis offerunt, quæ vaticinio Prophetarum super alias extollitur. De primo horum habetur infrà : *Facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitûs laudantium et dicentium : Gloria in excelsis Deo.* De secundo : *Locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo* [15], hoc est, locum in quo sanctificationem meam in matre castitate consecratâ, et locum ubi primò pedes pono humanitatis, glorificabo gloriosum, et in gloriam sempiternam elevabo. De tertio dicitur : *Ecce Magi veniunt ab Oriente, quærentes et dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum* [16]? *Suges lac Gentium, et mamillâ regum lactaberis* [17]. De quarto : *Intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum; et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera* [18]. *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes* [19]. De quinto : *Tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te egredietur qui regat populum meum Israël; et egressus ejus sicut à principio, à diebus æternitatis* [20]. His ergò rationibus civitas dicitur magna, dignitate sublimis; et dicitur civitas David, hoc est, possessionis David. Et quia quilibet ad allodialem et patrimonialem civitatem ascendit, ideò Joseph ascendit in istam, sicut patet ex superiùs dictis. David autem hìc fit mentio propter tria. Primum est, ut cognoscatur Christi humilitas. Secundum, ut cognoscatur Christi libertas. Tertium, ut cognoscatur quàm magnoperè curavit vitare scandalum infirmorum. Humilitas quidem, quia de tanto sanguine natus, sic descendere voluit, ut censicapitem solveret et sub tributo nasceretur. Libertas autem, quia de regiâ libertate natus, tamen profiteri censum voluit; et hoc totum fecit, ne scandalum induceret, et suis exemplum daret, ne propter terrenam libertatem vel dignitatem scandalum aliquod facerent. De primo quidem : *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde* [21], ex majestatis Domino factus tributarius. De secundo : *Reges Gentium à quibus accipiunt tributum?*

[1] *Num.* XVII, 8-10. — [2] *Psalm.* XXXI, 5. — [3] *Jos.* VII, 19. — [4] *Psalm.* LXXIV, 1 *et* 2. — [5] *Rom.* X, 10. — [6] *Psalm.* CXVII, 1. — [7] *Gen.* XLIX, 8. — [8] *Matth.* II, 6. — [9] *Mich.* V, 2. — [10] II *Reg.* V, 9 *et* III *Reg.* XI, 43. — [11] *Apoc.* V, 5. — [12] *Gen.* XLIX, 9. — [13] *Hebr.* VII, 14. — [14] *Mich.* V, 2. — [15] *Isai.* LX, 13. — [16] *Matth.* II, 2. — [17] *Isai.* LX, 16. — [18] *Matth.* II, 11. — [19] *Isai.* LX, 6. — [20] *Mich.* V, 2. — [21] *Matth.* XI, 29.

A filiis vel ab alienis? Respondit Petrus : Ab alienis. Et dixit Christus inferendo : *Ergò liberi sunt filii* [1]. De tertio : *Ne autem scandalizemus eos, mitte hamum in mare; et primum piscem qui ascenderit, tolle; et in ore ejus invenies staterem; et solve pro me et te* [2]. Ex David ergò habens generis non solùm nobilitatem, sed majestatem, et prætendit servilem humilitatem. Ex patribus habens libertatem et dominationem, prætendit et servitutem, factus sub tributo. Ex regno habens jus exigendi tributa ab aliis, dissimulavit propter ædificationis charitatem. Sequitur :

10. *Quæ vocatur Bethleem*, hoc est, in sorte Judæ, priùs vocata Ephrata ab uxore Caleph ibi sepultâ. Et tunc accidit ibi sterilitas famis, propter quam ab eâ peregrinatus est Elimelech cum uxore Noemi et duobus filiis, sicut legitur in Libro Ruth [3]. Posteà autem tanta ubertas illis terminis est reddita, quòd ab ubertate nomen accipiens, Bethleem, hoc est, *domus panis* est appellata. Et hoc est quod dicitur. Hæc igitur Bethleem est domus regiæ propagationis, domus est Gentium vocationis, domus est Dominicæ Nativitatis, domus est refectionis, domus est ubertatis, domus est panis cœlestis. Primum horum patet : *Mulieres congratulantes dicebant : Natus est filius Noemi; et vocaverunt nomen ejus Obed : hic est pater Isai, patris David* [4]. Secundum horum patet ex hoc quòd Ruth, ex quâ genuit Booz, fuit gentilis, per quam descendit Christus : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petrâ deserti* [5]. Glossa ibidem : « Hoc est, de Ruth Moabitide gentili, quæ « frigida est charitate, et sicca pietate, sicut petra « et deserta à lege, et Angelis, et Deo. » Tertium horum patet è Libro Michææ, ubi dicitur : *Ex te enim egredietur dux, qui regat populum meum Israel; et egressus ejus sicut à principio, à diebus æternitatis* [6]*;* quia sicut ab uno Patre egressus est per generationem æternam, sic ab unâ matre per generationem temporalem; et sicut ab incorrupto Patre, sic ab incorruptâ matre : sicut plenus splendoribus sanctorum à Patre, sic plenus gratiâ et veritate à matre. Et ideò generatio hæc divina est affectivè, licèt humana sit subjectivè, et conditione naturæ : *Si ego, qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus* [7]*?* Quartum autem probatur in Psalmo, ubi dicitur : *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* [8]*;* non enim dicat de cætero : *Bethleem ingressa sum vacua* [9]*;* plena enim est refectione ejus qui dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [10]. Quintum probatur per hoc quòd dicitur *Ephrata*, quæ *frugifer* interpretatur; jàm enim verificatum est de eâ illud : *Frumento, et vino, et oleo stabilivi eum* [11]*;* et illud : *Adipe frumenti satiat te* [12]. Habet enim undè alat gratiam plenam, habet undè vinum jucunditatis propinet Dei sapientiam, habet undè ungat, et delectet, et exhilaret oleum misericordiæ et pietatis, habens eum cujus *nomen* est *oleum effusum* [13], quod sanat, exhilarat, et delectat. Hæc est domus panis cœlestis, continens eum qui dicit : *Ego sum panis vivus* [14]*, qui de cœlo descendit, ut det vitam mundo* [15]. *Panis confirmet cor hominis* [16]. *Panem Angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantiâ* [17]. Hàc ergò de causâ ascendit in civitatem, quæ vocatur Bethleem. Et subjungit causam :

11. *Eo quòd esset de domo* natus *et familiâ* tribûs Judæ, *David*, sicut jàm dictum est. *Dixisti : Misericordia ædificabitur in cœlis : præparabitur veritas in eis* [18]. Hanc misericordiam fecit David promittendo, et veritatem et promissum complendo. Attende autem quòd de domo esse posset, si natus esset in regnum quod erat universale 12 tribuum, et tunc non esset de familiâ privatâ. Sed quia fuit de familiâ privatâ, natus fuit de tribu Judâ, cui primùm concessus primatus, sicut patet in principio Judicum. Ad quid autem ascendit, subjungit : *Ut profiteretur*, censicapitem solvendo, *cum Mariâ* ex eâdem tribu existente, *desponsatâ sibi* honestate et lege nuptiarum, *uxore* tantò sanctiùs sibi conjunctâ, quantò pari voto continentium sacratum est illud conjugium, *prægnante*, quamvis sibi junctâ, non in concupiscentiâ, tamen à Spiritu sancto fecundatâ : *Joseph, fili David, noli timere accipere conjugem tuam Mariam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* [19]. Et ideò, ut dicit Ambrosius, hoc est exemplum sanctæ Ecclesiæ, sicut et Joseph exemplum Prælatorum Ecclesiæ, quæ, licèt stella sit illuminans, tamen sui nominis amaritudinem non deserit, semper lugens ut consoletur [20] : licèt sit honestate plena, et legibus justissima, conjunctione viro conjuncta, obviat tamen viro, *quasi mater honorificata* [21]*:* pudorem virgineum custodiens illibatum, quamvis sit prægnans, tamen à Spiritu sancto quo plena est Deo, plena, gravida, et spiritum salutis semper est enixa, qui format Dei Filii vultum in eâ : *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* [22]. *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis* [23]. Et in signum hujus, summi Regis imaginis exemplum exhibet, ut dicit Augustinus, solidum redemptionis suæ, qui vultum præfert imperatoris. Sic igitur de-

[1] *Matth.* XVII, 24 et 25 — [2] *Ibid.* 26. — [3] *Ruth.* I, 1. — [4] *Id.* IV, 17. — [5] *Isai.* XVI, 1. — [6] *Mich.* V, 2. — [7] *Isai.* LXVI, 9. — [8] *Psalm.* XXXV, 9. — [9] *Ruth.* I, 21. — [10] *Matth.* XI, 28. — [11] *Gen.* XXVII, 37. — [12] *Psalm.* CXLVII, 3. — [13] *Cant.* I, 2. — [14] *Joan.* VI, 51. — [15] *Ibid.* 33. — [16] *Psalm.* CIII, 15. — [17] *Id.* LXXVII, 25. — [18] *Id.* LXXXVIII, 3. — [19] *Matth.* I, 20. — [20] *Id.* V, 5. — [21] *Eccli.* XV, 2. — [22] *Luc.* I, 35. — [23] *Galat.* V, 19.

terminatum sit de circumstantibus Nativitatem, ex parte temporis, et loci, et personarum convenientibus.

12. *Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Hìc tangit Nativitatis Christi perfectionem. Dicit autem duo : Nativitatem, et Nativitatis manifestationem, tàm per Angelos quàm per pastores. De Nativitate dicit tria : temporis impletionem, Nativitatem, et nati curam, quam sibi Virgo mater adhibuit. De tempore dicit : *Factum est.* Factum enim jàm totum est, quod præexigitur secundùm ordinationem divinam : *Requirite diligenter in libro : unum ex omnibus non defuit* [1]. *Cùm essent ibi*, ubi locus Nativitatis à Prophetâ prædictus est, *impleti sunt dies Mariæ ut pareret.* Impleti sunt quidem impletione numeri, impletione ordinis præfiniti, impletione sanctitatis, impletione omnis ejus quam figuræ Veteris Testamenti præfiguraverunt significationis. De impletione quidem numeri dierum tempore : *Numerus mensium ejus apud te est : Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt* [2]. De impletione ordinis præfiniti : *Ex diebus antiquis creavi illud, et nunc adduxi* [3]. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* [4]. De impletione sanctitatis dicendum est quòd plena sanctitas non erat, nisi superveniente Spiritu sancto, et Altissimi virtute obumbrante, ubi quod natum est, vocatur Sanctum, plenâ sanctitate, ità quòd nihil remansit vacuum; in omnibus autem aliis sanctificationibus aliquid vacuum remansit : undè dictum est uxori Prophetæ : *Cùm plena sint vasa, tolles* [5]. *In plenitudine sanctorum detentio mea* [6]. De impletione figurarum legis, dicitur : *Non veni legem solvere, sed adimplere* [7]. De his quatuor plenitudinibus dicitur : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum* [8]. Dicit autem : *Ut pareret* eum quem sine dolore parturitionis enixa est, et signatis claustris pudoris protulit ad lucem, De primo : *Antequàm parturiret, peperit* [9]. De secundo dicitur : *Porta hæc clausa est, et non aperietur, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam* [10]; et significatur in Evangelio : *Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio* [11]. Sic enim exivit de utero; sic etiam exivit de sepulchro. Sic intravit et exivit domum et de domo. Multò enim plùs habuit curæ de signis pudoris virginis, quàm habuerit de sepulchro vel de domo, undè de omnibus his exivit non ruptis signaculis.

13. *Et peperit :* ecce partus. *Et peperit filium suum primogenitum.* Tanguntur tria : partus, prolis appropriatio, et dignitas. Partus : in hoc quòd dicit : *Peperit*, quæ tunc puerpera fuit soluta maledictione, quia peperit sine dolore, et conservato pudore. Exclamat sapientia super hoc, dicens : *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis enim est memoria illius, quia et apud Deum nota est et apud homines* [12]. Proles autem est Filius, perfectus partus, de quâ dicitur : *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum majestatis ejus* [13]. *Primogenitum :* ecce dignitas. Insurgunt autem hìc hæretici, Helvidius et quidam alii, dicentes non dici primogenitum, nisi respectu secundogeniti, mentientes in caput suum, quia, si secundogenitum ex matre haberet, ipse unigenitus non diceretur : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre* [14]. Et ideò dicitur primogenitus dignitate, qui jus primogenituræ in multis, fratribus per adoptionem vocatis, obtineret : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* [15]. Honor autem ille fuit, quòd erat Dominus fratrum, duplicia possidens in bonis Patris : *Cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : adorent eum omnes Angeli ejus* [16]. Primus enim est in bonis, qui et per naturam, ut Filius Dei, et per gratiam, dona habet potissima : princeps fratrum, quem adorant omnes fratres, in adoptionem filiorum translati : *Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ* [17].

14. Subjungit autem de curâ, dicens : *Et pannis*, etc. Duas autem curas Virgo mater filio tenello adhibuit, involutionis fasciarum et locationis. De involutione dicit : *Pannis eum involvit.* Est autem cum pondere accipiendum. Panni enim sunt, undè pannosi vocantur, veteres panni et conscissi, sicut adhuc ostenduntur fasciæ asperæ de tunicis veteribus conscissæ; talia enim prima nuditatis suæ tegumenta accipere voluit, ut nobis paupertatem, humilitatem, et asperitatem commendaret. De paupertate : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives; ut vos illius inopiâ divites essetis* [18]. De humilitate : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* [19]. *Non invenitur in terrâ suaviter viventium* [20]. « *Involvit* etiam « ut dicit Richardus de sancto Victore, mater Virgo « Verbum Patris pannis vilibus, significans Verbum « Dei magis simplicibus sonis indui in prædicatione, « quàm phaleris rhetoricis : *Non veni ad vos in su- « blimitate sermonis aut scientiæ, annuntians vobis « testimonium Christi* [21]. » Secunda cura est positio-

[1] *Isai.* XXXIV, 16. — [2] *Job*, XIV, 5. — [3] *Isai.* XXXVII, 26. — [4] *Galat.* IV, 4. — [5] IV *Reg.* IV, 4. — [6] *Eccli.* XXIV, 16. — [7] *Matth.* V, 17. — [8] *Luc.* VI, 38. — [9] *Isai.* LXVI, 7. — [10] *Ezech.* XLIV, 2. — [11] *Joan.* XX, 26. — [12] *Sap.* IV, 1. — [13] *Apoc.* XII, 5. — [14] *Joan.* I, 14. — [15] *Rom.* VIII. 29. — [16] *Hebr.* I, 6. — [17] *Gen.* XXVII, 29. — [18] II *Cor.* VIII, 9. — [19] *Matth.* XI, 8. — [20] *Job*, XXVIII, 13. — [21] I *Cor.* II, 1.

nis infantis tenelli. Et circa hanc dicit duo : locum quietis, et causam. Locum quietis dicit : *Reclinavit eum in præsepio.* Causam autem subinfert, quandò dicit : *Quia non erat ei locus in diversorio.* Et ad hoc intelligendum, accipiatur verbum Chrysostomi[a], qui dicit quòd, «propter multos qui ad profitendum « in Bethleem convenerant, Joseph hospitium in vico « Bethleem habere non potuit ; » sed in viâ tectum quoddam erat super duos muros expansum, ad quod, propter intemperiem fervoris vel tempestatis, aliquandò pauperes cum suis animalibus divertebant, propter quod etiam *diversorium* vocabatur : habens duas aperturas antè et pòst, quia non habuit nisi duos muros, et habebat utrumque ad murum conjunctum stabulum, et præsepia conjuncta muro : in quod divertit Joseph, eo quòd in civitate non fuit hospitio receptus, secundùm illud Joannis : *In propria venit, et sui eum non receperunt* [1]. Et quia platea transivit per medium, ideò Sancti dicunt quòd natus est in viâ domûs. In eodem autem diversorio cæteris pauperibus honestiora loca occupantibus, ipse cum beatâ Matre et Joseph detrusi sunt ad stabulum; et cùm in stabulo constricti essent ab animalibus peregrinorum, non poterat habere locum reclinationis, nisi præsepium; et hoc est quod dicit : *Reclinavit*, emollimentum tenello procurans filio, *in præsepio.* Hujus signum est, quòd in picturis bos et asinus pinguntur super præsepium. Hoc tamen non habet auctoritatem, nisi antiquitatem picturæ, quæ vocatur scriptura laicorum, dicentium beatam Virginem vectam in asino; bovem autem adductum ad vendendum pro censicapite et expensis : *Dominus narravit in scripturis populorum* [2]. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [3]. In hoc autem quòd reclinatus est in præsepio, tria notantur, quòd videlicet *homines et jumenta salvabit Dominus, quemadmodùm multiplicavit misericordiam suam* [4], factus jàm cibus jumentorum per carnem : *Omnis caro fenum* [5]. Secundum est majestas Dei, mirabiliter inclinata propter nos in gremio Virginis, in quo non jàm tantùm captus et ligatus est rhinoceros, sed etiam alligatus præsepio : *Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum* [6]*?* quasi dicat : Non facit hoc, sed ego, docens vos submittere ad mansuetudinem cornua : *Nolite extollere in altum cornu vestrum* [7]. Tertiumque docet nos declinare stratûs mollitiem, ex quo ipse membris tenellis declinatus est in paleæ præsepium : *Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris* [8]*!* Sequitur :

15. *Quia non erat ei locus in diversorio. Fratres Joseph diverterant ad diversorium, ut pabula darent asinis* [9]. Quadruplici autem ex causâ natus est in viâ : ut scilicet se peregrinum in hoc mundo ostenderet, ut se viam demonstraret, ut mundum contemnere doceret, ut semper patriam inquirere exemplo suo probaret. De primo horum : *Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut patres mei* [10]. *Quarè sicut peregrinus futurus es in terrâ, et quasi viator declinans ad manendum* [11]*?* De secundo dicit Glossa super Joannem : *Ego sum via, veritas, et vita* [12] : «Via quâ itur, ve« ritas quâ pes dirigitur, vita ad quam pervenitur : « via per præceptum, consilium et exemplum, ve« ritas per doctrinæ verbum, vita per præmium : » *In me omnis gratia vitæ et veritatis : in me omnis spes viæ et virtutis* [13]*;* virtus enim confortat ad viam per meritum, et veritas illuminat ad vitam per doctrinam et Spiritûs sancti inspirationem. De tertio : *O, ô fugite de terrâ Aquilonis* [14]. *Exite de illâ, populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus* [15]. De quarto : *Confitentes quoniam peregrini et hospites sunt super terram; et qui hæc dicunt, significant se patriam inquirere; et quidem si illius meminissent de quâ exierunt, habebant utiquè tempus revertendi ; nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem : propterea non confunditur Deus vocari eorum Deus* [16]. Et attende quantam nobis Filius Dei rectitudinem vitæ ostendit, cujus medium in nullo exit ab extremis; *nudus* enim *egressus est ex utero matris suæ* in principio, *nudus*, et spoliatus omnibus suis, *reversus illuc in matrem terram* [17]. In medio si vitam extenderit : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* [18]. Jàm infans factis loquitur quod posteà dixit per suum Apostolum : *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec portare quid possumus : habentes igitur alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* [19]; et illud : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* [20]. Hæc igitur dicta sunt de Salvatoris humillimâ Nativitate. Sequitur :

16. *Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Hìc incipit agere de Nativitatis manifestatione, et dicit quinque : quorum primum est eorum quibus manifestatur idoneitas : secundum autem, manifestantium indubitata veritas : tertium est manifestationis expressæ sublimitas : quartum, signi ad manifestandum dati congruitas : quintum

[1] *Joan.* I, 11.— [2] *Psalm.* LXXXVI, 6.— [3] *Isai.* I, 3.— [4] *Psalm.* XXXV, 7 et 8.— [5] *Isai.* XL, 6.— [6] *Job*, XXXIX, 9.— [7] *Psalm.* LXXIV, 6. — [8] *Amos*, VI, 4. — [9] *Gen.* XLII, 27. — [10] *Psalm.* XXXVIII, 13. — [11] *Jerem.* XIV, 8. — [12] *Joan.* XIV, 6. — [13] *Eccli.* XXIV, 25. — [14] *Zach.* II, 6. — [15] *Apoc.* XVIII, 4. — [16] *Hebr.* XI, 13-16. — [17] *Job*, I, 21. — [18] *Matth.* VIII, 20. — [19] I *Tim.* VI, 7 et 8. — [20] *Matth.* V, 3. — [a] Homiliâ 1 suprà, p. 304, ad finem col. 1.

et ultimum, rei per experimentum probatæ inventa probabilitas. Circa primum, hoc est, eorum quibus fit manifestatio Nativitatis Christi idoneitatem, attendenda sunt quinque. *Erant enim pastores* officio *in regione eâdem*, et ideò congrui testimonio, *vigilantes* sollicitudine, *custodientes vigilias noctis*, vicariâ vicissitudine, *super gregem suum* proprium impensiori discretione. In primo horum, sicut innuit Glossa, notatur simplicitas, quæ facit ad testificationis argumentum. In secundo notatur testificantium qualitas, quia noti erant *in regione eâdem*, et non de longinquo, de quibus aliquid fingi posset. In tertio notatur phantasiæ exclusio, ne dormientes phantasias passi videantur. In quarto autem attenditur vigiliarum possibilitas, quia unus non sufficeret, sed frequenter dormitaret, et ideò phantasias pati putaretur; sed quandò plures erant, vicariâ vigilantiâ vires ad vigilandum habebant. In quinto autem notatur ex impensiori curâ, quam quilibet magis impendit propriis quàm alienis, quòd fortiùs vigilabant. Dicit autem Hieronymus, quòd locus pascuæ horum pastorum fuit juxta turrim quamdam inter Bethleem et Jerusalem sitam, ubi Jacob reversus à Mesopotamiâ pavit pecora sua, ubi et Rachel mortua est et sepulta [1], de quâ dicitur : *Et tu, Turris gregis, nebulosa filia Sion usquè ad te veniet; et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc quarè mœrore consumeris? Numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit* [2]*?* Juxta hanc ergò Turrim, quia bona pascua habuit, et ibi de manifestatione summi Regis et Pastoris prophetatum fuit, et à Patriarchâ præhabitum exemplum, ordinavit Deus ut pastores gregem suum pascerent, quibus Angeli Salvatoris adventum annuntiarent. Hæc etiam facta sunt ad pastorum Ecclesiæ documentum; hi enim et pastores à pascendo oves, non seipsos, esse debent.

17. *In regione eâdem* cum ovibus permanentes, per instantiam custodiæ vigilantes, et per vicariam custodiam ovibus providentes, gregem suum sibi commissum canonicâ adoptione habentes. De primo habetur : *Quos si nôsti ex eis viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum* [3]. *Pastores ovium sumus servi tui, et nos et patres nostri* [4]. De secundo dicitur sub aliâ metaphorâ : *Dabo eis vinitores ex eodem loco* [5]*;* nemo enim in aliâ regione à grege existens benè custodit : *Quarè venisti, et quarè dereliquisti pauculas illas oves in deserto? Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui* [6]; pro nequitiâ enim et superbiâ exercendâ, auferunt lanam et lac, et derelicto grege vadunt ad terras alienas. De tertio notandum quòd sex rationibus est vigilandum : quarum prima est, quia ratio de profectu gregis à pastore requiritur : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum* [7]*?* quasi dicat : Nisi reddas ità inclytum sicut commissum est, à te damnum exigetur : *Ego omne damnum reddebam : quidquid furto peribat, à me exigebas* [8]. Secunda est, quia in periculo animæ grex suscipitur : *Custodi virum illum : qui si fortè evaserit de manibus tuis, erit anima tua pro animâ illius* [9]. *Adhuc transibunt greges ad manum numerantis* [10]. Tertia ratio est, quia lupus continuò ut devoret insidiatur : *Adversarius vester diabolus tamquàm leo rugiens circuit quærens quem devoret* [11]. Et præmittitur : *Sobrii estote, et vigilate.* Quarta ratio est, quia obedientia præcepti per hoc custoditur : *Videte, vigilate, et orate* [12]. Quinta ratio est, quia vigilanti merces promittitur : *Beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem* [13]. Sexta ratio est, quia omninò incerti sumus quandò custos circuiens Dominus veniat, et quis vigilans inveniatur : *Si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utiquè, et non sineret perfodi domum suam; ideòque et vos estote parati, quia, quâ horâ non putatis, filius hominis veniet* [14]. *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* [15]. Sic ergò est vigilandum.

18. De vicariâ autem custodiâ est notandum, quòd secundùm successiones horarum noctis vices agebant, vigilantes successivè per omnes horas noctis. Nox autem est quæcumque obscuritas, in quâ inimicus suum procurat negotium, dormiente custode. Sunt ergò noctis obscuritates quatuor : una quidem exterior, lucem fidei exstinguere volentium instantia : alia autem interior, peccatorum caligo tenebrosa : tertia, invisa dæmonum tentatio umbrosa : quarta verò, tetra Antichristi et præcurrentium Antichristum tribulatio et angustiosa. De primâ harum noctium dicitur : *Ignis quidem nulla vis, nec siderum limpidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam* [16]; ignis enim charitatis et sidera bonorum exemplorum in Sanctis, nihil in nocte illâ profecerunt. Quæ quatuor vigilias habuerunt, fidem exstinguere cupientes. Prima quidem tyrannorum, mortem pro fide inferentium. Secunda est hæreticorum, qui fidem obnubilabant post tyrannos. Tertia falsorum Christianorum, qui mores fidei formatæ auferre nitebantur. Quarta est mundi amatorum, extrà, non intùs bonorum, sicut hypocritarum, qui omnia subvertunt quæ Dei sunt,

[1] *Gen.* XXXV, 19. — [2] *Mich.* IV, 8 et 9. — [3] *Gen.* XLVII, 6. — [4] *Ibid.* 3. — [5] *Osc.* II, 15. — [6] I *Reg.* XVII, 28. — [7] *Jerem.* XIII, 20. — [8] *Gen.* XXXI, 39. — [9] III *Reg.* XX, 39. — [10] *Jerem.* XXXIII, 13. — [11] I *Petr.* V, 8. — [12] *Marc.* XIII, 33. — [13] *Luc.* XII, 43. — [14] *Ibid.* 39 et 40. — [15] *Matth.* XXV, 13. — [16] *Sap.* XVII, 5.

quia extrà ut proditores speculantur et insidiantur, et intùs ut lupi rapaces produnt et lacerant, sicut ultimâ noctis horâ tenebras cum luce miscentes : *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces* [1]. Isti sunt oculi diaboli, de quibus dicitur : *Oculi ejus ut palpebræ diluculi* [2], in quo lux cum tenebris est permixta. Secunda nox est peccatum, de quâ dicitur : *Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo* [3]. Habet etiam quatuor vigilias : delectationem videlicet morosam, deliberationem in opere expletam, consuetudinem malam in peccato tenentem, desperationem in profundum peccati demergentem. De primâ dicitur : *Lumbi mei impleti sunt illusionibus* [4]. De secundâ : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* [5], hoc est, deliberato consilio. De tertiâ dicitur : *Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam, poteritis et vos benè facere, cùm didiceritis malum* [6]. De quartâ : *Impius, cùm in profundum venerit, contemnit* [7]. Tertia nox est tentatio dæmonum, de quâ dicitur : *Nocte perforatur os meum doloribus; et qui me comedunt, non dormiunt : à multitudine eorum consumitur vestimentum meum* [8]. Habet autem quatuor vigilias : tentationem videlicet levem et apertam, levem et occultam, gravem et occultam, et gravem et apertam. De quibus dicitur in uno versu Psalmi : *Non timebis à timore nocturno :* ecce levis et occulta : *à sagittâ volante per diem :* ecce levis et aperta : *à negotio perambulante in tenebris :* ecce gravis et occulta : *ab incursu et dæmonio meridiano* [9] *:* ecce gravis et aperta. De quartâ nocte dicitur : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, et non illustretur lumine* [10]. Hæc subdola falsorum sub specie religionis latentium, Antichristi nuntiorum, detractio, et bonorum obtenebratio, habet quatuor vigilias : bona enim, quæ non habent simulant, ut decipiant : mala quæ in ipsis sunt dissimulant : bona aliorum obscurant, et mala divulgant. Et sunt significata ista : *Residuum erucæ comedit locusta : residuum locustæ comedit bruchus : residuum bruchi comedit ærugo* [11]. Eruca viridè decerpens, est simulatio boni; quærit enim sedere in viridi : locusta simulans volatum et non habens, est dissimulatio mali : bruchus corrodens, est detractio boni alieni; et ærugo totum destruens, est divulgatio mali alieni. De his autem quatuor vigiliis noctis dicitur : *Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus veniet, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè* [12]. Prima dicitur intempestum : secunda, conticinium : tertia, gallicinium : quarta, antelucanum. Hâc etiam nocte significatur obscuritas obnubilationis præsentis, quâ in præsenti vitâ obvolvimur : in cujus primâ horâ gregem Domini custodierunt Patriarchæ usquè ad Moysen per legem naturalem : in secundâ custodierunt judices et duces per legem Moysis scriptam, usquè ad David : in tertiâ reges usquè ad transmigrationem Babylonis : in quartâ Sacerdotes et Apostoli per lucem Evangelii; et tunc fuerunt tenebræ mixtæ cum lumine : ante Christum quidem tenebræ, à Christo autem lux exorta est : *Exortum est in tenebris lumen rectis corde : misericors, et miserator, et justus* [13]. Propter hujus autem noctis longitudinem aliquandò pastor dormit; et ideò adjutores habere non renuit, ut vicariâ vigiliâ gregem meliùs custodiat : *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt* [14]. Et hoc attendentes isti vigilaverunt, custodientes vigilias, quilibet ordine suo, supra gregem suum : *Die ac nocte æstu urebar ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* [15]. De hoc autem quòd gregem commissum sibi habebant, significatur quòd pastor Ecclesiæ gregem suum habet, quem canonicè est adeptus : *Qui intrat per ostium, pastor est ovium* [16]. Hic circa proprias oves sollicitatur, et non circa alienas : *Mercenarius enim est, ejus non sunt oves propriæ, qui, cùm videt lupum venientem, dimittit oves, et fugit* [17]. Et hic, quia cum ovibus non invenitur, ideò ab Angelis non visitatur. Sic ergò isti congruunt optimè Nativitatis testimonio, et simplicitate innocenti officii utilis, et notitiâ proximæ civitatis, et curâ vigilantiæ pastoralis et vicariæ succedentis observationis, et intentione proprii gregis.

19. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus : Nolite timere.* Hìc tangitur manifestantium istam Nativitatem indubitata veritas; et tanguntur hìc tria : quorum primum est descriptio revelantium, secundum, claritatis et luminis radii lucem veritatis ostendentium, tertium est confortatio et consolatio Angelorum, tenebras timoris à pastoribus fugantium. De primo horum dicuntur quinque : Angeli evidentia, Angeli persona, Angeli gloria, Angeli positio recta, et Angeli præsidia propinqua. Primum notatur per demonstrationem, secundum per Angeli nominationem, tertium per Domini majestatem, quartum per stantis positionem, quintum per hoc quod juxta illos stare dicitur. Per primum ostenditur quòd accepit visibilem formam : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* [18], cùm

[1] *Matth.* VII, 15. — [2] *Job*, XLI, 9. — [3] *Psalm.* VI, 7. — [4] *Id.* XXXVII, 8. — [5] *Id.* LXXII, 7. — [6] *Jerem.* XIII, 23. — [7] *Prov.* XVIII, 3. — [8] *Job*, XXX, 17 et 18. — [9] *Psalm.* XC, 6. — [10] *Job*, III, 4. — [11] *Joel*, I, 4. — [12] *Marc.* XIII, 35. — [13] *Psalm.* CXI, 4. — [14] *Matth.* XXV, 5. — [15] *Gen.* XXXI, 40. — [16] *Joan.* X, 2. — [17] *Ibid.* 12. — [18] *Gen.* XXXII, 30.

tamen non viderat nisi Angelum in specie Domini. *Angelus*, semper paratus ad ministerium Domini sui : *Accesserunt Angeli, et ministrabant ei*[1]. *Domini*, cujus ipse est minister : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus*, etc.[2]? *Stetit*, rectus, qui numquàm est curvatus : *Ego sum sum Raphael, Angelus unus de septem qui in conspectu Dei adstamus*[3]. *Angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo*[4]; stat enim, qui per iniquitatem numquàm curvatur. *Juxta illos :* propinquitas Angelorum paratum signat adjutorium eorum : *Ecce duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis*[5]. Dùm enim hominem fecit, Angeli juxtà homines stantes leguntur tamquàm juxta concives eorum. Beda[a] : « Natum Dominum hìc cœli cives « testantur, ut et mortales sufficienter imbuant, et « suum Auctori servitium impendant. » *Et claritas*. Ecce tangit lucem, quæ lucem perspicuæ veritatis prætendit. Est autem claritas propriè luminis et radiorum multa divaricatio. *Dei* autem dicitur claritas, eo quòd in nocte nullam causam habere potuit naturalem, sed divinam; hoc enim competit ei *qui est splendor gloriæ Dei et figura substantiæ ipsius*[6], et de quo dicitur quòd est *candor lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis*[7]. Hæc ergò claritas Dei *circumfulsit eos*, undiquè ambiens eos, sicut quoddam lucis tentorium. Et hoc in totâ Veteris Testamenti serie, ubi tàm crebrò apparuisse leguntur Angeli, nusquàm legitur quòd cum tantâ luce apparuerunt. Hìc autem, et in Actibus[8] leguntur cum luce venisse, et in resurrectione[9], quia illum nuntiabant, qui est *lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*[10]. Undè etiam dicitur : *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*[11]: propter quod et ipsi Angeli lucem Dei circumferebant, significantes hoc quod dicit Apostolus : *Nox præcessit; dies autem appropinquavit*[12]. *Et timuerunt timore magno*. Majestas enim Angeli incussit timorem; claritas autem inconsueta adauxit terrorem : circumfusa undiquè lux, et quasi concludens eos, superaddidit timoris magnitudinem : *Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valdè*[13]. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui*[14]. Hìc tamen timor non erat alicujus mali ; sed potiùs humana infirmitas, in quam incidimus ex peccato, etiam suæ beatitudinis quam exspectat, ut dicit Gregorius, non sustinet claritatem. *Et dixit illis Angelus*, assumptâ specie corporis, *dixit*, hoc est, conceptus suos illis Angelus communicavit. *Nolite timere :* ecce confortatio quæ bono competit Angelo, maximè ex quo pax facta est inter hominem et Deum, et inter hominem et Angelum : *Cùm dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, et ait ad me : Noli timere*[15]. Attendendum autem est hìc quòd dicit Gregorius[b] : « Sic vigilantibus pasto« ribus apparet Angelus, et eos claritas circumful« get, quia illi præ cæteris videre merentur subli« mia, qui fidelibus sollicitè præsunt, super quos « divina gratia largiùs coruscat : » *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*[16]. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates*[17]. Idem Gregorius : « Tunc claritas ali« quem circumfulget, cùm retrò per justitiam punit « mala præterita, antè per prudentiam cavet futura, « à dextris per temperantiam non dissolvitur per « prospera, à sinistris per fortitudinem non fran« gitur per adversa. » Sequitur :

20. *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David*. Hìc tangitur sublimitas annuntiationis, sive manifestationis. Et tangit duo : qualitatem videlicet rei annuntiatæ, et ipsam rem annuntiatam. Et præmittit qualitatem, quia illa excitat ad devotè et libenter audiendum. Qualitas autem est in quinque, videlicet : in rei evidentiâ indubitatâ, in rei cum corde humano concordiâ consolatoriâ, in rei utilitate acquisitâ, in rei bonitate maximâ, in bonitatis universalitate latissimâ. Primum horum notatur in demonstrationis adverbio, cùm dicit : *Ecce;* jàm enim digito demonstrabilis est : *Videbit omnis caro quòd os Domini locutum est*[18]. Secundum notatur per hoc quod dicit : *Annuntio*, quasi dicat : Annuntio, hoc est, ad cor perditi hominis accedens in consolatione nuntio : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam*[19]. Undè ibidem : *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Dominus Deus vester*[20]. *Adducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus*[21]. Tertium notatur per dictionem *vobis*, dativum, qui acquisitivè construitur : *Puer est natus est nobis, et filius datus est nobis*[22]. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*[23]. *Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*[24]. Quartum notatur per hoc quod dicit : *Gaudium magnum*, quia gaudium non est nisi de bono apparente, quia dicit Augustinus : « Gaudium est « diffusio in conceptione boni; magnum autem gau-

[1] *Matth.* IV, 11. — [2] *Hebr.* I, 14. — [3] *Tob.* XII, 15. — [4] *Act.* XII, 7. — [5] *Id.* 10. — [6] *Hebr.* I, 3. — [7] *Sap.* VII, 26. — [8] *Act.* XII, 7. — [9] *Matth.* XXVIII, 3. — [10] *Joan.* I, 9. — [11] *Id.* VIII, 12. — [12] *Rom.* XIII, 12. — [13] *Matth.* XVII, 6. — [14] *Id.* XXVIII, 4 — [15] *Dan.* X, 11 *et* 12. — [16] I *Tim.* V, 17. — [17] *Dan.* XII, 3. — [18] *Isai.* XL, 5. — [19] *Ibid.* 2. — [20] *Ibid.* 1. — [21] *Ose.* II, 14. — [22] *Isai.* IX, 6. — [23] *Joan.* III, 16. — [24] *Rom.* VIII, 32.

[a] Homiliâ 1 suprà, p. 326, initio col. 2. — [b] Serm. in Nativitatem Domini, infrà.

« dium de magno bono, hoc est, optimo. » Quia, dicit Augustinus in Libro de quantitate animæ, quòd « in rebus, quæ non mole, sed virtute magnæ « sunt, idem est esse majus quòd melius esse; is- « tud autem bonum, omnis boni bonum est et op- « timum. » Dicit enim Dionysius in Libro de divinis nominibus, quòd « boni bona est adducere, et op- « timi optima est adducere ; nihil autem melius « adduci potuit. Istud ergò optimum fuit, est, et « erit : » *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum*[1]. *Bonus es tu, et in bonitate tuâ doce me justificationes tuas*[2]. *Gaudete in Domino semper, iterùm dico : Gaudete*[3]. *Gavisi sunt gaudio magno valdè*[4]. Causa autem hujus gaudii magni est, quia in regno fidelium hæres natus est : *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresâ*[5], hoc est, in amaritudine; talem autem hæredem, cujus *gloriam vidimus, quasi unigenitum à Patre, plenum gratiæ et veritatis*[6]. Secunda causa est tantæ lætitiæ, quia natus est propugnator, qui auferat opprobrium populi Dei de insultationibus inimicorum : *Mittet eis Salvatorem et propugnatorem qui liberet eos*[7]. *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum*[8]. *Opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ*[9]. *Nunc vadam et auferam opprobrium populi*[10]. Tertia ratio est, quia est Salvator et salus : *Exsulta satis, filia Sion : jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus venit tibi justus, et Salvator*[11]. Quarta ratio est, quia inimicorum exsultationem in luctum, et luctum nostrum in gaudium convertit : *Sicut gavisa est in tuâ ruinâ, et lætata in casu tuo; sic coangustabitur in suâ desolatione. Et amputabitur exsultatio multitudinis ejus, et gaudimonium ejus erit in luctum*[12]. *Cognoverunt quòd arca fœderis Domini venisset in castra, timueruntque, dicentes : Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes : Væ nobis; non enim fuit tanta exsultatio in castris Hebræorum heri et nudiustertius : væ nobis*[13]. His de causis audita est *vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum*[14]. Universalitatem autem gaudii notat per hoc quod dicit : *Quod erit omni populo.* Non enim tantùm multi in Nativitate ejus gaudebunt, sicut in nativitate Præcursoris[15]; sed omni populo erit gaudium sufficienter ex ipso causatum, quamvis efficienter quidam non gaudeant propter suum demeritum : *Vide collectos filios tuos ab oriente sole usquè ad occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoriâ*[16]. *Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quandò conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi*[17]. Sequitur de re annuntiatâ :

21. *Quia natus est vobis.* Tangit autem hic nati naturam, actum, qualitatem aëris, locum Nativitatis, et nati dignitatem. Naturam per hoc quod dicit : *Natus est vobis;* nobis enim natus non est, nisi qui in naturâ nostrâ natus est; et indè dictus est *Emmanuel*[18]. Actum tangit per hoc quod dicit : *Salvator;* iste enim secundùm suum nomen est proprius actus ipsius : *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim faciet salvum populum suum à peccatis eorum*[19]. Qualitatem aëris tangit per hoc quod dicit : *Hodiè*, quia tunc claritas Dei fulgens ex Sole orto super terram, de quo dicitur : *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ*[20], fecit diem, licèt ordine successionis diei et noctis esset noctis medium, ut dicitur : *Cùm quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus venit*[21]. Et ideò illâ nocte cantatur Missâ in nocte : *Nox sicut dies illuminabitur*[22]; et : *Nox illuminatio mea in deliciis meis*[23]. Locum autem tangit : *In civitate David.* Et sic ordinanda est littera : *Natus est vobis hodiè in civitate David Salvator qui est Christus Dominus.* Hæc autem civitas est Bethleem, de quâ successione patris et avorum et proavorum natus est David; et ideò vocatur Bethleemites : *Adeodatus filius Saltûs polymitarius Bethleemites percussit Goliam Gethæum*[24]: mater enim avorum suorum fuit in Bethleem in domo Booz. Dignitatem autem tangit in hoc quod dicit : *Qui est Christus Dominus, unctus*, unctionem Spiritûs à Patre accipiens, et in totam Ecclesiam refundens : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, et in oram vestimenti*[25]. *Dominus super me, eo quòd unxerit me Dominus : ad evangelizandum pauperibus misit me*[26]. Ungebantur autem reges et sacerdotes; Christus autem Rex est et Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech[27]. Quia erat Rex et Sacerdos : *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis : dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*, etc.[28]. Ipse enim est vas chrismate plenum, confectum ex balsamo pretioso, deitate, et oleo misericordiæ assumptæ humanitatis, cujus liquor unctionis est sanguis pre-

[1] *Thren.* III, 25. — [2] *Psalm.* CXVIII, 68. — [3] *Philipp.* III, 1. — [4] *Matth.* II, 10. — [5] *Mich.* I, 15. — [6] *Joan.* I, 14. — [7] *Isai.* XIX, 20. — [8] *Id.* LXIII, 1. — [9] *Id.* XXV, 8. — [10] I *Reg.* XVII, 36. — [11] *Zach.* IX, 9. — [12] *Baruch*, IV, 33 *et* 34. — [13] I *Reg.* IV, 6, *et* 8. — [14] *Psalm.* CXVII, 15. — [15] *Luc.* I, 14. — [16] *Baruch*, V, 5. — [17] *Isai.* LX, 4 *et* 5. — [18] *Id.* VII, 14. — [19] *Matth.* I, 21. — [20] *Malach.* IV, 2. — [21] *Sap.* XVIII, 14 *et* 15. — [22] *Psalm.* CXXXVIII, 12. — [23] *Ibid.* 11. — [24] II *Reg.* XXI, 19. — [25] *Psalm.* CXXXII, 2 *et* 3. — [26] *Luc.* IV, 18 *et Isai.* LXI, 1. — [27] *Psalm.* CIX, 4 *et Hebr.* V, 6 *et* VII, 17. — [28] *Hebr.* I, 9.

ti osus, omnia ungens, dolores omnes leniens, omnes infirmitates sanans : *Qui sanat omnes infirmitates tuas : qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis* [1]. Ex hâc autem unctione est universorum Dominus, quia *data est ei omnis potestas in cœlo et in terrâ* [2], ut sit *idem et unus Dominus omnium, dives in omnes* cum chrismate, *qui invocant illum* [3].

22. *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Hujus autem manifestationis aptissimum ponit signum, dicens : *Et hoc vobis signum.* Et dicit duo : signi scilicet explanationem, et militiæ concomitantis gratiarum actionem. Circa signi explanationem duo dicit : signi videlicet promissionem, et signi explanationem. Signi promissio est in hoc quod dicit : *Et hoc vobis signum*, hoc, inquam, signum cui quidem à mundo contradicitur, quod in filiis Adæ superbis non invenitur, quod in bono Dei animo ad vulnera nostra sananda convenientissimè in Dei Filio ostenditur, quod pauperibus pastoribus et similibus eorum solis datur, et ab aliis non cognoscitur. Hoc enim est signum, cui à mundo contradicitur, sicut dicit Simeon : *Positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur* [4]; qui enim nec humilis nec pauper vult esse cum Christo, contradicit huic signo. In filiis Adæ superbis non invenitur : *Signa nostra non vidimus : jàm non est Propheta*; *et ideò nos non cognoscet ampliùs* [5]. Hoc signum in bono Dei animo suis datur, ut in Filio Dei consignentur : *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui me oderunt, et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me* [6]. Hoc signum ab aliis nisi à pauperibus nec accipitur, nec cognoscitur : *Testimonium ejus nemo accipit* [7], hoc est, pauci pauperes, pastorum imitatores; *qui* autem *acceperit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est* [8]. Verax enim Deus est, qui nostræ superbiæ sanandæ opponit humilitatem, nostræ avaritiæ, quâ concupivimus Dei similitudinem et scientiam, opponit paupertatem et puerilem simplicitatem, nostræ gulæ resolutæ, quâ vetitum gustavimus, opposuit asperitatem. Ideò dicitur : *Turbabuntur à signis tuis* [9] superbi, avari, et in deliciis resoluti. E contrà autem de bonis dicitur : *Signa eos qui in me credunt, hæc sequentur* [10]. *Sicut portavimus imaginem terreni*, superbi, avari, et resoluti; *sic portemus imaginem cœlestis* [11] in signis humilitatis, paupertatis et asperitatis. E contrà mundus et diabolus *posuerunt signa sua, signa* [12] quasi victricia signa Dei, fastum, superbiam, pompam sæculi, lasciviam carnis, signa Christi dejicere cupientes. Sed Christus è contrà *dat signa in cœlo sursùm, et prodigia in inferno deorsùm* [13] : in cœlo quidem stellam ducentem Magos; in terrâ autem deorsùm, hoc est, quod hìc scriptum est : *Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Sicut enim *tres sunt qui testimonium* signis suis *dant in cœlo* [14] Christi Nativitatis, Angelus, stella, et claritas divina; Angelus qui prædicat majestatem, stella quæ præsignat sapientiæ illuminationem, claritas quæ ostendit gratiæ Dei splendorem ; itâ *tres* virtutes *sunt quæ dant signum in terrâ* [15], puritas, paupertas, et humilitas : puritas in infante, paupertas in pannositate, humilitas in stabuli vilitate. Puritas autem infantis est in duobus : in innocentiæ puritate, et vagientis ploratione : *Primam vocem emisi plorans* [16]. *Vox turturis audita est in terrâ nostrâ* [17].

23. Et per hæc signa consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Puritate enim consolatur innocentes : *Consolamini, consolamini, popule meus* [18]; vagitu autem consolatur lugentes : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* [19]. Increpat autem puritate impuros, peccatis inquinatos : *Facti sumus ut immundus omnes nos* [20]; vagitu autem increpat cachinnantes, quia *risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* [21]. Exhortatur autem ad innocentiæ puritatem puritate, et ad lugendum pro incolatu miseriæ suo vagitu. De primo quidem : *Innocentes et recti adhæserunt mihi* [22]. De secundo autem : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* [23]! Adhuc consulit puritate munditiam cordis, vagitu gemitum compunctionis. De primo : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [24]. De secundo autem : *Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo* [25]. Erudit etiam puerilem puritatem præeligere peccati oblectamentis, et vagitu infantis mala commissa per pœnitentiam delere : *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem* [26] : ecce primum. *Stans retrò secus pedes Domini Jesu, cœpit rigare pedes* [27]: ecce secundum. Paupertate etiam pannosâ consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Consolatur pauperes spiritu : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* [28]. Increpat divites : *Væ vobis divitibus, qui habetis hìc consolationem vestram* [29]! Exhortatur ad paupertatem : *Factum est ut moreretur mendicus, et por-*

[1] *Psalm.* CII, 3. — [2] *Matth.* XXVIII, 18. — [3] *Rom.* X, 12. — [4] *Luc.* II, 34. — [5] *Psalm.* LXXIII, 9. — [6] *Id.* LXXXV, 17. — [7] *Joan.* III, 11. — [8] *Ibid.* 33 et *Rom.* III, 4. — [9] *Psalm.* LXIV, 9. — [10] *Marc.* XVI, 17. — [11] I *Cor.* XV, 49. — [12] *Psalm.* LXXIII, 4. — [13] *Act.* II, 19. — [14] I *Joan.* V, 7. — [15] *Ibid.* 8. — [16] *Sap.* VII, 3. — [17] *Cant.* II, 12. — [18] *Isai.* XL, 1. — [19] *Matth.* V, 5. — [20] *Isai.* LXIV, 6. — [21] *Prov.* XIV, 13. — [22] *Psalm.* XXIV, 21. — [23] *Id.* CXXX, 5. — [24] *Matth.* V, 8. — [25] *Psalm.* VI, 7. — [26] *Hebr.* X, 25. — [27] *Luc.* VII, 38. — [28] *Matth.* V, 3. — [29] *Luc.* VI, 24.

taretur ab Angelis in sinum Abrahæ[1]. Consulit paupertatem præeligere divitiis : *Majores divitias æstimans improperium Christi thesauris Ægyptiorum*[2]. Erudit divitias esse spinas, et paupertatem esse securitatem : *Aliud cecidit inter spinas, quæ simul exortæ suffocaverunt illud*[3]. De securitate paupertatis : *Defossus humi securus dormies*[4]. Humilitate etiam consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Consolatur humiles: Qui consolatur humiles, *consolatus est et nos Deus*[5]. Increpat superbos : *Increpâsti superbos : maledicti qui declinant à lege tuâ*[6], quæ tota est lex humilitatis. Exhortatur ad humilitatem : *Discite à me quia mitis sum et humilis corde*[7]. Consulit humiliari etiam homines : *Descende, sede in terrâ, virgo filia Babylonis*[8]. *Sede in novissimo loco*[9]. Erudit humilitatis exaltationem : *Qui se humiliat, exaltabitur*[10]. His ergò quinque verbis etiam infans loquitur, consolando, increpando, exhortando, consulendo, et docendo. Dicit ergò : *Invenietis infantem*, non loquentem, garrulos reprehendentem de sua laude numquàm tacentes, cùm in laude propriâ homo debet esse infans : undè : Laudet te os alienum et non tuum. Est autem mirum et inauditum signum, quòd Dei sapientia est infans, non loquens.: *Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas*[11]; et ideò Psalmista dicit : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*[12]. Sed nos docuit tacere usquè in tempus : *Homo sapiens tacebit ad tempus ; lascivus autem et imprudens non servabit tempus*[13]. *Pannis involutum*, paupertatem et asperitatem prætendentem, jàm nunc divitem purpuratum reprehendentem. Propter hoc *venit à regalibus sedibus*[14], ubi nullius paupertatis indigentia fuit, ut paupertatem eligeret et pauperes : *Pauperes elegit Deus, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se*[15]. In quo etiam commendat asperitatem : *Pauper sum ego, et in laboribus à juventute meâ; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus*[16]. *Et positum in præsepio :* ecce tertium signum humilitatis, in quo omnes Magi defecerunt Pharaonis superbi, turgidi et fastu sæculi inflati. Ecce stabulo ponitur qui continet mundum : jacet in præsepio, et super ipsum mugiunt animalia, qui in nubibus tonat. « Mirabile pro certo mysterium Regem « cœli videre, cui talia famulantur obsequia, ut « dicit Ambrosius. » Numquid enim thronus præsepium, aula regia stabulum, panni conscissi et veteres regalis purpura, nodi colligationis et involutionis fibula, curiæ regalis frequentia Joseph et Maria? Propter hæc enim invenienda, ab altis descendit ad humilia, à regalibus sedibus ad jumentorum stabula.

24. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce gratiarum actio. Et dicit duo, numerum laudantium, et modum laudis. De primo dicit quatuor : quàm citò surgunt in laudem congratulantes bono, et non invidiæ oculo despicientes : multitudinem laudantium : apparatum eorum, et ordinem. De primo dicit : *Subitò*. Dionysius dicit quòd *subitò* est, quod est præter spem. Et ità est in congratulantibus in charitate bonis factis; statim enim audito vel viso bono surgunt in laudem. Ideò enim uno annuntiante, multitudo tota surgit in gratiarum actionem: *Gaudere cum gaudentibus*[17]. Beda in Glossâ[a] : « Uno evan- « gelizante, multitudo in consonam laudem pro- « rumpit, ut et officium suum Deo impendat, et « nos instruat ut, quotiès sacram eruditionem fratris « ore audimus, Deo laudes corde, opere, ore red- « damus. » Quòd autem subitò laudant, signum est quòd ex optimo affectu procedit laudatio, quasi non per rationem elicita, vel per verecundiam exorta. *Multitudo* tàm multa, ut determinari nequeat ad certum numerum : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei*[18]. *Militiæ.* Ecce apparatus pro nobis ad certamen procedentium : *Numquid est numerus militum ejus, et super quem non surgit lumen ejus*[19]? *Militia est vita hominis super terram*[20]. *Cœlestis exercitûs.* Ecce ordo, quia omnis exercitus ordinatus est *in caput et caudam, incurvantem et refrænantem*[21]. Et illum quidem habet exercitus pugnæ ducem, qui jacebat in stabulo, trabeâ carnis indutus, ut dicit Ambrosius; et ideò talem habens ducem, et tales exercitus Ecclesia, dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata*[22]. *Castra Dei sunt hæc*[23]. *Noli timere; plures enim nobiscum sunt quàm cum illis*[24]. *Laudantium.* Laus est præconium virtutis. Nec est laudabile bonum nisi virtus, vel simile virtuti, vel opus ejus. *Et dicentium : Gloria in altissimis Deo.* Ecce modus laudis, ut Deo gloria, nobis autem pax conferatur : *Gloriam meam alteri non dabo*[25]. Detur ergò gloria Deo. Est autem gloria, latè patens præconium, vel ore multorum prædicata laudatio, ut dicit Tullius in fine primæ rhetoricæ, vel, sicut dicit Augustinus, clara cum laude notitia. Latè quidem

[1] *Luc.* XVI, 22. — [2] *Hebr.* XI, 26. — [3] *Matth.* XIII, 7. — [4] *Job*, XI, 18. — [5] II *Cor.* I, 4. — [6] *Psalm.* CXVIII, 21. — [7] *Matth.* XI, 29. — [8] *Isai.* XLVII, 1. — [9] *Luc.* XIV, 10. — [10] *Ibid.* 11. — [11] *Sap.* X, 21. — [12] *Psalm.* VIII, 3. — [13] *Eccli.* XX, 7. — [14] *Sap.* XVIII, 15. — [15] *Jac.* II, 5. — [16] *Psalm.* LXXXVII, 16. — [17] *Rom.* XII, 15. — [18] *Dan.* VII, 10. — [19] *Job*, XXV, 3. — [20] *Id.* VII, 1. — [21] *Isai.* IX, 14. — [22] *Cant.* VI, 3. — [23] *Gen.* XXXII, 2. — [24] IV *Reg.* VI, 16. — [25] *Isai.* XLVIII, 11.

[a] Seu in Homiliâ 1 suprà, p. 327, n. 9.

patens præconium per totum mundum est dilatatum: *Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in universâ terrâ* [1]. Similiter ore multorum prædicata laudatio soli Deo convenit: *Semper laus ejus in ore meo* [2]. Clara etiam cum laude notitia soli Deo convenit, qui solus in propriâ laude omnibus innotescit: *Soli Deo honor et gloria* [3]. Ideò gloria propria est Deo, quam alteri non cupit, quæ etiam alii non competit. Undè: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo suâ: nec quidquam est quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es* [4]. *Uxor gloria viri est* [5]; et ideò servus fidelis in hanc domini sui uxorem manum non extendit. Deo igitur sit gloria, et habeat eam solus, quia etiam *torcular* passionis in pugnâ *calcavit solus, et de gentibus non est vir secum* [6].

25. *Et in terrâ pax hominibus.* Pax enim in terrâ necessaria, quia in terrâ surgunt bella. Est autem pax inter hominem et Deum, inter hominem et Angelum, inter hominem et hominem, inter spiritum et carnem. Inter hominem quidem et Deum, bellum fecit præcepti prævaricatio: *Utinam attendisses mandata mea, multiplicata fuisset sicut flumen pax tua* [7]*! Pax multa diligentibus legem tuam* [8]. Satisfecit autem Filius Patri pro homine, *factus obediens* Patri *usquè ad mortem* [9]; et facta est pax: *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi* [10]; et sic est *Christus mediator Dei et hominum* [11]. Bellum autem inter hominem et Angelum fecit Adæ et Evæ de paradiso per romphæam Angeli ejectio: quod Christus pacificavit, quia ruinam Angelicam ex hominibus reparavit: *Benignè fac, Domine, in bonâ voluntate tuâ Sion, ut ædificentur muri Jerusalem* [12]. De hâc pace dicitur: *Veniat pax, et requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione suâ* [13]. Et secundùm hoc dicitur: Hic est Salomon pacificus. Bellum inter hominem et hominem, Gentilem et Judæum, fecit diversarum legum æmulatio; Christus autem fecit pacem, in unam Ecclesiam utrumque congregando: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor* [14]. *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui propè est, et pacem ei qui longè est* [15], hoc est, Gentili qui longè est, et Judæo qui propè est. Et secundùm hoc dicitur *lapis angularis* [16], *qui facit utraque unum* [17]. Bellum autem inter carnem et spiritum fecit, quòd primò spiritus corrumpit carnem, caro autem corrupta extunc corrumpit spiritum: *Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis* [18]. Christus autem assumens utrumque, fecit pacem in se: *In pace factus est locus ejus* [19]; et speramus quòd etiam erit pax in nobis: *Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ, legem mandatorum decretis evacuans, ut condat duos*, spiritum scilicet et carnem, *in semetipsum in unum hominem, faciens pacem* [20]. Et secundùm hanc pacem dicitur *Emmanuel* [21]. Et sic plena facta est pax. *Hominibus bonæ voluntatis*, hoc est, voluntatem in bonum dirigentibus, quia dicitur quòd *non est pax impiis, dicit Dominus* [22]; sed cor *impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest* [23]. Et quidem sic plena est pax. Et hoc est quod dicit Glossa [a]: « Quandò peccando extranei eramus « à Deo, extraneos reputabant nos Angeli. Sed « quandò cognovimus Regem nostrum, recognove- « runt nos Angeli cives suos. Et timet Angelus ado- « rari [b] ab humanâ naturâ, quam in suo Rege consi- « derat. » Item alia Glossa [c]: « Quia Deus et homo « nascitur, hominibus pax cum ipsis Angelis, Deo « canitur gloria, qui ab Angelis pro nostrâ redem- « ptione glorificatur. » Attende autem quòd residuum ejus quod additur ad *Gloria in excelsis*, dicitur à beato Hilario compositum [d]. Et quia Angeli primò hymnum istum in terrâ decantaverunt, ideò Telesphorus Papa instituit, quòd nonnisi ab Episcopo inchoaretur; posteà verò Symmachus Papa attendens quòd Sacerdos quilibet *Angelus Domini* dicitur [24], instituit quòd etiam ab aliis Sacerdotibus inciperetur.

[1] *Isai.* XII, 5. — [2] *Psalm.* XXXIII, 1. — [3] I *Tim.* I, 17. — [4] *Gen.* XXXIX, 8 *et* 9. — [5] I *Cor.* XI, 7. — [6] *Isai.* LXIII, 3. — [7] *Id.* XLVIII, 18. — [8] *Psalm.* CXVIII, 165. — [9] *Philipp.* II, 8. — [10] *Isai.* XXVII, 5. — [11] I *Tim.* II, 5. — [12] *Psalm.* L, 20. — [13] *Isai.* LVII, 2. — [14] *Joan.* X, 16. — [15] *Isai.* LVII, 19. — [16] I *Petr.* 6. — [17] *Ephes.* II, 14. — [18] *Galat.* V, 17. — [19] *Psalm.* LXXV, 3. — [20] *Ephes.* II, 14 *et* 15. — [21] *Isai.* VII, 14. — [22] *Id.* LVII, 21. — [23] *Ibid.* 20. — [24] *Malach.* II, 7.

[a] Gregorii in Sermone in Nativitatem Domini, infrà. — [b] Vide Notam *b* suprà, p. 345. — [c] Glossa Vener. Bedæ in Homiliâ 1 suprà, p. 327, col. 2, non procul ab initio. — [d] «Ex auctoritate Telesphori Papæ,» subdit Hugo de Sancto Caro, ut videre est suprà, p. 353, n. 13.

AD SECUNDAM MISSAM IN AURORA.

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

Cap. II, 15-20.

Et factum est ut discesserunt ab eis (*pastoribus*) Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes ; et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

✠ BREVIS EXPLANATIO SUPERIORIS EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII MENOCHII,

CUM SCHOLIIS MARIANÆ ET ANNOTATIONIBUS EMM. SA.

15. *Videamus hoc verbum. Verbum* pro quâlibet re ponitur apud Hebræos.

17. *Cognoverunt de verbo*, etc., id est, reipsa compererunt vera esse quæ ab Angelis audierant. In Græco est, διεγνώρισαν, quod verti etiam potest, *divulgaverunt.*

18. *Omnes qui audierunt*, scilicet natum puerum, et adventum pastorum ad illum adorandum.

Et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos, id est, mirati etiam sunt quæ à pastoribus narrantibus audiebant. Si in textu nostro latino non esset particula *et*, sensus valdè commodus, et græco textui consentiens esset, pastores visa et audita vulgâsse, et qui ea audiebant miratos esse; atque ità verba illa : *Omnes qui audierunt*, de pastoribus narrantibus essent intelligenda. «Conjunctio *et* redundat; neque in Græco et Syro est; neque in omnibus Latinis codicibus, ut notatur in Bibliis Lovan.; et sublatâ, non malè cohæret sententia. » MARIANA.

19. *Conservabat omnia verba hæc*, etc., omnia verba pastorum, aut potiùs tàm quæ à pastoribus narrabantur, quàm quæ ipsa in Christi Nativitate accidisse videbat, diligenter notabat; et ne exciderent, fideli memoriæ commendabat, sequentia cum præcedentibus conferens, et quàm inter se consona essent considerans : ex quo mirificè lætabatur, et novis fidei argumentis, fidem, quam à principio conceperat, confirmabat. Hæc autem non cum aliis, sed tacita secum in corde suo conferebat, « non « minus ore quàm corpore pudica, ut inquit Am- « brosius [a].»

20. *In omnibus*, etc., quia omnia, ut illis ab Angelo prædicta fuerant, vera esse compererant.

[a] Homiliâ in Evangelium Nativitatis Domini, infrà, p. 388, n. 2.

✠ FUSIOR EXPLANATIO EJUSDEM EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII CORNELII A LAPIDE,

JOANNIS MALDONATI[a] ET CORNELII JANSENII,

INTER SE VELUTI QUADAM CATENA COLLIGATI.

JOANNES MALDONATUS.

15. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli.* Docet Evangelista non fuisse irritam Angeli orationem, sed persuasisse pastoribus, atque statim eos de visendo Christo deliberâsse. Utile moribus nostris exemplum. Omnes inspirationes bonæ Angeli sunt, qui nobis Christum Salvatorem nostrum nuntiant. *Cùm discesserunt.* Cunctandum non est, ne injecta in animum nostrum sancta desideria refrigescant : statim quærendus Christus, qui nonnisi in Bethleem, id est, in Ecclesiâ, et in præsepi, id est, in summâ paupertate, in summâ humilitate invenitur.

Et videamus hoc verbum, quod factum est. Ambrosius[b], Beda[c], et Bernardus, Sermone 22 in Cantica, *Verbum* hoc loco Christum ipsum interpretantur, quod *erat in principio apud Deum* [1], et quod *caro factum est, et habitavit in nobis* [2], et de quo, quemadmodùm pastores, Joannes etiam dicit : *Quod vidimus oculis nostris, quod audirimus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis*[3]. Sed dubium non est *verbum* pro re quâlibet poni, usitato passim Hebraismo, quem et Euthymius hîc animadvertit.

Quod Dominus ostendit nobis. Quasi dicat : Ne Deo ingrati simus, quandoquidem tantum in nos ille contulit beneficium, ut natum nobis Salvatorem per Angelos ostenderet. Transeamus ergò, festinemus, sequamur, quò vocat, Deum. Sic etiam apud se dicere oportet eos, qui à Deo ad meliora vocantur.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et factum est ut discesserunt ab eis (pastoribus) *Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.*

Hoc verbum, id est, hanc rem tàm novam et miram, putà Verbum incarnatum, et Messiam natum. Undè Beda symbolicè de Verbo divino hoc exponens ait [d] : « Verbum quod semper erat, videamus quo« modò pro nobis factum est ; quod enim videre « non poteramus, dùm erat Verbum, videamus « factum, quia caro est. »

Sic et S. Ambrosius[e] ac Haymo. Est metonymia familiaris S. Scripturæ, quia verbum ponitur pro re significatâ per verbum, ut : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*[4], id est, omnis res ; et : *Quod est verbum* (id est, res) *quod factum est*[5]*?*

Quod Dominus (Beda addit, *fecit et*) *ostendit nobis,* græcè ἐγνώρισε, id est, notum fecit, revelavit, indicavit, imò signum quo Messiam natum invenimus, suggessit *nobis,* præ Scribis et cæteris omnibus : quarè, nisi eum nobis natum, et nobis primis revelatum, ab eo per Angelum invitati et vocati, visamus et adoremus, erimus Deo, Angelis et Christo ingrati, ac nobis ipsis inimici, utpotè qui tantam Christi gratiam et salutem neglexerimus. Certum est Angelum exteriùs loquentem pastoribus, multò magis interiùs illuminâsse mentem eorum, ut cognoscerent Christum esse Deum ac Redemptorem mundi, ideòque eos excitâsse ut eumdem adirent, colerent, amarent, adorarent. Hàc enim de causâ pastores reipsa præsepe adierunt, ac in eo Christum summâ humilitate et reverentiâ adorârunt. Quarè non est dubium eos hîc fuisse justificatos, aut si jàm justi erant, magnum justitiæ et sanctitatis incrementum accepisse. Ità S. Cyprianus, vel quisquis est auctor Homiliæ de Nativitate Christi : « Pastores illi, *inquit*, ampliùs mente « quàm oculis carnalibus illuminati, ad conspiciendum Emmanuel festinant, et edocti intùs invisi« bili magisterio Spiritûs sancti, quem parvulum « vident, confitentur immensum, et piæ ei devotio« nis affectum præsentant. »

JOANNES MALDONATUS.

16. *Et venerunt festinantes, et invenerunt.* Duo his verbis Evangelista indicare voluit, pastorum diligentiam, cùm festinantes venisse dicit, et eorum quæ ab Angelo dicta fuerant, veritatem, cùm dicit invenisse puerum positum in præsepi, sicut Angelus dixerat. Notârunt Origenes, Ambro-

[1] *Joan.* I, 2. — [2] *Ibid.* 14. — [3] I *Joan.* I, 1. — [4] *Luc.* I, 37. — [5] II *Reg.* I, 4.

[a] Non ex editione Mussiponti, 1596, quam suprà secuti sumus, sed ex novâ editione CONRADI MARTIN, Moguntiæ, 1854, quam ad optimorum librorum fidem accuratissimè recudendam esse curavit. — [b] Homiliâ in Evang. Nativitatis Domini, infrà, p. 388, n. 1. — [c] Homiliâ 1, infrà, p. 389, initio col. 1. — [d] Ibidem. — [e] Loco superiùs citato.

sius et Beda, quod et litterale simul et morale est, ideò pastores invenisse Christum, quia festinantes venerunt[a]. Quod autem dicit Evangelista *positum in præsepio*, Ambrosius et Beda dicta ab Angelo confirmare dicunt. « Non mediocre, *inquit* Ambrosius, « fidei tibi hoc videatur exemplum, *etc.* [b]. »

17. *Cognoverunt de verbo.* Græcè διεγνώρισαν, ambiguum est; verti enim potest, aut *cognoverunt* ut noster vertit Interpres, aut *divulgârunt*, ut alii quidam Interpretes novi transtulerunt. Utrumque congruentem habet sensum; sed quidam ideò posteriorem priori præferunt, quòd statim sequatur : *Et omnes qui audierunt, mirati sunt.* Atque ità Theophilactus exponit[c], eumdemque sensum carmine Juvencus, Lib. 1 Hist. Evang., expressit :

« Dispergunt latè celeris vaga semina famæ :
« Mirantes laudant, lætantes constupuerunt. »

Nolim tamen leviter ab Interprete nostro discedere, cùm nulla præsertim necessaria cogat ratio. Sensus est congruus : *Cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis* ab Angelis, id est : reipsa compererunt vera fuisse, quæ sibi Angeli dixissent. Quod autem sequatur : *Et omnes qui audierunt, mirati sunt,* potuit rectè dici, etiamsi dictum non fuisset, id pastores evulgâsse, quia ex illis ipsis verbis satis poterat intelligi eos narrâsse quæ ab Angelis audivissent. In Hebræorum idiomatis, mos eorum est, ut antecedentia et causas taceant, consequentia et eventus exponant.

18. *Et omnes qui audierunt* pastores narrantes quomodò sibi Angeli apparuissent, et quid de eo puero nuntiâssent.

Et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Mirati sunt de iis quæ sibi à pastoribus dicebantur, de visis Angelis, et de iis quæ sibi nuntiâssent. Græcè non est præpositio *et*, nec legit Ambrosius, et sententiam magis videtur impedire quàm adjuvare.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Tò *et* non est in Græco, Syro et Arabico, sicque planior fluit sensus; Romani tamen legunt *et*, quasi diceretur : Mirati sunt natum esse Messiam, et cætera quæ de eo dicta erant à pastoribus ad ipsos, scilicet : mirati sunt Angelum apparuisse, Angelos cecinisse *Gloria in excelsis*, Christum jacere in præsepio, *etc.* Ità Glossa, Franciscus Lucas et alii, licèt Lyranus τὸ *et* exponat *id est.* Hinc paret pastores multis narrâsse ea quæ de Christo nato ab Angelo audierant et viderant : quarè multos præsepe adiisse, Christumque vidisse; sed eos solos in Christum credidisse, quorum Deus corda efficaciter tangebat, cæteros offensos paupertate Christi eum sprevisse.

19. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo,* scilicet conferens et comparans, non oracula Prophetarum de Christo, ut vult Beda, sed dicta et visa pastorum de Angelis concinentibus *Gloria in excelsis Deo*, etc., cum iis quæ ipsa in se experta erat, putà cum annuntiatione Gabrielis, oraculo Elisabeth et Zachariæ, cæterisque quæ ipsa de Christo nato viderat et in se senserat. Idque primò, ut videns utrimque miram concordiam, omnia scilicet inter se optimè consentire, magis firmaretur in fide, scilicet unigenitum Filium Dei ex se esse natum. Ità S. Ambrosius. Secundò, ut jucundâ contemplatione harum rerum, inter se adeò consentientium, animum pasceret, et certâ spe reliqua exspectaret, Deum scilicet hoc opus ad finem perducturum, et per Christum homines redempturum. Tertiò, ut ea deindè suo tempore Apostolis, ac præsertim Lucæ hæc scripturo panderet, et ex ordine narraret. Vide hîc in Virgine rarum exemplum virgineæ taciturnitatis ac modestiæ, item cœlestis prudentiæ, ac firmissimæ fidei et spei, admirantis præsentia et futura præstolantis. Conferebat enim ea quæ cernebat summæ humilitatis, cum iis quæ noverat summæ majestatis, stabulum cum cœlo, pannos cum illis Prophetæ verbis : *Amictus lumine sicut vestimento*[1], præsepe cum throno Dei, animalia cum seraphinis.

JOANNES MALDONATUS.

Maria autem conservabat omnia verba hæc, omnia verba pastorum, aut potiùs omnes res, quæque à pastoribus de Christo narrabantur, quasque ipsa in totâ Christi Nativitate accidisse animadvertit. Putant Ambrosius et Beda Mariam aliquod à pastoribus mysterium, quod antè ignorâsset, didicisse. Observabat certè, ut opinor, omnia, non quasi filii sui ignara mysterii, sed quasi læta novis signis, pastorumque testimoniis confirmari, quæ ipsa priùs ex Gabriele didicisset. Hoc enim est, quod Evangelista dicit : *Conferens in corde suo,* id est, sequentia cum præcedentibus comparans, et magnam omnium ad ejusdem mysterii confirmationem et fidem consensionem animadvertens, quemadmodùm exponit Euthymius. *Omnia verba hæc* quidam, ut Theophilactus refert, interpretatur : Verba pastorum cum verbis Gabrielis[2] conferens. Alii meliùs : Omnia non solùm quæ dicebantur, sed etiam quæ fiebant, salutationem Angeli, conceptum sine viro, partum sine dolore, pastorum adventum,

[1] *Psalm.* CIII, 2. — [2] *Luc.* I, 30-33.

[a] Vide Origenem, p. 385, col. 1; Ambrosium, p. 388, n. 1 et Bedam, p. 389, n. 2.

[b] Homiliâ in Evangelium Nativitatis Domini, infrà, p. 388, n. 1, usquè ad hæc verba inclusivè : « Simplicitas enim quæritur : non ambitio desideratur. » Vide Bedam, p. 389, n. 2.

[c] Homiliâ in Evang. Nativitatis Domini, infrà, p. 387, n. 1.

et quæ ab illis de Angelis à se visis auditisque narrabantur: Euthymius, Theophilactus, Bernardus in Sermone in illa verba : *Signum magnum apparuit in cœlo* [1]. Beda verò cum veteribus prophetiis Mariam, quæ fiebant, contulisse putat : « Quia sanctas, *inquit*, Scripturas legerat, et sciebat Prophetas, conferebat ea quæ secum sunt acta de Domino, cum his quæ noverat à Prophetis scripta de Domino, et collata ad invicem, *etc.* [a]. »

Quod dicit *in corde suo*, indicat apud se omnia servâsse, nec in vulgus indicavisse. Singulare humilitatis atque modestiæ virginalis exemplum, quemadmodùm annotavit Ambrosius [b] ! « Discamus, *inquit*, sanctam Virginis in omnibus castitatem, quæ, non minùs ore pudica quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. » Idem Bernardus in Sermone in illa verba : *Signum magnum apparuit in cœlo*, observavit.

20. *Et reversi sunt pastores.* Videri poterat non magnoperè necessarium ut Evangelista diceret pastores ad gregem suum rediisse, sed propterea dixit, ut ostenderet omnia fuisse completa, quemadmodùm illis ab Angelis nuntiata fuerat, et ut ex eorum gaudio declararet vera fuisse omnia, quæ ipsis ab Angelis dicta fuerant, quandò tàm læti, quasi compotes voti, rediissent. Hoc est quod dicit: *Glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.*

CORNELIUS A LAPIDE.

Et reversi sunt (« ad gregem suum, ait Euthymius; » Deus enim vult fideles, licèt à se exaltatos, in suà vocatione, officio et arte permanere) *pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.* Tò *dictum* refer ad *audierant*, non ad *viderant ;* audita enim sunt dicta, non visa. Hinc patet pastores in fide et Evangelio Christi fuisse constantes, imò gaudio Spiritûs sancti ob visum Christum assiduè exsultantes et jubilantes.

[1] *Apoc.* XII. 1.

[a] Homiliâ in Evangelium Nativitatis Domini, infrà, p. 390, initio col. 1, usquè ad finem num. 4.

[b] Homiliâ in Evangelium Nativitatis Domini, infrà, p. 388, n. 2.

CATENA AUREA S. THOMÆ AQUINATIS

IN IDEM EVANGELIUM.

15-20. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod* [c] *factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis. Et venerunt festinantes; et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.*

GRÆCUS,

(Geometer.)

Quæ visa sunt et relata stuporem ingesserunt pastoribus, et sic ovilia sua omiserunt, et profecti sunt nocte Bethleem, lucem indagantes Salvatoris. Undè dicitur : *Et factum est ut discesserunt ab eis Angeli ad cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est.*

BEDA,

(Luc. 2, in princip. Tom. 5.)

Verè quasi vigilantes, non dixerunt : Videamus puerum, sed : *Verbum quod factum est*, id est : Verbum, quod semper erat, videamus quomodò pro nobis caro factum est, siquidem hoc ipsum Verbum Dominus est; sequitur enim : *Quod fecit Dominus, et ostendit nobis*, id est : Videamus quomodò hoc Verbum ipsum [d] se fecerit, et ostenderit nobis carnem suam.

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de pastorum collocutionibus. Tom 5.)

Vide quàm singulariter Scriptura singulorum libret momenta verborum; etenim, cùm caro Domini videtur, videtur Verbum, quod est Filius. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum; simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. *Et venerunt festinantes;* nemo enim cum desidià Christum requirit.

[c] In Bibliis correctis : *Quod Dominus ostendit nobis*, tantùm, aut ut habetur græcè, ὅ εγνώρισεν ἡμῖν, *cujus cognitionem nobis dedit ;* sed sequimur editionem nostram, in quâ legimus ut suprà.

[d] « Hoc est, Dominus ipse, » ut interjicit Beda.

ORIGENES,

(Homil. 13 in Luc., parùm à fine.)

Quia verò festinantes venerunt, et non pedetentim, ideò sequitur : *Et invenerunt Mariam,* quæ, scilicet, fudit Jesum in partum, *et Joseph,* scilicet, dispensatorem ortûs Dominici, *et infantem positum in præsepio,* scilicet, ipsum Salvatorem.

BEDA

(super illud : *Et cognoverunt de verbo.* Tom. 5.)

Est autem justi ordinis, ut honore digno celebratâ Verbi Incarnatione, ad ipsam quandoquè Verbi gloriam intuendam pertingatur. Undè sequitur : *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.*

GRÆCUS,

(id est, Photius in Catenâ græcorum Patrum.)

Occultatâ scilicet fide felicia relata contuentes, nec contenti de veritate stupere, quæ primitùs viderant et perceperant Angelo nuntiante, non solùm Mariæ et Joseph promebant, sed etiam cæteris ; et, quod est ampliùs, eorum mentibus infigebant. Undè sequitur : *Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Quomodò enim non erat mirandum videre cœlicolam in terrenis, et terram pace conciliari cœlestibus, et ineffabilem illum infantulum numine quidem cœlestia, humanitate verò terrestria connectentem ad invicem, et suî compagine fœdus mirandum præstantem?

GLOSSA

(ordinaria in hoc loco.)

Nec solùm mirantur de Incarnationis mysterio, sed etiam de tantâ pastorum attestatione, qui fingere inaudita nescirent, sed simplici facundiâ vera prædicarent.

AMBROSIUS,

(Lib. 2 in Luc. Tit. de pastorum collocutionibus, circa fin. Tom. 5.)

Nec contemnenda putes quasi vilia verba Prophetarum [a]. A pastoribus etiam Maria colligit fidem. Undè sequitur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ, non minùs ore pudica quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde.

BEDA

(in Homiliâ in Evang. Missæ in Aurorâ Nativitatis Domini. Tom. 7.)

Virginalis enim pudicitiæ jura custodiens, secreta Christi quæ noverat, nemini divulgare volebat [b]; sed conferebat ea quæ facienda legerat, cum iis quæ jàm facta cognovit, non ore promens, sed clausa in corde custodiens.

GRÆCUS,

(vel Metaphrastes in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Quotquot etiam ei retulerat Angelus, quot à pastoribus audierat, cuncta congerebat in mente ; et ad invicem comparans, unam in omnibus Mater sapientiæ cernebat concordiam : verè Deus erat qui natus erat ex eâ.

ATHANASIUS

(in Catenâ græcorum Patrum, undè suprà.)

Singuli autem in Christi Nativitate exsultabant, non humanitùs, sicut in puero nato soliti sunt homines congaudere, sed in Christi præsentiâ et lucis divinæ fulgore. Undè sequitur : *Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant.*

BEDA,

(Luc. 2, paulò à fine. Tom. 5.)

Scilicet ab Angelis, *et viderant,* scilicet in Bethleem, *sicut dictum est ad illos,* id est : in hoc glorificant, quòd non aliud venientes invenerant, quàm quod dictum est ad illos : sive : *Sicut dictum est ad illos,* gloriam Deo laudesque referunt ; etenim hoc illis facere dictum est ab Angelis, non quidem verbo imperantibus, sed formam suæ devotionis offerentibus, cùm Deo in excelsis gloriam resonarent.

IDEM

Homiliâ (in Evang. Missæ in Aurorâ Natalis Domini, paulò à principio, Tom. 7.)

Mysticè autem, intellectualium pastores gregum, imò cuncti fideles, exemplo horum pastorum, transeant cogitatione usquè in Bethleem, et Incarnationem Christi dignis celebrent honoribus. Transeamus autem, abjectis concupiscentiis carnalibus, toto mentis desiderio usquè ad Bethleem supernam, id est, *domum panis vivi* [c], ut quem illi in præsepio videre vagientem, nos in Patris solio mereamur videre regnantem. Non est autem tanta beatitudo

[a] Cod. Reg. et Rom. edit. : « Verba pastorum ; » sed hic mutato nihil est opus, cùm non ambiguò ipsi pastores à sancto Doctore Prophetæ vocitentur.

[b] *Secreta Christi quæ noverat.* Chrysostomus, Homiliâ 2 suprà, p. 312, initio col. 2 : « Maria (Christi) verè est mater : « imò verò nec ipsa mater, quandoquidem non naturaliter peperit, sed supernaturaliter concepit ; *non enim sciebat quid fieret.* » Et in Hymno ad Laudes in Nativitate Domini, ut dicimus ibidem, ad Notam *b*, cantatur :

Venter puellæ bajulat
Secreta quæ non noverat.

Utrùm igitur contradictoria sunt verba Vener. Bedæ verbis Chrysostomi in Liturgiâ ipsâ expressis? Minimè. B. Virgo optimè noverat peperisse Filium Dei (et in isto sensu loquitur Vener. Beda) ; ignorabat verò quàm magnum, quàm mirum, quàm altum, quàm immensum esset Incarnationis mysterium, cui pro tantâ parte cooperata est (et in isto altero sensu loquuntur Chrysostomus et Ecclesia in ipsius Liturgiâ) ; porrò nemo non videt istos duos sensus nonnisi unum efficere.

[c] Alludendo ad hebraicum significatum dictionis *Bethleem*, quæ significat *domum panis*, et ad illud quod Christus de se dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* (*Joan.* VI, 51.)

cum desidiâ ac torpore quærenda, sed alacriter sunt Christi sequenda vestigia. *Videntes autem cognoverunt.* Et nos, quæ dicta sunt de Salvatore nostro, plenâ dilectione festinemus amplecti, ut hæc in futuro perfectæ cognitionis visu comprehendere valeamus.

IDEM

super Lucam, (in illud : *Et venerunt festinantes.* Tom. 5.)

Dominici etiam gregis Pastores præcedentium Patrum vitam, in quâ panis vitæ servatur, quasi Bethleem portas contemplando, subeunt, nihilque in hâc aliud reperiunt quàm virginalem Ecclesiæ pulchritudinem, quasi *Mariam*, virilem spiritualium Doctorum cœtum, quasi *Joseph*, et humilem Christi adventum Scripturæ paginis sacræ insertum, quasi *in præsepio positum Christum infantem* [a].

ORIGENES,

(Homiliâ 13 in Luc., parùm à fine.)

Vel : Præsepe illud erat de quo Propheta vaticinatus est, dicens : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [1].

BEDA

Homiliâ (in Evang. Missæ in Aurorâ Natalis Domini, à medio, Tom. 7.)

Non celavere autem silentio pastores quæ agnoverant, quia Ecclesiæ Pastores in hoc ordinati sunt, ut quæ in Scripturis didicerunt, auditoribus ostendant.

IDEM

super Lucam, (in illud : *Et reversi sunt*, etc.)

Magistri etiam spiritualium gregum modò, cæteris dormientibus, contemplando cœlestia subeunt, modò fidelium exempla quærendo circumeunt, modò ad publicum pastoralis officii docendo revertuntur.

IDEM

Homiliâ (ut suprà.)

Unusquisque etiam qui privatus vivere creditur, pastoris officium tenet, si bonorum actuum cogitationumque mundarum aggregans multitudinem, hanc justo moderamine gubernare, Scripturarum pastu nutrire, et contra dæmonum insidias servare contendit.

SUPPLEMENTUM CATENÆ AUREÆ

IN IDEM EVANGELIUM,

EX CATENA REGIA SIMULQUE CATENA B. CORDERII COMPACTUM.

15. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem* : *Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.*

(EX CATENA REGIA.) TITUS (BOSTRENSIS.)

Divinâ ac cœlesti claritate circumfulsi pastores, nec non Angelorum militiam conspicati, ac eorum cantico recreati, ingenti mox ardore Bethleem petunt, quam interpreteris *domum panis* : *Transeamus*, inquiunt, *usquè Bethleem*, facto hoc suo, Ecclesiæ Pastores ac Sacerdotes typo designantes, quorum muneris est, ut cœlestem illum panem quærant, *Agnum*, inquam, *Dei, qui tollit mundi peccatum* [2], ac quotidiè secundùm magnam misericordiam suam mysticè immolatur.

(EX CATENA CORDERII [b].) CHRYSOSTOMUS,

Homiliâ 7 in Matthæum.

Desere igitur et tu perturbatam illam civitatem, temporalem cogitationem, et homicidam eum tyrannum, mammonam. In Bethleem, hoc est, Ecclesiam, festinus accurre, ubi domus est panis spiritalis. Si quidem pastor fueris, eòque adveneris, puerum in tugurio videbis. Sed ne Herodi similis sis, cave. Illi enim assimilantur, qui indignè mysteriis hisce communicant, et Filium Dei conculcant, habentes in semetipsis mammonam. Hic enim affectat imperium, suosque familiares mittit, qui orantis quidem præ se ferunt speciem, sed inter orandum jugulum petunt.

S. BERNARDUS,

Sermone 6 in Vigiliam Nativitatis Domini :

Bonum est, *inquit*, nos illic esse. Ubi enim fuerit verbum Domini, non deest utiquè panis, *etc.* [c].

16. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.*

[1] *Isai.* I, 3. — [2] *Joan.* I, 29.

[a] Vide Notam *c* infrà, p. 389.

[b] Desumptum est ex hâc Catenâ, quidquid non indicatur excerptum fuisse è Catenâ regiâ.

[c] Suprà, pp. 142-143, nn. 9-10, usquè ad hanc phrasim exclusivè : « Et tu quidem impia Synagoga, *etc.* »

S. BERNARDUS,

Eleganter hic iterùm, Sermone 4 in Nativitatem Domini :

Quid est, *inquit*, quòd sola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen sola, *etc.* [a].

(EX CATENA REGIA.) CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Cùm videris infantem pannis involutum, noli tecum cogitans in solâ ejus carnali generatione stare; verùm mente assurge, ut Deo congruam illius claritatem contempleris : cœlum animo conscende; sicque eum in altissimis ac celsissimis sedibus supremâ præfulgentem gloriâ contueberis : videbis sedentem in solio excelso et elevato : audies Seraphim laudis cantico celebrantia, ac dicentia : *Plena sunt cœlum et terra gloriâ ejus* [1]. Sed et in terrâ idipsum contigit ; nam Dei claritas pastores circumfulsit, et multitudo cœlestis militiæ laudantium Christum.

Et post pauca.

Noli igitur ut simpliciter infantem aspicere jacentem in præsepi puerum; sed in nostrâ paupertate divitem contemplare ut Deum, quique ideò et à sanctis ipsis Angelis laudis cantico celebretur.

19. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

GEOMETRA.

Quid autem est *conferens?* Fortè quidem congerens, et custodiens in corde ; fortè verò etiam unum cum alio conferens atque componens, non dicta tantùm, sed et visa, tàm in templo, quàm extra templum, cùm ab Angelo, tùm à pastoribus, ipsum deniquè partum ac partitudines, ut non modò illas ignorârit, et mater existens, et virginitatem custodiens, quin et Filium ipsa non senserit. O divinorum operum dispensationes, ac naturarum innovationes! Nullum processus sensum præbuit, et ex utero statim erat in sinu ejus, ut quemadmodùm sine semine atque incognitâ ratione conceptus fuerat ; sic etiam non sine corruptione dumtaxat, verùm etiam insensibiliter nasceretur. Atque id ampliùs habuit figurâ roris ac velleris ; nam ros quidem sponte ac sine strepitu in vellus [descendit]; non spontè tamen, nec sine manu, ex vellere [collectus fuit]; hic verò, præter cætera, ipsum etiam rationale vellus in conceptione latens, quin et totam suam crassitudinem terminumque ex ipso suscipiens, pari facilitate processit, ut non solùm alios, sed et propriam latuerit Genitricem, quasi non sibi tantùm obstetricatus fuisset, sed et semetipsum peperisset.

20. *Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.*

ATHANASIUS.

Qui non solùm mente divinum Verbum continet, sed et in opus perducit, et quasi per virtutes incorporat, et per rectam animat cognitionem quod per fidelem ac sinceram auditionem conceperat, divinum illud et illustre reddens per virtutum exercitationes, implevit illud dictum Prophetæ : *Parturivimus et peperimus spiritum salutis* [2], et convenienter simul ac verè Verbi Dei secundùm carnem ex sanctâ Deiparâ geniti Nativitatem celebrat. Pastores autem qui rationali Christi gregi præfecti sunt, si super dictum gregem, in vitæ hujus nocte, rectè, prudenter, ac vigilanter custodiverint custodias suas, hi non ab hominibus, sed à Virtutibus cœlestibus nati mysterium docebuntur, ità ut et ipsi in posterum inspectores fiant, atque ipsum annuntient.

[1] *Isai.* VI, 3. — [2] *Id.* XXVI, 18.

[a] Infrà, n. 2, usquè ad hanc phrasim inclusivè : « Itaque qui fornicatur, *etc.*, » et n. 3, usquè ad hanc alteram phrasim inclusivè : « Apparuit in parvulo gratia, *etc.* »

EJUSDEM EVANGELII EXPOSITIO

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI.

ORIGENES PRESBYTER [a].

NUMERUS UNICUS. Præmium festinantibus concessum.

Et factum est cùm abiissent ab eis (pastoribus) *Angeli in cœlos, pastores dixerunt ad invicem : Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et puerum.* Quia festinantes venerant, et non pedetentim, neque fesso gradu, ideò invenerunt Joseph, dispensatorem ortûs Dominici, et Mariam, quæ Jesum fudit in partum, et ipsum Salvatorem, jacentem in præsepio. Illud erat de quo Propheta vaticinatus est, dicens : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [1]. Bos animal mundum est, asinus animal immundum : *Cognovit asinus præsepe domini sui :* non populus Israel *cognovit præsepe Domini sui,* sed immundum animal ex Gentibus : *Israel verò me non cognovit, et populus meus me non intellexit* [2]. Intelligentes hoc præsepe, nitamur cognoscere Dominum, et digni fieri scientiâ ejus, assumere quoque Nativitatem et resurrectionem carnis ejus, sed et inclytum ac secundum majestatis ejus adventum : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

S. TITUS BOSTRENSIS [b].

NUM. 1. Pastores Bethleemitici typi sunt sacerdotum. — 2. Quæ sunt verba quæ conservat et confert in corde suo Maria?

1. *Transeamus usquè Bethleem,* inquiunt (pastores quibus apparuit Angelus, evangelizans eis Nativitatem Christi), hoc facto Ecclesiæ Pastores Sacerdotioque initiatos adumbrantes ; horum namque munus est cœlestem panem, hoc est, *Agnum* illum *Dei qui tollit peccata mundi* [3], quique pro suâ ingenti clementiâ quotidiè in mysticâ arâ sese offerri sinit, studiosè inquirere.

2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc.* Ecquænam erant illa quæ sacrosancta Deipara conservabat et observabat? Omnia simpliciter, tàm ea quæ acceperat ab Angelo, quàm ea etiam quæ didicerat à pastoribus. *Conferens in corde suo,* id est, hoc cum illo, et illud rursùm cum altero committens, singulaque cum singulis componens, universa summâ consensione ad hoc tendere comperit, ut eum qui secundùm carnem ex ipsâ natus erat, verum Deum esse probent.

[1] *Isai.* I, 3. — [2] *Ibid.* — [3] *Joan.* I, 29.

[a] Hæc Homilia est finis Homiliæ 13 in Luc. in Operibus Origenis et S. Hieronymi : quæ quidem inscribitur : « De eo quod scriptum est : *Et facta est multitudo exercitûs cœlestis,* « usquè ad hunc locum ubi ait : *Invenerunt Mariam, et Jesum positum in præsepe.* »

[b] Illa est pars posterior Homiliæ cujus partem priorem edidimus, p. 297, utpotè ad Evangelium Missæ in Nocte attinentem.

JOANNES NEPOS SILVANUS, JEROSOLYMITANUS EPISCOPUS[a].

NUM. 1. Festinatio pastorum ad Bethleem. — 2. Maria conferebat quæ audierat legeratque, cum his quæ videbat. — 3. Occidentalium traditio circa tempus Nativitatis Dominicæ constantior quàm Jerosolymitarum et Palæstinorum. Natus Christus in ipso solstitio. — 4. Nascens in terrâ homo perfectus, Christus totum hominem salvavit.

1. *Dixerunt utiquè pastores : Transeamus usquè Bethleem.* Dimittamus desertum templum, *et transeamus usquè ad Bethleem, et videamus Verbum quod factum est.* [[b] Verè quasi vigilantes non dixerunt : Videamus puerum, videamus quid dicitur ; sed : *Videamus Verbum, quod factum est : In principio erat Verbum ; et Verbum caro factum*[1]. Et Verbum, quod semper fuit, videamus quomodò pro nobis factum est : *Et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis.* Verbum hoc, ipsum se fecit, siquidem hoc ipsum Verbum Dominus est. Videamus igitur quomodò hoc ipsum Verbum, hoc est, Dominus ipse se fecerit, et ostenderit nobis carnem suam ; quod enim videre non poteramus, dùm erat Verbum, videamus carnem : quia caro est, videamus quomodò *Verbum caro factum est.*] *Et venerunt festinantes ;* ardor enim animi et desiderium vincebant : pedes non poterant tantùm currere, quantùm mens cupiebat aspicere. *Et venerunt festinantes.* Quia tanto ardore currebant, propterea inveniunt quem quærebant. Videamus quid inveniunt : *Mariam, et Joseph.* Si verè uxor erat, utiquè injuriæ erat dicere : Invenerunt uxorem, invenerunt maritum : nunc verò primùm feminam ponunt, posteà virum [c]. Et quid dicit : *Invenerunt Mariam, et Joseph ? Invenerunt Mariam* matrem, *invenerunt Joseph* nutritium, *et infantem positum in præsepio. Videntes cognoverunt de verbo*, etc.

2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* [[d] Quid vult hoc quod dicit : *Conferens?* Debuit dicere : Ponens in corde suo : debuit dicere : Considerabat in corde suo, et notabat sibi. Aliquid dicit : *Conferens in corde suo.* Quoniam sancta erat, et sanctas Scripturas legerat, et sciebat Prophetas, recordabatur quòd Angelus Gabriel sibi dixerat illa quæ dicta sunt in Prophetis. Cum his, videbat, conferens in corde suo, si staret : *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc.[2]. Hoc Gabriel dixerat. Prædixerat Isaias : *Ecce Virgo concipiet, et pariet*[3] *:* hoc legerat : illud audierat. Videbat jacentem puerum, videbat in præsepi puerum vagientem, jacentem Dei Filium, suum filium, unum filium, videbat jacentem ; et conferebat quæ audierat, quæque legerat, cum his quæ videbat. Quia illa conferebat in corde suo, et nos tractemus in corde nostro quòd hodiernâ die Christus nascitur.]

3. Alii putant quòd in Epiphaniis nascitur [e]. Non damnemus aliorum opinionem, nostram sequamur doctrinam. Unusquisque in suo sensu abundat. Et forsitan revelabit unicuique Dominus. Et illi, qui tunc dicunt nasci Salvatorem, et nos, qui hodiè dicimus nasci, unum Dominum colimus, unum infantulum suscipimus. Sed videamus quia magis rationabilis ratio nostra non reprehendit alios, sed nos probat : non sunt nostra, quæ loquimur : Majorum sententia est : universus mundus contra hujus provinciæ opinionem loquitur. Dicat aliquis : Hìc Christus natus est : ergò magis illi sciunt, qui longè, quàm isti qui propè sunt? Vobis qui dixerunt? Qui sunt in istâ provincia? Utiquè Apostoli Petrus et Paulus, et cæteri Apostoli. Vos ejecistis, nos suscepimus. Petrus, qui hìc fuit cum Joanne, qui hìc fuit cum Jacobo, nos in Occidente docuit ; et vestri igitur et nostri Apostoli magistri sunt. Dico et aliud : Judæi eo tempore regnabant in Judæâ. Deniquè scriptum est in Actibus Apostolorum : *Et facta est persecutio magna in illo tempore, et dissipati sunt credentes ;* et iterùm : *In Cyprum venerunt, Antiochiam*[4] : totum orbem penetrârunt, qui de Judæâ expulsi fuerant. Quomodò ergò et Judæi regnabant, post ascensionem Domini quadraginta duobus annis? Alibi pax erat, hìc bellum erat. Magis itaque traditio ibi debuit servari, quàm hìc ubi discordia. Deindè post quadraginta duos annos venit Vespasianus et Titus : subversâ Jerosolymâ atque destructâ, omnes qui Judæi fuerant et Christiani, penitùs ejecerunt. Deindè post annos

[1] *Joan.* I, 1 *et* 14. — [2] *Luc.* I, 35. — [3] *Isai.* VII, 14. — [4] *Act.* VIII, 1 *et* XI, 19 *et* 20.

[a] Illa est pars posterior Homiliæ cujus priorem partem edidimus p. 298-299, utpotè ad Evangelium Missæ in Nocte attinentem. Ibi lege Monitum quod præposuimus.

[b] Verbis uncis inclusis verba omninò similia leguntur apud Vener. Bedam, infrà, p. 389, initio col. 1 : undè fortè colligi posset vel Bedam illa ex Joanne Jerosolymitano mutuatum esse, vel Auctorem hujus Homiliæ esse latinum, ut illud vult Combefisius.

[c] *Si verè uxor erat*... Noluit utiquè Joannes Jerosolymitanus dicere quòd illo momento verum matrimonium inter Mariam et Josephum non adhuc intercessisset : dicere tantùm voluit quòd, non obstante hoc matrimonio, quoniam Maria vera infantis mater esset, dùm Josephus hujus ejusdem infantis tantùm foret nutritius, profectò conveniens, imò necesse esset eam ante Josephum nominari.

[d] Quod uncis includitur, adhuc legitur, saltem quoad sensum, apud Vener. Bedam, infrà, pp. 389-390, n. 4.

[e] Sic docebat et S. Epiphanius. Id in Ecclesiâ græcâ servabatur, præsertim in Ægypto.

multos usquè ad Adrianum solitudo mansit. In istâ provinciâ nullus Judæorum, nullus Christianorum erat. Venit Adrianus, et quoniam rursùs in Galilæâ rebellârunt Judæi, reliquias ipsius civitatis desolavit : legem tunc dedit, ut nullus Judæorum Jerosolymis accederet; et in istam civitatem de diversis provinciis adduxit Neotericos [a]. Deniquè dicebatur Adrianus Ælius. Adrianus ergò nomine suo, quoniam Jerosolymam subverterat, Æliam nuncupavit. Hoc totum quarè dico? Quia nobis dicunt: Hic Apostoli fuerant, hìc traditio fuit. Nos ergò dicimus quia hodiè Christus natus est, in Epiphaniis renatus est. Vos struite nobis generationem, et regenerationem, vos qui dicitis in Epiphaniis natum. Quandò ergò accepit baptismum? nisi verum [b] eventum dicitis, ut in eàdem die et natus sit, et renatus. Prædicationi nostræ etiam creatura consentit : mundus ipse testis voci nostræ. Usquè ad hanc diem tenebræ crescunt, ab hâc die decrescunt tenebræ : lux crescit, decrescunt tenebræ : crescit dies, decrescit nox : errorem veritas subit, hodiè nobis Sol justitiæ nascitur. Simulque et aliud considerate : Inter Dominum et Joannem Baptistam sex menses sunt : si consideretis nativitatem Joannis, et hanc diem, videbitis sex menses tantùm habuisse.

4. Quoniam verò multa diximus, et infantem vagientem in præsepi audivimus et adoravimus, usquè hodiè adoremus illum. Tollamus in brachiis nostris, adoremus illum Dei Filium. Deus magnus, qui tanto tempore tonavit in cœlo et non salvavit, vagiit et salvavit. Hoc totum quarè dixi? Quoniam numquàm salvat superbia; sed salvat humilitas. Dei Filius in cœlo erat, et non adorabatur : in terram descendit, et adoratur : habebat sub se solem, et lunam, et Angelos, et non adorabatur [c] : in terrà nascitur homo perfectus, homo totus, ut sanaret totum orbem. Quidquid non assumpsit ex homine, non salvavit [d]; si autem assumpsit carnem, et animam non assumpsit, non salvavit. Salvavit ergò quod minus est, et quod majus est, non salvavit? Si enim dicunt : Salvavit et animam, quam assumpsit : sicut major est anima corpore, sic ipsius animæ principale sensus [e] est ; si autem sensum non salvavit, animam, quod minus, salvavit? Sed dices [f] : Propterea non assumpsit humanum sensum, ne vitia humana haberet in corde, hoc est, cogitationes malas. Si ergò ipse non potuit vincere quod fecit, mihi indignatur quòd non possum vincere quod ipse debuit? Obliti sumus propositum nostrum : plùs diximus quàm cogitaveramus : aliud mens disputavit, ad aliud lingua prolapsa est. Præparemus igitur aures nostras Pontifici, et quidquid à nobis minus dictum est, intentis auribus audiamus, benedicentes Dominum : cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

✠ THEOPHILACTUS, ARCHIEPISC. ACRIDIS IN BULGARIA.

NUM. I. Pastores figura sunt spiritualium pastorum. — 2. Quænam erant verba illa quæ Maria conferebat in corde suo?

1. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in cœlum, homines pastores loquebantur inter sese : Transeamus jàm Bethleem usquè, et videamus hoc quod accidit, quod Dominus aperuit nobis. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepi. Cùm vidissent autem, divulgaverunt de verbo, quod dictum erat ipsis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Pastores illi figura sunt spiritualium Pastorum. Oportet igitur Episcopos custodire gregem suum, et ἀγραυλεῖν, *in agro canere*, hoc est, canere spiritualia, et docere populum, et sic audire divinas visiones et auditus. Bethleem interpretamur *domum panis*. Quæ autem alia est domus panis, quàm Ecclesia, in quà panis repositus est? Officium itaque spiritualium Pastorum fuerit quærere panem cœlestem : quem cùm viderint, debent illum et aliis prædicare, sicut et pastores qui viderunt infantem, locuti sunt de eo et aliis.

2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores*, etc. Quæ verba conservabat Virgo? Quidam dicunt quòd ea quæ Angelus ei dixerat, et quæ pastores narraverant, conservàrit et contulerit secum, inveneritque in omnibus sententiam consonam unam, quòd Deus sit filius suus. Mihi autem viden-

[a] Adrianus novis coloniis ex nomine suo novam civitatem condidit, pro Jerosolymis.

[b] *Fortè*, merum.

[c] Non adorabatur ab hominibus, qui illum ignorabant. Sic et Gregorius, Epist. ad Cledonium.

[d] Contra Arianos.

[e] Id est, intelligendi vis.

[f] Nondùm proditos Pelagianos egregiè evertit.

tur verba hoc loco res vel gesta dici, et id esse quod dicitur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc*, id est, gesta hæc quæ nunc ego dico et facio esse verba; gesta enim, quandò narrantur, dicuntur verba. Porrò pastores reversi sunt gratias agentes Deo in omnibus; neque enim erant invidi, ut Judæi.

II. PATRES ET SCRIPTORES LATINI.

S. AMBROSIUS, MEDIOLANENSIS EPISCOPUS,

ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

Num. 1. Pastores festinant videre Verbum. — 2. Exemplo Mariæ, audiamus, et malimus discere quàm docere.

1. *Et aiunt* (pastores, quibus apparuit Angelus, nuntians eis natum Dominum) : *Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, sicut Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes.* Vides festinare pastores; [[b] nemo enim cum desidiâ Christum requirit.] Vides pastores Angelo credidisse; et tu Patri, Filio, Spiritui sancto, Angelis, Prophetis, et Apostolis crede [c]. Vide quàm signatè Scriptura singulorum libret momenta verborum : *Festinant*, inquit, *Verbum videre.* [[d] Etenim, cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est Filius.] Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certè, quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientûm, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita, et fucare nesciret; simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Nec contemnenda putes quasi verba vilia Prophetarum [e]. A pastoribus etiam Maria fidem colligit : à pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur; *mirati enim sunt de iis quæ dicebantur à pastoribus ad ipsos.*

2. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ, non minùs ore pudica quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? Si Maria ante præcepta Apostolica tacet, cur tu post Apostolica præcepta magis cupis docere quàm discere? Disce vitium esse personæ, non sexûs; sexus enim sanctus. Denique Maria præceptum non accepit, exemplum edidit.

VENERABILIS BEDÆ, ANGLO-SAXONIS PRESBYTERI,

HOMILIA I [f].

Num. 1. Pastores festinant videre Verbum. — 2. Pastorum instar, si quærimus Christum sine desidiâ, illum sine morâ inveniemus. — 3. In Veteri Testamento Deus pastores ordinavit præcipuos suæ dispensationis nuntios. — 4. Maria conferebat ea quæ acta sunt de Domino cum his quæ scripta erant de Domino. — 5. Pastores Deo gloriam laudesque referunt.

1. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem*, etc. Verba pastorum quàm sint rationabilia, et Pastoribus Ecclesiæ digna, diligenter

[a] Illa est pars posterior Homiliæ cujus priorem partem edidimus pp. 319-321, utpotè ad Evangelium Missæ in Nocte attinentem.

[b] Verba uncis inclusa leguntur, quoad sensum, apud Vener. Bedam infrà, p. 389, n. 2.

[c] *Aliàs :* « Credere non vis. »

[d] « Cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est Filius; » quia, propter unionem hypostaticam, ut loquuntur Theologi, naturæ humanæ cum divinâ, non adest in Homine-Deo, remanentibus duabus naturis, nisi una persona, quæ est Filii Dei. Hæc legis, quoad sensum, apud Joannem Jerosolymitanum suprà, p. 386, n. 1, et apud Vener. Bedam infrà, p. 389, initio col. 1.

[e] Vide Notam *a* suprà, p. 382.

[f] Hæc est pars posterior Homiliæ cujus etiam priorem partem edidimus pp. 823-327. Desumpta est igitur, sicut pars prior, ex Libro 1 Expositionis in Lucæ Evangelium, c. 2.

inspice. [[a] Verè enim quasi vigilantes non dixerunt : Videamus puerum, videamus quid dicitur; sed : *Videamus Verbum, quod factum est : In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est*[1]. Verbum, quod semper erat, videamus quomodò pro nobis [b] factum est. *Quod fecit Dominus, et ostendit nobis :* Verbum hoc, ipsum se fecit, siquidem hoc ipsum Verbum Dominus est. Videamus igitur quomodò hoc ipsum Verbum, hoc est, Dominus ipse se fecerit, et ostenderit nobis carnem suam; quod enim videre non poteramus, dùm erat Verbum, videamus factum, quia caro est :] cui simile est, quod Joannes ait : *Quod fuit ab initio, quod audivimus,* etc. [2].

2. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam,* etc. Festinant pastores : Christi, quem cognovere, totâ mentis intentione videre adventum desiderant; [[c] neque enim cum desidiâ Christi est quærenda præsentia]; et ideò fortè nonnulli quærentes invenire non merentur, quia desidiosè Christum requirunt. Ideò pastores isti sine morâ invenerunt, quia ad illum fide non fictâ currebant, ad quem festinanter ire, est non pedum gressus accelerare, sed in fide semper ac virtute proficere : *Invenerunt,* inquit, *Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* Sed et Dominici gregis Pastores quò crebriùs ac suaviùs inter hujus vitæ tenebras cœlesti attolluntur oraculo, eò ferventiùs sublimem Patrum præcedentium vitam, in quâ panis vitæ semper et servatur, et reficit, quasi portas Bethleem contemplando, subeunt, nihilque in hâc aliud quàm virginalem Catholicæ Ecclesiæ pulchritudinem, quasi *Mariam,* virilem spiritalium Doctorum cœtum, quasi *Joseph,* et humilem Mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu Christi adventum Scripturæ sacræ paginis insertum, quasi *in præsepio positum infantem Christum* primâ visione reperiunt [d]. De quo videlicet sanctarum Scripturarum præsepio eximium illud animal et sacrosanctis hostiis aptissimum pascebatur, quod exsultando proclamabat : *Dominus pascit me,* etc. [3]; et paulò pòst : *Parâsti in conspectu meo,* etc. [4]. *Videntes autem,* inquit, *cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc,* quia nimirùm justi est ordinis, ut cognitâ, amatâ, et honore digno celebratâ Verbi Incarnatione, ad ipsam quandoquè Verbi gloriam contuendam capacioris longo exercitio mentis acumine pertingatur.

3. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* [[e] A pastoribus populus ad Dei reverentiam cogitur. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certè, quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem. Non sapientes, sed simplices, qui fucare audita nescirent, Dominus suî præcones elegit : non rhetores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit.] Deniquè et in Veteri Testamento, præcipuos quosque suæ dispensationis nuntios pastores ordinavit. Protomartyr Abel, qui innocuam pastoralis officii conversationem proprio sanguine dicavit, cujusque in figuram Dominicæ passionis sanguis clamat de terrâ, quasi doctissimus ac primus opilionum primitias gregum suorum Domino devotus offerebat [5]. Abraham pater fidei, qui *exsultavit ut videret diem Christi, et vidit, et gavisus est* [6], non auri metalla, quibus suo cultui ornamenta conquireret, sed aquarum fontes, quibus pecora potaret, in terræ venis fodiendo quæsîsse describitur [7]. Jacob, duodecim tribuum pater, bis denis annis in pascendis pecoribus æstu urebatur et gelu [8], quorum in figuram veri Pastoris habitum, ostensâ inter doctrinæ salutaris aquas virtutum suarum varietate, statu sublimiore donabat. Legislator Moyses, qui priùs in typum Ecclesiæ septiformis, sorores septem pascentes ab irruentium pastorum, donec suas oves adaquarent, improbitate defendit [9], postmodùm inter pascua deserti Dominum videre, et alloqui [10], atque in virgâ pastorali signa facere, ac populum Dei liberare promeruit [11]. Ipse David, cujus Dominus noster vocari et esse dignatus est filius, arietem sui patris de manu ursi vel leonis eripiens [12], ostendit eum de suâ stirpe et civitate nasciturum, cui similis non est, *eripiens inopem de manu fortioris ejus, egenum et pauperem à rapientibus eum* [13]. Et ideò non est parviducenda pastorum attestatio, qui tunc vigilare, et Angelicæ exsultationis hymnum audire meruerunt, quandò, relictis in deserto nonaginta novem ovibus, ad requirendum ovem centesimam bonus Pastor apparuit [14] : cujus semper adventum totus fidelium grex desiderans implorat : *Erravi, sicut ovis quæ perierat : require servum tuum, Domine* [15].

4. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* [[f] Quid vult hoc quod dicit : *Conferens?* Debuit dicere : Conside-

[1] *Joan.* I, 1 *et* 14. — [2] I *Joan.* I, 1 *et* 2. — [3] *Psalm.* XXII, 1 *et* 2. — [4] *Ibid.* 5. — [5] *Gen.* IV, 4. — [6] *Joan.* VIII, 56. — [7] *Gen.* XXI, 25. — [8] *Id.* XXXI, 38 *et seqq.* — [9] *Exod.* II, 17. — [10] *Id.* III, 2 *et seqq.* — [11] *Id.* VII-XV. — [12] I *Reg.* XVII, 34. — [13] *Psalm.* XXXIV, 10. — [14] *Matth.* XVIII, 12. — [15] *Psalm.* CXVIII, 176.

[a] Similia verbis uncis inclusis reperis, ut jàm diximus, apud Joannem Jerosolymitanum suprà, p. 386, n. 1, et sententia principalis hujus numeri etiam exprimitur per verba Ambrosii uncis quoque inclusa, p. 388, n. 1. — [b] In Manuscripto quo usus est D. Thomas, additur vox *caro*, ut videre est apud illius Catenam auream, p. 381, col. 2. — [c] Similiter Ambrosius suprà, p. 388, n. 1. — [d] Non poterat Vener. Beda evidentiùs exponere quòd vita Patrum est mystica Bethleem, ubi Maria, Joseph, atque infans mysticè inveniuntur. — [e] Similiter Ambrosius, loco superiùs citato. — [f] Hic numerus etiam legitur, quoad sensum, apud Joannem Jerosolymitanum suprà, p. 386, n. 2.

rabat in corde suo et conservabat in corde suo; sed quia sanctas Scripturas legerat, et sciebat Prophetas, conferebat ea quæ secum sunt acta de Domino, cum his quæ noverat à Prophetis scripta de Domino, et collata ad invicem cognovit instar cœlestium Cherubim sociâ sui vultûs luce concordia. Dixerat enim Gabriel : *Ecce concipies in utero, et paries Filium* [1]. Prædixerat Isaias : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium* [2]. Prædixerat Michæas filias Sion in Turre gregis adventuras, et potestatem primam tunc esse venturam [3]. Dicebant pastores, supernæ sibi civitatis in Turre gregis apparuisse cohortes, quæ natum canerent Christum. Legerat Maria : *Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [4]. Videbat in præsepi Dei Filium vagientem, qui homines salvat ac jumenta [5]; et in his singulis atque hujusmodi conferebat quæ legerat, et incomparabat his quæ audiebat et videbat.]

5. *Et reversi sunt pastores, glorificantes*, etc. Glorificant pastores et laudant Deum *in omnibus quæ audierant* ab Angelis, *et viderant* in Bethleem, *sicut dictum est ad illos*, id est : et in hoc glorificant, quòd non aliud venientes invenerant, quàm quod dictum est ad illos : sive : *Sicut dictum est ad illos*, gloriam Deo laudesque referunt; et hoc enim illis facere dictum est ab Angelis, non quidem verbo imperantibus, sed formam suæ devotionis offerentibus, cùm Deo in excelsis gloriam unanimi exsultatione resonarent; nam et qui dicit : *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, ad glorificandum utiquè Deum laudandumque provocat. Sed et magistri spiritualium gregum modò, cæteris dormientibus, contemplando cœlestia subeunt, modò fidelium castra lustrando et probitatis exempla quærendo circumeunt, modò ad publicum pastoralis officii docendo redeunt, ut *memoriam abundantiæ suavitatis Dei*, quam raptim licèt intuendo gustaverant, prædicando proximis *eructent* [6].

✠ EJUSDEM HOMILIA II [a].

NUM. 1. Pastores gregum mysticè significant Pastores animarum. Ad instar pastorum transeamus usquè Bethleem superam. — 2. Cum pastoribus festinemus bonorum profectibus operum videre glorificatam humanitatem Christi : plenâ dilectione amplectamur quæ dicta sunt de Salvatore nostro. — 3. Omnibus christianis, pastoribus et fidelibus, incumbit opus invigilandi animabus subditorum. — 4. Maria conferebat quæ fienda legerat cum his quæ jàm facta cognovit. — 5. Et verbo et facto Deum de nobis tàm benè meritum prædicemus.

1. [b]Nato in Bethleem Domino Salvatore, sicut sacra Evangelii testatur historia, pastoribus qui in regione eàdem erant vigilantes vigilias noctis super gregem suum, Angelus Domini magnâ cum luce apparuit, exortumque mundo Solem justitiæ non solùm cœlestis voce sermonis, verùm etiam claritate divinæ lucis adstruxit. Nusquàm enim in totâ Veteris Testamenti serie reperimus Angelos, qui tàm sedulò apparuere patribus, cum luce apparuisse; sed hoc privilegium rectè hodierno tempori servatum est, quandò *exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors et miserator Dominus* [7]. Verùm ne parva unius Angeli videretur auctoritas, postquàm unus sacramentum novæ Nativitatis edocuit, statim multitudo cœlestium agminum, quæ gloriam Deo caneret, pacemque simul hominibus prædicaret, adfuit, apertè demonstrans, quia per hanc Nativitatem homines ad pacem unius fidei, spei et dilectionis, atque ad gloriam divinæ laudationis essent convertendi. Significant autem mysticè pastores isti gregum Doctores quosque ac Rectores fidelium animarum. Nox, cujus vigilias custodiebant super gregem suum, pericula tentationum indicat, à quibus se suosque subjectos omnes qui perfectè vigilant, custodire non desistunt. Et benè, nato Domino, pastores super gregem vigilant; ille enim natus est, qui dicit : *Ego sum Pastor bonus : bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis* [8]; sed et tempus imminebat, quo idem Pastor summè bonus, missis in mundum pastoribus, oves suas, quæ longè latèque dispersæ errabant, ad semper virentia cælestis vitæ pascua revocaret. Quarum curam summo Pastori præcepit : *Si diligis me, pasce oves meas* [9]. Quod apertiùs aperiens, ait : *Confirma fratres tuos* [10]. *Et factum est ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pa-*

[1] *Luc.* I, 31. — [2] *Isai.* VII, 14. — [3] *Mich.* IV, 8. — [4] *Isai.* I, 3. — [5] *Psalm.* XXXV, 7. — [6] *Id.* CXLIV, 7. — [7] *Id.* CXI, 4. — [8] *Joan.* X, 11. — [9] *Id.* XXI, 17. — [10] *Luc.* XXII, 32.

[a] In editione Coloniæ 1612 reperitur inter Homilias hyemales de Sanctis : quæ quidem inscribitur : « In Aurorâ Nativitatis Domini, » quæque hunc præfert textum : *In illo tempore, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethleem*, etc. — [b] Si cum isto numero 1 conferas apud eumdem Bedam, pp. 326-327, num. 6, 7 et 9; p. 330, num. 5 et 6, et p. 389, num. 1 : sicuti apud Joannem Jerosolymitanum, p. 386, num. 1; et apud S. Ambrosium, p. 388, num. 1; profectò easdem sententias, plùs vel minùs amplificatas, hîc reperies.

stores loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Pastores quidem illi felici gaudio festinârunt videre quod audierant, et quia ardenti amore quæsierunt, continuò Salvatorem quem quæsierunt, invenire meruerunt. Sed intellectualium pastores gregum, imò cuncti fideles quâ mentis industriâ Christum quærere debeant, dictis pariter suis ostenderunt et factis : *Transeamus*, inquiunt, *usquè Bethleem, et videamus hoc Verbum, quod factum est.* Transeamus ergò et nos, fratres charissimi, cogitando usquè Bethleem, civitatem David, et recolamus amando quòd in eâ *Verbum caro factum est* [1], atque ejus Incarnationem dignis celebremus honoribus. Transeamus, abjectis concupiscentiis carnalibus, toto mentis desiderio usquè Bethleem supernam, id est, *domum panis vivi* [a], *non manufactam*, sed *æternam in cœlis* [2], et recolamus amando quia *Verbum caro factum est.* Illuc carne ascendit : ibi in dexterâ Dei Patris sedet. Illò eum totâ virtutum instantiâ sequamur, et sollicitâ cordis et corporis castigatione procuremus, ut quem illi in præsepio vidêre vagientem, nos in Patris solio mereamur videre regnantem. *Et videamus*, inquiunt, *hoc Verbum, quod factum est.* Quàm recta et pura fidei sanctæ confessio : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [3]! Hoc Verbum natum ex Patre, non factum est, quia creatura Deus non est. In quâ Nativitate divinâ videri ab hominibus non potuit; sed, ut videri posset, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [4]. *Videamus* ergò, inquiunt, *hoc Verbum, quod factum est*, quia, antequàm factum esset, hoc videre nequivimus. *Quod fecit Dominus, et ostendit nobis,* quod incarnari fecit Dominus, et per hoc visibile nobis exhibuit.

2. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* Venerunt pastores festinantes, et invenerunt Deum hominem natum, simul et ejusdem Nativitatis ministros. Festinemus et nos, fratres mei, non passibus pedum, sed bonorum profectibus operum videre eamdem glorificatam humanitatem cum ejusdem ministris dignâ servitutis suæ mercede remuneratis : festinemus videre illum in divinâ Patris ac suâ majestate fulgentem. Festinemus, inquam; nam non est tanta beatitudo cum desidiâ ac torpore quærenda; sed alacriter sunt Christi sequenda vestigia. Nam ipse cursum nostrum datâ manu juvare desiderat, delectaturque audire à nobis : *Trahe me post te : curremus in odorem unguentorum tuorum* [5]. Citiùs ergò virtutum gressibus sequamur, ut mereamur consequi : *Nemo tardet converti ad Dominum, nemo differat de die in diem* [6], ipsum per omnia et ante omnia precantes, *ut gressus nostros dirigat secundùm eloquium suum, et non dominetur nostri omnis injustitia* [7]. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Et nos, fratres dilectissimi, quæ dicta sunt nobis de Salvatore nostro, Deo vero et homine, interim piâ fide percipere, et plenâ dilectione festinemus amplecti, ut hæc in futuro perfectæ cognitionis visu comprehendere valeamus. Hæc etenim sola ac vera est beatorum non solùm hominum, sed et Angelorum vita, faciem perpetuò sui cernere Creatoris, quam desiderabat ardenter Psalmista, qui dicebat : *Sitivit anima mea ad Deum vivum : quandò veniam et apparebo ante faciem Dei* [8], cujus solius visione, non autem ullâ terrenarum rerum affluentiâ desiderium suum satiari posse signavit, dùm ait : *Satiabor, dùm manifestabitur gloria tua* [9]? Verùm, quia non otiosi ac desides, sed qui virtutum operibus insudant, divinâ contemplatione sunt digni, sollicitè præmisit : *Ego autem cum justitiâ apparebo in conspectu tuo* [10]. Videntes ergò pastores cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Christo, quia visio Dei cognitio ejus est, et hæc est sola beata hominis vita, ipso dicente ac testante qui nos Patri commendans, dicit inter alia : *Hæc est autem vita æterna*, etc. [11].

4. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Non celavere silentio pastores arcana quæ divinitùs agnoverant, sed quibuscumque potuere, dicebant, quia et spiritales Ecclesiæ Pastores in hoc maximè sunt ordinati, ut Verbi Dei mysteria prædicent, et mira quæ in Scripturis didicerint, miranda suis auditoribus ostendant. Non solùm autem Pastores, Episcopi, Presbyteri et Diaconi, vel etiam Rectores monasteriorum sunt intelligendi, sed et omnes fideles, qui vel parvulæ suæ domûs custodiam gerunt, pastores rectè vocantur, in quantùm eidem suæ domui sollicitâ vigilantiâ præsunt. Et quicumque vestrûm saltem uni aut duobus fratribus quotidiano regimine præest, pastoris ejusdem debet officium implere, quia, in quantùm sufficit, pascere hos verbi dapibus jubetur : imò unusquisque vestrûm, fratres, qui etiam privatus vivere creditur, pastoris officium tenet, et spiritalem pascit gregem, vigiliasque noctis custodit super illum, si bonorum actuum

[1] *Joan.* I, 14. — [2] II *Cor.* V, 1. — [3] *Ibid.* 1. — [4] *Ibid.* 14. — [5] *Cant.* I, 3. — [6] *Eccli.* V, 8. — [7] *Psalm.* CXVIII, 133. — [8] *Id.* XLI, 3. — [9] *Id.* XVI, 15. — [10] *Ibid.* — [11] *Joan.* XVII, 3.

[a] Vide Notam *c* suprà, p. 382.

cogitationumque mundarum sibi aggregans multitudinem, hæc justo moderamine gubernare, cœlestibus Scripturarum pascuis nutrire, et pervigili solertià contra immundorum spirituum insidias servare contendit.

4. [a] *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Maria virginalis pudicitiæ jura custodiens, secreta Christi quæ noverat, nemini divulgare volebat [b]; sed ipsum hæc, quandò vellet, et quomodò vellet, divulgare, reverenter exspectabat. Ipsa autem eadem secreta ore tacito, vigili tamen corde, sedula scrutabatur. Et hoc est quod ait: *Conferens in corde suo.* Conferebat quippè ea quæ acta videbat his quæ agenda legerat. Videbat namque se de stirpe David ortam in Nazareth de Spiritu sancto Filium Dei concepisse. Legerat in Prophetà : *Exiet virga de radice Jesse, et Nazareus de radice ejus descendet, et requiescet super eum spiritus Domini* [1]. Legerat et : *Tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda; exte enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis* [2]. Videbat se in Bethleem peperisse Dominatorem Israel, qui æternus ex Patre, Deus ante sæcula natus est: videbat se Virginem concepisse, et peperisse filium, et vocàsse nomen ejus Jesum. Legerat in Prophetis : *Ecce, Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [3]. Legerat: *Bos cognovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* [4]. Videbat Dominum positum in præsepi, quò bos et asinus solent nutriendi advenire. Meminerat sibi dictum ab Angelo: *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. [5]. Legerat modum Nativitatis ejus, nonnisi Angelo revelante, potuisse cognosci, dicente Isaià : *Generationem autem ejus quis enarrabit* [6]? Legerat : *Et tu, Turris gregis nebulosa, filia Sion usquè ad te veniet; et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem* [7]. Audiebat Angelicas Virtutes, quæ sunt filiæ supernæ civitatis, apparuisse pastoribus in loco, qui à conventu pecorum antiquitùs *Turris gregis* vocabatur, et est uno milliario ad orientem Bethleem, ubi etiam nunc tria pastorum illorum monumenta in Ecclesià monstrantur. Noverat tunc venisse in carne Dominum, cui una et æterna est cum Patre potestas, qui regnum daret Ecclesiæ, filiæ, scilicet, cœlestis Jerusalem. Conferebat ergò Maria ea quæ fienda legerat cum his quæ jàm facta cognovit; non hæc tamen ore promens, sed clauso servans in corde suo.

5. *Et reversi sunt pastores*, etc. Discamus et nos, fratres charissimi, à contemplatione Dominicæ dispensationis, quâ nobis piè subvenire dignatus est, ad agendas semper beneficiis ejus gratias, reverti. Si enim illi, solâ adhuc Nativitate ejus cognitâ, reversi sunt, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, quantò magis oportet nos, qui totam Incarnationis illius seriem ex ordine cognovimus, qui sacramentis illius imbuti sumus, in omnibus gloriam ejus ac laudem non solùm verbo, sed etiam factis prædicare; neque umquàm oblivisci quòd ideò Deus homo natus est, ut nos ad imaginem et similitudinem suæ divinitatis renascendo reficeret : ideò baptizatus est aquâ, ut ad nostrorum ablutionem scelerum omnium fluenta fecundaret aquarum : ideò tentatus in eremo, ut, vincendo tentatorem, nobis quoque vincendi peritiam virtutemque tribueret: ideò mortuus, ut mortis destrueret imperium [8] : ideò surrexit et ascendit in cœlum, ut nobis resurgendi à mortuis, atque in cœlestibus perpetuò regnandi spem exemplumque præberet. Pro quibus singulis reversi ad intuitum piissimæ dispensationis ejus, glorificemus et laudemus ipsum Deum nostrum Jesum Christum : qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritûs sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. BRUNO ASTENSIS, ABBAS MONTIS CASINI,

ET EPISCOPUS SIGNIENSIS[c].

NUM. 1. Loquuntur ad invicem pastores transeuntes usquè Bethleem. — 2. Inveniunt in stabulo Mariam, stellam maris, in præsepio Jesum, Solem justitiæ. — 3. Cognoscunt de verbo, quod dictum illis erat de puero. — 4. Aliis nuntiant ea quæ viderant. — 5. Acceperunt Evangelistæ à Marià quæ de Domini infantià ac Nativitate scripserunt. — 6. Pastores Deum nascentem quem viderant, collaudant.

1. *Pastores*, inquit (Lucas), *loquebantur ad invicem;* et de his quæ audierant et viderant, inter se tractantes, dicebant : Mira sunt quæ audivimus : stupenda quæ vidimus : cœlis gloria, pax

[1] *Isai.* XI, 1. — [2] *Mich.* V, 2.— [3] *Isai.* VII, 14.— [4] *Id.* I, 3. — [5] *Luc.* I, 35.— [6] *Isai.* LIII, 8. — [7] *Mich.* IV, 8. — [8] *Hebr.* II, 14.

[a] Confer hunc numerum cum eodem Homiliæ præcedentis et cum numero 2 Homiliæ Joannis Jerosolymitani, suprà, p. 386. — [b] Vide Notam *b* suprà, p. 382.— [c] Illa est pars posterior Homiliæ cujus priorem partem edidimus suprà, pp. 332-333, utpotè ad Evangelium Missæ in Nocte attinentem : ideò desumpta est etiam, sicut pars prior, è Commentariis in Luc., Part. 1, c. 2, n. 7.

terris promittitur : *Salvator hodiè natus est nobis*, Rex novus hodiè datus est nobis, *qui est Christus Dominus in civitate David.* Quid igitur facimus? Cur moramur? *Transeamus usquè Bethleem;* ipsa est enim civitas David; *et videamus hoc Verbum*, et credamus quòd *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [1]. *Quod factum est.* Quantùm enim ad se neque factum, neque creatum est; factum tamen quodammodò est, quia *Verbum caro factum est* [2]. *Quod Dominus ostendit nobis.* Videamus corporaliter quod Dominus ostendit nobis spiritualiter; et quod mente concepimus, et fide tenemus, restat ut oculis intueamur.

2. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* In stabulo stellam, in præsepio Solem invenerunt, quia Maria stella maris, *Sol justitiæ* [3] Christus vocatur. Recedant igitur tenebræ, fugiat caligo, quia stella in stabulo et Sol in præsepio fulget. Fetor quoque ibi esse non potest, ubi est *flos campi, et lilium convallium* [4], cujus odore suavissimo nimiùm delectata Ecclesia dicit : *Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum* [5]. Sed quid de matre Domini dicam, cujus odoris fragrantiam rex sapientissimus Salomon admirans, ait : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii* [6]? Ubi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fetoris indicium esse non potest.

3. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Hic est enim ille puer, de quo scriptum est : *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitiâ, amodò et usquè in sempiternum : zelus Domini exercituum faciet hoc* [7]. His enim paucis verbis Nativitas, et nobilitas, virtus, et fortitudo, imperium, et justitia, et cætera quæ ad laudem et gloriam hujus pueri pertinent, describuntur.

4. *Et omnes qui audierant, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* [*Quis enim usquè hodiè non miretur, audiens Pastores in Ecclesiâ prædicare? Quis non miretur, audiens Presbyteros et Episcopos Christi magnalia et verba Evangelica nuntiare? Quis non miretur, quòd ille qui omnia fecit, hodiè natus est, quòd *Verbum caro factum est*, et quòd ille qui cœlum palmo conclusit [8], hodiè in præsepio positus est, et parvis pannis involutus est? Sed pauca sunt illa quæ tunc illi pastores nuntiabant : multò plura nostri Pastores, Episcopi videlicet et Sacerdotes, prædicant et nuntiant, valdè miranda multùmque stupenda, et cunctis fidelibus fideliter firmiterque credenda et tenenda : undè et subditur :]

5. *Maria autem conservabat omnia hæc verba, in corde suo conferens.* O mater sapientissima et sola talis Filii dignissima, quæ omnia verba hæc in corde suo ideò conferebat, nobisque conservabat et memoriæ commendabat, ut posteà, ipsâ docente, ipsâ narrante et nuntiante, scriberentur, et in universo mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nuntiarentur! Ab ipsâ enim hæc Apostoli audierunt. Hæc in ejus scholâ Evangelistæ didicerunt, et ipsâ dictante scripserunt, nobisque legenda mandaverunt. Quis igitur Evangeliis non credat? Quis eis contradicere præsumat, quæ aut matris aut Filii auctoritate muniuntur? Quædam enim Apostoli et Evangelistæ à matre Domini audierunt, quemadmodùm ista, et cætera quæ de Salvatoris nostri infantiâ scripta sunt; plurima verò visu et auditu ab ipso Domino didicerunt. [Nos quoque à matre Domini exemplum capiamus, et ea quæ de Salvatore nostro nobis annuntiantur, fideliter in corde servare et memoriæ commendare studeamus. De illis enim qui verbum Dei audiunt et memoriæ non commendant, scriptum est quia *venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant* [9]. Undè et illa animalia quæ non ruminant, immunda esse dicuntur, quia suscepti cibi oblita, postquàm illum in ventrem transferunt, ejus ulteriùs non recordantur; munda verò animalia non ità faciunt, sed cibum susceptum iterùm comedendo, et tenuissimè comminuendo, ejus nullatenùs obliviscuntur. Tales igitur sunt veri Catholici, qui verba sacri eloquii sine intermissione perscrutantur, et in lege Domini die ac nocte meditantur. Sequitur :]

6. *Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Dominum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.* Beati isti pastores, qui Christum Dominum videre meruerunt, et Deum laudantes et glorificantes, ea quæ audierant

[1] *Joan.* I, 1. — [2] *Ibid.* 14. — [3] *Malach.* IV, 2. — [4] *Cant.* II, 1. — [5] *Id.* I, 3. — [6] *Id.* III, 6. — [7] *Isai.* IX, 6 et 7. — [8] *Id.* XL, 12. — [9] *Matth.* XIII, 19.

* Quæ uncis inclusa sunt in hâc paginâ, etsi in editione Romæ 1791 à Brunone Bruni datâ quam sequimur, non reperiantur, ea tamen edidimus ex auctoritate Combefisii, apud quem leguntur.

et viderant crediderunt! Beati illi Pastores, qui usquè hodiè in Ecclesiæ præsepio, id est, in sacris voluminibus, Christum quærunt, et in eum fideliter credunt, ejus Nativitatem nuntiantes, et ejus fidem prædicantes, et eum ubique laudantes et glorificantes!

✠ HUGO DE SANCTO CARO,

ORDINIS PRÆDICATORUM, S. R. E. CARDINALIS E TITULO S. SABINÆ[a].

NUM. 1. Fidem adhibent pastores verbis Angelicis. — 2. Per pastores significantur Prælati Ecclesiæ, et per Bethleem, cœlestis patria. Ad hanc Bethleem triplici transitu pervenitur. — 3. Festinatio pastorum ad Bethleem, ubi Jesum, et Mariam, et Joseph inveniunt. — 4. Maria cum prophetiis implendis facta impleta in corde suo conferebat. — 5. Pastorum instar, Prælati debent oves suas reficere pane cœlestis doctrinæ, quo ipsi in Bethleem refecti sunt.

1. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli,* id est, postquàm eorum aspectibus se subtraxerunt ascendentes *in cœlum,* consummato negotio sibi injuncto (in quo instruitur homo ut non cesset, donec impleverit quod sibi injunctum est : *Exivit homo,* id est, Christus, *ad opus suum, et ad operationem suam usquè ad vesperam*[1]), *pastores loquebantur ad invicem,* credentes verbis Angeli. Benè congruit quòd pastores præbent testimonium de Christo, quia ipse est Agnus; ad pastores autem pertinet de agnis et ovibus et hujusmodi. *Transeamus usquè Bethleem, et videamus quod factum est,* quod videre, est vita æterna : *Hæc est vita æterna,* etc. [2]. *Quod fecit Dominus, et ostendit nobis.* Nota quòd hæc dictio *verbum,* in sacrâ Scripturâ interdùm accipitur pro re dignâ recitatione : undè : *Non fuit verbum in domo, quod non ostenderim eis,* id est, res pretiosa, *dixit Ezechias* [3]. Et ità potest exponi ad litteram : *Videamus hoc verbum, quod factum est,* id est, rem quæ facta est : *quod,* id est, quam rem, *Dominus fecit et ostendit nobis* per Angelos. Et de hoc non habetur aliqua Glossa. *In terris visus est* [4]. Aliter : *Videamus hoc Verbum, quod factum est,* id est, Verbum Dei quod incarnatum est : *quod Dominus,* id est, tota Trinitas *fecit* incarnari, id est, cujus Incarnationem tota Trinitas operata est : *Et ostendit nobis.* Glossa Bedæ[b] : « Quod in principio erat apud Patrem, factum est caro, et sic ostensum est nobis quod in deitate « non poterat videri : *Deum nemo vidit um-* « *quàm* [5]. » Sed numquid potest videri Verbum quod incarnatum est? Potest utiquè. Glossa Ambrosii[c] : « Quia, cùm caro Domini videtur, Verbum « videtur, quod est Filius Dei. » *Quod Dominus,* Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, *fecit,* id est, incarnari constituit, et sic factum *ostendit.* Nota etiam quia per *factum est,* et *fecit,* duplex insinuatur in Christo natura, spiritualis scilicet et corporalis, id est, anima et corpus, utrumque factum.

2. *Transeamus usquè Bethleem,* etc. Misticè. Instruuntur hìc Prælati Ecclesiæ, qui significantur per pastores; nam sicut pastores ad verbum Angeli festinantes iverunt Bethleem, et posteà redierunt ad greges suos; ità Prælati aliquandò debent ire in requiem contemplationis, ut ibi pane cœlesti reficiantur, et posteà redire ad subditorum provisionem. Hoc Jacob demonstravit de Liâ, transiens ad amplexus Rachel, et iterùm revertens ad Liam; et ideò duplici nomine, id est, Jacob et Israel appellatur. Moraliter autem et anagogicè simul, per Bethleem designatur cœlestis patria, quæ est domus panis et domus refectionis, quia ibi panis vitæ plenè comeditur usquè ad satietatem, sicut dicitur : *Cibavit illum pane vitæ et intellectûs, et aquâ sapientiæ salutaris potavit illum* [6]. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* [7]. *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te* [8]. Etiam ipsum laudare Deum, est comedere panem, vel gratias reddere post comestionem : *Servi mei comedent,* etc. [9]. Ad hanc Bethleem triplici transitu pervenitur. Primus transitus est de vitiis ad virtutes : secundus, de virtute in virtutem : tertius, de mundo ad Patrem. Et est significatus hic triplex transitus per triplicem transitum filiorum Israel : quorum primus fuit de Ægypto in desertum per medium maris Rubri : secundus fuit per desertum de loco ad locum : tertius fuit de deserto in terram promissionis per medium Jordanis. Primus est transitus de statu pec-

[1] *Psalm.* CIII, 23. — [2] *Joan.* XVII, 3. — [3] *Isai.* XXXIX, 2. — [4] *Baruch,* III, 38. — [5] *Joan.* I, 18. — [6] *Eccli.* XV, 3. — [7] *Luc.* XIV, 15. — [8] *Psalm.* LXXXIII, 5. — [9] *Isai.* LXV, 13.

[a] E Postillâ super Evangelium Lucæ, cap. 2. — [b] Homiliâ 1 suprà, p. 389, initio col. 1. — [c] Homiliâ suprà, p. 388, n. 1.

cati ad pœnitentiam per contritionem et confessionem; mare enim Rubrum significat contritionem et confessionem, per quæ transitur ad satisfactionem; mare enim est amaritudo quæ est in contritione, rubor est erubescentia quæ est in confessione. Et de isto mari Rubro dicitur : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones*[1]; quia tàm contritio quàm confessio debet discretè et sigillatim fieri, non in universali, sed in singulari, sicut fuerunt peccata : undè : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*[2]. De isto transitu dicitur : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum*, id est, in desertum pœnitentiæ, *sicut virgula fumi*, id est, humiliter et devotè, *ex aromatibus myrrhæ et thuris*[3], id est, cum cordis amaritudine et orationis devotione? Secundus transitus est per desertum pœnitentiæ, id est, profectus de virtute in virtutem. Hic est transitus de mari Rubro usquè ad Jordanem, ubi occurrerunt multa impedimenta, sicut patet in Libro Numerorum; sed specialiter ibi tria ponuntur, quæ majora fuerunt, scilicet, tres reges qui transitum filiorum Israel volebant impedire. Primus fuit Edom, à quo transitum requirentes satis rationabiliter dicebant : *Obsecramus ut liceat nobis*, etc. : cui respondit Edom : *Non transibitis per me*[4]. Secundus rex fuit Sehon Amorrhæus, cui mandavit Moyses : *Obsecro ut mihi transirè liceat*, etc.[5]. Tertius rex est Og, rex Basan, cui Moyses nullum misit nuntium, quia ille occurrerat ei pugnaturus contra eum[6]. Contra primum non pugnaverunt filii Israel; sed declinaverunt, et circumeundo terram ejus transierunt, sicut mandavit Dominus. Secundum autem et tertium occiderunt. Edom interpretatur *sanguineus*, et significat carnem, quæ, licèt transitum per se deneget, non est tamen occidenda, sed prudenter declinanda. Item per Edom significantur consanguinei, qui in multis primò impediunt ingressum in terram promissionis; et hi prudenter sunt declinandi et per exempla sanctorum Patrum. Sehon interpretatur *germen inutile*, vel *allocutio inutilis*, et significat mundum, qui et transitum per se negat, sicut et caro. Og interpretatur *congregans*, seu *absconditus*, et significat diabolum qui abscondita congregat, id est, peccata, de quibus dicitur : *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*[7]. Istos duos præcipit Dominus penitùs expugnari et occidi. Et tunc sequitur tertius transitus : quo transito deserto, transitur Jordanis, et intratur in terram promissionis, id est, in æternam patriam, quæ est verè domus refectionis. Jordanis, id est, *humilis descensus*, significat mortem, per quam oportet transire, antequàm veniatur in Bethleem. De secundo transitu dicitur : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens*[8]? De tertio dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens*[9]?

3. Sequitur : *Et venerunt festinantes*, pastores supple, *et invenerunt Mariam, et Joseph*, ministros Nativitatis, *et infantem*, Christum jàm hominem natum, *positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo*, etc. Dupliciter potest hoc construi. Primò sic : *Videntes* autem *hoc de puero, cognoverunt de verbo*, *quod dictum erat illis*, id est, cognoverunt illud quod dictum erat eis, de Verbo esse dictum, id est, de Filio Dei. Et est summa : Videntes circa puerum impleta quæ dicta erant ab Angelis, intellexerunt puerum esse Filium Dei. Et hæc distinctio et sententia satis competenter elicitur ex illâ Glossâ Bedæ[a] : « Recto « ordine per cognitionem Nativitatis, id est, hu- « manitatis, venerunt ad cognitionem Verbi, id « est, deitatis. » Aliter potest construi : *Videntes* carnem, quam Glossa supplet, *videntes*, inquam, carnem, *cognoverunt de verbo*, etc. Mysticè. *Et venerunt festinantes*, etc. Beda[b] : « Non cum « desidiâ Christi quærenda est præsentia. » *Festinemus ingredi in illam requiem*, etc.[10]. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*[11]. *Et invenerunt Mariam*, etc. Maria, *pœnitentia* : Joseph, *augmentum*, id est, profectus virtutum. Cum his et per hæc invenitur Jesus infans in præsepio, Deus in carne, quem invenire, est vitam invenire : vel Jesus in præsepio, est salus in sacro eloquio : *Scrutamini Scripturas, ubi vos putatis vitam habere*[12]. *Videntes autem*, etc. Videntes in patriâ, cognoscemus de puero Jesu quidquid modò audimus de eo : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri*[13]. Imò videbimus quod dicatur nobis : *Verus est sermo quem audivi in terrâ meâ super sermonibus tuis et super sapientiâ tuâ, et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quòd media pars mihi nuntiata non fuerit*[14]. *Et omnes qui audierant* ab Angelis, *mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Mirantur et de mysterio Incarnationis, et de tantâ pastorum attestatione, qui fingere inaudita nescirent, sed simplici facundiâ vera prædicarent. *Mirati sunt. Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificavit, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum ejus, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pin-*

[1] *Psalm.* CXXXV, 13. — [2] *Id.* VI, 7. — [3] *Cant.* III, 6. — [4] *Num.* XX, 17 *et* 18. — [5] *Id.* XXI, 22. — [6] *Ibid.* 33. — [7] *Psalm.* XVI, 14. — [8] *Cant.* VI, 9. — [9] *Id.* VIII, 5. — [10] *Hebr.* IV, 11. — [11] *Jerem.* XLVIII, 10. — [12] *Joan.* V, 39. — [13] *Psalm.* XLVII, 9. — [14] III *Reg.* X, 6 *et* 7.

[a] Homiliâ 1 suprà, p. 389, ad finem num. 2. — [b] Ibidem, initio num. 2.

cernas, etc., *non habebat ultrà spiritum* [1].

4. Sequitur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* In hoc verbo magna notatur discretio beatæ Virginis. Glossa Ambrosii [a] : « Maria non minùs ore quàm corpore « pudica, secreta quæ noverat, nulli divulgat, sed « tacito corde scrutans, congruum tempus quo « Deus hæc velit divulgari, reverenter exspectat, » juxta illud : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* [2]. *Homo sapiens tacebit usquè ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabit tempus* [3]. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum* [4]. *Conferens in corde suo*, « non solùm verba, sed et facta illa quæ circa se vi- « derat impleta, cum his quæ in Prophetis legerat « implenda (dicit eadem Glossa [b]); sicut enim sibi « dictum erat ab Angelo : *Ecce concipies in utero « et paries filium* [5], prædixerat Isaias : *Ecce Virgo « concipiet et pariet filium* [6]. Videbat se de stirpe « David ortam; et hoc concordat cum Prophetis : « *Egredietur virga de radice Jesse* [7]. *De fructu « ventris tui ponam super sedem tuam* [8]. Item, « in Nazareth de Spiritu sancto concepisse, et hoc « concordat cum illo : *Nazareus vocabitur* [9]. Item, « in Bethleem peperisse : *Et, tu, Bethleem Ephra- « ta, parvulus es in millibus Juda* [10] : quorum « omnium testimonia in diversis Prophetis legerat. « Comparat ergò verba Prophetarum factis, et in « omnibus habet argumenta fidei. Sed si Maria à « pastoribus discit, debemus à sacerdotibus discere : « *In multitudine presbyterorum prudentium « sta, et sapientiæ eorum ex corde conjungere, « ut omnem narrationem Dei possis audire* [11]. « Item, Si Maria ante Apostoli præceptum tacet, « debemus post præceptum Apostoli magis doceri « quàm docere. »

5. Sequitur : *Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant* ab Angelis, *et viderant* in Bethleem, *sicut dictum est ad illos.* Glossa [c] : « In hoc glori- « ficant quòd non aliter inveniunt quàm dictum « erat : vel : *Sicut dictum erat* ab Angelis *ad illos*, « referunt laudes et gloriam Deo; non quòd An- « geli imperâssent laudare, sed ipsi laudando offe- « runt formam devotionis suæ, dùm dicunt : *Glo- « ria in altissimis Deo*, etc. » Moraliter : Sic pastores animarum debent transire usquè Bethleem, ut ibi pane cœlestis doctrinæ reficiantur, et posteà reverti ad propria, ut oves suas reficiant pane quem emerunt, sicut columba quæ, emissa ab arcâ, rediit ad arcam, *portans in ore ramum virentis olivæ* [12]. Sed multi sunt sicut corvus, qui emissus adhuc non rediit, fortè quia non invenerunt Mariam, *stellam maris*, et Joseph, *augmentum virtutum*, et ideò nec Jesum; et ideò, si quandò redeunt, vacui redeunt : *Majores miserunt minores suos ad aquam, et venerunt ad hauriendum, et non invenerunt aquam, et reportaverunt vasa sua vacua* [13].

✠ S. BONAVENTURA, EPISCOPUS ALBANUS,

CARDINALIS ET ECCLESIÆ DOCTOR [d].

NUM. I. Commendatur pastorum diligentia à vicissitudine exhortationis, — 2. A rectitudine intentionis, — 3. A promptitudine exsecutionis. — 4. Volenti Christum invenire tria sunt necessaria. — 5. Pastores celeriter divulgant ea quæ viderunt. Christus in omnibus admirandus. — 6. Maria est veluti fœderis arca. — 7. Quænam sunt conditiones devotionis, ut Deo sit accepta?

1. *Et factum est ut discesserunt Angeli*, etc. Postquàm descripsit Evangelista qualiter Christi Nativitas fuit consummata, et qualiter per Angelos denuntiata, hîc jàm tertiò describit qualiter per pastores fuit divulgata : quod quidem factum est diligentiâ pastorali. Et hæc pastorum diligentia ab Evangelistâ ostenditur commendabilis in tribus : primò, scilicet, à sollicitudine inquisitionis : secundò à certitudine inventionis, ibi : *Et invenerunt Mariam*, etc. : tertiò verò à gratitudine devotionis, ibi : *Et reversi sunt.* Sollicitudo autem inquisitionis in pastoribus commendatur à tribus, scilicet : à vicissitudine exhortationis, à rectitudine intentionis, et à promptitudine exsecutionis. Quantùm ad vi-

[1] III *Reg.* X, 4 *et* 5. — [2] *Eccle.* III, 7. — [3] *Eccli.* XX, 7. — [4] *Jacob*, I, 19 *et Prov.* XVIII, 27. — [5] *Luc.* I, 31. — [6] *Isai.* VII, 14. — [7] *Id.* XI, 1. — [8] *Psalm.* CXXXI, 11. — [9] *Matth.* II, 23. — [10] *Mich.* V, 2. — [11] *Eccli.* VI, 35. — [12] *Gen.* VIII, 11. — [13] *Jerem.* XIV, 3.

[a] Hæc verba : « Maria non minùs ore quàm corpore pudica, » Ambrosii sunt; reliqua usquè ad hæc verba : « Reverenter exspectat, » ad Bedam, saltem quoad sensum, pertinent, ut videre est p. 392, n. 4. — [b] Glossa scilicet non solùm Ambrosii, p. 388, n. 2, sed et Vener. Bedæ, p. 390, initio col. 1 et p. 392, n. 4, sicut et Joannis Jerosolymitani, ut videre est etiam p. 386, n. 2. — [c] Glossa Bedæ, ut videre est p. 390, initio col. 2. — [d] Ex Expositione Lucæ, c. 2.

cissitudinem mutuæ exhortationis, dicitur : *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem*, scilicet, se mutuò cohortando, secundùm illud : *Videte, fratres, nequandò sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo ; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies*, etc. [1]. Et hoc rectè, quia *ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui* [2].

2. Quantùm verò ad rectitudinem intentionis, subdit secundò : *Transeamus usquè in Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est.* Ideò volebant transire, ut viderent, sicut Moyses : *Vadam, et videbo visionem hanc magnam* [3]. *Et videamus hoc verbum quod factum est*, id est, rem dignam verbo, vel certè, Verbum carnem factum, secundùm illud : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus* [4] : *factum*, inquam, non ab homine, sed à Deo : undè addit : *Quod fecit Dominus*, id est, tota Trinitas : *Cùm feceris mirabilia, non sustinebimus : descendisti, et à facie tuâ montes defluxerunt. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparâsti exspectantibus te* [5]; nec tantùm fecit, sed : *Et ostendit nobis.* Hoc orabat David, dicens : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, etc. [6]. Et Dominus promittit : *Ostendam illi Salutare meum* [7].

3. Quantùm autem ad promptitudinem executionis, subjungitur : *Et venerunt festinantes.* Et hoc est quod dicitur : *Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere* [8]. Festinantia signum erat promptitudinis interioris, quâ divino conspectui volebant præsentari : *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit* [9]. Undè dicebant intra se illud : *Festinemus* ergò *ingredi in illam requiem*, etc. [10]. Nota quòd volenti spiritualiter Christum invenire, hæc tria sunt necessaria, scilicet : colloqui per meditationem Scripturarum : *Cum sapientibus et prudentibus tracta ; et omnis enarratio tua sit in præceptis Altissimi* [11]. Transire per contemplationem creaturarum : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Sequitur : *Paululùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* [12]. *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me : à generationibus meis adimplemini* [13]. Festinare per gratiarum actionem : *Surge, amica mea, speciosa mea ;* et pòst : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis ; vox enim tua dulcis, et facies tua decora* [14]; et : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo*, etc. [15]. Et ideò de Mariâ dicitur, quòd *abiit in montana cum festinatione* [16].

4. *Et invenerunt Mariam*, etc. Hic secundò commendatur pastorum diligentia à certitudine inventionis, cujus laus ex tribus colligitur, scilicet : quia fuit certitudinaliter comprobata, celeriter divulgata, et memoriter conservata. Primò quidem fuit certitudinaliter comprobata, quia per probabilia signa et evidentia, propter quod dicitur : *Et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.* Ideò invenerunt, quia sollicitè quæsiverunt, et absque fictione. Undè dicitur : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum* [17]. Et nota quòd invenitur cum Mariâ Virgine, et Joseph viro justo, et in præsepio, quia eum qui vult Christum invenire, oportet habere munditiam cordis respectu suî, justitiam respectu proximi, humilitatem et reverentiam respectu Dei. Et ista sunt tria munera, quæ offerunt reges Christo infanti, et ideò ab eis voluit inveniri : *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum ; et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham* [18]. In hoc etiam instruimur quòd, si volumus Christum invenire, priùs ad Mariam debemus accedere; de ipsâ enim dicitur : *Invenisti gratiam apud Deum* [19]. Ipsa ergò *invenit gratiam et misericordiam coram Assuero super omnes mulieres* [20], sicut dicitur; et ideò *accedamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* [21]. Et quia hoc signum datum est ab Angelo, ideò subditur : *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc*, scilicet, quòd esset verum. Undè jàm poterant dicere illud Samaritanorum ipsi Angelo : *Jàm non propter loquelam tuam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est verè Salvator mundi* [22]. Verè cognoverunt, quia de ovibus erant illius pastoris qui dicit : *Cognosco meas, et cognoscunt me meæ* [23]. Hoc desiderabat Job : *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usquè ad solium ejus* [24]?

5. Non solùm fuit certitudinaliter comprobata, sed et celeriter divulgata : propterеà subditur : *Et omnes qui audierant, mirati sunt*, scilicet de parvulo nato. Et : *De his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos*, quæ scilicet audierant ab An-

[1] *Hebr.* III, 12 et 13. — [2] *Prov.* XXVII, 17. — [3] *Exod.* III, 3. — [4] *Joan.* 14. — [5] *Isai.* LXIV, 3 et 4. — [6] *Psalm.* LXXXIV, 8. — [7] *Id.* XC, 16. — [8] *Prov.* IX, 9. — [9] *Id.* XXII, 29. — [10] *Hebr.* IV, 11. — [11] *Eccli.* IX, 21 et 23. — [12] *Cant.* III, 2 et 4. — [13] *Eccli.* XXIV, 26. — [14] *Cant.* II, 13 et 14. — [15] *Id.* V, 6 — [16] *Luc.* I, 39. — [17] *Sap.* I, 1 et 2. — [18] *Matth.* II, 11. — [19] *Luc.* I, 30. — [20] *Esther*, II, 17. — [21] *Hebr.* IV. 16. — [22] *Joan.* IV, 42. — [23] *Joan.* X, 14. — [24] *Job*, XXIII, 3.

gelo. Undè de viro justo dicitur : *Et mirati sunt in illo multi, et honorificaverunt Deum* [1]. Videbantur enim verba pastorum non contemnenda, sed admiranda. Ambrosius [a] : « Nec contemnenda putes « quasi vilia verba Prophetarum [b]. A pastoribus « etiam Maria fidem colligit. A pastoribus populus « ad Dei reverentiam congregatur; plebem enim « Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare au« dita et fucare nesciret. » Hæc ille. Mirati sunt etiam, quia parvulus non videbatur eis contemptibilis, sed admirabilis. Undè Isaias : *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus ; et vocabitur nomen ejus Admirabilis,* etc. [2]. Ubique enim admirabilis Christus apparet, non solùm nascens, sicut hìc, sed et proficiens : *Et stupebant super prudentiâ et responsis ejus* [3]. Admirabilis etiam docens : *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius* [4]. Admirabilis tacens : *Jesus autem ampliùs nihil respondit, ità ut miraretur Pilatus* [5]. Admirabilis in actione : *Quis, putas, hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei* [6]*?* Admirabilis in passione : *Pilatus autem mirabatur, si jàm obiisset*, etc. [7]. Admirabilis in resurrectione : *Petrus videns linteamina sola posita, abiit, secum mirans quod factum fuerat* [8]. Admirabilis in ascensione : *Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ ! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos* [9]. Admirabilis in extremo examine : *Acutus invenior in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero* [10].

6. Fuit tertiò memoriter conservata : undè subditur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*, tamquàm prudens et discreta, secundùm illud : *Misericordia et veritas te non deserant : circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui* [11] ; in Ecclesiastico : *Qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper* [12]. Undè dicitur de fatuo : *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit* [13]. Undè Virgo fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana ; et ideò per arcam Moysis designatur, de quâ dicitur, quòd continebat tabulas legis divinæ. Et quia non solùm conservabat, sed etiam intelligebat, ideò additur : *Conferens ea in corde suo*, ità ut posset dicere illud : *In corde meo abscondi eloquia tua* [14].

7. *Et reversi sunt pastores,* etc. Hìc commendatur diligentia pastorum à gratitudine devotionis. Ad hoc autem quòd devotio Deo sit accepta, necesse est quòd similiter resonent et concordent manus, mens et lingua : manus operando, lingua laudando, mens rectificando. Laudabilis ergò erat pastorum devotio propter debitam operationem, propter quod dicitur : *Et reversi sunt pastores*, scilicet, ad custodiam gregis commissi. In quo erudiuntur devoti, ut post contemplationem Salvatoris revertantur ad exercitium actionis : *Animalia ibant et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis* [15]. *Redi in domum tuam, et narra quanta fecit tibi Deus* [16]. Hujus figura habetur in Josue : *Reversi sunt et descenderunt exploratores de monte; et, transmisso Jordane, venerunt ad Josue* [17]. In quo signatur, quòd tempore tentationis revertendum est ad orationem, et postmodùm redeundum est ad actionem. Laudabilis etiam fuit propter debitam gratiarum actionem, ratione cujus subditur : *Glorificantes et laudantes Deum : Glorificantes Dominum, quantumcumquè potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantùm potestis ; major enim est omni laude* [18]. Contrarium dicitur de sapientibus mundanis : *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*, etc. [19]. Et ideò qui non vult excæcari, necesse habet Deo de beneficiis suis regratiari. Ideò dicitur : *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo* [20]. Fuit etiam laudabilis propter debitam recognitionem, ratione cujus subjungitur : *In omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.* Undè poterant dicere illud Psalmi : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri* [21]. Tunc verificatum est istud alterius Psalmi : *Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ* [22]. Et nota quod dicitur : *In omnibus quæ audierant et viderant.* In quo ostenditur plenitudo gratitudinis : *Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri* [23]. Et nota ordinem, quo dicit : *In omnibus quæ audierant,* etc. ; quia, secundùm aliam litteram : *Nisi credideritis, non intelligetis* [24] ; sed *fides ex auditu* [25] ; intelligentia autem ex visu : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* [26] *!* Job : *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te* [27].

[1] *Eccli.* XI, 13. — [2] *Isai.* IX, 6. — [3] *Luc.* II, 47. — [4] *Id.* IV, 22. — [5] *Marc.* XV, 5. — [6] *Luc.* VIII, 25. — [7] *Marc.* XV, 44. — [8] *Luc.* XXIV, 12. — [9] *Psalm.* VIII, 2. — [10] *Sap.* VIII, 11. — [11] *Prov.* III, 3. — [12] *Eccli.* I, 30. — [13] *Id.* XXI, 17. — [14] *Psalm.* CXVIII, 11. — [15] *Ezech.* I, 14. — [16] *Luc.* VIII, 39. — [17] *Jos.* II, 23. — [18] *Eccli.* XLIII, 32 *et* 33. — [19] *Rom.* I, 21. — [20] *Coloss.* III, 17. — [21] *Psalm.* XLVII, 9. — [22] *Id.* CXXXI, 6. — [23] *Ephes.* V, 18-20. — [24] *Isai.* VII, 9. — [25] *Rom.* X, 17. — [26] *Luc.* X, 23. — [27] *Job.* XLII, 5.

[a] Homiliâ suprà, p. 383, ad finem num. 1. — [b] Vide Notam *a*, suprà, p. 382.

✠ BEATUS ALBERTUS MAGNUS,

ORDINIS PRÆDICATORUM, EPISCOPUS RATISBONENSIS[a].

NUM. 1. Angeli nos purgant, illuminant et perficiunt. De pastorum obedientiâ. — 2. Quinque sunt transitus pastorum. — 3. Sese adhortantur pastores ad videndum Verbum Bethleemi natum. — 4. Venientes festinanter, Mariam, et Joseph, et infantem inveniunt. — 5. Sequitur omnium quæ audierunt miratio. — 6. Maria verba hæc in corde suo retinet. — 7. Gratiarum actio pastorum.

1. *Et factum est ut discesserunt ab eis* (pastoribus) *Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem* : *Transeamus usquè Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis.* Hîc tangitur experimentalis cognitio dictorum ab Angelis; et dicit (Lucas) duo : consensum scilicet ad experiendum, et ipsum experimentum. De consensu ad experiendum tangit duo; primò enim Evangelista continuat historiam, et deindè ad experiendum ponit consensum. Historiam continuando dicit : *Et factum est*; omnia enim ista in præfinitione Dei jàm facta sunt : *Quid est quod futurum est? Idipsum quod factum est* [1]. *Ut discesserunt ab eis Angeli.* Adventus Angelorum allationem illuminationis eorum significat, quæ duo facit; purgat enim ignorantiam, et veritatis infundit scientiam, quod per claritatem Dei, quæ circumfulsit eos, designatum est; recessus autem in cœlum, significat reductionem illuminati cordis in Deum; hæc enim, ut dicit Dionysius in cœlesti Hierarchiâ, sunt tria Angelorum opera : purgare, illuminare, et perficere. Purgant enim, cùm ignorantiam abstergunt : illuminant, cùm lumen veritatis infundunt : perficiunt, cùm cor illuminatum ad fontem luminis convertunt; et ideò discedendo se subtrahunt, ne cor illuminati in ipsis stet, sed ad Deum convertatur. Et hoc innuentes discedunt in cœlum, ad Patrem luminum, qui in cœlis est, dirigentes. Hoc significatum est in Libro Genesis, ubi Angeli descendunt et ascendunt in scalâ Jacob, et Dominus innixus est scalæ desuper [2]; descendentes enim fuerunt illuminatores, ascendentes dirigunt illuminatos ad eum qui scalæ innititur : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* [3]. Ideò nostri sunt, quia nos illuminant : ideò vident faciem Patris, ut nos ad ipsam faciem dirigant. Et hoc est quod sequitur, quia statim pastores ad id convertuntur quod Angeli annuntiabant. Undè : *Pastores loquebantur* : ecce consensus pastorum ad experiendum. Sunt autem tria notanda : pastorum in unum consensus, exhortatio mutua ad illud, et quid velint experiri. Idem consensus notatur per hoc quod pluraliter dicit : *Pastores* in communi, quòd nullus contradixit : *Unius moris habitare in domo* [4]. *Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum* [5]. Aristoteles : « Pravus socius est, qui impedit commune opus. » *Non deserentes collectionem nostram* [6]. *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* [7]. *Loquebantur ad invicem* : ecce exhortatio mutua : *Spiritus et sponsa dicunt : Veni; et qui audit, dicat : Veni* [8]. *Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione* [9]. *Venite, ascendamus ad montem Domini* [10]. Et post modicum : *Domus Jacob, venite, ambulemus in lumine Dei nostri* [11].

2. Adhortantes autem se invicem, dicunt : *Transeamus.* Hîc notantur quinque transitus pastorum. A consideratione enim gregum transiverunt ad seipsos, de auditis ab Angelo conferentes. De seipsis transierunt *Bethleem*, domum Christi Domini quærentes. De domo transiverunt ad familiam Christi, beatam Virginem et Joseph invenientes. De familiâ transiverunt ad infantem Christum, in præsepio cognoscentes. De Christo autem iterùm ad gregem, curam gregi impendentes. Et primus quidem transitus est mundanorum ad cordis notitiam. Secundus autem est sui ad cœlestem sanctorum habitationem conversio. Tertius autem est simillimorum, vel familiarium Deo et propinquorum perlustratio. Quartus autem est Dei inventio. Quintus est ejus quod sic inventum est proximi communicatio. De primo dicitur : *Cùm transieris per aquas, flumina non operient te, quia ego tecum sum; et cùm ambulaveris in igne, flamma non comburet te, quia ego Dominus Deus Salvator tuus* [12]. Aqua insipidam et frigidam mundi consolationem significat, quæ non operit ad Deum transeuntem; ignis autem significat tribulationem ferventem, quæ etiam comburere non potest eum qui passu consideratæ mentis ad Deum pertransit : *Id quod in præsenti est*

[1] *Eccle.* I, 9. — [2] *Gen.* XXVIII, 12 *et* 13. — [3] *Matth.* XVIII, 10. — [4] *Psalm.* LXVII, 7. — [5] *Id.* CXXXII, 1. — [6] *Hebr.* X, 25. — [7] I *Cor* I, 10. — [8] *Apoc.* XXII, 17. — [9] *Psalm.* XCIV, 1 *et* 2. — [10] *Isai.* II, 3. — [11] *Ibid.* 5. — [12] *Id.* XLIII, 2 *et* 3.

[a] E Commentariis in Lucam, c. 2.

momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur [1]. *Transivimus per aquam et ignem; et eduxisti nos in refrigerium* [2]. De secundo transitu, qui est à conversione ad domum Dei : *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usquè ad domum Dei* [3], cœlestem scilicet patriam. *In lectulo meo,* propriæ scilicet conscientiæ, *quæsivi per noctem quem diligit anima mea : quæsivi illum* in corde tenebroso, *et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas cœlestis Jerusalem quæram quem diligit anima mea* [4]. Sic ergò veniunt in Bethleem. De tertio transitu de domo ad familiam privatam dicitur : *Transibit in pace : semita ejus in pedibus ejus non apparebit* [5]. Sic enim transiens in domo Dei, nihil nisi pacem invenit, nec umquàm lassatur, vel pulverizatur, vel sordidatur pedibus : quæ dicuntur hîc pedum semitæ in pedibus non apparentes. De quarto, qui est transitus de familiâ ad natum Christum : *Paululùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* [6]. *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et à generationibus meis adimplemini* [7]. De transitu autem ex secreto illius contemplationis ad ædificationem gregis dicitur : *Transi hinc, et manifesta teipsum mundo; nemo quippè in abscondito aliquid facit, et quærit ipse in palàm esse* [8]. *Ego et puer, cùm adoraverimus, revertemur ad vos* [9]. Sic ergò dicunt : Transeamus à nostris et à nobis ad ea quæ Dei sunt et intima ipsius et ad ipsum, ut, illuminatione ipsius acceptâ, retranseamus ad gregis custodiam. Sunt autem transitus tres notati ab his qui fuerunt ante nos : transitus scilicet de vitiis ad virtutes, transitus de virtute in virtutem, et transitus de meritis virtutum ad gloriam. Transitus de vitiis ad virtutes significatur per transitum maris Rubri, de quo dicitur : *Transtulisti illos per mare Rubrum, et transvexisti eos per aquam nimiam* [10]. *Qui divisit mare Rubrum in divisiones, et eduxit Israel per medium ejus* [11], hoc est, mare per compunctionis amaritudinem. Rubrum est per confessionis verecundiam et ruborem, divisiones habet per singulares de peccatis singulis satisfactiones, salubre est per inimicorum demersiones : *Descenderunt in profundum, quasi plumbum in aquis vehementibus* [12]. Secundus transitus significatur per transitum filiorum Israel per desertum, de quo : *Iter fecerunt per deserta quæ non inhabitabantur, et in locis desertis fixerunt casas* [13]. Via enim virtutum et regio non inhabitantur à mundo : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion* [14]. Ab hoc cupientes exire Idumæam circuierunt, Sehon et Og regem Basan interfecerunt [15]. Idumæa enim *sanguinea* carnem significat, quæ non est interficienda, sed domanda : undè præcipitur eis quòd circumeant, et non interficiant [16]. Sehon *germen inutile* interpretatur, et mundum significat : hic est interficiendus. Og autem *occultus* diabolum significat, qui etiam interficiendus est [17]. Tertius transitus est signatus per transitum Jordanis [18], de quo : *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* [19]. Hunc transitum quidam faciunt vivi priùs, et morientes posteà : vivi per contemplationem et prægustationem, morientes autem per possessionem. Vivorum transitus significatur per transitum exploratorum [20]; morientium autem transitus significatur per transitum populi [21] : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* [22]. Sic igitur et isti dicunt : *Transeamus*, ut prægustemus, et contemplatione videamus.

3. *Usquè Bethleem, domum panis* reficientis, confirmantis, nobiscum permanentis, vivificantis, delicias præbentis, omne delectamentum gratiæ habentis. Panis, dico, reficientis : *Qui habitatis terram Austri, cum panibus,* hoc est, refectionibus spiritualibus, *occurrite fugienti* [23]. *Ego reficiam vos* [24]. *Nolite timere : ego pascam vos et parvulos vestros* [25]. Panis cor confirmantis : *Panis cor hominis confirmat* [26]. *Cùm accepisset cibum, confortatus est* [27]. Panis membris adhærentis, quia nutrimentum de frumento fortiùs adhæret membris, ut dicit Constantinus in Pantegni, et ideò Christus comparat se grano frumenti [28] : *Adipe frumenti satiat te* [29]; alia enim refectio *in ventrem vadit, et in secessum emittitur* [30]; hæc autem permanet et vegetat in vitam æternam. Est etiam vivificans : *Qui manducat me, vivet propter me* [31]. Delicias præbet : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus* [32]. Est etiam saginatus pinguedine divinitatis, quod omne habet gratiæ delectamentum : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, et omnem saporis suavitatem* [33]. Sic ergò et adhuc :

[1] II *Cor.* IV, 17 *et* 18. — [2] *Psalm.* LXV, 12. — [3] *Id.* XLI, 5. — [4] *Cant.* III, 1 *et* 2. — [5] *Isai.* XLI, 3. — [6] *Cant.* III, 4. — [7] *Eccli.* XXIV, 26. — [8] *Joan.* VII, 3 *et* 4. — [9] *Gen.* XXII, 5. — [10] *Sap.* X, 18. — [11] *Psalm.* CXXXV, 13. — [12] *Exod.* XV, 10. — [13] *Sap.* XI, 2. — [14] *Psalm.* LXXXIII, 8. — [15] *Num.* XXI, 33 *et Deut.* XXIX, 7. — [16] *Num.* XXI, 4. — [17] *Ibid.* 35. — [18] *Jos.* III *et* IV. — [19] *Joan.* XIII, 1. — [20] *Jos.* II, 23. — [21] *Id.* IV, 22. — [22] *Joan.* III, 13. — [23] *Isai.* XXI, 14. — [24] *Matth.* XI, 28. — [25] *Gen.* L, 21. — [26] *Psalm.* CIII, 15. — [27] *Act.* IX, 19. — [28] *Joan.* XII, 24. — [29] *Psalm.* CXLVII, 14. — [30] *Matth.* XV, 17. — [31] *Joan.* VI, 58. — [32] *Gen.* XLIX, 20. — [33] *Sap.* XVI, 20.

Transeamus usquè in Bethleem, et videamus hoc Verbum; nam

« Segniùs irritant animum demissa per aures,
« Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus [a]. »

Sed numquid hoc videre voluerunt pastores, tamquàm discredentes verbis Angeli? Absit. Sed potiùs in cujus rei auditu delectati sunt, in ejusdem rei visu delectari voluerunt : *Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te* [1]. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* [2]. Adhuc autem Angeli innuunt missionem ad videndum, quandò dicunt : *Invenietis infantem. In carne meâ videbo Deum Salvatorem meum* [3]. *Hoc Verbum :* ecce res videnda. Dicunt autem quatuor. Primum est *hoc Verbum* demonstrabile in carne ad oculum : secundum est quia dicunt *esse factum:* tertium, quia *à Domino* esse factum : quartum, quia dicunt ab Angelis esse revelatum. De primo notandum est quòd Verbum incarnatum est *hoc Verbum* demonstrabile et visibile : undè Glossa [b] dicit qùòd « Verbum videtur, cùm caro Verbi vide-« tur, » quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [4]. *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus* [5]. Est autem hoc Verbum, *cujus non saturatur oculus visu* [6] : nec mirum, quia *ipse est in quem desiderant Angeli prospicere* [7]. Videamus ergò et nos hoc Verbum. *Quod factum est*, quod mirum est, cùm ipsum increatum sit, sed à Patre genitum ab æterno apud Patrem : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [8]. Adhuc autem, cùm *omnia per ipsum facta sunt*, mirabitur omnis homo, si et ipsum factum est inter omnia; videtur enim sequi quòd ipsum factum sit per seipsum ; sed ad hoc Catholica fides respondet, quòd ipsum secundùm divinitatem æternum est, *et omnia per ipsum facta sunt* [9]; assumpsit autem quod non erat, manens quod erat, hoc est, humanam naturam, et factum est à Patre et Spiritu sancto et à seipso [c]. Hoc est quod dicit Apostolus : *Exinanivit semetipsum* [10]; sicut enim semetipsum exinanivit; ità à semetipso factus est. Æternum enim temporale factum est, et increatum factum est creatum, secundùm diversarum naturarum proprietatem quas assumpsit. Quia autem hoc nemo nisi Deus facere poterat, ideò subjungens dicit : *Quod fecit Dominus*, Dominus, inquam, Deus Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Undè : *Spiritus sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi* [11], quæ est Filius : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* [12]; Pater autem est umbra; et ità fecit Dominus Trinitas hanc Incarnationem. Et tangunt revelationem, dicentes : *Et ostendit nobis*, hoc est, per sanctos Angelos revelavit : *Viderunt oculi mei salutare tuum : lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* [13]. Sequitur :

4. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero.* Ecce tangitur hìc cognitio experimentalis. Tanguntur autem duo : experimentum, et effectus experimenti. Experimentum est in duobus : in re expertâ, et in signis datis ab Angelo. Rem experiendam dicit : *Et venerunt.* Et tangit tria : devotionem venientium tangit, cùm dicit : *Et venerunt*, tracti per devotionem : *Accedite ad eum; et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* [14]. *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [15]. *Venite et videte* [16]. *Venite, nolite stare : recordamini procul Domini* [17]. *Festinantes*, fervore desiderii : *Festinemus ingredi in illam requiem, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati* [18]. *Current, et non laborabunt : volabunt, et non deficient* [19]. *Et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem.* Unum est promissum voce Angeli, et tria soluta; et cum hoc inventio Mariæ et Joseph. Ideò, sicut dicit Glossa [d], « non cum desidiâ Christi quæ-« renda est præsentia : ideò pastores sine morâ in-« veniunt, quia non fictâ fide currunt videre quod « audierunt. Horum exempla pastores Ecclesiæ, imò « cuncti fideles imitari debent, ut fide et virtute « proficiant, et cœlesti oraculo erecti, præcedentium « Patrum vitam, in quâ panis vitæ semper conser-« vatur et reficit, quasi portas Bethleem contem-« plando, subeant. Ibi catholicæ Ecclesiæ pulchritu-« dinem, quasi *Mariam*, et Doctorum cœtum, quasi « *Joseph*, et humilem Mediatoris adventum Scriptu-« ræ paginis insertum quasi *in præsepio* inveniunt.» Hæc sunt verba Glossæ valdè notanda. Quid enim decoris Ecclesiæ est, quod non inveniatur in Mariâ? Ipsa est spes pœnitentium, per hoc quòd est amarum mare, per hoc quòd *suam ipsius animam pertransivit gladius* [20] redemptionis peccatorum; propter hoc enim dicitur : *In me, fili, sit ista iniquitas : tantummodò affer quæ dixi* [21], sacrificium videlicet contribulati cordis pro peccatis. Ipsa est dux in undis tentationum fluctuantium, per hoc quòd est stella maris. Ipsa est contemplantium illuminatrix. Ipsa est tribulatorum domina et protectrix. Ipsa est flos virginum, sanctitas matronarum, exemplum

[1] *Job*, XLII, 5. — [2] *Luc.* X, 23. — [3] *Job*, XIX, 26. — [4] *Joan.* I, 14. — [5] *Baruch*, III, 38. — [6] *Eccle.* I, 8. — [7] I *Petr.* I, 12. — [8] *Joan.* I, 1. — [9] *Ibid.* 3. — [10] *Philipp.* II, 7. — [11] *Luc.* I, 35. — [12] I *Cor.* I, 24. — [13] *Luc.* II, 30 et 32. — [14] *Psalm.* XXXIII, 6. — [15] *Matth.* XI, 28. — [16] *Id.* XXVIII, 6. — [17] *Jerem.* LI, 50. — [18] *Hebr.* IV, 11. — [19] *Isai.* XL, 31. — [20] *Luc.* II, 35. — [21] *Gen.* XXVII, 13.
[a] Horat., Arte poeticâ, vers. 80 et 81.. — [b] Ambrosii, p. 388, n. 1. — [c] Vide suprà, p. 225, num. 3. — [d] Bedæ, p. 389, n. 2.

in ministerio sanctarum viduarum. Joseph etiam *filius accrescens*, totum præsignat cœtum Doctorum, patronus Virginis, Christi nutritius, itineris dux, et familiæ fidelissimus procurator. Hoc est ergò quod dicit : *Invenerunt Mariam*, gratiâ plenam, omni Ecclesiæ decore coruscantem : *Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate*[1]. *Et Joseph*, ducem, et patronum, et custodem : quæ omnibus Doctoribus competunt. Iste enim est qui custodit Mariam; sed non ab ipso, sed à Spiritu sancto fecundatur : *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est*[2]. *Et infantem*, ecce signum, *positum in præsepio : Cùm occurrunt tibi omnia signa hæc, fac quodcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est*[3]. De signis autem : *Dominus Deus Israel, ipse dabit vobis sigum* puritatis, paupertatis, et vilitatis sive humilitatis; *ecce enim Virgo concipiet;* et ideò natus est purus; et ideò sequitur : *Ut sciat reprobare malum et eligere bonum*[4], hoc est, purum. Pauperibus evangelizatur pastoribus; et ideò pauper : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus*[5]. Pastoribus autem juxta gregem exhibitus; et ideò inventus in stabulo; recursus enim pastorum et gregum est ad stabulum. In cujus signum, cùm Rebecca servum Abrahæ invitaret, ad stabulum invitavit, quia pastoris erat famulus : *Palearum quoque et feni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum*[6]; ità et isti pastores ad stabulum se convertunt. Et ideò sequitur : *Videntes autem* hæc signa concurrentia, *cognoverunt* collatione habitâ. Notitiam notat hoc quod dicit : *Cognoverunt*, quia signum ad signatum contulerunt, et sic noverunt : *Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem*[7]. *De verbo*, partitionem notat, quia nec revelatione Angelicâ, nec signis positis, nec visu cognoverunt totum; sed aliquid *de verbo quod dictum erat illis ab Angelo de puero hoc* in stabulo demonstrato : *Nos quippè involvimur tenebris; quis enim narrabit hæc quæ loquor? Etiamsi locutus fuerit homo, devorabitur; dignè enim enarrari non potest: ideò timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes*[8].

5. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Sequitur de effectu. Est autem triplex effectus : admirationis quidem in omnibus, pudicæ sapientiæ in Virgine matre, et gratiarum actionis in pastoribus. De admiratione quidem in omnibus dicit : *Et omnes qui audierant* quæ ab Angelo cantata sunt, *mirati sunt*, non dicentes : *Quis, putas, puer iste erit*[9]? Sed dicentes : *Qualis est hic, quia ventis imperat, et mari*, et cœlis, et Angelis, *et obediunt ei*[10]? *Cœli* enim *enarrant gloriam ejus*[11]. *Domine, Deus meus es tu : exaltabo te, et confitebor nomini tuo, quia fecisti mirabiles res*[12]. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit*[13]. *Mirati sunt* etiam *de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Ex hoc intelligitur secundùm aliquos, quòd etiam Angelus aliis quàm pastoribus nuntiavit, et quòd illi mirati sunt de consonantiâ Angelorum et pastorum. Mirati sunt enim simplicitatem pastorum quæ fingere nescit talia mirabilia nuntiare; hæc enim simplicitas magis est idonea ad testificandum : *Scio, Domine, quòd simplicitatem diligas*[14]. *Cum simplicibus sermocinatio ejus*[15]. *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant eum; apparet autem eis qui fidem habent in illum*[16].

6. *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Ecce secundus effectus de pudicâ sapientiâ beatæ Virginis. Et dicit duo : retentionem eorum quæ dicebantur de Filio, et collationem. Et hæc duo præsupponunt sibi alia duo, quorum est doctrina suscepta ab alio, et humilis auditus ab alio aliquid divinum narrante. Tria exiguntur ad sapientiam, vel quatuor ista quæ dicta sunt : quorum prima duo in Virgine supponuntur; alia autem duo dicuntur in litterâ : quorum auditus est primum, de quo dicitur : *Audi tacens, et pro reverentiâ reddetur tibi bona gratia*[17]. Primum enim oportet addiscentem credere; et ideò beata Virgo, primùm salutante et evangelizante Angelo, tacuit. Si autem quærit audiens, cum reverentiâ et humilitate debet quærere intellectum ejus quod audit : *Audi tacens simul et quærens*[18]. Et ità fecit Virgo beata, quærendo modum dicens : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco*[19]? *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit*[20]. Tertium est conservare dicta; et hoc dicitur in litterâ, cùm dicitur : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo :* undè signata est in Libro Exodi, ubi dicit Dominus ad Moysen : *Sume vas parvulum, et pone in illud Man, quantùm potest capere gomor; et repone illud coram Do-*

[1] *Psalm.* XLIV, 10. — [2] *Matth.* I, 20. — [3] I *Reg.* X, 7. — [4] *Isai.* VII, 14 et 15. — [5] *Psalm.* XI, 6. — [6] *Gen.* XXIV, 25. — [7] *Hebr.* II, 4. — [8] *Job*, XXXVI, 19, 20, 23 et 24. — [9] *Luc.* I, 66. — [10] *Matth.* VIII, 27. — [11] *Psalm.* XVIII, 1. — [12] *Isai.* XXV, 1. — [13] *Psalm.* XCVII, 1. — [14] I *Paralip.* XXIX, 17. — [15] *Prov.* III, 32. — [16] *Sap.* I, 1 et 2. — [17] *Eccli.* XXXII, 9 — [18] *Ibid.* 12. — [19] *Luc.* I, 34. — [20] *Prov.* I, 5.

mino, ut reservetur in generationes vestras[1]; *vas* enim *parvulum*, cor humile beatæ Virginis, *in quo ponitur manna* Verbi Dei increati et creati, *quantùm potest capere gomor*, hoc est, ad sufficientiam Ecclesiæ, *ut reponatur coram Domino* in contemplatione, *et reservetur in generationes vestras*, ut ex hoc Apostoli, Evangelistæ, et tota simul Ecclesia instruantur. E contrà de corde stulti dicitur : *Cor fatui, quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit*[2]. Hic etiam non recipit, nec audit; et ità omnia desunt ei; etenim non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo. Nec est mirum quòd non recipit, quia neque audit : *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit ei, et projiciet illud post dorsum suum*[3]. *Qui congregavit merces, misit eas in sacculum pertusum*[4]. Quartum autem, quod in litterâ continetur, est bona collatio retentorum. Et hoc est quod dicit : *Conferens in corde suo*. Collatio autem est ad hoc quòd sciatur quid ex collectis per certam conclusionem eliciatur, sicut legitur de eâ quòd *cogitavit qualis esset ista salutatio*[5]; cogitare enim est cor agitare. Et hoc est quod in spiritualibus bonis et intellectualibus Dominus præcipit servis suis, dicens: *Negotiamini, dùm venio*[6]. Hæc enim quatuor faciunt sapientem : bonus et humilis auditus, auditorum bona receptio, receptorum bona retentio, et retentorum bona collatio. Contulit autem ea quæ receperat per auditum, eis quæ legerat in Libris. Legerat enim Virginem concepturam [7]. Legerat Virginem illam esse futuram de stirpe Davidicâ : *Egredietur virga de radice Jesse*[8]. Legerat etiam in Nazareth futurum fore conceptum, secundùm aliam translationem : *Quoniam Nazareus vocabitur*[9]. Legerat David factam esse promissionem : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*[10]. Legerat etiam in Bethleem nasciturum : *Tu, Bethleem*, etc.[11]. Hæc omnia contulit ad ea quæ in ipsâ facta sunt. Scivit enim se virginem, et Gabrielem dixisse : *Ecce concipies in utero, et paries filium*[12]. Scivit se esse de stirpe Davidicâ, scivit quòd in Nazareth concepit, scivit quòd in Bethleem peperit, scivit etiam quòd omnia dicta concurrerent et ædificarentur ad fidem. « Non protulit autem (ait « Glossa [a]), non minùs ore quàm corpore pudica; « secreta enim est; et quæ noverat nulli divulgat; « sed tacito corde scrutans, congruum tempus quo « Deus velit hæc revelare, reverenter exspectat. » Adhuc autem in fine ejusdem Glossæ [b] dicitur sic : « Si Maria à pastoribus discit, debemus à Sacerdo- « tibus discere : si Maria ante præceptum Apostoli « tacet, debemus post præceptum Apostoli magis « doceri quàm docere. » Sequitur de tertio effectu.

7. *Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.* Et dicit hîc tria : pastorum à contemplatione Verbi facti ad gregum curam reversionem, et eorumdem de visis et auditis gratiarum actionem, et dictorum cum visis plenam concordiam. Dicit ergò : *Et reversi sunt pastores.* Pastorum reversio significat regressum pastorum à contemplatione ad actionem, quæ est in curâ subditorum : *Necessarium magis manere propter vos*[13]. *Attendite vobis et vestro gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo*[14]. *Glorificantes et laudantes Deum.* Gratiarum est actio : *Gaudium et lætitia invenietur in eâ, gratiarum actio et vox laudis*[15]. Glorificatio autem est de his quæ sibi soli debentur; laus autem de virtute quæ aliis est communis : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et vox laudis Deo nostro in sæcula sæculorum*[16] *In omnibus quæ audierant* voce Angelicâ, *et viderant* per experimentum : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei*[17]. *Major est sapientia tua quàm rumor quem audivi in terrâ meâ*[18]. Et concordia dicti ad factum, *sicut dictum est ad illos : Non credebam narrantibus, donec ipsa veni, et probavi quòd dimidium mihi nuntiatum non fuerat*[19].

[1] *Exod.* XVI, 33. — [2] *Eccli.* XXI, 17. — [3] *Ibid.* 18. — [4] *Aggæ.* I, 6. — [5] *Luc.* I, 29. — [6] *Id.* XIX, 13. — [7] *Isai.* VII, 14. — [8] *Id.* XI, 1. — [9] *Matth.* II, 23. — [10] *Psalm.* CXXXI, 11. — [11] *Mich.* V, 2. — [12] *Luc.* I, 31. — [13] *Philipp.* I, 24. — [14] *Act.* XX 28 — [15] *Isai.* LI, 3. — [16] *Apoc.* VII. 12. — [17] *Psalm.* XLVII, 9. — [18] III *Reg.* X, 7. — [19] *Ibid.*

[a] Ambrosii, p. 388, n. 2, et Bedæ, p. 392, n. 4. — [b] Ambrosii, p. 388, n. 2.

AD TERTIAM MISSAM IN DIE.

EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM.

Cap. I, 1-14.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo [1], cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera [2], quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est [3], et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est [4], et habitavit in nobis (et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre), plenum gratiæ et veritatis.

✠ BREVIS EXPLANATIO SUPERIORIS EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII MENOCHII,

CUM SCHOLIIS MARIANÆ ET ANNOTATIONIBUS EMM. SA.

1. [a] *In principio*, etc. *Principium* appellat, quandò quæ facta sunt, esse incœperunt, et ante quæ nihil factum est.

MARIANA. Augustinus, Lib. 6, de Trinitate, cap. 2 : « Alii Evangelistæ ab incarnatione, Joannes « ab æternâ generatione inchoat. »

Erat. Ante omnia creata.

Verbum. Græcè, ὁ Λόγος, id est, *illud Verbum*, scilicet unicum et singulare. Ità dicitur Filius, quòd procedat à Patre, ut à mente verbum.

Et Verbum erat apud Deum. Sensus est : Verbum hoc non erat solitarium, sed ad Deum ipsum referebatur, cujus erat Verbum ; sine dicente enim verbum esse non potest. Non tamen erat ab ipso Deo sejunctum, aut separatum ; nam verbum ab intellectu, cujus est verbum, non sejungitur ; non quidem tamquàm res adjacens, aut inhærens, sed velut aliquid subsistens, à Deo, cujus Verbum erat, distinctum.

Apud Deum. Græcè est, τὸν Θεόν, *Deum illum*, scilicet qui Pater est.

Et Deus erat Verbum, id est, et Verbum illud erat Deus, ejusdem cum Patre naturæ.

2. *Hoc erat in principio.* Hoc, scilicet Verbum, quod erat Deus, apud Patrem erat, necdùm humanam carnem assumpserat.

[1] *Matth.* III, 1 *et Marc.* I, 2. — [2] *Joan.* III, 19. — [3] *Hebr.* XI, 3. — [4] *Matth.* I, 16 *et Luc.* II, 7.

[a] Ex Menochio desumptum est quidquid non indicatur fuisse exceptum ex Marianâ vel ex Emm. Sa.

3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Quasi dicat : Hoc Verbum erat apud Patrem, quandò omnia fecit, nec tantùm erat apud Patrem, sed per ipsum Pater omnia fecit. Syrus phrasi hebraicà vertit : *Per manum ejus.*

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est, id est, nulla res est facta, quæ non sit per ipsum facta, seu, quæ sit sine ipso facta.

Sa. *Quod factum est.* Id quidam jungunt cum præcedentibus, alii cum sequentibus; atque id sequuntur Latini, ut sensûs sit : Quidquid factum est, in ipso fuisse vitam. Mihi prior sententia planior videtur, ut sensus sit : Omnia per ipsum facta esse, et sine ipso nihil factum ex iis quæ facta sunt; ut sit repetitio, more Scripturæ, ad majorem declarationem.

4. *In ipso vita erat.* Sensus est : Non solùm per Verbum Deus omnia fecit, sed etiam in eodem Verbo, hoc est, per idem Verbum, vitam spiritualem, cœlestem et æternam in omnibus operatus est.

Mariana. *In ipso vita erat*, quam daret hominibus : *Ego veni, ut vitam habeant* [1]. Aut certè significat, ab eo accipere vitam quæcumque vivunt.

Sa. *In ipso.* Id quidam conjungunt cum præcedentibus : alii probabiliùs cum sequentibus, id est : in ipso, ut in fonte, vita erat, vel ipse vita erat.

Et vita, καὶ ἡ ζωή. Articulus additus significat vitam accipi pro ipso Verbo. Sensus ergò est : Verbum, quod erat vita et causa vitæ.

Erat lux hominum, homines per fidem illuminans.

Mariana. Verbum non solùm est vita quà vivimus, sed etiam lux quà intelligimus.

5. *Et lux*, illa lux, quæ et vita et Verbum est.

In tenebris lucet. Tenebras appellat homines, Deum et viam salutis ignorantes; nam ut legimus : *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* [2].

Et tenebræ eam non comprehenderunt, non susceperunt, non admiserunt, aspicere vel neglexerunt, vel contempserunt.

6. *Joannes*, scilicet Baptista.

Mariana. Testimonio Joannis vult probare Christum esse qualem dixit.

Sa. *Fuit,* id est, exstitit; non enim jungitur cum *missus.*

7. *Testimonium.* Ad testimonium perhibendum, tamquàm testis et præco.

De lumine, περὶ τοῦ φωτός, *de illâ luce,* scilicet de Christo, qui est vera lux illuminans omnes homines.

Crederent, et lucem illam admitterent.

Per illum, scilicet Joannem, et prædicationem ejus.

8. *Non erat ille lux.* Quamvis vir magnus esset, non tamen erat lux illa eximia, de quà nobis est sermo.

Sed ut testimonium perhiberet de lumine; sed ideò missus, ut lucis esset testis et præco.

9. *Erat lux vera.* Lux illa, cui testimonium daturus erat Joannes, *erat lux vera,* prima scilicet et summa lux, quæ sola verè ac propriè lucis nomen meretur.

Quæ illuminat omnem hominem, quæ lux illuminat ex naturà suà omnes homines, licèt aliqui, imò multi, vitio suo hoc lumen non recipiant.

Venientem in hunc mundum, scilicet per nativitatem.

10. *In mundo erat*, hæc lux, hoc Verbum.

Et mundus per ipsum factus est; omnia enim per ipsum facta sunt, ut dictum est versu 3.

Mundus, homines, pars mundi nobilissima.

Eum, τὸν Λόγον, *Verbum.*

Non cognovit, nec ex præsentià illius, nec ex origine suà, quam illi debebat acceptam.

11. *In propria,* in mundum à se creatum et factum, et in Judæam regionem gentis suæ.

Venit, per Incarnationem.

Sui eum non receperunt; in illum enim non crediderunt, nec agnoscere voluerunt, ut Dominum, mundi Creatorem et Redemptorem. Hoc est quod Christus queritur : *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, et non accipitis me* [3].

12. *Quotquot autem*, sive nobiles, sive ignobiles, sive Judæi, sive gentiles, sive barbari, *etc.*

Receperunt eum, in illum credentes, et lucem ejus admittentes.

Sa. *Receperunt,* scilicet credendo, ut statim creditur : intellige verò fidem perfectam, scilicet charitate.

Dedit eis, etc. : quasi dicat : Iis qui in ipsum credunt, et fidem per baptismum profitentur, et per hanc fidei professionem ex Deo nascuntur, dedit potestatem, id est facultatem, ut filii Dei effici possint, filiatione consummatà, quæ est adoptio beatitudinis.

Sa. *Potestatem.* Græcè, ἐξουσίαν, quod significat etiam *auctoritatem* et *præeminentiam*, ut in Epistolà ad Romanos [4].

Iis qui credunt in nomine ejus. Credere in nomine ejus, est credere ipsum esse verum Christum in lege promissum, et credere ipsum esse Dei Filium, qui venit nos redempturus.

13. *Qui non ex sanguinibus*, non ex humano semine, qui est sanguis benè concoctus.

Neque ex voluntate carnis, nec ex concupiscentià carnali.

[1] *Joan.* x, 10. — [2] *Matth.* iv, 16 *et Isai.* ix, 2. — [3] *Joan.* v, 43. — [4] *Rom.* xiii, 1-3.

Neque ex voluntate viri. Voluntas viri dici videtur appetitus ille posteritatis et sobolis propagandæ, qui potissimùm cernitur in viris, qui principes generationis sunt, et quorum genus, nomen, et memoria magis quàm mulierum, conservatur in filiis.

Sed ex Deo nati sunt, id est, habent quemdam alium nascendi modum dissimilem naturali, per quem nascuntur ex Deo. Porrò nasci ex Deo, est Deo operante, renovari mente, seu *spiritu mentis*, ut loquitur Apostolus, et justificari, Deoque similem fieri *justitiâ et sanctitate veritatis* [1].

14. *Et verbum caro factum est.* Quia dixerat Verbum in propria venisse, et non fuisse receptum, docet nunc quonam modo venerit, nempè per assumptam humanitatem, ità ut Verbum verè et propriè factum fuerit homo.

MARIANA. *Carnis* voce hominem significavit, ut Dei benignitatem magis commendaret.

Caro factum est. Caro in Scripturis sæpè totum hominem significat, ut cùm dicitur : *Videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est* [2].

Habitavit in nobis, inter homines habitavit, et versatus est. Hoc est, quod ait Baruch : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* [3].

Gloriam ejus, majestatem, potentiam divinitatis ejus, quæ nobis illuxit per carnem, quasi per velum quoddam, et vidimus eam in variis naturæ vim superantibus miraculis, quæ in vitâ, morte ac resurrectione patravit.

Quasi unigeniti, id est talem, qualem decet unigenitum Dei Filium.

A Patre, Deo scilicet egressi.

Plenum. In Græco est, πλήρης, id est, *plenus,* in nominativo ; sed noster Interpres videtur legisse πλήρη, in accusativo, ut *plenum*, etc., referatur ad *Verbum,* et quæ præcesserunt : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre,* per parenthesim interposita sint.

Plenum gratiæ. Christus dicitur plenus gratiæ, non ut homo privatus, sed ut caput, ut scilicet non solùm sibi plenus sit omnibus gratiis et donis, sed etiam omnibus membris suis.

MARIANA. *Plenum,* scilicet Verbum, quod ab ipso conceptu fuit perfectissimum et gratiâ et scientiâ : junge verò cum *habitavit.*

Et veritatis. Veritatis plenus dicitur, quia plenè in eo implentur omnia quæ in Veteris Testamenti figuris adumbrabantur. Omnia bona quæ in Veteri Lege significabantur aliquandò nobis danda et aliquandò implenda, per ipsum data sunt et impleta.

✠ FUSIOR EXPLANATIO EJUSDEM EVANGELII,

SEU

IN ILLUD, COMMENTARII CORNELII A LAPIDE,

JOANNIS MALDONATI ET CORNELII JANSENII,

INTER SE VELUTI QUADAM CATENA COLLIGATI.

JOANNES MALDONATUS.

1. *In principio erat Verbum.* Altè et à primâ origine sumptum exordium, quod, cur præter cæterorum Evangelistarum morem, qui aut ab humanâ Christi generatione, ut Matthæus et Lucas, aut à baptismo et prædicatione, ut Marcus, exorsi sunt, Joannes fecerit, hanc multi Auctores rationem reddunt, quòd Matthæus et Lucas Christi tamquàm Redemptoris historiam, Marcus tamquàm Doctoris scribere voluerint : itaque illos ab humanâ generatione, undè Redemptoris : hunc à baptismo, undè Doctoris officium auspicatus est, initium historiæ sumpsisse : Joannem contra Ebionem et Cerinthum, qui, divinitatem Christo detrahentes, ante Mariam negabant exstitisse, scripsisse suum Evangelium, cui non potuerit magis accommodatum ad id quod agebat, dare principium, rem, ut dicitur, acu initio tetigisse, et primo adversarios verbo jugulàsse. Hujus Auctores sententiæ multi sunt, Irenæus, Lib. 3, c. 11, Epiphanius, Hæres. 51, Hieronymus in Joannis vitâ, Chrysostomus, Homiliâ 2 in Joannem, Cyrillus, in Prologo Comment. et Beda, hoc loco.

Alii non necessitate ortæ jàm hæresis, sed divinatione, aut metu aliquandò orituræ, qualis posteà Pauli fuit Samosateni, ut haberent Catholici, quo

[1] *Ephes.* IV, 23 *et* 24. — [2] *Isai.* XL, 5. — [3] *Baruch*, III, 38.

eam, cùm nasceretur, refutarent. Ità Chrysostomus, Homilià 3 in Joan. et Theophilactus in Præfatione ad Joannem.

Alii, quòd addere voluerit, quæ cùm scitu necessaria essent, prætermissa ab aliis Evangelistis aliud agentibus viderentur. Ex quibus erat divinitas Christi ab aliis non satis explicata, ut aiunt Eusebius, Lib. 3 Historiæ Eccles., c. 24, Basilius, Lib. 2 contra Eunomium, et Nicephorus, Lib. 2, c. 45.

Aliam etiam Irenæus hujus exordii rationem reddit : « Significans, *inquit*, quoniam per Verbum, « per quod Deus perfecit conditionem, in hoc et « salutem his qui in conditione sunt, præstitit ho« minibus : sic inchoavit in eâ quæ est secundùm « Evangelium doctrinâ : *In principio erat Verbum*. »

Aliam rursùs, Lib. 1 contra Valentinianum, c. 1 : « Quoniam, *inquit*, de primo rerum ortu verba fa« cit, rectè à principio, hoc est, à Deo et Sermone « doctrinam suam instituit. »

Addo, ut nulla de Christi divinitate, aut nata jàm, aut aliquandò nascitura hæresis fuisset, tamen non potuisse Joannem, aptius historiæ quam scribebat, exordium reperire, si vel profanus fuisset scriptor. Aggrediebatur historiam Christi conscribere, qui Deus simul et homo erat : oportebat priùs divinæ, deindè humanæ naturæ originem principio declarare ; hoc enim ratio postulat historiæ, ut ejus de quo scribitur, genus et origo primo exponantur loco. Id Joannes fecit : quod à profanis etiam Auctoribus non probatum atque laudatum modò, sed ad imitationem etiam usurpatum legimus. Scribunt Eusebius, Lib. 11 de Evangelicâ Præpar., c. 10, et Cyrillus Alexandrinus, Lib. 8 adversus Julianum, Amelium, Platonicum philosophum, et Heraclitum dixisse, rectè barbarum illum (Joannem, qui Judæus erat, barbarum appellantes) affirmâsse in principio apud Deum fuisse Verbum, ipsumque Deum. Idemque Chrysostomus, Homil. 2 in Joan. et Basilius, Homil. in hæc verba, indicârunt. Affirmat etiam Augustinus, Lib. 8 Confess., c. 2, et alibi, legisse se hoc Joannis exordium in Platonicorum philosophorum libris. Transferam hìc ex Lib. 10 de Civit., c. 29, propè finem, ejus verba : « Quod ini« tium, *inquit*, sancti Evangelii, cui nomen est « secundùm Joannem, quidam Platonicus, sicut à « sancto sene Simpliciano, qui posteà Mediolanensi « Ecclesiæ præsedit Episcopus [a], solebamus audire, « aureis litteris conscribendum, et per omnes Eccle« sias in locis eminentissimis proponendum esse « dicebat. »

Tanti hoc Evangelii principium Christiani faciebant, ut nimiâ penè religione venerarentur ; nam solitos multos suspensum de collo ferre Concilium Antiochenum, Hieronymus in Commentariis in cap. Matth. 23, et Chrysostomus, Homil. 73 in Matth., indicant, et tamquàm anilem superstitionem reprehendunt ; mulierculas enim id maximè fecisse aiunt : quamquàm non video cur id factum non possimus in meliorem partem interpretari : non tamquàm amuletum ex superstitione gestàsse, sed præcipuè tamquàm symbolum fidei, ut se Catholicos, non Arianos esse profiterentur ; quemadmodùm si quæ vulgò Rosaria vocant, quibus precari sacram Virginem solemus, loco torquis ad collum geras, ut ostendas te non hæreticum, sed Catholicum esse. Versabatur enim olim in his primis Evangelii Joannis verbis omnis ferè inter Catholicos et Arianos controversia, quasi arcem hoc loco Catholicis constituentibus ejus fidei, quam habebant, Trinitatis. Quo tempore eam consuetudinem natam suspicor ; quemadmodùm illam apud nos eâdem opinor causâ, ut peractis Sacris hoc Joannis Evangelium tamquàm symbolum alterum fidei recitetur. Ad verba ut veniamus, singula non singulas, sed plures gravesque difficultates habent.

In dictione *Verbum* (ab eâ enim incipiendum, quia, quamvis positu ultima sit, sensu tamen est prima, cùm Oratio ad hunc modum sit resolvenda : *Verbum erat in principio*), in eâ ergò dictione quatuor quæstiones latent.

Prima est : quid Verbi nomine intelligatur?

Secunda : cur ità Filius vocetur?

Tertia : meliùsne *Verbum*, an *Sermo* latinè dicatur, quod græcè Λόγος dicitur?

Quarta : cur Joannes hoc loco *Verbum* potiùs quàm Filium appellaverit?

Prima quidem facilis est. Nam adeò est perspicuum Filium Dei hoc loco nomine *Verbi* intelligi debere, ut ne Ariani quidem, quamvis in torquendis Scripturis audaces, negaverint. Videbant enim toto capite Joannem eamdem personam *Verbum*, et *Filium*, atque *Unigenitum* appellare : videbant eumdem Joannem aliis in locis [1] de Christo loquentem, eodem usum nomine. Itaque de hoc nulla illis cum Catholicis quæstio erat. Magis mirum, fuisse inter Catholicos qui non solùm Filium, sed etiam Spiritum sanctum Verbum appellaverint. In quibus Basilius, Lib. 5 adversus Eunomium, c. 11 [b], eâ ratione quòd sicut Filius Patris, ità Filii Spiritus sanctus interpres sit : quod nomine Verbi

[1] I *Joan.* I, 1 *et* V, 7, *et Apoc.* XIX, 13.

[a] Successor in episcopatu sancti Ambrosii. Vide Librum de Prædestinatione Sanctorum, n. 4. Ejusdem meminit Augustinus in Confessionibus, Lib. 8, c. 2, n. 2.

[b] Et Auctor Operis imperfecti in Matthæum. Vide suprà p. 42-43, Notam *d*.

significatur. Citat in hanc sententiam illud Pauli : *Et gladium spiritûs, quod est verbum Dei* [1] ; et hoc alterum : *Portans omnia verbo virtutis suæ* [2], quasi D. Paulus verbum virtutis Filii Spiritum sanctum appellaverit, quia sicut Pater per Filium, ità Filius per Spiritum sanctum voluntatem mentemque suam hominibus declaraverit : *Ille*, inquit, *vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis* [3]. Sicut è contrario, eodem loco, se ipsum Filius Paracletum appellavit [4], quia, etsi id nomen Spiritûs sancti proprium est, tamen, quia et ipse consolator est noster, quod Paracleti nomine declaratur, sibi etiam attribuit. Ausus est dicere vir modestissimus, D. Thomas, Basilium impropriè locutum fuisse. Enimverò, si propriè loquamur, solus Filius Verbum est. Nec D. Paulus Spiritum sanctum Verbum appellat; cùm enim dicit : *Portans omnia verbo virtutis suæ, verbum*, non Spiritum sanctum, sed præceptum significat, ut D. Thomas interpretatur, tamquàm dicat Filium jussu suo omnia sustinere, omnia gubernare : aut τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, id est, definitione suâ omnia complecti, ut apud Victorinum in Libr. adversus Arium, et apud alios nonnullos antiquos Auctores memini legere : aut *verbo virtutis suæ*, id est, verbo suo potenti, seipso, qui potens Patris Verbum est, *omnia portare*, ut alii exponunt, mihique magis placet. Et cùm dicit : *Gladium spiritûs, quod est verbum Dei*, non loquitur de Spiritu sancto, sed hebraicâ phrasi *verbum*, id est, doctrinam Dei, *gladium spiritûs*, id est, non carnalem, aut ferreum, qualis ille est, quo inter homines bella geruntur, sed spiritualem vocat, sicut alio loco dicit : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei* [5].

Longè difficilior secunda quæstio est, et majore varietate sententiarum implicata. Auxit sententiarum numerum græcum nomen Λόγος, quo usus est Joannes, quòd, cùm et *rationem*, et *definitionem*, et *sermonem*, aut *verbum* significet, in causâ fuit, ut dùm diversam quisque significationem sequitur, diversa sentiret.

Primam significationem secuti videntur ii qui Filium Dei idcircò *Verbum* vocatum dixerunt fuisse, quòd ἀπαθῶς, *sine ullâ passione*, sine ullâ corruptione à Patre procedat, sicut *ratio* ex animo, aut notitia *ex ratione* procedit, ut Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologiâ; Basilius in Homiliâ in hæc quæ nunc explicamus, Joannis verba; Ambrosius, Lib. 1 de fide, c. 2; Chrysostomus, Homiliâ 2 in Joannem; Aretas in c. 19 Apocalypsis; Theophilactus et Euthymius in hujus loci Commentariis. Alii eamdem etiam secuti, aliam tamen rationem reddiderunt, quòd, quemadmodùm nobis *ratio*, ità Patri Filius intimus esset : quam etiam Gregorius Nazianzenus et Basilius afferunt. Alii *rationem*, id est, Λόγον dictum, quòd nos rationi obsequentes faciat, auferens à nobis quidquid rationi contrarium est, ut Origenes, Lib. 1 in Joannem.

Alii secundam, ideò Λόγον appellatum Filium, quòd quasi *definitio* Patris esset, ejus penitùs naturam exprimens; hoc enim esse, quod dixit D. Paulus : *Qui cùm sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* [6]. Quam rationem inter alias afferunt etiam Gregorius Nazianzenus, Elias Cretensis, eodem loco, et Euthymius. Alii eamdem quidem aliâ viâ secuti significationem, Λόγον vocatum putaverunt, quòd quasi omnium rerum *definitio* esset, ut paulò antè ex Victorino dicebamus : idem Nazianzenus et Elias tradunt.

Alii tertiam, sed ratione etiam diversâ. Quidam enim Λόγον quasi verbum dictum esse, sed verbum quidem mentis, aut cordis, non oris. Nam, ut nos duplex habemus verbum, aliud mentis internum, quod aliud non est quàm animi notitia, rem quam intelligimus, nobis repræsentans, aliud oris externum, quo internum illud declaramus; ità quoque Deum duplex verbum habere, aliud mentis, qui Filius est, quem seipsum intelligendo generavit, aliud oris quodammodò, quo nobis mentem suam voluntatemque declarat : quale erat illud quod per Prophetas olim pronuntiabat : quale hoc etiam est, quod sacris nunc Litteris consignatum habemus. Cùm autem *Verbum caro factum est*, ex utroque verbum unum factum esse, et illud quod solà conceptum erat mente, velut pronuntiatum fuisse ore, ut audiretur et videretur à nobis; hoc enim nos, dùm loquimur, agimus ut verbum, quod animo conceptum habebamus, foràs ad audientium aures proferamus. Hoc ipsum in Verbo Dei factum est, quod alio loco idem Joannes significavit, dicens : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis* [7] ; non enim cùm esset in initio, sed cùm *Verbum caro factum*, id est, pronuntiatum esset, auditum et visum est. Simile quid ait D. Paulus in Epistolâ ad Hebræos : *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio* [8], hoc est, in Verbo, quasi diceret : Priùs alieno loquebatur ore, nunc ore suo verboque suo locutus est. Hâc igitur ratione magna pars veterum, et recentiores ferè omnes Auctores putant Filium vocatum fuisse Verbum, quòd notitia Patris sit : Dionysius Romanus apud Athanasium in Epistolâ de sententiâ ipsius;

[1] *Ephes.* VI, 17. — [2] *Hebr.* I, 3 — [3] *Joan.* XIV, 26. — [4] *Ibid.* 16. — [5] II *Cor.* X, 4. — [6] *Hebr.* I, 3. — [7] I *Joan.* I, 1 *et* 2. — [8] *Hebr.* ,1.

Athanasius ipse in Lib. de definit.; Eusebius, Lib. 7 de Evangelicâ Præparat., c. 4, et Lib. 5 de Demonstrat., c. 5; Hilarius, Lib. 2 de Trinitate; Augustinus, Tract. 1 et 14 in Joan. et Lib. 15 de Trinit., c. 10, 11, 12 et 27; idem, aut quisquis alius est auctor, in Lib. de Cognitione veræ vitæ, c. 14; Fulgentius, Lib. 3 ad Monimum et Lib. 2 ad Thrasimundum; Cyrillus Alexandrinus, Lib. 1 Thesauri de sanctâ et consubstantiali Trinitate, c. 7, Lib. 4, c. 3, Lib. 6, c. 1, Lib. 10, c. 4, Lib. 13, c. 3 et Lib. 2 de sanctâ et consubstantiali Trinitate; Ruffinus in Expositione Symboli; Damascenus, Lib. 1 de Fide, c. 6; Anselmus in Monolog., c. 29, 30, 31 et 32, et Rupertus in Commentariis in hunc locum. Quæ posteà opinio magno in scholam Theologorum consensu recepta est, tantumque auctoritatis obtinuit, ut nemo jàm ab eà possit sine temeritatis notâ discedere. Nihil tamen obstat, quominùs aliæ quoque veræ esse possint; fieri enim potest, ut Verbum Dei non unâ tantùm, sed pluribus rationibus dicatur Verbum. Alii ergò Verbum dictum putant, quia per illud Deus omnia fieri jussit : *Dixit enim, et facta sunt*[1]; dixit autem verbo, et verbum præceptum significat : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*[2]. Placuit etiam hoc Augustino, Sermone 190, et Isidoro, Lib. 7 Originum, cap. de Filio, et mihi non displicet, modò ità intelligatur, ut dicamus semper fuisse Verbum, quia semper aptum fuit, ut per illud Pater loqueretur, et quæ vellet fieri, juberet. Alii Verbum vocatum dicunt, quòd nobis interpres sit paternæ voluntatis atque sententiæ, quemadmodùm verbum vocale nostrum mentis voluntatisque nostræ interpres est. Ità Origenes, Lib. 1 in Joan.; Clemens Alexandrinus in Oratione adhortatoriâ ad Gentes, et in Pædagogo, c. 12; Epiphanius, Hæres. 73; Chrysostomus, Homil. 2 in Joan.; Basilius, Homil. in hæc verba; Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologiâ; Theophilactus et Euthymius, hoc loco. Hæ quidem veterum Auctorum sententiæ sunt, quæ omnes magnam ex suis Auctoribus probabilitatem habent. Itaque Hieronymus in Epistolâ ad Paulinum omnes videtur approbare : « Λόγος, *inquit*, « græcè multa significat; nam et *verbum* est, et « *ratio*, et *supputatio*, et *causa uniuscujusque* « *rei*, per quam sunt singula quæ subsistunt, quæ « universa rectè intelligimus in Christo. » Sed tres mihi postremæ probabilissimæ videntur; harum verò trium prima præsertim et ultima, illa auctoritatibus, ista simul auctoritatibus atque rationibus. Animadverto enim Chaldaicum paraphrasten, quotiès de Deo nobiscum loquente, nobis auxiliante, aut nobiscum deniquè versante sermo est, hebraicum nomen יְהֹוָה, *Jehovah*, quod Deī proprium est, reddere מֵימְרָא, *memra*, *Verbum*, intelligentem nimirùm agi de Filio, qui Verbum appellatur, et cujus proprium est, loqui nobiscum. Cujus rei tàm multa apud illum exempla sunt, ut notare pigeat. Doctus si Chaldaicam paraphrasim legat, in eà passim incurret : indoctus nobis credat. Hinc ergò colligitur Filium Dei idcircò inter Judæos *Verbum* appellatum, quòd persona Dei nobiscum loqueretur; nam eum qui cùm Patriarchis olim specie Angeli sæpè loquebatur, fuisse Filium Dei, qui Ecclesiam semper gubernavit, probabilis et antiqua opinio fuit, Tertulliani præsertim, et Hilarii multis locis repetita, et Syrmiensis contra Arianos Synodi decreto comprobata : quod apud Hilarium in Libro de Synodis est. Paraphrasten verò Chaldæum ex Hebræorum consuetudine locutum fuisse verisimile profectò est. Quin D. Paulus eò etiam videtur alludere. Dixerat Deus : *Juxtà est sermo valdè in ore tuo et in corde tuo*[3]. Dicit D. Paulus : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, id est, Christus*[4]; et Origenes, Libro in Joan. 1, interpretatur, « quia, si credideris in corde tuo, quòd « Deus suscitavit Dominum Jesum à mortuis, sal- « vus eris. » Certè cùm David dicit : *Constitue, Domine, legislatorem super eos*[5], Christum intelligit, eumque מוֹרֶה, *more*, *Doctorem* vocat, quem noster Interpres *Legislatorem* vertit; perindè autem est Filium Dei Doctorem atque Verbum appellare. Videtur etiam Joannes rationem explicare, quamobrem Christus Verbum appelletur : *Unigenitus*, inquit, *qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[6]; et : *Quod*, inquit, *audivimus de Verbo vitæ*[7], quasi ideò Verbum dicatur, quia auditur, quod proprium est verbi; et : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*[8]. Cur enim eo loco *Verbum* potiùs quàm Filium appellavit, cùm nomen præcedens Patris postulare videretur, ut potiùs vocaret Filium, nisi quia de illo tamquàm de teste loquebatur, qui nobiscum loquendo testimonium perhibuisset? Cur similiter in Apocalypsi Christum dixit vocari *Verbum*[9], nisi quia de illo tamquàm de Duce, tamquàm de Rectore agebat Ecclesiæ, qui per omnia pervadens, leges daret, et divina Patris præcepta traderet, hoc est, Verbum esset? Propterea vidit eum equo insidentem albo, quo simul celeritas, simul puritas Verbi Dei, omnia penetrantis, significaretur : propterea vocavit *fidelem et veracem*[10], cùm tot alia, quibus eum appellaret, haberet nomina, quia nihil Interpretis, nihil Doctoris æquè proprium esse debet, atque ut fidelis et verax sit :

[1] *Psalm.* CXLVIII, 5. — [2] *Ibid.* 8. — [3] *Deut.* XXX, 14. — [4] *Rom.* X, 8 *et* 9. — [5] *Psalm.* IX, 21. — [6] *Joan.* I, 18. — [7] I *Joan.* I, 1. — [8] *Id.* V, 7. — [9] *Apoc.* XIX, 13. — [10] *Ibid.* 11.

propterea dixit : *Testimonium ejus est spiritus prophetiæ* [1], quia de illo agebat tamquàm teste, qui omnibus Patris consilia testimonio suo declaràsset confirmàssetque. Deniquè, nusquàm Verbum Joannes appellat, qui solus inter Apostolos et Evangelistas hoc usus est nomine, nisi cùm de eo agebat, ut de Interprete divinæ voluntatis : ideò et hoc loco, ut posteà docebimus, vocavit Verbum, qui paulò pòst dicturus fuerat carnem factum fuisse, et in nobis habitàsse [2], id est, nobiscum versatum, nobiscum collocutum. Idem ex aliis Scripturæ locis colligo. A Sapiente enim Angelus ille qui missus fuerat ad occidenda Ægypti primogenita, *Sermo Dei* appellatur [3], quia mandata Dei ad homines deferebat, eaque exsequebatur : ergò eàdem ratione Filius vocatur *Verbum;* sed Angelus officio, Filius naturà, sicut aliis locis idem Filius Angelus appellatur [4]. Illud modò huic sententiæ videtur obstare, quòd, si hàc ratione *Verbum* diceretur, non antè *Verbum* fuisset, quàm *caro factum* habitàsset in nobis, certè non antequàm homines essent, quibus Patris interpretaretur voluntatem. Quo ergò modo *in principio erat Verbum?* Facilis responsio. *Verbum* ex omni æternitate erat, quia naturà suà interpres erat, cùm sapientia esset Patris, quæ perspecta haberet omnia ejus arcana, etiamsi homines non essent, quibus ea posset declarare; nam vera etiam lingua est, quæ, quia auditores non habet, tacet.

Tertiam quæstionem, quia de solo est nomine, vix operæ pretium esset explicare, nisi nimià quidam de eà re contentione disputàssent. Scimus multos veteres et graves Auctores sæpè Filium Dei *Sermonem* appellare, Tertullianum in Libro de Trinitate tribus locis, in Libro adversus Praxeam, et Libro adversus Hermogenem; Cyprianum, Libro 2 contra Judæos, c. 3 et 6; Hilarium, Libro 2 de Trinitate; Lactantium, Libro 4, cap. 8 et 9; Ambrosium, Libro de Fide contra Arianos, c. 2, Libro 1 Hexaëmeron, c. 9, et Libro 2, c. 2; Hieronymum in Commentariis in Isaiæ cap. 11 et in cap. 1 Epistolæ ad Ephesios; Augustinum, Tract. in Joan. 54 et 108; Prudentium, Hymno 6 Cathemerinon :

« Ades, Pater supreme,
« Patrisque Sermo, Christe; »

Remigium in cap. 4 Epistolæ ad Hebræos; Anselmum in hæc verba Joannis : *In principio erat Verbum :* quin aliquos *Vocem* appellàsse video, ut Lactantium, Libro 4, c. 9 et Claudianum, Gentilem quidem poetam, sed Christianum simulantem, edito de Christo Servatore carmine,

« Christe, potens rerum redeùntis Conditor ævi,
« Vox summi, sensusque Dei, quem fudit ab altâ
« Mente Pater. »

Scimus et de Scripturis sacris nonnullos proferri locos, ubi noster etiam Interpres *Sermonem* verterit, ut : *Omnipotens sermo tuus exsiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit* [5]; et : *Vivus est sermo Dei et efficax* [6]. Sunt qui ex Cypriano et ex aliis vetustis Auctoribus colligant veterem Latinam versionem, quæ ante istam quam nunc habemus, in Ecclesià legebatur, in multis aliis locis, quibus agatur de Filio, non *Verbum*, sed *Sermonem* habuisse, ut in Psalmo XXXII, 6, ubi Cyprianus legit : *Sermonè Domini cœli firmati sunt;* et : *Eructavit cor meum sermonem bonum* [7]; et : *Misit sermonem suum, et sanavit eos* [8]; et : *Sermonem abbreviatum faciet Deus super terram* [9]. Fallax conjectura; nam Cyprianus non solebat versionem ullam citare, quæ vix illà ejus ætate apud Latinos communis erat; sed ipse quotiès Scripturam citabat, de Græco vertebat. Indicio est, quòd nemo alius ejusdem aut circiter sæculi eodem modo quo ille, citet, passim dicit, in Evangelio κατά Matthæum, et κατά Marcum : quod vix memini alium quempiam latinum Auctorem facere. Reliquos verò locos duos, ubi noster Interpres Sermonem reddidit, haud dubito non esse de Filio intelligendos. Nam in illo Sapientiæ [10], de Angelo illo agebatur, quem Deus miserat ad occidenda Ægypti primogenita, quem nemo dixerit fuisse Christum. Nam, ut verum sit, quod suprà diximus, multis antiquis Auctoribus placuisse, solitum etiam ante Incarnationem suam aliquandò mitti Christum, tamen certè ad exercendum officium carnificis non mittebatur : quod vix alii exercent angeli, quàm mali; hoc enim est : *Immissiones per Angelos malos* [11]. Hoc beati Job docet exemplum. Nec Ecclesia in publicis precibus ea verba de Christo interpretatur, sed ad Christum accommodat : quod longè aliud est; nullumque indè ad colligendum litteralem sensum argumentum sumi potest. Illud etiam Pauli ad Hebræos [12], multò magis est manifestum de Christo non intelligi; sed de verbo Dei Evangelico, quod prædicatur, quod non mortuum sicut cætera, sed vivum atque efficax est. Nec ignoro Cyprianum et Athanasium aliosque nonnullos Auctores graves de Christo eos locos interpretari; sed alii etiam non mali Auctores aliter intelligunt. Tota ergò quæstio à Scripturà ad veteres Auctores revocatur, quos diximus pro *Verbo Sermonem* appellàsse. Verum id quidem est; sed iidem illi multò frequentiùs *Verbum*, alii numquàm *Sermonem* vocant, certum argumentum magis no-

[1] *Apoc.* XIX, 10. — [2] *Joan.* I, 14. — [3] *Sap.* XVIII, 15. — [4] *Malach.* III, 1; *Matth.* XI, 10; *Marc.* I, 2; *Luc.* I, 17 *et* VII, 27. — [5] *Sap.* XVIII, 15. — [6] *Hebr.* IV, 12. — [7] *Psalm.* LIV, 1. — [8] *Id.* CVI, 20. — [9] *Isai.* X, 22 *et* 23 *et Rom.* IX, 28. — [10] *Sap.* XVIII, 15. — [11] *Psalm.* LXXVII, 49. — [12] *Hebr.* IV, 12.

men *Verbi* quàm *Sermonis* probatum fuisse; magisque à nobis probari oportere, et eorum et nostri Interpretis venerabilis auctoritas et ratio persuadent. Nam sive Filius Λόγος appellatur, quia notitia Patris est, non solemus mentis conceptum *sermonem*, sed *verbum* appellare, sive quia interpres est Patris, ejus ad nos mandata deferens, et interpretem et mandatum nemo non *verbum* potiùs quàm *sermonem* dixerit. Et si ejus naturam, et utriusque nominis, *sermonis* et *verbi*, proprietatem spectes, reperies *sermonem* orationem totam multis constantem verbis, *verbum* dictionem unam ac simplicem significare; Christum verò non multis verbis rebusve, sed unâ simplicique naturâ suâ quidquid est in Patre declarare, quia est *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*[1] : itaque meliùs *verbum* quàm *sermonem* dici.

Quarta superest quæstio, quam Basilius, Homil. in hæc verba, Leontius in Commentariis, Chrysostomus, Homil. 2, Theophilactus et Euthymius attigerunt, cur hoc loco Joannes *Verbum* potiùs quàm *Filium* appellaverit? Unam illi omnes rationem reddunt, ne, si vocâsset Filium, aliquid fortè carnale aut patibile lector cogitaret : quod posteà accidit Arianis. Idonea ratio, si Christus hæc tantùm duo Verbi et Filii nomina habuisset; at habebat multa, quæ nullam compositionem, nullam corruptionem significabant, sapientia, lux, splendor, et innumera penè alia, quæ Origenes, Libro 1 in Joan. et Basilius in Homil. in hunc locum notant. Alias ergò duas rationes fuisse arbitror, quòd id nomen magis esset notum et gratum, et quòd magis accommodatum ad id quod paulò pòst Evangelista dicturus erat. Nullum nomen Filii Dei inter Hebræos tàm usitatum fuisse, quàm *Verbum*, ex Chaldæo paraphraste cognoscimus, qui, ut suprà docuimus, ubicumquè nomen Dei pro Filio accipi putat, מֵימְרָא, *memra*, *Verbum*, vertit, haud dubiè, quia ità vulgò inter Judæos vocabatur. Id cognoscimus ex Philone, auctore Judæo, qui numquàm Filium, sæpè Λόγον *Verbum* appellat, in Libro quòd deterius melioribus insidietur, et in Libro de Opificio mundi : cognoscimus ex primis illis philosophis Mercurio Trismegisto et Platone, ut probant Eusebius, Libro 7 de Evangelicâ præparat., c. 3, et Libro 11, c. 10, et Cyrillus Alexandrinus, Libro 8 contra Julianum, etsi Hieronymus errore fortassè memoriæ id in Epistolâ ad Paulinum negat : « Hoc, *inquit*, de Verbo loquens, doctus Plato ne- « scivit : hoc Demosthenes eloquens ignoravit. *Per-* « *dam*, inquit, *sapientiam sapientûm, et pruden-* « *tiam prudentûm reprobabo*[2] ; » quos Philosophos non dubium ab antiquis Hebræis et hausisse sententiam, et vocabulum accepisse. Voluit ergò Joannes accommodatè ad usum loqui : voluit intelligi. Videbat etiam futurum id lectori gratius; cùm enim Filius ideò *Verbum* diceretur, quòd ad nos auxilii doctrinæque causâ, quemadmodùm diximus, mitti soleret, jucundum Judæis erat, ejus in se nominis memoriam renovari, quo tantum Dei beneficium contineretur. Itaque ut Marcus gratum lecturis sumpsit exordium à nomine Evangelii, quo faustus significatur nuntius : *Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei;* ità Joannes à nomine *Verbi*, quod significat Filium Dei Evangelium, id est, bonum semper nobis nuntium afferentem. Erat quoque id ad ea quæ dicturus erat, accommodatum. Volebat paulò pòst dicere *omnia per ipsum facta esse :* non poterat eum per quem *omnia facta sunt*, aptiùs quàm *Verbum* appellare, quia omnes sciebant Deum verbo suo omnia fecisse : *Verbo Domini cœli firmati sunt*[3]; et : *Dixit, et facta sunt* : *mandavit, et creata sunt*[4]. Non abs re etiam quærit Theodorus Mopsuestenus, in Græcâ citatus Catenâ[a], quid causæ fuerit, quamobrem non vocaverit Evangelista *Verbum Dei*, sed absolutè *Verbum?* Non malè respondet solere Scripturam verbum Dei præceptum appellare, et illud verbum, quod ad Prophetas sæpè factum esse dicitur. Ne quis igitur putaret Filium Dei ejusmodi esse verbum, non *verbum Dei*, sed *Verbum* simpliciter vocavisse. Nascitur nobis nova ex veteri quæstione quæstio. Animadverto, ut attigi suprà, neminem Evangelistam aut Apostolum, præter Joannem, Filium Dei *Verbum* appellâsse, et Joannem quidem ipsum non passim, sed quinque solùm locis, hoc exordio, et pòst, cùm dicit : *Verbum caro factum est*, et primâ Epistolâ[5], et Apocalypsi[6]. Animadverto, posteaquàm dixit : *Verbum caro factum est*, nusquàm prætereà toto, quàm magnum est, Evangelio, *Verbum* nominâsse. Quid causæ fuit? Nec enim factum temerè. Vocatur Filius *Verbum*, non quia homo, sed quia Deus est, et Deus quidem Filius, cujus officium est quasi legatum esse Patris, pro eo mitti, pro eo loqui, pro eo Ecclesiam rempublicam suam gubernare. Solus Joannes de Christi divinitate egit, suscepto consilio : ideò solus vocat *Verbum*, et vocat solùm, antequàm carnem factum fuisse dicat, ut *Verbum* à carne, id est, Deum ab homine distinguat. Novam fecimus conjecturam in novâ quæstione : meliorem fortassè dies inveniet. Annotârunt Chrysostomus, Homil. 3 et Theophilactus, Evangelistam non simpliciter Λόγον, *Verbum*, sed cum articulo emphatico τὸν Λόγον, *Verbum il-*

[1] *Hebr.* I, 3. — [2] *Isai.* XXIX, 14; *Abdi.* I, 8 et 1 *Cor.* I, 19. — [3] *Psalm.* XXXII, 6. — [4] *Id.* CXLVIII, 5. — [5] I *Joan.* I, 1 et V, — [6] *Apoc.* XIX, 13.

[a] Vide infrà ejus Homiliam, è Catenâ græcâ desumptam.

lud dixisse, ut ostenderet se non de quovis, sed de illo substantiali atque divino Verbo loqui.

Sequitur verbum *erat,* quod in hâc primâ sententiâ secundum locum tenet. Graves Auctores observârunt, Chrysostomus, Homil. 3; Basilius in hæc verba; Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 in Joan., c. 1; Severus Antiochenus, in græcâ Catenâ[a]; Beda, Alcuinus et Theophilactus in Commentariis ad hunc locum, non dixisse Evangelistam : In principio *fuit;* sed : *In principio erat,* quòd verbum *fuit,* significet *rem præteriisse et esse desiisse;* verbum verò *erat, perennitatem atque firmitatem.* Id quidem hoc in loco verum est; non enim voluit Evangelista significare Verbum fuisse in principio et jàm non esse; sed fuisse semper, semperque esse, et semper futurum. Sed perpetua non est observatio; sæpè enim illud imperfectum ἦν, quo hoc loco Joannes est usus, pro præterito sumitur, quod et latinè aliquandò fieri apud Marcum Tullium et Livium observavi. Et verò noster Interpres non videtur temporum discrimen habuisse; nam idem tempus ἦν, quod hîc vertit *erat,* alibi vertit *fuit.* Mallem ut utroque loco transtulisset *erat,* quia, præterquàm quòd ita græcè est, magis convenit Filio Dei, ut de eo *erat,* quàm *fuit,* dicatur; nam *fuit* potest significare *esse cœpisse,* ut si dicas : In principio fuit cœlum et terra, non significas fuisse ante principium, sed statim in principio conditionis rerum esse cœpisse; Filius autem Dei non cœpit esse : semper fuit : semper erat. Deindè verbum *fuit* potest significare rem quæ fuisse dicitur, esse desiisse. Vulgatum est illud : *Fuimus Troes*[b]. Id non significat verbum *erat.* Deniquè verbum *erat* inclusam habet particulam *jàm,* quam non habet verbum *fuit;* perindè enim est : *In principio erat Verbum,* ac si diceret : *In principio jàm erat Verbum,* non habuit principium, non cœpit esse, quia, cùm omnia quæ principium habuere, esse cœperunt, jàm ipsum erat. « Ducit nos verbum *erat,* ut « Basilius ait, usquè ad æternitatem. » Scio confundi nonnumquàm discrimen temporum, et præteritum non tàm temporis differentiam, quàm actionis perpetuitatem significare, ut in illo loco : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio*[1]; non enim indicat aut cœpisse, aut desiisse possidere, sed semper possedisse, semper possidere, semper possessurum esse; et in illo : *Ex utero ante Luciferum genui te*[2], ut nostram et Septuaginta sequamur editionem; nec enim significat aut cœpisse, aut desiisse gignere, sed semper genuisse, semper gignere. Hæc scio; sed Joannes quidem certè differentiam temporum accurratè servavit. De Joanne dixit : *Fuit homo missus à Deo :* de Christo dixit : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* nec dixit Christus : *Antequàm Abraham fieret,* ego fui; sed : *Ego sum*[3] : potuit dicere : *Eram,* sensu eodem. Non dicit : Eram mortuus, sed : *Fui mortuus, et ecce sum vivens*[4], similiterque alio loco[5] : quod non casu profectò, sed industriâ atque consilio factum apparet. Alia quoque vis hujus temporis est, quam in Commentariis in Orationem de Theologiâ 4 Gregorii Nazianzeni Elias Cretensis animadvertit, ut ὑποστατικόν, id est, *substantivum* sit, nec significet esse hoc vel illud, sed omninò esse : quod proprium est Dei, qui idcircò ab Hebræis יְהוָה, *Jehovah,* nomine ineffabili, à Græcis ὁ ὤν dicitur, quia solus verè est[6]. Rectè igitur Concilium Nicænum Arianos dicentes fuisse aliquandò tempus, quandò Filius Dei non erat, ex hoc loco damnavit, scitèque Ambrosius, Libro 1 de fide ad Gratianum, c. 5, argumentatur : « *In principio erat Verbum, et Verbum* « *erat apud Deum, et Deus erat verbum : hoc* « *erat in principio apud Deum. Erat,* inquit, « *apud Deum. Erat, erat, erat, erat,* ecce « quater *erat :* ubi impius invenit quòd non « *erat?* » Sed de hâc re plura paulò infrà dicturi sumus.

Tertium nunc hujus loci tractemus verbum : *In principio.* Clemens Alexandrinus in Oratione adhortatoriâ ad Gentes; Origenes, Tractatu 1 in Joan., c. 1; Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 in Joan., c. 1; Gregorius Nyssenus in Oratione ad Simplicium; Augustinus, Libro 6 de Trinitate, c. 2; Theophilus Antiochenus, Libro 4 Allegoriarum; Idacius, Libro 3 contra Varimadum et Beda interpretantur : *In principio,* id est, in Patre; Patrem enim principium appellari, quemadmodùm exponit Cyrillus illud : *Tecum principium in die virtutis tuæ*[7], id est, tecum Pater aderit. Meruit huic sententiæ Auctorum reverentia probabilitatem. Alii principium pro æternitate acceperunt, quæ omnium rerum etiam cogitationum nostrarum principium est, cùm careat ipsa principio : Gregorius Nazianzenus, Oratione 2 de Filio; Ambrosius, Libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 3; Basilius, Homil. in hunc locum; Chrysostomus, Homil. 2 in Joan.; Nonnus poeta, et, ut citat auctor Græcæ in Joannem Catenæ, Severus Antiochenus, Oratione 26; Leontius in Commentariis, Theophilactus et Euthymius. Sententia quidem vera; nam in ipsâ nimirùm

[1] *Prov.* VIII, 22. — [2] *Psalm.* CIX, 3. — [3] *Joan.* VIII, 58. — [4] *Apoc.* I, 18. — [5] *Id.* II. 8. — [6] *Exod.* III, 14. — [7] *Apoc.* I, 8. — *Psalm.* CIX, 3.

[a] Vide infrà ejus Homiliam, è Catenâ græcâ desumptam.

[b] Virgil Lib. 2 Æneid.

æternitate Verbum erat; sed hujus loci quærimus interpretationem. Et vix nomen principii pro æternitate positum invenias, quæ potiùs ἀτέρμων, ut Nonnus poeta vocat, id est, *sine principio, sine termino*, quàm ἀρχή, id est, *principium* dici potest. Et si id Evangelista dicere voluisset, clariùs uno dixisset verbo : Λόγος ἦν ἀΐδιος, *Verbum erat sempiternum;* nec enim credendum, rem adeò ad salutem necessariam scribentem, et Ebionitarum, atque Cerinthianorum, ut diximus, hæresim refellentem, obscuritatem affectâsse. Alii Deum intelligunt nomine principii, ut idem sit : *In principio erat Verbum*, ac si diceret: In Deo erat Verbum, sicùt statim dicit : *Et Verbum erat apud Deum.* Sic Athanasius in Oratione contra Arianos quòd Verbum ex Deo sit Deus: quem sensum etiam Origenes probat, Libro 1 in Joan. Simplicissimus quisque sensus mihi maximè placet. Hujusmodi est, ut nomen principii, mundi significet originem, quæ et verè principium rerum fuit, et ità in sacris Litteris vocari solet : significat ergò Joannes *in principio*, cùm omnia facta sunt, jàm fuisse Verbum, ideò factum non fuisse : in quam sententiam exponunt Hilarius, Libro 2 de Trinitate, et Augustinus, Tractatu in Joan. 1, et in Quæst. mixtim ex Veteri Novoque Testamento, Quæst. 122 : quod Beda etiam probat. Est hæc interpretatio et ad hominum intelligentiam, et ad id quod Joannes agebat, et ad Scripturæ consuetudinem magis accommodata. Nam et lector nihil faciliùs nomine principii, quàm quod omnes principium temporis vocant, poterat intelligere; et Joannes paulò pòst de rerum principio dicturus erat : *Omnia per ipsum facta sunt*, etc.: verisimile admodùm est de eodem utroque loco agi principio, quasi diceret: *Verbum in principio jàm erat;* nam ipsum omnibus rebus principium dedit : aut quod eòdem redit : Verbum Dei factum non est, hoc est, *in principio erat*, quia *omnia per ipsum facta sunt*, hoc est, principium acceperunt. Et solet Scriptura sacra per principium, aut initium, intelligere primam conditionem rerum, ut : *In principio creavit Deus cœlum et terram* [1]. Quem ad locum videtur Joannes per antithesim quamdam allusisse, quasi diceret : In illo principio rerum omnium, quo Deus creavit cœlum et terram, Verbum creatum non est, quia jàm erat, ut simile Veteris ac Novi Testamenti esset exordium, et ab illâ generali creatione rerum, in quâ hæretici eum involvebant, Filius Dei, omnium Creator, exciperetur, quemadmodùm Chrysostomus, Augustinus, Severus Antiochenus, Leontius et Theophilactus indicant. Eodem modo Filius ipse apud Salomonem loquitur, quo credibile etiam est respexisse Joannem, magnum, ut ex Apocalypsi perspicitur, propheticorum verborum imitatorem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio* [2]; de principio enim temporis loqui ex sequentibus manifestum est : *Nondùm erant abyssi, et ego jàm concepta eram*, etc. [3]. Quod ergò Sapientia ipsa dixit : *In initio*, Joannes dixit : *In principio*, et quod Sapientia : *Possedit me*, id est, genuit, ut : *Possedi hominem per Deum* [4], Joannes : *Erat :* undè colligitur idem esse *in principio* et ante principium; parùm enim erat in principio fuisse, si ante non fuisset; nam et cœlum et terra in principio erant, sed ante principium non erant, quia in ipso principio creata sunt. Id in loco illo Salomonis, quod hìc simpliciter dicitur, explicatur : *Antequàm quidquam faceret à principio.* Hinc Arianorum una diluitur objectio, non posse ex hoc loco colligi Filium Dei æternum fuisse, quandoquidem nihil majus à Joanne de illo quàm à Moyse de cœlo et terrâ dictum videatur, ut Chrysostomus et Theophilactus referunt, quibus aliter illi respondent : aliter Moysen dicere in principio, aliter Joannem : Moysen dixisse cœlum et terram non quidem absolutè fuisse, sed creata fuisse; quod autem creatum est, æternum esse non potuisse : Joannem contrà non dixisse Verbum in principio factum fuisse, sed simpliciter fuisse, et per illud potiùs omnia fuisse facta. Quâ etiam ratione ad aliam eorum objectionem responderi potest. Objiciebant, ut iidem Auctores tradunt, etiam de diabolo dictum esse : *Ille homicida erat ab initio* [5]; non enim dicitur absolutè fuisse, sed fuisse homicidam. Hoc est quod suprà dicebamus, verbum illud *erat* esse ὑποστατικόν, *substantivum*, quia non duarum inter se conjunctionem rerum, sed rei unius substantiam significat. Præthereà non dicitur in initio, sed *ab initio* homicidam fuisse : quod quis non videt quantùm intersit. In initio non erat homicida, quia nondùm erat; sed *ab initio* fuit, quia, statim ut esse cœpit, et homicida esse cœpit, hominem persequens. Esto, dicet aliquis, idem sit *in principio* et ante principium ; tamen non videtur ex hoc loco probari posse Verbum fuisse sempiternum, si nomen principii non æternitatis, sed temporis initium declaret; nam et Angelos multi graves Auctores ante initium temporis fuisse crediderunt; tamen non idcircò æternos fuisse crediderunt. Intelligat, quisquis hoc objicit, Scripturæ morem esse, ut, cùm aliquid æternum esse significat, *in principio* aut *ante principium, ante cœlum et terram* fuisse dicat. Illustre exemplum illud est, quod modò tractabamus : *Dominus possedit me in initio viarum suarum;* non enim tantùm significat antiquiorem se esse mundo, quod parùm erat, sed

[1] *Gen.* I, 1. — [2] *Prov.* VIII, 22. — [3] *Id.* 24, 25, 26 et 27. — [4] *Gen.* IV, 1. — [5] *Joan.* VIII, 44.

fuisse sempiternam. Cæterùm quia non solet humanum ingenium supra principium temporis ascendere, accommodatè ad homines loquens, quod æternum esse docet, initio, aut ante cœlum et terram fuisse dicit, quia quidquid factum est, aut in illo principio, aut posteà factum est : itaque quod in principio, aut ante principium erat, factum esse non potest; quod autem est, et factum non est, æternum est. Simile illud est, quod ait Christus : *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquàm mundus esset apud te*[1]; eâ enim circumlocutione, non antiquitatem solùm, sed æternitatem declaravit. Quin aliquandò minore intervallo æternitatem suam significavit : *Antequàm Abraham fieret, ego sum*[2]. Non enim docere tantùm voluit se antiquiorem esse quàm Abraham, sed nullum prorsùs initium habuisse, quia, si habuisset, habuisset utiquè ut homo : si ut homo, longè post Abraham, cùm nondùm annos natus esset quadraginta : quarè idem erat dicere se fuisse ante Abrahamum, et numquàm esse cœpisse. Quod clarius divinitatis Christi argumentum desiderari poterat, quàm quod Joannes dixisset *in principio* fuisse Verbum, id est, principium non habuisse? Non acquiescebant tamen in his verbis Ariani superbi et iniqui homines ingenii, quales omnes hæretici maximèque Calviniani sunt. Multa prætereà, quæ modò diximus, comminiscebantur, ut hunc locum devitarent. Primùm, aliud Verbum, aliud Filium esse dicebant : Verbum quidem semper fuisse, Filium non semper, ut auctor est Athanasius, in Oratione quòd Deus de Deo sit Verbum. Facilè hoc à Catholicis refutabatur; nam de eo, de quo dixerat : *In principio erat Verbum*, dicit statim : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;* et : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* eum autem per quem omnia facta sunt, quique factus est caro, Filium Dei fuisse statim declarat : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Et D. Paulus per Filium sæcula et universa, quæque in cœlo, quæque in terris sunt, condita esse dicit[3]. Et quod Joannes hìc vocat *Verbum*, paulò pòst, lucem appellat illuminantem *omnem hominem venientem in hunc mundum;* hanc autem lucem esse Filium Dei declarat infrà[4]. Simile quiddam Eunomius dicebat, ut scribit Cyrillus, Libro 1 in Joan., c. 4, à quo et ejus argumenta recitantur et refelluntur. Alii quidam Ariani respondebant Verbum Dei semper apud Deum fuisse, non tamen actu, sed potestate, quemadmodùm in nobis, antequàm loquamur, potestate quidem verbum est, quia loqui possumus, actu non est, quia non loquimur, tunc actu formatur verbum, cùm actu loquimur; Verbum enim Dei nihil aliud fuisse quàm divinæ mentis cogitationem, quam, cùm facere mundum voluit, formavit in Verbum, dicens : *Fiat*, et factum est, ut auctor est Athanasius in Epistolâ de sententiâ Dionysii Alexandrini. At isto sanè modo potuisset Joannes dicere res omnes in principio fuisse, quia potestate in Deo erant : cùm ergò de solo Verbo hoc dicat, de aliis rebus non dicat, aliter Verbum in principio fuisse quàm res alias, necesse est. Deindè, si solâ potestate Verbum fuisset in Deo, exposuisset utiquè Joannes quandò actu esse cœpisset, sicut de cæteris rebus dixit : *Omnia per ipsum facta sunt*, et de Verbi ipsius Incarnatione : *Verbum caro factum est.* Non admodùm absimile est, quod dicebant alii, ut idem refert Athanasius, Oratione 1 contra Arianos, Deum, paulò antequàm mundum crearet, creâsse Filium, ut per eum omnia perficeret quæ designaverat, et respectu quidem hominum qui verbis utuntur, vocâsse *Verbum*, respectu sapientûm, *Sapientiam :* quod satis jàm explicandis verbis Evangelistæ refutavimus; enimverò idem esse : In principio et ex omni æternitate erat Verbum. Alii desperatione responsi Verbum omninò tollebant, Ἄλογοι, *Alogi*, id est, sine Verbo ab Epiphanio, Hæres. 54 et 55, et *Alogiani* ab Augustino, Lib. de Hæres. c. 30, vocati; nam et ii Arianorum genus erant. Stat ergò arx inexpugnabilis sententia D. Joannis, quâ omnis Arianorum hæresis alliditur.

Et Verbum erat apud Deum. Quorsùm hoc Joannes adjungat, statim lectoris animus dubitat. Hilarius, Libro 2 de Trinitate, et Chrysostomus, Homil. 2, hanc, cur id adjecerit, rationem innuunt, ne quis audiens *in principio* fuisse Verbum, ingenitum, id est, absque omni principio etiam generationis putaret; *apud Deum* enim, id est, apud Patrem fuisse, ac velut in domo Patris, antequàm quodammodò emanciparetur, et in hunc mundum tamquàm ad bellum veniret : Leontius et Euthymius, ne in loco aliquo circumscriptum fuisse putaretur. Basilius, in Homiliâ in hunc locum, mihi videtur veram attigisse causam, secutum Joannem lectoris cogitationem, qui, cùm audisset Verbum *in principio* fuisse, dubitare poterat ubi esse poterat, cùm nihildùm esset ubi esse posse videretur, addit fuisse ubi Deus erat, hoc est, *apud Deum.* Sensum quæramus, quid est : *Erat apud Deum.* In duobus verbis sententia versatur, pro quo Dei nomen accipiatur, et quam vim habeat præpositio πρός, *apud.* Origenes, Libro 2 in Joan., quem ut cautè legat, lectorem moneo; Chrysostomus, Homil. 2; Basilius in hæc verba; Athanasius in Oratione

[1] *Joan.* XVII, 5. — [2] *Id.* VIII, 58. — [3] *Hebr.* I, 2 *et Coloss.* I, 16. — [4] *Joan.* III, 19. — [5] *Id.* XXI, 24. — [6] *Isai.* IX, 20.

quòd Deus de Deo sit Verbum; Hilarius, Libro 2 de Trinitate; Beda, Theophilactus, Euthymius et ferè omnes, excepto Augustino, *apud Deum* interpretantur apud Patrem; isque certus mihi videtur esse sensus; nec enim apud seipsum fuisse significare voluit, et, ut posteà docebimus, idem est *apud Deum*, quòd *in sinu Patris* [1]. Solus Augustinus, Libro 6 de Trinitate, c. 2, existimat nomen Dei hoc loco communiter pro tribus personis accipi. Objicienti autem ipsi sibi, quomodò *apud Deum* esse dicatur, cùm ipse sit idem ille Deus, respondet eàdem ratione dici, quâ dicitur animus apud hominem esse, cùm una sit ipse pars hominis. Sed animus pars hominis est : ideò rectè apud hominem esse dicitur; Verbum autem non pars Dei, sed ipse totus est Deus : itaque si nomen Dei non pro Patris personâ, sed pro Deo communiter sumeretur, non ità *Verbum apud Deum* diceretur fuisse, quomodò animus apud hominem, sed sicut animus apud animum, aut sicut homo apud hominem esse dicitur, si quis ità loqueretur. Quæ quia inusitata locutio est, multò est probabilius ut *apud Deum*, id est, apud Patrem dicatur fuisse. Cur ergò non dixit : Et Verbum erat apud Patrem, quod fuisset clarius? Primùm, quia non dixerat : In principio erat Filius; sed : *In principio erat Verbum*, ob eam causam quam illic explicavimus. Si Filium nominâsset, consentaneum fuisset ut diceret : Et Filius erat apud Patrem, quòd ea duo nomina suâ relatione benè hæreant; cùm autem Verbum appellàsset, magis fuit consentaneum ut *apud Deum*, quàm ut apud Patrem fuisse diceret, quia magis usitatè Verbum Dei, quàm Verbum Patris dicitur. Aliam quoque rationem habuisse arbitror. Dicturus statim erat : *Et Deus erat Verbum*, sumpto initio ab ultimo verbo præcedentis membri, quod in totâ hâc oratione eum fecisse animadvertimus : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Quod cur fecerit, posteà docebimus. Hæc orationi gratia periisset, si dixisset : Et Verbum erat apud Patrem; nec enim à Patre poterat alterum membrum incipere : Et Pater erat Verbum, quia Verbum non est Pater. Præpositionem *apud*, Irenæus, Libro 3, c. 8; Athanasius, in Oratione quòd Deus de Deo sit Verbum; Augustinus, Libro 6 de Trinitate, cap. 2; Fulgentius, Libro 3 ad Monimum, et Victorinus, Libro 2 contra Arium, idem esse dicunt quòd *in* Deo; confundi enim eas duas præpositiones : quod Fulgentius multis de Scripturâ probat exemplis. Unum sufficit : Quemadmodùm hìc Joannes dicit : *Et Verbum erat apud Deum*, ità Christus dicit : *Ego in Patre, et Pater in me est* [2]. Contrà Chrysostomus, Cyrillus et Theophilactus aliud esse *apud*, aliud *in*; nam *in* accidentium, *apud* substantiæ atque personæ magis esse proprium. Dicimus colorem esse in homine, non apud hominem : dicimus hominem esse apud amicum, non in amico suo. Itaque rectè ex hoc loco ii auctores, quos modò nominavimus, itemque Severus Antiochenus et Leontius, imò et Theodorus Mopsuestenus, in Græcorum Catenâ, licèt suspectus in hâc re auctor, contra Sabellianos collegerunt Filium à Patre distingui personâ; qui enim apud alium esse dicitur, distincta persona est. Sed hoc ipso argumento Ariani abutebantur, ut probarent Filium non ejusdem cum Patre esse naturæ, quòd præpositio *apud* non solùm rem naturâ distinctam, sed omninò etiam extrinsecùs adjunctam significare videatur, quemadmodùm apud me dicitur esse vestis, in me animus, quia vestis externa, animus internus est : ideò non dixisse Joannem : *Verbum erat* in Deo, sed, *apud Deum*. Itaque cùm Arianus quidam aliquandò in Africâ cum Catholico de his verbis Joannis disputaret, arrepto de capite Catholici pileo, et manu tenens interrogabat : « Hic « byrrus (sic enim appellabat) estne in me, an apud « me? » Respondente altero : « Apud te, » subjecit : « Sic Verbum erat apud Deum, quia Deo non con- « substantiale, sed externum erat. » Historiam scribit Fulgentius, initio Libri 3 contra Monimum [a]. Id multis, ut diximus, exemplis Fulgentius refellit; nam qui nunc dicitur *apud Deum* fuisse, paulò pòst dicitur *in sinu Patris* esse, et esse *in Patre*, ut alia innumera taceamus. Utrique Auctores aliquâ ex parte verum mihi dicere videntur, et qui idem esse *in* et *apud*, et qui non idem esse putant. Nam hactenùs quidem idem sunt, ut, cùm de Deo loquamur, ubicumquè dicimus *apud*, dicere possimus *in*, ut Filius est apud Patrem, et in Patre, sed non ubicumquè dicìmus *in*, dicamus *apud*; nam Patrem in Filio esse dicimus, apud Filium non dicimus. Videndum ergò quam vim hoc loco habeat præpositio *apud*, et cur Joannes potiùs *apud Deum*, quam *in Deo* Verbum fuisse dixit. Causam aliquam Hilarius et Chrysostomus insinuârunt, quòd *apud*, eum significare videatur, qui quodammodò honorabilior sit; cùm enim pater et filii in eàdem habitant domo, rectè dicas filios apud patrem, non rectè patrem apud filios habitare. Hâc ratione non dixit Joannes Verbum fuisse *in Deo*, sed, *apud Deum*, quia præpositio *in* eam vim non habebat, quam volebat exprimere, Verbum apud Patrem, tamquàm apud Auctorem suum fuisse, ut loquitur Hilarius, quamvis nunc ab eo verbo prudenter abstineamus. Meliùs dicemus significare Evangelistam voluisse Verbum fuisse *apud Deum*, tamquàm apud Patrem, tamquàm apud eum à quo originem duceret, tamquàm in domo paternâ, non defuisse illi ubi esset,

[1] *Joan.* I, 18. — [2] *Id.* XIV, 10 *et* 11. — [a] Vide infrà S. Fulgentii Homiliam 2 in hæc verba Evangelii S. Joannis.

qui esset apud Patrem; ubi enim commodiùs filius, quàm apud patrem suum esse possit? Alii intimam conjunctionem cum Patre per præpositionem *apud* declarari putant; idem enim esse Verbum fuisse *apud Deum*, et fuisse *in sinu Patris*, quemadmodùm Theophilactus interpretatur; *in sinu* autem *Patris* esse, non dubium quin summam cum Patre conjunctionem declaret; valdè enim nobis conjunctum est quod in sinu, quod in pectore est. Similis est alia ejusdem Theophilacti explicatio, ut idem sit *apud* Deum, et *cum* Deo, quemadmodùm illi dicunt: *Sorores ejus nobiscum sunt*[1], græcè, πρὸς ἡμᾶς, id est, *apud nos?* Acuta etiam est et germana, ut mihi videtur, interpretatio Gregorii, Libro 5 Moral., c. 19, idem esse Verbum fuisse *apud Deum*, et fuisse invisibile, fuisse quodammodò absconditum; sic enim intelligi apud Job: *Ad me dictum est verbum absconditum*[2], quasi diceret: Etsi non videbatur, etsi non apparebat, erat tamen: apparuit, cùm *venit plenitudo temporum*[3], cùm *Verbum caro factum est;* aut: Erat quidem, sed non apparebat, ut hæc inter se duo loca respondeant: qui sensus mirificè mihi placet; nam quod Joannes hoc loco dicit: *Verbum erat apud Deum*, et posteà: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*[4], dicit breviùs alibi: *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*[5]. Ambrosius, in Libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 3, Gregorius Nyssenus, in Libro de fide ad Simplicium, et Rupertus in Commentariis ad hunc locum, aliam videntur expositionem insinuare, quam ego etiam, antequàm auctorem haberem ullum, maximè probabam, ut æqualitas Verbi et Patris significetur. Voluit enim Evangelista declarare ubi fuisset infinitis sæculis Verbum, quod semper fuisse dixerat: dicit fuisse πρὸς τὸν Θεόν, *apud Deum*, id est, juxta Deum, sedisse ad dexteram Dei, quod est Deo æqualem esse. Hunc verum esse sensum ex Scripturâ colligo, quæ, cùm docet Christum post resurrectionem suam in cœlum ascendisse, minimè dubium est quin significare velit eò undè venerat, ubi priùs erat, rediisse. Dicit autem sedisse *ad dexteram Dei*, id est, Patris[6]. Priùs ergò erat ad dexteram, et cùm Joannes his verbis dicere voluerit ubi erat, utiquè dicere voluit ad dexteram Patris fuisse. Ita prorsùs Cyrillus Jerosolymitanus exponit in 11 Catechesi. Quod quidam dicunt πρός, relationem significare, sensumque esse, Verbum fuisse πρὸς τὸν Θεόν, *ad Deum*, id est, relationem ad Patrem habuisse, miror cuiquam homini prudenti in mentem venire potuisse. Nec velim assuescere lectorem istis subtilitatibus, quas raró admittit Scripturæ gravitas, et qui consectantur, in pueriles sæpè errores incurrunt. Quærit Leontius cur priùs dixerit Verbum fuisse *apud Deum*, quàm esse Deum. Respondet, ut indicaret nihil aliud fuisse, quàm illum ipsum Deum, apud quem erat.

Et Deus erat Verbum. Lectio primùm, deindè verborum constructio constituenda, quibus constabilitis perspicuus erit sensus. Notum est, quod scribit Augustinus, Libro 3 de doctrinâ Christianâ, c. 2, quosdam nimirùm Arianos ità solitos legere, ut hæc verba *Deus erat*, cum præcedentibus jungerent, clausâ puncto sententiâ, sic: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat;* deindè adjicerent consequentibus: *Verbum hoc erat apud Deum.* Quod refutatione non indiget; quorsùm enim dixisset: *Et Deus erat*, de quo nemo dubitat, præsertim cùm jàm dixisset: *Et Verbum erat apud Deum?* Quo enim modo apud Deum esse poterat, si Deus non erat? Deniquè ex ipsâ partitione membrorum constat hoc unum membrum esse debere: *Et Deus erat Verbum:* sicut: *In principio erat Verbum*, unum, et: *Verbum erat apud Deum*, alterum membrum est; idque ipsum indicat artificium, quo apparet Evangelistam uti voluisse, ut semper, quod in præcedenti membro ultimum verbum fuerat, in sequenti primum esset. Verborum autem constructio ità ordinanda est, ut *Verbum* sit subjectum, *Deus* attributum, transpositis verbis: *Verbum erat Deus*, quemadmodùm Hilarius, Libro 7 de Trinitate et Basilius, Homiliâ in hæc verba, interpretantur, postulatque ipsa per se sententia; non enim de Deo, sed de Verbo, an ante mundum fuisset, ubi fuisset, quid fuisset, agebatur. Cur ergò non dixit: Verbum erat Deus, quod fuisset clarius? Solent Hebræi eâ figurâ delectari, quâ finis præcedentis membri initium sequentis est: *In principio creavit Deus cœlum et terram; terra autem erat inanis et vacua*[7]; et: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Idem Joannes voluit hoc loco, quod non fecisset, si dixisset: Verbum erat Deus. Quod attinet ad sensum, nullum discrimen est; nam sive dicas: Verbum erat Deus, sive: *Deus erat Verbum*, necessariò sequitur, Filium Dei qui *Verbum* appellatur, verè Deum esse; estque illustrissima sententia, quæ nullis corrumpi cavillis, nullis obscurari possit tenebris. Nixi tamen Ariani sunt tribus modis obscurare. Primùm depravatâ lectione, quemadmodùm modò dicebamus. Deindè nomen Dei græcè articulum emphaticum non habere, quemadmodùm habet in membro præcedenti, cùm pro Patre ponitur: itaque Patrem quidem verum esse Deum, qui ad-

[1] *Marc.* VI, 3. — [2] *Job*, IV, 12. — [3] *Galat.* IV, 4. — [4] *Joan.* I, 18. — [5] I *Joan.* I, 2. — [6] *Marc.* XVI, 19; *Act.* II, 34; V, 31 *et* VII, 55; *Rom.* VIII, 34; *Ephes.* I, 20; *Coloss.* III, 1; *Hebr.* I, 3; VIII, 1; X, 12 *et* XII, 2 *et* I *Petr.* III, 22. — [7] *Gen.* I, 1.

juncto articulo dicatur ὁ Θεός; Filium non verè, qui sine articulo Θεός, quasi minor quidam Deus appelletur : Auctor Chrysostomus, Homil. in Joan. 3, atque Theophilactus. Arianis nimiùm hoc loco favet Origenes : attentum lectorem volo[a]. Eam objectionem facilè Chrysostomus diluit, etiam Patrem aliquandò sine articulo Θεόν, *Deum*, appellari [1] : contrà verò Filium τὸν Θεόν, *Deum*, cum articulo vocari [2]. Quam autem ob rem Evangelista hoc loco articulum non addiderit, ex linguæ græcæ proprietate ratio reddi potest. Non solet in prædicato, sed in subjecto articulus poni : itaque non potuit dicere : Καὶ ὁ Λόγος ἦν ὁ Θεός, *et illud Verbum erat ille Deus;* jàm enim docuimus nomen Verbi esse subjectum, nomen Dei prædicatum : ideò nomen Λόγος, *Verbum*, habet articulum, nomen Θεός, *Deus*, non habet. Deniquè respondebant Ariani Filium vocari quidem Deum; sed eo modo quo Moyses Deus Pharaonis vocatus est [3], et ut homines sancti Dii appellantur [4], confirmante, ut videtur, Christo [5]. Ità refert Hilarius, Libro 7 de Trinitate, n. 10. Rectè eam responsionem refellit idem Hilarius, Moysem non absolutè vocatum Deum, sed Deum Pharaonis; Verbum autem absolutè dici Deum. «Numquid, *inquit*, non adjecta no-« minis causa est, cùm dicitur : *Deum Pharaonis*[b]? « Aut numquid Dei naturam ei intulit, et non po-« tiùs in eum qui metueret, terrorem, cùm draco-« nes magicos draco Moysis mox virga manens de-« vorat [6], cùm cynomyam quam immiserat, abigit [7], « cùm grandinem potestate quâ evocaverat, avertit [8], « cùm locustas eâ virtute quâ invexerat, repulit [9], « cùm in operationibus ejus Magi confitentur digi-« tum Dei esse [10]? Sic Moyses Pharaoni Deus datus « est, dùm timetur, dùm oratur, dùm punit, dùm « medetur. » Deindè addit Moysem non dici Deum esse, sed constitutum fuisse Deum Pharaonis. « Et « aliud, *inquit*, est Deum dari, aliud est Deum esse.» Eo ipso quòd dicitur : *Constitutus Deus*, non naturalis, sed fictitius significatur Deus. «Deum au-« tem, *inquit*, eodem Libro n. 9, Dominum nostrum « Jesum Christum his modis novimus, nomine, na-« tivitate, naturâ, potestate, professione. » Alii dixerunt non ineptè Moysem non fuisse vocatum Deum, sed *Deum Pharaonis*, id est, opinoine Pharaonis. Accedit quòd illo loco non est יְהוָה, *Jehovah*, quod proprium est Dei, sed אֱלֹהִים, *Elohim*, quod Chaldæus paraphastes רַב, *Rab, Doctorem*, R. Abraham *nuntium*, aut *legatum* ad Pharaonem interpretatur. Ad locum Psalmi de quo suprà, similiter Hilarius respondet eo ipso quòd dicitur : *Ego dixi: Dii estis*, significari eos beneficio, non naturâ fuisse Deos. «In eo, *inquit*, indulti nominis significatio « est; et ubi refertur : *Ego dixi*, loquentis est potiùs « sermo, quàm rei nomen.» Est etiam illic אֱלֹהִים, *Elohim*, quod non solùm Deum, sed nuntios etiam significat, ut videtur explicare Christus : *Si eos dixit Deos, ad quos Dei sermo factus est, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum* [11]? Non enim à pari, sed à minori ad majus argumentatur : Si illi dicti sunt Dii, quantò magis ego Deus dici possum! Verè igitur Deus vocatur et est Verbum. Sed quærere lector potest, quorsùm hoc ipsum Joannes dixerit, cùm non id agere videretur, ut doceret quid esset, sed an semper fuisset Verbum. Puto rationem reddere voluisse quarè Verbum apud Deum erat, quia nimirùm Deus erat. Quid enim, antequàm quidquam fieret à principio, apud Deum esse poterat, nisi Deus esset? Interim, quasi aliud agens, firmissimum fidei nostræ fundamentum posuit, Christum verum esse Deum.

CORNELIUS A LAPIDE[c].

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Sic Syrus, Ægyptius, Æthiopicus, Persicus et Arabicus, nisi quòd hic secundo et tertio loco addit articulum, dicens : « Et illud Verbum erat apud Deum, et Deus erat illud Verbum. » Porrò Æthiopicus habet *cal*, id est, Verbum; sic et cæteri omnes : quarè minùs rectè Erasmus et Novantes pro *Verbum* vertunt *Sermo :* de quo mox plura.

In principio. Per hæc verba, alludit S. Joannes 1° ad locum Genesis mox citandum. Sicut enim Moyses genesin et primordia mundi enarraturus ità orditur : *In principio creavit Deus cœlum et terram* [12]; sic Joannes enarraturus genesin et quasi primordia Verbi, ità orditur : *In principio erat Verbum.* Ubi vides discrimen inter *creavit* et *erat;* mundum enim Deus creavit in principio temporis; Filium autem genuit in principio æternitatis; idque significat τό *erat.* Rectè Tertullianus contra Hermogenem asserit Evangelium esse Supplementum Veteris Testamenti, siquidem Joannes supplet exordium Moysis, dùm prævenit ejus principium creationis mundi per principium Verbi, quo post multa sæcula creatus est mundus.

Alludit 2° ad hæc alia Scripturæ loca : *Ego* (Sapientia æterna) *ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* [13]; et : *Dominus*

[1] *Joan.* I, 6; *Rom.* I, 7 *et sexcentis aliis locis.* — [2] *Rom.* IX, 5. — [3] *Exod.* VII, 1. — [4] *Psalm.* LXXXI, 1 *et* 6. — [5] *Joan.* X, 35. — [6] *Exod.* VII, 12. — [7] *Id.* VIII, 31. — [8] *Id.* IX, 33. — [9] *Id.* X, 19. — [10] *Id.* VIII, 19. — [11] *Joan.* II, 35 *et* 36. — [12] *Gen.* I, 1. — [13] *Eccli.* XXIV, 5.

[a] Vide infrà interpretationem Origenis, ad hæc verba, cum Notâ quæ huic subjacet. — [b] In Vulgatis : *Deum Pharaonis;* in Mss. autem, *Pharaoni*, tantùm. De quo vide infrà Notam [e], p. 476. — [c] Commentarius ille excerpitur partim è Commentario in Evangelium Joannis, partim è Commentario in primam ejusdem Epistolam.

possedit (Septuaginta ἔκτισε, id est, *condidit*, S. Ambrosius, Libro 3 de Fide, cap. 4, *creavit*) *me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio :* ubi Septuaginta vertunt : *Dominus condidit me principium viarum suarum in opera sua : ante sæculum fundavit me in principio, antequàm terram faceret et abyssos constitueret :* Aquila : *Dominus possedit me ab initio opificiorum suorum :* Symmachus : *Dominus possedit me principium viarum suarum, ante opificium suum :* Theodorus : *Dominus possedit me ante opificium ejus : à tunc, et ex tunc, ante sæculum præparata sum*[1].

Quæres autem quid significet hîc *principium?* Respondeo :

Primò, S. Cyrillus Alexandrinus et Origenes in hunc locum Evangelii Joannis, per *principium* accipiunt Deum Patrem, quasi diceret Joannes : *In principio,* id est, in Patre æterno *ejusque sinu*[2] *erat Verbum.*

Secundò, simpliciùs S. Augustinus, Beda et S. Hilarius, Libro 2 de Trinitate, n. 13, per *principium* accipiunt principium mundi vel temporis omnis, etiam ejus quod ante mundum imaginamur coexstitisse æternitati Dei; ante enim omne hoc, Verbum non est factum, sed jàm erat ab æterno, quia numquàm factum est, juxta illud : *Ante Luciferum genui te*[3] *:* et : *Ante colles ego parturiebar : adhuc terram non fecerat et flumina,* etc.[4]. Audi S. Hilarium : « Quid est istud : *In principio erat?* « Transeuntur tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates : pone aliquid quod voles tuâ opinione principium : non tenes tempore; *erat* « enim. » Ac nonnullis interjectis : « Meus piscator (S. Joannes) vicit omne principium; *erat* « enim quod est; neque tempore aliquo concluditur, ut cœperit quod *erat* potiùs *in principio* « quàm fiebat. »

Tertiò, et simplicissimè idem S. Augustinus, S. Chrysostomus, Theophilactus et S. Basilius in cap. 1 Evangelii Joannis : *In principio,* inquiunt, id est, ante omnia, vel ab initio omnis durationis et æternitatis, ab omni æternitate, longissimè ante omnes Angelos, homines, omnesque res creatas *erat Verbum.* Principium enim verum hîc accipit S. Joannes, non imaginarium, æquè ac Moyses[5], ac Salomon[6]. Undè Patres omnes ex τῷ *in principio* probant æternitatem Verbi contra Arianos.

Hoc exordium statim S. Joannes opponit Cerintho et Ebioni, qui eodem tempore docebant Christum fuisse merum hominem, ac proindè principium accepisse, cùm ex B. Virgine natus est more cæterorum hominum. Undè contra Ebionem scriptum esse à S. Joanne Evangelium, ad adstruendam Christi divinitatem, testatur S. Hieronymus, Libro de Scriptoribus ecclesiasticis in Joan. Hunc Ebionis errorem secuti sunt Paulus Samosatenus sub annum Christi 196, et Photinus sub annum Christi 350, teste Cassiodoro, Libro 3 Historiæ tripartitæ, cap. 5. Idem ex parte senserunt Ariani; licèt enim concederent Verbum fuisse antequàm nasceretur in carne, tamen negabant illud ab æterno genitum; sed in tempore creatum, primamque Dei creaturam esse asserebant. Undè Nonnus Panopolitanus, qui heroico carmine græco reddidit Evangelium S. Joannis, τό *in principio* exponit, primò, intemporaneum : secundò, Patri coævum : tertiò, Patri naturâ æquale : quartò, incomprehensibile : quintò, ineffabile; hæc enim quatuor vicissim et gradatim ex primo consequuntur. Audi Nonnum :

Ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ Λόγος ἀρχῇ,
Ἰσοφυὴς, Γενετῆρος ὁμήλικος, Υἱὸς ἀμήτωρ,

hoc est :

«Sine tempore erat, incomprehensibile, in ineffabili Ver-
« bum principio,
« Æqualis naturæ, Patri coævum, Filius sine matre. »

Τό ergò *in principio* idem est quòd *ab æterno*, et, ut Michæas ait : *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*[7]. Æternitas enim est principium sine principio, et principium omnis principii. Ità S. Athanasius, Oratione contra Arianos, Clemens Alexandrinus, Hugo, Glossa, Dionysius, Catharinus, hîc, et S. Ambrosius, Lib. 1 de Fide, cap. 8 : « Joannes, *ait*, in Epistolâ suâ (dicere potuisset : In suo « Evangelio) dicit : *Quod erat in principio* : « indefinitè tenditur, *erat* : quidquid excogitaveris, *erat* Filius : *quod erat in principio*, non « includitur tempore, non principio prævenitur. » S. Augustinus, Sermone 6 de tempore : « Qui *in* « *principio erat,* inquit, intra se concludit omne « principium. » Et Gregorius Nazianzenus, Oratione de fide : « Quodcumque principium assignare voleris, præjudicatum habebis, quia *in principio* « *erat.* » Expressiùs verò S. Cyrillus, Lib. 1 in Joan., cap. 1 : « *Principio*, inquît, si definitionem *principii* in se retinet, nihil antiquius est; « numquàm enim principii principium poterit excogitari; nam si aliud quiddam ante principium « intelligitur, excidet profectò, nec erit verè principium. Præterea, si ante verum principium aliud « inveniri poterit, in infinitum nobis erit procedendum, aliud semper ante aliud quærentibus,

[1] *Prov.* VIII, 22. — [2] *Joan.* I, 18. — [3] *Psalm.* CIX, 3. — [4] *Prov.* VIII, 25 *et* 26. — [5] *Gen.* I, 1. — [6] *Prov.* VIII, 22 — [7] *Mich.* V, 2.

« nec in uno simpliciter principio consistentibus. »

Erat. « Τὸ *erat*, ait S. Basilius in hæc S. Joan« nis verba, ducit nos ad æternitatem. » Si ità locutus est S. Joannes, fuit « ut intelligeremus, *ait* « Beda, omnia tempora prævenisse coæternum « Patri Verbum. » Quodcumque enim tempus assignes, vel imagineris anticipando, semper verum est dicere : Jàm tunc erat Verbum. Nam in principio mundi erat Verbum : mille annis ante mundum erat Verbum : mille millionibus annorum ante mundum erat Verbum ; ac quotcumque annos antevertendo anticipes, semper verè dicam : Jàm tunc erat Verbum ; quia omnes annos imaginabiles Verbum prævenit, fuitque ab æterno.

Porrò τό *erat* non significat Verbum antecessisse illud principium de quo dicitur : *In principio erat Verbum,* ità ut *per principium* accipi debeat principium temporis et mundi, ante quod fuit Verbum ; sed quòd in principio durationis, vel æternitatis (ità enim nos primordia æternitatis mente imaginamur, cùm à parte rei nulla ejus fuerint primordia, nullum ejus principium), quo prius et anterius non fuit Verbum, nisi ratione tantùm, hoc est, quòd jàm olim ab omni æternitate erat Verbum. Ubi nota potiùs dici : *Erat Verbum,* quàm : *Fuit Verbum,* quia *fuit* significat rem præteriisse, *erat* etiamnùm esse, sive esse perennem. Ità S. Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theophilactus et alii in cap. 1 Evangelii S. Joannis. Posuit τό *erat* S. Joannes contra Arianos futuros, quorum hæc fuit vox : « Erat quandò non erat, » hoc est, erat tempus quandò non erat Verbum, quia, antequàm nasceretur, non erat ; negabant enim Verbum esse æternum. Undè hanc eorum vocem damnat Concilium Nicænum, æquè ac S. Joannes initio Evangelii, ubi proindè quater repetit τὸ *erat, erat, erat, erat,* quasi diceret : Quodcumque cogites tempus, jàm in eo erat Verbum : quodcumque ævum, jàm erat Verbum : quidquid anticipes, jàm erat Verbum. Ità S. Basilius, Libro 2 contra Eunomium. « Quantumcum« que, *ait,* volueris mentis inquisitione retrocurrere, « pertransire tamen quod erat, et ultra illud ferri « cogitationibus non poteris. »

Secundò, *erat* significat generationem æternam Verbi. Nam *in principio erat Verbum,* idem est quòd : Ab æterno genitum est Verbum ; hæc enim generatio in ratione Verbi divini includitur, uti mox dicam.

Tertiò, Elias Cretensis in Comment. in Gregorii Nazianzeni Orationem 4 de Theologià notat verbum substantivum *sum, est, erat,* proprium esse Dei. Deus enim substantiæ, sive essendi est plenitudo et immensitas, putà pelagus essentiæ immensum, et oceanus entis : indèque hebraicè vocatur *Jehovah,* id est, *qui est,* græce ὁ ὤν[1]. Undè Didymus hìc, et Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 in Joannem, cap. 1, et Ambrosius, Libro 1 de Fide, cap. 5, solerter observant de singulis creaturis dici tantùm quòd sint aliquid, de solo Deo autem dici absolutè quòd *est.*

Quartò, τό *erat* significat ità fuisse Verbum, ut tamen etiamnùm maneat et perseveret ; hæc enim perseverantia significatur verbo imperfecto, ut docet S. Thomas in cap. 1 S. Joannis, quin et Plinius in Præfatione Naturalis Historiæ. *Erat* ergò idem est quòd *fuit, est* et *erit,* quasi diceret : Verbum semper fuit, semper est, semper erit, estque prorsùs æternum. Audi S. Basilium, Libro de Spiritu sancto, cap. 6 : « Cùm dixit Joannes : *In* « *principio erat Verbum,* duabus vocibus cogita« tionem intra præscriptos terminos reclusit. Hæc « enim vox, *erat,* nullum cogitationi præbet exi« tum, quemadmodùm hæc *principium,* non dat « transitum humanæ mentis cogitationi ; quantum« vis enim cogitatiòne curras ad anteriora, non ex« cedis *erat ;* et quantumvis institeris videre quæ « sint ultra Filium, non poteris tamen superare « *principium.* » Quamquàm, si propriè de Deo loquamur, nullo tempore ejus æternitas circumscribi potest ; nam, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, « Deus et semper erat, et est, et erit : vel, ut re« ctiùs loquar, semper est ; nam *erat* et *erit* hujus « nostri temporis, fluxæque et caducæ naturæ seg« menta sunt ; ille autem semper est ; atque hoc « modo seipsum nominat, cùm Moysi oraculum « dedit. » Quod approbans S. Augustinus : « Men« tis quippè, *ait,* aspectu omnem mutabilitatem ab « æternitate sejungo, et in ipsâ æternitate nulla « spatia temporis cerno, quia spatia temporis præ« teritis et futuris motibus constant ; nihil autem « præterit in æterno, et nihil futurum est, quia et « quod præterit, esse desinit, et quod futurum est, « nondùm esse cœpit ; æternitas autem tantum« modò est, nec fuit quasi non sit, nec erit quasi « adhuc non sit. » Atque ità Plato : « *Erat,* in« quit, et *erit,* quæ nati temporis species sunt, « non rectè æternæ substantiæ assignamus ; dici« mus enim de illà : Est, erat et erit ; sed illi re« verà solùm *esse* competit ; *fuisse* verò et *fore* « deinceps ad generationem tempore procedentem « referre debemus ; motus enim quidam duo illa « sunt ; æterna autem substantia cùm eadem sem« per et immobilis perseveret, neque senior seipsâ « fit umquàm, neque junior, neque fuit hactenùs, « nec erit in posterùm, neque recipit eorum quid« quam quibus res corporeæ mobilesque ex ipsâ « generationis conditione subjiciuntur. »

Verbum, græcè ὁ Λόγος, id est, *illud Verbum,* scilicet eximium, increatum, æternum et divinum,

[1] *Exod.* III, 14 *et* VI, 3.

putà, Filius Dei, ut fatebantur ipsi etiam Ariani, convicti ex eo quòd *Verbum hoc* Joannes paulò pòst vocet *unigenitum à Patre,* ac passim alibi Scriptura illud appellet Filium Dei. Licèt enim S. Basilius putet etiam Spiritum sanctum dici posse Verbum, tamen id impropriè diceretur, ait D. Thomas. Verbum intellige non oris, sed mentis. Ità S. Augustinus, S. Chrysostomus et alii in cap. 1 Evangelii S. Joannis.

Quæres, primò, cur S. Joannes Filium Dei non vocat Filium, sed Verbum? Respondeo:

Primò, quia in suo Evangelii et Epistolæ principio alludit ad principium Moysis, quo Deus verbo creavit cœlum, terram, omniaque quæ iis continentur [1].

Secundò, quia, ut docet S. Chrysostomus in Evangelii S. Joannis cap. 1, Verbum hoc quod est in sinu Patris, omnem habet sapientiam, ac carne vestitum eamdem nobis enarravit; illam autem sapientiam tàm Evangelio quàm Epistolà enarrare statuit S. Joannes. Undè etiam S. Joannes magis verbis et doctrinæ Christi enarrandæ insistit, cùm alii tres Evangelistæ magis rebus et gestis Christi insistant. Christum ergò vocat Verbum, quia Verbi hujus verba nobis recensere intendit.

Tertiò, ne, si Filium dixisset, eum corporeum et passibilem quis imaginaretur; tales enim sunt filii quos novimus in terrâ. Ità S. Cyrillus Alexandrinus in cap. 1 Evangelii S. Joannis. Vox ergò *Verbum* significat generationem Filii non esse humanam, sed spiritualem, mentalem et divinam, ideòque puram, integram et incorruptibilem, scilicet eum generari à mente divinâ ut verbum mentis.

Quartò, quia Verbum in divinis significat Filium. Verbum enim significat conceptionem mentalem Dei Patris, quæ est ipsa generatio Filii, qui, quasi verbum, repræsentat et manifestat sapientiam et voluntatem Patris. Et hæc est causa cur Filius sit incarnatus, non Pater, aut Spiritus sanctus, quia scilicet Incarnatio idcircò facta est, ut per eam Deus se manifestaret hominibus; Verbi autem est rem manifestam facere. Rursùs sicut Verbum à Patre genitum est spiritu, ità decuit idem gigni à matre in carne. S. Joannes ergò nos quasi manu ducit ad Verbum, ac per illud ad Deum, ut cum eo secum jugiter commorari, colloqui et dissuaviari nos doceat. In Joanne enim et similibus verum est illud Senecæ, Epist. 41 : « Quemadmodùm solis radii « contingunt quidem terram, sed ibi sunt undè « mittuntur; sic animus magnus et acer, et in « hoc demissus ut propiùs divina nôssemus, con- « versatur quidem nobiscum, sed hæret origini « suæ. Illinc pendet, illuc spectat ac nititur; » et, ut ait S. Ambrosius, « Verbo innubit æterno; » nam, ut inquit S. Augustinus, Sermone 38 de Verbis Evang. secundùm Joannem : « Homo fit beatus con- « tingendo corde illud quod semper beatum manet; « et est illud ipsa beatitudo perpetua, et undè fit « homo vivus, vita perpetua: undè fit homo sapiens, « sapientia perfecta : undè homo fit illuminatus, « lumen sempiternum est. »

Quæres, secundò, cur Filius dicatur Λόγος, sive *Verbum?* Respondeo :

Primò, Λόγος verti potest *Ratio,* quia sicut ratio nobis intima est, ità et Patri intimus est Filius. Ità Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologià. Secundò, sicut ratio vel notitia procedit à mente; ità Verbum sive Filius procedit à Patre. Ità Origenes, S. Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius in cap. 1 Evangelii S. Joannis, Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologià, S. Basilius in illud : *In principio erat Verbum.* Tertiò, quòd à nobis auferat omne quod rationi repugnat, itàque nos faciat rationi obsequentes, aiunt Origenes, Libro 1 in Joan., cap. 1, et ibidem Rupertus. « Verbum, « *inquit,* Dei perpetua Ratio est, Sapientia sem- « piterna, etc. Cur non ipsa Ratio sempiterna « Verbum dicatur, undè nobis inest rationalitas? » Eusebius, Libro 5 Demonstr., cap. 5 : « Verbum, « *ait,* earum omnium rerum quæ factæ sunt ratio- « nes in se fert : quarè et Sapientia et Verbum Dei « appellatur.» Verùm *Ratio* non ità exprimit processionem à Patre, sicut exprimit *Verbum,* uti notat S. Augustinus, Quæst. 63 inter 83. Adde *Rationis* nomen esse essentiale, non notionale et personale, ideòque commune S. Trinitati. Audi S. Dionysium, Lib. de Divinis Nominibus, cap. 7: « Deus, *inquit,* « dicitur *Ratio* in S. Litteris, non modò quia rationis, « sensûs et sapientiæ indultor est, sed quia et om- « nium causas in se uniformiter antè complexus est, « et quia per omnia pergit penetrans usquè ad om- « nium finem [2], et super hæc etiam, quia super « simplicitatem omnem divina expanditur ratio, « estque ab omnibus, super omnia supremæ sub- « stantiæ ratione, absoluta. » Deniquè *Ratio* esse potest in eo qui actu non intelligit, ut in dormiente; *Verbum* autem est ejus qui actu intelligit, qualis est Deus.

Secundò, Λόγος verti potest *Opus;* est enim Verbum Patris opus ei commensum, coævum et adæquatum, juxta illud : *Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera* [3].

Tertiò, Λόγος verti potest *Virtus;* Verbum enim est virtus, potentia, brachium, et dextera Patris, quà creavit et fecit omnia; nam Verbum, quà Deus, est virtus creandi, quà homo, est virtus redimendi et salvandi omnes, juxta illud : *Nos autem præ-*

[1] *Psalm.* XXXII, 6. — [2] *Sap.* VIII, 1. — [3] *Id.* VII, 25.

dicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam[1]; et : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*[2] ; et : *Portans omnia verbo virtutis suæ*[3].

Quartò, Λόγος verti potest *Forma;* Verbum enim est Patris forma, pulchritudo, *candor lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius*[4]; et : *Splendor*, græcè ἀπαύγασμα, id est, *refulgentia*, resplendentia *gloriæ, et figura substantiæ ejus*[5]. His adde à magno Dionysio Areopagitâ duas divinas personas, Filium et Spiritum sanctum productas dici veluti infinita quædam germina, veluti fragrantissimos quosdam flores, veluti lumina quædam splendidissima; etenim in Libro de Divinis Nominibus, cap. 2, in fine primæ Partis, hæc scribit : « Quòd primordialis et « fontana sit deitas Pater; Filius verò et Spiritus « sanctus fecundæ deitatis, si fas est dicere, ger- « mina plantata divinitùs, et veluti flores, ac super- « substantialia lumina, à Scripturis sanctis accepi- « pimus. Quonam verò modo ista sint, neque elo- « qui, neque intelligere possumus. » Hinc et S. Augustinus, Libro 6 de Trinitate, cap. 10 : « Qui- « dam (is est S. Hilarius, Libro de Synodis, non « longè à principio), *ait*, cum vellet clarissimè « singularium in Trinitate personarum insinuare « propria : Æternitas est, inquit, in Patre, species « in imagine (in Filio), usus in munere » putà in Spiritu sancto, qui est donum et munus Patris et Filii. Idem S. Augustinus, Sermone 38 de Verbis Evangelii secundùm Joannem : « Non enim Ver- « bum, *inquit*, proficit aut crescit accedente co- « gnitore; sed integrum manet, si permanseris : « integrum, si recesseris : integrum, cùm redieris, « manens in se et innovans omnia : ergò est forma « omnium rerum, forma infabricata, sine tempore, « et sine spatiis locorum. »

Quintò, Λόγος verti potest *Definitio*, quia, quasi rerum omnium definitio, Patris naturam omnesque res definitè et plenè exprimit. Undè S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologiâ : « Eodem « modo, *ait*, Filius se habet ad Patrem, quo de- « finitio cum definito; nam hoc quoque Λό- « γος dicitur; *qui enim Filium videt, videt et* « *Patrem*[6]*;* ac brevis facilisque paternæ naturæ « declaratio est Filius. » Sic et Euthymius in cap. 1 Evangelii S. Joannis.

Sextò, Λόγος verti potest *Computus, Calculus, Supputatio;* Verbum enim est calculus et computus omnium Angelorum, Sanctorum, imò creaturarum totius universi.

Septimò, Λόγος verti potest *Causa;* quia Verbum est causa per quam singula facta sunt et subsistunt. Ità S. Hieronymus, Epistolâ ad Paulinum, Philostratus in Heroicis : « Trojanis, *inquit*, He- « ctor manus, Æneas mens fuit. » At Verbum creaturis tàm manus, quàm mens fuit, tàm causa efficiens, quàm idea concipiens.

Octavò, aliqui Λόγος vertunt *Sermo promissus,* sive quem voces et sermones Prophetarum promiserunt venturum orbis Salvatorem. Ità Beza, quem rectè refutat Salmeron, Tom. 2, Tractatu 4 ; nam, ante Prophetas eorumque oracula, ab æterno Verbum erat Verbum, *eratque apud Deum*, ut ait S. Joannes. Reipsa ergò Beza negat Λόγον, æquè ac Alogiani, teste Epiphanio, Hæresi 51, et Centuriatores Magdeburg. Centur. 1, Lib. 1, c. 4, qui negant Λόγον dici respectu Patris, quasi ab eo genitus sit per cognitionem. Hi ergò sunt hostes Verbi et Filii Dei, ideòque semiathei.

Nonò et optimè, Λόγος cum nostro Interprete et Patribus penè omnibus vertas *Verbum*, utiquè non oris et vocis, sed cordis et mentis. Sicut enim nos dùm cogitamus vel intelligimus quidpiam, formamus nobis conceptum rei cogitatæ vel intellectæ, qui dicitur verbum mentis; ità Pater æternus intelligendo et comprehendendo suam essentiam, et *omnia quæ in eâ sunt,* formavit et produxit hoc Verbum æternum sibi adæquatum et simillimum, quo fit ut Verbum hoc sit Deus, Deique Filius à Patre genitus. Dixi : *Omnia quæ in eâ sunt*, quia in essentiâ Patris est virtus spirandi Spiritum sanctum, et omnipotentia producendi omnes creaturas possibiles : quarè ex cognitione Spiritûs sancti et creaturarum possibilium pariter ac essentiæ divinæ producitur et procedit Verbum, uti docent Franciscus Suarezius, Libro 9 de Deo trino et uno, c. 4-6, et alii.

Ubi Nota. Verbum Dei est duplex : unum essentiale, quod est ipsa intellectio Patris, quam cum essentiâ, intellectu et voluntate communicat Filio et Spiritui sancto. Et hoc videntur intellexisse Trismegistus, Plato et Philosophi, de quibus mox. Similiter Ariani Verbum internum essentiale, id est, intellectionem Patris et Filii et Spiritûs sancti ponebant in uno Deo, ipsi coæternam; sed addebant Deum cœpisse esse Patrem in tempore, cùm Verbum notionale à se distinctum produxit, quasi primam creaturam, et per eam cæteras. Alterum Verbum est notionale, sive personale, quod est Verbum à Patre productum et genitum, ideòque ipsum est persona subsistens, putà Filius Dei Patris. De notionali agit S. Joannes tàm hìc, quàm in Epistolâ. Verè Cyrillus Alexandrinus, Lib. 7 Thesauri, c. 1 : »No- « men Verbi, *inquit* (elegit) S. Joannes, quia est « maximè proprium et significativum divinitatis, et

[1] I *Cor.* I, 23 *et* 24. — [2] *Psalm.* XXXII, 6. — [3] *Hebr.* I, 3. — [4] *Sap.* VII, 26. — [5] *Hebr.* I, 3. — [6] *Joan.* XIV, 9.

« processionis propriæ secundæ personæ. » Undè Libro Apocalypsis dicitur: *Et nomen ejus erat Verbum Dei*[1]. S. Augustinus verò, Libro 15 de Trinitate, c. 14, Verbum essentiale à notoriali distinguens, sic ait: « Novit omnia Pater in seipso, novit in Filio; « sed in seipso tamquàm seipsum (putà essentiali- « ter) : in Filio tamquàm Verbum suum (putà no- « tionaliter). »

Adverte. Λόγος idem est quòd *Verbum*, *Sermo*, *Oratio*. Undè Tertullianus, S. Cyprianus, S. Ambrosius, Hieronymus et alii veteres sæpè Filium vocant Sermonem. Renovavit idipsum hoc ævo Erasmus: undè pro: *In principio erat Verbum*, vertit: *In principio erat Sermo*, ob quam novationem à Theologis vapulavit. Erasmum secutus est et defendit Calvinus in cap. 1 Evangelii S. Joannis: « Miror, *ait*, quid Latinos moverit ut τὸν « Λόγον transferrent *Verbum*. Sic enim vertendum « potiùs fuisset τὸ ῥῆμα. Verùm ut demus aliquid « probabile secutos esse, negari tamen non potest, « quin Sermo meliùs conveniat: undè apparet « quam barbaram tyrannidem exercuerint Theolo- « gastri, qui Erasmum turbulentè adeò vexàrunt, « ob mutatam in melius unam vocem. » Erras, novator, cùm errantem et novantem sequeris. Quòd enim hoc loco meliùs conveniat *Verbum*, quàm *Sermo*, liquet, primò, ex eo quòd verbum simplicius sit sermone; sermo enim est compositum quid ex verbis; simplicissimus autem est Dei Filius. Secundò, quia verbum generalius est sermone; omnis enim sermo est verbum, at non omne verbum est sermo. Tertiò, quia conceptus mentis semper verbum mentis, numquàm sermo dicitur; Filius autem est conceptus mentis divinæ et paternæ. Quartò, sicut mens gignit verbum mentis, hocque fit vocale, dùm in os et linguam carneam deducitur, et quasi ex ore nascitur; ità Pater genuit Verbum mentale, quod factum est vocale per Incarnationem, dùm induens carnem, os et vocem hominis, per eam locutum annuntiavit nobis voluntatem Patris. Et huc subindè alludit Scriptura, dùm Christum, quà homo est, vocat Verbum, eo quòd, quà homo, fuerit legatus, nuntius et interpres voluntatis Dei apud homines[2]. Ità S. Chrysostomus et Theophilactus in cap. 1 Evangelii S. Joannis, et S. Epiphanius, Hæresi 71: « Filius, *ait*, Verbum « nominatur, quia interpres est voluntatum Dei; » et S. Augustinus, Libro de Fide et Symbolo, cap. 3: « Verbum, *ait*, Patris dictum est, quia per ipsum « innotescit Pater. Sicut ergò verbis nostris id agi- « mus ut noster animus innotescat audienti; sic illa « sapientia quam genuit Pater: quoniam per ipsam « innotescit animus secretissimus Patris, Verbum « ejus convenientissimè nuncupatur. » Verùm S. Joannes, tàm hìc quàm in Epistolà, Christum vocat Verbum ratione divinitatis, non humanitatis. Quintò, licèt aliqui apud S. Augustinum, Libro de Principiis Dialecticæ, cap. 6, verbum derivent *à verberando*, quòd verberato linguâ intra palatum aëre, omne verbum proferatur, meliùs tamen ipse S. Augustinus, Libro 15 de Trinitate, cap. 11, ex Varrone, Servio et aliis, verbum deducit *à vero et veritate*, quòd verum verbo concipiamus et loquamur. Verbum ergò, uti et verum, menti est intimum; sermo verò innuit potiùs aliquid foràs jactatum, diciturque *à sero;* seritur enim sermo inter plures, et sæpè falsus; nam, ut ait Servius: « Sermo « est consertio orationis, et confabulatio duorum « vel plurium. » Meliùs ergò Filius Dei vocatur Verbum quàm Sermo.

Deniquè Verbi hujus dignitatem et attributa describens S. Basilius, Libro 2 contra Eunomium, processionis hujus admirandæ alia similia iis verbis proponit: « Oportet, *inquit*, dignam de Deo gene- « rationem intelligere impassibilem, impertibilem, « indivisibilem, sine tempore, instar resplendentis à « luce radii; intelligere autem imaginem invisibilis « Dei, nec secundùm artificiosas has imagines ad « exemplar posteà elaboratam; sed existentem et « consubsistentem cum prototypo, qui ipsi sub- « stantiam dedit, itemque cum archetypo existen- « tem; nec imitatione figuratam; sed tamquàm « sigillo aliquo totà Patris naturâ Filio impressâ; « aut si vis, qualis artium sit constitutio tota ex « docentibus in discipulos immissa, cùm nihil desit « docentibus, et perfectio adsit iis qui didicerunt; « vel id quidem non ità congruum ad similitudi- « nem, propter temporis spatium; illud commo- « dius, qualis est intellectionis natura, motibus « mentis sine tempore constituta. » Hæc Basilius. Tertullianus his etiam utitur collationibus in Libro adversùs Praxeam, cap. 8: « Protulit Deus Ser- « monem, id est, Verbum, sicut radix fruticem, et « fons fluvium, et sol radium; nec frutex à radice, « nec fluvius à fonte, nec radius à sole discer- « nitur, sicut nec à Deo Sermo, *etc.* » Divinitùs S. Gregorius Thaumaturgus Verbum hoc æquè ac Patrem et Spiritum sanctum depingit in Symbolo, quod ei cœlitùs traditum est à nostro S. Joanne, jussu B. Virginis, uti scribit Gregorius Nyssenus in vità Thaumaturgi. Symbolum hoc, toto Oriente celeberrimum, ità se habet: « Unus est « Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsisten- « tis, et potentiæ et figuræ æternæ: perfectus per- « fecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Domi- « nus solus ex solo, Deus ex Deo, figura et imago « deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis « rerum universarum comprehensiva, et potentia

[1] *Apoc.* XIX, 13 — [2] I *Joan.* V 7 et *Apoc.* XIX, 13.

« totius creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris, « visum effugiens visum effugientis, et corruptioni « non obnoxius non obnoxii corruptioni, et morti « non obnoxius morti non obnoxii, et æternus « æterni. Unus Spiritus sanctus ex Deo ortum et « existentiam habens, quique per Filium apparuit, « videlicet hominibus, imago filii perfecti, perfecta « vita viventium, causa, fons, sanctus, sanctitas « sanctificationis suppeditatrix, per quem manife- « statur Deus Pater qui est super omnia et in omni- « bus, et Deus Filius qui per omnia permanat, Tri- « nitas perfecta, quæ gloriâ atque æternitate et « regno non dividitur, neque abalienatur. »

Porrò idem per umbram viderunt Gentiles, idque didicerunt, vel ex Libris Moysis et Hebræorum : undè Plato vocatur Moyses Atticus ab Eusebio, Libro 13 de Præparatione Evangelicâ, cap. 7; et Theodoretus, Libro 2 de Curatione græcarum affectionum : « Oceanus Theologiæ, à quo fluvii omnes et maria « derivantur; illinc enim Anaxagoras, Pythagoras, « et Plato parva quædam veritatis lumina desum- « pserunt » ; vel ex Sibyllis, vel lumine naturæ, vel instinctu divino. Audi Lactantium, Libro 4 de Sapientiâ, cap. 9 : « Hunc, *ait*, Sermonem (id est, Ver- « bum divinum), ne Philosophi quidem ignorârunt, « siquidem Zeno naturæ dispositorem, atque opi- « ficem universitatis Λόγον prædicat, » quem et fatum, et necessitatem rerum, et Deum, et animum Jovis nuncupat. Nam Trismegistus, qui veritatem penè universam nescio quomodò investigavit, virtutem majestatemque Verbi sæpè descripsit; id enim de Mercurio Trismegisto testatur S. Augustinus, Libro de Quinque Hæresibus, cap. 3. Idem Mercurius in Pimandro : « Mens, *inquit*, Deus, utrius- « que sexûs fecunditate plenissimus, vita et lux, « cum Verbo suo mentem alteram opificem pepe- « rit, qui quidem Deus, ignis atque spiritûs nu- « men. » Accedit his vulgata illa ejusdem sententia : « Monas genuit monadem, et in se suum re- « flexit ardorem, » hoc est, unus Deus genuit unicum Filium, et in se amorem reflectens, produxit Spiritum sanctum. Illud quoque in Pimandro : « Mens Deus tuus; mentis verò germen lucens Dei « Filius. » Similiter Theodoretus, Libro 2 de Principiis : « Plotinus, *inquit*, ac Numenius explicantes « Platonis mentem, tria aiunt posita esse à Platone « æterna, ipsum videlicet bonum, mentemque et « hujus universi animam; vocat enim bonum, quem « nos Patrem dicimus; mentem verò seu intelle- « ctum, quem nos Filium Verbumque appellamus; « potentiam verò quæ animet omnia et vivificet. « Animam vocat eam quam sacræ Litteræ Spiritum « sanctùm appellant. Atque hæc ipsa, ut jàm « dixi, ex Hebræorum sapientiâ et theologiâ sub- « ducta sunt. » Verùm rectè notat Cardinalis Bessario, Libro 2 de Apologiâ Platonis, cap. 4, Platonem non christianè, sed arianè de Filio et S. Trinitate esse locutum; nam statuit gradus in divinitate. Primum enim entium statuit primum Deum : post hunc, quasi inferiori gradu, ponit mentem ab eo productam; ac deniquè tertio loco et gradu ponit mundi animam, quæ universum hoc quasi animal animet et vegetet. Docuit ergò Plato Deum ingenitum primò genuisse mentem, secundò, animam mundi : quarè arianizat; ponit enim mentem et animam mundi, quasi res distinctas à Deo ingenito, eoque minores. Huc facit illud Serapidis oraculum, datum cuidam regi Ægyptio :

« Principio Deus est, tùm Sermo, et Spiritus istis
« Additur : æquæva hæc sunt, et tendentia in unum. »

Sic et Orpheus aliique Græci, Chaldæi et Ægyptii, Deum Patrem vocârunt νοῦν, id est, *mentem*, Filium verò λόγον, quasi *mentis prolem*, aiunt Theodoretus, Libro 2 de Curatione græc. affectionum, et S. Augustinus, Libro 7 Confessionum, c. 9. Alii Patrem vocârunt *animam*, *vel spiritum;* Filium verò νοῦν, id est, *mentem* et *notitiam Patris*, quamquàm multi valdè probabiliter censent Orpheum, Trismegistum, Platonem et Platonicos per νοῦν et λόγον non verbum notionale, hoc est, Filium, sed essentiale, hoc est, ideam mentis divinæ, per quam omnia produxit, intellexisse. Hinc et illud Trismegisti : « Monas genuit monadem, et in se suum « reflexit ardorem : » quod multi sic explicant, quasi « dicerent : Pater genuit Filium, ipsumque reflexo amore amans, spiravit Spiritum sanctum. S. Thomas in cap. 1 Evangelii S. Joannis sic explicat, quasi diceret : Unus Deus unum creavit mundum, propter suî ipsius amorem. Plura vide apud Theodoretum, Eusebium, Augustinum, locis citatis, et August. Steuchum, Libro de perenni Philosophiâ, ac Baradium, Tom. 1, Lib. 4, c. 3.

Quæres tertiò, an Verbum hoc divinum simile sit nostro verbo mentis, an verò dissimile.

Respondeo partim esse simile, partim dissimile. Simile est, primò, quia, sicut nostrum est immateriale et spirituale, ità et divinum. Secundò, sicut homo mente parit conceptum sive verbum mentis, ità Pater intellectu et intellectione suâ comprehendens suam essentiam omniaque ejus attributa, gignit Verbum. Verbum ergò est notitia et notio Patris. Undè S. Augustinus, Sermone 38 de verbis Evangelii secundùm Joannem : « Verbum Dei, *ait*, « incorporaliter, inviolabiliter, incommutabiliter, « sine temporali nativitate, natum tamen intelliga- « mus à Deo. » Tertiò, sicut per nostrum verbum concipimus res omnes, ità et Deus per suum. Quartò, sicut nostrum est menti internum, ità et Dei; est enim apud Patrem et *in sinu Patris* [1]

[1] *Joan.* I, 18.

sicut nostrum menti inhæret, illique est intimum. Quintò, sicut nostrum est idea, juxta quam omnia fabricamus et facimus, ità et Dei, juxta illud : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Hinc Timæus Platonicus Deum Deique Verbum vocat κόσμον ἰνδαλμικόν, *mundum exemplarem,* quia Verbum est mundus increatus et immensus, qui est idea et exemplar mundi creati. Est ergò Verbum maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum; nam, ut ait Plato : « Omnia quotquot sunt animalia intel- « ligibilia, ille in se complexus servat et continet; « non secùs ac mundus nos et omnia creata, quæ- « cumque cernuntur, suo ambitu cingit. » Sextò, sicut verbum nostrum mentale fit vocale, dùm loquimur, ità Verbum divinum factum est vocale, dùm in carne assumptâ locutum est. Septimò, sicut verbum nostrum est imago rei quæ intelligitur, ità Verbum divinum est imago Dei Patris. Octavò, sicut verbum, putà conceptus noster tamdiù durat, quamdiù durat intellectio, sic et divinum Verbum; in æternum autem permanet Patris intellectio : quarè in æternum quoque gignitur manetque ejus Verbum, quod per illam producitur; quia enim intellectio Patris semper est in actu, hinc et Verbi generatio semper est in actu : quapropter vera est hæc propositio : Verbum semper gignitur, et semper est genitum, quia in divinis idem est fieri et factum esse. Hoc est quod ait Michæas : *Egressus* (hebraicè *egressiones*), *ejus ab initio, à diebus æternitatis* [1]. Undè Patres Concilii Ephesini : « Coexi- « stere, *inquiunt*, semper, et coæternum esse Patri « Filium, *Splendor* tibi denuntiet, impassibilitatem « Nativitatis illius ostendat *Verbum*, consubstantia- « litatem nomen *Filii* pandat. » Et S. Basilius, Homiliâ 1 in Joannem : « Cur Verbum? Ut ostendat « quòd ex mente processit. Cur Verbum? Quia « citra passionem natus est. Cur Verbum? Quia « imago est genitoris, totum in se ipso genitorem « ostendens. » Nonò, sicut conceptus mentis præcedit opus, ità et Verbum præcedit opus Dei; nam, ut ait S. Augustinus, Libro 15 de Trinitate, c. 11 : « Hominis opera nulla sunt, quæ non priùs dicantur « in corde : undè scriptum est : Initium omnis « operis verbum. » Nec ità multò pòst : « Est, *in-* « *quit*, et hæc in istâ similitudine Verbi nostri simi- « litudo Verbi Dei, quia potest esse Verbum « nostrum, quod non sequatur opus; opus autem « esse non potest, nisi præcedat verbum; sic et « Verbum Dei potuit esse, nullâ existente creaturâ; creatura verò nulla esse potest, nisi per ipsum « *per quod facta sunt omnia.* »

Dissimile est, primò, quia Verbum nostrum, æquè ac Angelorum, est accidens, putà, actus vitalis, menti quasi subjecto inhærens; Verbum Dei verò est substantia et persona subsistens. Ità S. Athanasius, Sermone 1 contra Arianos et S. Chrysostomus, Homiliâ 1 in Joannem. « Hoc Verbum divinum, « *ait*, substantia quædam est in personâ, ex ipso « Patre sine passione proveniens. » Hinc sequitur aliud discrimen, scilicet, quòd verbum creatum est forma creata constituens in actu secundo intelligentem, à quo producitur; per verbum enim quod concipit et producit, actu intelligit; Verbum verò divinum non est forma Patris intelligentis à quo producitur, quia est res per se subsistens, quæ nequit esse forma rei alterius distinctæ. Ità Suarezius, Libro 9 de Deo trino, cap. 2.

Secundò, verbum nostrum est temporale ac mente posterius : Verbum Dei est æternum Deoque coævum. Rursùm verbum nostrum producitur ex indigentiâ intelligentis, quia sine eo nequit rem actu concipere et intelligere; et Verbum Dei non ex indigentiâ aut potentialitate, sed ex infinitâ perfectione et fecunditate intellectûs paterni producitur; ideòque supponit illum non solùm constitutum in actu primo, sed etiam in actu secundo intelligendi.

Tertiò, verbum nostrum est imperfectum et mutabile, ideòque varium et multiplex : Verbum Dei est perfectum, ideòque constans, immutabile, unum et simplex, « cùm in uno sint omnia, *aiunt* S. Au- « gustinus in Psalmo 44, et S. Athanasius, Ser- « mone 3 contra Arianos. »

Quartò, verbum nostrum est à mente distinctum et ἑτερούσιον, id est, *alterius naturæ :* Verbum Dei est ὁμοούσιον et consubstantiale Dei Patris. Ità S. Anselmus in Monologiâ, c. 28.

Quintò, verbum nostrum est in nostrâ hypostasi : Verbum Dei est hypostasis et persona distincta à Patre, per quam Pater dixit et fecit omnia.

Sextò, verbum nostrum non est filius noster : Verbum Dei est Filius Dei. Rursùm Pater producens Verbum, ipsissimam suam intellectionem communicat Verbo : quod non facit mens nostra verbo suo, imò potiùs vice versâ ipsa per verbum constituitur in actu secundo intelligendi. Ità Suarezius, loco citato. Hinc Filius vocatur Sapientia genita : undè S. Augustinus, Quæst. 23 inter 83, dicit Patrem esse sapientem sapientiâ genitâ, hoc sensu quòd eam genuerit. Verùm hanc phrasim retractans, Libro 1 Retractionum, c. 26, et Libro 6 de Trinitate, c. 1 : « Ergò Pater, *inquit*, ipsa sa- « pientia est, quâ sapiens est; Filius verò dicitur « sapientia Patris et virtus Patris, non quia Pater « per eum sit sapiens vel potens, sed quia Filius « sapientia et virtus est de Patre sapientiâ et vir- « tute. Ex his ergò patet quòd Pater non est sa-

[1] *Mich.* v, 2.

« piens sapientiâ genitâ, sed seipso sapientia « ingenita. »

Septimò, verbum nostrum est impotens et inefficax : Verbum Dei est efficax et omnipotens : *Dixit* enim, et protinùs *facta sunt omnia* [1].

Octavò, verbum nostrum tàm oris quàm mentis, mox ut effertur et nascitur, dilabitur et diffluit : Verbum Dei est æternum, quia æterna est intellectio, putà dictio et generatio Patris. « Cessat, *ait* « S. Hilarius, Libro 2 de Trinitate, n. 15, sonus vocis « et ; cogitationis eloquium : Verbum hoc res est, non « sonus : natura, non sermo : Deus, non inanitas « est. » Plura de Verbo vide apud D. Thomam et Suarezium, loco citato.

Itaque, licèt aliquo modo ascendamus ex verbo mentis nostræ ad Verbum Dei, tamen hic ascensus per lumen naturæ tantùm fit ad Verbum essentiale; per hoc enim Deus omnia concipit, intelligit et producit ; sed quòd intellectio Dei sit dictio, id est, productio quæ dixerit, produxerit et genuerit Verbum notionale quasi Filium, hoc incomprehensibile est, et nonnisi per revelationem Dei solâ fide cognoscitur et creditur; superat enim omnem intellectum Angelicum et humanum, quòd in S. Trinitate « in personis proprietas, et in essentiâ unitas, « et in majestate adoretur æqualitas, uti canit Ec« clesia in festo S. Trinitatis [a]. » Ipsa ergò casto mutoque potiùs admiranda et adoranda est silentio, quàm curioso et exili scrutanda et declaranda ingenio, ut cum Seraphinis stupentibus stupentes ei acclamemus : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth : plena est omnis terra gloriâ ejus* [2]. « Hoc (Dei Verbum) doctus Plato nescivit, hoc « Demosthenes eloquens ignoravit : *Perdam sa« pientiam sapientûm, et prudentiam prudentûm « reprobabo* [3], ait S. Hieronymus ad Paulinum. » *Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi*, ait Psaltes [4]. « Vides hoc Ver« bum Filium Dei esse, quem non aliundè quàm « de paterno pectore, et, ut ità dicam, de utero « cordis Dei credimus exstitisse, *ait* Gregorius « Nazianzenus, Libro de Fide, » juxta illud : *Ex utero ante Luciferum genui te* [5] : ubi S. Hieronymus : « De utero generavit, *inquit*, id est, « de suâ naturâ, de suis visceribus, de suâ substan« tiâ : ex utero, id est, de medullis divinitatis « suæ, totum quidquid Pater est in divinitate, dedit « Filio. »

Tropologicè : Quomodò Verbum loquatur cordi hominum, explicant S. Augustinus, Libro 11 Confessionum, cap. 9, et S. Bernardus, Sermone 45 in Cantica : « Pulchritudo, *inquit*, illius dilectio ejus ; « et ideò major, quia præveniens. Medullis proindè « cordis et intimarum vocibus affectionum, tantò « ampliùs atque ardentiùs clamitat sibi diligendum, « quantò id priùs sensit diligens, quàm dilectum. « Itaque locutio verbi, infusio doni, responsio ani« mæ, cum gratiarum actione admiratio. Et idcircò « plùs diligit, quòd sentit se in diligendo victam ; « et ideò plùs miratur, quòd præventam agnoscit. » Et S. Ambrosius, Libro 3 de Virginitate : « Vulnerat, « *ait*, Dei Verbum ; sed non ulcerat. Est vulnus boni « amoris, sunt vulnera charitatis. Ideòque dixit « (sponsa) : *Vulneratæ charitatis ego sum* [6]. Quæ « perfecta est, vulneratæ charitatis est. Bona sunt « igitur Verbi vulnera, bona sunt amantis vul« nera. »

Et Verbum erat apud Deum. Occurrit S. Joannes objectioni. Dicet enim quis : Ubi erat Verbum in principio, id est, ab æterno, cùm adhuc nullus locus, imò nihil, sive nulla creata esset in rerum naturâ ? Respondet Verbum loco non eguisse, eo quòd spirituale sit et divinum, sed fuisse apud Patrem, utpotè à quo originem duceret, id est, ut ait alibi, fuisse *in sinu Patris* [7], vel etiam in domo paternâ, quæ est Deus ipse ejusque immensitas, ibi, inquam, fuisse arcanum et nobis absconditum.

Primò autem, præpositio *apud* notat diversitatem personæ ; quòd scilicet Filius sit diversa persona à Patre, non una et eadem, uti voluerunt Sabellius ejusque asseclæ Sabelliani : « Quomodò « enim quod unum numero est, ipsum apud « seipsum esse intelligitur, *ait* S. Cyrillus Alexan« drinus ? » Sic et S. Chrysostomus, Theophilactus, Severus et Leontius in Catenâ. « Ante omnia, « *ait* Tertullianus, Libro 5 contra Praxeam, Deus « solus erat, ipse sibi et mundus, et locus, et « omnia ; solus autem, quia nihil aliud extrinsecùs « præter illum : cæterùm ne tunc quidem solus ; « habebat enim secum, quam habebat in semetipso, « *Rationem suam*, etc. : hanc Græci Λόγον dicunt. » Solitudo enim vitæ beatæ adversatur. Deus ergò Deique beatitudo requirit societatem et amicitiam, scilicet pluralitatem personarum.

Secundò, *apud* notat amicam et summam Filii cum Patre conjunctionem, quâ fit ut à Patre separari nequeat, sed illi semper indivulsè adhæreat. Ità Nonnus.

Tertiò, *apud* designat æqualitatem Filii cum Patre ; nam esse *apud* Deum, sive *juxta* Deum, est, sedere ad dextram Dei [8], quasi Deum ὁμούσιον, *æqualem* : undè Christus, post Ascensionem, ad dexteram Patris rediisse dicitur. Ità S. Cyrillus

[1] *Psalm.* XXXII, 9. — [2] *Isai.* VI, 3. — [3] I *Cor.* I, 19. — [4] *Psalm.* XLIV, 1. — [5] *Id.* CIX, 3. — [6] *Cant.* V, 8. — [7] *Joan.* I, 18. — [8] *Marc.* XVI, 19.

[a] In Præfatione hujus festi.

Jerosolymitanus, Catechesi 2. Hinc et Nonnus sic explicat :

Πατρὸς ἔην ἀμέριστος, ἀτέρμονι σύνθρονος ἕδρῃ :

hoc est :

« A Patre erat indivisum, æterno cum eo sedens in throno. »

Nota τὸ σύνθρονος, quod latina vox una non adæquat, idemque est quòd *ejusdem throni consors, assessor, consessor in eâdem sede.*

Et Deus erat Verbum, græcè, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Ariani objiciant : Si Verbum erat apud Deum, ergò ipsum non erat Deus : occurrit et antevertit Joannes : *Et Deus erat Verbum.* Ariani enim, ut jàm diximus, Verbum Dei internum et essentiale, id est, intellectionem Patris, Filii et Spiritûs sancti, ut habet orthodoxa fides, ponebant in uno Deo, id est, in unâ personâ Dei, ipsi coæternam; sed Deum cœpisse esse Patrem in tempore, cùm Verbum notionale à se distinctum produxit, quasi primam creaturam, et per eam cæteras. Refellit hoc S. Joannes, dicens : *Et Deus erat Verbum,* id est : Verbum, jàm dictum, erat Deus ; sic enim invertenda est hæc propositio. Ob consonantiam enim Joannes verba transposuit; dixerat enim : *Verbum erat apud Deum;* undè repetens nomen Dei, consonè subjicit : *Et Deus erat Verbum*, ne quis putaret Verbum non esse Deum, eo quòd dixerit esse apud Deum, quasi diceret : Verbum ità est apud Deum, ut ipsummet sit Deus. Aut, ne idem ille Deus, apud quem erat Verbum, id est, Deus Pater, putaretur esse Verbum, eademque cum illo persona; sed Verbum ejusdem naturæ divinæ dumtaxat cum Patre communicationem habere, hinc addit : *Et Deus erat Verbum*, quasi diceret : Verbum erat apud Deum Patrem, cumque eo est idem Deus, quoad eamdem naturam divinam, non verò quoad eamdem personam. Hoc telo configuntur Ariani ; disertè enim Joannes ait Verbum, id est, Filium, esse Deum.

Objiciunt Ariani vocem Θεός, id est, *Deus,* hìc non habere articulum, uti habuit paulò antè : *Et Verbum erat apud* τὸν Θεόν, id est, *Deum :* ergò Verbum verè non est Deus.

Respondeo : Nego sequelam ; nam causa hujus diversitatis est, quòd vox Θεός, in præcedenti membro, cùm dicitur : *Apud Deum*, certam personam denotet, scilicet Patris, apud quem erat Verbum : hìc ergò non personam, sed essentiam utrique personæ communem denotat; Verbum enim est idem Deus cum Patre, quoad eamdem essentiam et deitatem, non verò quoad eamdem personam. Articulus autem notat certam personam, non verò naturam utrique communem. Rursùm Græci articulum præponunt *subjecto*, non *prædicato;* hìc verò Deus *prædicatum* est, Verbum verò *subjectum.*

Nota. Hæc sententia : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* trimembris est. Primum hujus sententiæ membrum, scilicet : *In principio erat Verbum*, propriè et explicitè significat Verbi *quandò*, putà æternitatem. Secundum, scilicet : *Verbum erat apud Deum*, significat Verbi *ubi*, et à Patre distinctionem. Tertium, scilicet : *Et Deus erat Verbum*, clarè significat Verbi essentiam, et essentiæ cum Patre identitatem. Hæc tria nobis contulit Verbum in suâ Incarnatione, in quâ humanitatem quasi sponsam Verbo despondit æterno, ut totum genus humanum eidem jungeret et desponderet, ut hâc ratione nos temporales fieremus æterni, terrestres fieremus cœlestes, homines fieremus dii, ut scilicet nostrum *quandò*, nostrum *ubi*, nostra essentia defixa esset in Verbo divino et æterno. Præclarè S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 38 de Christi Nativitate[a] : « Ipse Dei Filius, *inquit*, « ille sæculis antiquior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio « principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ « et immortalitatis, illa archetypi expressio, illud « immotum sigillum, illa per omnia similis imago, « ille Patris terminus et ratio, ille, inquam, ad imaginem suam se confert, et carnem ob carnem gerit, et cum intellectuali animâ propter animam « meam jungitur, ut simile per simile repurget. » Et mox : « Progressus autem Deus cum humanitate, « unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirùm et spiritu, quorum alterum deificavit, alterum « deificatum est. O novam mixtionem! O admirandam « temperationem! Qui est, fit : qui creatus non est, « creatur : qui nullo loco contineri potest, per interventum animæ intellectualis inter divinitatem et « carnis crassitiem interjectæ, continetur : qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur; carnis enim « meæ paupertatem subit, ut ego divinitatis ipsius « opes consequar : qui plenus est, exinanitur; suâ « enim gloriâ ad breve tempus exinanitur, ut ego « plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæ « bonitatis divitiæ? Quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec custodivi : « ille carnis meæ particeps fit, ut et imagini salutem, et carni immortalitem afferat. »

JOANNES MALDONATUS.

2. *Hoc erat in principio apud Deum*, hoc Verbum, quod Deum esse dixi ; nam quamvis pronomen οὗτος, *hoc* et ad *Verbum* et ad *Deum* græcè referri possit, si genus et grammaticam spectes, tamen sententia non patitur, ut aliò quàm ad *Ver-*

[a] Quam Orationem videre est infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini.

bum referatur. Quis enim esset sensus : Hic Deus erat apud Deum? Aut quorsùm id diceret Evangelista? Postulat etiam Hebræorum figura, quâ eum usum fuisse diximus, ut ad *Verbum* referatur; fuerat enim ultimum superioris sententiæ, et debet hujus esse primum : est et repetitio superiorum, ut apparet et notavit etiam Leontius; suprà autem non dixerat : In principio erat Deus, sed : *In principio erat Verbum;* nec : Deus erat apud Deum ; sed : *Verbum erat apud Deum :* idem ergò hoc loco significatur. At quorsùm ista nunc repetitio? Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 in Joan., cap. 4, voluisse ait Joannem, Eunomianorum et quorumdam, ut suprà docuimus, Arianorum errorem, quem animo prævidebat, refutare, dicentium aliud fuisse Verbum Dei, quod in principio apud Deum erat, aliud per quod omnia facta sunt; sed satis non video quomodò hâc repetitione error ille magis refutetur, quàm si adhibita non fuisset ; satis enim refutàsset, si tantùm dixisset : *In principio erat Verbum*, *et Verbum erat apud Deum*, *et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt.* Chrysostomus, Homil. 3, ne, quia Verbum *apud Deum*, id est, apud Patrem fuisse dixerat, aliquis putaret Patrem seniorem fuisse Filio : Theophilactus, ut doceret non fuisse umquàm Filium à Patre discordem : Hilarius, ut quod dixerat, magis magisque confirmaret. Causæ ego redditionem, aut potiùs explicationem confirmationemque esse arbitror; dixerat enim in principio fuisse Verbum, et Verbum fuisse apud Deum : reddiderat causam, quia *Deus erat Verbum,* explicat nunc causam atque confirmat : propterea ergò quòd Verbum erat Deus, *erat in principio apud Deum;* nam si Deus non fuisset, nec in principio, neque apud Deum esse potuisset. Itaque tota oratio de quâ hactenùs disputavimus, ad hunc modum resolvenda est, ut minùs insolens latinis auribus sit : Antequàm quidquam fieret, Verbum erat ; sed nondùm apparuerat, quia tantùm erat in sinu Patris; erat enim unus idemque cum Patre Deus; ideòque apud illum à principio erat.

CORNELIUS A LAPIDE.

Hoc erat in principio apud Deum. Trimembrem propositionem uno hoc membro, quasi compendio, repetit, confirmat et inculcat S. Joannes, quasi diceret : Hoc Verbum , quod dixi esse Deum, erat in principio, id est, ab æterno, apud Deum ; quia enim difficile est intelligere quomodò Verbum sit apud Deum, et tamen idem sit Deus, hinc utrumque jungit et inculcat Joannes, ut unitatem essentiæ simul et diversitatem personarum significet, ac in deitate esse trinitatem trium hypostaseon, scilicet, Patris, Filii et Spiritûs sancti, doceat; hoc enim est altissimum, obscurissimum et creditu difficillimum fidei nostræ mysterium, quod omnem hominum et Angelorum captum superat. « Quasi « ergò Arianos audiens, *ait* S. Cyrillus, non modò « inquit : *Verbum erat apud Deum,* verùm etiam : « *Deus erat :* sic quoniam apud Patrem est, inquit, « per seipsum subsistit; quoniam verò Deus est, « et ex Deo Patre, consubstantialis Patri et naturâ « Deus esse intelligitur. »

Secundam hujus repetitionis causam dat Maldonatus suprà.

Tertiam dat S. Hilarius, Libro 2 de Trinitate, ne quis ex eo quòd dixit Verbum esse Deum, idemque esse apud Deum, suspicetur duos esse deos, scilicet unum qui sit Verbum, alterum apud quem sit Verbum, sicut Manichæi duo posuerunt rerum principia, sive duos deos, unum qui sit creator corporum et rerum corporalium, alterum qui sit creator Angelorum et rerum spiritualium. Dicit ergò Joannes Verbum ità esse apud Deum Patrem, ut idem cum Patre sit Deus, quia apud Patrem est tamquàm Verbum, cum eo in eàdem deitate conjunctum, imò unum idemque, sed hypostasi et personâ ab eo distinctum.

CORNELIUS JANSENIUS.

Explicatâ Verbi æternitate, nunc ad opera ejus tàm creanda quàm restauranda pergit S. Joannes.

3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Compendio exprimit quidquid Moyses fusè initio Genesis deduxerat, quia ad opus redemptionis, Novo Testamento proprium, festinabat : *omnia* igitur, id est, ut explicat Paulus, *universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia* [1], nullo penitùs extra Deum excepto ; cùm enim dicit *omnia*, sine dubio præter eum *qui subjecit ei omnia* [2], sicut idem Apostolus argumentatur ; *per ipsum* verò facta seu creata sunt, non ut per ministrum, per organum, per instrumentum, sicut Ariani senserunt ; sed per efficacissimum, omnipotens, et coæternum Patri Verbum, quo Deus Pater dixit : *Fiat, et factum est ;* cùm enim verbum nonnisi à dicente sit, significatur tantùm per istud, *Per*, potestatem faciendi, sicut et ipsam essentiam, Filio à Patre communicatam, sed ab æterno. Non enim putandum est, cùm in Genesi scribitur : *Dixit Deus : Fiat lux*, etc. [3], temporalem aliquem sonum aut dictionem, aut jussionem significari, sed denotatur æternus conceptus, seu Verbum Patris de universis condendis, cujus effectus temporalis tunc effluxit, quandò fieri debuit, in illo Verbo continetur. Æternum quippè est hoc ipsum in Verbo Dei, quandò fieri aliquid debeat, ut Augustinus ait Libro 1 de Genesi ad Litt., cap. 2. Porrò ex hoc quòd per Ver-

[1] *Coloss.* I, 16. — [2] I *Cor.* XV, 27. — [3] *Gen.* I, 3.

bum omnia dicuntur facta, rectè colligitur ipsum Verbum non esse factum, sicut colligunt ferè veteres adversùs Arianos, Augustinus, Tract. 1 in Joan., Cyrillus, Libro 1 in Joan., c. 5, et alii; sicut enim seipso non potest esse prius, ità nec per seipsum fieri. Ut autem de omnibus cæteris creatis nulla fieret cavillatio per exceptiones, aut commodas distributiones, id quod affirmativè dixerat, generalissimè exprimit negativè : *Et sine ipso factum est nihil*, neque corporalium, neque spiritualium. Quo jugulantur Platonici et Manichæi : illi, quia corporalia per deos minores, id est, per Angelos : hi, quia mundum corporeum per principium malum factum sentiebant, contra quos Augustinus, tùm Tract. 1 in Joannem, tùm Lib. 12 de Civitate, c. 20. Porrò illud *sine*, quamdam concomitantiam significat, ut alia intelligatur persona socia, nempè Pater, ut Hilarius : quasi diceret : Sine eo à Patre nihil factum est. *Quod factum est.* Jungendum est præcedentibus, sicut jungit Gregorius Nazianzenus, Orat. 5 de Theologià, Hieronymus diversis locis, Chrysostomus et alii. Itaque tamquàm explicationis ergò adjectum est, ut faciliùs intelligeres quænam per ipsum facta censeantur, nempè omnia quæ facta sunt ; sic enim nulla difficultas est in excludendo ab eâ generalitate Patrem et Filium, et præcipuè Spiritum sanctum, itemque peccatum. Illi namque non sunt facti, qui æterni : hoc non fit, quia fieri nequit, utpotè defectus ab eo quod est. Augustinus tamen, Cyrillus in Joannem, Athanasius aliique multi veteres jungunt sequentibus, hoc modo : *Quod factum est, in ipso vita erat :* quod Augustinus sic exponit Tractatu 1 in Joannem et Lib. 5 de Genesi ad Litt., c. 14 : « Res creatæ erant vita, antequàm fierent, « non in seipsis, sed in Verbo, seu in Sapientiâ « Dei, tamquàm in arte vivente, quâ factæ sunt. » Porrò quomodò hoc exordio Joannis interficiantur plurimæ hæreses, Ariana, Sabelliana, Photiniana, Eunomiana, Manichæa, vide Ambrosium, Libro 1 de Fide, cap. 5.

JOANNES MALDONATUS.

Omnia per ipsum facta sunt. Plerique Auctores putant voluisse Joannem his verbis Christi divinitatem confirmare, docendo eum omnium rerum Creatorem fuisse; Leontius verò, docere voluisse Verbum è numero creaturarum non esse; illud enim in principio fuisse; has verò omnes in principio non fuisse : quin per illud ipsum Verbum principium accepisse. Confirmatur quidem divinitas Christi; et si probata antè non esset, his verbis apertissimè probaretur; sed aliud mihi fuisse videtur Evangelistæ consilium : scribebat historiam Christi : sequitur ordinem temporum, agit priùs de illo quà Deus, deindè quà homo est; et de eo quidem quà Deus, primùm de ejus statu antequàm mundus fieret, deindè quid in ipsâ mundi egerit conditione : *Omnia per ipsum facta sunt :* quod etiam Alcuinus annotavit. Sententia facilis est atque perspicua, *omnia per Filium facta esse.* Itaque rectè, Homil. 4, Chrysostomus observavit plùs uno verbo Joannem, quàm Moysen pluribus dixisse; nam Moysen, cùm longâ oratione rerum conditionem exposuisset, nonnisi res corporeas complexum esse, nec eas quidem singulas, sed quæ præcipuæ erant, cœlum, terram, aquas, solem, lunam, animalia terrestria, aquatilia, volatilia; de aliis quæ innumera sunt, de Angelis qui corpora non habent, nullam fecisse mentionem ; Joannem uno verbo omnia omninò comprehendisse : *Omnia per ipsum factà sunt*, « quæcumque facta sunt « in creaturis, *inquit* Augustinus, Tractatu 1 in « Joannem, omnia omninò quæ fixa in cœlo sunt, « quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, et « quæ moventur in universâ naturâ rerum, omnis « omninò creatura, dicam planiùs, dicam, fratres, « ut intelligatis, ab Angelo usquè ad vermiculum.» Et alio loco ejusdem Tractatûs : « Exeat, *inquit*, « nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat quia « Verbum Dei factum est. Quomodò potest fieri, « ut Verbum Dei factum sit, quandò Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum « est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc « dicis, quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est illud, illud ipsum dico ego unicum Filium Dei; si autem non dicis Verbum Verbi, « concede non factum, per quod facta sunt omnia; non enim per seipsum fieri potuit, per quod « facta sunt omnia. » Tribus etiam modis Ariani hunc locum eludere conabantur. Primùm quidem dicebant, ut superioribus verbis Augustinus indicat, ab omnibus quæ per Verbum facta esse dicuntur, Verbum ipsum excipi, quòd non per seipsum, sed per Patrem factum fuisset. Poterant exemplis Scripturæ confirmare; nam cùm Christus dicit : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ* [1], utiquè seipsum non comprehendit, non quòd non ex muliere, sed ex Virgine, natus sit; sed quòd ità loqui soleamus, ut, cùm aliquid universè de hominibus dicimus, et nos ipsos, et eos quibuscum loquimur comprehendi nolimus. Nemo me magis amat, quàm ille, aut ille, utiquè præter meipsum; nam ego quidem me magis amo. Dixit coram Apostolis Christus : *Non inveni tantam fidem in Israel* [2]. Quis credat Apostolos non majorem quàm Centurionem illum fidem habuisse? At ista urbanitas hic non habet locum ; primùm, quia jàm antè Joannes dixerat Verbum non fuisse factum, sed sempiternum : *In principio erat Ver-*

[1] *Matth.* XI, 11 *et Luc.* VII, 28. — [2] *Matth.* VIII, 10 *et Luc.* VII, 9

bum, atque adeò verum esse Deum : deindè, quia postquàm dixit : *Omnia per ipsum facta sunt*, addidit : *Et sine ipso factum est nihil;* nec hoc contentus verbo, addidit aliud : *Quod factum est*, quasi eam ipsam Arianorum exceptionem excludere voluerit, ac dicere nihil omninò nullâque exceptâ re factum fuisse quod sine ipso factum fuerit. Secundo loco dicebant omnia per Filium Dei facta esse, non tamquàm per dominum, non tamquàm per artificem et magistrum, sed tamquàm per servum et discipulum, qui facientem imitaretur Patrem, ut auctores sunt Athanasius, Sermone 3 contra Arianos; Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 in Joannem, c. 5, et Libro 5 Thesauri de sanctâ et consubstantiali Trinitate, c. 3, et Idacius in Libro de Trinitate contra Varimadum, c. 11. Eam responsionem Cyrillus in Thesauro refellit ex loco illo Genesis : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[1], quæ verba non sunt superioris inferiori præcipientis, sed paris parem invitantis; atque ità ea verba intelligi debere, quasi à Patre Filio dicta fuerint, in Concilio Syrmiensi definitum est, c. 13, ut refert in Libro de Synodis Hilarius. Prætereà, si homo ad imaginem simul Patris ac Filii factus est, eadem Patris et Filii imago est, eadem ergò natura. Probat etiam duabus id Cyrillus rationibus. Altera est : « Si Filius, *inquit*, artem « aliquandò creandi didicisset, posset et aliquandò « ejus oblivisci : quod absurdum profectò dictu « sit. » Altera : « Creare non esse artis, sed pote- « statis; artem enim in subjectâ aliquâ materiâ ne- « cessariò versari : creationem materiam non ha- « bere, quia et ipsa materia creata est. » Ità eodem loco docet, et Libro 2 contra Julianum, et Libro quo testimonia colligit ad probandam Spiritûs sancti divinitatem. Deniquè Ariani respondebant ad hunc locum, Evangelistam non dixisse omnia à Verbo, sed per Verbum facta esse; hoc autem inter eas præpositiones duas *à* et *per* esse discriminis, quòd *à* causam efficientem, *per* autem instrumentum significet : itaque Filium Dei non tamquàm auctorem et artificem, sed tamquàm instrumentum creâsse omnia : ideò colligi indè non posse esse Deum. Ità de Arianis scribit Athanasius in Libro de Communi Essentiâ Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti; Basilius, Libro de Spiritu sancto, c. 2-9; Chrysostomus, Homil. in Joan. 4; Theophilactus et Euthymius hoc loco. In quo errore Origenes in Commentariis ad hunc locum manifestè deprehenditur; nam, quasi Arianorum et Eunomianorum pater, apertè dicit, et præpositionem *per* numquàm principem rei quæ fit auctorem, sed ministrum significare, ut cùm verbum Dei per Prophetas factum fuisse dicitur; et Spiritum sanctum summâ impietate concedit factum esse per Filium [a]; sed de Spiritu sancto paulò post; nunc contra Arianos de præpositione διά, *per*, disputemus. Responderunt eis Auctores, quos modò citavimus, discrimen illud inter eas præpositiones non esse perpetuum; sæpè enim *per* tribui causæ efficienti atque præcipuæ, quod innumeris exemplis probari potest, ut : *Possedi hominem per Deum*[2]; et : *Per me reges regnant*[3]; et : *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*[4]; et : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus, Jesu Christi Domini nostri*[5] : et : *Vocatus per voluntatem Dei*[6]; et : *Si Filius, et hæres per Deum*[7]. Idem hoc loco Theodorus Mopsuestenus, suspectus licèt auctor, et Leontius scribunt : Τὸ διά οὐ διακονίας ἕνεκα κεῖται, ἀλλὰ συνεργίας, καὶ τὸ μηδὲν ἐφεξαιρεῖσθαι τῆς αὐτοῦ ποιήσεως, id est : *Præpositio* per, *non ministerii causâ addita est, sed cooperationis, et quòd nihil ex ejus actione subtractum sit.* Quòd autem hoc loco præpositio *per* non instrumentum, sed verum auctorem significet, optimus auctor est D. Paulus, qui in Epistolâ ad Hebræos [8], illud Psalmi : *Initio tu, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli*[9], de Christo dictum affirmat, ut Deum esse probet, sicut nos ex hoc loco probamus. Legimus aliquandò apud graves Auctores phrases quasdam, quæ Arianorum errorem sapere videantur : in eas cùm lector inciderit, potiùs in bonam partem interpretetur, quàm condemnet Auctores. Ejusmodi est quod alicubi Clemens Alexandrinus, et Tertullianus in Libro adversùs Praxeam, et Eusebius, Libro 1 Historiæ Eccles., cap. 1, dicunt, Filium in rerum creatione obsecutum fuisse Patri : quod et in Synodo Syrmiensi ità fuit prorsùs definitum, ut, qui id non confiteretur, execraretur anathemate, ut in Libro de Synodis recitat Hilarius. Quod cùm dicunt, nihil aliud docere volunt, quàm Patrem dixisse : *Faciamus mundum*, et omnes tres personas æquè fecisse, quemadmodùm in hominis creatione perspicuum est, in quâ Pater Filio et Spiritui sancto dixit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[10], ut illa eadem Synodus interpretatur. Dixit autem, non jubendo, sed consulendo, sed deliberando, sed invitando, ut Cyrillus Alexandrinus, Lib. 1 in Joan., c. 5, hoc loco docet; si enim jubendo dixisset, non dixisset : *Faciamus*, sed : Facite. Si ergò Filius, non jussu, sed hortatu et consilio Patris fecit mundum, non tamquàm servus præcepto obsequens, sed tamquàm æqualis consilio cedens fecit; consilium autem et deliberatio Patri tribuitur, non quòd

[1] *Gen.* I, 26. — [2] *Id.* IV, 1. — [3] *Prov.* VIII, 15. — [4] I *Cor.* I, 1. — [5] *Ibid.* 9. — [6] II *Cor.* I, 1. — [7] *Galat.* IV, 7. — [8] *Hebr.* I, 10. — [9] *Psalm.* CI, 26. — [10] *Gen.* I, 26. — [a] Vide infrà interpretationem Origenis, ad hæc verba, cum Notis quæ ei subjacent.

Filius et Spiritus sanctus ejus consilii fuerint expertes, sed quòd Patri veluti seni consultandi decernendique auctoritas adscribatur. Hunc Synodi esse sensum ex eo perspicuum est, quòd id non pro Arianis, sed contra Arianos definiret, ut doceret Filium verè Deum esse, qui verè Creator esset. Quòd si dicere voluisset Filium propriè obsecutum fuisse Patri, non probâsset esse Deum; sed potiùs esse servum; neque Catholicorum, sed Arianorum egisset causam. Una hìc quæstio reliqua est: Si præpositio *per* hoc loco non significat instrumentalem causam, cur Evangelista non potiùs dixit: *Omnia* ab ipso, quàm *per ipsum facta sunt*, et omnes Arianorum cavillationes præcidisset? Sunt qui nullo certo consilio fecisse putent, eàdem facilitate dicturum: *Ab ipso*, si ea illi priùs præpositio occurrisset. Non facilè mihi probaverint. Alii contrà adeò de industriâ factum existimant, ut dixerit: *Per ipsum*, et non: *Ab ipso*, ut nimis mihi ad Arianorum errorem inclinare videantur. Dicunt voluisse eâ præpositione indicare Joannem, Patrem per Filium tamquàm per verbum suum fecisse omnia: itaque non docere Filium omnia fecisse, sed esse verbum illud quo Pater *dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt*[1]. Nolim equidem ità loqui. Alii causam hanc afferunt, quòd Verbum quasi idea sit Patris, et forma, atque exemplar quo fecerit mundum, et præpositio *per* formam aliquandò significet, ut cùm ignem dicimus per calorem calefacere, architectum per artem fabricare: quo sensu videtur etiam Cyrillus Alexandrinus interpretari mnia per Filium facta esse, quia Patris sapientia est. Simplicem facilemque rationem esse arbitror, ideò dixisse *per*, quia de Verbo loquebatur, cui nomini meliùs *per* quàm *à* præpositio conveniebat; si enim vocasset Filium, dixisset fortassè: Omnia *ab ipso* facta sunt; sed quia Verbum appellaverat, aptiùs dixit *per ipsum*, et nullâ imminutione sententiæ. Nihil est satis cautum, nihil satis munitum hæreticis. Hoc etiam loco Macedoniani abutebantur, ut Spiritum sanctum creaturam esse probarent, cui errori Origenem affinem fuisse suprà docuimus: Auctores sunt Epiphanius in Anchoratu; Ambrosius, Libro 1 de Spiritu sancto, cap. 2; Theodoretus, in Historiâ Ecclesiasticâ et in Commentariis in cap. 6 primæ Epistolæ ad Timotheum; Gregorius Nazianzenus, in Oratione de Spiritu sancto, et Elias Cretensis eodem loco: idemque Cyrillus, Chrysostomus, et Theophilactus indicant; argumentari enim solitos Macedonianos: Si omnia per Filium facta fuerant, et Spiritum sanctum per ipsum factum fuisse. Hic error sequentibus proximè verbis: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est,* ut Chrysostomus et Theophilactus observàrunt, refutatur; omnia enim per ipsum facta sunt, quæ facta sunt: itaque probare priùs oportebat Spiritum sanctum factum esse, quàm probarent per Filium factum esse, ut Gregorius Nazianzenus illis respondet; nam, si quidquid omninò præter Filium est, per ipsum factum est, et Pater per ipsum factus fuerit: quemadmodùm igitur ex hoc loco non sequitur Patrem per Filium factum fuisse; ità Spiritum sanctum factum fuisse non sequitur.

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Major hìc est de lectione quæstio, quàm de sententiâ. Quò magis eos miror qui de variis lectionibus libros integros ediderunt, tàm parùm diligentiæ in hunc locum adhibuisse. Tres apud graves Auctores lectiones invenio. Prima est quam quotidiano sequimur usu, ut post illud *nihil,* sententia puncto claudatur, deindè sequatur alia: *Quod factum est, in ipso vita erat:* quæ lectio Augustino in primis, deindè Latinis omnibus solet tribui; ac D. quidem Augustino non immeritò; ità enim ubique legit; omnibus non satis meritò; multi enim Latini, ut paulò post dicemus, aliter legunt: legunt quidem cum Augustino Beda, et eo multò antiquior Interpres Irenæi, Libro 3, c. 8 et 11, et Libro 5, c. 18; Tertullianus, Libro contra Hermogenem; Marius Victorinus, Libro 1 et 3 adversùs Arium, Gaudentius, Tractatu 8 in Exodum, et, ut videtur, Cyprianus, Libro 2 contra Judæos; et inter Græcos, Origenes et Cyrillus in Commentariis hujus loci, et Clemens Alexandrinus in Pædagogo, c. 6 et 9, et Libro 6 Stromatum: quam lectionem Ambrosius, Libro 3 de Fide, c. 3; Chrysostomus, Homil. 4; Epiphanius in Anchoratu; Theophilactus et Euthymius hæreticis tribuunt, nempè Eunomianis et Macedonianis, cùm ipse eam sequatur, Libro 1 Hexaemeron, cap. 4 et Psalm. 36. Atque indè ego istam quam nunc habemus lectionum varietatem, natam esse arbitror, quòd, cùm illustrissimo loco hæretici premerentur, variis, ut solent, lectionibus, variis interpretationibus corrumpere conarentur. Alii legebant ità ut usquè ad pronomen *ipso*, punctum non ponerent, hoc modo: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*. Deindè novâ inchoatâ sententiâ legebant: *Vita erat, et vita erat lux hominum,* quemadmodùm Epiphanius legendum esse contendit, eodemque modo legisse videtur Hilarius, Libro 2 de Trinitate. Atque eam lectionem Ambrosius, Libro 3 de Fide, c. 3, et Augustinus, Libro 5 de Genesi ad Litter., c. 14, Manichæis tribuunt. Sed quæ illis lectio maximè placuit, ea mihi maximè displicet; quem enim habebit sensum: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso,* id est, per ipsum? sic enim necessariò erat interpretan-

[1] *Psalm.* CXLVIII, 5.

dum. Quæ absurda profectò ταυτολογία est; ecquis enim dubitare poterat, quin nihil eorum quæ per ipsum facta fuerant, sine ipso factum fuisset? Media solent esse meliora : itaque mediam maximè lectionem probo, ut post illud, *quod factum est*, sententia finiatur, deindè inchoetur nova : *In ipso vita erat*, quemadmodùm Græci ferè omnes legunt, Chrysostomus, Theophilactus, Nonnus poëta, Theodorus Mopsuestenus, Leontius, Euthymius, Elias Cretensis in Commentariis in Orationem Gregorii Nazianzeni de Spiritu sancto; et ex Latinis, Ambrosius, Libro 3 de Fide, c. 3, et Hieronymus in Commentariis in Isaiam, c. 11 et 44 : quam Ambrosius, in Enarratione Psalmi 36, Ægyptiorum et Alexandrinorum lectionem vocat. Hanc, inquam, ego lectionem magis probo, et quia sensum meliorem et faciliorem habet, et quia aliæ vix mihi videntur satis convenientem et tolerabilem habere posse; nam illa quidem D. Augustini, quæ post hanc, judice etiam Ambrosio, probabilissima est, ægrè, ut pòst apparebit, interpretationem admittit. Nec eam tàm multi Latini, quàm videntur, secuti sunt; non enim quia hæc tantùm verba citare solent : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, continuò putandum est ibi eos punctum finitæ sententiæ posuisse, sed ea tantùm protulisse verba, quæ ad probandum id quod agebant, satis erant : quod nos etiam sæpè facere solemus. Certum indicium, quòd Ambrosius qui, Libro 3 de Fide, c. 3, *sine ipso factum est nihil, quod factum est*, legendum esse affirmat, aliquandò nonnisi hæc legat verba : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, ut Sermone 20 in Psalmum 118; et, quod magis mirum est, Hilarius qui, ut diximus, legendum esse dicit : *Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*, sæpè, Libro eodem de Trinitate 2, nonnisi hæc verba citat : *Omnia per ipsum facta sunt :* Aliquandò hæc sola : *Sine ipso factum est nihil.* Nunc quærenda sententia, eâ constitutâ lectione, facilis est : *Omnia per ipsum facta esse*, nihilque omninò esse eorum quæ facta sunt, quod *sine ipso*, id est, non per ipsum factum sit, ut Ambrosius, Libro 3 de Fide, c. 3; Hieronymus in Commentariis in cap. 2 Michææ; Chrysostomus, Theophilactus, Leontius, Theodorus Mopsuestenus et Euthymius exponunt. Verba hîc Theodori Mopsuesteni juvat ponere, quia, cùm in quintâ Constantinopolitanâ Synodo tamquàm malè de Christi sentiens divinitate damnatus sit, mirum quàm Catholicè hoc loco eâdem de re scribat : Ἄνευ αὐτοῦ εἶπεν, διὰ πάντων βουληθεὶς, ὅτι οὗτος ἀεὶ συνῆν τῷ Πατρὶ, ὡς ὁμούσιος τὴν φύσιν, ὡς κοινωνὸς τῆς δημιουργίας, ὡς σύνων μὲν ἀεὶ, συνεργασάμενος δὲ τὰ πάντα. Omnes aliæ interpretationes violentæ sunt, qualis illa eorum est, qui hæc verba : *Sine ipso factum est nihil*, per affirmationem legenda esse putaverunt, quasi *nihil* aliquid esset, quod sine ipso factum fuisse diceretur : quemadmodùm quosdam interpretari solitos Hieronymus tradit in cap. 2 Michææ, qui per *nihil* malitiam, per *malitiam* diabolum intelligerent, quem sine Verbo factum dicerent, non quâ Angelus, sed quâ diabolus esset. Nescio an Origenem notet; nam in Commentariis ad hunc locum aut simile quiddam videtur dicere, aut dictum ab aliis non reprobare. Similis Manichæorum interpretatio fuit, per *nihil* malum, tamquàm aliquid esset, intelligentium; atque hinc duo illa sua principia, bonorum alterum, alterum malorum, esse probantium, ut Augustinus hoc loco indicat, et Libro de Naturâ boni contra Manichæos, cap. 25, apertè dicit, eorum etiam argumentum afferens atque refellens, quòd *nihil* in fine sententiæ poneretur. Quin ipse quoque D. Augustinus per affirmationem creditur hanc sententiam exposuisse, non quòd putaverit *nihil* aliquid esse, sed quòd ipsum *nihil*, ipsam negationem quæ *per ipsum* significatur, putaverit affirmari sine Verbo factum esse : itaque hunc locum intellexerit, quasi sensus sit : Sine ipso *nihil*, id est, *peccatum* factum esse, quod nihil est; sic enim Tractatu in Joannem 1, in Epistolâ 150 et in Libro Soliloquii, c. 4 et 5, interpretatur. Sunt qui existiment non ità hunc locum intellexisse; sed tantùm ex eo collegisse contra Manichæos, qui peccatum aliquid esse dicebant, esse nihil. Operam meo quidem judicio piam, sed irritam sumunt; nam Epistolâ 150, non jàm contra Manichæos, sed contra Arianos disputans, ità prorsùs interpretatur. Fateor tamen aliquandò etiam per negationem interpretari, ut in Libro de Naturâ boni contra Manichæos, cap. 25 ubi idem esse dicit : *Sine ipso factum est nihil*, atque quod antè dixerat : *Omnia per ipsum facta sunt.* Quod quidam observârunt non dixisse Evangelistam οὐδέν, *nihil*, sed οὐδὲ ἕν, *nec unum*, non satis doctâ mihi videtur diligentiâ; idem enim est οὐδέν, *nihil*, et οὐδὲ ἕν, *nec unum*, et ex hoc illud factum est : itaque nullus Græcus, aut græcè doctus Auctor id annotavit. Hoc unum ad perfectam hujus loci explanationem deest, ut quæramus quarè Joannes istâ repetitione usus fuerit, si idem est : *Omnia per ipsum facta sunt*, et : *Sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Cyrillum et alios Auctores ad excludendum Spiritum sanctum, qui factus non est, ideòque per Verbum non fuisse factum, hoc à Joanne additum, dixisse suprà meminimus. Quæ satis probabilis est ratio. Sed aliam etiam nos possumus reddere, rem adeò fuisse gravem et necessariam, ut iterùm atque iterùm, aliis atque aliis verbis fuerit repetenda : Δὶς καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖ, id est : *Convenit, atque adeò oportet, quod pulchri et honesti speciem habet, sermone bis terve circumvolvere*, ut

ille apud Platonem Socrates in Phileb. dixit. Adde Hebræorum esse morem, ut quod semel per affirmationem dixerint, iterùm per negationem dicant : *Omnia quæ sunt in domo meá, viderunt : non fuit res quam non ostenderim eis* [1] ; et : *Omne verbum quodcumque responderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quidquam* [2]. Atque hæc fortassè causa fuit, cur Joannes non dixit οὐδέν, sed, οὐδὲ ἕν, ut modò dicebamus, quia οὐδὲ ἕν magis hebraicæ respondet phrasi.

CORNELIUS A LAPIDE.

Omnia per ipsum (Verbum) *facta sunt. Omnia*, scilicet quæ non sunt Deus, per Verbum facta, id est, creata sunt, uti mox explicat. « *Omnia*, scilicet ab Angelo usquè ad vermiculum, » ait S. Augustinus, qui et addit : « Inter dicentem Deum, et factam « creaturam, quid est per quod factum est, nisi « Verbum, per quod Deus dixit : *Fiat, et factum* « *est*, juxta illud : *Dixit, et facta sunt?* » Hoc est quod ait Apostolus : *In ipso* (Verbo sive Christo) *conditá sunt universa, in cœlis et in terrá, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* [3]; et : *Per quem fecit et sæcula* [4]; et : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [5].

Ergò ex hisce S. Joannis verbis perperàm Macedoniani negantes Spiritum sanctum esse Deum, inferebant ipsum esse factum, id est, creatum per Verbum, ac proindè ipsum esse creaturam, non Creatorem, quia τό *omnia* refert tantùm ea quæ facta, id est, creata sunt, non autem increata, qualis est Spiritus sanctus, qui idem cum Filio et Patre est Deus, et Creator omnium. Nam alioqui si generalissimè τὸ *omnia* accipias, ex eo inferes etiam Patrem esse factum, id est, creatum per Verbum, quod est absurdissimum, uti doctè contra Macedonianos docet S. Gregorius Nazianzenus, Oratione de Spiritu sancto. Verùm S. Joannes Spiritûs sancti hîc non meminit, quia Verbi dumtaxat generationem et incarnationem describit. Itaque cùm dixisset Verbum in se esse Deum, esse æternum, esse apud Patrem, id est, ὁμούσιον et æquale Patri [6], nunc declarat quomodò idem Verbum se habeat ad creationem et creaturas, asseritque omnia per ipsum esse creata [7] : undè gradatim descendit ad hominem, docetque quomodò Verbum se habuerit ad hominem, atque asseverat illud hominis carnem et naturam assumpsisse, ut eum illuminaret, redimeret, salvaret et bearet [8]. Huc enim tota hæc ejus narratio spectat et refertur.

Nota. Præpositio *per*, cùm dicitur, *per ipsum*, hîc non significat causam instrumentalem, aut ministrum, quasi Verbum fuerit instrumentum, vel minister Dei, per quod creârit omnia, uti voluerunt Origenes [a] (qui proindè nonnullis vocatur pater Arianorum), et Ariani; sed significat causam principalem, uti his Scripturæ locis : *Possedi hominem per Deum* [9]; et : *Per me reges regnant* [10]; et : *Quod si Filius, et hæres per Deum* [11]; deniquè : *Fidelis Deus, per quem vocati estis* [12]. Ecce hîc aliisque locis præpositio *per* tribuitur Deo Patri, qui est prima omnium causa. Significat ergò τὸ *per* hîc, Verbum cum Patre esse causam principalem creationis rerum omnium, ac consequenter Verbum esse omnipotens, esseque Deum. Ità S. Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius hîc, ac S. Athanasius, Basilius et alii scribentes contra Arianos. Quocircà Paulus [13] illud : *Initio tu, Domine, terram fundásti, et opera manuum tuarum sunt cœli* [14], de Verbo, sive Filio, interpretatur, « numquàm profectò id asserturus, *inquit* Chry- « sostomus, nisi Conditorem Filium, non ministrum « arbitraretur, ac Patri et Filio pares esse intelli- « geret dignitates. »

Dices : Cur ergò S. Joannes potiùs dicit per Verbum omnia esse facta, quàm à Verbo? Respondeo :

Primò, ut significet Verbum à Patre procedere, esseque genitum, « ne quis illum esse ingenitum « suspicaretur, » ait S. Chrysostomus.

Secundò, ut significet Verbum esse ideam rerum creatarum, juxta quam Pater cum Filio creavit omnia ; artifex enim omnia opera artis suæ facit per ideam, sapientiam, conceptum, sive verbum mentis suæ; hæc autem omnia appropriantur Verbo divino, sive Filio, qui est Sapientia genita, sed increata, et per consequens appropriatur ei, quòd per ipsum omnia sint facta. Ità S. Cyrillus.

Tertiò, propriè dicit per Verbum omnia esse facta, quia Verbum à Patre accipit cum essentiâ divinâ omnipotentiam et actionem eamdem numero, quâ simul cum Patre omnia creat : quarè Verbum est quasi medium inter Deum Patrem et creaturas, ac proindè rectè dicitur Patrem per ipsum, ut causam principalem à se genitam, fecisse omnia.

Et sine ipso factum est nihil. « Sine exceptione « sunt *omnia*, ait S. Hilarius, Libro 2 de Trinitate, « n. 18, et nihil quod extra sit derelinquitur. » Rursùm τὸ *sine ipso*, notat Verbum fuisse socium Patri in rerum creatione. Undè S. Hilarius, loco suprà citato, S. Joannem alloquens : « Piscator, *inquit*, « reddidisti auctorem, cùm socium professus es. »

Factum est nihil, nihil, id est, malum, putà, res corruptibiles, « quæ assiduè tendunt in nihilum,

[1] *Isai.* XXXIX, 4.— [2] *Jerem.* XLII, 4.— [3] *Coloss.* I, 16.— [4] *Hebr.* I, 2.— [5] *Psalm.* XXXII, 6.— [6] *Joan.* I, 1 *et* 2.— [7] *Id.* I, 3.— [8] *Ibid.* 9 *et seqq.* — [9] *Gen.* IV, 1. — [10] *Prov.* VIII, 15. — [11] *Galat.* IV, 7. — [12] 1 *Cor.* I, 9. — [13] *Hebr.* I, 10. — [14] *Psalm.* CI, 26.

[a] Vide interpretationem Origenis, infrà, ad hunc locum, cum Notâ quæ ei subjacet.

« ex quo prodierunt, *inquiebant* Manichæi ; » hi enim censebant res corporales et corruptibiles non esse creatas à Deo et Verbo, sed à dæmone vel deo malo esse conditas. Ridet hoc S. Augustinus, Libro de Naturâ boni contra Manichæos, cap. 25; ac futile falsumque hoc esse liquet ex græco, qui pro *nihil* habet οὐδὲἕν, id est, *neque unum;* Syrus, *etiam non unum*, quasi diceret : Ne unum quidem factum est sine Verbo, sed omnia omninò, usquè ad unum et ultimum, per illud creata sunt. Undè Arabicus clarè vertit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso non fuit quidquam eorum quæ facta sunt.*

Secundò, S. Augustinus per *nihil* accipit peccatum, quasi diceret : Omnes res creatæ sunt per Verbum, excepto nihilo, id est, peccato, cujus auctor est diabolus et mala voluntas, non Deus, nec Verbum. Sicut enim malum non est ens, sed privatio entis et boni; sic pariter peccàtum est privatio rectitudinis et bonitatis, quæ operi inesse debet ; ac consequenter peccatum est quasi nihil. Verùm hoc subtilius est quàm solidius, ac coactius quàm germanius, teste S. Hieronymo in cap. 2 Michææ, atque refellitur ex græco οὐδ'ἕν, *neque unum*, et ex eo quod sequitur : *Quod factum est;* hoc enim tantùmdem valet, ac si dicas : *Nihil*, id est, nulla res quæ facta est, facta est sine Verbo, sed omnes omninò per illud factæ et creatæ sunt; hic enim sensus est planus et genuinus.

Quod factum est. Triplex est hìc dispunctio; et consequenter triplex lectio et intellectio, triplexque sensus.

Prima est : *Sine ipso factum est nihil*, *quod factum est in ipso;* ac deindè ponitur punctum, post quod nova sententia sequitur : *Vita erat*, *et vita erat lux hominum*, etc. Ità dispungunt leguntque S. Hilarius, Libro 2 de Trinitate, S. Epiphanius in Anchoratu, et alii nonnulli. Verùm hæc lectio passim ab aliis rejicitur; videtur enim ineptam continere tautologiam, cùm ait : *Sine ipso*, et mox : *In ipso.*

Secunda lectio est : *Sine ipso factum est nihil :* deindè punctum, post quod nova sequitur sententia : *Quod factum est in ipso*, *vita erat.* Ità dispungunt leguntque S. Augustinus, Tertullianus, Lib. contra Hermogenem, S. Ambrosius, Libro 3 de Fide, cap. 3, et passim Latini; atque è Græcis, Clemens Alexandrinus, Libro 1 Pædagog., cap. 6, et S. Cyrillus hìc : quod S. Augustinus sic explicat, quasi diceret : Omnis res facta et creata per Verbum, antequàm fieret et crearetur, erat in ipso Verbo vitaliter et intellectualiter; erat enim in ideis et rationibus æternis, quæ vivunt in Verbo : erat ergò vita, id est, vivebat in mente et ideâ Verbi. Aliter explicat S. Cyrillus, quasi diceret : Omnis res facta erat vita in Verbo, id est : vitam, hoc est, vigorem et essentiæ suæ conservationem accepit, et continuò accipit à Verbo, quamdiù est et existit.

Tertia lectio communis est Syrorum, Arabicorum et Græcorum, S. Chrysostomi, Theophilacti, Nonni, Euthymii et Leontii in Catenâ : *Sine ipso factum est nihil*, *quod factum est :* deindè punctum : mox nona incipit sententia : *In ipso vita erat.* Hæc lectio est planissima : quocircà eam sequuntur Biblia Romæ correcta, aliaque Latina perplura; sensus enim planus est, quasi diceret : Nihil quod factum est, sine Verbo factum est, sed omnes res factæ à Verbo factæ sunt.

Addit hoc contra Macedonianos argutantes : Si omnia per Verbum facta, id est, creata sunt, ergò et Spiritus sanctus per Verbum factus, id est, creatus est; ac consequenter Spiritus sanctus est creatura. Excludit enim hoc Joannes, addens τὸ *quod factum est,* quasi diceret : Cùm dico omnia per Verbum esse facta, non intelligo Spiritum sanctum, sed tantùm ea quæ facta et creata sunt. Ergò τὸ *quod factum est*, limitat et determinat τὸ *nihil*, quasi diceret : Nihil quod factum est, sine Verbo factum est : nulla res quæ creata, sine Verbo creata est, sed omnia per Verbum producta sunt.

CORNELIUS JANSENIUS.

4. *In ipso*, scilicet Verbo, *vita erat :* quod Chrysostomus et Cyrillus videntur causaliter intelligere, respectu vitæ naturalis creaturarum, quam causat creando et gubernando ; recentiores verò plerique respectu vitæ spiritualis et æternæ, quam attulit hominibus. Rectiùs Augustinus, Tractatu in Joannem et aliis multis locis, exponit hunc et sequentem adhuc versum de vitâ essentiali Verbi Dei. *In principio* ergò *vita erat,* quia ipsemet vita erat, sicut infrà dicit : *Ego sum vita* [1], quia est ipsa scilicet æterna et vivens Sapientia et Veritas. Nec refert quòd *in ipso* esse dicatur; sic enim infrà dicit : *Sicut Pater habet vitàm in semetipso* [2], quia ipse est vita sua, ut Augustinus notat, Libro 5 de Genesi ad Litt., cap. 14. *Et vita*, illa eadem divina Sapientia, *erat lux*, non quorumcumque animalium, sed, *hominum*, quia ad imaginem Dei facti rationalem habent mentem, quâ possunt videre sapientiam Dei æternamque veritatem. Ità Augustinus, Tractatu 1 in Joan. Hanc enim lucem æternæ sapientiæ vidit, quisquis æternam Dei legem vidit, ex quâ sapienter vivendo vitam suam format. Quia verò stulta hominum corda, quæ peccatis terrenisque desideriis aggravata lucem illam videre non possunt, putare possent lucem illam sibi absentem esse, addit : *Et lux in tenebris lucet*, etc.

[1] *Joan.* XIV, 6. — [2] *Id.*, V., 26.

JOANNES MALDONATUS.

In ipso vita erat. Varietas illa lectionum, de quâ superiore versu disputavimus, varias etiam hujus loci interpretationes peperit. Qui legebant : *Quod factum est in ipso, vita erat,* distinctiunculâ post *ipso* adhibitâ, non eodem modo intelligebant. Manichæi quidem exponebant : *Quod factum est in ipso,* id est, per ipsum, *vita erat,* id est, vivebat, quasi aliquid esset quod vitâ careret, quod factum quidem fuisset, sed non per ipsum factum esset, ut indicat Augustinus, Libro 5 de Genesi ad Litter., cap. 14, et disertis verbis scribit Ambrosius, Libro 3 de Fide, cap. 3 : « Objiciunt, *inquit,* Manichæi : Si quod in ipso factum est, vita est, est « ergò aliquid quod in ipso factum non sit, et mors « sit, ut duo impiè inducant principia. » Hilarius verò, si benè difficilem Auctorem intelligo, Libro 2 de Trinitate, videtur exponere : *Quod factum est in ipso :* id est, Verbum ipsum, quod per se exstitit, nec ab alio factum est, *vita erat :* vivens, non mortuus natus est. Eunomiani et Macedoniani, ut suprà ex Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, Theodoreto, Chrysostomo et aliis Auctoribus ostendimus, exponebant : *Quod factum est in ipso,* id est, Spiritus sanctus, qui per ipsum factus est, *vita erat.* Ità ad suum quisque errorem ingeniosè verba torquebat. Qui verò legebant : *Quod factum est,* deindè positâ virgulâ, *in ipso vita erat,* diversis etiam rationibus explicabant. Alii : *Quod factum est, in ipso vita erat,* tamquàm diceret : In eo quod factum est, vita erat. Ità Cyrillus Alexandrinus. Quod coactum videtur esse, et ad Manichæorum alludere sententiam, qui et omnia quæ videmus, vivere dicebant, et aliquid esse præter ea, quod non viveret, quod à Verbo non esset factum. Alii : *Quod factum est, in ipso vita erat,* id est, non quidem in se, sed in ipso Verbo vitam habebat, ut pronomen *ipso* non ad *quod factum est,* sed ad *Verbum* referatur, de quo dictum fuerat : *Omnia per ipsum facta sunt.* Quod ità explicant, res omnes, antequàm fierent, non in se, sed in Deo fuisse, sicut domus, antequàm ædificetur, non in se, sed in mente artificis est; et, quia quidquid in Deo est, et Deus et vita est, ideò res omnes in Deo vitam fuisse. Sic Augustinus interpretatur, Libro 5 de Genesi ad Litter., cap 14, et Tractatu in Joan. 1, et Beda, Rupertus et alii posteriores Auctores exponunt. Sed quia aliam magis lectionem approbavimus, quâ novæ hinc sententiæ sumatur initium : *In ipso vita erat,* alius sensus ad eam accommodatus quærendus est. Hactenùs certus est sensus, significari his verbis *in ipso,* id est, in Verbo, vitam fuisse; sed quomodò vita in illo fuisse dicatur, id quæritur. Quidam sic intelligunt, ut idem sit : *In ipso vita erat,* et : *Ipsum vita erat; vivus est* enim *sermo Dei* [1], ut Ambrosius loquitur in Enarratione Psalmi 36. Id quidem verum est; nam Verbum de seipso posteà dicit : *Ego sum via, veritas, et vita* [2]; sed quominùs credam hoc Joannem dicere voluisse multa me movent. Primùm, quòd id erat dictu supervacaneum, cùm proximis dixisset verbis Verbum illud fuisse Deum; cui enim dubium esse poterat vitam, id est, vivum esse, si Deus erat? Deindè, quòd de vitâ, sicut et de luce hominum loqui videatur : *Et vita,* inquit, *erat lux hominum.* Præterea, quòd vix mihi persuadere possim dicturum fuisse Joannem : *In ipso vita erat,* si tantùm dicere voluisset vitam habuisse, aut fuisse vivum; dixisset enim rectè : *Ipsum vita erat.* Quibus etiam adductus rationibus, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Theophilacti, Euthymii interpretationem non probo, qui hoc de omnium rerum conservatione intelligendum esse putant, quasi vitam Joannes appellet vigorem illum, quem Verbum rebus omnibus imprimit, dùm eas conservat atque gubernat : *Portat enim omnia verbo virtutis suæ* [3]; et : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus* [4]; et : *Pater,* inquit, *usquè modò operatur, et ego operor* [5]; propriè enim de hominibus loquitur : *Et vita erat lux hominum.* Eâdemque ratione, aliis recentioribus Interpretibus non assentior, vitam naturalem, quam res animatæ vivunt, intelligentibus, quasi diceret Evangelista : Omnia quæ vivunt, ex Verbo illo per quod omnia facta sunt, vitam hauriunt; quorsùm enim id dixisset? «Egerat, *inquiunt,* de primo rerum « genere, quæ esse sine vitâ habent : agit nunc de « viventibus : pòst, de homine, qui præter essen- « tiam et vitam, etiam rationem habet. » Probabilis conjectura, si Aristotelem interpretaremur; nunc autem Joannem Evangelistam et piscatorem interpretamur, non Aristotelico, sed divino spiritu loquentem. Verum ego sensum esse arbitror, ut de vitâ spirituali hominum loquatur Joannes; egerat enim de Verbo ipso per se, ubi fuisset, et quid esset : agit nunc de ejus ad nos adventu, et, ut ità dicam, profectione, deque ejus causis cur non semper mansisset apud Deum, quandò meliore conditione ac loco esse non posset : docet propterea venisse, ut vitam et lucem hominibus afferret, quæ in illo erant solo : posteà agit de ejus ad nos perventione : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Hoc ex adjunctis manifestum est, ut modò dicebamus; agit enim de homine solo : *Et vita erat lux hominum.* Itaque significat Joannes Filium Dei profectum quodammodò fuisse à sinu Patris, et, ut loquitur D. Paulus [6], exinaniisse sese, ut vitam nobis afferret, quæ in ipso erat : quod ex altero ejusdem Joannis loco meliùs intelligemus : *Annuntiamus vobis vitam, quæ erat apud Patrem, et apparuit*

[1] *Hebr.* IV, 12. — [2] *Joan.* XIV, 6. — [3] *Hebr.* I, 3. — [4] *Act.* XVII, 28. — [5] *Joan.* V, 17. — [6] *Philipp.* II, 7.

nobis [1]. Hoc est quod tàm sæpè Christus indicat, præsertim apud Joannem, qui vitæ vocabulo videtur delectatus, ideòque multa de *vitâ* nobis per Christum allatâ ab aliis Evangelistis prætermissa commemoràsse [2]. Hoc etiam est quod ait D. Paulus : *Cùm Christus apparuerit, vita vestra* [3], et quod Lucas Christum vocat *Auctorem vitæ* [4]. Sed optimus suî Interpres est Joannes : *Vitam æternam dedit nobis Deus*, *et hæc vita in Filio ejus. Qui habet Filium*, *habet vitam* [5]. Audis ab eodem ore aliis verbis : *In ipso vita erat?* Hanc interpretationem et Chrysostomus et Theophilactus indicàrunt; Ammonius verò Presbyter et Theodorus Mopsuestenus etiam secuti sunt, ut in Græcorum Catenâ reperi, lætus meam ab eis sententiam approbari. Atque hinc intelligitur quod quidam quærunt, et nos suprà obiter attigimus, cur Joannes non dixerit : Ipsum vita erat, sed : *In ipso vita erat.* Nempè non agebat de ipsius vitâ; sed de nostrâ, quæ in ipso erat. Erat quidem Verbum ipsum vita nostra, sicut alio loco Joannes indicat : *Annuntiamus vobis vitam*, *quæ erat apud Patrem*, *et apparuit nobis*, et D. Paulus : *Cùm Christus apparuerit*, *vita vestra;* sed quia de illâ ipsâ vitâ Joannes, non quatenùs Verbi, sed quatenùs nostra erat, loquebatur, aptiùs dixit : *In ipso vita erat*, quàm si dixisset : *Ipsum vita erat.* Quorumdam tamen observatio, priori loco nomen ζωῆς, *vitæ*, articulum non habere, posteriori autem habere, cùm dicit : *Et vita erat lux hominum,* quòd priore loco de nostrâ, posteriore de ipsius Verbi vitâ loquatur Evangelista, vera esse non potest, cùm ipsa repetitio manifestè declaret de eâ ipsâ vitâ, de quâ dictum erat : *In ipso vita erat*, dici statim : *Et vita erat lux hominum.* Nec video quid inter hanc et illam Arianorum observationem differat, de quâ versu 1 mentionem fecimus, cùm dicitur : *Et Deus erat Verbum*, Verbum non verè vocari Deum, quòd nomen Dei articulum non haberet, cùm in membro præcedenti habuisset; nam ut illic de eodem Deo, ita hìc de eâdem vitâ agi, ex ejusdem verbi repetitione et orationis gradatione perspicuum est.

Et vita erat lux hominum. Hoc omnes propemodùm Auctores de luce hominum naturali, id est, de mente atque ratione, quæ, quia nobis quid agendum, quid fugiendum sit ostendit, lux aut lumen dicitur, interpretantur : Chrysostomus, Homil. 4, Cyrillus Alexandrinus, cap. 5, Theophilactus et Rupertus. Sed, quemadmodùm diximus vitam hoc loco non naturalem, quâ mundo, sed spiritualem, quâ Deo vivimus, intelligi oportere; ità non dubito quin non naturalis, sed spiritualis lux intelligenda sit, quâ sapimus et perspicimus *ea quæ sunt spiritûs Dei* [6]; nam illam quidem naturalem jàm acceperamus, cùm *omnia per ipsum facta sunt :* hanc posteà accepimus, cùm *Verbum caro factum est*, *et habitavit in nobis;* docet enim Joannes quomodò *in ipso vita erat*, id est, quâ ratione vitam nobis contulit, nempè illuminando *omnem hominem venientem in hunc mundum*, quia *vita erat lux hominum.* Hunc esse sensum et ex iis quæ sequuntur, et ex frequenti Scripturæ consuetudine manifestum est. Addit : *Lux in tenebris lucet*, *et tenebræ eam non comprehenderunt :* non ergò de naturali loquitur luce, quam omnes homines, sed de spirituali, quam pauci comprehenderunt. Addit : *Erat lux vera*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* ubi dubium non est et de eâdem luce, et de spirituali agi. Scribit idem Joannes : *Lux venit in mundum*, *et dilexerunt homines magis tenebras*, *quàm lucem* [7]*:* haud dubiè de spirituali luce, sicut de spiritualibus tenebris agit. Dicit Christus : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me*, *non ambulat in tenebris*; *sed habebit lumen vitæ* [8]; et lucem et tenebras manifestum est spiritualiter accipi. Dicit : *Quamdiù sum in mundo*, *lux sum mundi* [9]; et : *Ambulate*, *dùm lucem habetis* [10]; et : *Dùm lucem habetis*, *credite in lucem*, *ut filii lucis sitis* [11]. Consentiunt prophetiæ, qualis illa Isaiæ : *Dedi te in lucem Gentium*, *ut sis salus mea usquè ad extremum terræ* [12]; et : *Populus qui ambulabat in tenebris*, *vidit lucem magnam :* *habitantibus in regione umbræ mortis*, *lux orta est eis* [13] *:* quod de Christo ejusque prædicatione Matthæus interpretatur [14]. Ubique lux pro spirituali hominum illustratione ponitur; ac nescio an ullum ex Scripturis sacris exemplum proferri possit, ubi lux aut lumen rationem significet naturalem : nam illud, quod unum vulgò in eam sententiam adduci solet : *Signatum est super nos lumen vultûs tui*, *Domine* [15], longè alium habet sensum. Contrà verò, tenebræ quæ luci Christi opponuntur, perpetuò pro morum pravitate et vitæ erroribus accipiuntur, à quibus nos Christus revocavit [16]. Neque nostra propriè interpretatio est; sed, ni fallor, Augustini, Tractatu in Joan. 1, Bedæ et Euthymii in Commentariis. Quarè genitivum illum *hominum* passivè accipio : *Erat lux hominum*, id est, quâ homines illuminantur.

Ex his quæ dicta sunt, multæ explicari quæstiones possunt.

[1] I *Joan.* I, 2. — [2] *Joan.* III, 16; IV, 14; V, 24, 26 *et* 40; X, 10; XIV, 6 *et* XVII, 2. — [3] *Coloss.* III, 4. — [4] *Act.* III, 15. — [5] I *Joan.* V, 11 *et* 12. — [6] *Cor.* II, 14. — [7] *Joan.* III, 19. — [8] *Id.* VIII, 12. — [9] *Id.* IX, 5. — [10] *Id.* XII, 35. — [11] *Ibid.* 36. — [12] *Isai.* XLIX, 6. — [13] *Id.* IX, 2. — [14] *Matth.* IV, 16. — [15] *Psalm.* IV, 7. — [16] *Rom.* XIII, 12; II *Cor.* VI, 14; *Ephes.* V, 8; I *Joan.* I, 5 *et* 6, *et* II, 9.

Prima est illa, quam Augustinus et Beda indicaverunt : Cur non dixerit Evangelista : Vita erat lux omnium rerum; sed : *Erat lux hominum?* Cujus rei ratio non illa mihi videtur esse, quam iidem illi Auctores reddunt, quòd in solis hominibus sit ratio capax lucis; nam et in Angelis est : itaque istâ quidem ratione hominum simul et Angelorum lucem appellâsset; sed quòd de Filii Dei ageret adventu, qui non aliarum rerum, non Angelorum, sed hominum causâ venit, eaque explicaret dona, quæ ipsis veniens attulisset, vitam nimirùm et lucem.

Altera est, quam Chrysostomus et Theophilactus excitant : Quamobrem Evangelista non dixerit : Vita erat lux Judæorum, sed *lux hominum?* Facilis solutio, quam et illi adhibent, quia non Judæorum tantùm, sed omnium omninò hominum causâ venerat, sicut paulò pòst universè dixit : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Eâdemque ratione ad illam alteram respondere possumus, quam quidam inferunt : Quarè non dixerit : Vita erat lux Angelorum? Nec mihi Origenis et aliorum quorumdam Auctorum opinio probari potest, qui putant hoc loco Angelos non excludi, sed eorum etiam lucem esse Verbum ; est enimverò Filius Dei etiam Angelorum lux; sed id, meo quidem judicio, Joannes hoc loco non significavit; nec enim id agebat.

Duplex mihi quæstio et difficilior, et magis ad intellectum hujus loci necessaria, videtur esse ab Interpretibus prætermissa.

Altera : quorsùm Joannes dixerit : *Et vita erat lux hominum?* quid enim vitæ cum luce? aut quomodò vitæ et lucis verba cohærent? Solet Scriptura vitam lucem, mortem tenebras appellare, quia, dùm vivimus, lucem cernimus : mortui, lucem non videmus; sed, ut Scriptura loquitur, habitamus *in tenebris et umbrâ mortis* [1]. Ea metaphora quæ à corporali luce ad corporalem vitam significandam sumpta fuerat, ad spiritualem lucem ac tenebras translata est. Voluit ergò docere Joannes quâ in re vita illa consisteret, quam in Verbo esse dixerat, nempè in luce, id est, in hominum illuminatione : propterea addidit : *Et vita erat lux hominum.* Itaque, si articulus græcus additus nomini ζωῆς, *vitæ*, non repugnaret, non dubitarem dicere lucem esse *subjectum*, vitam *prædicatum*, ut esset sensus : Lux, hominum illuminatio, erat ipsorum vita; sed verba Evangelistam transposuisse, ut gradationem illam quâ uti cœperat, retineret. Cæterùm sententiæ nihil interest.

Altera : quorsùm hoc ipsum Joannes dicat, cùm nondùm dixerit : *Et Verbum caro factum est?* Quo etiam consilio de beneficiis disserit, quæ Verbum in homines contulit; et quomodò ea homines recipere noluerint, cùm de ipso per se agat Verbo, antequàm caro fieret, et lux hominum esset? Credo ego occasione abreptum Joannem longâ anticipatione usum esse. Volebat, ut suprà indicavimus, causam exponere, quamobrem caro factum esset, quòd in illo Pater vitam lucemque hominum constituisset : itaque, nisi caro factum esset, nemo hominum vivere, nemo divinam illam lucem, quam nobis attulit, recipere potuisset. Hàc occasione, anticipatâ paululùm oratione docere cœpit quàm protervi et ingrati erga illum qui hanc ipsam illis lucem afferebat, homines fuissent. Pertinebat etiam hæc anticipatio ad confirmandum id quod agebat; potuit enim aliquis objicere non fuisse Verbum naturâ suâ vitam et lucem, quandoquidem multi post ejus adventum homines in tenebris adhuc et morte mansissent. Antevertit objectionem Evangelista, id non Verbi, sed hominum culpâ factum esse, qui vitam lucemque oblatam sibi recipere noluerunt, tamquàm dicat : Etsi multi, adveniente Verbo, non revixerunt, etsi multi illuminati non sunt, tamen *in ipso vita erat, et vita erat lux hominum.*

CORNELIUS A LAPIDE.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Triplex est vita : divina, angelica, humana. Divina est perfectissima, immensa, æterna, increata, origo et fons vitæ angelicæ et humanæ. Angelica est creata, sed spiritalis. Humana partim est spiritalis, partim corporea; estque duplex : naturalis et supernaturalis. Naturalis rursùm est triplex : vegetativa, sensitiva, et rationalis. Supernaturalis est duplex : inchoata per gratiam, quâ homo justus per fidem, spem et charitatem servit Deo, vivitque vitam supernaturalem, in Deum supernaturaliter credendo, sperando, eumque super omnia amando : altera vita supernaturalis est consummata per gloriam, quâ beati Deo fruuntur, deliciantur et beantur in æternum. Porrò divina vita est duplex : formalis et causalis. Formalis est quâ Deus in seipso vivit vitam divinam, increatam, summè immortalem, sanctam, jucundam, perfectam, beatam et æternam. Causalis est duplex : naturalis et supernaturalis. Naturalis quæ causat vitam naturalem omnium plantarum, animalium, hominum et Angelorum. Supernaturalis, quæ causat vitam supernaturalem, tùm gratiæ, tùm gloriæ, tàm hominum, quàm Angelorum. Vide S. Dionysium, Lib. de Divinis Nominibus, cap. 6, ubi docet Deum esse originalem vitam : primò, vitæ angelicæ : secundò, humanæ : tertiò, animalium : quartò, plantarum : quintò, justorum : sextò, beatorum.

Porrò Patres hanc Verbi vitam de triplici vitâ exponunt.

Primò, de vitâ formali, quasi diceretur : Ipsa Verbi

[1] *Luc.* I, 79.

substantia est vita, ipsum Verbum est vita subsistens, ait Œcumenicus in Comment. in Epistolam 1 S. Joannis, c. 1. Ipsum Verbum per essentiam et essentialiter est vita; ipsa enim ejus essentia est vivere et vita; in Deo enim et Verbo omnia sunt de essentiâ Dei et Verbi; nullum enim ibi est accidens. Undè Deus et Verbum per essentiam est sapientia, vita, bonitas, potentia, virtus, etc.; licèt enim hæc in nobis sint accidentia, in Deo tamen sunt essentialia, adeòque realiter idem sunt cum essentiâ Dei. Ità S. Dionysius loco citato, et S. Thomas, Parte 1, Quæst. 28. Alludit ad illud Psalmi : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* [1], « hoc est, *ait* « Theodoretus : Apud te est Verbum æternum, « fons vitæ, et in lumine Spiritûs sancti lumen « Unigeniti tui cernemus. »

Secundò, de vitâ non causali, sed naturali (seu ideali, exemplari), quia in Verbo, quasi in ideâ, vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ut ait S. Augustinus. Verbum enim est omnium creaturarum idea; idea autem est ipsa essentia et vita Dei. Ità S. Augustinus, Tractatu 1 in Joannem[a]. «Sapientia Dei, *in-* « *quit*, secundùm artem continet omnia : terram « vides, cœlum, solem, lunam : sunt ista in arte; « sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. » Alio verò loco : «Propttereà, ait Joannes, *quod factum est*, « *in ipso vita erat :* omnia quæ facta sunt, et vi- « tam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in « seipsis vita non sunt. » Quod ipsum sensisse videtur Auctor Homiliarum ex diversis, quæ tribuuntur Origeni : «Cœlum[b], *ait,* terra, abyssus, et quæ- « cumque in eis sunt, in Verbo vivunt, et vita sunt, « et æternaliter subsistunt; et quæ nobis omni « motu vitali carere videntur, in Verbo vivunt. » Rursùs : « Omnia quæ per Verbum facta sunt, in « ipso vitaliter, et uniformiter, et causaliter subsi- « stunt. » Deniquè: *In ipso vivimus, movemur, et sumus* [2]. Præclarè Philo, Libro de Mundi Opificio : « Ubi decrevit, *inquit*, ingentem hanc urbem con- « dere, priùs formas ejus concepit, ex quibus post- « quàm intelligibilem mundum constituit, ad illius « exemplar sensibilem hunc mundum condidit. » Et post multa : « Si cui, *inquit*, libeat apertioribus « uti vocabulis, nihil aliud dixerit esse mundum « intelligibilem, quàm Verbum Dei jàm mundum « condentis. » Rursùs aliquantò pòst : « Liquet « autem quòd archetypum sigillum quem dicimus « esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum « illud exemplar, idea idearum, Verbum Dei. »

Tertiò, de vitâ causali naturali, quia Verbum causat et efficit omnia viventia, eisque suam vitam communicat, scilicet, plantis vitam vegetativam, animalibus vitam animalem, hominibus rationalem, Angelis angelicam.

Rursùm in Verbo, quasi in causâ efficiente, est vita, id est, omnium rerum vigor, duratio et conservatio, quia hæc per Verbum fiunt; Verbum enim omnibus rebus dat vigere, vivere, durare et permanere. Ità S. Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theophilactus, Euthymius in hunc locum Evangelii S. Joannis.

Quartò, et magis genuinè, per *vitam* accipias vitam causalem supernaturalem, quasi diceretur : In Verbo, quasi in fonte et causâ primigeniâ, erat vita nostra supernaturalis, putà, gratiæ et gloriæ. Undè ut hanc vitam et lucem hominibus communicaret, ad eos in carnem descendit, factus homo : ut, sicut per Verbum magnus hic mundus creatus est; ità per idem mundus parvus quoque, id est, homo, recrearetur, et à morte peccati ad vitam gratiæ et gloriæ revocaretur. Ità enim se explicat Joannes, cùm subdit in Evangelio : *Et vita erat lux hominum.* Et alibi, loquens de Verbo : *Et vita*, inquit, *manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis* [3]; et : *Ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna* [4]. Hâc de causâ S. Joannes et Scriptura passim Christum vocant *vitam* [5]. Ità S. Chrysostomus, S. Augustinus, Theophilactus hìc, Ammonius in Catenâ, S. Ambrosius, Libro 3 de Fide, cap. 3, et S. Athanasius, Libro 8 de Assumptione hominis, contra Marcellinum.

Idem per umbram viderunt Gentiles, qui proindè Jovem græcè vocarunt Ζῆνα, id est, *vitam.* Audi Aristotelem, Libro de Mundo : Κάλουσι δὲ τὸν θεὸν Ζῆνα καὶ Δία, παραλλήλως χρώμενοι τοῖς ὀνόμασιν, ὡς κἂν εἰ λέγοιμεν δι᾽ ὃν ζῶμεν, id est : « Deum « quidem tùm Ζῆνα, tùm Δία vocant, inter se com- « positis atque è regione collocatis nominibus, « tamquàm duabus iis vocibus significare velint per « quem vivimus. » Ità posteriores Græci; priores enim aliâ de causâ Jovem vocârunt Ζῆνα: quam assignat Lactantius, Libro 1, c. 11 : « Ipse autem, « *inquit*, furto servatus, furtimque nutritus, Ζεύς, « sive Ζὴν appellatus est, non, ut isti putant, à « fervore cœlestis ignis (quasi ἀπὸ τοῦ ζέειν), vel « quòd vitæ sit dator, vel quòd animantibus inspi- « ret animas, quæ virtus solius Dei est; quam enim « possit inspirare animam qui ipse accepit aliundè « sed quòd primus ex Saturni maribus vixerit. »

Et vita erat lux hominum, subdit Joannes, ut significet, ait Toletus, ad vitam assequendam necessarium esse lumen, quo Verbum hoc luceat in cordi-

[1] *Psalm.* XXXV, 10. — [2] *Act.* XVII, 28. — [3] I *Joan.* I, 2. — [4] *Id.* V, 11. — [5] *Joan.* III, 16; IV, 16; V, 40; VI, 40; VIII, 12; X, 10; XI, 25; XIV, 6; XVII, 2, *et Coloss.* III, 4.

[a] Vide infrà, inter Homilias in Evangelium Joannis ad Missam in die. — [b] Vide infrà, ibidem.

bus nostris; non enim vivere facit, nisi quod fide suâ illuminat Christus: ideò alibi dicebat: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ*[1]: quod planiùs exposuit hoc loco: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*[2]; ac si diceret: Vita non sum, nisi iis quibus lux sum. Undè rectè Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologiâ, hæc verba Joannis sic interpretatus est: « Quia lux erat, vita erat. » Verbum ergò est lux hominum, quo scilicet homines illuminantur spiritualiter per fidem, spem, charitatem; de spirituali enim, non de naturali rationis luce hîc agi, patet ex sequenti. Sensus ergò est, quasi diceret: Vita nostra, quam dixi esse in Verbo, imò esse ipsum Verbum, est hæc Verbi illuminatio, quâ homines cognitione Dei et salutis suæ illuminat, exteriùs, per verba et exempla sancta: interiùs, per lumina cœlestia menti indita. Et hæc est causa cur Verbum sit caro factum, et cur Joannes Baptista à Deo sit missus, ut ei fieret testis, ut paulò pòst dicam. Sed anticipat Joannes hîc, et lucis mentionem interjicit, eo quòd homines ingrati tantum vitæ et lucis donum non receperint: quod mox inculcare volebat. Ità Clemens Alexandrinus in Exhort. ad Gentes: « Verbum, *ait*, quod erat « apud Deum, doctor apparuit: Verbum, per quod « omnia sunt fabricata, et quod cum eo qui finxit, « vitam simul præbuit, ut opifex, benè vivere do- « cuit, cùm apparuisset ut magister, ut posteà « semper vivere suppeditaret ut Deus. »

Quomodò Deus et Verbum sit lux, non accidentalis et creata, uti est nostra, sed substantialis et increata, eaque triplex, primò, formalis, secundò, idealis, tertiò, causalis omnis lucis corporeæ et spiritalis hominum et Angelorum, justorum et beatorum, gratiæ et gloriæ, vide apud S. Dionysium, Libro de Divinis Nominibus, cap. 2, 4 et 7: « Lucis « nomine, *inquit*, ipsum bonum celebratur, quasi « in imagine primum exemplar expressum. » Hinc Deus dicitur *amictus lumine sicut vestimento*[3]; hinc et vocatur *Pater luminum*[4], et dicitur *habitare lucem inaccessibilem*[5]. Lux enim nobilissima est qualitas, quæ maximè Dei, ejusque illuminationis, et gratiæ decus et dotes repræsentat. Inter Deum ergò Deique gratiam et lucem maximæ et pulcherrimæ sunt analogiæ; lux enim cœlestis et nobilissima inter naturales est qualitas celerrima, efficacissima, impassibilis, purissima, quæ nullis sordibus, licèt iis immixta, fœdari potest, afferens calorem, splendorem, lætitiam, faciens res omnes videri, vitam et vigorem omnibus viventibus afferens. Talis est et Deus Deique gratia: contrarium est in peccatis, quorum proindè symbolum sunt tenebræ. Adde quòd gratia ad æternam lucem et gloriam, peccata ad imas et summas tenebras ducant.

Audi S. Dionysium, Libro de cœlesti Hierarchiâ, c. 15, triginta et unam ignis et lucis proprietates, Deo et gratiæ mirè congruentes, recensentem. 1°, « ignis (et lux), *inquit*, in omnibus et per omnia « sine admixtione funditur. » 2°, « secernitur à « rebus omnibus. » 3°, « lucet totus simul. » 4°, « abstrusus est, incognitusque manet ipse per « se, nisi adhibeatur materia, in quâ vim actionem- « que suam declaret. » 5°, « cohiberi vincique non « potest. » 6°, « omnia ipse per se obtinet. » 7°, « ea in quibus fuerit, ad vim suam actionemque « commutat. » 8°, « suî ipsius particeps facit quid- « quid ipsi propiùs quoquo modo adhibetur. » 9°, « renovat omnia vitali calore. » 10°, « illustrat « aperto lumine. » 11°, « teneri non potest; » 12°, « nec misceri. » 13°, « dissipandi vim habet. » 14°, « commutari non potest. » 15°, « sursùm fer- « tur. » 16°, « celeritate magnâ est præditus. » 17°, « sublimis est, nec humilitatem ullam ferre « potest. » 18°, « immobilis est. » 19°, « per se « movetur. » 20°, « aliis motum affert. » 21°, « com- « prehendi vim habet. » 22°, « ipse comprehendi « non potest. » 23°, « non eget altero. » 24°, « clàm « se amplificat. » 25°, « in materiis quæ ipsius ca- « paces sunt, magnitudinem suam declarat. » 26°, « vim efficiendi habet. » 27°, « potens est. » 28°, « omnibus inest, nec videtur. » 29°, « si negligi- « tur, non esse videtur. » 30°, « attritu, quasi inquisi- « tione quâdam, repentè apparet, rursùmque ut com- « prehendi et detineri nequeat, avolat. » 31°, « in « omnibus suî communionibus minui non potest. »

Deniquè appositè Damascenus, Libro 2 de Fide, cap. 11, S. Trinitatem comparat luci, sive soli reflexo in nube, putà in parelio, in quo tres videntur soles, cùm reverà unicus tantùm sit sol: « Indivisi- « bilis enim, *inquit*, in divinis est divinitas, ac ve- « lut in tribus solibus, inseparabili nexu inter se « cohærentibus, una eademque est lucis temperatio « atque conjunctio. » Sic et S. Dionysius, Libro de Divinis Nominibus, cap. 2, S. Trinitatem repræsentat per tria lumina eamdem domum illuminantia unâ luce, et indistinctâ quâdam distinctione. Atque hâc de causâ lux illa Deitatis et Trinitatis, licèt in se sit clarissima, tamen nobis est obscura caligo, eo quòd acies nostra solem illum tàm fulgidum, tàm sublimem, tàm supernaturalem, rectis et irretortis oculis intueri et aspicere non valeat. Undè ut eam contemplemur, cum Moyse caliginem subire oportet. Audi S. Dionysium: « Caligo, *inquit*, lux est « tùm invisibilis, propter eximiam et substantiæ « supereminentem claritatem, tùm inaccessibilis, « pro immensâ supersubstantialis luminis ex se

[1] *Joan.* VIII, 12. — [2] *Id.* XVII, 3. — [3] *Psalm.* CIII, 2. — [4] *Jac.* I, 17. — [5] I *Tim.* VI, 16.

« manantis copiâ. Ad hanc pertingit et absorbetur « quisquis Deum nôsse ac videre meruerit, eoque « ipso quòd nec videt, nec cognoscit (hoc est, non « comprehendit), Deo visionem omnemque cogni- « tionem transcendenti familiariùs jungitur, hoc « ipsum noscens quod post et super omnia est, « quæ in sensum cadunt; et cum Prophetâ excla- « mat : *Mirabilis facta est scientia tua ex me :* « *confortata est, et non potero ad eam* [1], et « Apostolus eam agnoscens, vias ejus investigabi- « les, judicia inscrutabilia [2], donum ejus inenarra- « bile [3], pacem omnem sensum superantem [4] testatus « est. » Deus ergò Pater lumen est luminosum et primum, v. g., lux solaris lumen producens. Filius est lumen rectum, primò productum, suæque luci commensum et adæquatum. Spiritus sanctus est quasi lumen reflexum, putà splendor; producitur enim ex mutuo, ideòque reflexo amore Patris et Filii.

Idem per umbram viderunt Gentiles. Parmenides Deum definivit esse « coronam continentem ar- « dorem, lucis orbem qui cingit cœlum. » Democritus Deum aiebat « esse mentem in igne orbicu- « lari. » Ægyptiis hieroglyphicum Dei erat stella : « depicta Ægyptiis stella Deum significat, *inquit* « Horus Apollo, Libro 2 Hierogl., cap. 1. »

5. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, quasi diceret : Lux naturâ suâ solet tenebras illuminando dispellere; et sic Verbum, putà Christus, quia lux est, fecit, quantùm est ex parte suâ; sed tenebræ, id est, homines ignorantiâ, infidelitate, cupiditatibus et peccatis suis obstinati, mentis suæ oculos clauserunt, et noluerunt hanc lucem admittere.

Nota. Christus, quà Deus et Verbum, est lux formalis increata : quà homo, est lux creata, quia plenus sapientiâ, gratiâ et gloriâ : est etiam lux causalis, quia causa est omnis sapientiæ, gratiæ et gloriæ nostræ. Undè S. Joannes Christum, quà homo est, vocat lucem, quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* non tantùm dans eis lumen naturale rationalis, uti explicant Origenes et Cyrillus Alexandrinus, sed etiam potiùs dans eis lumen supernaturale fidei et sapientiæ : undè à Malachiâ vocatur *Sol justitiæ* [5]. Deliravit autem Manichæus, cùm solem istum materialem censuit esse Christum, teste S. Augustino, Tractatu 34 in Joan. Luxit ergò Christus maximè post incarnationem; fuit tamen etiam lux ante eam à mundi exordio; nam sicut sol, antequàm horizontem ascendat, aliquos auroræ radios præmittit, quibus mundum illuminat, sic et Christus. Ità S. Augustinus, Tractatu 1 in Joan. Hoc est quod ait Pater ad Christum : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ* [6]; et Christus : *Ego sum lux mundi* [7]; ac de eo Simeon : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* [8]. Pulchrè S. Augustinus, Homiliâ 43 inter 50 : « Ideò, *ait*, venit Christus illuminator, « quia diabolus fuerat excæcator. Fecit summus « medicus infiniti collyrium pretii, ut excæcatos « sanaret oculos. Vide quale quàmque salutiferum « fecerit collyrium ex Verbo et carne : *Verbum,* « inquit, *caro factum est,* etc. Refecti autem ho- « minis oculi ità sunt, itàque illuminati, ut Ange- « lorum exæquare possint oculos, Deique ipsius « cœlestem gloriam tueri. »

Hanc lucem Christus suis fidelibus, præsertim viris Apostolicis communicat, adeò ut et ipsi sint lux mundi, juxta illud : *Auferetur ab impiis lux tua* [9]; et : *Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt* [10]; et Christus Apostolis : *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* [11]; idem de Joanne Baptistâ : *Ille erat lucerna ardens et lucens* [12]; et : *Eratis aliquandò tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitiâ, et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo* [13].

Et tenebræ eam non comprehenderunt, græcè, οὐ κατέλαβεν, id est, *non apprehenderunt*, ut vertit Vatabl., *non susceperunt :* undè noster Interpres vertit, *non receperunt* [14]. Verti quoque potest, *non detinuerunt*, *non occupârunt*, *non anteverterunt ;* et tunc major est emphasis, quasi diceretur : *tenebræ*, id est, homines infideles et impii, Deum et viam salutis ignorantes, visâ luce Verbi, debuerunt eam detinere, imò occupare et antevertere, ut per eam Deum et viam salutis suæ cognoscerent; at tanta fuit eorum cæcitas et pravitas, ut eam ultrò se offerentem, illosque ambientem amplecti et recipere noluerint, sed illi clauserint oculos, nec eam admittere, vel recipere voluerint : *Erant enim mala eorum opera* [15], ut ait Joannes.

Nota 1°. Sicut lux est symbolum Dei, sapientiæ et gratiæ; ità tenebræ symbolum sunt diaboli, ignorantiæ et peccati, quæ proindè longè sunt à Deo. Ità Didymus et Œcumenicus hìc. « Tenebras, *in-* « *quit*, peccatricem nostram substantiam vocans, « in quâ Christus natus, id est, quâ assumptâ, Chri- « stus ejus inquinationum particeps non fuit; « *peccatum* enim *non fecit* [16]. » Verè S. Thomas in primam Epistolam ad Timotheum, cap. 6 : « Res, « *ait*, quæ actus quidem sunt, sed non purus, lu-

[1] *Psalm.* CXXXVIII, 6. — [2] *Rom.* XI, 33. — [3] II *Cor.* IX, 15. — [4] *Philipp.* IV, 7. — [5] *Malach.* IV, 2. — [6] *Isai.* XLIX, 6. — [7] *Joan.* VIII, 12. — [8] *Luc.* II, 32. — [9] *Job.* XXXVIII, 15. — [10] *Psalm.* LXXXVIII, 16. — [11] *Matth.* V, 14 *et* 16.— [12] *Joan.* V, 35.— [13] *Ephes.* V, 8, 9 *et* 18.— [14] *Joan.* I, 11 *et* 12.— [15] *Id.* III, 19.— [16] I *Petr.* II, 22; *Psalm.* XCI, 16; *Deut.* XXXII, 4; *Psalm.* V, 5; *Id.* CXLIV, 13; *Habac.* I, 13 *et Jac.* I, 17.

« cent tantùm, non etiam lux sunt; divina autem « essentia cùm actus purus sit, lux est. Undè de « hominum sanctissimo dicitur : *Non erat ille « lux;* de Dei autem Verbo : *Erat lux vera om- « nem hominem illuminans.* » Et S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 40 : « Deus, *ait,* summum et « inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, « nec verbis explicari potest, naturam omnem ra- « tione præditam illuminans : hoc in intelligibilibus, « quod sol in sensibilibus : hoc se magis contem- « plandum nobis præbens, quò accuratiùs animos « purgaverimus : eò rursùs magis amandum, quò « magis contemplati fuerimus : eò deniquè magis « cognoscendum, quò magis amaverimus : se ipse « speculans et comprehendens, ac per exigua ad « externa diffundens. Lumen porrò hoc dico quod « in Patre et Filio et Spiritu sancto consideratur, « quorum opulentia naturæ identitas est, atque « una eademque splendoris prosultatio. » Quæ sanè omnia apertè indicant verè dictum esse à Joanne Deum esse lucem tenebrarum prorsùs expertem, et lucem, ut ait Œcumenicus, intelligibilem, quæ oculos animæ nostræ ad perceptionem ejus illustrat, et ab his materialibus omnibus avocans, ad ipsam solam appetitum nostrum amatorio affectu incitat.

Antistropha est hæc sententia : *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt:* de quâ S. Gregorius Nyssenus, Oratione de Nativitate Christi [a] : « Puritas, *ait*, in nostris sordibus « versatur; sordes verò puritatem non attingunt, « sicut ait Evangelium, quòd *lux in tenebris lucet*, « *et tenebræ eam complexæ non sint.* » Et S. Augustinus, Epist. 120 ad Honoratum : « Filius, *ait*, « Dei non est absens etiam mentibus impiorum, « quamvis eum non videant; sicut nec illa lux vi- « detur oculis præsentata cæcorum. » Idem, Libro 1 de Peccatorum meritis, cap. 25 : « Sicut sol à cæcis, « quamvis eos suis radiis quodammodò vestiat, sic « à stultitiæ tenebris lumen Dei non comprehen- « ditur. » Lucet autem lux Verbi in tenebris impiorum hominum per lumen rationis, per creaturarum voces, quæ omnes Creatorem esse, esseque venerandum et amandum clamant, per legem naturæ menti inscriptam : per Legem Novam, per Scripturam, Doctores, Concionatores, sanctas inspirationes, etc. Undè idem Augustinus, Tractatu 2 in Joan. : « Noli cadere, *ait*, in peccatum, et non « tibi occidet hic sol. Si tu feceris casum, ille tibi « faciet occasum. » Si videre lucem cupis, esto et tu lux; si enim tenebras et tenebrosas cupiditates ames, obtenebrabunt, imò excæcabunt te.

Viderunt id per umbram Gentiles, quos citat Clemens Alexandrinus, Libro 4 Stromatum : « Antiphanes, *inquit*, dixit : Plutus (id est, divitiæ) « cùm aliquos plus aliis videntes acceperit, cæcos « facit : hinc à poetis prædicatur ab ortu cæcus. » Sic Venus, Bacchus, omnisque cupido videntes excæcat. Citat deindè Aristophanem, dicentem : « Agite, obscuræ vitæ homines, generationi folio- « rum similes, imbecilles, ceræ figmenta, folia in- « star umbræ reddentia, evanidi, involucres, unius « tantùm diei vitam viventès. ».

Porrò ridiculi et stolidi, æquè ac blasphemi sunt Thalmudistæ, qui dicunt Deum, instar lunæ, pati eclipsin et tenebras, ac nominatim eas passum, cùm lumen injustè à lunâ ademptum soli attribuit; ideòque ad culpam hanc suam expiandam instituisse festum Neomeniæ, sive Novilunii, in quâ per statuta à se sacrificia, initio cujusquè mensis hoc peccatum purgaret, ut refert Sixtus Senensis, Lib. 2.

Nota 2°. Peccata passim à S. Joanne hîc et in ejus Epistolâ vocantur *tenebræ*, ob multas utrimque analogias. Prima est, sicut tenebræ sunt privatio lucis; ità peccata sunt privatio gratiæ. Secunda, sicut in tenebris ambulans nihil videt, et crebrò impingit; ità peccantes in viâ salutis cæcutiunt, et crebrò impingunt. Tertia, tenebriones uti noctuæ oderunt lucem; ità et peccatores oderunt lucem Dei et hominum, juxta illud Christi : *Qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta* [1]. Quarta, quia peccata sunt opera principis tenebrarum, putà diaboli; hic enim uti primus peccati est auctor, ità omnes ad peccatum instigat. Quinta, quia pleraque peccata in tenebris fiunt, juxta illud Ovidii :

« Nox, et amor, vinumque nihil moderabile suadent :
« Illa pudore vacat, Liber amorque metu. »

Sexta, quia peccata oriuntur ex tenebris, putà ex errore practico, quo peccator judicat sibi hîc et nunc indulgendum esse cupiditati exili cum jacturâ Dei, cœli et bonorum æternorum : quæ sanè summa est cæcitas et stoliditas : « Cæcitas mentis, *ait* « S. Augustinus, Libro 5 contra Julianum, quam « solus removet illuminator Deus, et peccatum est, « quo in Deum non creditur, et pœna peccati est, « quâ cor superbum dignâ animadversione puni- « tur, et causa peccati est, cùm mali aliquid cæci « cordis errore committitur. » Septima, quia mentem magis obtenebrant et excæcant. Octava, quia ducunt ad tenebras æternas gehennæ, *terram*, inquam, *miseriæ et tenebrarum : ubi umbra mortis et nullus ordo : sed sempiternus horror inhabitat* [2]. Sicut ergò lux est salutifera et vitalis viventibus, re-

[1] *Joan.* III, 20 *et* 21. — [2] *Job*, X, 22.

[a] Quam Orationem videre est infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini.

busque omnibus, tenebræ verò noxiæ et mortiferæ; ità fides et gratia Christi est salutifera, vitamque affert æternam; peccata verò sunt pestifera, mortemque creant æternam. Undè Horus Apollo, Libro 2 Hierogl., c. 67 : « Ægyptii, *inquit*, tenebras significantes crocodili caudam pingunt; neque enim « aliter ad exitium et internecionem perducit crocodilus quodcumque apprehenderit animal, nisi « caudâ priùs cæsum, invalidum reddiderit; namque in hâc corporis parte præcipua est crocodili « vis ac robur. » Sicut ergò crocodilus exitialis est; ità et tenebræ.

Hinc tenebræ vocantur umbra mortis, juxta illud Zachariæ : *Illuminare his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent* [1]; et illud Isaiæ : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* [2].

Nota 3°. *Per hanc umbram mortis*, sive *per has tenebras*, significatur tristissima rerum facies, et miseria extrema, tempusque captivitatis, carceris, infirmitatis, mortis et damnationis; nihil enim tristius est umbrosis mortuorum sepulchris, sicut è contrario lux, quia gratissima est, symbolum est felicitatis. Rursùm *umbra mortis* significat proxima pericula, indèque angores mortis, sicut umbra proxima est corpori. Ità capitur in Psalmo XXII, 4. Tertiò, significat longam oblivionem : undè S. Gregorius, Lib. 4 Moral., c. 20 : « In umbrâ mortis « sedere, *inquit*, est à divini amoris notitiâ in oblivione latescere. » Deus enim est vita et lux, quia longissimè abest ab umbrâ mortis. Quartò, umbra mortis est Dei et salutis ignorantia.

Tropologicè. Omnibus his modis peccatum est et dicitur *umbra mortis*. Primò, quia omnis miseriæ fons est et causa. Secundò, quia peccatum in morte et in inferno quasi in regiâ suâ principatur. Tertiò, quia ut umbra corpori, ità peccatum morti, id est, damnationi, est proximum. Quartò, quia est maximè periculosum. Quintò, quia maximè conscientiam agit et cruciat. Sextò, quia oblivionem Dei inducit, et vicissim facit ut peccator à Deo oblivioni tradatur. Ità S. Hieronymus in Isaiæ cap. 9.

Hanc umbram mortis repræsentàrunt Veteres Sancti per locum horridum et squalidum pœnitentiæ destinatum, qui carcer dicebatur, in quo sponte suâ pœnitentes peccata expiabant, primò, horrore loci : secundò, membra sua catenis, ciliciis, aculeis, aliisque modis affligendo; alii enim jugiter jacebant prostrati in terrâ : alii semper stabant incurvi : alii semper genua flectebant, *etc.* : tertiò, assiduâ inediâ; non enim vescebantur nisi semel in die, idque tantùm pane et aquâ : alii biduo, alii triduo, alii quatriduo semel tantùm comedebant : quartò, continuis lacrymis et suspiriis, quæ vel ferreum pectus emollivissent. Refert ea Climachus, Gradu 5 de pœnitentiâ. Ubi jàm iste ardor pœnitentium? Ubi ista profunda cognitio et horror peccati? E mundo exsulat : migravit ad umbram mortis in inferno : ibi jàm peccatores agunt pœnitentiam, sed seram et æternam.

JOANNES MALDONATUS.

Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Minùs meo judicio difficilis hic locus esset, si nemo eum exposuisset; nam per se facilem varietas Interpretum difficilem reddidit. Omnis ferè quæstio in duobus versatur verbis : Quid lux? Quid tenebræ? Indè enim facilè intelligitur quomodò lux in tenebris luceat, et quomodò lucem tenebræ non comprehenderint.

Quidam lucem Christum, tenebras diabolum et ejus ministros Christi persecutores intellexerunt; nam et Christus paulò antè lux appellatus fuerat, et passim se ipse mundi lucem vocat, diabolum verò D. Paulus *rectorem tenebrarum* [3]. Solent etiam persecutiones afflictionesque vocari tenebræ : *Rursùs*, inquit Job, *post tenebras spero lucem* [4]; et : *Ecce tribulatio et tenebræ* [5] : sensum igitur esse Christum, in ipsis tenebris, inter ipsas quodammodò diaboli et hostium suorum manus, magis eluxisse, magis ejus emicuisse virtutem, nec ab illis comprehendi, id est, vinci potuisse : *Venit*, inquit, *princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* [6]; et : *Confidite : ego vici mundum* [7]. Quo sensu interpretatur Gregorius Nazianzenus, Oratione 4 de Theologiâ; Elias Cretensis, in ejus Commentariis; Origenes, Tom. 4 in Joan.; Chrysostomus et Theophilactus.

Alii lucem Christum, tenebras animam et naturam nostram, quæ, quantumcumquè illuminetur, quantumvis in illâ Christus luceat, tamen comprehendere non possit, sed semper ejus comparatione tenebræ maneat. Sic Tatianus, in Oratione contra Græcos; Origenes, Homil. 9 in Ezechiam, Cyrillus Alexandrinus, hoc loco, et, ut videtur, Ammonius, quemadmodùm Auctor græcæ Catenæ citat.

Alii lucem Verbum ipsum, tenebras carnem. Lucem ergò, id est, divinitatem in carne luxisse, nec eam tenebras carnis comprehendere, id est, obscurare potuisse : quam interpretationem Theophilactus refert, videturque olere Origenis ingenium.

Alii lucem divinitatem, tenebras res universas in quibus luxerit, nec tamen eam comprehendere, id est, inquinare potuerint, sicut sol non coinquinatur, dùm etiam in sordidis locis lucet. In quam sententiam Fulgentius, Libro 2 ad Trasimundum hoc utitur testimonio.

[1] *Luc.* I, 79. — [2] *Isai.* IX, 2. — [3] *Ephes.* VI, 12. — [4] *Job*, XVII, 12. — [5] *Isai.* VIII, 22. — [6] *Joan.* XIV, 30. — [7] *Id.* XVI 33.

Alii lucem Christum, tenebras verò peccata, quæ illum non potuerunt comprehendere, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [1], ut Maximus, Homil. 2 de Paschâ et Homil. 3 de Pentecoste.

Alii lucem Christi divinitatem, quæ, cùm in rebus omnibus eluceret, possetque ex illis, ut aiunt D. Paulus [2] et Sapiens [3], facilè cognosci, tamen eam homines, qui tenebræ erant, non cognovisse. Ità Leontius.

Alii lucem doctrinam Christi, aut ejus Incarnationis mysterium, quæ, cùm naturâ suâ in tenebris luceat, ut ait David : *Lucerna pedibus meis verbum tuum* [4], tamen tenebræ mentis nostræ omninò comprehendere non possunt, quia, ut idem David ait : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam* [5]. Legi hanc interpretationem apud Lanfrancum in disputatione adversùs Berengarium, eoque sensu Leo hunc locum citat, Sermone 18 de Passione Domini, refertque et non improbat D. Thomas. Hæc omnia probabilia vel soli Auctores faciunt.

Facilis sensus, quem Augustinus, Beda, Rupertus, Euthymius, Bernardus, Libro 5 de Consideratione, attigerunt. Lucem vocat Christum ejusque doctrinam, de quâ proximis verbis dixerat : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum :* tenebras homines, qui in peccatis, id est, in tenebris erant, sicut D. Paulus ait : *Eratis aliquandò tenebræ; nunc autem lux in Domino* [6]. Docet igitur Evangelista quid Christus fuerit, quidque potuerit ac voluerit; et quid homines facere noluerint. Christus naturâ suâ lux erat, bonitate verò suâ omnes prorsùs homines volebat illuminare; homines autem malitiâ suâ oblatam ab eo lucem recipere noluerunt : hoc est : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Hunc esse verum sensum ex sequentibus apparet; quod enim hìc dixit : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, dicit infrà : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt;* et : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem* [7]. Undè intelligi potest, quod facilè animo lectoris occurrit, quomodò dicat : *Lux in tenebris lucet ;* si enim lux in tenebris est, utiquè non lucet; et si lucet, utiquè non est in tenebris. Sic enim dictum est : *Lux in tenebris lucet,* quomodò si diceret : Lux tenebras illuminat, eas dissipans atque dispellens.

Altera quoque solvitur quæstio : Quomodò, si lux in tenebris luxit, *tenebræ eam non comprehenderunt?* Si enim in tenebris luxit, tenebras illuminavit : si illuminavit tenebras, tenebræ eam comprehenderunt; quid enim est comprehendere, quemadmodùm diximus, nisi illuminari lucemque recipere? Non dicit Joannes : *Lux in tenebris* luxit, sed, *lucet*, id est, lucem naturâ suâ aptam esse ut tenebras illuminet, omnem enim lucem in tenebris lucere solere. Itaque lucem hoc loco generaliter non solùm pro Christo, sed pro omni omninò luce accipi posse puto, ut hypothesis ad thesim revocetur, sensusque sit plenior ac firmior; quasi à genere ad speciem, et à minori ad majus tacitè argumentetur ac dicat : Cùm lux omnis naturâ suâ in tenebris lucere soleat, eamque tenebræ facilè admittant et comprehendant, tamen homines, qui erant tenebræ, Christum, qui multò verior atque efficacior erat lux, admittere et comprehendere noluerunt.

CORNELIUS JANSENIUS.

Et lux ista æternæ Veritatis et Sapientiæ *in tenebris lucet,* id est, in tenebrosis et cæcis peccatorum cordibus. Ut enim crebrò explicat et appositè Augustinus, sicut homini cæco præsens est sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus, id est, impius et iniquus cæcus est corde. Præsens est illa Sapientia, et veluti cæco sol, ideòque oculis ejus absens est. Hinc est ergò quòd *tenebræ*, id est, homines peccatis tenebrati, *eam non comprehenderunt*, id est, non perceperunt, nempè quia immundos habebant oculos : *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [8]. Tollantur ex animo impedimenta peccatorum et affectuum terrenorum, et videbis Sapientiam quæ præsens est, quia « Deus est ipsa Sapientia, » inquit Augustinus. His ergò de divinitate Verbi Dei præmissis, et tenebris eum non comprehendentibus, accedit ad œconomiam divinæ providentiæ, quâ mundum in notitiam istius lucis adducere voluit.

6. *Fuit homo missus à Deo*, et proindè divinæ auctoritatis pondus ad testificandum habens, quam ei conciliaverat miraculosa nativitas, vita solitaria, victûs austeritas, conversationis innocentia, prædicationis libertas et efficacia : *cui nomen erat Joannes*, divinitùs videlicet impositum ante circumcisionem, et ipsâ suâ etymologiâ *gratiam Dei* sonans.

CORNELIUS A LAPIDE.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes, cognomen Baptista, à baptismo pœnitentiæ, quem instituit. *Missus*, scilicet, ut ait Lucas : *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, factum est verbum Domini super eum in deserto; et venit in omnem regionem Jordanis*, etc. [9] : « Tu « igitur, *ait* Chrysostomus, cùm à Deo missum in- « telligas, nihil jàm humanum ab eo dici annun-

[1] I *Petr.* II, 22. — [2] *Rom.* I, 19 *et* 20. — [3] *Sap.* XIII, 5. — [4] *Psalm.* CXVIII, 105. — [5] *Id.* CXXXVIII, 6. — [6] *Ephes.* V, 8. — [7] *Joan.* III, 19. — [8] *Matth.* V, 8. — [9] *Luc.* III, 1, 2 *et* 3.

« tiarive existimes, sed divina omnia; non enim « suum quidquam, sed mittentis arcana denuntiat. « Idcircò Angelus appellatur, hoc est, nuntius ; est « enim nuntii officium nihil ex se scire. » Ità S. Chrysostomus, et ex eo Theophilactus. Dicit ergò Joannem missum à Deo, ut ei pondus auctoritatis addat, ejusque de Christo testimonium, non tàm humanum quàm divinum esse ostendat.

JOANNES MALDONATUS.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Nemo lector attentus non statim dubitat quà ratione Evangelista de Joanne nunc agat. Major pars Auctorum putant, cùm de Verbi divinitate Evangelista dixisset, deque ejus adventu in carnem paulò pòst dicturus esset, de ejus priùs præcursore Joanne agere voluisse. Sic Chrysostomus, Augustinus, Theophilactus, et, ut videtur, Euthymius. Cyrillus verò, tamquàm testem eorum quæ dicta essent, citari Joannem putat : propterea dici : *Hic venit in testimonium.* Si utramque rationem conjungas, erit singulis probabilior. Nam quia Joannes sex ante Christum menses natus est, et aliquantò priusquàm ille, baptizare atque docere cœpit, antequàm de Christi adventu et nativitate agat, de Joanne agit, quemadmodùm Lucas, nisi quòd multò copiosiùs, antequàm de Christo dicere aggrederetur, de Joanne dixit [1], ut Euthymius annotavit; et ex utriusque comparatione confirmat, quod dictum erat, in Verbo vitam et veram hominum lucem fuisse : *Non erat,* inquit, *ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Probat Christum solem fuisse, quia antè Joannem luciferum habuit. Quod dicit : *Fuit*, omnes quos legerim Interpretes, ad prædicationem referunt, quasi tunc missus dicatur, cùm prædicare cœpit. Sed uberior mihi videtur et veritati magis congruens fore sententia, si ad primam ejus conceptionem referatur; missus enim à Deo Joannes est, cùm primùm est in utero conceptus; propterea enim supra naturæ modum parentibus à Deo datus fuit, *ut testimonium perhiberet de lumine*, ut Angelus apud Lucam docet [2]. Itaque qui hoc loco, quod græcè dicitur : Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, verterit : *Exstitit homo quidam missus à Deo,* rectè meâ quidem sententiâ sensum expresserit; non enim significant græca verba missum à Deo fuisse, sed exstitisse, aut notum fuisse hominem, non casu, non naturali propagatione, ut cæteros homines, sed datum missumque divinitùs, quemadmodùm si latinè dicas : *Natus est homo missus à Deo.* Si enim dicere voluisset missum tantùm fuisse à Deo, non dixisset : Ἐγένετο, sed, ἦν ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος. Rectèque Cyrillus annotavit Evangelistam de Christo dixisse, ἦν, *erat : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* de Joanne autem dixisse : Ἐγένετο, *exstitit, factus est*, si latinus pateretur sermo. Eàdem ratione hominem appellavit, quasi verbo illum de quo locutus fuerat, opponens, qui, antequàm caro fieret, non homo, sed Deus erat. Missum autem à Deo fuisse dicit, quò plùs ponderis haberet ejus de quo statim dicturus erat, testimonium. Nomen expressit, et quia id ad fidem scribentis historiam pertinebat, et quia illud ipsum nomen testem commendabat, tùm quòd divinitùs per Angelum datum esset [3], ut Cyrillus observavit, tùm quòd sono ipso et significatione faustum haberetur, quia gratiosum hominem significare creditur, ut annotat Alcuinus.

CORNELIUS JANSENIUS.

7. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*, id est, causa missionis et adventûs ejus fuit, ut testaretur istius lucis carne vestitæ præsentiam in hoc mundo ; nam quamvis sol corporeus non indigeat lucernâ, ut videatur; lux tamen illa animi mundi, sapientia Dei, per se inaccessibilis est cordibus maximè tenebrosis. Itaque prædicatione suà testimonium ei perhibuit Joannes, quòd ipse esset lux et sapientia Dei; ut sic omnes qui non possent eam capere, eàque contemplando et amando frui, ejus auctoritate moti, saltem *crederent per illum*, Joannem ; fides enim, nondùm re perspectâ, innititur testificationibus fide dignis: fide jàm habitâ mundatur paulatim animus, ut tandem videre possit quod credidit.

CORNELIUS A LAPIDE.

Hic venit in testimonium (ad testandum, sive ut esset testis, ut testimonium perhiberet veritati, scilicet quòd Jesus esset Messias salvator mundi), *ut testimonium perhiberet de lumine*, putà, ut testaretur Jesum esse verum lumen mundi, et ab eo nos debere omne lumen fidei et notitiam salutis exspectare et postulare.

Nota. Licèt lux soleat distingui à lumine, sicut causa ab effectu; lux enim solis producit lumen in aëre; hìc tamen idem sunt *lux* et *lumen ;* pro utroque enim græcè eadem est vox φῶς, id est, *lux*, quam noster Interpres copiæ causâ nunc vertit *lux*, nunc *lumen.* Rursùm græcè additur articulus τὸ φῶς, id est, *illa lux*, scilicet spiritualis, eximia, immensa, divina, ex se lucens, quæ per se et essentialiter est lux, et fons omnis lucis, ac quasi sol quidam divinus, cujus respectu Joannes Baptista erat luna dumtaxat, vel lucifer; quia sicut lucifer sive hesperus præit solem, sic Joannes præivit Christum, quasi Solis justitiæ anteambulo. Sensus est, quasi diceret : Quia lux deitatis abscondita erat in humanitate

[1] *Luc.* I. — [2] *Id.* I, 14, 15 *et* 16. — [3] *Id.* I, 13.

Christi, abjectâ, vili et paupere, quasi in lucernâ obscurâ et umbrosâ, ut homines eam non viderent, nec cognoscerent, hinc Deus misit Joannem, ut lucem hanc detegeret, ostenderet, ac testaretur Jesum verè esse Deum, Deique Filium, et mundi Doctorem et Redemptorem ; nam, ut ait Paulus : Deus *lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* [1]. Rursùm: Filius est *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* [2] (Dei Patris). Idem *candor est lucis æternæ, et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius* [3].

Ut omnes crederent per illum, hoc est, ut omnes Joannem audituri, in Christum, quasi in lucem, crederent, et credentes justificarentur ac salvarentur. *Per illum*, scilicet Joannem, qui Christum digito ostendens: *Ecce*, inquit, *agnus Dei qui tollit peccata mundi* [4]. Undè Nonnus : « Per illum, « *inquit*, id est, per unius præconis (Joannis) « vocem. »

JOANNES MALDONATUS.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Incipit personam Joannis comparatione aliorum hominum extollere, comparatione Verbi deprimere. Major aliis, quia missus erat à Deo ad præclarissimum officium Filii Dei demonstrandi, et in mundum quodammodò introducendi : hoc est : *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Minor Christo, hoc ipso quòd propter Christum veniebat, ut illi tamquàm præco ministraret : hoc est : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine* : quod aliis verbis Angelus dicit : *Ipse præcedet ante eum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam* [5].

Quæstionem hìc Chrysostomus commovet, quomodò Joannes in testimonium venerit, cùm Christus dicat : *Ego non ab homine testimonium accipio* [6]. Respondet, non ideò in testimonium venisse, quòd Christus, sed quòd homines, ut Christo crederent, ejus indigerent testimonio: propterea statim addidisse, ut et Theophilactus et Euthymius observant : *Ut omnes crederent per illum.* Citat Evangelista Judæis gravissimum et gratiosissimum apud eos testem; nam et Judæus erat, et patre matreque nobilissimus, utroque parente ex sacerdotali genere originem habente; et sanctitate vitæ erat celeberrimus, tantusque Propheta habebatur, ut Messias esse crederetur [7]. Hunc illis testem adducit. Huic si non credant, cui credent? Itaque Christus etiam ex ejus alibi testimonio argumentatur : *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati ; ego autem non ab homine testimonium accipio* [8] : nempè etsi Joannes homo erat, tamen quia testis à Deo missus fuerat, ejus testimonium non humanum, sed divinum erat.

Ut omnes crederent per illum. Græcè, δι' αὐτοῦ, ambiguum est ; nam si genus tantùm et grammaticæ leges spectes, et ad *Joannem*, et ad *lumen* referri potest. Itaque quidam ad *lumen* referunt, hâc adducti ratione, quòd Joannes non venerit, ut omnes, sed ut soli Judæi, quibus prædicaturus erat, per eum crederent. Nec judicium, nec rationem probo. Nam et judicium est singulare omnibus bonis Auctoribus repugnantibus, et si ad *lumen* referretur, non diceret : *Ut omnes crederent per illum*, sed : *Ut omnes in illum crederent.* Et ratio illa quæ illos movit Interpretes, illud etiam efficeret, ut nec ad *lumen*, id est, ad *Christum* referretur; nam nec per Christum omnes crediderunt; nec aliis Christus quàm Judæis prædicavit; quia non venerat *nisi ad oves quæ perierant domûs Israel* [9]. Declarat ergò Evangelista, quod proximo dixerat verbo, Joannem in testimonium venisse, docetque quid suo illo testimonio efficere voluerit, nempè, ut omnes per illum, id est, illius testimonio atque prædicatione crederent in Christum. Sic Chrysostomus, Beda, Theophilactus, Euthymius. At non omnes per Joannem crediderunt; nec per Christum. Sed quemadmodùm voluntas Christi erat, ut omnes omninò homines crederent, cùm multi suâ culpâ credere noluerint; sic volebat Joannes, ut omnes suo testimonio in Christum crederent, quamvis non omnes crediderint. Nec enim dixit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* Judæorum, sed *peccata mundi* [10], ut Theophilactus, et Euthymius respondent. Cur ergò solis Judæis prædicavit? Eâdem ratione quâ Christus, quia Evangelium et Messias non Gentibus, sed Judæis promissus fuerat, per quos aliæ Gentes erant crediture : *Salus* enim *ex Judæis est* [11]. Ideòque nec Christus, nec ejus præco Joannes extra Judæam prædicavit, nec ex aliâ gente quàm Judæorum Apostolos elegit.

CORNELIUS A LAPIDE.

8. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Judæi et Scribæ, ob prædicationem et vitam cœlestem Joannis in eremo, putabant ipsum esse lucem, id est, Christum. Elidit idipsum hoc Joannes Evangelista, quasi diceret: Joannes Baptista *non erat lux*, id est, Messias, doctor et salvator mundi, sed tantùm ejus testis et index, qui omnem suam cognitionis, prophetiæ et gratiæ lucem à Christo acceperat. Undè ipse vocatur *lucerna ardens et lucens* [12]; « sed non proprio igne ardebat, in-

[1] I *Tim.* VI, 16. — [2] *Hebr.* I, 3. — [3] *Sap.* VII, 26. — [4] *Joan.* I, 29. — [5] *Luc.* I, 17. — [6] *Joan.* V, 34. — [7] *Id.* I, 20. — [8] *Id.* V, 33 et 34. — [9] *Matth.* XV, 24. — [10] *Joan.* I, 29. — [11] *Id.* IV, 22. — [12] *Id.* V, 35.

« *qui!* Origenes, non propriâ luce lucebat. Stella erat « matutina; sed non à seipso proprium lumen ac- « cepit : gratia ipsius quem præcurrebat, in eo ar- « debat et splendebat. *Non erat ille lux*, sed par- « ticeps luminis : suum non erat, quod in se et per « se fulgebat. »

JOANNES MALDONATUS.

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine: intelligendum est, ἦλθεν ὁ Ἰωάννης, *venit Joannes*, ut plena sit oratio et absoluta sententia. Quia venisse Joannem dixerat, *ut testimonium perhiberet de lumine*, qui lumen ipse fuisse videbatur, rationem dicti reddit, non fuisse ipsum lucem, sed ideò venisse *ut testimonium perhiberet de lumine :* non solem, sed luciferum fuisse, qui solem post se oriturum testaretur : hominibus assuetis in tenebris esse, solem visum : longè majorem, longè clariorem illo solem fuisse Christum. Sciebat Evangelista magnam Judæos de Joanne opinionem habuisse, ideòque ejus comparatione docet, quantus fuerit Christus, ad quem Joannes *tenebræ* erat, ut eos à Joanne transferat ad Christum. Aliam Chrysostomus, Theophilactus et Euthymius, cur hoc Joannes addiderit, rationem reddunt : ne, quia dixerat venisse Joannem ut testimonium de Christo perhiberet, major Christo putaretur, quòd ità plerumquè fieri soleat, ut major ac fide dignior de minore testificetur. Nihil lectorem varietas interpretationis moveat, quòd uno loco *lux*, alio *lumen* ponitur : eadem græcè vox est, quam noster Interpres, ut alià sæpè solet, non alio, puto, consilio, quàm ut similitudinis fastidium evitaret, nunc *lumen*, nunc *lucem* reddidit. Illud ad rem magis pertinet, quod Cyrillus admonuit, nomen lucis aut luminis græcè emphaticum articulum habere : Οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, id est : *Non erat ille lumen illud;* nam lumen quidem aliquod Joannes erat : *Erat* enim *lucerna ardens et lucens*, ipso etiam de illo Christo testante; sed aliud est lucernam, aliud solem, id est, ipsum lumen esse : aliud naturâ suâ, aliud alterius beneficio lucere. Deniquè hoc inter Christum et Joannem cæterosque viros sanctos discriminis est, de quibus dicitur : *Vos estis lux mundi* [1], quod inter solem et lunam : sol ex seipso, luna nonnisi ex sole lumen habet : *De plenitudine* enim *ejus nos omnes accepimus* [2]. Si ergò Joannes lux vera non erat, quomodò poterat veram lucem ostendere, hoc est, testimonium perhibere de lumine? Quomodò poterat homines, ut veram lucem cernerent, illuminare? Rectissimè, Tractatu 2, respondet Augustinus oculos hominum fuisse saucios; qui autem oculis sunt sauciis, lumen solis in sole ipso oriente cernere non possunt : in monte, qui ejus radiis primus illustrari incipit, possunt.

CORNELIUS JANSENIUS.

Non erat ille lux illa increata, sapientia scilicet Dei, sed potiùs lucerna ab illâ luce accensa, sicut vocatur alibi [3]; *sed ut testimonium*, etc., quasi diceret : Non erat lux, sed testis ac præco lucis ; non sol, sed lucifer solis præcursor : quod tàm sollicitè inculcat, ut suspicionem tolleret quæ aliquandò fuerat, quòd ipse esset Christus [4]. Itaque illud lumen, de quo perhibuit Joannes testimonium, ab æterno.

9. *Erat lux vera*, primigenia, summa, substantialis, non lucis particeps; sed ipse fons luminis spiritualis; quia ipsa *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, nascentem, ergò et ipsum Joannem. Hæc autem illuminatio dupliciter intelligi potest fieri, primò, per creationem mentis rationalis, velut oculi interioris, sicut Augustinus exponi posse tradit, Libro 4 de Peccatorum meritis, cap. 25, præsertim si attendamus nihil omninò veri, qualecumque sit, agnosci ab humanâ mente posse, nisi judicet juxta regulas quasdam immutabiles, quas supra mentem suam omnis anima rationalis scriptas videt in libro lucis illius, quæ æterna veritas dicitur, ut Augustinus sæpè tradit, et in primis Libro 14 de Trinitate, cap. 15, Libro de Verâ Religione, cap. 39, et alibi. Secundò, intelligi potest, ut Augustinus plerumquè intelligit, de illuminatione pietatis, quâ anima per gratiam verè fit sapiens et justa ; nam quamvis homo audiat dicentem hominem vel Angelum, ut tamen sentiat et cognoscat, credendo et amando, verum esse quod dicitur, illo lumine intùs mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, ut idem dicit, eodem loco Libri de Peccatorum meritis citato, ubi dicit etiam hunc locum exponendum esse negativè, quia scilicet nemo illuminatur, nisi ab istâ luce, quasi diceret, cui soli competit illuminare omnes qui illuminantur.

JOANNES MALDONATUS.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Explicat magis ac magis Christi et Joannis comparationem, et declarat, quod superiore versu dixerat, illum non fuisse lucem illam, id est, veram, quæ illuminet omnes homines : videtur vim articuli solam exponere, quòd dixisset τὸ φῶς, *lux illa*, quasi diceret : Non erat ille *lux illa*, id est, vera lux; lux enim vera erat Christus. Oratio eleganter imperfecta est ; dicit enim : *Erat lux vera;* et non dicit quis lux illa vera fuerit; nec enim sensus est fuisse lucem aliquam veram ; sed aliquem alium præter Joannem fuisse veram lucem, nimirùm Christum; Christus enim quamvis non nominetur, intelligitur eo ipso

[1] *Matth.* V, 14. — [2] *Joan.* I, 16. — [3] *Id.* V, 35. — [4] *Luc.* III, 15.

quòd de illius et Joannis comparatione Evangelista loquebatur. Cur ergò non nominavit? Quia majorem vim et gratiam habet Oratio. Quo sensu hoc loco lux appellatur vera, à quibusdam disputari video. Aliquandò, inquiunt, verum opponitur falso, ut : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem* [1] : aliquandò figuræ, ut : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* [2] : aliquandò ei quod non est naturale, aut per se cujusque modi, ut : *Ut simus in vero Filio ejus* [3]: quo modo hoc loco accipi putant. Ego, quemadmodùm nomen lucis non dicitur verè et propriè de Christo, sed metaphoricè; ità puto veram lucem non verè, sed metaphoricè dici; lux enim vera ista est, quam oculis corporis cernimus, qualis profectò non erat Christus, nisi velimus cum Manichæis delirare, qui solem istum corporeum Christum esse dicebant, ut D. Augustinus refert, Tractatu in Joannem 34; sed dicitur lux vera metonymicè, quia quod facit lux ista vera in corporibus, id veriùs atque perfectiùs ille in animis facit; magis enim et veriùs ille animum, quàm sol corpus illuminat : eodem prorsùs modo, quo *vitis vera* dictus est [4], non quòd verè et propriè *vitis* sit, sed quòd veriùs eos qui in se credunt, quàm vitis palmites, nutriat atque sustentet ; et *cibus verus*, non quòd sit verè *cibus*, cùm non panem, sed verum corpus suum nobis cibum dederit; sed quòd meliùs ac veriùs animos nostros, quàm verus iste cibus quo utimur, corpora, nutriat [5].

Quo autem modo *lux* illa *vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, duplex est quæstio : altera, quo lumine, altera, quomodò omnes; cùm de quibusdam idem Joannes dicat in tenebris adhuc esse [6].

Nonnulli hoc de naturali rationis lumine intellexerunt; eo enim à Christo omnes illuminari, quia ejus omnes luminis participes sunt, ut Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 in Joan., cap. 9, et Junilius, in Commentariis in cap. 2 Genesis. Quod quia minùs probabile erat, hæreticis placuit, non placiturum, si scivissent à tàm bonis antè Auctoribus dictum fuisse. Sed minimè dubium est de spirituali lumine intelligendum, de doctrinâ, de fide, de gratiâ, de vitâ illâ de quâ dixerat : *Et vita erat lux hominum*, ut Cyprianus, Libro 1 contra Judæos, D. Augustinus, hoc loco, et Libro 4 de Trinitate, cap. 2, multisque aliis locis, Chrysostomus, Maximus, Homiliâ 4 de Paschâ, Beda, Theophilactus et Euthymius interpretantur.

Secundam quæstionem difficiliorem nobis Augustinus reddidit; is enim, Lib. 1 de Peccatorum meritis et remissione, cap. 25, et in Enchiridio, cap. 103, contra Pelagianos de Prædestinatione disputans, ut suam opinionem defenderet, non omnibus gratiam dari, non omnes illuminari, sæpè ità interpretatur hunc locum, quasi sensus non sit, Christum aut reverà omnes illuminâsse, aut illuminare voluisse; sed neminem nisi per illum illuminari, aut ex omni genere hominum aliquos per illum illuminari. De Prædestinatione non disputo : tantùm dico omnium Græcorum in hunc locum interpretationem multò magis mihi placere, illuminare omnem hominem, quantùm in ipso est : si qui non illuminantur, ideò non illuminari, quia recipere oblatum lumen nolunt. Sic Chrysostomus, Homiliâ in Joan. 7, Cyrillus Alexandrinus, Theophilactus et Euthymius. Atque hanc arbitror fuisse causam, quamobrem non dixit : Illuminavit, sed : *Illuminat*, non solùm quia non tantùm eos qui fuerant, illuminaverat, sed eos etiam qui tunc erant, illuminabat, eosque qui futuri erant, erat illuminaturus; sed quia sæpè præsens tempus non effectum, sed naturam et vim solet significare, quemadmodùm hunc ipsum locum exponit Maximus in Homiliâ de sancto Eusebio Vercellensi, sicut paulò antè dixerat : *Lux in tenebris lucet*, id est, naturâ suâ apta est ut in tenebris luceat, quamvis lucem illam veram tenebræ non comprehenderint. Nec minùs, sed multò etiam meliùs atque faciliùs hàc interpretatione, quàm illâ Augustini, Pelagianorum error confutatur, hinc colligentium, ut indicat idem Augustinus, Libro 1 de Peccatorum meritis, cap. 25, infantes sine peccato originali nasci. Illuminat enim Christus omnes homines, quantùm in se est; sed, ut multos adultos, quia nolunt; ità infantes, quia non baptizantur, non illuminat; per ipsum enim baptismum illuminat, qui idcircò φωτισμός, *illuminatio*, et à græcis Theologis sæpè, et à D. Paulo aliquandò vocatur [7]. Illuminat quidem omnes, sed sicut sol iste, accedentes ad se; atqui infantes nonnisi per baptismum accedunt. Priùs surgendum, priùs veniendum : *Surge*, inquit, *illuminare, Jerusalem* [8]; et : *Surge, qui dormis, et exsurge à mortuis, et illuminabit te Christus* [9]. Quod dicit : *Venientem in hunc mundum*, notavit D. Augustinus, Libro 1 de Peccatorum meritis, cap. 25, ità græcè dictum esse, ut et *accusativus* ad hominem, et *nominativus* ad lucem referri possit, sensusque sit, lucem illam veram in hunc mundum venientem, quasi orientem solem, omnem hominem illuminare : quem sensum Cyrillus Alexandrinus et alii quidam secuti sunt; estque non falsus, non absurdus, sed meâ sententiâ non proprius; nam, ut alia non esset ratio, nomen *hominis* proximè adhærens jure sibi *hoc participium* vindicaret. Et Christus non solùm in hunc mundum veniens,

[1] *Ephes.* IV, 25. — [2] *Joan.* I, 17. — [3] I *Joan.* V, 20. — [4] *Id.* XV, 1. — [5] *Id.* VI, 55. — [6] I *Joan.* II, 9 et 11. — [7] *Hebr.* VI, 4. — [8] *Isai.* LX, 1. — [9] *Ephes.* III, 14.

sed et postquàm venit, et antequàm veniret, *erat lux vera*, *quæ* illuminabat *omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et alii Auctores omnes ità intellexerunt, ut non Christus veniens, sed Christus *omnem hominem venientem in hunc mundum* dicatur illuminàsse, Augustinus, Chrysostomus, Beda, Theophilactus et Euthymius.

Sed quæri à multis solet quarè dixerit : *Hominem in hunc mundum venientem*, potiùs quàm absolutè : *Qui illuminat omnem hominem*.

Multæ quæsitæ et redditæ à multis causæ sunt. Notus error Origenis, ut colligitur ex ejus Libris de Principiis, Lib. 1, c. 3, et Lib. 2, c. 8, et testantur Epiphanius, Hæres. 64 ; Theophilus, Epistolâ 1 Paschali; Methodius apud Epiphanium; Hieronymus in Epistolâ ad Marcellinum, et Cyrillus Alexandrinus hoc loco, quem ex hoc loco confirmâsse creditur, ideò hoc dictum, ut significaretur animas hominum ante corpora fuisse, et propter peccata in corpora detrusas meliora pejorave, pro suo quamque merito. Quod refutationis hoc tempore non indiget, et cùm indigebat, satis est à Cyrillo Alexandrino hoc loco refutatum.

Alii ideò dictum existimant *venientem in hunc mundum*, ut significaretur quâ parte hominem illuminaret, nempè non corpore, quod terrenum, sed animo, qui cœlestis est, et venire quodammodò de cœlo in hunc mundum videtur, non quòd illic priùs fuerit, ut Origenes arbitrabatur; sed quòd non de terrâ, sed de cœlo, id est, non ex parentum traduce, sed ex solo Deo auctore originem trahat. Vera quidem sententia, sed subtilior, quàm ut credere debeamus eò spectâsse Joannem.

Res est facilis. Solent Hebræi hominem ità describere בוא עולם, *bo olam*, *venientem mundi*, id est, *in mundum*, hoc est, *nascentem*, quod apud eorum Rabbinos est frequens, cùm humanam naturam et homines universos volunt significare, et ne infantes quidem recenter natos excipere : quod alià simili phrasi dicunt *natos de muliere*, quemadmodùm loquitur Christus [1] ; venire enim in hunc mundum est nasci, sicut exire, mori [2]. Hoc idioma Joannes est imitatus, ut nullum prorsùs hominem exciperet; et fortassè ut ad solis lumen alluderet, quod ea tantùm illustrat, quæ intra ipsius, ut ità dicam, mundum, id est, intra ejus orbem, intra ejus sunt hemisphærium. Ergò neminem in utero, dicet aliquis, illuminat? Facessant argutiæ : venire in mundum, non solùm est nasci, sed etiam concipi : *Imperfectum*, inquit, *meum viderunt oculi tui* [3]. Uti potest quibuscum velit privilegio.

CORNELIUS A LAPIDE.

Erat (alia à Joanne, putà ipse Christus) *lux vera*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

Quæres cur Christus dicitur *lux vera*, vel ut græca nervosiùs habent, τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, id est, *illa lux illa vera?* Respondeo :

Primò, quia Verbum est prima, increata, naturalis et per essentiam lux : Joannes verò Baptista et cæteri Sancti sunt lux per Verbi communicationem et participationem dumtaxat, quia omnes lumen fidei et gratiæ emendicant à Christo, ceu luna et planetæ à sole : quarè, si cum Christo comparentur, quia in infinitum ab ejus claritate superantur, non merentur nomen lucis. Christus ergò solus lux est, et solus lucis nomen meretur, sicut Dei nomen est *Jehovah*, sive *qui est*, quia ipse est verum, essentiale, æternum et immensum ens; cætera verò omnia ab eo particulam entitatis hauriunt : quarè respectu Dei habent esse adeò imperfectum et diminutum, ut potiùs non esse quàm esse videantur; sunt enim quasi umbra entis quaquaversùm immensi, quod est Deus, qui proindè solus verum est ens, sive ὁ ὤν [4] : undè hìc Christus ait : *Est verus* (Deus Pater) *qui misit me* [5].

Secundò, Christus est vera lux mundi, quia ejus doctrina et fides opposita est falsis doctrinis et erroribus Gentilium philosophorum, Saracenorum, hæreticorum, atheorum, etc.; *vera* enim *lux* est, mera, pura, sincerà, clara, genuina, quæ nil habet ficti, nil obscuritatis, nil umbræ, nil diminutæ lucis.

Tertiò, quia Christus longè veriùs et perfectiùs nos illuminat, quàm omnis lux corporea, ut ab eà metaphorà ducatur, in quâ proindè lux spiritualis dicitur mereri sola nomen lucis, lux verò corporea ejus dumtaxat esse velut umbra. Simili modo et sensu ait Christus : *Ego sum vitis vera* [6], ac vocat se *verum panem* [7]. Sic alibi sæpè *verum* vocatur, id quod perfectum est, eminens et excellens.

Quartò, Christus est lux vera, quia latissimè et plenissimè quaquaversùm lumen suum diffundit : undè ubique ipse est vera lux; nam, ut explicans subdit Joannes: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Omnes enim fideles et Sancti, quanticumque et quotquot fuerunt à principio mundi, sunt et erunt, omne suum fidei et gratiæ lumen hauserunt, hauriunt et haurient à Christo. Joannes verò Baptista lux fuit Judææ dumtaxat, qui est angulus terræ, ideòque tempore Herodis tantùm. Simile est de cæteris Sanctis.

Deniquè Joannes et cæteri exteriùs tantùm, sonorà voce, auditores suos docuerunt, mentem verò per se et mediatè illustrare non potuerunt : utrumque autem facit Christus. Vox enim ferit aures

[1] *Matth.* XI, 11. — [2] *Job*, 1, 21; *Sap.* VII, 6; *Eccli.* V, 14 *et* I *Tim.* VI, 7. — [3] *Psalm.* CXXXVIII, 16. — [4] *Exod.* III, 14. — [5] *Joan.* VII, 28. — [6] *Id.* XV, 1. — [7] *Id.* VI, 55.

dumtaxat; sed Christus suâ gratiâ mentem ferit et illuminat : undè ipse solus dicitur *illuminare omnem hominem.*

Hâc de causâ Christus passim à Joanne vocatur *Veritas*, ut cùm Christus ait : *Ego sum via, veritas et vita*[1]. In Christo enim fuit omnis veritas, illaque quadruplex, scilicet veritas entis, veritas mentis, veritas oris, veritas operis.

Latet in occulto veritas; sic vera deitas latebat occulta in humanitate Christi. Eadem tamen semper latere non potest; nam ut ait Cicero pro Cœlio : « O magna vis veritatis, quæ contra hominum in-« genia, calliditatem, solertiam, contraque fictas « omnium insidias, facilè se per seipsam defendat! » Hinc veritas premi potest, opprimi non potest : perindè ut sol nubibus tectus latet, sed mox radiorum suorum vi nubes dissipat, et clarus effulget; sic et veritas, sic et Christus.

Quocircà *veritas* græcè dicitur ἀλήθεια, ab *ἀ* privativo, et λήθη, id est, *oblivio*, quòd oblivionem arceat, quòdque in eam nulla cadat oblivio, nullus error, nulla falsitas. Hanc haurimus à Christo, *tamquàm à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*[2].

Porrò magna est affinitas *verbi* et *veri*, sive *veritatis* : undè, licèt nonnulli apud Augustinum, Libro de Princip. Dialect., cap. 6, verbum derivent *à verberando*, vel *verberatu*, ut verbum sit *verber*, eo quòd verberato linguâ intra palatum aëre, formatur verbum, meliùs tamen Varro, et ex eo S. Augustinus, Libro 15 de Trinitate, cap. 11, verbum *à vero* et *veritate* deducunt, eo quòd verbum sit vera cogitationis, et rei cogitatæ intellectæque imago. « Quandò ergò quod est in notitiâ, hoc est in verbo, « *ait* S. Augustinus, tunc est verum verbum et ve-« ritas; » hoc autem semper est in Verbo hoc divino; nam humanum sæpè fallit et fallitur.

Illuminat omnem hominem, quantùm in ipso est : undè qui non illuminantur, sibi tribuant culpam, quia lumen fidei et gratiæ à Christo oblatum recipere nolunt; sicut sol illuminat omnes qui in domo sunt, quantùm est ex parte suâ; sed si quis fenestram claudat, impediet ne sol illam illuminet : hæc ipsius erit culpa, non solis; alludit enim ad solem, qui totum mundum illuminat. Ità S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, Theophilactus et Euthymius. Et patet ex præcedentibus; idem enim dicit cum eo quod dixit : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Loquitur de lumine supernaturali et gratiæ, licèt S. Cyrillus Alexandrinus explicet de lumine naturali rationis. Deus enim dedit cuique homini lumen rationis, ut per illud sciat quid bonum sit, quid malum; quid amplectendum, quid fugiendum.

Porrò S. Augustinus arctiùs hæc accipit; nam ut contra Pelagianos doceat non omnibus hominibus dari gratiam, scilicet congruam et efficacem, quæ eos convertat, justificet et beet, hâc de causâ τὸ *omnem hominem*

Primò, sic exponit : Ex omni hominum genere aliquos illuminat, v. g., aliquos ex Indis, aliquos ex Persis, aliquos ex Afris, aliquos ex viris, aliquas ex feminis, aliquos ex pueris, etc., ut sit distributio, non singulis generum, sed pro generibus singulorum, ut vocant Logici.

Secundò, sic exponit, quasi diceret : Omnis homo qui illuminatur, à Christo illuminatur, « quia nisi « ab ipso nullus illuminatur, » ait S. Augustinus in Enchiridio, cap. 102, et Libro 1 de Peccatorum meritis, cap. 25. Sic vulgò dicimus : Hic magister docet omnes pueros hujus civitatis, scilicet, eos qui doceri volunt, quasi dicamus : Nullus est qui doceat in hâc urbe, nisi hic magister : quarè qui doceri vult, hunc adeat oportet. Simili modo S. Augustinus exponit illud : *Deus vult omnes homines salvos fieri*[3].

Venientem in hunc mundum, id est, *nascentem in hoc mundo* : est hebraismus; sic enim solent Hebræi hominem, vel hominis nativitatem describere. Græcum ἐρχόμενον verti potest, *veniens*, scilicet, lux, quasi diceretur : Lux veniens in hunc mundum, id est, Christus nascens in mundo, quantùm est ex se, illuminat omnem hominem. Ità S. Augustinus, Libro 1 de Peccatorum meritis, cap. 25. Simili enim modo de Christo dicitur : *Lux venit in mundum*[4]; et : *Ego lux in mundum veni*[5]. Verùm Interpretes ferè omnes græci et latini vertunt, *venientem*, in accusativo.

JOANNES MALDONATUS.

10. *In mundo erat.* Mirum quanto consensu veteres Interpretes de Verbo, antequàm caro fieret, hunc locum intelligant, Origenes, aut quisquis auctor est Homiliæ 2 in diversos; Chrysostomus, Homil. 7; Augustinus, Tractatu 2; Cyrillus Alexandrinus, Lib. 1 in Joan., cap. 10; Theodoretus, in Comment. in cap. 1 Epistolæ ad Hebræos; Beda, Theophilactus, Euthymius et Rupertus : quasi de Verbi divinitate loquatur Joannes, quâ, antequàm in mundum veniret, in mundo et ubique erat, omnia implens, omnia sustinens, omnia conservans, omnia gubernans : potuisse cognosci ab hominibus ex ipsâ cognitione et contemplatione rerum, quia : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*[6]; et : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterat Crea-*

[1] *Joan.* XIV, 6. — [2] *Jac.* I, 17. — [3] I *Tim.* II, 4. — [4] *Joan.* III, 19. — [5] *Id.* XII, 46. — [6] *Psalm.* XVIII, 2.

tor omnium videri[1]; *invisibilia enim ipsius, à creaturà mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*[2]. Rationem quoque ejus rei duplicem reddunt. Alii, ut doceret Joannes numquàm stetisse per Verbum quominùs omnem semper hominem illuminaret, cùm semper in mundo fuisset, semper illuxisset. Alii, ne et ipsum videretur cum mundo factum esse. Juvit eam interpretationem verbum imperfecti temporis *erat*, quo semper antè usus fuerat, cùm æternitatem significabat : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Dicturum enim fuisse : In mundo fuit, sicut pòst paulò dixit : *In propria venit;* et : *Habitavit in nobis*, si de ejus in carnem adventu locutus fuisset. Fateor me præcipuam in hàc interpretatione probabilitatem invenire, quòd est omnium; nam cùm, remotis Auctoribus, verba considero, perspicere mihi planè videor Joannem de Verbo loqui facto jàm carne; sed, ut suprà diximus, per anticipationem. Quis enim non videt eodem contextu, eodem tenore, ac proindè eodem sensu dicere : *In mundo erat,* quo statim dicit : *In propria venit?* Cùm autem dicit : *In propria venit*, haut dubiè de adventu in carnem loquitur : ergò et cùm dicit : *In mundo erat,* loquitur de ejus in carne conversatione. Nec mihi quisquam objiciat priùs dicendum fuisse, venisse in propria, deindè in mundo fuisse, si de ejus in carne vità loquebatur. Si enim istas consectari libet subtilitates, objiciam et ego : Si in mundo priùs erat, quomodò in propria venit? Non loquebatur subtiliter, sed theologicè D. Joannes. Deindè, cùm addit : *Et mundus eum non cognovit,* non dubium quin mundi cæcitatem reprehendat, quòd, cùm potuerit ac debuerit Verbum, suî auctorem, agnoscere, errore obcæcatus non agnoverit. Ante Incarnationem autem non video quomodò aut debuerit, aut potuerit Verbum mundus agnoscere; nam ut Deum ex ipsà rerum conditione, ut ait D. Paulus[3], cognoscere potuerit, certè Verbum, id est, personam Filii non potuit. Constans enim omnium Theologorum sententia est, unum quidem Deum ex rebus effectis cognosci posse, tres verò personas non posse. Multò etiam uberior, multò vehementior sententia est, ut mundi simul cæcitatem, simul malignitatem arguat, quòd Auctorem suum, quem coram videbat oculis, et, ut ait idem Joannes, *manibus contrectabat*[4], agnoscere noluerit. Nec intelligo quorsùm hìc Joannes de Verbo ante Incarnationem loqui possit, cùm præcedentia omnia, ut docuimus [a], et omnia sequentia, de illo jàm carne facto intelligantur. Nam rationes illæ duæ, quas à nonnullis, cur id fecisset, afferri diximus, tenues sunt. Nec enim id Joannes agebat, ut doceret, aut Verbum non fuisse factum, quod satis jàm superque docuerat, cùm dixerat : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* aut per illud non stetisse quominùs homines illuminarentur, quod satis etiam probaverat, cùm dixerat : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Nec verbum imperfecti temporis magis illam, quàm hanc nostram opinionem juvat; nam græcè quidem ἦν utriusque temporis et imperfecti et perfecti vim habet; et, ut suprà docuimus [b], eam differentiam temporis non observavit, cùm in hoc Evangelio idem ἦν verterit *erat*, et alibi[5] reddiderit *fuit*, cùm de eodem Verbo sermo esset, et eadem esset omninò sententia. Adde potuisse et græcè Joannem, et latinè veterem Interpretem, cùm de Verbo jàm carne facto ageretur, hâc de causâ imperfecto potiùs quàm perfecto uti tempore, ut significaret Verbum non ad momentum modò temporis apparuisse, quod poterat verbum præteritum indicare; sed diù in mundo inter homines fuisse versatum, quod declarat præteritum imperfectum, quemadmodùm si dixisset : In mundo versabatur, in mundo habitabat, *et mundus eum non cognovit :* inter manus eum mundus habebat, et recipere ac tenere noluit. Invenio etiam Auctorem sententiæ meæ Gaudentium, Tractatu 12 in Evangel., cujus hæc verba sunt : « Etenim seducens humanum genus, ut derelicto « Deo ipsum satanam per simulacra coleret ma- « nufacta, principatum violenter tenuit, et exer- « cuit tyrannidem in tantùm, ut advenientem ve- « rum Principem suum non cognosceret mundus, « ipsius quippè diaboli præstigiis obcæcatus. Nam « *in mundo erat* Christus, ut Evangelista testa- « tur : *Et mundus per ipsum factus est, et* « *mundus eum non cognovit.* » Ex quibus verbis, nisi fallor, perspicuum est ità Gaudentium hunc locum intellexisse, ut mundus reprehendatur, quòd Christum ad se in carne venientem non agnoverit.

Et mundus per ipsum factus est. Hoc etiam plerique Auctores idcircò additum putant, ne, quia dixerat : *In mundo erat*, tamquàm creatura parsque una mundi in mundo fuisse putaretur, Augustinus, Cyrillus, Theophilactus. Ego congruenter interpretor superiori sententiæ, propterea hoc Joannem addidisse, ut doceret quàm ingratûs fuisset mundus, qui, cùm per Christum factus fuisset, ipsum tamen non agnovisset; hoc enim magis ad rem pertinebat, et magis cum sequentibus convenit; nam quâ de causâ hìc dicit : *Mundus per ipsum factus est*, et dicit aliis statim verbis : *In propria venit?* Illud autem dubium non est ideò

[1] *Sap.* XIII, 5. — [2] *Rom.* I, 20. — [3] *Id.* I, 19 *et* 20. — [4] I *Joan.* I, 1. — [5] *Ibid.*
Ad Versum 4. — [b] Ad Versum 1.

dixisse, ut mundi ingratitudinem exaggeraret; et hoc ergò eàdem dicit causâ.

Observaverunt multi relativum δι' αὐτοῦ, *per ipsum*, antecedens non habere generis ejusdem, nisi ad Λόγον, *Verbum*, quod præcesserat longissimè [a], referatur. Itaque eò quidem referunt; nam ad τὸ φῶς, *lucem* aut *lumen* referri non posse, quia *lux* græcè neutrius, αὐτοῦ, *ipsum*, masculini generis est. Alii sensum Evangelistam, non genus respexisse vocum; nam quia φῶς, *lucem*, Christum vocaverat, et Christus masculini generis est, usum fuisse relativo etiam masculino. Facilior meâ sententiâ res est. In omnibus superioribus periodis, cùm dixit: *Erat lux vera;* et: *In mundo erat*, ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, intelligebatur Λόγος, *Verbum*, quod græcè masculini generis est: cum eo igitur masculinum convenit relativum. Duo his verbis errores, ut ait Theophilactus, refutantur: alter Manichæorum, qui mundum ab alio nescio quo malo principio factum esse dicebant: alter Arianorum, qui Filium Dei inter creaturas annumerabant, cùm Joannes mundum, id est, creaturas omnes per ipsum factas fuisse testetur.

Et mundus eum non cognovit. Cùm quater hoc loco Joannes mundum nominaverit, manifestum est tribus primis locis mundum pro totâ creatarum rerum universitate accipi; hoc autem ultimò loco non sic, sed pro hominibus qui, cùm cognoscere Christum debuissent, non cognoverunt, ut Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Beda, Theophilactus et Euthymius annotaverunt; nec pro omnibus hominibus, sed pro iis tantùm qui terrena, id est, mundana sapiunt, ut Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophilactus et Euthymius admonuerunt; nam bonos quidem, et qui divina sapiebant, ipsum cognovisse, ut Abraham, qui *exsultavit ut videret diem ejus, vidit et gavisus est* [1], Prophetas qui non solùm cognoverunt, sed de illo etiam scripserunt [2]. Verùm Chrysostomus, qui hujusmodi utitur exemplis, loquitur convenienter opinioni suæ aliorumque, ut diximus, ferè omnium Auctorum, qui hìc de Verbo, antequàm caro fieret, agi putaverunt: nos qui de jàm facto carne agi credimus, aliis exemplis uti possumus. Non vocantur igitur mundus Apostoli, cæterique qui Christum receperunt; cognoverunt enim eum: sed vocantur mundus Pharisæi, et cæteri qui eum recipere noluerunt, quòd nimis essent amore hujus sæculi occupati; hi enim mundus dici solent [3]: probabiliùs tamen mihi videtur, ut pro omnibus hominibus mundus accipiatur, non quòd non aliqui cognoverint, sed quòd major pars non cognoverit; et ex majore parte mundus dicitur eum non cognovisse, sicut statim dicit: *Sui eum non receperunt*, et tamen aliqui sui receperunt: *Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Itaque, quod quidam observavit, nomen græcum κόσμος, *mundus*, semper hìc articulum habere, ut intelligamus eodem modo ubique accipi, verum non est, et cum omnium Auctorum sententiâ pugnat. Illud potiùs notandum erat, verbum ἔγνω, *novit* aut *cognovit*, non simplicem hoc loco cognitionem, sed agnitionem cum approbatione, receptione et obedientiâ conjunctam significare, quemadmodùm cùm dicimus: Venit rex in regnum suum, et regnum ipsum non cognovit, id est, noluit agnoscere ac recipere pro rege; quod enim hìc dicit: *Et mundus eum non cognovit*, dicit paulò pòst: *Et sui eum non receperunt.*

CORNELIUS A LAPIDE.

In mundo erat, scilicet Verbum, sive Filius Dei; hic enim, quà Deus, ab initio mundi erat in eo per essentiam, præsentiam et potentiam, atque per vim suam et providentiam mundi conservatricem et gubernatricem, juxta illud Pauli: *Non longè est ab unoquoque nostrûm*; *nam in ipso vivimus, et movemur, et sumus* [4]. Ità S. Chrysostomus, S. Augustinus cæterique Græci et Latini. Aliter Maldonatus: « Verbum, *inquit* [b], in mundo erat per humanitatem assumptam, postquàm per Incarnationem factum est caro. » Verùm de Incarnatione aget versu sequenti.

Et mundus per ipsum factus est. Τὸ *et* accipitur pro *quinimò*, aut nervosiùs pro *quia*, ut sit causale, quasi diceretur: Ideò Verbum erat in mundo, quia per ipsum mundus creatus est, conservatur et subsistit; Verbum enim est quasi basis, imò quasi anima mundi, ut censuit quoque, Gentilis licèt, Plato. Sapienter Philo: « Creatori, *ait*, proprium « est benefacere; creaturæ gratias agere. » Verùm ipsa sui officii sæpè obliviscitur, Deus numquàm: imò in ingratos quoque beneficus est.

Et mundus eum non cognovit. Est hellenismus; græcizat enim Interpres, quia vertit, *eum*, scilicet Λόγον, id est, Verbum; Λόγος enim Græcis est masculini generis, cùm alioqui latinè dicendum fuisset *illud*, scilicet Verbum. Simile est aliis locis Scripturæ [5]. Inculcat Joannes ingratitudinem mundi, quòd suum auctorem, quem semper habet præsentem, et à quo creatus est et conservatur, putà Verbum, sive Filium Dei, non cognoverit.

Porrò ludit in voce *mundus*. Primò enim propriè mundum accipit pro toto universo, et omnibus quæ in eo sunt; hæc enim omnia à Verbo sunt

[1] *Joan.* VIII, 56. — [2] *Luc.* XXIV, 27. — [3] *Joan.* III, 19; VIII, 23; XV, 18 *et* 19; XVI, 8 *et* 33; XVII, 9, 14 *et* 16 *et* 1 *Joan.* II, 16. — [4] *Act.* XVII, 27. — [5] *Hebr.* IX, 2, *et alibi.*

[a] Versu 1. — [b] Vide suprà.

facta. Cùm ergò subdit : *Et mundus eum non cognovit*, per mundum intelligit incolas mundi, putà homines mundo deditos, et divina non sapientes; hi enim non cognoverunt suum auctorem, putà Verbum, sive Filium Dei. Ità S. Augustinus, S. Chrysostomus, Theophilactus et Euthymius.

Nota hìc ex mundi opificio naturaliter posse cognosci Deum unum in essentiâ, non autem trinum in personis, ac consequenter ex eo non posse cognosci Verbum, quà Verbum. Culpat ergò mundum, id est, mundanos homines Joannes, quòd Verbum, non quà Verbum, sed quà Deum mundi creatorem, ex mundi fabricâ, quasi ex ungue leonem, et ex picturâ Apellem non cognoverint. Et sic respondetur rationi Maldonati, qui ex hisce verbis contendit Joannem loqui hìc de Verbi Incarnatione, quasi diceret : Mundani non cognoverunt Verbum incarnatum, scilicet Jesum esse Deum Deique Filium ; nam iidem cognoverunt ex mundi fabricâ deitatem, sive unum Deum mundi opificem. Hæc Maldonatus [a]. Sed respondetur eos non cognovisse Verbum, ut Verbum, sive personam Filii, ut dixi : quinimò multi ex mundi fabricâ non cognoverunt Deum, ejus fabricatorem. Fateor nonnullos, ut Patriarchas et Prophetas, cognovisse Verbum, sive Dei Filium, de eoque prophetâsse ; verùm hi illud cognoverunt ex peculiari Dei revelatione, non ex fabricâ mundi. Deplorat ergò Joannes humanæ infirmitatis, post lapsum in peccatum, cæcitatem et ignorantiam, quòd cum fide amiserit cognitionem sui Creatoris et Salvatoris, putà Verbi, sive Filii Dei.

11. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Arabic. : *Ad proprios venit, et proprii eum non receperunt.* Undè per *propria* vel *proprios* Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Theophilactus et Euthymius accipiunt Judæos ; hi enim erant populus Deo proprius, Deique cultui et Ecclesiæ dicatus. Meliùs iidem per *propria* et *proprios* accipiunt totum mundum, omnesque homines mundi incolas ; idem enim dicit Joannes, aliisque verbis, more suo, repetit et inculcat cum eo quod paulò antè dixit : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Audi S. Cyrillum in Concilio Ephesino : « Venit Unigenitus ad proprios, et præcipuè ad Israelitas, « simul atque carne sumptâ factus est homo. »

Et sui, non omnes, sed multi ; nam nonnulli Jesum ut Christum receperunt, sicut 12 Apostoli, 72 discipuli, et alii usque ad 500 [1] ; sed hi, præ reliquis Judæis qui eum non receperunt, fuere pauci : quæ sanè fuit magna Judæorum ingratitudo et malitia, Christi verò mortificatio, contemptus et humiliatio non exigua ; Dei autem consilium admirabile, et judicium inscrutabile, ut per Judæorum repulsum, Evangelium ab Apostolis transferatur ad Gentes toto orbe diffusas, uti docet Apostolus [2].

JOANNES MALDONATUS.

In propria venit, εἰς τὰ ἴδια, quasi in propriam possessionem aut in propriam domum, ut sunt plura exempla [3], aut in terram suam, in populum suum, ut adest aliud exemplum [4] : quod multi ad populum Judæorum referunt, qui *populus Dei peculiaris* dicebatur [5], et ad eum Christus tamquàm ad propriam possessionem, ad proprium regnum venit, ut habetur locis notatis [6]. Sic Cyprianus, Libro 1 adversùs Judæos, Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophilactus, Euthymius et Rupertus. Alii, in universum mundum, qui ipsius erat, ad omnes homines, quia omnes ipsius erant, ut Irenæus, Libro 3, c. 11, Clemens Alexandrinus, Libro 7 Stromatum, et Origenes, aut alius quis auctor Homiliæ 2 in diversos Evangelistas : quam interpretationem illi etiam omnes Auctores probant, quos modò in alterâ citavimus. Ego multò etiam magis quàm alteram probabilem judico. Nec enim de eo titulo Joannes agebat, quo populus Judæorum proprius et peculiaris dicebatur, quòd ab eo electus esset, quòd legem et futuras Messiæ promissiones accepisset, sed de eo potiùs quo universus omninò mundus ejus erat, quia per ipsum erat factus ; quod enim antè dixerat : *Et mundus per ipsum factus est*, dicit nunc : *In propria venit*, indicans propterea *in propria*, id est, suum venisse mundum, quia mundus per ipsum factus fuerat. Venit nunc in mentem Irenæum, Libro 3, c. 11, Cyprianum, Libro de Oratione Dominicâ et Libro 1 contra Judæos, et Augustinum, Tractatu in Joan. 2, legere : *In sua propria venit ;* Marium verò Victorinum, Libro 4 contra Arianos : *In sua venit* : quod, etsi non magni admodùm refert, monere volui.

Et sui eum non receperunt, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτοῦ, *proprii ipsius*, ad verbum, id est, *domestici ejus ;* dixerat enim *in propria*, id est, in mundum, quasi in domum suam venisse : dicit nunc *à suis*, id est, *à suis domesticis* receptum non fuisse. Hàc ratione majorem vim habent verba, quàm si simpliciter interpretemur : *Sui*, id est, Judæi *non receperunt*, quemadmodùm illi Auctores exponunt, quos paulò antè nominavimus. Quid sit recipere, vel non recipere Christum, declaratur his verbis : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine*

[1] I *Cor.* XV, 6. — [2] *Rom.* XI, 11. — [3] *Joan.* XIX, 27 *et Act.* XXI, 6. — [4] *Joan.* XVI, 32. — [5] *Deut.* VII, 6 ; XIV, 2 *et* XXVI, 18. — [6] *Matth.* XV, 24, *et* XXI, 37 *et* 38.

[a] Vide suprà.

ejus : credere ergò in eum, est eum recipere : non credere, non recipere. Apparet etiam ex proximis verbis non esse universè intelligendum, quod dicit : *Sui eum non receperunt;* aliquos enim recepisse statim dicit; sed quia non cuncti receperunt, aut major pars non recepit, generaliter dicit *à suis* receptum non fuisse.

CORNELIUS A LAPIDE.

12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, id est, in nomen ejus, hoc est, in eum; nomen enim Christi ejus personam significat. Pronomen *qui* refer, non ad *filios Dei*, sed ad *quotquot.* Patet ex græco οἳ, quod, cùm sit masculinum, nequit referri ad neutrum τεκνά, id est, *filios*, sed ad ὅσοι, id est, *quotquot.* Sensus est, quasi diceret : Quotquot Christum receperunt, putà, omnibus his qui credunt in nomen ejus, ejusque fidei et legi obediunt, dedit potestatem filios Dei fieri. Sic se explicat S. Joannes : *Omnis*, inquit, *qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est* [1].

Potestatem, græcè ἐξουσίαν, id est, dignitatem, potestatem, facultatem, libertatem et jus, ut scilicet, hoc ipso quòd Christum fide et fidei sacramento, id est, baptismo, aut certè fide per charitatem formatà, quæ votum sive desiderium baptismi includit, recipiunt, simul quidem tempore, sed posterius naturà justificentur, fiantque et sint (græcum enim γενέσθαι, et *fieri* et *esse* significat) filii Dei adoptivi per participationem et gratiam, sicut ipse Christus est Filius Dei naturalis per suam hypostasim divinam.

Quocircà Clemens Alexandrinus, Oratione adhortatoriâ ad Gentes, ait Christum suà Incarnatione terram in cœlum mutàsse, ac ex hominibus Angelos, imò deos fecisse, ideòque ipsum pulchrum esse Aurigam, qui currum sive bigam fidelium, putà Judæorum et Gentium, agat in cœlum, dirigatque ad beatam immortalitatem.

Igitur vox ἐξουσία significat tùm dignitatem filiationis divinæ, tùm libertatem arbitrii nostri, ad eam liberè per fidem capessendam; non enim ait : Fecit illos filios Dei, sed : *Dedit potestatem*, id est, liberam facultatem *filios Dei fieri*, si videlicet liberè illi credere et obedire velint. Negant hoc Calvinus et Beza; sed asserit S. Augustinus, Libro de Spiritu et Litterâ, cap. 31, quia « hanc, *inquit*, di« cimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas « faciendi : undè hoc quisque in potestate habere « dicitur, quod, si vult, facit; si non vult, non fa« cit. » Idem asserunt S. Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius, Beda et alii passim. Audi S. Chrysostomum : « Quemadmodùm ignis si me« tallorum terram attigerit, eam quamprimùm au« rum reddit; sic et longè magis pro luteis aureos « eos baptisma facit, quos abluerit; cùm Spiritus « sanctus tamquàm ignis illâ ipsâ horâ animos no« stros ingrediatur, et terrenâ absumptâ similitu« dine, cœlestem illam, novam et claram, tam« quàm ex fornace fulgentem, referat. Et cur non « dixit : Fecit eos filios Dei fieri? Ut ostenderet « multâ nobis opus esse diligentiâ, ut adoptionis « nobis per baptisma impressam imaginem puram « servemus atque intactam, præterea quòd nemo « hanc nobis potest auferre potestatem, nisi pri« mùm nobis ipsis abstulerimus. » Et paulò pòst : « Simul autem declarare voluit, gratiam non te« merè, neque sine labore nostro in nos infundi, « sed cùm ipsi volumus, cùm eam inquirimus; in « nostrâ enim potestate est filios Dei fieri. Quippè « nisi primùm ad eam accipiendam promptum ani« mum exhibeamus, neque divinum ad nos munus « accedit, neque quidquam in nobis operatur. Ubi« que igitur non violentum, non coactum, sed vo« luntarium penitùs et liberum nobis ostendit ar« bitrium. »

Dices : Fides æquè ac filiatio Dei est donum Dei : ergò illud non est positum in arbitrio hominis.

Respondeo : Nego sequelam; Deus enim fidem, spem, charitatem, reliquasque virtutes et dona sua hominibus non indit invitis, vel incogitantibus, sed cogitantibus, volentibus, consentientibus et cooperantibus liberè. Hoc est enim quod ait hìc S. Joannes, Deum dedisse potestatem filios Dei fieri his qui liberè Christum per fidem et obedientiam receperunt, exclusis iis qui eum recipere noluerunt. « Datur potestas ut filii Dei fiant, qui credunt in « eum, cùm hoc ipsum datur ut credant in eum, « ait S. Augustinus, Libro 1 contra 2 Epist. Pelag., « cap. 3. » Datur autem hoc à Deo, cùm Deus ità per gratiam suam illuminat et movet mentem hominis, ut ipsa liberè consentiat et credat.

Filios Dei fieri. Maxima est hæc hominis dignitas et sublimatio, per quam fimus *divinæ consortes naturæ,* ait S. Petrus [2]. Verè S. Leo, Sermone 6 de Nativitate [a] : « Omnia, *inquit*, dona excedit « hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et « homo Deum nominet Patrem. » Quocircà idem, Sermone 1 de Nativitate [b], docet hominem debere imitari Deum Patrem, ejusque mores induere, ut vitam agat divinam, non terrenam, non animalem. « Agnosce, *inquit*, ô Christiane, dignitatem tuam, « et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem « vilitatem degeneri conversatione redire. » Et Sermone 6 [c] : « Genus electum et regium regene« rationis suæ respondeat dignitati : diligat quod

[1] I *Joan.* V, 1. — [2] II *Petr.* I, 4.

[a] Quem Sermonem videre est infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini. — [b] Ibidem. — [c] Ibidem.

« diligit Pater, et in nullo ab Auctore suo dis- « sentiat, ne iterùm dicat Dominus : *Filios « enutrivi et exaltavi ; ipsi autem spreverunt « me*[1]; » sed sequatur illud : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*[2]. Hi ergò, *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, similes Unigenito Dei, cui Pater ab æterno dixit : *Filius meus es tu : Ego hodiè genui te*[3].

Nota. In hâc generatione et filiatione, Pater est Deus, semen est gratia præveniens, mater est voluntas ei consentiens et cooperans, proles est homo justus, anima est charitas. Rursùm exemplar hujus filiationis est filiatio Verbi Dei; sicut enim Deus Pater ab æterno genuit Filium sibi consubstantialem et æqualem per omnia; ità illius ad instar, in tempore gignit filios, qui per gratiam sint id quod Filius Dei est per naturam. Nostra ergò filiatio est imago filiationis divinæ. Hoc est quod ait Apostolus : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*[4]; et : *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei; non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater*[5]. Idipsum probat subdens : *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei ; si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur*[6].

Porrò ut hanc Dei adoptionem profundiùs inspiciamus, ambiamus et suspiciamus, notandum est in eâ non tantùm animæ infundi gratiam, charitatem, aliaque dona Spiritûs sancti; sed etiam ipsum Spiritum sanctum, qui est primum et increatum donum, quod Deus donat hominibus. Potuisset Deus in justificatione, per gratiam et charitatem infusam nos tantùm facere justos et sanctos; illaque magna fuisset gratia Dei et beneficentia, etiamsi nos in filios suos non adoptàsset; sed hàc non contentus, voluit nos ità facere justos, ut simul faceret et adoptaret in filios. Rursùm hanc adoptionem facere potuisset, dando nobis solam charitatem, gratiam et dona creata ; gratia enim est participatio divinæ naturæ in summo gradu, quantùm scilicet deitas à creaturâ, non tantùm naturaliter, sed et supernaturaliter participari potest. Majus itaque priori fuisset hoc Dei beneficium. Verùm eo non contentà immensa Dei bonitas, voluit simul nobis dare seipsam, ac per se nos sanctificare et adoptare. Quocircà Spiritus sanctus sponte suâ se annexuit suis donis, gratiæ et charitati, ut quandocumquè ea infundit animæ, simul cum eis et per ea infundat seipsum personaliter ac substantialiter, juxta illud Apostoli : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*[7]. Quocircà Apostolus eum vocat *Spiritum adoptionis*[8]. Hæc ergò est summa Dei nostri dignatio, æquè ac nostra summa dignitas et exaltatio, quà recipientes charitatem et gratiam, simul recipimus ipsam personam Spiritûs sancti, quæ se sponte charitati et gratiæ inserit et annectit, ac per ea nos inhabitat, vivificat, adoptat, deificat, agitque ad omne bonum. Vis majora? Accipe. Spiritus sanctus descendens personaliter in animam justam, secum adducit cæteras divinas personas, Patrem et Filium, utpotè à quibus separari nequit. Tota ergò Trinitas personaliter et substantialiter venit ad animam quæ justificatur et adoptatur, in eàque, quasi in suo templo, manet et inhabitat, quamdiù illa in justitià perdurat, juxta illud : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*[9]; et : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*[10]. Hoc est quod Christus moriturus, in divinissimâ illâ Oratione ad Patrem rogavit et impetravit, dicens : *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*[11], ut scilicet Spiritum sanctum unum et eumdem participent, et in ipso uniantur, et per ipsum cæteris personis divinis : itaque in ipso omnes unum sint, quia Spiritus sanctus, qui ab omnibus participatur, et qui in omnibus est, unus et idem est. Undè omnes in unicâ re individuâ unum sunt, scilicet in Spiritu sancto, sicut tres personæ divinæ unum sunt in unâ naturâ divinâ, eàque singulari et individuâ. Ità explicant S. Cyrillus, Libro 11 in Joan., c. 26, S. Athanasius, Oratione 4 contra Arianos, et ex eis Toletus. In justificatione ergò et adoptione animæ infunditur gratia et charitas, ac cum iis Spiritus sanctus, totaque deitas et SS. Trinitas, quæ se hisce suis donis substantialiter quasi annexuit et inclusit, ut nos sibi substantialiter uniat, sanctificet, deificet et adoptet : quà adoptione, primò, accipimus summam dignitatem filiationis divinæ, ut reipsa non tantùm accidentaliter per gratiam, sed et quasi substantialiter per naturam simus filii Dei, et quasi dii ; Deus enim suam naturam realiter nobis communicat et donat. Secundò, per eamdem quasi filii accipimus jus ad hæreditatem cœlestem, putà ad beatitudinem omniaque Dei Pàtris nostri bona. Tertiò, per eamdem nanciscimur miram dignitatem operum et meritorum, ut scilicet opera nostra quasi filiorum Dei substantialium, ut ità dicam, maximæ sint dignitatis, valoris et pretii, ac planè

[1] *Isai.* I, 2. — [2] *Matth.* V, 48. — [3] *Psalm.* II, 7. — [4] *Rom.* VIII, 29. — [5] *Id.* 14 et 15. — [6] *Id.* 16 et 17. — [7] *Id.* V, 5. — [8] *Id.* VIII, 15. — [9] I *Joan.* IV, 16. — [10] I *Cor.* VI, 17. — [11] *Joan.* XVII, 21.

commensa et condigna suo præmio, putà æternæ vitæ et gloriæ cœlesti, utpotè quasi procedentia ab ipso Deo Spirituque divino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, iisque cooperatur.

Ex dictis sequitur, primò, quòd justitia inhærens, sive gratia justificans, per quam sanctificamur et adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur, sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, aliaque dona, ac ipsum Spiritum sanctum donorum auctorem, ac consequenter totam SS. Trinitatem; hæc enim omnia in justificatione infusa accipit homo, ut ait Concilium Tridentinum, Sessione 6, c. 7.

Sequitur, secundò, falli eos, qui in justificatione et adoptione censent dari Spiritum sanctum dumtaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam et personam; contrarium enim docet S. Bonaventura in Libro 1 Sententiarum, Distinct. 14, Art. 2, Quæst. 1, quà totâ ostendit Spiritum sanctum non tantùm in effectu, sed etiam in propriâ personâ, quasi donum increatum justis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docent Magister Sententiarum, Libro 1, Distinct. 14 et 15, ex S. Augustino et aliis, et Scotus, Gabriel, Marsilius, ibidem. Idem clarè asseverat S. Thomas, Part. 1, Quæst. 43, Art. 3 et 6, et Quæst. 38, Art. 8: ubi ostendit Spiritûs sancti nomen proprium esse donum, quia ipse donatur omnibus justis. S. Thomam sequuntur ejus discipuli, ac PP. Vasquez, Valentia, et maximè Suarezius, Libro 12 de Deo trino et uno, c. 5, n. 8, 11 et 12, qui indè infert, quòd Spiritus sanctus novo modo secundùm substantiam suam incipiat præsens esse in animâ justi, quò antè non erat, citatque pro hâc sententiâ S. Leonem, S. Augustinum, S. Ambrosium; adeòque eam certam esse asserit, ut contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Scripturâ [1]. Rationem dat Suarezius, n. 12, « quia, « *inquit*, dona gratiæ vi suâ et quasi connaturali « jure, postulant realem ac personalem præsentiam « Dei in animâ, per talia dona sanctificatâ; quia, « si per impossibile fingamus Spiritum sanctum « non esse aliàs realiter præsentem intra animam, « eo ipso quòd anima talibus donis afficeretur, « ipsemet Spiritus sanctus veniret ad eam per præ« sentiam personalem, et maneret, quamdiù gratia « in illâ duraret. Simili modo, *inquit*, Verbum « præsens est humanitati Christi, ut, si per im« possibile anteà non fuisset illi præsens, jàm per « unionem hypostaticam illi fieret personaliter et « intimè præsens. » Addit deindè rationem moralem, quòd scilicet per gratiam fiat perfectissima amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam amici, putà Spiritûs sancti, qui manet in animâ amici sui, ut illi intimè uniatur, in eâque tamquàm in templo suo resideat, colatur, ametur et adoretur.

Ex hâc communicatione ipsiusmet personæ Spiritûs sancti et divinitatis, sequitur animæ summa cum eo unio, elevatio, et quasi deificatio, ac consequenter adoptio perfectissima, scilicet non tantùm per gratiam, sed et per substantiam divinam, quia per eam non tantùm jus ad hæreditatem Dei Patris, sed et naturæ divinæ participationem, ipsumque Spiritum sanctum ac Dei filiationem, non tantùm accidentaliter, sed quasi substantialiter, eo sensu quo paulò antè dixi, adipiscimur. Sicut enim apud homines propriè pater dicitur, qui naturam suam filio communicat; sic Deus, dando nobis cum donis et per dona Spiritum sanctum, naturam suam divinam communicat, eoque modo propriè et perfectè nos facit et adoptat in filios. Undè S. Basilius, Homiliâ de Spiritu sancto, ait sanctos propter inhabitantem Spiritum sanctum esse deos; dictum enim est illis à Deo: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* [2]; indèque probat Spiritum sanctum esse Deum: « Necesse est enim, *inquit*, divinum « esse Spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis « est causa. » Jàm sicut prioris adoptionis per gratiam causa formalis est ipsa gratia; ità hujus secundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipsius Spiritûs sancti, causa formalis est ipse Spiritus sanctus animam justi inhabitans; medium verò est ipsa gratia.

Sequitur, tertiò, quòd adoptio nostra, licèt in se una sit, virtute tamen sit duplex. Prior est, quâ adoptamur in filios Dei per charitatem creatam, et gratiam animæ infusam; hæc enim est summa participatio divinæ naturæ. Posterior est, quâ per gratiam adipiscimur ipsum Spiritum sanctum ejusque naturam divinam; ac per eum quasi deificamur, et in filios Dei adsciscimur. Porrò utraque hæc adoptio hîc inchoatur per gratiam; sed in cœlo perficietur et solidabitur per gloriam æternam, quâ hæreditatis Dei possessionem reipsa nanciscemur (ideòque firmè et immobiliter, sine ullo timore vel periculo eam umquàm amittendi), Deoque intimè uniemur et fruemur per visionem beatificam, quâ novo modo Deus seipsum substantialiter animæ beatæ communicabit, illique intimè et suavissimè illabetur, seque insinuabit. De hâc ait Apostolus: *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem* (id est, adoptionis, putà hæreditatis ad quam adoptati sumus, possessionem) *filiorum Dei exspectantes* [3]: et S. Joannes: *Ecce*, ait, *tabernaculum Dei cum homini-*

[1] I *Cor.* VI, 19; *Rom.* V, 5; I *Joan.* IV, 16; *Joan.* XIV, 26, 17 *et* 23 *et id.* XVI, 7. — [2] *Psalm.* LXXXI, 6. — [3] *Rom.* VIII, 23.

bus, et habitabit cum eis; et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus[1]; et : *Qui vicerit, possidebit hæc; et ero illi Deus, et ille erit mihi filius*[2].

Sequitur, quartò, quòd, sicut Christus est Filius Dei naturalis, tùm quà Deus, per generationem æternam, tùm quà homo, per unionem hypostaticam; ità nos simus filii Dei adoptivi, sed longè nobiliùs, quàm sunt filii adoptivi hominum. Illi enim nihil physicum recipiunt à patre adoptante, sed tantùm denominationem moralem, per quam jus ad ejus hæreditatem consequuntur; nos verò recipimus à Deo gratiam, et cum gratià ipsam Dei naturam, ut, sicut apud homines pater propriè dicitur, qui alteri communicat suam naturam humanam, generatque hominem; ità Deus dicatur pater non tantùm Christi, sed et noster; quia naturam suam nobis communicat per gratiam, quam Christo communicavit per unionem hypostaticam, ut ejus fratres nos efficeret, juxta illud : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;* et : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus,* etc., *sed ex Deo nati sunt.*

Moraliter. Ex his disce quantùm et quàm inæstimabile sit filiationis et adoptionis divinæ beneficium. Pauci illud tantæ dignitatis esse sciunt, quantæ jàm esse ostendi: pauciores illud ponderant eo pondere quod meretur. Sanè quisque in se illud venerabundus admirari deberet, ac doctores et prædicatores illud populo, eo modo quo jàm exposui, explicare et inculcare, ut fideles et sancti sciant se esse templa animata Dei, seque Deum ipsum in corde portare; ac proindè divinè cum Deo ambulent, et dignè cum tanto hospite conversentur, qui ubique eos comitatur, ubique adest, ubique intuetur. Meritò Apostolus : *An nescitis,* ait, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro*[3]. Et S. Leo, Sermone 1 de Nativitate : « Agnosce, ô Christiane, etc. [a]. Et S. Augustinus, Sermone 24 de Tempore : « Prima, *ait,* nativitas ex masculo et « feminà : secunda nativitas ex Deo et Ecclesià. « Ecce ex Deo nati sunt. Undè factum est, ut habi- « taret in nobis. Magna mutatio! Ille factus caro, « iste spiritus! Quid est hoc? Qualis dignatio, fra- « tres mei! Et erigite animum ad speranda et ca- « pienda potiora : nolite adjicere cupiditatibus « sæcularibus. Pretio empti estis : propter vos « *Verbum caro factum est* : propter vos, qui erat « Filius Dei, factus est filius hominis, ut qui eratis « filii hominum, efficeremini filii Dei. » Idem in Psalmum 52 : « Filii, *ait,* hominum sunt, quandò « malè faciunt : quandò benè, filii Dei. Hos enim « facit Deus ex filiis hominum filios Dei, quia ex « Filio Dei fecit Deus filium hominis. Videte quæ « sit illa participatio divinitatis! Filius enim Dei « particeps nostræ mortalitatis effectus est, ut « mortalis homo fiat particeps divinitatis suæ. Qui « tibi promisit divinitatem, ostendit in te charita- « tem. » Audi et S. Cyrillum Jerosolymitanum, Catechesi 7 : « Hoc itaque, *ait,* cognoscentes, spiri- « taliter conversemur, ut adoptione Dei digni « efficiamur; *qui* enim *spiritu Dei ducuntur, isti* « *sunt filii Dei,* etc.[4]; ne fortè et illud nobis di- « catur : *Si filii Abraham essetis, opera Abra-* « *ham faceretis*[5]? Si enim eum patrem vocamus, « qui opus cujusque sine personæ acceptione judi- « cat, non sine timore incolatûs seu peregrina- « tionis nostræ tempus transigemus, *non diligen-* « *tes mundum, nec ea quæ in mundo sunt*[6]; qui « enim diligit mundum, non est dilectio Patris in « illo. Itaque, dilectissimi, Patrem cœlestem per « opera glorificemus, *ut videant opera nostra* « *bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlo* « *est*[7]. *Omnem sollicitudinem nostram in illum* « *projiciamus*[8]; *scit enim Pater noster, quibus* « *opus habeamus*[9]. » Audi et S. Ambrosium, Libro 5 de Fide, cap. 3 : « In quibus, *inquit,* Deus « Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per « Filium adsciscit in gratiam filiorum; ut quemad- « modùm per imaginem ad imaginem sumus, sic « per generationem filii in adoptionem vocemur. » Et mox : « *Estote perfecti, sicut et Pater ve-* « *ster cœlestis perfectus est*[10]. Quod si ille se- « cundùm plenitudinem majestatis suæ perfectus « est, nos autem perfecti secundùm virtutis acce- « dentis profectum. »

Hoc est quod admirans stupensque Christianis inculcat S. Joannes : *Videte,* ait, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Charissimi, nunc filii Dei sumus; et nondùm apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*[11]. Cogita in humanis quanta sit dignitas esse filium principis, regis, imperatoris (hic enim filius hoc ipso dignior est cæteris omnibus totius regni hominibus); et scito idem in divinis esse censeri filium Dei. Esse ergò filium Dei in immensum ampliùs est, quàm esse regem, pontificem, imperatorem, dominum

[1] *Apoc.* XXI, 3. — [2] *Ibid.* 7. — [3] I *Cor.* VI, 19 *et* 20. — [4] *Rom.* VIII, 14. — [5] *Joan.* VIII, 39. — [6] I *Joan.* II, 15. — [7] *Matth.* V, 16. — [8] I *Petr.* V, 7. — [9] *Luc.* XII, 30. — [10] *Matth.* V, 48. — [11] I *Joan.* III, 1 *et* 2.

[a] Sermone 1 in Nativitatem Domini, infrà, usquè ad finem.

cœli et terræ, imò quàm esse Angelum, Archangelum, Cherubinum, Seraphinum. Quàm ergò hæc filiatio Dei ambienda, quàm suscipienda, quàm sollicitè conservanda, et, si amissa sit, recuperanda! Quantæ pro eâ à quolibet justo gratiæ Deo agendæ! Quantâ fiduciâ, amore et reverentiâ ipse justus cum Deo, quasi filius cum patre, jugiter agere et versari debet! Nimirùm cum Noe, Enoch, Abraham, in generatione suâ sit perfectus, ambuletque cum Deo, et Angelis potiùs sit familiaris, quàm hominibus. Verè S. Cyprianus, Libro de Spectaculis : « Numquàm, *inquit*, humana opera mirabitur, « quisquis se cognoverit filium Dei. Dejicit se de « culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid « post Deum potest. » Idem, Tractatu de Oratione Dominicâ : « Quandò, *ait*, Deum Patrem dicimus, « quasi filii Dei agere debemus, ut, quomodò nos « nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et « ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, et « Deum in nobis constet habitare, ut qui cœlestes « et spiritales esse cœpimus, nonnisi spiritalia et « cœlestia cogitemus et agamus. »

JOANNES MALDONATUS.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Primo loco quærendum quorsùm hoc Joannes addiderit. Indicat Chrysostomus voluisse ex beneficio singulari, quod ii qui eum receperunt, sunt consecuti, docere, quid ii perdiderint, qui ipsum recipere noluerunt. Aliam quoque possumus rationem reddere, voluisse causam explicare, quamobrem *in propria venisset*, nimirùm, ut eos qui se reciperent, filios Dei faceret. Quod autem dicit : *Quotquot*, etc., rectè Chrysostomus, Homil. 9, Cyrillus Alexandrinus, Libro 1, c. 13, Beda, Theophilactus et Euthymius expenderunt, significare nullam gentis, nullam personarum rationem habuisse, sed omnes qui se recepissent, sive Judæi, sive Græci, sive Barbari, sive liberi, sive servi essent, filios Dei effecisse [1]. Videtur alludere ad Judæos, qui Christum, qui illis potissimùm venerat, recipere noluerunt, ut Cyrillus Alexandrinus existimat; illi enim antè filii Dei vocabantur : *Tu*, inquiunt, *pater noster es*, *et Abraham nescivit nos* [2]. Cùm autem filii, qui eum primi recipere debuerunt, recipere noluissent, transtulit ad Gentes jus adoptionis, eosque omnes sine discrimine, quicumque recipere voluerunt, in filios elegit [3]. In verbis quæ sequuntur, magna esse creditur difficultas, quomodò Christus iis qui se receperint, potestatem dedisse dicatur, ut fierent filii Dei, cùm jàm recipiendo ipsum filii Dei facti essent; ipsum enim recipere esse filium Dei fieri : quod verba etiam paulò pòst sequentia confirmant : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt;* eos enim quibus potestatem dedisse dicit, ut filii Dei fierent, ex Deo jàm natos fuisse ait; quid autem est aliud, filium Dei esse, nisi natum esse ex Deo ?

Cyrillus Alexandrinus etsi quæstionem non attigit, tamen duas indicat solutiones. Alteram, cap. 13, dedisse Gentibus *potestatem filios Dei fieri*, cùm crederent. Itaque, antequàm crederent, hanc illis dedisse potestatem, eo ipso quòd repulsum à Judæis ad eas transtulit Evangelium. Non videtur hæc interpretatio cum illis verbis convenire : *Iis qui credunt in nomine ejus;* nam illis ipsis qui jàm credebant, hanc significat datam fuisse potestatem, ut fierent filii Dei; neque cum illis aliis : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt;* iis enim qui jàm per fidem ex Deo nati erant, potestatem ut filii Dei fierent, datam dicit. Alteram indicat, cap. 14, et Pacianus, Libro de Pœnitentiâ contra Novat., quam et Theophilactus refert, dedisse jàm credentibus potestatem, ut filii Dei fierent, cùm baptizarentur; per baptismum enim hominem regenerari. Probabilior hæc est; sed adhuc illud manet: Quomodò filii non erant, qui jàm ex Deo nati erant ?

Alias duas Theophilactus tradit. Altera est, quam et Chrysostomi, Augustini, Bedæ et Euthymii fuisse sententiam non obscurè ex eorum colligitur Commentariis, hominem non per solam fidem filium Dei fieri, nisi et charitas et opera charitatis accedant. Ergò per fidem jus tantùm et potestatem hominem accipere, ut filius Dei fiat : per charitatem fieri. Verissima sententia; eodem enim modo regeneratio, quo generatio nostra, inchoatur atque perficitur. Cùm generamur, primùm ex parentum semine concipimur, caro informis, rudis, inanis; necdùm filii eorum qui nos genuerunt, vocari possumus. Aliquanto pòst tempore, accedit anima : tunc verè sumus filii, quia homines parentibus similes sumus. Idem in regeneratione fit. Semen divinum est fides : fide concipimur, sed non animamur : nondùm filii propriè dici possumus, quia non vivimus; *fides enim sine operibus mortua est* [4]. Anima est charitas : cùm ea ad fidem accedit, vivere incipimus et esse filii; et quia charitatem, nisi qui fidem habet, habere non potest, *dedit potestatem filios Dei fieri iis qui credunt in nomine ejus.* Jàm credentibus loquebatur Christus, cùm dicebat : *Diligite inimicos vestros : benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui*

[1] *Act.* X, 34; *Rom.* X, 11 *et* 12 *et Galat.* III, 28. — [2] *Isai.* LXIII, 16 *et* LXIV, 8. — [3] *Matth.* XXI, 43 *et Act.* XIII, 46. — [4] *Jac* II, 20 *et* 26.

in cœlis est[1]. Vera, inquam, et accommodata ad refellendam hæresim de justificatione nostrorum temporum hæc doctrina est; sed nondùm nodus ille solvitur : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Itaque altera Theophilacti solutio mihi magis placet, ut *filios Dei* Joannes vocet eos qui filiorum fruuntur hæreditate, qui in cœlo quasi in domo Dei sunt; eos enim Scriptura propriè filios appellat : *Intra nos*, inquit Paulus, *gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes*[2]*;* itaque perindè est ac si dixisset : *Dedit eis potestatem hæredes Dei et cohæredes Christi*, et suos *fieri;* quos enim D. Paulus hìc[3] filios futuros dixit, alibi[4] dixerat futuros hæredes. Hàc ratione nihil in hoc loco manet difficultatis; nam iis qui jàm verè erant filii Dei, *quique non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati erant, potestatem*, id est, jus dedit, ut hæredes quoque illius fierent : quod est, alio sensu, *filios Dei fieri.*

Una hìc superest quæstio, cur Joannes hujus potiùs beneficii, ut filii Dei fierent, quàm multorum aliorum meminit, quæ certè contulit Christus iis qui in se crediderunt? Ratio una ejus rei ex Cyrillo Alexandrino hoc loco, et ex Procopio colligitur, voluisse Joannem ad Judæorum opinionem alludere, qui solos se filios Dei esse gloriabantur, quod beneficium significaverit ab illis Christum rejicientibus ablatum fuisse, et ad omnes Gentes, quæ eum receperunt, fuisse translatum. Altera ex Ambrosio, Libro 4 de Fide, cap. 4, ex Augustino, Cyrillo, et Bedâ in Commentariis in hunc locum, voluisse indicare Joannem Christum dedisse iis qui in se crediderunt, quod maximè sibi proprium erat, ut Filius esset Dei, communicâsse cum illis hæreditatem suam. De quâ re scitè Augustinus, Tractatu 2 in Joannem, scribit : « Non timuit habere ille cohæredes, quia hæreditas ejus non fit angusta, « si multi eam possederint. Illi ipsi certè illo ipso « possidente fiunt hæreditas ipsius; et ipse vicissim « fit hæreditas ipsorum. »

Annotant iidem Auctores Ambrosius, Augustinus et Cyrillus Alexandrinus, magnum ex hoc loco adversùs Arianos argumentum sumi posse ad probandum Christum Filium esse naturalem Dei, ac proindè verum Deum; illi enim non dicit datum fuisse Joannes, ut Filius Dei esset, sed dictum de illo est : *Filius meus es tu : ego hodiè genui te*[5] *:* dictum est : *Ex utero ante luciferum genui te*[6]*;* quia ille naturâ, nos beneficio et adoptione filii sumus; nec, nisi ille nobis dedisset, filii esse poteramus. Dat ille quod habet : accipimus nos quod naturâ non habemus; solusque ille dare nobis potuit, ut filii essemus Dei, quia solus naturalis est Filius. Habet hìc locum, quod Philosophi docent [a], quòd in quoquo genere per se, ac naturâ suâ cujusque modi est, cæteris dare, ut ejusdem per participationem quamdam modi sint : ignem naturâ suâ maximè calidum, omnia calefacere.

CORNELIUS A LAPIDE.

13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate* (Arabicus, *appetitu*) *carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* S. Joannes hìc ponit antithesim humanæ generationis et divinæ, ut hujus præ illâ præstantiam demonstret. Igitur ut vilitatem humanæ per exaggerationem ostendat, asserit, primò, eam fieri *ex sanguinibus*, id est, ex sanguine (est hebraismus) tùm menstruo mulieris, ex quo coagulato formatur fetus, tùm seminali viri; viri enim semen, quia sanguinei alimenti est residuum, vocatur sanguis.

Secundò, asserit eam esse et fieri *ex voluntate*, id est, concupiscentiâ (sic enim sumitur *voluntas*[7]) *carnis :* quod alibi dicitur esse ex carne et sanguine, in quo consistit voluntas, id est, concupiscentia viri, sub quo pari ratione feminam accipe. Explicat enim quæ sit voluntas carnis per *voluntatem viri*, quasi diceret : Voluntas, id est, appetitus et concupiscentia carnis est voluntas, id est, concupiscentia viri et feminæ in actu generationis; hunc enim vult et appetit carnalis appetitus et concupiscentia.

Ex adverso, divina generatio filiorum Dei non ex sanguinibus, nec ex voluntate et concupiscentiâ carnis et viri, uti est filiorum hominum, sed est *ex Deo*, id est, ex Dei voluntate, prædestinatione, electione, charitate. Rursùm *ex Deo*, id est, ex Dei spiritu et gratiâ, per quam mens hominis, anteà carnalis, regeneratur et justificatur, itàque homo fit spiritualis, justus, sanctus, amicus, imò filius Dei. Tertiò, *ex Deo*, quia in hàc hominis justificatione et regeneratione, Deus non tantùm dat ei suam gratiam, spiritum et charitatem, cæterasque virtutes, sed et seipsum, ut homo justificatus verè et propriè habeat in mente inhabitantem ipsi similem Spiritum, imò totam SS. Trinitatem, ideòque fiat divinus, imò filius et hæres Dei ac cohæres Christi [b].

Aliter S. Augustinus hìc, Tractatu 2, explicat τὸ *ex voluntate carnis.* « Carnem, *ait*, pro feminâ « posuit, quia de costâ cùm facta esset, Adam « dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de*

[1] *Matth.* VI, 44. — [2] *Rom.* VIII, 23. — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.* 15. — [5] *Psalm.* II, 7 *et Hebr.* I, 5 *et* V, 5. — [6] *Psalm.* CIX, 3.— [7] *Isai.* LVIII, 3; *Ephes.* II, 3 *et alibi.*

[a] Aristotel. cap. 1 et 2 Metaphys., text. 4. — [b] Uti fusè ostensum est suprà, pp. 452 -456.

« *carne meâ* [1]; et Apostolus ait : *Qui diligit* « *uxorem suam, seipsum diligit; nemo enim* « *umquàm carnem suam odio habet* [2]. Ponitur « ergò caro pro uxore, quo modo et aliquandò spi« ritus pro marito. Quarè? Quia ille regit, hæc « regitur : ille imperare debet, ista servire; nam « ubi caro imperat et spiritus servit, perversa do« mus est. »

JOANNES MALDONATUS.

Qui non ex sanguinibus. Minimè difficilis conjectura est, quamobrem hoc Joannes addiderit : ut ex comparatione nimirùm extenuationeque humanæ generationis, divinæ illius regenerationis, quam nobis Christum contulisse dixerat, dignitas appareret, ut Chrysostomus, Theophilactus et Euthymus existimant; aut : ne quis, quia filium Dei audierat, erraret putaretque humano more carnalique generatione filios Dei homines fieri, ut ait Cyrillus Alexandrinus. Utrumque probabile.

Per sanguines quid significetur magis dubium. Excusat D. Augustinus Interpretem, quòd, ut græcum verbum exprimeret, latinitatis rationem non habuerit; nec enim latinè plurali numero *sanguines* dici; græcè autem esse : Ἐξ αἱμάτων, *ex sanguinibus*. Cujus ipsius rei causa quæri potest : Cur potiùs dixerit : Ἐξ αἱμάτων, *ex sanguinibus*, quàm : Ἐξ αἵματος, *ex sanguine*, cùm utroque modo græcè dicere potuerit. Augustinus et Beda respondent virilem simul atque muliebrem sanguinem significari, quibus concipiatur ac generetur homo. Alii menstrua notari putant. Non disputamus nunc quid eo significetur nomine, sed cur Joannes plurali nomine usus sit. Hebraismum esse arbitror; Hebræi enim etiam cùm de uno tantùm sanguine sermo est, αἵματα, *sanguines*, dicunt [3]. Non probo, quod dixerunt quidam, originale peccatum hâc phrasi notari; nam etsi verum est nos in originali peccato nasci, tamen non id, opinor, agebat Joannes. Credo ego carnalem tantùm significari generationem, et quod uno dictum erat verbo, *non ex sanguinibus*, duobus posteà explicari : *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri;* solet enim *sanguis*, præsertim adjuncto nomine *carnis*, corruptionem, resque carnales, et carnales homines significare [4]. Nihil ergò aliud est : *Non ex sanguinibus*, quàm non humano more, non ex viro, non ex feminâ, sed ex Deo; opponit enim sanguines Deo : *Non ex sanguinibus;* sed *ex Deo nati sunt :* quod perindè est ac si Deo hominem opponeret, dicens : Qui non ex homine; sed *ex Deo nati sunt*, quemadmodùm Sulpitius Severus videtur intellexisse, Libro 2 Hist. sacræ. Itaque quæstio illa, quam Theophilactus commovet, quid de Isaac, de Samuele, de Joanne Baptistâ dicendum sit, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati* videntur, nihil, si ità interpretemur, habet loci; nam, etsi miraculo illi nati sunt, *ex sanguinibus* tamen, id est, ex homine nati sunt. « Solus Christus, ut ait Tertullianus, in « Libro de Carne Christi, excipitur. Quà caro, *in-* « *quit,* non ex sanguine, nec ex carnis et viri vo« luntate, quia ex Dei voluntate Verbum caro fa« ctum est. » Quin Christus ipse, quà homo est, quamvis sine viro, quamvis sine peccato, quamvis sine ullâ suî matrisve corruptione natus, ex sanguinibus hoc sensu, id est, ex homine natus est; propterea enim *filius hominis* passim appellatur. Illi autem filii Dei, de quibus hîc Joannes loquitur, ne isto quidem modo, *ex sanguinibus*, nati sunt, quia non corpore, sed animo renascuntur, ubi neque carne, neque sanguine, id est, neque viro, neque feminâ opus est. Interest scire cur Evangelista apertè non dixerit : Qui non ex homine, sed *ex Deo nati sunt.* In promptu conjectura est. Opponebat humanam divinamque inter se generationem, ut appareret quantoperè humanæ divina præstaret : deò descriptione carnis et sanguinis humanam extenuat. Non minùs difficile quod sequitur.

Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Illud certum, græcum nomen θέλημα, *voluntas*, præter linguæ consuetudinem, pro carnali poni concupiscentiâ, Hebræorum imitatione, qui חפץ, *hephets*, *voluntatem*, omnem appetitum vocant. Exempla sunt multa [5]. De aliis verbis omnis est quæstio. Recepta vulgò est Augustini sententia, quam et Theophilactus secutus est, nomine *carnis* hoc loco *feminam* intelligi, sicut illo loco : *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne meâ* [6]. Fecit probabilem interpretationem, quod statim sequitur : *Neque ex voluntate viri*, quasi sensus sit : Neque ex voluntate feminæ, nec viri; sed mihi duriuscula videtur interpretatio; nec enim exemplum ex sacris Litteris occurrit, ubi caro pro feminâ ponatur; nam illud quidem quod ex Genesi profertur : *Hoc nunc ôs de ossibus meis, et caro de carne meâ*, non magis probat feminam carnem, quàm os appellari; os autem in Scripturis feminam significare, nemo, credo, doctus dixerit. Sunt qui voluntatem carnis inferiorem, voluntatem viri superiorem appetitum vocari putent : quod subtile est. Valdè mihi placet Euthymii sententia, ultimum membrum duorum præcedentium explicationem esse; quod enim dixerat : *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis*, id est, non ex carne et sanguine, explicat dicens : *Neque ex voluntate viri ;* vir enim nihil aliud quàm caro et sanguis est : quæ duo no-

[1] *Gen.* II, 23. — [2] *Ephes.* V, 28 et 29. — [3] *Exod.* XXII, 2, *et* IV *Reg.* IX, 7. — [4] *Matth.* XVI, 17; I *Cor.* XV, 50; *Galat.* I, 16, *et Ephes.* VI, 12. — [5] *Isai.* LVIII, 3 *et* 13, *et Ephes.* II, 3. — [6] *Gen.* II, 23.

mina, ut suprà monuimus, ubi copulantur, mortalem et fragilem hominis conditionem solent declarare. Itaque per virum hoc loco Evangelista etiam feminam intelligit, quæ et ipsa caro et sanguis est; alterum enim parentem pro utroque posuit, sed virum potiùs quàm feminam; et quia præcipuus auctor est humanæ generationis; et quia Deo opponebat, et aptior erat inter virum et Deum, quàm inter feminam et Deum oppositio; ex Deo enim non tamquàm ex feminà et ex matre, sed tamquàm ex viro et ex patre nascimur; et quia magis hàc ratione vilitas humanæ generationis exaggerabatur; si enim vir, qui præcipuus humanæ generationis auctor est, caro et sanguis est, quid erit femina?

Sed ex Deo nati sunt. Quid sit ex Deo nasci, ex oppositione colligitur : non nasci ex carne et sanguine, id est, non carnaliter, sed spiritualiter : non corpore, sed animo; nasci autem animo, est *renovari spiritu mentis*, ut ait D. Paulus [1], et uno verbo justificari. Itaque quibus rationibus et quibus rebus justificamur, iisdem regeneramur, iisdem nascimur Deo, non fide quidem solâ [2], sed fide simul et charitate, quæ Christiani hominis anima est. Quod etsi plerumquè baptismo fit, ut cum Nicodemo disserit Christus [3], ideòque baptismus *lavacrum regenerationis* nominatur [4], tamen et ante baptismum *aquæ*, per baptismum quem vocant *voti*, et post baptismum, per pœnitentiam fieri solet.

14. *Et Verbum caro factùm est.* Statim subit attenti lectoris animum dubitatio, quorsùm hoc demùm nunc Joannes dicat, loco, ut videtur, minimè opportuno; jàm enim diù de Verbo agebat tamquàm de facto carne : jàm in mundum venisse dixerat : jàm iis qui se receperant, potestatem dedisse, ut filii Dei fierent. Chrysostomus, Homil. 10, et Theophilactus causam superioris sententiæ reddi putant, dixisse datam iis qui ipsum recepissent, potestatem, ut filii Dei fierent; reddere nunc causam, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; nam si ille filius hominis factus non esset, nos filii Dei non potuissemus fieri; Augustinus verò et Euthymius, ad tollendam lectori admirationem, admiratione quàdam majore dictum hoc esse. Dixerat enim homines, qui Christum recepissent, filios Dei factos fuisse, quod admirabile et penè incredibile lectori videri poterat : dicit nunc, quod multò videatur admirabilius, Deum filium hominis factum esse, ut illud jàm lector, quod antè mirabatur, mirari desinat. Persto in eà, quam versu 4 exposuimus, opinione, hæc verba principio capitis respondere : reliqua, quæ à versu 4 usquè ad hunc locum dicta sunt, per anticipationem et veluti per parenthesim quamdam unius verbi, *vita*, occasione dicta esse; cùm enim dixisset in Verbo illo, quod ante omne principium apud Deum erat, à Deo constitutam fuisse hominum vitam, voluit rationem explicare, quomodò Verbum *vita* hominum esset, quidque illis contulisset : quod ad hunc usquè locum fecit. Tollamus ergò cogitatione animi, quæ per eam occasionem interposita sunt, fingamusque Evangelistam hoc modo dixisse : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et Verbum caro factum est ;* videbimus optimè Orationem cohærere. Sensum quæramus, qui, si Joannes dixisset : Verbum homo factum est, facilis esset : difficilem et in varios errores ancipitem fecit nomen *carnis;* hinc enim ansam alii arripuerunt existimandi Filium Dei non animam, sed solam humanam sumpsisse carnem, cui Verbum loco animæ fuerit. Hic unus Arianorum error fuit, ut scribunt Athanasius, in Dialogo de Trinitate contra Arianos; Gregorius Nazianzenus, in Epistolâ ad Cledonium; Augustinus in Libro de Hæresibus ad Quodvultdeum, c. 49, in Libro contra sermonem Arian., c. 5, et in Dialogo contra Felicianum Arian., c. 3; Cyrillus Alexandrinus, Libro 1 Thesaur., c. 5, et Philastrius in Arianorum sectis, ex quo apparet non omnes quidem Arianos, sed quosdam tantùm eorum in hoc errore fuisse; multæ enim fuerunt Arianorum sectæ, sicut nunc sunt Sacramentariorum et Lutheranorum. Notior error Apollinaris nomine, quia hunc ille in primis defensabat, ut Socrates in Eccles. Historià, Lib. 1, c. 36; D. Augustinus, Libro 83 Quæst., Quæst. 80; Gregorius Nazianzenus, eo loco quem modò citavimus; Epiphanius, Hæres. 77, Paulinus in Epistolà quæ apud eumdem exstat Epiphanium, et Theodoretus in Eraniste, auctores sunt. Alii, ut dicerent Verbum ità factum carnem, ut in carnem conversum fuerit, undè *Tropitæ*, id est, *conversores* appellati, ut tradit Philastrius, quos Socrates Apollinaristarum etiam genus facit. Alii, ut ex Verbo et carne unam quamdam tertiam naturam factam dicerent, qui propriè Eutychis error fuit, in Chalcedonensi Concilio profligatus.

Nec magnæ est operæ istos omnes errores ex sacris Litteris refutare, quæ infinitis penè locis Christum verum Deum ac verum hominem esse docent, ac proindè verum corpus, veram animam habuisse. Quod facilius est quàm ut testimoniis probare debeamus, quæ nusquàm lectori non occurrent. Nec ignorat quisquam tàm frequentem in Scripturis sanctis Hebræorum phrasim, qui per synecdochen בָּשָׂר, *bassar*, *carnem*, totum hominem appellant, præsertim cùm humiliter ac modicè de illo loqui

[1] *Ephes.* IV, 23; II *Cor.* IV, 16, *et Coloss.* III, 10. — [2] *Jac.* II, 17, 20 *et* 26. — [3] *Joan.* III, 3. — [4] *Tit.* III, 5.

volunt [1]; sicut aliquandò è contrario נֶפֶשׁ, *nephesch, animam*, vocat ex alterâ parte [2]. Itaque idem est : *Verbum caro factum est*, ac si dixisset : Verbum homo factum est.

Nec temerè quæri solet quamobrem Joannes potiùs dixerit : *Verbum caro*, quàm : *Verbum* homo *factum est*, quia credendum non est eum sine causâ fecisse. Multæ causæ à multis Auctoribus afferuntur. Alii dicunt ad futuras hæreses animo prospexisse, ne quis putaret non veram, sed simulatam Christum carnem habuisse : quod non multò pòst Marcionistæ, Valentiniani et Manichæi docuerunt. Hoc enim loco eos qui contra ipsos scripserunt, refutàrunt Irenæus, Libro 3, c. 11 et 18, Tertullianus, in Libro de Carne Christi, Chrysostomus, Homil. in hunc locum, qui hanc rationem reddidit. Alii, ut singularem Dei erga homines benevolentiam declararet, qui propter ipsos caro, id est, res omnium ferè vilissima factus fuerit, ut Theophilactus ait. Alii, ut Cyrillus Alexandrinus, ut significaret humanam carnem, quæ per peccatum mortalis facta fuerat, per conjunctionem Verbi, id est, naturalis et immortalis vitæ, immortalitatem esse consecutam. Veram ego rationem esse arbitror, quòd hominem Verbo opponere voluerit, id est, infimum summo : propterea Filium Dei, qui homo factus est, non Filium, sed Verbum appellavit, quod summam declarat potentiam; tribuitur enim potentia Verbo Dei, quia omnia quæ vult, verbo facit : *Omnipotens*, inquit Sapiens, *sermo tuus, exsiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit* [3]; et : *Portans omnia verbo virtutis suæ* [4]. Ideò hominem è contrario, non hominem, sed carnem vocavit : quod verbum summam abjectionem, summam significat infirmitatem, ut appareat quantus Deus quantillus sit factus homo.

Quærunt etiam nonnulli, quandò nomine carnis uti Joanni placuit, quarè non potiùs dixerit : Verbum carnem assumpsit, quàm : *Verbum caro factum est*. Meliùs mihi videntur quæstionem suscitare, quàm solvere; quod enim dicunt voluisse futurum Nestorii errorem refutare, qui duas in Christo personas posuit, nullâ satis, meo judicio, probabili conjecturâ docent. Hanc igitur ego causam fuisse ejus rei arbitror, quòd his verbis Joannes multò meliùs quod volebat expresserit, quàm si dixisset : Et Verbum carnem assumpsit; id enim agebat ut doceret quò se Verbum Dei illud sempiternum Deoque æquale nostrâ causâ demisisset : quod multò meliùs explicavit, dicens : *Et Verbum caro factum est*, quàm si dixisset : Et Verbum carnem assumpsit : quæ verba magis declarâssent ad quam dignitatem evecta fuisset caro, quàm ad quam vilitatem abjectum fuisset Verbum.

Non alienum hujus loci est, ut, quandò hìc de Christi Incarnatione agitur, propter minùs doctos lectores summam mysterii breviter exponamus.

Deus, id est, Filius, non Pater, non Spiritus sanctus, factus est homo, ità prorsùs ut verus manserit Deus, et verus post Incarnationem fuerit homo, verum corpus, veram animam habens; naturasque veras duas, divinam et humanam; ac proindè duas voluntates, alteram divinam, alteram humanam; personam tantùm unam, eamque divinam, ideò non duos filios Dei, sed unum tantùm esse, quemadmodùm contra Nestorium in Conciliò Ephesino, et contra Eutychem in Chalcedonensi probatum ac definitum est.

Propter unitatem autem personæ fit illa quam κοινωνίαν ἰδιωμάτων græci, *communicationem idiomatum* latini Theologi vocant, ut Deus natus ex muliere, passus, crucifixus, mortuus dicatur [5], et homo verè diceret : *Antequàm Abraham fieret, ego sum* [6]. Quibus ex locis, ex idiomatum communicatione, rectè probamus unam in Christo personam, duas esse naturas, quia, si duæ personæ essent, numquàm idiomata communicarentur; sic enim naturâ comparatum est, ut numquàm, quod proprium unius naturæ est, alteri tribuatur, nisi communem utraque personam habeat; sicut non dicimus in accidentibus dulce album esse, nisi cùm utraque natura dulcis et albi idem omninò subjectum habet, ut accidit in lacte.

Et habitavit in nobis. Putant Chrysostomus, Homil. 10, Cyrillus Alexandrinus, cap. 16, Theophilactus et Euthymius, ideò hoc Joannem addidisse, ne quis existimaret Verbum in carnem fuisse conversum, sed duas indicaret in Christo integras, divinam atque humanam, mansisse naturas, sicut antè dicens : *Verbum caro factum est*, unam tantùm significaverat esse personam. Probabile; sed potiùs credo gradum ad id quod dicturus erat, facere voluisse; dixit enim habitâsse in nobis, quia volebat dicere se vidisse, testemque ejus rei oculatum esse. Athanasius, Oratione 3 contra Arianos, causam reddi putat *cur Verbum caro factum sit;* propterea enim carnem factum fuisse, ut in nobis posset habitare. De sensu nonnulla etiam est quæstio. Dixit græcè : Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, quod ad verbum verteris : *Et in tabernaculo in nobis habitavit* : quod quidam sic acceperunt, quasi humana natura, quæ, quia nobis omnibus communis est, nostra dicitur, ejus tabernaculum,

[1] *Job*, XII, 10; *Isai.* XL, 5; *Luc.* III, 6; *Psalm.* CXVII, 6; *Hebr.* XIII, 6; *Psalm.* LXIV, 3; *Id.* CXXXV, 15; *Id.* CXLIV, 21 *et Rom.* III, 20. — [2] *Gen.* XLVI, 27; *Rom.* XIII, 1, *et* I *Petr.* III, 20. — [3] *Sap.* XVIII, 15. — [4] *Hebr.* I, 3. — [5] I *Cor.* II, 2; *Apoc.* I, 18 *et* II, 8, *et Act.* XX, 28. — [6] *Joan.* VIII, 58.

in quo habitaverit, esse significetur, quemadmodùm Theodoretus in Impatibili, Hilarius, Libro 11 de Trinitate, Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus et Theophilactus interpretantur; sic enim D. Paulum dicere in ipso omnem plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitare [1]; sic corpus nostrum vocare tabernaculum [2], et Petrum [3]. Alii simpliciter exponunt, *in nobis*, id est, inter nos habitàsse, sicut dixit Baruch: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* [4], ut Augustinus, Tractatu 2.

Nec tantam hoc loco vim verbum ἐσκήνωσεν habere mihi videtur, quantam illi; nec tàm nullam, quam isti Auctores existimant; nec enim crediderim sine causâ Joannem eo usum verbo, cùm faciliùs et magis usitatè dicere potuisset: Καὶ ᾤκησεν ἐν ἡμῖν, si tantùm dicere voluisset inter homines habitàsse. Credo ergò, quod ante me nonnullum observàsse video, voluisse Joannem verbo à tabernaculo deducto significare Verbum Dei non tamquàm indigenam in patriâ suâ, sed tamquàm hospitem et peregrinum in alienâ apud nos ad tempus tantùm habitàsse; solent enim, qui in patriâ suâ sunt, in domibus; qui autem peregrinantur, in tabernaculis habitare, quemadmodùm filii Israel, quamdiù sunt per desertum peregrinati. Nam et corpus nostrum propterea in Scripturis aliquandò, ut modò diximus, tabernaculum appellatur, ut significetur, quia *non habemus hìc civitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, ut D. Paulus loquitur [5].

Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre: ἐθεασάμεθα, *spectavimus, contemplati sumus*, quasi in aperto, quasi in theatro, *palàm vidimus gloriam ejus*, quemadmodùm pluribus explicavit verbis hoc loco: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis* [6]. *Gloriam ejus* vocat signa divinitatis, quæ multis in eo rebus apparebant, quasi dicat non ità Verbum factum fuisse carnem, ut ejus penitùs majestas obscuraretur, multis se indiciis adeò ostendisse, ut oculis ipsis videri posset. Verisimile est, quod quidam existimant, ad Christi Transfigurationem alludere, cujus testis Joannes fuerit [7], et ubi suam illi potissimùm gloriam intuendam aperuerat; nam et Petrus, qui alter ejus spectator ac testis fuerat, eòdem allusit, ut suum, quemadmodùm Joannes, testimonium commendaret: *Accipiens enim à Deo Patre honorem et gloriam voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto* [8]. Satius quidem fuerit generaliter ad miracula, ad prædictiones, ad cognitionem cogitationum, ad doctrinam atque res omnes extendere, quibus suam quoquomodò divinitatem declaravit, quemadmodùm Chrysostomus et Euthymius existimant. Quorsùm verò hoc Joannes adjunxerit, multi quærunt. Chrysostomus, Augustinus, Beda, Theophilactus putant finem his verbis declarari, quamobrem Verbum caro factum esset, scilicet, ut ejus gloriam perspicere possemus, adumbratam quodammodò humanitate, quam ipsam per se intueri non poteramus. « Gloriam ejus, *inquit* Augustinus, Tract. 2, « nemo posset videre, nisi carnis humilitate sana« retur. Undè non poteramus videre? Intendat « ergò charitas vestra, et videte quod dico. Irrue« rat homini quasi pulvis in oculos, irruerat terra, « sauciaverat oculum, videre non poterat lucem; ocu« lus iste sauciatus inungitur: terrâ sauciatus erat, « et terra illuc mittitur, ut sanetur; omnia enim « collyria et medicamenta nihil sunt nisi de terrâ. « De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris. Ergò « caro te cæcaverat, caro te sanat. Carnalis enim « anima facta erat consentiendo affectibus carnali« bus: indè fuerat oculus mentis cæcatus. *Ver« bum caro factum est.* Medicus iste tibi fecit col« lyrium. Et quoniam sic venit ut de carne vitia « carnis exstingueret, et de morte occideret mor« tem, ideò factum est in te, ut quoniam *Verbum « caro factum est*, tu possis dicere: *Et vidimus « gloriam ejus.* » Libenter Augustini, quamvis multa, verba recitavi, quia, si non propriam interpretationem, utilem certè habent elegantemque sententiam. Cæterùm, quod ad quæstionem attinet, probabilius esse existimo quod principio indicavimus, voluisse Joannem testimonii sui fidem commendare, qui incarnati Verbi majestatem oculis perspexisset; hàc enim de causâ simili sententiâ alibi [9] usum fuisse videmus.

Gloriam quasi Unigeniti à Patre. Repetitio est ad explicandam gloriæ magnitudinem adhibita, quasi diceret: Vidimus, inquam, gloriam ejus, quasi gloriam Unigeniti. Primùm, tenendum hoc loco est, quod Augustinus, in Psalmo 125, Ambrosius, Epistolâ 47 et Serm. 18 in Psalm. 118, Chrysostomus, hoc loco, Gregorius, Libro 18 Moral., cap. 4, Theophilactus et Euthymius in Commentariis monuerunt, particulas istas, *quasi, tamquàm, sicut*, quibus una ferè græca respondet ὡς, aut ὥσπερ, non semper similitudinem, sed aliquandò veritatem significare. Ejus rei infinita in Scripturis exempla sunt, quæ facilè quisque reperiet. Et vulgò, ut Chrysostomus et Theophilactus aiunt, ità de rege

[1] *Coloss.* II, 9. — [2] II *Cor.* V, 4. — [3] II *Petr.* I, 13 *et* 14. — [4] *Baruch.* III, 38. — [5] *Hebr.* XIII, 14. — [6] I *Joan.* I, 1. — [7] *Matth.* XVII, 1; *Marc.* IX, 1, *et Luc.* IX, 28. — [8] II *Petr.* I, 17 *et* 18. — [9] I *Joan.* I, 1.

solemus loqui : Incedit quasi rex, id est, ut regem decet, ità ut ex ipso incessu facilè appareat ipsum esse regem. Et cùm de aliquo dicimus : « Fecit « sicut vir bonus, non significamus, *inquit* Augu- « stinus, eum virum bonum non esse, sed ità fecisse « ut appareat virum esse bonum. » Sic ergò accipitur hoc loco, ut vera solius Unigeniti gloria significetur, sensusque sit : *Vidimus gloriam ejus* talem ac tantam, ut non nisi Unigeniti Filii Dei esse posset, ut facilè ex eâ intelligi posset eum esse Unigenitum. Quæ interpretatio multò profectò melior et magis Catholica est, quàm illa subtilium quorumdam Interpretum, qui similitudinem tantùm significari putant, quasi sensus sit : Non vidimus quidem gloriam ipsam veram Unigeniti, quæ in hàc vità videri non potest, sed quasi gloriam Unigeniti, id est, similitudinem quamdam ejus, qualis illa fuit, quam in Transfiguratione nobis ostendit. Liceat etiam nobis adversùs argutos arguti esse. Rectè, si dixisset : Vidimus gloriam ejus, quasi gloriam Unigeniti; at non dicit : Quasi gloriam Unigeniti, sed : *Gloriam quasi Unigeniti.* Meliùs in eâ quæstione ponetur opera cur Joannes hoc ipsum dixerit. Respondent Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius, idemque Cyrillus Alexandrinus indicat, voluisse hoc verbo docere quid inter ejus et sanctorum hominum gloriam interesset; nam et gloriam Moysis fuisse visam, cùm, ex colloquio cum Deo, ejus facies cornuta facta est, ità ut ejus aspectum homines sustinere non possent [1], et Eliæ, cùm curru igneo evectus in cœlum est [2]; sed eorum gloriam non quasi Unigeniti apparuisse; participatam enim fuisse, ut Cyrillus Alexandrinus ait; Verbi autem gloriam Unigeniti, id est, naturalem. Rem quidem hi Auctores rectè tetigerunt, sed non penitùs explicarunt; cur enim non dicebat : Gloriam quasi Filii, quo verbo non minùs, quod illi dicunt, declarâsset, ejus gloriam non participatam, sed naturalem fuisse; sed dixit: *Gloriam quasi Unigeniti?* Unus mihi videtur Basilius hunc penitùs locum enucleâsse in Homiliâ de Fide, propterea nomine Unigeniti usum fuisse Joannem, ut indicaret tantam ejus, quantam Patris, fuisse gloriam; cùm enim aliquis pater multos habet filios, non omnem suam gloriam, non omnem substantiam omnesque facultates uni dare, sed inter omnes dividere; cùm autem unum tantùm habet, quod est unigenitum esse, quidquid omninò habet, illi tradere, nihil sibi reservare, æqualem sibi eum facere omnibus in rebus : hoc est : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt* [3]. Loquitur autem Joannes, ut opinor, de Verbo, etiam quatenùs homo erat; nam etiam, ut homo, Unigenitus erat Dei, et omnem ejus gerebat gloriam; quid enim non erat, qui Deus erat? Quid non habebat, qui inhabitantem in se et in eâdem personâ conjunctam habebat divinitatem? At quid est quod addit : *A Patre?* Cum duobus præcedentibus nominibus hic ablativus jungi potest, vel cum *gloriâ*, vel cum *Unigenito :* cum *gloriâ* quidem, ut sit sensus : *Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre* datam, quemadmodùm Cyrillus Alexandrinus et Theophilactus jungere videntur, estque et vera et congrua loco sententia; nam eodem modo loquitur Petrus : *Accipiens enim à Deo Patre honorem et gloriam voce delapsâ ad eum hujuscemodi : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* [4] : hoc tantùm habet incommodi, quòd duriuscula trajectio sit, et minùs plena sententia; oportebit enim ut ad solam Christi Transfigurationem referatur, quam suprà diximus patere longiùs : itaque magis placet ut cum nomine *Unigeniti*, quod proximè adhæret, copuletur, sensusque sit : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*, id est, Patris, aut ejus qui unus à Patre genitus sit, ut Origenes, Tractatu 2 in Matth., Beda et Euthymius intelligunt. Neque necessarium esse arbitror, quod plerique putant, ut aliquid subintelligatur, quod congruam efficiat orationem; aut participium ὄντος, *qui sit*, ut quidam volunt, *quasi Unigeniti*, qui à Patre sit, ut hoc loco : *Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit* [5]; aut ἐξελθόντος, *exeuntis*, id est, *procedentis*, *quasi Unigeniti*, *qui à Patre exierit*, ut : *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amâstis, et credidistis quia ego à Deo exivi : exivi à Patre, et veni in mundum* [6]; et : *Et cognoverunt verè quia à te exivi, et crediderunt quia tu me misisti* [7] : hoc, inquam, aut aliquid aliud subintelligere necessarium esse non arbitror; nam, etsi non participium, sed nomen est, ut quidam argumentantur, tamen vim participii passivi habet, quemadmodùm si latinè *Unigenam* dicas; nec enim minùs dicere licebit : Unigena à Patre est, quamvis Unigena non participium, sed nomen sit, quàm : Ille est ab illo alienus, id est, alienatus. Et est meo quidem judicio aptior efficaciorque sententia. Atque ità D. Augustinus videtur interpretari in Libro contra Epistolam Manich., cap. 37.

Plenum gratiæ et veritatis. Similis hîc quæstio est : Quomodò verba jungenda? Sed alia priùs expedienda est : Quomodò græcè legendum? Nam omnes ferè nunc Codices in nominativo legunt πλήρης, *plenus :* quam lectionem quidam sic exponunt, ut nominativus *plenus* ad sequentia, id est, ad Joannem referatur, sensusque sit : *Plenus gratiæ et veritatis Joannes testimonium perhibet de ipso :*

[1] *Exod.* XXXIV, 29 *et* 30, *et* II *Cor.* III, 7. — [2] IV *Reg.* II, 12. — [3] *Joan.* XVI, 15. — [4] II *Petr.* I, 17. — [5] *Joan.* VII, 29. — [6] *Id.* XVI, 27 *et* 28. — [7] *Id.* XVII, 8.

quod miror equidem illis in mentem venire potuisse. Nonne satis erat Catholicis hominibus nostrum Interpretem vertisse aliter, omnes veteres Auctores aliter exponere? Consideràssent quod statim sequebatur : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* [1]; illum enim haud dubiè plenum gratiæ et veritatis appellaverat, de cujus plenitudine dicit nos omnes accepisse. Non dicit de Joannis, sed de Christi nos accepisse plenitudine, de quà ipse etiam se Joannes accepisse confitetur. Consideràssent quod dicitur : *Lex per Moysen data est : gratia et veritas per Jesum Christum facta est* [2]; illum enimverò plenum gratiæ et veritatis dixerat, per quem gratiam et veritatem factam fuisse dicit. Quisnam ille fuit? Christus, an Joannes? Observàssent, quod quilibet vel mediocriter doctus observare potuit, nonnullos quidem homines sanctos, beatam Virginem, Joannem Baptistam, Stephanum gratià plenos appellari; plenum verò veritatis hominem purum neminem: magis enim propria Christo veritas, quàm gratia est; nam gratiam quidem cum hominibus sæpè communicat, veritatem, id est, Legis ac promissionum impletionem, numquàm. Solus ipse Legis ac promissionum finis est. Reliquum igitur est, si ità legamus, ut nominativus πλήρης, *plenum*, referatur ad Λόγον, *Verbum*, hoc sensu : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, plenum gratiæ et veritatis*, et reliqua, quæ medio spatio interjecta sunt verba, parenthesi legantur. Quo sensu et nostrum vertisse Interpretem manifestum est; quia enim neutro genere *Verbum* dixerat, neutro etiam genere in nominandi casu dixit : *Plenum gratiæ*, et Origenes, Tractatu 2 in Matthæum, et quisquis auctor fuit Homil. 2 ad diversos, Gregogorius Nyssenus, Homil. 13 in Cantic., Augustinus, Libro 13 de Trinitate, cap. 19, Beda et Euthymius interpretantur. Alii malunt, paucos quosdam sècuti Codices, in quarto casu legere πλήρη, *plenum*, quorum alii ad *Verbum*, alii ad *gloriam* referunt, utrique ad verbum ἐθεασάμεθα, *vidimus*, repetentes verbum *vidimus*, scilicet, Verbum plenum gratiæ et veritatis, ut illi; aut : vidimus gloriam ejus plenam gratiæ et veritatis, ut Cyrillus Alexandrinus et Theophilactus, quemadmodùm nonnulli existimant, interpretantur. Prima illa interpretatio Origenis et Gregorii Nysseni vera est; nec meliorem arbitror esse quærendam.

Reliquum est ut exponamus quid sit esse *plenum gratiæ et veritatis.*

Id Auctor ille Homiliæ 2 ad diversos, multis disserit verbis. Non dubito quin *gratiam* Joannes intelligat, de quà dicit : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratià.* Illà ergò omni gratià, quam omnes umquàm homines acceperunt, ille plenus erat. Acceperunt gratiam redemptionis, gratiam quam vocant *gratum facientem*, varia Spiritûs sancti dona, quæ *gratiæ gratis datæ* appellantur. Omnes et aliæ, quas nemini fortassè dedit, in eo fuerunt, et fuerunt cumulatè, redundanter, affluenter, tamquàm in fonte, tamquàm in capite, undè in rivulos, undè in membra derivantur.

Hinc intelligitur quid discriminis inter illum et beatam Virginem ejus matrem, Joannem Baptistam et Stephanum fuerit, quos etiam Scriptura testatur plenos fuisse gratiæ, vel Spiritûs sancti [3] : primùm, quòd major, id est, infinita in Christo fuerit gratia, in aliis finita; illi enim *non ad mensuram dedit Deus spiritum* [4]; nobis autem *secundùm mensuram donationis Christi* [5] : deindè, quòd in Christo per se et veluti nativa, in aliis participatione tantùm plena fuerit gratia. Plenum luminis esse dicimus, quod clarissimum est; sed aliter solem, aliter quod à sole multo collustratur lumine, plenum luminis appellamus. Plenum aquà mare, plena ex mari flumina, vide quantùm intersit. Hæc nos ruditer, dùm Scripturam doctis indoctisque communiter interpretamur. Tractantur in scholis à Theologis subtiliùs, undè huc afferre doctus, ubi discere indoctus lector debet.

Veritatem quidam ad duas Christi naturas referunt, quòd nihil falsum, nihil simulatum, nihil fictum haberet, sed verè esset quod appareret, verus Deus, verus homo, ut Beda interpretatur. Alii ad doctrinam, ut Euthymius, quòd vera docuerit. Verus sensus est, quem explicat Origenes, aut qui alius est auctor Homil. 2 ad diversos et Theophilactus hoc loco, ut veritatem Joannes opponat figuris et promissionibus Veteris Legis, quas omnes Christus implevit. Itaque impletio ipsa, aut id quo implebantur veteres promissiones atque figuræ, veritas appellatur, ut colligitur ex hoc loco : *Lex per Moysen data est; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est;* manifestè enim Legi veritatem, id est, impletionem opponit.

CORNELIUS A LAPIDE.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Sic ad Verbum habent Syrus, Persicus, Ægyptius et Æthiopicus; Arabicus verò : *Et Verbum* inquit, *factum est corpus. Caro* ergò hîc est corpus humanum, indèque homo. Hinc Apollinaris hæresiarcha negabat Verbum assumpsisse animam humanam et mentem; ejus enim loco asserebat esse mentem Verbi divini, ipsamque ejus divinitatem. Ità refert S. Augustinus, Hæresi 55. Verùm hæc est hæresis; fides enim docet Verbum assumpsisse, uti veram carnem humanam, sic et veram animam rationalem; ac proindè habere duas naturas integras et impermixtas, scilicet divinam et huma-

[1] *Joan.* I, 16. — [2] *Ibid.* 17. — [3] *Luc.* I, 15 *et* 28, *et Act.* VI, 8. — [4] *Joan.* III, 34. — [5] *Ephes.* IV, 7.

nam; ac consequenter habere duas voluntates, et duplicem mentem, divinam et humanam, ità ut hæ duæ naturæ cum suis potentiis subsistant in unicâ personâ Verbi, in quâ personâ facta est hæc unio, non autem in naturâ, ut contra Nestorium definit Concilium Ephesinum, et contra Eutychetem Concilium Chalcedonense.

Ex hâc autem unitate personæ sequitur, primò, ut Theologi docent, communicatio idiomatum utriusque naturæ, ut in Christo quidquid competit humanitati et homini, id ipsum dicatur et prædicetur de divinitate et Deo, ac vice versâ. Verbi gratiâ, verè dicimus hunc hominem (Jesum) esse Deum, esse omnipotentem, esse creatorem, fuisse ab æterno; atque vice versâ Deum, sive Filium Dei, verè esse passum, crucifixum, mortuum, quia scilicet una eademque persona divina est in Christo Deo et homine, qui hæc omnia subiit, licèt secundùm duas et diversas naturas; actiones enim et passiones sunt suppositorum sive personarum, in quâcumque naturâ illæ subsistant. Audi S. Augustinum in Dialogo 65, Quæst. ad Orosium, Quæst. 4: « *Verbum* « *caro factum est*, non carne mutatum, ut non « desisteret esse quod erat, sed cœperit esse quod « non erat; assumpsit enim carnem: non se con- « vertit in carnem. Carnem istam à parte totum « hominem intelligimus, id est, carnem et animam « rationalem. Et sicut primus homo et carne et « animâ mortuus fuerat, ità etiam oportuit ut per « mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum « Christum, et carne et animâ vivificaretur. »

Sequitur, secundò, quòd *Verbum factum est caro*, non eo modo quo aqua fit vinum, dùm mutatur et convertitur in vinum: aut sicut cibus fit caro nostra, dùm in eam convertitur; nec rursùm eo modo quo aurum fit statua, scilicet accedente ad auri materiam formâ accidentariâ statuæ, sed simili modo quo anima et caro junctæ fiunt unus homo. Ità S. Athanasius in Symbolo: « Unus, *inquit*, non « confusione substantiæ, sed unitate personæ; nam, « sicut anima rationalis et caro unus est homo, ità « Deus et homo unus est Christus. » Sed homo unus est essentialiter; Christus verò unus est personaliter, aut eo modo quo homo accedente veste fit vestitus, scilicet ut Verbo accesserit nova substantia, quasi vestis, sed substantialis, non accidentalis; substantiâ enim carnis et naturæ vestivit se Filius Dei, eamque substantialiter in eâdem hypostasi Verbi sibi copulavit, intimèque univit.

Caro ergò hìc, uti et passim in Scripturâ, per synecdochen Hebræis familiarem, significat totum hominem, quasi diceretur: *Verbum factum est caro*, id est: Filius Dei factus est homo. Simili modo potuisset S. Joannes dicere: *Verbum Dei factum est anima*, id est, homo animatus et vivus; maluit tamen dicere *caro* potiùs quàm anima, ut ostenderet quantùm Dei benignitas, nostrì amore, pro nobis sese exinanierit, scilicet quòd Deus factus sit caro vilissima et infima, ut nos ex carne per concupiscentiam et peccatum corruptissimâ, fieremus quasi dii et filii Dei, ipsique Deo consanguinei. Ità S. Cyrillus, S. Chrysostomus et alii. « Carnem, *ait* S. Cyrillus, Epistolâ « 8 ad Nestorium, animatam animâ rationali uniens « Verbum sibi secundùm subsistentiam, ineffabi- « liter factus est homo. »

Symbolicè. Glossa: « Verbum, *inquit*, factum est « caro, quasi mutatum in lac propter parvulos, ut « eorum fieret cibus, præsertim in Eucharistiâ. »

Nunc singula verba ad incudem revocemus, et penitiùs expendamus.

Et. Hæc vocula nectit hanc sententiam præcedentibus, partim historicè, partim causaliter. Historicè, quasi diceretur: Verbum illud æternum, cujus generationem divinam enarravi, quodque dixi fuisse apud Deum, imò fuisse Deum ipsum, per quem omnia facta et creata sunt, ideòque ipsum fuisse esseque vitam rerum omnium, hoc Verbum, inquam, in tempore à Deo statuto factum est caro, dùm in B. Virgine carnem nostram assumpsit, et nono post mense ex eâ natum est, ac Jesu nomen accepit; ut τὸ *et* capiatur pro *idcircò*, *ideò*, *hâc de causâ*, quasi diceretur: Verbum factum est caro, id est: Filius Dei factus est homo, hâc de causâ, ut filios hominum ex sanguinibus et carne in peccato natos expiaret, et filios Dei efficeret, uti præcessit. Undè S. Augustinus, Tract. 2: « Ne mirare- « mur et exhorreremus tantam gratiam, et ne nobis « incredibile videretur homines ex Deo nasci, quasi « securitatem faciens, hoc dixit, quasi diceret: Quid « miraris homines ex Deo nasci? Attende ipsum « Deum ex hominibus natum. » Et S. Chrysostomus: « Factus est, *inquit*, filius hominis dilectissimus « Filius Dei, ut filios hominum faceret filios Dei. »

Verbum, græcè, ὁ Λόγος, id est, illud Verbum, scilicet æternum et divinum, de quo huc usquè fuit sermo, Verbum, inquam, manens Verbum, manens in suâ deitate, hypostasi, majestate et gloriâ divinâ, factum est caro, id est, homo, hoc est, assumpsit et induit humanam naturam. Undè S. Athanasius, Epistolâ ad Epictetum, dat simile illud Pauli: *Christus pro nobis factus est maledictum* [1]: « Sicut enim Christus dicitur maledictum, non « quòd ipse maledictum factus sit, sed quòd pro « nobis maledictum (id est, crucem, quæ à Judæis « habebatur maledicta et exsecrabilis) suscepit; ità « non quòd ipse conversus sit in carnem, sed quòd « carnem pro nobis susceperit, dicitur factus caro. »

Eâdem maledicti similitudine exponunt τὸ *Ver-*

[1] *Galat.* III, 13.

bum caro factum est, S. Gregorius Nazianzenus, Epistolâ ad Cledonium, S. Ambrosius, S. Flavianus, Patriarcha Antiochenus (cujus verba sunt : « *Verbum caro factum est*, non quòd in carnem « mutatum sit, neque quòd Deus esse destitit, sed « quòd Dei consilio et dispositione carnem assum- « psit), » S. Ignatius, S. Irenæus, S. Hippolytus, S. Basilius, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nyssenus, Amphilochius et alii, quorum verba recitat Theodoretus, Dialogo cui titulus : *Immutabilis*, ubi confutat Eutychianos illos, qui dicebant Verbum Incarnatione mutatum esse et transformatum in carnem. Alios verò, qui dicebant carnem mutatam esse in Verbum, ac Verbum absorpsisse sive assumpsisse carnem, sicut mare sorbet rivulum in se influentem, confutat, Dialogo 2 cui titulus : *Inconfusus*. Tertios deniquè, qui dicebant deitatem in Christo esse passam et crucifixam, confutat, Dialogo 3 cui titulus : *Impassibilis*.

Deniquè audi S. Cyrillum in Concilio Ephesino : « Nomine *carnis* intelligi debet totus homo, ut « cùm dicitur : *Videbit omnis caro salutare* « *Dei*[1]; et : *Non adhæsi carni et sanguini*[2]; « atque eodem modo quoque nonnumquàm accipitur « anima, ut : *In septuaginta quinque animabus* « *descenderunt patres in Ægyptum*[3]; non enim « dixeris quòd nudâ et sine carne animâ in Ægy- « ptum descenderint. Quotiès igitur audiemus car- « nem factum esse Verbum, hominem intelligamus « ex animâ et corpore factum. » Idem alibi hoc repetit : « Non secundùm translationem, vel con- « versionem, vel commutationem, transformatione « factâ in carnis naturam, neque habens tempera- « tionem, vel commixtionem, vel consubstantia- « tionem, *etc.* » Idem habet Concilium Toletanum XV quòd celebratum est æra 726, qui fuit annus Christi 688; anni enim Christi sequuntur æram hispanicam annis 38.

Caro, id est, homo. Opponit Verbo carnem, quasi summo imum, beato miserum, glorioso vilissimum, infirmissimum et spurcissimum; quid enim miserius, vilius, infirmius, spurcius carne humanâ? Quæ longè infirmior, miserior, spurcior est carne asininâ, bovinâ, equinâ et cæterorum animalium; et tamen ad carnem talem dimittere sese dignatum est Verbum Dei, nostrî amore. Hæc est ejus φιλανθρωπία et amoris ecstasis, quam celebrat Apostolus, Epistolâ ad Titum[4]. Audi S. Bernardum, Sermone 3 de Nativitate : *Verbum caro factum est*, caro in- « firma, caro infantilis, caro tenera, caro impo- « tens, omnis operis, omnis laboris impatiens. » Et mox : « Dùm esset in principio apud Deum, lu- « cem habitabat inaccessibilem, et non erat, *etc.*[a] »

Verbum ergò factum est caro, id est, homo, dùm hominem assumpsit, hominem, inquam, existentem, sed non subsistentem; naturam enim hominis existentem assumpsit, at non personam hominis; nec enim Verbi persona facta est persona hominis, quia hoc est impossibile. Verbum ergò assumens essentiam et existentiam hominis, non assumpsit ejus subsistentiam, sed essentiam et existentiam hominis : eo ipso temporis instanti, quo à Spiritu sancto formata et facta est, præveniens ne per eam subsisteret velut persona, eamdem sibi in unitate personæ suæ divinæ conjunxit, fecitque ut in eâdem subsisteret : quarè humanitas Christi non in se, sed in personâ Verbi subsistit.

Factum est, non quòd Verbum mutatum sit in carnem, uti volebat Apollinaris, teste S. Augustino, Hæresi 55; nec vice versâ quòd caro mutata sit in Verbum, quia, ut ait S. Chrysostomus, « longè ab « illâ immortali naturâ est transmutatio; » quî enim caro fiat Deus, id est, quomodò creatura fiat Creator? nec tertiò, quòd ex carne et Verbo, ceu duabus partibus, conflata sit tertia natura, sicut ex carne et animâ conflatur et componitur homo, uti volebat Eutyches, cujus error damnatus est in Concilio Chalcedonensi; nec quartò, quòd Verbum factum sit caro, id est, homo subsistens, quasi non solùm naturam, sed et personam assumpserit, uti volebat Nestorius, quasi « invento homine virtuti- « bus prædito, illi se adjunxerit Verbum, » ait Theophilactus, sicut Prophetis se adjunxit Spiritus sanctus, Tobiæ Raphael Angelus, et sagis magisque dæmon; sed quòd carnem, id est, naturam hominis suæ hypostasi univerit, feceritque ut in eâdem subsisteret homo Jesus, in quâ subsistebat Deus Verbum, sive Deus Filius. Porrò Verbum non per imaginationem, vel apparentiam et phantasma dumtaxat, ut volebant Manichæi, sed reipsa et in rei veritate *factum est caro*, id est, homo; factum, inquam, non à se solo, sed à totâ SS. Trinitate; tota enim SS. Trinitas fuit causa efficiens Incarnationis Verbi, sed ità ut ipsa, non ad Patrem et Spiritum sanctum, sed ad solum Verbum, sive Filium, hypostaticè terminaretur, solusque Filius fieret homo; « solùm enim Verbum carnem ipsa Trinitas « fecit, ait S. Fulgentius, Libro de Fide ad Petrum, « cap. 2. »

Verbum ergò carne vestitum fuit, quasi sol nube vestitus, aut sicut ignis ferrum sibi uniens et igniens, aut « sicut ignitus carbo, » ait S. Cyrillus : undè ejus typus et symbolum est carbunculus. Rursùm fuit sicut margarita in conchâ, sicut fulgur

[1] *Luc.* III, 6. — [2] *Galat.* I, 16. — [3] *Act.* VII, 14. — [4] *Tit.* III, 4.

[a] Vide infrà Sermonem hunc usquè ad hanc phrasim inclusivè : « Carnaliter, ut ità dixerim, prædicatur tibi : Fuge vo- « luptatem, *etc.* »

in nube, sicut aurum in fornace, sicut Angelus in corpore. Insuper S. Augustinus, Libro 15 de Trinitate, cap. 11 : « Sicut Verbum, *ait*, nostrum vox « fit, nec mutatur in vocem ; ità Dei Verbum caro « factum est, non mutatum in carnem ; » et gesta Concilii Ephesini : « Ut, cùm sermo induerit litte- « ras et elementa, visibilis fit et tractabilis ; sic « Verbum Dei tractabile invenitur. »

Hàc igitur de causâ *Verbum caro factum est*, « ut « intactile fieret tactile, ait etiam S. Gregorius Na- « zianzenus, Oratione 38, » indèque cognoscibile. Dei enim, utpotè spiritûs, effigiem in mente nobis efformare non possumus : ut ergò eum concipere, invocare, imò cernere, alloqui et tangere possemus, factus est homo. Undè S. Paulinus, Epist. ad Florentium : « Hic, *ait*, Dominus et Deus noster, qui « *in terris visus est, et inter homines conversa-* « *tus est* [1] pro nobis, ovis et pastor in nobis est, « quia nos invisibili baculo et salutari virgâ intùs « reget, ut, etiamsi ambulemus in umbrâ mortis, « non timeamus mala, quia nobiscum Deus est, « Emmanuel ille, Dominus majestatis et filius « ancillæ, quorum alter naturâ, alter gratiâ fa- « ctus est. Idem Creator hominis et Redemptor, « Deus ex Deo, homo pro homine, Filius Dei ante « sæcula, filius hominis pro sæculo, forma servi pro « libertate servorum, et pauper factus, ut pauperes « suâ egestate locupletet, quia ipse est dives in « omnes omnis boni, qui omnia in omnibus adim- « plet, plenitudo divinitatis, *spes omnium finium* « *terræ, et in mari longè, Deus salutaris noster* [2], « *mediator hominum et Dei, homo Christus* « *Jesus* [3], *qui est in gloriâ Dei Patris* [4], *super* « *omnes Deus benedictus in sæcula* [5]. »

Appositè olim, ait Clemens Alexandrinus, Libro 5 Stromatum, philosophi et poëtæ, ut Orpheus in Hymnis, Soranus, Varro et Philo, dicebant Deum creaturis esse patrem et matrem, nimirùm esse μητροπάτορα et πατρομήτερα, id est, *matri-patrem* et *patri-matrem*, et hoc propter quatuor causas. Primò, quia, sicut homo à patre et matre accipit suum esse et bona omnia, sic multò magis eadem ipse, et quælibet alia creatura, accipit à Deo. Secundò, quia, ut ait Philo, Lib. de Temulent., patris nomen denotat potentiam, matris scientiam, putà ideam, quæ rei fabricam concipit et efformat, quasi mater. Deus ergò est Pater per omnipotentiam, est et mater per omniscientiam, et ideam rerum omnium, quæ attribuitur Verbo, putà Filio. Hic ergò est quasi mens et mater omnium. Tertiò, quia Deus est pater per productionem et creationem universorum ; est et mater per bonitatem et beneficentiam, quâ cuncta creat, conservat, pascit, gubernat. Undè Deus Pater, cui attribuitur creatio, est pater : Spiritus sanctus, cui attribuitur bonitas, est quasi mater omnium. Quartò, quia Deus in mundo, et per mundum, semina rerum producendarum emittit quasi pater : eadem quoque recipit quasi mater. Ità Varro et Soranus, qui tamen in eo errârunt, quòd censerent mundum ipsum esse Deum. Audi eos citantem et refutantem S. Augustinum, Lib. 7 de Civitate, cap. 9 : « Jovi, *inquit*, universum solent tribuere. « Undè est illud : »

« Jovis omnia plena [a]. »

« Ergò et Jovem, ut Deus sit, et maximè rex Deo- « rum, non alium possunt existimare quàm mundum, « ut in diis cæteris secundùm istos suis partibus re- « gnet. In hanc sententiam etiam quosdam versus « Valerii Sorani [b] exponit idem Varro in eo Libro, « quem seorsùm ab istis de cultu deorum scripsit : « qui versus hi sunt : »

« Juppiter omnipotens, regum Rex, ipse deusque [c]
« Progenitor, genitrixque deûm Deus unus et omnis [d]. »

« Exponuntur autem in eodem Libro, ità ut « eum marem existimarent, qui semen emitte- « ret, feminam, quæ acciperet ; Jovemque esse « mundum, et eum omnia semina ex se emittere, et « in se recipere : quâ causâ, *inquit*, scripsit Sora- « nus : » « Jupiter progenitor genitrixque ; nec minùs « cum causâ unum et eumdem omnia esse ; mundus « enim unus, et in eo uno omnia sunt. »

[1] *Baruch*, III, 38. — [2] *Psalm.* LXIV, 9. — [3] I *Tim.* II, 5. — [4] *Philipp.* II, 11. — [5] *Rom.* IX, 5.

[a] Hunc versum Virgilius in Eclogâ 3, vers. 60, ex principio Phænomenorum Arati transtulit. Dixit verò Aratus *Jovis omnia plena* esse, ex Stoicorum mente, qui intelligebant animam mundi universum hoc permeare. LARCHER.

[b] De hoc viro, Soræ, Latii oppido, oriundo, doctissimo et præstantissimorum virorum familiaritate Romæ uso, narrant Cicero, Libro 3 de Oratore, cap. 11 ; Plinius, Libro 3 Historiæ Naturalis, cap. 5 (aliàs, 9), et alii. Versus ipsi petiti esse possunt ex Libris quos Ἐποπτίδων inscripsit, teste eodem Plinio in ipso fine Præfationis.

[c] In editione Maurinâ, in primo versu : « Regum rerumque « deûmque ; » et in secundo versu, pro *omnis* legitur *omnes*. A Mythographo, quem primus edidit Cardinalis Mai in Classicis Auctoribus, Tom. 3, p. 161, ità citantur hi versus :

« Juppiter omnipotens, rerum regumque deûmque
« Progenitor, genitrixque deum, Deus unus et idem. »

[d] Similis est versus Orphicus apud Aristotelem, Libro de Mundo, cap. 7 (et apud Eusebium, Libro 3 de Præparatione Evangelicâ, cap. 9) :

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο Νύμφη.
« Juppiter et mas est, estque idem Nympha perennis. »

Vertente Apuleio. Quem ridet, et quidem jure, Lactantius, Libro 4 Institutionum, cap. 8 : « Nisi fortè existimabimus « Deum, sicut Orpheus putavit, et marem esse et feminam : « quòd aliter generare nequiverit, nisi haberet vim sexûs « utriusque, quasi aut ipse secum coierit, aut sine coitu non « potuerit procreare. Sed Hermes in eàdem fuit opinione, cùm « dicit αὐτοπάτορα καὶ αὐτομήτορα. » Nos autem, cùm appellamus Deum *matri-patrem* et *patri-matrem*, longissimè absumus à sensu ridiculo et obsceno quem dat his vocibus Orpheus, easque nonnisi in sensu suprà tradito intelligimus.

At si Deus *patri-mater* vocandus est, est præsertim ex quo quasi sponsus humanitatem matrem nostram, quasi sponsam, sibi perenni conjugio arctissimè copulavit, assumpsit et induit; idque repræsentatum est per matrimonium Adæ cum Evâ, de quo dictum est: *Et erunt duo in carne unâ* [1]. Per humanitatem igitur nos nostramque naturam sibi despondit, ut esset nobis mater, qui priùs fuerat pater, itàque ad eum fidenter accederemus. Solent filii, timentes patris severitatem, adire matrem, et per eam impetrare id quod volunt à patre; tenerior enim est amor matris in filium, quàm patris. Ità fideles et Ecclesiæ per humanitatem Christi invocant Deum, omniaque ab eo impetrant: undè Ecclesia omnes Collectas et Orationes concludit, dicendo: *Per Christum Dominum nostrum.* Ad hæc, humanitas Christi est quasi mater, quia sicut mater suum infantem magno et continuo dolore in utero gestat, format, parturit, lactat, fasciat, bajulat, educat, et in virum efformat; ità et Christus quasi mater per 34 annos magnis et continuis laboribus et doloribus, præsertim in cruce et morte nos concepit, parturivit, aluit, pavit, efformavit. Tertiò, quia Incarnatio Filii Dei fuit opus tùm summæ mentis et sapientiæ, tùm summæ bonitatis, quæ attribuitur Spiritui sancto, sicut illa attribuitur Verbo; sapientia autem, sive idea ac bonitas sese habent quasi mater respectu omnipotentiæ, quæ est quasi pater; Deus enim Pater Verbo suo, quasi ideâ, mente et matrice, concepit, formavit et produxit omnia. Idem suâ bonitate, quasi matre, viscera misericordiæ in nos effundit, præsertim per Incarnationem, de quâ Zacharias: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto* [2]. Hinc Deus quasi mater homines quasi filios blandè ad se advocat allicitque, dicens: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tuî* [3]. Hinc et Christus veniens in carnem, ex matre solâ nasci voluit sine patre, ut instar Melchisedech esset ἀπάτωρ, sicut in cœlis est ἀμήτωρ, quasi ex matre maternitatem assumpturus, materque nobis futurus. Undè Psaltes de eo ait: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* [4]; et: *Miserationes ejus super omnia opera ejus* [5].

Porrò ut immensitatem beneficii Incarnationis Verbi aliquâ ratione concipiamus et ponderemus, S. Joannes quatuor ejus circumstantias expendendas suggerit et proponit, nimirùm, quis, quid, cui, cur.

Primò, quis est ille qui carnem nostram induit, imò assumpsit? Est Verbum, quod erat in principio, est Verbum æternum, est Deus omnipotens, Creator cœli et terræ, Dominus universorum, *Rex regum, et Dominus dominantium* [6]. Verbum ecce æternum per quod facta sunt omnia, fit caro, fit homo: *Et vocabitur nomen ejus*, ait Isaias, *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, magni consilii Angelus* [7]. Hoc est quod canit Ecclesia in Præfatione Nativitatis Christi: « Per « incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ « oculis lùx tuæ claritatis infulsit, ut, dùm visibi- « liter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium « amorem rapiamur. » Porrò natura divina per Incarnationem non est mutata, nec passa, sed suî similis, inviolata et impassibilis, permansit. Præclarè S. Leo, Sermone 10 de Nativitate [a]: « Idem, *ait*, « est in formâ Dei, qui formam suscepit servi. « Idem est incorporeus manens, et corpus assu- « mens. Idem est in suâ virtute inviolabilis, et in « nostrâ infirmitate passibilis. Idem est à paterno « non divisus throno, et ab impiis crucifixus in « ligno. » Quocircà S. Cyrillus Alexandrinus in cap. 1 hujus Evangelii S. Joannis, Verbum humanatum comparat, ut jàm diximus, carboni, vel ferro ignito. Sicut enim ignis non consumit ferrum ignitum, sed utriusque substantia illæsa et integra permanet; sic nec deitas mutavit humanitatem, nec humanitas deitatem; sed utraque integra et illæsa permanet. Id significatum est per ignem in rubo quem vidit Moyses [8]; ignis enim in rubo est Verbum in carne; sed sicut ignis rubum non adussit; sic Verbum humanitatem non læsit. Idcircò, Damascenus, Oratione 1 de Nativitate: « Tan- « tus, *ait*, Domine, tuus in me fuit amor, ut non « per Angelos, aut per ullam aliam creaturam « salutis meæ negotium obieris; verùm, ut pri- « mam fictionem, sic etiam ipsam instauratio- « nem ipsemet efficiendam duxeris. » Et S. Augustinus, Sermone 59 de Verbis Domini: « Ad « sanandum, *ait*, grandem ægrotum, descendit « omnipotens Medicus: humiliavit se usquè ad « mortalem carnem, tamquàm usquè ad lectum « ægrotantis. »

Secundò, quid fit Deus in Incarnatione? Fit caro. Cùm caro hominis, ut jàm diximus, est præ cæteris animalibus misera, infirma, putida, mille ærumnis et morbis subjecta, et per concupiscentiam corruptissima, hanc assumpsit Verbum, eò se inclinavit illa majestas, ut Seraphinos, Cherubinos, et cæteros Angelorum Ordines præteriens, descenderet in imam hanc miseriarum vallem, et carnem, eamque sibi arctissimo hypostaticæ unionis vinculo copularet.

[1] *Gen.* II, 24. — [2] *Luc.* I, 78. — [3] *Isai.* XLIX, 15. — [4] *Psalm.* XXXIII, 9. — [5] *Id.* CXLIV, 9. — [6] *Apoc.* XIX, 16. — [7] *Isai.* IX, 6. — [8] *Exod.* III, 2.

[a] Vide hunc Sermonem infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini.

Cogita si ovis duceretur ad lanienam, et homo quispiam eam amans et miserans (uti S. Franciscus eas pecuniâ redimebat ob amorem Christi, qui repræsentatur Agno Dei), vellet pro eâ mori, imò mutari in ovem, ut ovem illam redimeret, annon diceretur hìc ejus in ovem esse insanus et ecstaticus amor? Longè major fuit amor Christi in nos, dùm ex Deo factus est homo; infinitiès enim ampliùs Deus excedit hominem, quàm homo excedat ovem. Hoc ergò *est magnum pietatis* (et divinæ dignationis et philanthropiæ) *sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ* [1]. Hoc cum Seraphinis admirari et obstupescere debemus, ac cùm videmus parvulum in præsepio, cum stupore dicere : Itàne iste parvulus est Deus meus, Rex cœlorum, Creator universi? « Deus, *ait* « D. Thomas, Opusculo 60, communicat se, primò, « omnibus creaturis per præsentiam : secundò, et « magis justis per gratiam : tertiò, et maximè « carni nostræ per substantiam : » « primò, natu- « raliter : secundò, supernaturaliter : tertiò, per- « sonaliter, *ait* Cajetanus. » Porrò Verbum per humanitatem suam omnes homines, et per eos totum universum (hujus enim nexus et vinculum est homo, ideò microcosmus appellatus) ad se elevavit, sibique univit, ut sit Deus omnia in omnibus, ait Damascenus, Oratione de Transfiguratione, et Cajetanus in Part. 3, Quæst. 1, Art. 1 : « Incar- « natio, *inquit*, est elevatio totius universi in divi- « nam personam : » imò S. Dionysius, Lib. de Divinis Nominibus, cap. 4 : « Quæ major, *ait*, Dei commu- « nicatio cum creaturâ, quàm ea quâ Verbum caro « factum est, excogitari potest? » Rursùm junxit se Verbum homini, id est, primum ultimo; in creatione enim homo fuit ultimò à Deo creatus; atque sic Deus, quasi in circulo, ad punctum undè cœperat, Verbo creando omnia, per Incarnationem rediit, hominem jungendo Verbo. Ità Clictovæus in Damasceni Libr. 3 de Fide, cap. 1.

Tertiò, cui Verbum factum est caro? Homini peccatori et vilissimo instar vermiculi : *Parvulus* enim *natus est nobis, et filius datus est nobis* [2]. Christus ergò non assumpsit hominem propter se, quasi egeret aut delectaretur illâ humanitate quam assumpsit, sed propter nos. Ultimus ergò terminus Incarnationis sumus nos. Ideò enim natus est in carne corporaliter, ut in animâ nostrâ nasceretur spiritualiter. Hinc canit Ecclesia in Symbolo Concilii Nicæni : « Qui propter nos homines, « et propter nostram salutem descendit de cœlis. » S. Anselmus, Libro 2 cur Deus homo, cap. 20 : « Quid, *ait*, misericordius intelligi valet, quàm quod « peccatori æternis tormentis deputato, et undè se « redimeret non habenti, Deus Pater dicit : Accipe « Unigenitum meum, et da pro te : ipse Filius : « Tolle me, et redime te?» Celebratur Atheniensium dux Codrus, qui, orto cum Spartanis bello, cùm respondisset oraculum illos posse vincere, quorum dux periisset, depositâ ducali trabeâ, vilem militis vestem induit, itàque hostium castra adiens, illic jurgio eos in suam cædem instigavit, ac moriens, suâ morte victoriam, vitam et libertatem suis peperit. Sed quid Codrus ad Christum? Quid homo ad Deum, qui carnem induens, nos suâ morte ab æternâ morte et gehennâ liberavit, ac regni cœlestis et æternæ gloriæ hæredes effecit?

Quartò, cur Verbum factum est homo? Ut hominem inferno, morte, peccato, omnique miseriâ corporis et animæ liberaret. Verbum enim nihil sibi acquisivit nisi exinanitionem, opprobria, paupertatem, dolores, mortem et crucem, ut per ea nobis benefaceret. « Natus est Christus in carne, ut nos « nasceremur in spiritu, *ait* S. Gregorius Nazian- « zenus [a]. Natus est in tempore, ut tu nascereris in « æternitate. Natus est in stabulo, ut tu nascereris « in cœlo. » Audi S. Augustinum, Sermone 9 de Nativitate [b] : « Dominus noster Jesus Christus, qui « in æternum cunctorum est Creator, hodiè nas- « cendo de matre, factus est nobis Salvator. Natus « est nobis hodiè in temporis volubilitate, ut nos « perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus « homo, ut homo fieret Deus : ut panem Angelo- « rum manducaret homo, Dominus Angelorum « hodiè factus est homo. » Et S. Gregorius Nazianzenus in Distichis : « Patris Verbum est homo noster, « ut hujusmodi mixtione Deum hominibus misceat. « Unus utrimque Deus est, hactenùs homo effectus, ut « me ex mortali Deum efficiat.» Hoc est quod S. Joannes ait : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, etc. ; et : *Verbum caro factum est*, quasi diceret : Ideò Verbum caro factum est, ut homines faceret filios Dei. Audi Origenem, Homiliâ 2 in diversis [c] hæc verba tractantem : « Si Filius Dei factus est homo, quid mirum, « si homo credens in Filium Dei, filius Dei futurus « sit? Ad hoc siquidem Verbum in carnem de- « scendit, ut in ipsum caro, id est, homo, credens, « in Verbum ascendat, ut per naturalem Filium « unigenitum, multi filii efficiantur adoptivi. Non « propter seipsum Verbum caro factum est, sed « propter nos, qui nonnisi per Verbi carnem po- « tuissemus in Dei filios transmutari. Solus de-

[1] I *Tim.* III, 16. — [2] *Isai.* IX, 6.

[a] Sermone in Nativitatem Domini, infrà. — [b] Infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini. — [c] Aut quisquis est Auctor hujus Homiliæ. Vide hanc Homiliam infrà, inter Homilias in Evangelium S. Joannis ad Missam in die, num. 21.

« scendit, ut cum multis ascenderet. De hominibus « facit deos, qui de Deo fecit hominem, *et habita-* « *vit in nobis*, id est, naturam nostram possedit, « ut suæ naturæ participes faceret nos. » S. Leo, Sermone 6 de Nativitate [a] : « Ideò, *ait*, Christus fi- « lius hominis factus est, ut nos filii Dei esse pos- « simus. » Vide S. Anselmum, Libro cur Deus homo.

Vide ergò immensitatem hujus beneficii. Deus hìc non pluit è cœlo manna, sed totum cœlum quasi disrumpens, omnes deitatis suæ thesauros et viscera misericordiæ suæ, imò totum se, tantus quantus est, cum omnibus suis donis et gratiis in terram effudit. Hoc est quod optabat Isaias : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem* [1]. Audi S. Augustinum, Sermone 27, vel alio computo, 23 de Tempore : « *Laudem Domini*, inquit, *loquetur os meum* [2], ejus Domini *per quem facta sunt omnia*, « et qui factus est inter omnia, *etc.* [b]. Audi et S. Gregorium Nazianzenum jubilantem, Oratione 38 : « Christus gignitur, glorificate. Chri- « stus è cœlis, obviam prodite, *etc.* [c]. » Et S. Bernardus, Sermone 1 de Epiphaniâ : « Quid tanto- « perè declaret ejus misericordiam, quàm quòd « ipsam suscepit miseriam? Quid ità pietate ple- « num, quàm quòd Dei Verbum propter nos fa- « ctum est fenum?... Quantò enim minorem se fecit « in humanitate, tantò majorem se exhibuit in bo- « nitate ; et quantò pro me vilior, tantò mihi cha- « rior est. » Idem, Sermone 46 in Cantico : « O « suavitatem, ô gratiam, ô amoris vim ! Summus « omnium imus factus est omnium ! Quis hoc fecit ? « Amor dignitatis nescius, dignatione dives, effectu « potens, suasu efficax. Quid violentius? Trium- « phat de Deo amor, ut scias amoris fuisse, quòd « plenitudo effusa est, quòd altitudo æquata est, « quòd singularitas associata est. » Quarè ut hoc manna immensum è cœlo depluens excipiamus, pandamus totum cor, ampliemus ejus sinum per immensum ejus desiderium, ut totam ejus copiam, gratiam et suavitatem capiamus et sapiamus. Imitemur Patres in limbo, qui per tria et quatuor annorum millia *sedentes in tenebris et umbrâ mortis* [3], illud avidissimè et sitientissimis animis desiderabant, clamantes : *Utinàm dirumperes cœlos, et descenderes* [4] ! Imitemur B. Virginem, quæ concepto Verbo anhelabat ad ejus partum, tota avulsa à mundo, et tota Christo unita, in eumque transformata, ut deitas in utero latens per corpus Virginis, in omnibus ejus partibus et motibus resplenderet. Atque idcircò Christus jussit hanc suam Nativitatem quotannis solenniter recoli et celebrari, ut nobis id præstet, quod olim præstitit Pastoribus, Magis, Annæ, Simeoni, Joseph, dùm realiter natus est ; quia enim tunc præsentes esse non potuimus, hinc nobis quotannis per commemorationem fit præsens, ut easdem gratias impertiat. Quisque ergò suas necessitates Christo nato proponat, carnis infirmitates ac præsertim vitium et tentationem, quæ maximè eum premit, dicatque confidenter cum S. Catharinâ Senensi : « Domine, habeo te præsen- « tem : meus es, non dimittam te, donec hanc ten- « tationem sustuleris, hanc virtutem vel gratiam « dederis, donec totum cor meum possederis, et « tuo amore imbueris. » Ideò enim Verbum caro factum est, ut carnis ærumnas et infirmitates curaret vi verbi, uti curavit omnes in eâ carne quam assumpsit. Rogandus est ut idem faciat in carne nostrâ, ut in eâ habitans, eam sanet, sanctificet, et quasi in spiritum transmutet : cum novâ nativitate det novam vitam, ut vivamus angelicè cum Angelo cœlesti. Sic S. Bernardus : « Christus se totum « tibi : tu te totum da Christo : Christus tibi natus « est, Verbum tibi incarnatum est, Deus tibi huma- « natus est : tu vicissim nascere Christo, Verbo te in- « sere, Deo te desponde, imò trade et redde. » Deniquè exclamat idem S. Bernardus, vel quisquis est auctor Sermonis in Cœnâ Domini, qui habetur sub finem Operum ejus : « O stupenda Dei miseratio ! Ver- « bum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita « morticinium induit, ut jumenta manducarent pa- « nem Angelorum : homines jumenta erant. » Et inferiùs : « Eapropter cibus cœlestis mutavit se in « pabulum pecoris, homine mutato in pecus ; panis « enim Angelorum factus est fenum, unicus Patris, « filius hominis ; *omnis* enim *caro fenum* [5]. Co- « medunt igitur Angeli Verbum de Deo natum : « comedunt homines Verbum fenum factum. Pane « suo vivunt Angeli in cœlis, et beati sunt : feno « suo vivunt homines in terris, et sancti sunt ; fe- « num quippè istud, de prato virginalis uteri col- « lectum, factum est refectio jumentorum : Verbum « ut fenum fieret, latuit in Virgine, sol in sidere, « artifex in opere. »

Et habitavit in nobis, græcè, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, hoc est tentorium vel tabernaculum fixit in nobis, id est, inter nos, ad modicum tempus, quasi hospes et peregrinus in terrâ alienâ ; erat enim ipse civis, incola et dominus cœli ac paradisi, juxta illud : *Quarè quasi colonus futurus es in terrâ,*

[1] *Isai.* XLV, 8. — [2] *Psalm.* CXLIV, 22. — [3] *Id.* CVI, 10. — [4] *Isai.* LXIV, 1. — [5] *Id.* XL, 6.

[a] Infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini.

[b] Infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini, usquè ad hanc phrasim exclusivè : « Quid hoc miramur de Verbo Dei, *etc.* »

[c] Infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini, usquè ad hanc phrasim exclusivè : « Rursùs tenebræ depelluntur, *etc.* » Et mox : *Omnes Gentes, plaudite manibus*, etc., usquè ad hanc phrasim exclusivè : « Judæi offendantur, *etc.* »

et quasi viator declinans ad manendum[1]? Christus ergò suî exemplo voluit docere Christianis terram esse quasi hospitium, patriam verò esse cœlum, ad quod proindè, contemptis rebus terrenis, totâ mente et nisu contendere debent : hàc de causâ homo factus, inter homines in terrâ quasi peregrinus versatus est, cum eis familiariter colloquens, conversans, et docens terrena relinquere, et ambire cœlestia, juxta illud : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*[2]. Paulò aliter SS. Chrysostomus et Cyrillus : « In nobis, *inquiunt*, id est, in naturâ nostrâ, putà in humanitate quam assumpsit, ut nos redimeret. » Causam dat S. Chrysostomus : « Deus Verbum, *inquit*, « sibi sanctum templum construxit, ac per illud ex « cœlis deductam agendæ vitæ rationem ad vitam « nostram introduxit. » Citat et laudat hæc S. Chrysostomi verba Theodoretus, Dialogo *Immutabilis*. Causa ergò fuit hæc, ut cœlestem vivendi rationem è cœlis afferret, illamque homines doceret.

Et vidimus gloriam ejus, græcè, ἐθεασάμεθα, id est, spectavimus, quasi in theatro, mirum novumque spectaculum, ut scilicet Verbum carne velatum, in eâ gloriam deitatis suæ ostenderet, per miracula, per virtutes heroïcas, per sapientiam et doctrinam divinam, *etc.* Sic Apostolus ait : *Spectaculum* (græcè, *theatrum*) *facti sumus mundo, Angelis et hominibus*[3].

Gloriam quasi Unigeniti à Patre, Arabicus, *quasi Unici qui est à Patre*. Sensus est, quasi diceret : Vidimus Christi gloriam, talem et tantam, qualis et quanta decebat unigenitum, vel quæ ostenderet eum esse unigenitum Dei Filium, cui scilicet, ut ait S. Basilius, Deus Pater omnem gloriam, omnem substantiam dedit, sicut solent parentes filiis suis unigenitis relinquere omnem suam hæreditatem. Hanc Christi gloriam vidit S. Joannes cum sociis, in Transfiguratione in monte Thabor, in gloriosâ ejus Resurrectione, in Ascensione in cœlum, in missione Spiritûs sancti, in cœlesti et divinâ ejus doctrinâ, vitâ et miraculis. Ergò vox *quasi* non similitudinem, sed veritatem denotat. Ità S. Chrysostomus : « Verbum *quasi*, inquit, « hoc in loco non similitudinis est, neque parabola, sed confirmationis et definitionis certissimæ, quasi Joannes diceret : Vidimus gloriam, « qualem deceat et credibile sic habere unigenitum « et dilectissimum omnium, Regis Dei Filium. » Et Theophilactus : « Spectavimus gloriam, non ta- « lem qualem habebat Moyses, vel cum quâ gloriâ « Cherubim et Seraphim Prophetæ apparuerunt ; « sed talem gloriam, qualem decuit esse Unigeniti « à Patre, quæ illi naturaliter inest ; nam, *velut*, hìc, « non similitudinis, sed confirmationis et determinationis indubitatæ verbum est. » Et Euthymius : « Gloriam, non qualis est Sanctorum beatorum, vel « Angelorum, sed gloriam verè Unigeniti ; nam hìc « dictio ὡς, *tamquàm*, idem significat quòd *verè*. »

Porrò gloria deitatis Christi, per carnem assumptam, quasi per velum transparuit et emicuit, ait Euthymius, qui et addit : « Quæ autem erat illa « Verbi gratia ? Certè numquàm anteà visa, variaque miracula, perlucida ac supernaturalis transformatio, formidabilis veli scissio, horribilis terræmotus, petrarum scissiones, quodque omnium « caput est, mirabilior quàm dici aut cogitari queat, « Domini Resurrectio, et post hanc, quæcumque « gloriosa Apostoli deinceps conspexerunt. »

A Patre refer ad *Unigeniti*; hic enim unicè genitus prodiit à Patre. Addit hoc, « quia, ut ait « S. Bernardus, Serm. 2 de Pentec., totum paternum est, quod de cordè Patris Christus attulit « nobis, ut nihil in Filio Dei, nisi dulce, nisi paternum humani generis trepidatio suspicetur. » Sublimiùs et magis ad litteram S. Cyrillus : « Firma, « *ait*, et immutabilis supernaturalis illa natura « est, eodemque modo semper se habens, propriis « semper dignitatibus æqualiter abundat. Quamvis « ergò Verbum caro factum sit, non tamen infirmitate carnis superatum est, nec de priscâ majestate atque omnipotentiâ decidit, quoniam homo « factum est ; vidimus enim, *inquit*, gloriam Christi « à Deo, sublimiorem creaturarum gloriâ, ut mentis quisque compos, nulli alii, quàm unigenito « Dei Filio convenire illam fateretur. »

Plenum gratiæ et veritatis. Erasmus et Cajetanus hæc jungunt sequentibus, referuntque ad Joannem Baptistam, de quo sequitur ; non ad Christum, de quo sermo processit. Sic ergò vertunt et nectunt : *Plenus gratiâ et veritate Joannes testificatur de ipso*, scilicet, Jesu, quòd ipse sit Christus, quia, inquiunt, græcè est πλήρης, id est, *plenus*, in nominativo masculino. Verùm hæc dispunctio, versio et expositio est contra omnes Patres, et contra perpetuum Ecclesiæ consensum, ac contra dispunctionem Codicum græcorum, latinorum, syrorum, arabicorum, *etc.*, qui constanter post τὸ *veritatis*, ponunt punctum. Insuper repugnat sequentibus ; nam explicans Joannes quomodò Christus sit plenus gratiâ et veritate, subjicit dicens : *De plenitudine ejus omnes accepimus*[4]. Nec obstat quòd in textu græco sit πλήρης, id est, *plenus*, tùm quia in multis Codicibus ponitur πλήρη, in accusativo, id est, *plenum* ; tùm quia in aliis, τὸ πλήρη in margine ponitur : quòd si velimus legere πλήρης, id est, *plenus*, in nominativo, tùm verba præcedentia legenda sunt per parenthesim, hoc modo : (*Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unige-*

[1] *Jerem.* XIV, 8. — [2] *Baruch*, III, 38. — [3] I *Cor.* IV, 9. — [4] *Joan.* I, 16.

niti à Patre), uti legunt Biblia Lovan., Hentenii; et ità servatur idem sensus; nam πλήρης refertur ad Λόγος, quasi diceretur : Verbum caro factum erat plenum gratiæ et veritatis. Alludit ad verbum humanum, cujus summa laus est, si sit gratiosum et verum, sive verax; sic enim Verbum divinum, non tantùm in se, quà Verbum Dei Patris (quis enim de eo dubitet?), sed etiam quà caro factum, sive quà homo, in se quasi in fonte et capite, non participando, sed per se, et quasi nativà suà vi, omnibus gratiæ, tàm *gratum facientis*, quàm *gratis datæ*, donis à Deo fuit cumulatum, atque ore et opere, in omnibus suis dictis et factis, eximiam gratiam præ se tulit, juxta illud : *Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius* [1]. Idem fuit plenum veritate; quia omnes errores, item umbras Legis Veteris detexit, ipsamque veritatem olim à Prophetis promissam exhibuit. Insuper in ipso *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* [2].

Plenum gratiæ: « Non enim gloriam potestatis « aut claritatis vidimus, *ait* S. Bernardus, Serm. 6 « in Vigiliam Nativitatis, sed gloriam paternæ pietatis, « gloriam gratiæ, de quâ Apostolus : *In laudem*, in- « quit, *gloriæ gratiæ suæ* [3]. « Undè idem Apostolus exclamat : *Magnum*, inquit, *est pietatis sacramentum* (scilicet Verbum caro factum), *quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriâ* [4]. Quàm plena et quaquaversùm perfectissima fuerit gratia Christi, vide docentem S. Thomam, Part. 3, Quæst. 7, Art. 9 et seq., ibique Suaresium, Vasquesium, et cæteros.

Et veritatis. Aptè veritatem jungit gratiæ, quia, ut ait S. Bernardus, Serm. 74 in Cant. : « Veritas « capreæ oculos habet, gratia hinnuli hilaritatem : « utraque res necessaria mihi; et veritas quidem, « cui abscondi non possim; gratia autem, cui no- « lim. Alioquin, sine alterutrà visitatio plena non « erit, cùm et illius severitas absque hàc, onerosa, « et hujus hilaritas absque illâ, dissoluta possit vi- « deri. Amara est veritas sine condimento gratiæ, « sicut absque veritatis freno levis, et nesciens « modum, plerùmque et insolens ipsa devotio. »

Hujus rei symbolo, pontifex Aaronicus, qui Christi erat typus, in rationali pectoris sui gestabat inscriptum : אורים ותמים, *Urim et thummim*, id est, *doctrina et veritas*, vel ad verbum, *illuminatio et perfectio*, hoc est, *veritas et gratia :* quæ duo in Christo excelluerunt, ac sacerdoti cuilibet maximè necessaria sunt, ut iis Christo assimiletur.

Ergò licèt B. Virgo, S. Stephanus, et alii dicantur pleni gratiâ præ cæteris hominibus, tamen respectu Christi non fuere pleni; Christus enim est quasi oceanus et mare gratiarum, quod in omnes fideles, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines rivos gratiarum emanat. B. Virgo verò, S. Stephanus, aliique Sancti sunt quasi fontes, qui ex Christo, quasi ex mari, aquam gratiæ hauriunt, eamque quasi rivi, vel fontes pleni, eructant. Hoc est quod ait Apostolus : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [5]; et : *Unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi* [6]; Filio autem *non ad mensuram Deus dedit spiritum* [7].

CATENA AUREA S. THOMÆ AQUINATIS

IN IDEM EVANGELIUM [a].

---

1. *In principio erat Verbum.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 3, aliàs 4, in Joannem, n. 1.)

Omnibus aliis Evangelistis ab Incarnatione incipientibus, Joannes transcurrens conceptionem, nativitatem, educationem, augmentationem, mox de æternâ nobis generatione narrat, dicens : *In principio erat Verbum.*

AUGUSTINUS,

Lib. de Diversis Quæstionibus 83 (Quæst. 63.)

Quod græcè Λόγος dicitur, latinè et *Rationem* et *Verbum* significat; sed hoc loco meliùs *Verbum*

[1] *Luc.* IV, 22. — [2] *Coloss.* II, 3. — [3] *Ephes.* I, 6. — [4] I *Tim.* III, 16. — [5] *Coloss.* II, 9. — [6] *Ephes.* IV, 7. — [7] *Joan.* III, 34.

[a] In hunc locum Catenæ aureæ S. Thomæ Aquinatis in hocce Evangelium S. Joannis, maximè irrepserunt errores culpâ, ut nemo non dubitat, typographorum aut amanuensium: ibique non rarò accidit quòd phrasis obscurissima sit : itaque ex unâ parte editionem Romanam, quam sequimur, erroribus manifestis expurgavimus; et quotiès phrasis obscura est, totiès clariorem textum editionum specialium uniuscujusque Patris protulimus, ità ut, nostro saltem judicio, nihil omiserimus, ut hoc mirandum opus S. Thomæ optimè à nostris lectoribus intelligatur.

interpretamur, ut significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operativâ potentiâ; *Ratio* autem, etsi nihil per eam fiat, rectè ratio dicitur.

IDEM,

in Joan. (Tract. 1, aliquotiès ante med.)

Quotidiè autem dicendo, verba viluerunt nobis, quia sonando et transeundo viluerunt. Est verbum et in ipso homine, quod manet intùs; nam sonus procedit ex ore. Est verbum quod verè spiritaliter dicitur, illud quod intelligis de sono, non ipse sonus.

IDEM,

Lib. 15 de Trinitate (cap. 10, n. 19.)

Quisquis autem potest intelligere verbum, non solùm antequàm sonet, verùm etiam antequàm sonorum ejus imagines cogitatione volvantur, jàm potest videre per hoc speculum atque in hoc ænigmate aliquam Verbi similitudinem, de quo dictum est : *In principio erat Verbum.* Necesse est enim, cùm id quod scimus loquimur, ex ipsâ scientiâ quam memoriâ tenemus, nascatur verbum, quod ejusmodi sit omninò, cujusmodi est illa scientia de quâ nascitur. Formata quippè cogitatio ab eâ re quam scimus, *verbum* est quod in corde dicimus, quod nec græcum est, nec latinum, nec linguæ alicujus[a]; sed cùm id opus est in eorum quibus loquimur, proferre notitiam, aliquod signum quo significetur, assumitur.

IDEM,

(cap. 11, n. 20.)

Proindè verbum quod forìs sonat, signum est verbi quod intùs latet, cui magis *verbi* competit nomen; nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est; *verbumque* et ipsum dicitur propter illud à quo, ut forìs appareret, assumptum est.

BASILIUS,

(Homiliâ in illud : *In principio erat Verbum*, n. 3.)

Hoc autem Verbum non est humanum verbum; quomodò enim erat in principio humanum verbum, ultimo loco accipiente homine generationis principium? Non igitur in principio verbum erat humanum, sed nec Angelorum; omnis enim creatura infra sæculorum terminos est, à Creatore essendi sumens principium. Sed audi Evangelium decenter; ipsum enim Unigenitum *Verbum* dixit.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 1, aliàs 2, in Joan., n. 4.)

Si autem quis dixerit : Cur Patrem dimittens, mox nobis de Filio loquitur? Quoniam ille quidem manifestus omnibus erat, etsi non ut Pater, sed ut Deus; Unigenitus autem ignorabatur. Ideò decenter eam, quæ de isto est, cognitionem confestim initio studuit imponere iis qui nesciebant eum. Sed neque Patrem in iis qui de Filio sunt sermonibus tacuit. Propter hoc autem et *Verbum* eum vocavit; quia enim docturus erat, quòd *hoc Verbum* unigenitus est Filius Dei, ut non passibilem æstimaret quis generationem, præveniens Verbi nuncupatione, destruit perniciosam suspicionem, esse ex Deo Filium impassibiliter ostendens. Secunda verò ratio est, quia ea quæ sunt Patris nobis annuntiare debebat. Non simpliciter verò eum *Verbum* dixit, sed cum articuli adjectione[b], à reliquis ipsum separans; consuetudo enim est Scripturæ *verba* vocare leges Dei et præcepta; hoc autem Verbum substantia quædam est, hypostasis, ens, ex ipso proveniens impassibiliter Patre.

BASILIUS,

(Homiliâ in illud : *In principio erat Verbum*, n. 3.)

Quarè igitur *Verbum?* Quia impassibiliter natum est[c], quia est generantis imago, totum in seipso generantem demonstrans, nihil indè separans, sed in seipso perfectum existens.

AUGUSTINUS,

Lib. 15 de Trinitate (cap. 13, n. 22.)

Sicut enim scientia nostra illi scientiæ Dei, sic et nostrum verbum quod nascitur ex nostrâ scientiâ, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentiâ; tale est autem ac si dicerem : De Patris scientiâ, de Patris sapientiâ; vel, quod est expressius : De Patre Scientiâ, de Patre Sapientiâ.

(Cap. 14, n. 23 et 24.)

Verbum ergò Dei Patris, unigenitus Filius, per omnia Patri similis et æqualis; hoc enim est omninò quod Pater; non tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater; ac per hoc novit omnia quæ novit Pater, si ei nôsse de Patre est, sicut esse; nôsse enim et esse ibi unum est; et ideò Patri sicut esse non est à Filio, ità nec nôsse. Proindè tamquàm seipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia; non enim seipsum integrè perfectèque dixisset, si aliquid minùs aut ampliùs esset in ejus Verbo, quàm in seipso. Nostrum autem verbum interius, quod invenimus esse utcumquè illi simile, quantùm sit etiam dissimile, non pigeat intueri.

(Cap. 15, n. 25.)

Est enim verbum mentis nostræ quandoquè formabile, nondùm formatum quiddam mentis nostræ, quod hàc atque hàc volubili quâdam motione jactamus, cùm à nobis nunc id, nunc illud, sicut inventum fuerit vel occurrerit, cogitatur; et tunc

[a] In edit. Maurinâ additur : « Alterius. »

[b] Ὁ Λόγος, quasi *singulare aliquod Verbum;* quod autem subjungitur : « Substantia quædam est, hypostasis, » vel essentiam significare potest, vel personam, prout apud posteriores Græcos usurpata est hypostasis, licèt ad rationem substantialem Verbi significandam pertineat.

[c] *Meliùs*, genitum est.

fit verum verbum, quandò illud quod nos diximus volubili motione jactare, ad id quod scimus pervenit, atque indè formatur, ejus omnimodam similitudinem capiens, ut quomodò res quæque scitur, sic etiam cogitetur. Quis non videat quanta sit hìc dissimilitudo ab illo Dei Verbo, quod in formâ Dei sic est, ut non antè fuerit formabile, [a] postquàm formatum, non aliquandò possit esse informe, sed sit forma simplex, æqualis ei de quo est?

(Cap. 16, n. 25.)

Quapropter ità dicitur *illud Dei verbum*, ut *Dei cogitatio* non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile [b] dicatur in Deo, quod nunc habeat, nunc accipiat formam, ut verbum sit, eamque possit amittere, atque informiter quodammodò volutari.

IDEM,

de Verbo Domini (Serm. 38.)

Est enim Verbum Dei forma quædam non formata, sed forma omnium formarum, forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens in omnibus, fundamentum quoddam in quo sunt, et fastigium sub quo sunt.

BASILIUS,

(Homiliâ in illud : *In principio erat Verbum*, n. 3.)

Habet autem et verbum nostrum exterius divini Verbi similitudinem quamdam; nam nostrum verbum totam declarat mentis conceptionem; quæ namque mente concipimus, ea verbo proferimus. Et quidem cor nostrum quasi fons quidam est; verbum verò prolatum, quasi quidam rivulus manans ex ipso.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 1, aliàs 2, in Joan., à med.)

Considera etiam in Evangelistâ prudentiam spiritualem. Noverat homines id quod antiquum est, et quod est ante omnia maximè honorantes et ponentes *Deum :* propter hoc primum dicit principium : *In principio,* inquit, *erat Verbum.*

ORIGENES,

(Tom. 1 in Joan., super illud : *In principio erat Verbum.*)

[c] Plura autem sunt significata ab hoc nomine *principium.* Est enim principium sicut itineris et longitudinis, secundùm illud : *Initium boni itineris justorum exercitium* [1]. Est autem principium et generationis, juxta illud : *Hoc est principium creaturæ Domini* [2]*;* sed etiam Deum non enormiter asseret aliquis omnium principium. Illud etiam ex quo sicut ex præjacente materiâ alia fiunt, principium est penès eos qui credunt illam ingenitam. Est etiam principium secundùm speciem, sicut Christus principium eorum est qui secundùm imaginem Dei formati sunt. Est etiam principium disciplinæ, secundùm illud : *Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursùs indigetis ut doceamini quæ sunt elementa exordii sermonum Dei* [3]. Duplex enim est Verbo documenti principium; hoc quidem naturâ, hoc verò quoad nos; ut si dicatur initium sapientiæ fore naturâ quidem Christum, in quantùm Sapientia et Verbum Dei est;

[1] *Prov.* XVI, 5. — [2] *Job,* XL, 14. — [3] *Hebr.* V, 12.

[a] In editione Maurinâ, pro *postquàm* legitur *priusquàm*, et sic concluditur phrasis : « Nec aliquandò esse possit informe, « sed sit forma simplex et simpliciter æqualis ei de quo est' « et cui mirabiliter coæterna est? »

[b] In eàdem editione, pro *dicatur*, etc. : « Credatur in Deo, « quod nunc accipiat, nunc recipiat formam. »

[c] Pro sequentibus, editio Delarue hæc habet : « Hanc autem « vocem *principii*, multa significare, non tantùm Gentiles fa« tentur, sed etiam si quis observare atque intelligere volue« rit. Est namque principium aliud *transitûs*, quod ad viam « pertinet et longitudinem, ut hæc verba declarant : *Viæ bo« næ principium est facere justa.* Rursùm est etiam princi« pium aliud *generationis*, cujus significatum in Job apertè « enuntiari arbitror, his verbis : *Hoc est principium figmenti « Domini factum, ut illudatur ab Angelis suis.* Nec absurdè « universorum Deum dixerit quispiam principium. Tertiò, « *illud ex quo, undè tamquàm ex præexistenti materiâ « oriantur alia*, principium existimant illi, qui materiam in« genitam adstruunt. Ad hæc, principium etiam est *veluti se« cundùm formam*, hoc pacto : Si primogenitus omnis crea« turæ est imago Dei invisibilis, principium ipsius est Pater : « similiter etiam Christus est principium eorum qui facti sunt se« cundùm imaginem Dei. Est etiam principium *disciplinæ*, juxta « quam intelligentiam dicimus elementa principium esse gram« matices. Ob hoc dicit Apostolus : *Cùm deberetis esse ma« gistri propter tempus, rursùm opus habetis ut doceamini « quæ sint elementa principii sermonum Dei.* Sed duplex « est principium disciplinæ : alterum *naturâ*, alterum *respe« ctu nostri :* ut si dicamus de Christo, quòd naturâ princi« pium ipsius sit divinitas; quoad nos verò, qui non valemus « ex magnitudine ejus veritatem de ipso assequi, humanitas ; « in quantùm parvulis prædicatur Jesus Christus, et hic cru« cifixus. Quarè hâc ratione Christum dicimus naturâ princi« pium esse disciplinæ, secundùm quod Dei sapientia et Dei « potentia est; quoad nos verò Verbum caro factum est, ut ha« bitaret in nobis, qui hoc modo tantùm initio eum capere va« lebamus. Jàm cùm tot nobis in præsentiâ succurrant princi« pii significata, fieri potest ut illud accipias tamquàm princi« pium à quo, quod est faciens, quandoquidem *mandavit « Deus, et creata sunt ;* Creator enim aliquo modo est Chri« stus, cui dixit Pater : *Fiat lux ;* et : *Fiat firmamentum ;* « Creatorque est Christus, tamquàm principium, in quantùm « Sapientia est, idcircò dictus principium, quia Sapientia sit. « Nec mirum, si multa bona existens Servator in se contineat. « Undè non secùs atque vita facta fuit in Verbo, sic Verbum « erat in principio. Proindè inspice an juxta hoc significatum « possimus intelligere hoc dictum : *In principio erat Ver« bum*, ut secundùm sapientiam, et secundùm figuras colle« ctionis intelligentiarum, quæ sunt in ipsâ, fiant omnia. Ego « etiam inspicio an dicere possimus principium entium esse « Filium Dei, dicentem : *Ego sum principium et finis*, α et ω, « *primus et novissimus*, cùm necessariò etiam sciendum sit « nobis ipsum non esse principium juxta omnia quibus nomi« natur. Quòd si diligenter examinemus omnia ipsius cogno« mina, solùm quia sit sapientia, principium est, ne princi« pium quidem existens in quantùm est Λόγος, id est, Ver« bum, vel Ratio, quandoquidem Verbum vel Ratio in princi« pio erat. »

quoad nos verò, in quantùm Verbum caro factum est. Tot igitur significatis ad præsens nobis de principio occurrentibus, potest accipi illud ex quo, quod est agens; conditor enim Christus est velut principium, secundùm quod Sapientia est, ut Verbum in principio quasi in Sapientiâ sit; plura enim bona de Salvatore dicuntur. Velut igitur vita in Verbo est, sic Verbum in principio, id est, in Sapientiâ erat. Considera verò si possibile est secundùm hoc significatum accipere nos *principium*, prout secundùm Sapientiam, et exempla quæ in eâ sunt, fiunt omnia. Vel: Quia principium Filii Pater est, et principium creaturarum et omnium entium, per illud: *In principio erat Verbum*, Verbum Filium intelligas in principio, id est, in Patre, dictum fore.

AUGUSTINUS,

Lib. 6 de Trinitate (cap. 2, n. 3.)

Aut: *In principio* sic dictum est ac si diceretur: Ante omnia.

BASILIUS,

(Homiliâ in illud: *In principio erat Verbum*, n. 1.)

Prævidit enim Spiritus sanctus futuros quosdam invidentes gloriæ Unigeniti, qui proferrent sophismata ad subversionem auditorum (nimirùm), quia, si genitus est, non erat; et, antequàm genitus esset, non erat. Ne igitur talia garrire præsumant, Spiritus sanctus ait: *In principio erat Verbum.*

HILARIUS,

Lib. 2 de Trinitate (paulò ante med.)

[a] Transeuntur tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates. Pone aliquod quod voles tuâ opinione principium: non tenes tempore; *erat* enim undè tractatur.

CHRYSOSTOMUS,

(Homil. 1, aliàs 2, in Joan., n. 4.)

Sicut autem quis, cùm stat in navi secus littus, videt civitates et portus; cùm verò eum aliquis in medium pelagi duxerit, [b] à prioribus quidem desistere facit, non tamen alicubi defigit ei oculum; ità Evangelista hìc super omnem nos ducens creaturam, suspensum dimittit oculum, non dans superspicere aliquem finem ad superiora; hoc enim: *In principio erat*, semper et infinitè essendi significativum est.

AUGUSTINUS,

De Verbo Domini (Serm. 38, ante med.)

Sed dicunt: Si Filius est, natus est. Hoc fatemur. Adjungunt deindè: Si natus est Patri Filius, erat Pater, antequàm ei Filius nasceretur. Hoc respuit fides. Ergò, ait [c], rationem mihi redde, quomodò et Filius nasci potuit Patri, ut coævus esset ei à quo natus est; post patrem enim nascitur filius, utiquè patri morituro successurus. Similitudines adhibent de creaturis. Et nobis laborandum est, ut et nos inveniamus similitudines earum rerum quas adstruimus. Sed quid possumus in creaturâ invenire coæternum, quandò in creaturâ nil invenimus æternum? Sed si possunt inveniri hæc duo coæva: Generans et generatum, ibi intelligamus coæterna. Ipsa quidem Sapientia dicta est in Scripturis *candor lucis æternæ* [1], dicta est *imago patris* [2]. Hinc capiamus similitudinem, ut inveniamus coæva, ex quibus intelligamus coæterna. Nemo autem dubitat, quòd splendor de igne exit. Ponamus ergò ignem patrem illius splendoris; mox quidem ut lucernam accendo, simul cum igne et splendor existit. Da mihi hìc ignem sine splendore, et credo tibi Patrem sine Filio fuisse. Imago existit de speculo hominis intuentis speculum. Existit imago mox ut aspector exstiterit. Sed ille qui inspicit, erat, antequàm accederet ad speculum. Ponamus ergò aliquid natum super aquam, ut virgultum aut herbam, nonne cum imagine suâ nascitur? Si ergò semper esset virgultum, semper esset et imago de virgulto. Quod autem de alio est, utiquè natum est. Potest ergò semper esse generans, et semper cum illo quod de eo natum est esse. Sed dicet aliquis: Ecce intellexi æternum Patrem, coæternum Filium; tamen sicut effusum splendorem minùs igne lucentem, aut sicut effusam imaginem minùs quàm virgultum existentem. Dicimus: Non; sed æqualitas omnimoda est. Non credo, ait, quia non invenisti similitudinem. Fortassìs autem invenimus in creaturâ quomodò intelligamus Filium et coæternum Patri, et nequaquàm minorem; sed non illud possumus invenire in uno genere similitudinum. Jungamus ergò ambo genera: unum undè ipsi dant similitudines, et alterum undè nos dedimus; dederunt enim illi similitudines ex his quæ præceduntur tempore ab his à quibus nascuntur, sicut homo de homine; sed tamen homo et homo sunt ejusdem substantiæ. Laudamus ergò in istâ nativitate æqualitatem naturæ: deest æqualitas temporis. In illo autem genere similitudinum, quod nos dedimus de splendore ignis, et de imagine virgulti, æqualitatem naturæ non invenis, invenis coævitatem. Totum ergò ibi quod hìc ex partibus singulis et rebus singulis invenitur, et non hoc solùm quod in creaturis, totum invenio ibi, sed tamquàm in Creatore.

[1] *Sap.* VII, 26. — [2] *Ibid.*

[a] Ad intelligentiam hujus Auctoris tàm ardui, vide præter Notas, quæ hic reperiuntur, alias ipsius Homiliæ in hoc Evangelium Joannis subjectas.

[b] In editione Montfauconianâ: « A prioribus quidem amovit, « at aspectui ejus terminos non posuit, sed immensum ipsi spe« ctaculum dedit; sic et Evangelista postquàm nos supra omnem « creaturam induxit, et ad superiora creaturis sæcula misit, « sublimem oculum mentis relinquit, qui nullum finem in su« pernis attingere possit, eo quòd nullus sit; illud enim: *In* « *principio erat*, nihil aliud significat quàm quod semper fuerit « et æternum sit. »

[c] Subintellige: « Qui sapit quod respuit fides, » ut clarè infertur ex editione Maurinâ.

Ex Gestis Concilii Ephesini,

(sive in Concilio Ephesino, Part. 3, ex Homiliâ Theodoti, Episcopi Ancyrani, quæ in diem Natalem Salvatoris ab illo habita est, et præsente Cyrillo lecta, qui Concilio præerat.)

Propterea aliculi quidem *Filium* appellat *Patris*, alicubi autem *Verbum* nominat, alicubi autem *Splendorem* vocat Scriptura divina, singula horum nominum de ipso dicens, ut intelligas ea quæ de Christo dicuntur, esse citra blasphemiam. Quia enim tuus filius ejusdem tibi naturæ fit, volens sermo ostendere unam substantiam Patris et Filii, dicit Filium Patris, qui ex eo natus est unigenitus. Deindè, quoniam nativitas et filius apud nos ostentationem præbent passionis [a], ideò hunc Filium appellat et *Verbum*, impassibilitatem nativitatis ejus nomine isto demonstrans. Sed quoniam [b] pater factus ut homo, indubitanter senior filio suo demonstratur, ne hoc ipsum etiam de divinâ naturâ putares, *Splendorem* vocat Unigenitum Patris; splendor enim nascitur quidem ex sole, non autem intelligitur sole posterior. Coexistere ergò semper Patri Filium, *Splendor* tibi denuntiet; impassibilitatem nativitatis ostendat *Verbum* : consubstantialitatem *Filii* nomen insinuet.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 2, aliàs 3, in Joan., inter princip. et med.)

Sed dicunt illi quoniam hoc, id est, *in principio*, non æternitatem ostendit simpliciter; etenim istud et de cœlo et de terrâ dictum est : *In principio*, inquit (Moyses), *fecit Deus cœlum et terram* [1]. Sed quid commune habet *erat* ad *fecit?* Sicut enim *quod est*, cùm de homine quidem dicitur, tempus præsens significat tantùm, cùm autem de Deo, id quod est semper et æternaliter; ità et *erat*, de nostrâ quidem cùm dicitur naturâ, præteritum significat tempus, cùm autem de Deo, æternitatem ostendit.

ORIGENES,

(Homiliâ 2 in diversos, ubi scilicet ex professo interpretatur illa verba : *In principio erat Verbum.* Sic et Glossa, nullius nomen præ se ferens, ex quâ desumitur Appendix de verbo substantivo quam Origenes non exprimit.)

Sum enim verbum, duplicem habet significationem; aliquandò enim temporales motus secundùm analogiam aliorum verborum declarat : aliquandò substantiam uniuscujusque rei de quâ prædicatur, sine temporali motu ullo designat : ideò et *substantivum* vocatur.

HILARIUS,

Lib. 2 de Trinitate (paulò ante med.)

Respice igitur ad mundum : intellige quid de eo scriptum sit : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Fit ergò in principio quod creatur, et ætate continens, quod in principio continetur ut fieret. Meus autem piscator, illitteratus, indoctus, liber à tempore, solutus à sæculis est, vicit omne principium; *erat* enim quod est, neque in tempore aliquo concluditur, ut cœperit quod erat potiùs *in principio*, quàm fiebat.

ALCUINUS.

Contra eos ergò qui propter temporalem Nativitatem dicebant Christum non semper fuisse, incipit Evangelista de æternitate Verbi, dicens : *In principio erat Verbum.*

Et Verbum erat apud Deum.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 2, aliàs 3, in Joan., aliquantulùm ante med.)

Quia maximè Dei hoc est proprium, æternum et sine principio esse, hoc primùm posuit : deindè, ne quis audiens : *In principio erat Verbum,* ingenitum *Verbum* dicat, confestim hoc removit, dicens : *Et Verbum erat apud Deum.*

HILARIUS,

(Lib. 2 de Trinitate, paulò ante med.)

Sine principio enim est apud Deum; et qui abest à tempore, non abest ab auctore.

BASILIUS,

(Homiliâ super hæc verba : *In principio erat Verbum*, inter med. et fin.)

Rursùs hoc dicit propter blasphemantes quòd non *erat.* Ubi ergò erat *Verbum?* [c] Non in loco incircumscriptibilia continentur. Sed ubi erat? *Apud Deum.* Neque Pater loco, neque Filius circumscriptione aliquâ continentur.

ORIGENES,

(Tom. 1 in Joan., super illud : *Et Verbum erat apud Deum.*)

[d] Utile est etiam inducere quòd Verbum dicitur ad aliquos fieri, putà ad Osee [2], vel Isaiam [3], aut Jeremiam [4]; ad Deum autem non fit, quasi priùs non

[1] *Gen.* I, 1. — [2] *Ose.* I, 1. — [3] *Isai.* I, 1. — [4] *Jerem.* XIV, 1.

[a] In editione Gallandii, adduntur verbo *passionis*, illa verba : «Quæ in generatione accidit,» ut videre est infrà, inter Sermones in Nativitatem Domini.

[b] «Quivis pater,» ibidem.

[c] Ista phrasis non est completa, profectò errore typographi potiùs quàm D. Thomæ. Sic illam restituimus ex interpretatione Jul. Garnerii, editoris Operum S. Basilii : «Non in loco, «quandoquidem in loco non continentur quæ circumscribi «non possunt.» Qui sic continuat : «Sed ubi erat? *Apud* «*Deum.* Neque Pater in loco, neque Filius in ambitu ullo aut «certâ circumscriptione comprehendi.ur.»

[d] Pro sequentibus, hæc legis in editione Delarue : «Consideremus quonam pacto Sermo ille erat apud Deum. Ergò «utile erit, ad hoc explicandum, colligere Sermonem, qui «scriptus est, factum fuisse ad quosdam. Verbi gratiâ : *Ser-* «*mo Domini factus est ad Osee, filium Beeri;* et : *Sermo* «*factus est ad Isaiam, filium Amos, de Judæâ et de Jeru-* «*salem;* et : *Sermo factus est ad Jeremiam de siccitate;* ad «Deum verò non fit, quasi qui anteà non existeret apud «ipsum; sed eo quòd sit semper cum Patre, dicitur : *Et Sermo* «*erat apud Deum;* non enim factus est apud Deum; et idem «verbum *erat,* de Sermone prædicatur, quoniam in principio «erat etiam tùm cùm apud Deum erat, neque à principio se- «paratus, neque Patrem deserens.»

ens apud ipsum : ex eo igitur quòd jugiter est in eo, dicitur : *Et Verbum erat apud Deum,* quia nec à principio à Patre (Filius) separatus est.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 3, aliàs 4, in Joan., n. 1.)

Non etiam dixit : In Deo erat, sed : *Apud Deum erat* [a] secundùm hypostasim, causam æternitatem nobis ostendens.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Videtur autem mihi quòd Sabellius ex hoc dicto subversus est; ipse enim docebat quòd Pater, et Filius, et Spiritus sanctus una est persona, quæ aliquandò ut Pater apparuit, aliquandò ut Filius, aliquandò ut Spiritus sanctus. Manifestè verò confunditur ex hoc verbo : *Et Verbum erat apud Deum;* hìc Evangelista alium declarat esse *Filium,* alium *Deum,* scilicet *Patrem.*

Et Deus erat Verbum.

HILARIUS,

Lib. 2 de Trinitate (parùm ante med.)

Dices : Verbum *sonus vocis* est, *enuntiatio negotiorum,* et *elocutio cogitationum.* Hoc Verbum in principio apud Deum erat, quia sermo cogitationis æternus est, cùm qui cogitat, sit æternus. Sed quomodò in principio erat, quod neque ante tempus, neque post tempus est? Et nescio an vel ipso possit esse in tempore; loquentium enim sermo neque est antequàm loquantur, et cùm locuti erunt, non erit; in eo autem ipso quòd loquuntur, dùm finiunt, jàm non erit id undè cœperunt. Sed si primam sententiam, rudis auditor, admiseras : *In principio erat Verbum,* de sequenti quid quæris : *Et Verbum erat apud Deum?* Numquid audieras in [b] Deo, ut sermonem reconditæ cogitationis acciperes? Aut fefellerat Joannem, quid esset [c] momenti inter [d] *inesse et adesse?* Id enim quod in principio erat, non in altero esse, sed cum altero prædicatur : statum igitur verbi et nomen exspecta; dicit namque : *Et Deus erat Verbum.* Cessat *sonus vocis* et *cogitationis eloquium.* Verbum hoc res est, non sonus : natura, non sermo : Deus, non inanitas est.

IDEM,

Lib. 7 de Trinitate (inter princip. et med.)

Simplex autem nuncupatio est, et caret offendiculo adjectionis alienæ. Ad Moysen dictum est : *Dedi te deum Pharaoni* [1]. Sed numquid non adjecta est nominis causa, cùm dicitur [e] *Pharaoni?* Moyses enim Pharaoni deus datus est, [f] dùm timetur, dùm oratur, dùm punit, dùm medetur. Et aliud est *deum dari*, et aliud *Deum esse.* Memini quoque et alterius nuncupationis, ubi dicitur : *Ego dixi : Dii estis* [2]; sed in eo indulti nominis significatio est. Et ubi refertur : *Ego dixi,* loquentis potiùs sermo est, quàm rei nomen. Cùm autem audio : *Et Deus erat Verbum*, non dictum solùm audio Verbum [g] Deum, sed demonstratum esse intelligo quòd Deus est.

BASILIUS,

(Homiliâ 1 in illud : *In principio erat Verbum*, aliqnantulùm ante finem.)

Sic igitur [h] excludens accusationem blasphemantium et quærentium quid est Verbum, respondet : *Et Deus erat Verbum.*

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Vel aliter continua. [i] Postquàm *Verbum erat apud Deum,* manifestum est quòd duæ personæ erant, quamvis una natura in duabus existat : undè dicitur : *Et Deus erat Verbum,* ità ut una natura sit Patri et Filio, cùm sit una Deitas.

ORIGENES,

(Tom. 1 in Joan. super illud : *Et Verbum erat apud Deum.*)

[j] Adjiciendum etiam quòd Verbum, in eo quod fit ad Prophetas, illustrat Prophetas sapientiæ lumine :

[1] *Exod.* VII, 1. — [2] *Psalm.* LXXXI, 6.

[a] In editione Montfauconianâ, pro hoc phrasis membro, habes illud : « Coæternitatem nobis significans; » numquàm enim, ut addit Chrysostomus paulò inferiùs, « Pater Verbo vacuus « fuit; sed semper Deus apud Deum fuit in propriâ sibi hypo- « stasi. »

[b] *In Deo*, et non *apud Deum.*

[c] *Momenti,* id est, differentiæ, discriminis.

[d] in Vulgatis : *Interesse,* et *interinesse,* et *interadesse momenti.* Abundat *interesse*; nec habent potiores Mss. Hilarius autem observat Verbum non solùm inesse in Patre, velut in principio; sed et adesse, apud quem semper fuit.

[e] In Vulgatis, ut et paulò antè, *Deum Pharaonis.* Hic non repetitur vox *Deum* in Mss. quorum in vetustioribus habetur *Pharao,* hoc nomine, juxta græcum Θεὸν Φαραώ, per varios casus non inflexo ; in cæteris autem, *Pharaoni*, quibus consentiunt et editi, favente Ambrosio, Epistolâ nunc 28, n. 8, ubi legit : « Faciam te in Deum regi Pharaoni : » qui aliàs etiam in casibus obliquis plerumque ponit *Pharao.* Quod Hilarius hic ex nomine Dei simpliciter et absolutè dato conficit argumentum, fusè persequitur Irenæus, Lib. 3, c. 5, inter alia dicens : « Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, ne- « que Apostoli eum qui non esset Deus, definitè et absolutè « Deum nominâssent aliquandò, nisi esset verus Deus. » Et post pauca : « Cùm autem eos qui non sunt dii nominat, non « in totum, quemadmodùm prædixi, Scriptura ostendit illos « deos, sed cum aliquo additamento et significatione, per « quam ostenduntur non esse dii. »

[f] Unus ex Mss. Colb. : « Dùm honoratur : » mendosè.

[g] Ex Mss. restituimus hìc *Deum* ac proximè infrà *Deus.*

[h] Pro sequentibus, hæc habes in editione Jul. Garnerii : « Semet quasi ex blasphemantium calumniâ eximens : Quid, « inquit, est Verbum ? *Deus erat Verbum.* »

[i] Pro sequentibus, editio Lutetiæ Paris. hæc habet : « Quia « *Verbum erat apud Deum,* manifestum quòd duæ personæ « introducantur, etiamsi una natura sit in his duabus. Quòd « autem una natura sit, audi : *Et Deus erat illud Verbum.* « Vides quòd et Verbum erat Deus, et ità una erat natura « Patris et Filii, quia et una divinitas. »

[j] Pro sequentibus, hæc habes in editione Delarue : « Addemus, dùm ad Prophetas Sermo fit, Sermonem Prophetas il-

apud Deum verò est Verbum, obtinens ab eo quod sit Deus : undè prælocavit hoc quod est : *Verbum erat apud Deum*, ei quod est : *Deus erat Verbum.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 3, aliàs 4, in Joan., circa med.)

Et non ut Plato, hoc quidem *intellectum quemdam*, hoc verò *animam mundi* esse dicens; hæc enim procul sunt à divinâ naturâ. Sed dicunt : Pater cum articuli adjectione dictus est Deus [a], Filius autem sine hâc. Quid ergò? Apostolus dicit : *Magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* [1]; et rursùs : *Qui est super omnia Deus* [2]; sed et Romanis scribens, dicit : *Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro* [3], sine adjectione articuli. Aliter et superfluum erat hîc apponere superiùs continuè adjectum : non igitur, etsi non est adjectus Filio articulus, propter hoc Filius minor Deus est.

2. *Hoc erat in principio apud Deum.*

HILARIUS,

Lib. 2 de Trinitate (parùm ante medium.)

Quia dixerat : *Deus erat Verbum*, trepido in dicto et me insolens sermo commovet, cùm unum Deum Prophetæ nuntiaverint. Sed ne quò ultrà trepidatio mea progredi possit, reddit sacramenti tanti Piscator meus dispensationem, et refert ad unum omnia sine contumeliâ, sine abolitione, sine tempore, dicens : *Hoc erat in principio apud Deum*, apud unum ingenitum Deum, ex quo ipse unus unigenitus *Deus* est, prædicatur.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

[b] Et rursùs ne suspicio diabolica aliquos conturbaret, ne fortè cùm Verbum Deus sit, insurrexerit contra Patrem, ut aliqui fabulantur Gentilium, et separatus à Patre, fuerit ipsi Patri contrarius, dicit : *Hoc erat in principio apud Deum*, quasi diceret : Hoc Dei Verbum numquàm à Deo exstitit separatum.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 3, aliàs 4, in Joan., aliquantulùm à principio.)

[c] Vel : Ne audiens : *In principio erat Verbum*, æviternum quidem existimes, seniorem verò spatio aliquo Patris vitam suspiceris, induxit : *Hoc erat in principio apud Deum;* non enim fuit umquàm solitarius ab illo ; sed semper Deus apud Deum erat.

IDEM,

(circa medium.)

Vel : Quia dixerat : *Deus erat*, (ut) non æstimet quis minorem esse deitatem Filii, confestim cognoscitiva propriæ deitatis ponit, et æternitatem assumens, cùm dicit : *Hoc erat in principio apud Deum*, et quod factum est adjiciens : *Omnia per ipsum facta sunt.*

ORIGENES,

(Tom. 1 in Joan. super illud : *Et Verbum erat apud Deum*, à medio.)

Vel aliter : [d] Postquàm præmiserat tres propositiones Evangelista, resumit tria in unum, dicens : *Hoc erat in principio apud Deum.* In primo enim trium didicimus in quo erat Verbum; quia *in principio :* in secundo, apud quem; quia *apud Deum :* in tertio, quid erat Verbum; quia *Deus.* Velut ergò demonstrans Verbum prædictum *Deum*, per hoc quòd dicit *hoc*, et colligens in propositionem quar-

[1] *Tim.* II, 13. — [2] *Rom.* V, 5. — [3] *Ibid.* I, 7.

« lustrare luce cognitionis; apud Deum verò Deum esse, ex « eo quòd sit apud ipsum : idcircò dicitur : *Et ille Sermo* « *erat apud Deum*, deindè : *Et Deus erat ille Sermo*, *ut ille* « *Sermo* intelligi possit esse Deus, quia sit apud Deum. »

[a] Dicendo nempè, ὁ Θεός, non sic autem dicendo de Filio, sed simpliciter Θεός.

[b] Pro sequentibus, editio Lutetiæ Paris. hæc habet : « Rursùs, ne quis diabolicâ illusione turbet quosdam, dicens : « Ergò quia et Verbum Deus est, aliquandò insurget contra « Patrem, ut Gentiles fabulantur, et segregans se ab eo, ad- « versarius erit : propetereà dicit quòd, licèt Deus sit Verbum, « nihilominùs cum Deo Patre est, et ab eo numquàm sepa- « ratus. »

[c] Pro sequentibus, hæc habes in editione Montfauconianâ : Vel : Ne audiens : « *In principio erat Verbum*, æternum qui- « dem existimares, sed Patrem aliquo vitæ interstitio senio- « rem, et majoris ævi crederes, neve principium Unigenito da- « res, adjecit : *Erat in principio apud Deum*, ità æternus ut « Pater ; numquàm enim Verbo vacuus fuit, sed semper Deus « apud Deum fuit in propriâ sibi hypostasi. » Et inferiùs : « Vel : Cùm priùs dixisset : *Et Deus erat Verbum*, ne quis « putaret minorem esse Filii divinitatem, statim veræ divinita- « tis ejus documenta profert, æternitatem nempè sic resu- « mens : *Hic erat à principio apud Deum*, creandi vim, cùm « addit : *Omnia per ipsum facta sunt.* »

[d] Pro sequentibus, hæc legis in editione Delarue : « Tribus « prædictis propositionibus, tres ordines nos docens Evangelista, « tria in unum connectit, dicens : *Hic erat in principio apud* « *Deum.* In primâ propositione didicimus in quo erat Λόγος, « videlicet, quòd *in principio ;* et apud quem hic erat, videli- « cet, quòd *apud Deum ;* et quisnam Λόγος erat, videlicet « quòd *Deus.* Tamquàm ergò demonstrans Sermonem, quem « antè dixerat *Deum*, per particulam *hic*, et in quartam pro- « positionem congregans illud : *In principio erat Sermo, et* « *Sermo erat apud Deum, et Deus erat ille Sermo*, inquit : « *Hic erat in principio apud Deum.* Fortè autem non absurdè « quis inquirat quarè non sit dictum : *In principio erat Sermo* « Dei, *et Sermo* Dei *erat apud Deum, et Deus erat ille Ser-* « *mo* Dei. Sed consequitur ut qui quærit cur tandem non scri- « ptum sit : *In principio erat Sermo* Dei, et quæ sequuntur, « plures enuntiet esse Sermones, et fortassè diversi generis. « Absurdum est autem dicere plures vocis hujus : *Sermo*, « compotes fieri. Nam unusquisque confiteretur unam esse « veritatem. Quòd si veritas est una, perspicuum est etiam « sapientiam, quæ confirmatio et demonstratio ipsius est ve- « ritatis, meritò intelligi unam esse. Quòd si veritas una et « sapientia una est, unus etiam Sermo sit oportet, annuntians « veritatem et sapientiam rerum earum quæ simplices sunt et « apertæ ad eos qui sunt capaces. Nec hoc dicimus negantes « esse veritatem, et sapientiam, et Sermonem Dei, sed osten- « dentes utilitatem, ob quam Evangelista reticuit Dei vocabu- « lum, non scribens : *In principio erat Sermo Dei.* Idem au- « tem Joannes etiam cum additione *Dei* nominat eum in Apo- « calypsi, dicens : *Et vocatur nomen ejus, Sermo Dei.* »

tam, hoc quod est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, ait : *Hoc erat in principio apud Deum.* Quærat autem quis : Cur non est dictum : *In principio erat Verbum* Dei, *et Verbum* Dei *erat apud Deum, et Deus erat Verbum* Dei. Quisquis autem unicam veritatem fatebitur esse, palàm est quoniam et demonstratio ejus quæ est sapientia, una est. Sed si veritas et sapientia una, Verbum quoque, quod veritatem enuntiat, sapientiam expandit in iis qui susceptibiles sunt; unum siquidem erit. Nec hoc dicimus inficiantes *Verbum Dei* esse; sed ostendentes utilitatem omissionis hujus vocabuli *Dei.* Ipse quoque Joannes in Apocalypsi dicit : *Et erat nomen ejus, Verbum Dei* [1].

ALCUINUS.

Qualiter autem ponit substantivum verbum *erat*, ut intelligeres omnia tempora prævenisse coæternum Deo Patri Verbum.

3. *Omnia per ipsum facta sunt.*

IDEM.

Postquàm dixit de naturâ Filii, de operatione ejus subjungit, dicens : *Omnia per ipsum facta sunt*, id est, quidquid est, sive in substantiâ, sive in aliquâ proprietate.

HILARIUS,

Lib. 2 de Trinitate (parùm ante med.)

Vel aliter : [a] Erat quidem Verbum in principio; sed potuit non esse ante principium. Sed quid pro se ille? *Omnia per ipsum facta sunt.* In infinitum est, per quod fit omne quod factum est; et cùm ab eo sint omnia, idcircò et tempus ab eo est.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 4, aliàs 5, in Joan., in princip.)

[b] Moyses quidem incipiens scripturam Veteris Testamenti, de sensibilibus nobis loquitur, et hæc enumerat per multa : *In principio* enim, ait, *fecit Deus cœlum et terram* [2] : deindè inducit quoniam et lux facta est, et firmamentum, et stellarum naturæ, et genera animalium. Evangelista verò hæc omnia excedens, uno verbo comprehendit ut cognita auditoribus, ad altiorem festinans materiam, totum hunc Librum instituens, non de operibus, sed de Conditore.

AUGUSTINUS,

Lib. 1 super Genes. ad Litteram (cap. 2, à med.)

Cùm enim (de illo) dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt*, satis ostenditur et lux per ipsum facta, cùm dixit Deus : *Fiat lux*, et similiter de aliis. Quòd si ità est, æternum est quod ait Deus : *Fiat lux*, quia Verbum Dei, Deus apud Deum, Patri coæternus est, quamvis creatura temporalis facta sit. Cùm enim verba sint temporis, cùm dicimus : *Quandò et aliquandò*, æternum tamen est in Verbo Dei, quandò aliquid fieri debeat; et tunc fit, quandò fieri debuisse in illo Verbo est, in quo non est *quandò et aliquandò*, quoniam totum illud Verbum æternum est.

IDEM,

super Joan. (Tractatu 1, à med.)

Quomodò ergò potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quandò Deus per Verbum fecit omnia? Si Verbum ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia est Verbum Verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego unigenitum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum Verbum per quod facta sunt omnia.

IDEM,

Lib. 1 de Trinitate (cap. 6.)

Et si factum non est, creatura non est; si autem creatura non est, ejusdem cum Patre substantiæ est; omnis autem substantia quæ Deus non est, creatura est; et quæ creatura non est, Deus est.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

[c] Solent autem Ariani dicere quòd, sicut per serram ostium fieri dicimus, quasi per organum; sic

[1] *Apoc.* XIX, 13. — [2] *Gen.* I, 1.

[a] Hoc per modum objectionis proponitur, non assertivè : undè præmittit : « Exspectamus adhuc à te, Piscator, plenitu-« dinem verbi, » seu pleniorem sensum dicti.

[b] Pro sequentibus, hæc legis in editione Montfauconianâ : « Moyses historiam Veteris Testamenti à sensibilibus nobis « orditur, et ea pluribus enumerat; nam ait : *In principio* « *fecit Deus cœlum et terram* : deindè adjicit lucem factam, « secundum cœlum, stellarum naturam, omnigena animalium « genera, ne singula prosequentes longiores simus. Hic autem « Evangelista uno verbo complectitur omnia, et illa nempè et « illis superiora. Et jure certè, quia illa auditoribus nota sunt, « et ipse ad præstantius argumentum properat, ac totum « opus aggreditur, non de operibus, sed de Opifice et Creatore « dicturus. »

[c] Pro sequentibus, adsunt hæc in editione Lutetiæ Paris. : « Hîc « autem iterùm Ariani insurgunt, et dicunt quòd sicut dicimus « securi fabricari januam quasi instrumento, et alium esse fa-« brum, qui movet hoc organum; ità et per Filium fieri « omnia, non quòd ipse sit factor, sed instrumentum, sicut « illic securis, cùm tamen Deus et Pater faciat et utatur Filio. « Et ità factura, *aiunt*, est Filius, ad hoc facta ut per ipsum « fiant omnia, sicut et securis ad hoc fit ut per eam omnia « artificialia elaborentur. Et hæc sunt maligna Arii nuga-« menta. Nos autem quid illis dicemus? Simpliciter ac rectè, « quòd si in hoc creavit, ut dicit, Pater Filium, ut instrumen-« tum haberet ad completionem creaturæ, indignior fuerit « Filius creaturâ. Nam, sicut securi, quæ est instrumentum, « alia quæ per eam fiunt, digniora sunt (propter illa enim fit « securis, non illa propter securim); ità et creatura dignior « est Unigenito; propter illam enim, ut dicunt, ipse Pater « creavit eum, et ità ut, si non fuisset omnia creaturus, neque « Unigenitum produxisset. Quid his verbis insipientius? Etiam, « *inquit*, et quomodò non dixit quòd ipsum Verbum fecerit « omnia, sed usus est præpositione *per*? Quomodò? Ut ne « suspiceris illum ingenitum, et absque principio esse Filium, « et Deo adversarium, ejus gratià dixit quòd Pater per Verbum « fecerit omnia. »

et per Filium omnia facta fuisse dicuntur, non quòd ipse sit factor, sed organum; et sic facturam aiunt Filium, tamquàm factum ad hoc ut per eum omnia fierent. Nos autem ad hujusmodi fictores mendacii simpliciter respondemus : Si enim, ut dicitis, Pater creàsset ad hoc Filium, ut eo tamquàm organo uteretur, videretur quòd inhonorabilior sit Filius quàm quæ facta sunt, sicut ea quæ per serram sunt facta, ipso organo nobiliora existunt; nam serra propter ipsa facta est; sic et propter ipsa quæ facta sunt, ut aiunt, Pater creavit Filium, tamquàm, si non deberet Deus cuncta creare, nequaquàm Filium produxisset. Quid iis verbis insanius? Sed, aiunt, quarè non dixit quòd omnia Verbum fecit, sed usus est hàc præpositione *per?* Ne Filium ingenitum intelligeres et sine principio, et Dei conditorem.

CHRYSOSTOMUS,

(Homil. 4, aliàs 5, in Joan., parùm ante med.)

[a] Sed si præpositio *per* conturbat te, et quæris in Scripturâ quòd ipsum Verbum omnia faceret, audi David : *Initio tu, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli* [1]. Quòd autem hoc de Unigenito díxerit, addisces ab Apostolo utente hoc verbo in Epistolâ ad Hebræos de Filio [2]. Si verò de Patre hoc Prophetam dixisse dicis, Paulum verò Filio adaptâsse, idem fit rursùs; neque enim Filio hoc convenire dixisset, nisi vehementer consideraret quoniam quæ sunt dignitatis, cohonorabilia sunt utrique. Si rursùs *per* præpositio aliquam subjectionem tibi videtur inducere, cur Paulus eam de Patre ponit? *Fidelis* inquit, *Dominus, per quem vocati sumus in societatem Filii ejus* [3]; et iterùm : *Paulus Apostolus per voluntatem Dei* [4].

ORIGENES,

(Tom. 1 in Joan. super illud : *Omnia per ipsum facta sunt*, à med.)

[b] Erravit etiam in hoc Valentinus, dicens Verbum esse quod mundanæ creationis præstitit causam Creatori. Sed si sic se habet veritas rerum, prout ipse intelligit, oportebat scriptum esse per Creatorem universa consistere à Verbo; non autem contrà, per Verbum à Creatore.

Et sine ipso factum est nihil.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 4, aliàs 5, in Joan., parùm à principio.)

[c] Ut non æstimes, cùm dicit : *Omnia per ipsum facta sunt*, illa omnia solùm dicere eum quæ à Moyse dicta sunt, convenienter inducit : *Et sine ipso factum est nihil*, sive visibile quid, sive intelligibile. Vel aliter : Ne hoc quod dixit : *Omnia per ipsum facta sunt*, de signis suspiceris nunc dici, de quibus reliqui Evangelistæ locuti sunt, inducit : *Et sine ipso factum est nihil.*

HILARIUS,

(Lib. 2 de Trinitate, circa med.)

Vel aliter dicetur : Hoc quod dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt*, non habet modum. Est ingenitus qui factus à nemine est; est et ipse genitus ab innato. Reddidit auctorem, cùm socium professus est, dicens : *Sine ipso factum est nihil*; cùm enim *nihil sine eo*, intelligo non esse solum, quia alius est *per quem*, alius *sine quo* [d].

ORIGENES,

(Homiliâ 2 in diversos, inter princip. et med.)

Vel aliter : [e] Ne existimares quæ per Verbum facta sunt, per se existentia, non contenta à Verbo, ait : *Et sine ipso factum est nihil*, hoc est : nihil

[1] *Psalm.* CI, 26. — [2] *Hebr.* I, 10. — [3] I *Cor.* I, 9. — [4] II *Cor.* I, 1.

[a] Pro sequentibus, hæc legis in editione Montfauconianâ : « Sed si illud : *Per* diminutionem significare putes, audi Prophetam dicentem : *Initio tu, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli.* Quod de Patre ut Creatore dictum est, id de Filio dicit, non dicturus, nisi Creator, nec tantùm minister, existimatus esset : sin de Patre Prophetam id locutum dixeris, Paulum autem Filio adscripsisse id quod de Patre dictum erat, idipsum tamen sequetur (scilicet, quòd secundùm creationis dignitatem nihil minus habeat Filius quàm Pater); neque enim id Paulus Filio competere statuisset, nisi admodùm certus parem esse dignitatem; extremæ namque audaciæ esset, ea quæ incomparabili naturæ competerent, minori et inferiori adscribere. Aliundè vobis obstruxit ora, cùm illud : *Per*, quod minorem significare dicis, Patri adscribit : *Fidelis* enim *Deus*, inquit, *per quem vocati estis in societatem Filii ejus;* et rursùs : *Per voluntatem ejus.* »

[b] Pro sequentibus, hæc habes in editione Delarue : « Jam verò et hoc dictum : *Omnia per ipsum facta sunt*, privatim atque secùs quàm alii, exposuit (Heracleo), dicens Sermonem eum esse qui causam præbuerit generationis mundi Opifici. Sed si rerum veritas erat, ut ipse putat, scriptum fuisse oportuit omnia per Opificem facta fuisse à Sermone, non vice versâ per Sermonem ab Opifice. »

[c] Pro sequentibus, editio Montfauconiana hæc habet : « Ne verò putes, cùm dicit : *Omnia per ipsum facta sunt*, ipsum ea tantùm memorare quæ Moyses narravit, subjungit : *Et sine ipso factum est nihil quod factum est*, hoc est : Ex rebus factis, sive sub aspectum, sive sub intellectum tantùm cadant, nihil sine Filii virtute productum est. » Vel aliter : « Ne illud : *Omnia per ipsum facta sunt*, de signis putes nunc esse dictum; de iis enim reliqui Evangelistæ verba fecerunt : post hæc subdit : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* »

[d] Et reverà : « Utroque, ut addit Hilarius ibidem, discernitur significatio et intervenientis et agentis. »

[e] Pro sequentibus, hæc legis in editione Genebrardi : « Ne fortè existimares, eorum quæ sunt, quædam quidem per ipsum Dei Verbum facta esse, quædam verò extra ipsum facta esse, aut existentia per seipsa, ità ut non omnia quæ sunt, ad unum principium referantur, conclusione totius prædictæ Theologiæ subdit : *Et sine ipso factum est nihil*, hoc est : Nihil extra ipsum est factum, quia ipse ambit omnia intra se, comprehendens omnia. »

factum est extra ipsum, quia ipse ambit omnia, conservans ea.

AUGUSTINUS,

Lib. de Quæstionibus Novi et Vet. Testamenti (Quæst. 97, parùm ante med. Libro, incipiente : *Deus certè perfectus est.*)

Vel : Dicens : *Sine ipso factum est nihil*, nullo modo ipsum facturam esse suspicari debere nos docuit; quomodò enim potest dici : Ipse est factura, cùm nihil dicatur Deus sine ipso fecisse ?

ORIGENES,

in Joannem (Tom 2, super illud : *Omnia per ipsum facta sunt*, ante med.)

Vel aliter : [a] Si omnia per Verbum facta sunt, de numero verò omnium est malitia et totus fluxus peccati; et hæc per Verbum facta sunt; sed hoc est falsum. Quantùm igitur ad significata, *nihil* et *non ens*, unum sunt. Videtur autem Apostolus *non inentia* prava dicere : *Vocat*, inquit, *Deus ea quæ non sunt, tamquàm ea quæ sunt* [1]; totaque pravitas *nihil* dicitur, dùm absque Verbo facta est.

AUGUSTINUS,

in Joannem (Tract. 1, parùm à med.)

Peccatum enim non per ipsum factum est; et manifestum est quia peccatum *nihil* est; et *nihil* fiunt homines, cùm peccant. Et idolum non per Verbum factum est ; habet quidem formam quamdam humanam ; sed ipse homo per Verbum factus est; nam forma hominis in idolo non per Verbum facta est; scriptum est enim : *Scimus quod nihil est idolum.* [2] Ergò ista non sunt facta per Verbum, sed quæcumque facta sunt naturaliter, universa natura rerum, omnis omninò creatura ab Angelo usquè ad vermiculum.

ORIGENES,

(undè suprà.)

[b] Valentinus autem exclusit ab omnibus per Verbum factis, quæ sunt in sæculis facta : quæ credit ante Verbum exstitisse, præter evidentiam loquens; siquidem quæ putantur ab eo divina, removentur *ab omnibus;* quæ autem, velut ipse putat, penitùs destruuntur, verè dicuntur *omnia.* [Quidam enim dicunt diabolum non esse creaturam Dei; in quantùm enim diabolus est, creatura Dei non est; is autem cui accidit esse diabolum, divina est creatura : ac si diceremus homicidam creaturam Dei non esse, qui tamen in eo quod homo est, creatura Dei est.]

AUGUSTINUS,

Lib. de Naturâ boni (cap. 25, in princip. illius.)

Non autem sunt audienda deliramenta hominum, qui *nihil* hoc loco aliquid intelligendum putant, quia ipsum *nihil* in fine sententiæ positum est; nec intelligunt nihil interesse utrùm dicatur : *Sine ipso nihil factum est*, an : *Sine ipso factum est nihil.*

ORIGENES,

(undè suprà.)

[c] Si autem accipiatur verbum pro eo quod in quolibet hominum est, quia et ipsum insitum est

---

[1] *Rom.* IV, 17. — [2] I *Cor.* VIII, 4.

[a] Pro sequentibus, hæc leguntur in editione Delarue : « Fieri potest, ni explanaverimus dictiones *omnia*, et *nihil*, « si omnia per Sermonem facta sunt, et appellatione *omnium* « comprehendatur et vitium, et omnis fusio peccati, et omnia « prava, ut intelligamus etiam hæc per Sermonem facta fuisse, « quod falsum est. Quantùm igitur attinet ad significata hujus « voculæ *nihil*, et voculæ *non ens*, synonyma videbuntur esse, « cùm *non ens* dicatur nihil, et *nihil* non ens. Itaque videtur « Apostolus non entia dicere *ea quæ sint prava*, existimans « *prava* non existere; *quæ enim non erant*, inquit, *Deus velut* « *entia vocavit*. [[a] Et fortassis hâc ratione adducti fuerunt, « qui dicunt diabolum non esse Dei opificium; in quantùm « enim diabolus est, non est Dei opificium ; in quantùm verò « illi contigit diabolo esse, factus cùm sit (cùm nihil creatum « sit extra Deum nostrum), Dei est opificium [ut si parricidam « Dei opus esse negaremus], non auferentes ipsum à Deo fa- « ctum fuisse, in quantùm homo est. Namque ponentes etiam « nos, eum esse sumpsisse à Deo, in quantùm homo est, non « ponimus hoc eum sumpsisse, in quantùm est interfector.] »

[b] Pro sequentibus, hæc habes in editione laudatâ : « Exi- « stimo autem Heracleonem, qui Valentini discipulus esse « fertur, cùm hæc edissereret : *Omnia per ipsum facta sunt*, « coactè et sine testimonio mundum universum, quæque in « eo sunt excepisse, excludentem, quantùm ipsius fert hypo- « thesis, ex omnibus præstantissima quæque mundi et eorum « quæ ipso continentur. Ait enim per Sermonem non sæcu- « lum, non quæ in sæculo sunt, facta fuisse, existimans illa « ante Sermonem fuisse. Impudentiùs insuper instans ad « illud : *Et sine eo factum est nihil*, illi voci *nihil*, addit « *eorum quæ in mundo sunt, et in hâc conditione.* Et quo- « niam apertum est dicta ipsius valdè coacta esse, præterque « evidentiam pronuntiata (si quæ ipse divina opinatur, exclu- « duntur à voce *omnium;* quæ verò sunt opinione suâ omninò « corruptibilia, propriè dicuntur *omnia*), non immorandum « nobis est in his confutandis, quæ ex se absurditatem præ se « ferunt. »

[c] Pro sequentibus, hæc legis in editione citatâ : « Quæ- « rendum autem est an etiam *vitium* per Λόγον [id est, *Ra-* « *tionem*] factum sit, sumendo nunc Λόγον [id est, *Ratio-* « *nem*] attentè et diligenter pro eo Λόγῳ, qui est in unoquo- « que, quoniam et ipse ingenitus est singulis ab eo Λόγῳ, « qui erat in principio. Inquit igitur Apostolus : *Sine lege* « *peccatum est mortuum;* et addit : *Veniente autem man-* « *dato, peccatum revixit*, universè docens de peccato, quòd « peccatum ipsum nullam habeat operationem, antequàm ve- « niat lex et mandatum. Proindè, cùm Λόγος [id est, *Ratio*] « sit aliquo modo lex et mandatum, et non sit peccatum non « existente lege (*peccatum enim non imputatur, cùm non* « *sit lex*), etiam rursùs non erit peccatum, si non sit Ratio ; « nam : *Si non venissem*, inquit, *et locutus eis fuissem,* « *peccatum non haberent.* Aufertur enim prætextus omnis « ab eo qui voluerit se de peccato defendere, quoniam Sermoni « et Rationi in se existenti, ostendentique quid agendum non « paruerit. Nec Rationi omninò vitio vertendum est, si omnia « per ipsam facta sint, et sine ipsâ factum sit nihil, quemadmo- « dùm neque magistro vitio vertendum est, qui discenti necessa- « ria ostenderit, cùm propter hujus disciplinas nullus defensio- « nis peccanti relinquitur locus, perindè quasi ignoraverit. »

[a] In editione Delarue verba uncis inclusa sequuntur, dùm inferiùs collocantur in editione 1470 : hæc uncis quoque inclusimus infrà, ad hæc verba : « Quidam enim *etc.* » Porrò in editione Delarue naturalem cum præcedentibus connexum habent; contrarium autem accidit in editione 1470, ut id facilè judicabit lector.

cuilibet ab eo quod in principio erat Verbum, etiam sine hoc verbo nihil committimus, simpliciter accipiendo quod dicitur : *Nihil*. Ait enim Apostolus quòd *sine lege peccatum mortuum erat; adveniente verò mandato, peccatum revixit* [1]. Non enim reputatur peccatum lege non existente; sed nec peccatum erat non existente Verbo, quia Dominus dicit : *Si non venissem, et essem illis locutus, peccatum non haberent* [2]; quælibet enim excusatio deficit volenti dare responsum de crimine, dùm Verbo præsente ac judicante quid est agendum, non obedit quis illi. Nec propter hoc inculpandum est Verbum, sicut nec magister, per cujus disciplinam (non) remanet locus excusationis discipulo delinquenti, velut de ignorantiâ. Omnia ergò per Verbum facta sunt, non solùm naturalia, sed etiam quæ ab irrationabilibus fiunt.

3-4. *Quod factum est, in ipso vita erat.*

BEDA,

(in cap. 1 Joan. Tom. 5.)

Quia Evangelista dixit omnem creaturam factam esse per Verbum, ne quis fortè crederet mutabilem ejus voluntatem, quasi qui subitò vellet facere creaturam, quam ab æterno numquàm antè fecisset, ideò docere curavit factam quidem creaturam in tempore, sed in æternâ Creatoris Sapientiâ, quandò et quos crearet, semper fuisse dispositum : undè dicit : *Quod factum est, in ipso vita erat.*

AUGUSTINUS,

in Joannem (Tractatu 1, aliquantulùm ante finem.)

Potest autem sic punctuari : *Quod factum est in ipso*, et posteà dicatur : *Vita erat*. Ergò totum vita est, si sic pronuntiaverimus; quid enim non in illo factum est? Ipse est enim Sapientia Dei; et dicitur in Psalmo : *Omnia in Sapientiâ fecisti* [3]. Omnia igitur sicut per illum, ità in illo facta sunt. Si ergò quod in illo factum est, vita est, ergò et terra vita est, et lapis vita est. Inhonestum est sic intelligere, ne nobis subrepat secta Manichæorum, et dicat quia habet vitam lapis, et habet vitam paries; solent enim ista delirantes dicere; et cùm reprehensi fuerint ac repulsi, quasi de Scripturis proferunt, dicentes : Ut quid dictum est : *Quod factum est, in ipso vita erat?* Pronuntia ergò sic : *Quod factum est* : hic subdistingue, et deindè infer : *In ipso vita erat*. Facta est enim terra; sed ipsa terra quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsâ Dei Sapientiâ spiritaliter ratio quædam, quâ terra facta est : hæc vita est. Sicut arca in omni opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis [a]. Sic ergò, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia [b], hinc quæ fiunt per ipsam artem, non hæc continuò sunt vita; sed quidquid factum est, vita est in illo.

ORIGENES,

(Homiliâ 2 in diversos, aliquantulùm ante med.)

Potest autem et sic distingui sine errore : *Quod factum est in ipso;* et posteà dicatur : *Vita erat*, ut sit sensus : Omnia quæ per ipsum et in ipso facta sunt, in ipso vita sunt, et unum sunt. Erant enim, hoc est, in ipso subsistunt causaliter, priusquàm sint in semetipsis effectivè. Sed si quæris quomodò et quâ ratione omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, et uniformiter, et æternaliter subsistunt, accipe exempla [c] ex creaturarum naturâ. Respice quomodò omnium rerum quas mundi hujus sensibilis globositas comprehendit, causæ simul et uniformiter in isto sole, qui est maximum mundi luminare, subsistunt : quomodò numerositas herbarum et fructuum in singulis seminibus simul continetur : quomodò multiplices regulæ in arte artificis unum sunt, et in animo disponentis vivunt : quomodò infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit; et hujusmodi naturalia varia perspice exempla, ex quibus, velut physicæ theoriæ pennis, poteris arcana Verbi mentis acie inspicere; et, quantùm datur humanis rationibus, videre quomodò omnia quæ per Verbum sunt facta, in ipso vivunt, et vita sunt.

HILARIUS,

Lib. 2 de Trinitate (parùm à med.)

Vel aliter potest legi : Eo quòd dixerat, *Sine ipso factum est nihil*, posset aliquis perturbatus dicere : Est ergò aliquid per alterum factum, quod tamen non sit sine eo factum; et, si aliquid per alterum, licèt non sine eo, jàm non per eum omnia, quia aliud est fecisse, aliud est intervenisse facienti [d]. Enarrat ergò Evangelista quid non sine eo factum est, dicens : *Quod factum est in eo*. Hoc igitur non sine eo, quod in eo factum est; nam id quod in eo factum est, per eum factum est; *omnia enim per ipsum, et in ipso creata sunt* [4]. In ipso autem creata, quia nascebatur Creator Deus; sed ex hoc sine eo nihil factum est, quod tamen in eo factum est, quia nascens Deus vita erat, et qui vita erat, non posteaquàm natus erat, factus est vita. Nihil ergò sine eo fiebat ex iis quæ in eo fiebant, quia vita est is in quo fiebant, et Deus qui à Deo natus est [e], non posteaquàm natus est, sed nascendo Deus exstitit.

[1] *Rom.* VII, 8 *et* 9. — [2] *Joan.* XV, 22. — [3] *Psalm.* CIII, 24. — [4] *Coloss.* I, 16.

[a] « Ubi, ut hoc addit editio Maurina, sunt ista omnia, antequàm proferantur. » — [b] « Antequàm, ut hoc subdit editio laudata, fabricet omnia. » — [c] *Paradigmata* in Origenis textu dicantur, juxta græcum sic dicta, quòd rem ipsam demonstrent. — [d] Id est, *adjutorem vel cooperatorem fuisse facientis*, velut organum vel instrumentum quo uteretur ad faciendum, *etc.* — [e] In Ms. Vatic. Bas. hic adjicitur : « Effectus est Deus. » Glossema.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 4, aliàs 5, in Joan., paulò à principio.)

Vel aliter : [a] Non apponemus finale punctum, ubi dicitur : *Sine ipso factum est nihil*, secundùm hæreticos. Illi enim volentes Spiritum sanctum creatum dicere, aiunt : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Sed hoc ità non potest intelligi. Primùm quidem neque tempus erat hîc Spiritûs sancti meminisse; sed si de sancto Spiritu hoc dictum est, age, secundùm eorum interim legamus modum ; ità enim nobis hoc inconveniens erit. Cùm enim dicitur : *Quod factum est in ipso*, *vita erat*, Spiritum sanctum dicunt dictum esse *vitam.* Sed vita hæc et lux invenitur esse ; inducit enim : *Vita erat lux hominum :* quocircà, secundùm eos, *lucem hominum* hunc Spiritum dicit. Quod autem superiùs *Verbum* dixit, hîc consequenter et *Deum*, et *vitam*, et *lucem* nominat! *Verbum* autem *caro factum est :* erit igitur Spiritus sanctus incarnatus, non Filius! Ideò dimittentes hunc modum legendi, ad decentem veniamus lectionem et expositionem. Hæc autem est : Cùm dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt*, *et sine ipso factum est nihil quod factum est*, ibi quiescere fac sermonem. Deindè ab eâ quæ deinceps est dictione incipe quæ dicit : *In ipso vita erat*, ac si dicat : *Sine eo factum est nihil quod factum est*, id est, factibilium. Vides qualiter hàc brevi adjectione omnia correxit supervenientia inconvenientia? Inducens enim : *Sine eo factum est nihil*, et adjiciens : *Quod factum est*, et intelligibilia comprehendit, et Spiritum sanctum excepit; Spiritus enim sanctus factibilis non est. Hæc igitur quæ dicta sunt, de conditione rerum dixit Joannes; inducit autem et eum qui est de providentiâ sermonem, dicens: *In ipso vita erat.* Quemadmodùm in fonte qui generat abyssos, in nullo minoratur fons; ità et in operatione Unigeniti : quæcumque credas per eum facta esse, non minor ipse factus est. Nomen autem *vitæ* hîc non solùm conditionis est, sed et providentiæ rerum, quæ est secundùm permanentiam earum. Cùm autem audis quoniam *in ipso vita erat*, non compositum existimes; *sicut enim Pater habet vitam in seipso; ità dedit et Filio vitam habere* [1] *:* ergò sicut Patrem non utiquè dices compositum esse ; ità nec Filium.

ORIGENES,

(Tom. 2 in Joan., super illud : *Quod factum est in ipso, vita erat*, inter princip. et med.)

Vel aliter : [b] Oportet scire quòd Salvator quædam dicit non sibi esse, sed aliis; quædam verò et sibi

[1] *Joan.* V, 26.

[a] Pro sequentibus, editio Montfauconiana hæc habet : « Non punctum apponemus post illud : *Nihil*, ut hæretici faciunt. Illi enim cùm velint Spiritum creatum esse, ità legunt : *Quod factum est, in ipso vita erat.* At sic hæc nullo modo intelligi poterunt. Primò enim hîc non opportuna Spiritûs mentio esset. Quòd si tandem id voluisset, age interim, ad illorum morem legamus; hoc pacto enim manifestior erit absurditas. *Quod factum est in ipso, vita erat*, *vitam* hîc Spiritum significare dicunt. Sed vita etiam lux appellata hîc occurrit; subjicit enim : *Et vita erat lux hominum* : secundùm illos ergò *lucem hominum* hîc Spiritum dicit. Quid igitur? Eum quem suprà *Verbum* dixit, in sequentibus *Deum*, *vitam*, et *lucem* nominat! *Verbum* autem, quod est vita, *caro factum est ;* Spiritus igitur incarnatus fuerit, non Filius! Ideò hâc omissâ, ad legitimam veniamus lectionem et interpretationem. Quænam illa est? Ut in hæc verba *Quod factum est*, terminemus sententiam : deindè ab hoc dicto incipiamus : *In ipso vita erat.* Hoc autem ille vult significare : *Sine ipso factum est nihil quod factum est :* si quid, inquit, factum est, sine ipso factum non est. Videsne quomodò per breve hoc additamentum absurda omnia quæ suboriri poterant, eliminavit? Per id enim quod intulit : *Sine ipso factum est nihil*, et per illud additum : *Quod factum est*, intellectualia simul comprehendit, Spiritumque subtraxit. Verùm jàm reliqua prosequamur. Cùm de creatione loquens Joannes dixisset : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*, de providentiâ sermonem adjicit his verbis : *In ipso vita erat.* Quemadmodùm si ex fonte abyssos emittente aquam hauseris, quantumcumque haurias, fontem nihil minues; ità de Unigeniti vi operandi putandum : quantacumque per ipsam facta credideris, numquàm illa minuitur. *Vitæ* autem nomen hîc non ad creationem solùm pertinet, sed et ad providentiam, quâ res creatæ servantur et permanent. Cùm autem audis : *In ipso vita erat*, ne compositum suspiceris; nàm posteà de Patre dicit : *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam* : sed sicut Patrem non ideò compositum dixeris; sic nec Filium dicas. »

[b] Pro sequentibus, hæc legis in editione Delarue : « Sciendum est Servatorem non esse sibi ipsi aliqua, sed aliis; aliqua verò et ipsi, et aliis. Si ergò Servator aliqua quidem est aliis, aliqua verò forsitan sibi ipsi, eaque vel nulli, vel uni, vel paucis, examinandum est utrùm Servator, quatenùs est vita illa quæ facta est in Sermone, sibi ipsi, et aliis sit vita, an aliis; et si aliis, quibus aliis. Quamobrem si vita et lux hominum idem sunt; inquit enim : *Quod factum est in ipso, vita erat, et vita illa erat lux hominum*, vita erit hominum, quorum etiam lux est; et, in quantùm est vita, dici potest Servator non sibi ipsi, sed aliis vita, quorum est etiàm lux. Hæc sanè vita in Λόγῳ [hoc est, in Dei Filio] fit inseparabilis ab ipso, existens simul atque facta fuerit; præexistat enim Λόγος [id est, Sermo, sive Ratio] in animâ oportet, qui ipsam expurget, ut post hunc, et ab ipso provenientem purgationem, omni prorsùs ablatâ mortificatione et infirmitate, pura sinceraque vita ingeneretur apud omnem qui fecerit seipsum capacem Sermonis, in quantùm Deus est. Cæterùm duo singulatim observanda sunt, differentiaque eorum accuratè examinanda : primùm quidem quòd Λόγος [id est, Sermo] est in principio : deindè quòd vita in Sermone. Sed Sermo quidem in principio non est factus; nec enim fuit quandò principium fuerit absque Sermone et Ratione : quam ob causam dicitur : *In principio Sermo erat.* At verò vita in Λογῳ [id est, Sermone] non erat, sed facta est, quandoquidem vita est lux hominum; cùm enim homo nondùm esset, neque lux hominum erat, consideratâ luce hominum juxta relationem ad homines. Ut igitur *omnia per ipsum facta sunt*, non omnia per ipsum erant, *et sine ipso factum est nihil*, non sine ipso erat nihil; sic *quod factum est in ipso*, non quod erat in ipso, *vita erat.* Et rursùs, non quod factum est in principio, Sermo erat; sed quod erat in principio, Sermo erat. Quædam tamen exemplaria, et fortassis non improbabiliter, habent : *Quod factum est in ipso, vita est*

et aliis. In hoc ergò quod dicitur : *Quod factum est in Verbo, vita erat*, scrutandum est an sibi et aliis vita est, vel aliis tantùm; et, si aliis, quibus aliis. Idem autem est vita et lux; lux autem hominum est : fit itaque hominum vita, quorum est lux; et sic vita, eo quòd dicitur vita, Salvator, non sibi, sed aliis. Hæc quidem vita Verbo præexistenti aderit, ex eo quòd expiata à peccatis anima fit serena. Vita inseritur ei qui Verbi Dei se susceptibilem statuit; undè Verbum quidem in principio non dixit factum; non enim erat, quandò principium Verbo careret. Vita autem hominum non semper erat in Verbo; sed hæc vita hominum facta est, eo quòd vita est lux hominum; cùm enim homo non erat, nec lux hominum erat, luce secundùm habitudinem ad homines intellectâ; et ideò dicit : *Quod factum est in Verbo, vita erat;* non autem : *Quod erat in Verbo, vita erat.* Invenitur autem alia littera non incongruè habens : *Quod factum est in eo, vita erat.* Si autem intelligamus vitam hominum quæ in Verbo fit, eum esse qui dixit : *Ego sum vita* [1], fatebimur neminem infidelium Christi vivere, sed cunctos esse mortuos, qui non vivunt in Deo.

Et vita erat lux hominum.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

[a] Dixerat : *In ipso vita erat*, ne putares quòd absque vitâ sit Verbum, sed vita sit Verbum, et vita sit spiritalis, et lux rationalibus cunctis : undè dicitur : *Et vita erat lux hominum;* quasi diceret : Lux ista non est sensibilis, sed intellectualis, illuminans ipsam animam.

AUGUSTINUS,

super Joannem (Tract. 1, non multùm procul à fine.)

Ex ipsâ enim vitâ illuminantur homines : pecora non illuminantur, quia non habent rationales mentes, quæ possint videre sapientiam; homo autem factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam : ergò illa vita per quam facta sunt omnia, lux est; et non quorumcumque animalium, sed hominum.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Non autem dixit : *Lux est* solùm Judæis; sed : *Omnium hominum;* omnes enim homines, in quantùm intellectum et rationem recepimus ab eo quod nos condidit Verbo, in tantùm ab eo illuminari dicimur; nam ratio nobis tradita, per quam rationales dicimur, lux est ad operanda nos dirigens, et ad non operanda [b].

ORIGENES,

(Tom. 2 in Joan., super illud : *Quod factum est in ipso, vita erat*, à med.)

[c] Non est autem prætermittendum quòd vitam præmittit luci hominum; inconsequens enim erat illuminari non viventem, et advenire illuminationi vitam. Si autem idem est : *Vita erat lux hominum*, quod solùm *hominum*, erit Christus lux atque vita solorum hominum; hoc autem opinari hæreticum est. Non igitur quidquid dicitur *aliquorum*, illorum solùm est; scriptum est enim de Deo, quòd sit *Deus Abraham, Isaac, et Jacob* [2]; non tamen istorum tantùm Patrum dictus est Deus : non ergò ex eo quòd dicitur : *Lux hominum*, excluditur quin

[1] *Joan.* XI, 25 *et* XIV, 6. — [2] *Exod.* III, 6.

« Quòd si vita idem est cum luce hominum, nullus qui sit in « tenebris vivit; nec ullus viventium est in tenebris, cùm « omnis qui vivit, is etiam sit in luce, et omnis qui sit in luce, « is etiam vivat, adeò ut solus et omnis vivens sit lucis filius, « filius autem lucis, cujus *luceant opera coram hominibus* [1]. »

[a] Pro sequentibus, hæc habes in editione Lutetiæ Paris. : « *In ipso vita erat;* non enim, inquit, suspiceris quòd expers vitæ sit Verbum hoc, sed : *In ipso vita erat, et vita* « *erat lux hominum. Vitam* Evangelista nominat Dominum, « eo quòd contineat vitam omnium in se, et quòd spiritualis « vitæ conciliator fuerit omnibus ratione præditis. Lux au- « tem non aliqua sensibilis, sed spiritualis, quæ ipsam animam « illustret. »

[b] Εἰς τὰ πρακτέα καὶ εἰς τὰ μὴ πρακτέα ὁδηγὸς ἐστί, *viam nobis demonstrans, vel præiens ad ea quæ fieri vel non fieri debent.*

[c] Pro sequentibus, hæc legis in editione Delarue : « Age « verò, inquiramus etiam nos hoc, scilicet nùm vita erat ho- « minum tantùm lux, et non potiùs cujusvis in beatitudine « existentis. Nam si *vita* et *lux hominum* idem sunt, et ho- « minum tantùm sit Christi lux, hominum tantùm etiam vita « erit; hoc autem suspicari æquè stultum est atque impium. « Sed sic solvendum est dubium : Si quid *aliquorum* esse di- « catur, non continuò illud ad eos solos, de quibus id dicitur, « pertinere; nam cùm sit scriptum Deum esse *Deum Abraham,* « *et Deum Isaac, et Deum Jacob*, qui voluerit, quia dictum « sit : *Vita erat lux hominum*, lucem ad nullum alium, præ- « terquàm ad homines pertinere, existimet oportet is pari « modo, Deum nullius alterius Deum esse, nisi tantùm horum « trium Patrum. Verùm *Eliæ* profectò etiam *est Deus* [2], et, ut « inquit Judith, *patris sui Simeon* [3], atque etiam *Hebræorum* « *est Deus* [4]. Quamobrem si nihil prohibet Deum aliorum quo- « que esse Deum, eodem modo nihil prohibeat oportet lucem « hominum esse etiam aliorum, præterquàm hominum lucem. « Porrò alius quispiam etiam testimonio illo utens : *Faciamus* « *hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, homi- « nem esse dicit, quidquid ad imaginem et similitudinem Dei « sit factum. Secundùm hoc ergò, ut æquè valens, interpreta- « bitur lucem hominum, lucem etiam esse cujuslibet, qui ra- « tionis sit compos, quippè quia sit homo ad imaginem et si- « militudinem Dei. Neque hoc sinamus non animadversum, « cur, cùm potuisset scribere : *Quod factum est in ipso*, lux « erat hominum, et lux hominum vita erat, contrarium fece- « rit, præponens vitam luci hominum, quamvis idem sit vita « et lux hominum. Et dicendum quòd in his qui participes « sunt vitæ, quæ est lux hominum, primùm nobis occurrat « ipsos vivere vitâ beatâ et anteà dictâ, deindè eos illustrari « supponatur enim vivere oportet, ut vivens illuminatus fiat; « nec consequens fuisse illuminari eum qui nondùm intel- « lectus fuisset vivere, et superinduci illuminationi ipsum « vivere. »

[1] *Matth.* V, 16. — [2] IV *Reg.* II, 14. — [3] *Judith*, IX, 2. — [4] Exod. III, 18; V, 3; VII, 16; IX, 1 *et* 13, *et* X, 3.

sit aliorum. Alius verò contendit, ex eo quòd est scriptum : *Faciamus hominem ad imaginem nostram* [1], quòd, quidquid ad imaginem ac similitudinem Dei factum est, intelligi debet per hominem; sic igitur lux hominum, lux cujuslibet rationalis creaturæ est [a].

5. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.*

AUGUSTINUS,

super Joannem (Tract. 1, paulò antè finem.)

Quia vita illa est lux hominum, sed stulta corda capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint; ne ideò cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt, sequitur : *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quomodò enim homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus cæcus est. Præsens est illi sapientia; sed cùm cæco præsens est, oculis ejus absens est; non quia illi ipsi absens est, sed quia ipse absens est ab illâ.

ORIGENES,

Homiliâ 2 in diversos.

Vel aliter : Lux in tenebris fidelium animarum lucet, à fide inchoans, ad spem trahens; imperitorum verò cordium ignorantia et perfidia lucem Verbi Dei in carne fulgentis non comprehenderunt. Sed iste sensus moralis est. Physica autem horum verborum theoria talis est : Humana natura, etsi non peccaret, suis propriis viribus lucere non posset; non enim naturaliter lux est, sed particeps lucis; capax siquidem sapientiæ est, non ipsa sapientia. Sicut ergò aer per semetipsum non lucet, sed *tenebrarum* vocabulo nuncupatur [b]; ità nostra natura, dùm per seipsam consideratur, quædam tenebrosa substantia est, capax ac particeps lucis sapientiæ; et, sicut aer, dùm solares radios participat, non dicitur per se lucere, sed solis splendor dicitur in eo apparere [c]; sic rationabilis nostræ naturæ pars, dùm præsentiam Verbi Dei possidet, non per se res intelligibiles et Deum suum, sed per insitum sibi divinum lumen cognoscit. *Lux* itaque *in tenebris lucet*, quia Dei Verbum, vita et lux hominum, in nostrâ naturâ, quæ, per se investigata et considerata, informis quædam tenebrositas invenitur, lucere non desinit; et quoniam ipsa lux omni creaturæ est incomprehensibilis, *tenebræ eam non comprehenderunt.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 4, aliàs 5, in Joan., à med.)

Vel aliter : [d] Totum ab illo loco : *Et vita erat lux hominum,* primùm nos de conditione docuerat : deindè dicit et quæ secundùm animam bona præbuit nobis veniens Verbum : undè dicit : *Et vita erat lux hominum.* Non dicit : *Lux* Judæorum, sed universaliter : *Hominum;* non enim Judæi solùm, sed et Gentiles ad hanc venerunt cognitionem. Non autem adjecit : Et Angelorum, quoniam ei de naturâ humanâ sermo est, quibus Verbum venit evangelizans bona.

ORIGENES,

(*Tom.* 2 in Joan., super illud : *Quod factum est in ipso, vita erat*, sub finem.)

Quærunt autem quarè non Verbum *lux hominum* dictum est, sed vita quæ in Verbo fit. Quibus respondemus : Quia vita ad præsens, non ea quæ communis et rationalium et irrationalium dicitur, sed quæ adjungitur Verbo, quod in nobis fit per participationem Verbi primarii ad discernendam apparentem vitam, et non veram, et cupiendam veram vitam. Priùs ergò participamus vitam, quæ apud quosdam quidem est potentiâ, non actu lux, qui scilicet non sunt avidi perquirere quæ ad scientiam pertinent; apud quosdam verò et actu lux efficitur, qui, secundùm Apostolum, *æmulantur dona meliora* [2], scilicet verbum sapientiæ; si tamen et tunc idem est lux et vita hominum, nullus manens in tenebris perfectè vivere comprobatur, nec quisquam viventium consistit in tenebris.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 4, aliàs 5, in Joannem.)

Vitâ enim adveniente, nobis solutum est mortis imperium, et luce lucente, nobis non ultrà sunt tenebræ; sed semper manet vita, quam mors superare non potest, nec tenebræ lucem : undè sequitur : *Et lux in tenebris lucet.* Tenebras mortem et errorem dicit; nam lux quidem sensibilis non in tenebris lucet, sed sine illis; prædicatio verò Christi in medio erroris regnantis fulsit, et eum disparere fecit; et vitam mortem fecit mortuus Christus, ità eam superans, ut eos qui detinebantur, redu-

[1] *Gen.* I, 26. — [2] I *Cor.* XII, 31.

[a] *Sive spiritualis et intellectualis*, accipiendo *rationale* lato significato; alioqui propriè solus homo est creatura rationalis.

[b] Ut sententia sit absoluta, adde, ut in editione Genebrardi, hæc verba : « Capax tamen solaris luminis est ; ità, *etc.* »

[c] Ut rursùs sententia sit completa, hæc supple ex editione Genebrardi : « Ita ut naturalem suam obscuritatem non perdat, « et lucem supervenientem in se recipiat; sic, *etc.* »

[d] Pro sequentibus, hæc legis in editione Montfauconianâ : « Primò creationem nos docuit, deindè animæ bona quæ veniens nobis largitus est, uno verbo subindicavit Evangelista, dicens : *Et vita erat lux hominum.* Nec dixit : Erat « lux Judæorum, sed : Universorum hominum. Neque enim « Judæi tantùm, sed etiam Gentiles ad hanc cognitionem devenerunt. Cur autem non Angelos addidit, sed homines solùm dixit? Quia nunc ipsi de humanâ naturâ sermo est, et « hominibus bona nuntiaturus venit. »

ceret. Quia igitur neque mors eam superavit, neque error, sed fulgida est ejusdem prædicatio, et lucet cum propriâ fortitudine, ideò subdit : *Et tenebræ eam non comprehenderunt.*

ORIGENES,

(Tom. 2 in Joan., super illud : *Lux in tenebris lucet,* in princip.)

[[a] Est etiam sciendum, quòd sicut lux hominum nomen est duarum spiritualium rerum, sic et tenebræ; dicimus enim *hominem lucem possidentem*, opera lucis perficere, et etiam cognoscere quasi illustratum lumine scientiæ; et, è contrario, *tenebras* dicimus illicitos actus, et eam quæ videtur scientia, non est autem.] Sicut autem Pater *lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ* [1], sic et Salvator. Sed quia *similitudinem carnis peccati subiit* [2], non incongruè de eo dicitur, quòd tenebræ in eo sunt aliquæ, ipso in se suscipiente nostras tenebras, ut eas dissiparet. [[b] Hæc igitur lux, quæ facta est vita hominum, radiat in tenebris animarum nostrarum, et venit ubi *princeps tenebrarum harum* [3] cum genere bellat humano. Hanc lucem persecutæ sunt tenebræ : quod patet ex his quæ Salvator et ejus filii sustinent, pugnantibus tenebris contra filios lucis. Verùm quia Deus patrocinatur, non invalescunt [4] : undè non apprehendunt lucem, vel quia celeritatem cursùs lucis subsequi non valent propter propriam tarditatem, vel quia si supervenientem exspectant, fugantur luce appropinquante. Oportet autem id considerare, quòd non semper tenebræ in sinistrâ parte sumuntur, sed quandoquè in bonâ, secundùm illud Psalmi : *Posuit tenebras latibulum suum* [5], dùm ea quæ sunt erga Deum, ignota et imperceptibilia sunt. De hàc ergo laudatâ caligine dicam, quoniam versùs lucem pergit, illamque apprehendit, quia quod erat caligo, dùm ignorabatur, in lucem, cognita, vertitur ei qui didicit.]

AUGUSTINUS,

Lib. 10 de Civitate Dei (cap. 29, circa finem.)

Hoc autem initium sancti Evangelii quidam Platonicus aureis litteris perscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat.

BEDA,

(cap. 1 in Joan., paulò ante illud : *Omnia per ipsum facta sunt.* Tom. 3.)

Nam alii Evangelistæ Christum in tempore natum describunt; Joannes verò eumdem in principio testatur fuisse, dicens : *In principio erat Verbum.* Alii inter homines eum subitò apparuisse commemorant : ille ipsum apud Deum semper fuisse testatur, dicens : *Et Verbum erat apud Deum.* Alii eum, *verum hominem*, ille *verum* confirmat *Deum*, dicens : *Et Deus erat Verbum.* Alii hominem apud homines eum temporaliter conversatum, ille Deum apud Deum in principio manentem ostendit, dicens : *Hoc erat in principio apud Deum.* Alii magnalia, quæ in homine gessit, perhibent : ille quòd omnem creaturam per ipsum Deus Pater fecerit, docet, dicens : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

6-8. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., paulò post princip.)

Ea quæ dicta sunt superiùs, de divinitate Christi dicta sunt, qui sic venit ad nos, secundùm quòd

[1] I *Joan.* I, 5. — [2] *Rom.* VII, 3. — [3] *Ephes.* VI, 12. — [4] *Rom.* VIII, 31. — [5] *Psalm.* XVII, 12.

[a] Pro verbis uncis inclusis, hæc habes in editione Delarue : « De hominum luce, quoniam in ordine prima est, inquirimus, atque etiam, opinor, de ejus contrario, nempè tenebris ; de hominum autem luce, inquam, quoniam fortassè lux hominum est duarum specialium rerum, atque etiam similiter tenebræ. Contingit enim ut *qui lucem hominum possiderit*, opera lucis perficiat, et illustratus scientiæ lucem cognoscat : idem pari ratione ex contrariis existimandum est, pravis videlicet actionibus, et scientiâ, quæ opinione quidem fit, reverà non fit, rationem habentibus *tenebrarum.* »

[b] Pro verbis uncis inclusis, hæc habes in editione citatâ : « Hæc itaque lux, quæ facta est in Sermone, existens etiam vita, lucet in tenebris animarum nostrarum, et eò accessit ubi erant *mundi rectores tenebrarum* [sæculi] hujus, qui, quia cum genere humano luctentur, in tenebras adducere eos contendunt, qui pro virili non instant, ut illuminati in filiorum lucis numero censeantur. Jàm verò etiam hæc lux lucens in tenebris persecutionem patitur quidem à tenebris, sed non apprehenditur. Quòd autem lucem tenebræ persecutæ fuerint, perspicuum est ex his quæ tùm Servator perpessus est, tùm etiam illi qui illius disciplinam exceperunt et secuti sunt gemini ipsius filii, tenebris operantibus adversùs lucis filios, et fugare volentibus lucem ab hominibus. « At quoniam si *Deus pro nobis, nullus*, etiamsi velit, poterit « aliquid *adversùm nos*, quantò magis seipsos humiliabant, tantò plures existebant prævalebantque admodùm valdè. « Porrò duobus modis tenebræ non apprehenderunt lucem, vel quia lux eas longo intervallo post se relinqueret, ut quam celeritate pernicitateque cursûs præstantem, ob propriam tarditatem ipsæ tenebræ, ne juxta quantitatem quidem, assequi possent, vel quia sicubi tenebræ luci insidias struere voluerint, atque certo quodam consilio et per dispensationem supervenientes ipsas lux exspectaverit, mox atque luci appropinquaverint, evanescunt. Attamen utroque modo tenebræ lucem non apprehenderunt. Necesse autem nos in his versantes annotare, non, sicubi tenebræ nominentur, mox eas in pejorem partem sumi ; verùm Scripturam etiam in bonam partem aliquotiès has accipere ; dicitur enim in Psalmo : Deus *posuit tenebras latibulum suum*, eo quòd quæ de ipso sunt, ignorentur, imperceptibilia cùm sint. « Quiddam autem addam de tenebris laudatis, nempè has festinare ad lucem, eamque apprehendere, atque quæ olim fuissent tenebræ, non dispicienti vim ipsarum, eo quòd ignoraretur, sic immutari, ut, cùm is ad eorum scientiam pervenerit quæ ignorabat, enuntiet, quæ didicerit, fuisse sibi aliquandò tenebras, nunc autem lucem. »

apparuit homo [a]. Quia igitur sic erat homo, ut lateret in illo Deus, missus est ante illum magnus homo, per cujus testimonium inveniretur plùs quàm homo. Et quis est hic? *Fuit homo.*

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Non Angelus, ut suspicionem multorum destrueret.

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., inter princip. et med.)

Et quomodò posset iste verum de Deo dicere? *Missus à Deo.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 5, aliàs 6, in Joan., circa princip.)

Nihil de reliquo humanum esse æstima eorum quæ dicuntur ab illo; non enim quæ ejus sunt, sed quæ mittentis omnia loquitur : ideò et Angelus nuncupatus est à Prophetâ, dicente : *Ego mitto Angelum meum* [1]; Angeli enim virtus est nihil proprium dicere. [[b] Hoc autem quod dicit : *Fuit missus*, non ejus qui ad *esse*, sed qui ad ministerium processûs ostensivum est.] Sicut autem Isaias missus fuit non aliundè quàm à mundo, sed à statu quo vidit *Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* [2], ad plebem; sic et Joannes à deserto ad baptizandum mittitur; ait enim: *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit* : *Super quem videris*, etc. [3].

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., inter princip. et med.)

Quid vocabatur? *Cui nomen erat Joannes.*

ALCUINUS.

Id est, *gratia Dei*, vel *in quo est gratia :* qui gratiam Novi Testamenti, id est, Christum suo testimonio primùm mundo innotescere fecit : vel Joannes interpretatur : *Cui donatum est*, quia per gratiam Dei donatum est illi Regem regum non solùm præcurrere, sed etiam baptizare.

IDEM,

(Tract. 2 in Joan., inter med. et fin.)

Quarè venit? *Hic venit in testimonium*, *ut testimonium perhiberet de lumine.*

ORIGENES,

(Tom. 2 in Joan., super illud : *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.*)

Quidam improbare nituntur edita de Christo testimonia Prophetarum, dicentes, non egere testibus Dei Filium, habentem credulitatis sufficientiam, tùm in iis quæ protulit salubribus verbis, tùm in mirabilibus operibus suis, siquidem et Moyses credi meruit per verba et virtutes, non egens præviis testibus. [[c] Ad hoc dicendum est quòd multis existentibus causis inducentibus ad credendum, plerumquè quidam ex hâc demonstratione non admirantur, ex aliâ verò habent causam ut credant; Deus autem est qui pro cunctis hominibus homo factus est. Constat igitur quosdam ex dictis propheticis ad Christi admirationem coactos, mirantes tot Prophetarum ante ejus adventum vocem, constituentem Nativitatis ejus locum, et alia hujusmodi. Illud quoque animadvertendum, quòd prodigiosæ virtutes ad credendum provocare poterant eos qui tempore Christi erant; non autem post longa tempora : imò potiùs fabulosa qædam existimata fuissent; plùs enim peractis virtutibus facit ad credulitatem, quæ cum virtutibus quæritur prophetia. Est autem et tale quid dicere, quòd quidam in hoc quod testimonium præbent Deo, honorati sunt. Privare vult ergò chorum Prophetarum ingenti gratiâ, qui dicit illos non oportere de Christo testimonium exhibere. Accessit autem his Joannes, ut testimonium de luce perhibeat.]

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 5, aliàs 6, in Joan., parùm à principio.)

Non eâ indigente testimonio [d], sed propter quid ve-

[1] *Malach.* III, 1. — [2] *Isai.* VI, 1. — [3] *Joan.* I, 23.

[a] Quasi diceret, non corporali motu vel accessu locali, sed unione substantiali, per quam sub naturâ humanâ visibiliter apparuit.

[b] Pro verbis uncis inclusis, hæc habes in editione Montfauconianâ : « Illud autem : *Fuit*, non hîc ad existentiam transi- « tum significat, sed missionem ipsam. »

[c] Pro verbis uncis inclusis, hæc legis in editione Delarue : « Quamobrem respondendum est illis, quòd, multæ causæ esse « cùm possent, quæ ad credendum invitarent, et interdùm « aliquos, qui ab unâ miraculorum demonstratione non per- « cellerentur, ab aliâ demonstratione permoveri, posse Deum « complures causas hominibus præbere, ut admittant Deum, « qui est super omnia genita, humanam assumpsisse natu- « ram. Undè etiam evidenter cernere est nonnullos ex pro- « pheticis vaticiniis in admirationem Christi venire, tot Pro- « phetarum, qui ante ipsum fuerunt, perculsos voce, stabi- « liente quidquid ad locum pertinet in quo genitus fuit, *etc.* « Quin hoc quoque considerandum est, quòd prodigiosæ et « admirandæ potentiæ, eos quidem qui Domini ætate exsi- « tissent, invitare poterant ad credendum, at non servâssent « post multa tempora evidentem demonstrationem, cùm eæ « quoque jàm pro fabulis penè habeantur. Plùs enim poten- « tiis ac miraculis illius temporis potuit ad persuadendum pro- « phetia, quæ nunc cum potentiis ipsis et miraculis expen- « ditur et comparatur, confirmans prophetiæ indaga- « tores, ut fidem habeant illis potentiis prodigiosis et « admirandis. Jàm verò etiam qui ausus fuerit, tale « quiddam potest præter hæc dicere, nempè aliquos Chri- « sti μάρτυρας [hoc est, testes], eo quòd testificentur de « illo, honore honestari, cui tamen nihil prorsùs gratificen- « tur propter ipsam testificationem de Filio Dei, ut omnes « fassuri sunt de his qui propriè Christi nominantur mar- « tyres. Quid mirum igitur, si quemadmodùm multi Christi « germani discipuli cohonestati fuere, eo quòd essent Christi « μάρτυρες [hoc est, testes], ità etiam Prophetæ agnoscentes « ipsum, id muneris à Deo acceperint, ut eum præcinerent, « docentes non solùm quid illis, qui post Christi adventum « futuri erant, sentiendum foret de Filio Dei, verùm etiam « quid illis, qui superioribus sæculis erant? Chorum ergò « Prophetarum maximâ vult gratiâ privare, quisquis no- « luerit oportere eos de Christo testari. Joannes ergò venit, « ut testificaretur de luce. »

[d] Id est, non quòd ea (lux) indigeret testimonio.

nerit ipse Joannes, docet, dicens : *Ut omnes crederent per illum.* Sicut enim carnem induit, ne omnes perderet ; ità et præconem hominem misit, ut cognatam audientes vocem, faciliùs advenirent.

BEDA,

(in cap. 1 Joan., super illud : *Ut omnes crederent per illum.* Tom. 5.)

Non autem ait : *Ut omnes crederent* in illum ; *maledictus* enim *homo qui confidit in homine*[a] ; sed : *Ut omnes crederent per illum*, hoc est, per illius testimonium crederent in lucem.

THEOPHILACTUS,

(super illud : *Ut omnes crederent per illum.*)

Si verò aliqui non crediderint, excusabilis permanet ipse ; nam sicut si aliquis includat se in domo caliginosâ, et ipsum solis radius non illustret, ipse causam tribuit, et non sol ; sic Joannes, ut omnes crederent, missus fuit ; sed si minimè consecutum est, ipse hujus rei causa non exstitit.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 5, aliàs 6, in Joan., à med.)

Quia verò multùm apud nos major qui testatur, eo de quo testimonium perhibetur, et dignior fide esse videtur ; ne quis et de Joanne hoc suspicetur, hanc suspicionem destruit, dicens : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Si verò non huic instans opinioni hoc resumpsit : *Ut testimonium perhiberet de lumine*, superfluum esset quod dicitur, et magis iteratio sermonis quàm explanatio doctrinæ.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Sed dicet aliquis : Ergò neque Joannem, neque Sanctorum quempiam lucem esse vel fuisse dicemus? Sed si Sanctorum aliquem *lucem* velimus dicere, ponemus *lucem* absque articulo, ut si interrogatus fueris utrùm Joannes est *lux*, sine articulo securè concedas[b] ; si verò cum articulo, non concedas ; non enim est ipsa lux principalior ; sed *lux* dicitur, quia secundùm participationem lucem habeat à vero lumine.

9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., aliquantulùm ante med.)

De quo lumine Joannes testimonium perhibeat, ostendit (Evangelista), dicens : *Erat lux vera.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 6, aliàs 7, in Joan., parùm à med.)

Vel aliter : Quia superiùs de Joanne dixerat, quòd venit et missus est, ut testetur de luce ; ne quis hoc audiens, propter testantis recentem præsentiam[c], de eo cui testimonium perhibetur, talem quamdam suspicionem accipiat, reduxit mentem, et ad eam quæ supra omne principium est, transmisit existentiam, dicens : *Erat lux vera.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., ante med.)

Quarè additum est : *Vera?* Quia et homo illuminatus dicitur *lux ;* sed vera lux illa est quæ illuminat ; nam et oculi nostri dicuntur *lumina*, et tamen nisi aut per noctem lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina illa sine causâ patent : undè subdit : *Quæ illuminat omnem hominem.* Si *omnem hominem*, ergò et ipsum Joannem. Ipse ergò illuminabat, à quo se demonstrari volebat. Quomodò enim plerumquè fit, ut in aliquo corpore radiato cognoscatur ortus esse sol, quem oculis videre non possumus, quia etiam qui saucios habent oculos[d], idonei sunt videre parietem illuminatum à sole, aut aliquid hujusmodi[e] ; sic [f] omnes, ad quos venerat Christus, minùs erant idonei eum videre, radiavit Joannem ; et per illum, confitentem se illuminatum, cognitus est ille qui illuminat. Dicit autem : *Venientem in hunc mundum ;* nam si illinc non recederet, non esset illuminandus ; sed ideò hic illuminandus, quia illinc recessit ubi homo semper poterat esse illuminatus.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Erubescat Manichæus, qui conditoris maligni et tenebrosi nos asserit creaturas ; non enim illuminaremur, si veri luminis creaturæ non essemus.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 7, aliàs 8, in Joan., in princip.)

Ubi sunt etiam qui non dicunt eum *verum Deum?* Hic enim *lux vera* dicitur. Sed si *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, qualiter tot sine lumine permanserunt? Non enim omnes cognoverunt Christi culturam[g]. Illuminat igitur omnem hominem, quantùm ad eum pertinet ; si autem quidam, mentis oculos claudentes, noluerunt recipere lucis hujus radios, non à lucis naturâ obtenebratio est eis, sed à malitiâ eorum qui voluntariè privant seipsos gratiæ dono ; nam gratia quidem ad omnes effusa est ; qui verò nolunt dono hoc frui, sibi ipsis hanc imputent cæcitatem.

[a] Usurpatum ex Jeremiâ, XVII, 5, ubi LXX Interpretes legunt : *Qui spem habet super hominem* vel *in hominem*, ἐπ' ἄνθρωπον : quod intelligi debet, si primariò in illum speret, ut principale spei fundamentum.

[b] Id est, quòd simpliciter sit φῶς, *lux ;* non autem τὸ φῶς, *quædam veluti singularis et excellens lux.*

[c] Vel *recentem adventum*, παρουσίαν. Et mox, *erexit mentem*, vel *sursùm duxit*, ἀνήγαγε. Hinc enim ἀναγωγή, *sursùm ductio ;* ex quâ sensus anagogicus.

[d] *Adde :* Ut non videant solem.

[e] *Adde etiam, ut in editione Maurinâ :* Et in alio illustrat demonstratur illis ortus ille, cui videndo adhuc minùs idoneam aciem gerunt.

[f] *Adde :* Quia.

[g] Sive *cultum et venerationem*, ex græco σέβας.

AUGUSTINUS,

(in Enchiridio, cap. 103. Tale aliquid etiam habet Lib. 1 de Peccatorum meritis et remissione, cap. 25, n. 7.)

Vel : Quod dicitur : *Illuminat omnem hominem*, sic intelligimus, non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.

BEDA,

(in cap. 1 Joan., super illud : *Illuminat omnem hominem*, etc. Tom. 5.)

Sive naturali ingenio, sive sapientiâ divinâ ; sicut enim nemo à seipso esse, sic etiam nemo à seipso sapiens esse potest.

ORIGENES,

(Homiliâ 2 in diversos, inter med. et fin.)

Vel aliter : Non de his qui de occultis seminum causis in species corporales procedunt, debemus intelligere quòd *illuminat hominem venientem in hunc mundum;* sed de his qui spiritaliter per regenerationem gratiæ, quæ datur in baptismate, in mundum veniunt invisibilem. Eos itaque vera lux illuminat qui in mundum virtutum veniunt, non eos qui in mundum vitiorùm ruunt.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

Vel aliter : Intellectus nobis traditus, ac nos dirigens, qui et *naturalis ratio* nominatur, dicitur *lux* tradita nobis à Deo; sed quidam, malè ratione utentes, seipsos obscuraverunt.

10. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., circa med.)

Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, huc venit per carnem, quia, cùm hìc esset per Divinitatem, à stultis, cæcis et iniquis videri non poterat : de quibus suprà dictum est : *Tenebræ eam non comprehenderunt ;* et ideò dicitur : *In mundo erat.*

ORIGENES,

(Homiliâ 2 in diversos.)

In nostrâ autem editione 1470 Origenes non notatur.

Ut enim qui loquitur, dùm loqui cessat, vox ejus esse desinit et evanescit; sic cœlestis Pater : si Verbum suum loqui cessaverit, effectus Verbi, hoc est, universitas Verbo condita, non subsistet.

AUGUSTINUS,

(undè suprà.)

Non autem putes quia sic erat in mundo, quo modo in mundo est terra, pecora, et homines, vel cœlum, sol, et luna, et stellæ ; sed quo modo artifex, regens quod fecit : undè sequitur : *Et mundus per ipsum factus est.* Non enim sic fecit, quomodò facit faber; qui enim fabricat, extrinsecus est ad illud quod fabricat; Deus autem infusus mundo fabricat, ubique positus [a], et non recedit ab aliquo : præsentiâ majestatis facit quod facit. Sic ergò erat in mundo, quo modo per quem factus est mundus.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 7, aliàs 8, in Joan., paulò à princip.)

Et iterùm, quia in mundo erat, sed non ut mundi contemporaneus, propter hoc induxit : *Et mundus per ipsum factus est,* per hoc et rursùs te deducens ad æternam existentiam Unigeniti; qui enim audierit quoniam opus ejus hoc totum, etsi valdè insensibilis fuerit, cogetur concedere ante opera esse factorem.

THEOPHILACTUS,

(in hoc loco.)

[b] Simul autem hic et Marcionis subvertit rabiem, qui malignum conditorem cuncta produxisse dicebat, necnon et Arii, qui Filium Dei dicebat creaturam.

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., à med.)

Quid est autem : *Mundus per ipsum factus est?* Cœlum, terra, mare, et omnia quæ in eis sunt, *mundus* dicitur. Iterùm, aliâ significatione, dilectores mundi *mundus* dicuntur : de quo sequitur : *Et mundus eum non cognovit.* Nùm enim cœli, aut Angeli, aut sidera non cognoverunt Creatorem, quem confitentur dæmonia? Omnia undiquè testimonium perhibuerunt. Sed qui non cognoverunt eum? Qui amando mundum, dicti sunt *mundus ;* amando enim mundum, corde habitamus in mundo; nam qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo, sed corde inhabitant cœlum, sicut Apostolus dicit : *Nostra conversatio* [c] *in cœlis est* [1]. Amando igitur mundum, hoc appellari meruerunt ubi habitant; quo modo enim cùm dicimus : Mala est illa domus aut bona, non parietes incusamus aut laudamus, sed inhabitantes; sic et *mundum* dicimus, qui inhabitant mundum amando.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 7, aliàs 8, in Joan., inter princip. et med.)

Qui autem Dei erant amici, eum cognoverunt, etiam ante corporalem præsentiam [d] : undè et Christus ait : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum* [2]. Cùm ergò nos interpellant Gentiles, dicentes : Quid est quòd in ultimo tempore venit, nostram operaturus salutem, tanto tempore negligens nos? Dicimus quoniam et ante hoc

[1] *Philipp.* III, 20. — [2] *Joan.* VIII, 56.

[a] In editione Maurinorum : « Ubique positus fabricat, et « non recedit aliquò : præsentiâ majestatis facit quod facit : « præsentiâ suâ gubernat quod facit. »

[b] Pro sequentibus, hæc habes in editione Lutetiæ Paris. : « Ubique ipsum ostendit Opificem, ut Manichæi insaniam reprimeret, qui dicit malignum opificem produxisse omnia, « et Arium confutaret, qui dixit Filium Dei esse creatu- « ram. »

[c] Πολίτευμα, civilis quasi societas vel inhabitatio, eo sensu quo et *cives sanctorum* ac *domesticos Dei* nos vocat Apostolus in Epistolâ ad Ephesios, II, 19.

[d] In editione Montfauconianâ : Etiam ante Incarnationem. »

in mundo erat, et providebat operibus suis, et omnibus dignis cognitus erat; et si eum mundus non cognovit, ii tamen quibus mundus non erat dignus [a], eum cognoverunt. Dicens autem : *Mundus eum non cognovit*, breviter causam ignorantiæ præbuit; *mundum* enim vocat homines, qui soli mundo affixi sunt, et quæ mundi sunt, sapiunt; nihil autem ità turbat mentem, ut liquefieri amore præsentium.

11-13. *In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan., parùm à princip.)

Dixit quòd mundus eum non cognovit, de superioribus loquens temporibus; sed de reliquo sermonem induxit ad prædicationis tempora [b], et ait : *In propria venit.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., super hoc verbum.)

Quia scilicet omnia per ipsum facta sunt.

THEOPHILACTUS,

(hoc loco.)

Per *propria* mundum intellige, sive Judæam, quam pro hæreditate elegerat.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan.)

In propria ergò *venit*, non gratiâ suæ necessitatis, sed gratiâ beneficii suorum. Sed undè venit qui omnia implet, et ubique adest? Suâ quidem ad nos descensione hoc operatus est; quia enim in mundo existens, non putabatur adesse, eo quòd nondùm cognoscebatur, dignatus est induere carnem; manifestationem verò hanc et descensionem *adventum* vocat. Misericors autem existens Deus omnia facit, ut nos secundùm virtutem splendeamus; et propter hoc quidem nullum necessitate, suasione verò et beneficiis volentes ad se attrahit; et propterea venientem eum alii quidem susceperunt, alii verò non receperunt; nullum enim vult invitum neque coactum habere famulum; invitum enim trahi, par est cum eo qui totaliter non servit : undè sequitur : *Et sui eum non receperunt.*

IDEM,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan., circa med.)

Judæos nunc *suos* dicit, ut populum peculiarem, sed et omnes homines, ut ab ipso factos; et sicut superiùs, pro communi verecundatus naturâ, dicebat quoniam *mundus, per ipsum factus, Conditorem non cognovit* : ita et hic rursùs pro Judæorum anxius indevotione, graviorem ponit accusationem, dicens : *Et sui eum non receperunt.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., inter med. et fin.)

In nostrâ autem editione 1470 Ambrosius notatur.

Si autem omninò nullus recepit, nullus ergò salvus factus est? Nemo enim salvus fiet, nisi qui Christum receperit venientem; et ideò addit : *Quotquot autem receperunt eum.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan., à med.)

Sive sint servi sive liberi, sive Græci sive barbari, sive insipientes sive sapientes, sive mulieres sive viri, sive pueri sive senes, omnes eodem digni facti sunt honore, de quo sequitur : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., à med.)

Magna benevolentia! Unicus natus est, et noluit manere unus! Non timuit habere cohæredes, quia hæreditas ejus non fit angusta, si multi possederint.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan., à med.)

Non autem dixit, quoniam fecit eos filios Dei, sed : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, ostendens quoniam multo opus est studio, ut eam, quæ in baptismo nobis formata est, adoptionis imaginem incontaminatam semper custodiamus; simul autem ostendens quoniam potestatem hanc nullus nobis auferre poterit, nisi nos ipsi auferamus. Si enim qui ab hominibus dominium aliquarum rerum suscipiunt, tantum habent robur, quantum ferè ii qui dederunt, multò magis nos, qui à Deo potimur hoc honore. Simul autem ostendere vult quoniam hæc gratia advenit volentibus et studentibus; [c] etenim in potestate est liberi arbitrii et gratiæ operatione *filios Dei fieri.*

THEOPHILACTUS,

(hoc loco.)

Vel : Quia in resurrectione filiationem perfectissimam consequemur, secundùm quod Apostolus dicit : *Adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri* [1]. Dedit ergò potestatem filios Dei fieri, id est, hanc gratiam in futuro sæculo consequendi.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan., paulò à med.)

Et quia in his ipsis ineffabilibus bonis, hoc qui-

[1] *Rom.* VIII, 23.

[a] Alludendo ad illud quod ad Hebr., XI, 38, de Prophetis dicitur, qui *fidei testimonio probati* esse asseruntur propter venturi Christi fidem ac notitiam, *etc.*

[b] Vel : *Ad prædicationis tempora deinceps pergit, ac sermone descendit* : Κάτεισι λοιπὸν τῷ λόγῳ, etc.

[c] Non exprimitur hæc appendix in Chrysostomi textu, sed supponitur ex adjunctis; Glossa verò exprimit.

dem est Dei, scilicet, dare gratiam, illud verò hominis, id est, præbere fidem [a], subjungit : *His qui credunt in nomine ejus.* [[b] Quid igitur non dicis nobis, ô Joannes, quod eorum sit supplicium qui eum non receperunt? Nùm quid isto supplicio fiet majus, quandò præjacente eis potestate filios Dei fieri, non fiunt, sed volentes seipsos tanto privant honore? Sed etiam inexstinguibilis eos suscipiet ignis : quod posteà manifestiùs revelabit.]

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., inter med. et fin.)

In nostrâ autem editione 1470 Ambrosius notatur.

Credentes ergò quia *filii Dei* fiunt et *fratres Christi*, utiquè nascuntur; nam si non nascuntur, filii quomodò esse possunt? Sed filii hominum nascuntur ex carne et sanguine, et ex voluntate viri et complexu conjugii; illi autem quomodò nascantur, subdit : *Qui non ex sanguinibus,* tamquàm maris et feminæ. *Sanguina* [c] non est latinum; sed quia græcè positum est pluraliter, maluit ille, qui interpretabatur, sic ponere, et quasi minùs latinè loqui secundùm grammaticos, et tamen explicare veritatem secundùm auditum infirmorum; ex sanguinibus enim maris et feminæ homines nascuntur.

BEDA,

(in cap. 1 Joan., super illud : *Qui non ex sanguinibus*, etc. Tom. 5.)

Sciendum etiam est, quia in Scripturis sanctis, *sanguis* cùm dicitur pluraliter, peccatum significare solet : undè : *Libera me de sanguinibus* [1].

AUGUSTINUS,

(undè suprà.)

In eo autem quod sequitur : *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, carnem* pro *feminâ* posuit, quia de costâ cùm facta esset, Adam dixit : *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne meâ* [2]. Ponitur ergò *caro* pro *uxore*, quo modo aliquandò *spiritus* pro *marito*, quia ille imperare debet, ista servire. Quid enim pejus est domo, ubi femina habet imperium super virum? Hi ergò *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

BEDA,

(undè suprà.)

Carnalis enim singulorum generatio à complexu conjugii duxit originem; at verò spiritalis, Spiritûs sancti gratiâ ministratur.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 9, aliàs 10, in Joan., inter med. et fin.)

Hoc autem narrat Evangelista, ut vilitatem et humilitatem prioris partûs, qui est per sanguinem et voluntatem carnis, addiscentes, et altitudinem secundi, qui per gratiam et nobilitatem est, cognoscentes, magnam quamdam hîc suscipiamus intelligentiam, et dignam dono ipsius qui genuit, et multum post hoc studium demonstremus.

14. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., paulò ante fin.)

Cùm dixisset : *Ex Deo nati sunt,* quasi ne miraremur et horreremus tantam gratiam, ut nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati sunt; quasi securitatem faciens, ait : *Et Verbum caro factum est.* Quid ergò miraris quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum ex hominibus natum.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 10, aliàs 11, in Joan., ante med.)

Vel aliter : Cùm dixisset quoniam ex Deo nati sunt qui susceperunt eum, hujus honoris posuit causam, hoc scilicet Verbum fieri carnem; factus est enim proprius Filius Dei hominis filius, ut filios hominum faceret filios Dei. Cùm autem audieris quoniam *Verbum caro factum est,* ne turberis; neque enim substantiam convertit in carnem; hoc enim verè impium est intelligere; sed manens quod est, servi formam assumpsit. Quia enim sunt qui dicunt quoniam phantasmata [d] quædam fuerint omnia quæ Incarnationis sunt, eorum blasphemiam destruens, hanc dictionem, *Factum est,* posuit, non transmutationem substantiæ, sed carnis veræ assumptionem repræsentare volens. Si verò dixerint quoniam Deus omnipotens est, quarè et in carnem transmutari potuit, dicemus quòd transmutari ab illâ incommutabili naturâ omninò procul est.

AUGUSTINUS,

Lib. 17 de Trinitate (cap. 11, parùm à principio.)

Sicut autem verbum nostrum vox quodammodò corporis fit, assumendo eam in quâ manifestetur sensibus hominum; sic *Verbum Dei caro factum est*, assumendo eam in quâ et ipsum manifestare-

[1] *Psalm.* L, 16. — [2] *Gen.* II, 23.

[a] Vel *gratiæ fideliter cooperari*, etc.

[b] Pro verbis uncis inclusis, hæc habes in editione Montfauconianâ : « Cur non narras nobis, ô beate, eorum supplicium, « qui non receperunt illum? Ecquod, inquiet, majus hoc sup- « plicio fuerit, quandò potestate ipsis datâ ut filii Dei fierent, « ipsi fieri noluere, sed tantâ se nobilitate tanto se honore « suâ sponte privârunt? Verùm non hoc tantùm supplicio af- « ficientur, quòd hoc bonum non acceperint, sed eos etiam « inexstinguibilis ignis excipiet : id quod posteà clariùs ape- « ruit. »

[c] Codices aliquot : *Sanguines*, à secundâ manu.

[d] Id est, *apparentia tantùm, simulatio et fictio,* sive imaginarium quiddam et fictitium, ut Manichæi potissimùm, et ante illos Marcionitæ blasphemabant.

tur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem; ità *Verbum Dei caro* quidem *factum est*, sed absit ut mutaretur in carnem; assumendo quippè illam, non in eam se consumendo, et hoc nostrum *vox* fit, et illud *caro* factum est.

EX GESTIS CONCILII EPHESINI,

(hoc est, ex Concilio ipso Ephesino, Part. 3, in Homiliâ de Natali die Salvatoris, quam Theodotus Ancyranus habuit, et quæ ibi lecta est, ut jàm notatum est suprà.)

Sermo etiam quem proferimus, quo in alterutris locutionibus utimur, sermo est incorporeus, non aspectui subjectus, non tactu tractabilis; sed, cùm sermo induerit litteras et elementa, visibilis fit, aspectu comprehenditur, tactu tractatur; sic et Verbum Dei, quod naturaliter invisibile est, visibile fit; et quod naturà incorporeum est, invenitur esse tractabile.

ALCUINUS,

(et in Glossâ.)

Cùm etiam credamus animam incorpoream corpori conjungi, ut ex his duobus fiat unus homo, faciliùs possumus credere divinam substantiam incorpoream animæ in corpore conjungi in unionem personæ; ità ut Verbum in carnem non sit conversum, nec caro in Verbum, cùm nec corpus in animam, nec anima convertatur in corpus.

THEOPHILACTUS,

(hoc loco.)

Apollinarius autem Laodicensis in hoc verbo hæresim statuit; dicebat enim quòd Christus animam rationalem non habuit, sed tantùm carnem, habens divinitatem pro animâ, quæ corpus dirigit et gubernat.

AUGUSTINUS,

contra Sermonem Arianorum. (Cap. 9.)

Si autem eo moventur quod scriptum est, quòd *Verbum caro factum est*, nec ibi *anima* nominatur, intelligant carnem pro homine positam, à parte totum significante, locutionis modo, sicuti est: *Ad te omnis caro veniet* [1]: item, quòd *ex operibus legis non justificabitur omnis caro* [2]: quod apertiùs alio loco dicitur: *Non justificabitur homo ex operibus legis* [3]. Sic itaque dictum est: *Verbum caro factum est*, ac si diceretur: *Verbum homo factum est.*

THEOPHILACTUS,

(hoc loco.)

Evangelista volens ostendere inenarrabilem Dei condescensum, carnem commemorat, ut illius admiremur misericordiam, quoniam propter nostram salutem, quod omninò remotum et distans est ab ejus naturâ, id assumpsit, scilicet carnem; anima namque habet aliquam propinquitatem ad Deum. Si autem Verbum incarnatum est, et humanam animam non assumpsit, sequeretur quòd adhuc animæ nostræ curatæ non essent [a]; quod enim non assumpsit, non sanctificavit. Et qualis derisio, cùm anima priùs peccaverit, ut carnem assumendo, eam sanctificaverit, id autem quod est principalius, infirmum reliquerit. Subvertitur et ex hoc dicto Nestorius, qui dicebat quòd non Deus Verbum ipse idem factus est homo ex sacro conceptus sanguine Virginis, sed Virgo peperit hominem, qui omnis virtutis dotatus specie, Dei Verbum sibi habeat conjunctum; et ex hoc duos filios asserebat, unum natum de Virgine, scilicet hominem, alterum de Deo, scilicet Dei Filium, homini illi conjunctum secundùm gratiæ habitudinem et amorem. Contra quem Evangelista dixit quòd ipsum Verbum factum est homo, non quòd Verbum inveniens hominem virtuosum, se illi conjunxerit.

CYRILLUS,

ad Nestorium (Epist. 8 in editione latinâ, 4 verò in græcâ, circa med.)

[b] Carnem enim animatam animâ rationali uniens Verbum sibi secundùm subsistentiam, ineffabiliter et inintelligibiliter factus est homo, et appellatus est *filius hominis*, non secundùm voluntatem solam aut beneplacitum, sed neque in assumptione

[1] *Psalm.* LXIV, 3. — [2] *Rom.* III, 20. — [3] *Galat.* II, 16.

[a] Eadem habet Gregorius Theologus in Epist. ad Cledonium.

[b] Pro sequentibus, hæc legis apud S. Cyrillum, edit. Paris. 1638, Tom. 5, Part. 2, Tit. Epist., p. 23, curâ J. Auberti: « Carnem enim animâ ratione præditâ perfectam, non secundùm voluntatem sententiarumque consensionem, neque « rursùm per humanæ personæ assumptionem, sed secundùm « hypostasim inexplicabili incomprehensibilique modo sibi « Verbum univit, et homo factus, et hominis filius appellatus « est. Et quamvis naturæ sint diversæ, verâ tamen unione « coeuntes, unum nobis Christum et Filium effecerunt, non « quòd naturarum differentia propter unionem sublata sit, ve« rùm quòd divinitas et humanitas secretâ quâdam ineffabi« lique conjunctione in unâ personâ unum nobis Jesum Chri« stum et Filium constituerint. » Illa autem legis apud Gallandium, Tom. 8, p. 640: « Carnem enim animatam, animâ vide« licet rationali, uniens sibimet substantialiter vel essentia« liter Dei Verbum, inenarrabiliter atque inscrutabiliter « factus homo, appellatus est filius hominis, non tantùm se« cundùm voluntatem aut bonum placitum, nec sicut in per« sonæ tantummodò susceptione, sed [a] quia diversæ ad veram « unitatem convenêre naturæ; unus autem ex utrâque Chri« stus et Filius, non quasi naturarum diversitate per unitatem « consumptâ, sed magis eisdem naturis perficientibus nobis, « per ineffabilem et secretum ad unitatem concursum, unum « Dominum, et Christum et Filium deitatis et humanitatis. »

[a] Hæc autem ultima verba sic referuntur in Epistolâ Flaviani ad S. Leonem (Ecclesiæ græcæ Monument. Tom. I, à J. B. Cotelerio, ed. Paris. 1677, p. 51): « Quòd diversæ quidem quæ ad unitatem veram convenerunt « naturæ; unus autem ex ambabus Christus et Filius, non quasi naturarum « discrimen sublatum fuerit per unionem, sed potiùs quia nobis per« fecerunt unum Dominum Jesum Christum eædem naturæ, divinitatis « et humanitatis, per ineffabilem ac incomprehensibilem ad unitatem « concursum. »

personæ solius: diversæ quidem quoad unionem collectæ sunt naturæ; unus autem est ex ambabus Christus et Filius, non quasi differentiâ naturarum interemptâ propter adunationem.

THEOPHILACTUS,

(super illud : *Et habitavit in nobis.*)

Addiscimus ergò per hoc quod dicitur : *Verbum caro factum est*, quia jàm Verbum est homo, et Filius Dei existens, factus est filius mulieris, quæ principaliter [a] *Dei genitrix* nuncupatur, tamquàm [b] Deum in carne genuerit.

HILARIUS,

Lib. 10 de Trinitate (n. 21 et 22.)

Quidam autem volentes unigenitum Deum, qui in principio apud Deum erat Deus Verbum, non substantivum Deum esse, sed sermonem vocis [c] emissæ, ut quod loquentibus est verbum suum, hoc sit Patri Deo Filius, argutè subrepere volunt, ne subsistens Verbum Deus, et manens in formâ Dei, Christus homo natus sit; ut, cùm hominem illum humanæ potiùs originis causa, quàm spiritalis conceptionis [d] sacramentum, animaverit, non Deus Verbum hominem se ex partu Virginis efficiens exstiterit; sed, ut in Prophetis spiritus prophetiæ [e], ità in Jesu Verbum Dei fuerit; et arguere nos soleant quòd Christum dicamus esse natum non [f] nostri corporis atque animæ hominem; cùm nos Verbum carnem factum, nostræ similitudinis natum hominem prædicemus, ut verè [g] *Dei Filius* verè *hominis filius* natus sit; et ut per se sibi assumpsit ex Virgine corpus; ità ex se sibi animam assumpsit, quæ utiquè ab homine numquàm gignentium originibus præbetur; et cùm ipse ille filius hominis sit, qui et Filius Dei, quàm ridiculè præter Dei Filium, qui *Verbum caro factum est*, alium nescio quem, tamquàm Prophetam Verbo Dei animatum prædicabimus, cùm Dominus Jesus Christus et Dei Filius et hominis filius sit?

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 10, aliàs 11, in Joan.)

Ne autem ab eo quod dictum est : *Verbum caro factum est*, inconvenienter suspiceris versionem illius incorruptibilis naturæ, subdit : *Et habitavit in nobis*. Quod enim habitat, non idem est cum habitaculo, sed aliud; aliud autem dico secundùm naturam; unitione verò et copulatione unum est Deus Verbum et caro, neque confusione factâ, neque destructione substantiarum.

ALCUINUS.

Vel : Habitavit in nobis, id est, inter homines conversatus est.

Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.

CHRYSOSTOMUS,

(Homiliâ 11, aliàs 12, in Joan.)

Cùm dixisset Evangelista, quòd *filii Dei facti sumus*, et non aliter quàm per hoc quòd *Verbum caro factum est*, [h] rursùs hujus ipsius dicit et aliud lucrum : *Et vidimus gloriam ejus :* quam utiquè non vidissemus, nisi per consortium humanitatis visus esset nobis. Si enim hominum oculi Moysis non sustinuerunt faciem glorificatam videre, sed velamine opus fuit, qualiter divinitatem nudam existentem, inaccessibilem etiam ipsis superioribus Virtutibus, nos lutei et terrestres sufferre possemus?

AUGUSTINUS,

(Tract. 2 in Joan., paulò ante finem.)

Vel aliter : Quia *Verbum caro factum est*, et *habitavit in nobis*, istâ Nativitate collyrium fecit, undè tergerentur oculi cordis nostri, et possemus videre majestatem ejus per ejus humanitatem; et

[a] In editione Lutetiæ Paris. : *Propriè*.

[b] In eâdem editione : *Eo quòd*.

[c] Vat. Bas. Codex : *Sed sonum vocis*. Mox in eodem Ms. *argutè serpere*, pro *argutè subrepere*, ubi in aliis Mss. antiquo scribendi more : *subripere*. Hîc hæretici notantur, qui conantur efficere, ne Verbi Dei subsistentis corporatio credatur. Hunc locum cum Libro de Synod., n. 46, contulisse juverit.

[d] Hoc est, quàm conceptionis, cujus causa sit Spiritus Deus Verbum. Identidem observare est omnem hæreticorum conatum in hoc esse, ut Christum divinitatis expertem esse insinuent; Hilarium autem id omninò laborare, ut quem verum ac perfectum hominem probat, verum etiam Deum esse demonstret ex ipsâ conceptionis suæ ratione.

[e] Huic opinioni locum inter Corinthios patuisse conqueritur Athanasius, Epistolâ ad Epictetum, sub cujus finem paucis eam perstringit. Eamdem in Apollinario Gregorius Nazianzenus, Oratione 51, n. 8, hoc anathematismo damnat : « Si quis divinitatem in eo velut in Prophetis per gratiam operatam « fuisse, non autem secundùm essentiam copulatam fuisse « atque copulari dixerit, à præstantiori afflatu vacuus « sit, *etc.*; » et in Carm. de vitâ suâ : « Dei totius particeps « facta est hominis natura, non ut Propheta vel quispiam « alius divinitùs afflatorum, qui non tàm Dei particeps fuit, « quàm eorum quæ Dei sunt; verùm substantiatus sic tamquàm radiis sol. »

[f] Deest particula negans in editione 1470 et in duobus Mss. Colb. et uno Sorbon. Prorsùs retinenda est. Hujus calumniæ repellendæ gratiâ, tanto studio hîc inculcat Hilarius Christum esse perfectum hominem, naturâ nobis similem, licèt ex singulari illius conceptione maximè velit divinitatem ipsius comprobare : sicut toto hoc Libro in unos Arianos intentus, pari ferè studio contra Sabellium pugnat, ut nullum usitatæ illorum calumniæ locum permittat.

[g] Editi, *ut verus*. Majore quâdam energiâ Mss. *ut verè*, scilicet, *natus sit*, qui *verè Filius Dei est*. Tota illa gradatio sic potest explicatiùs exponi : Ut Dei Filius ex Virgine verus hominis filius verè natus sit, ità autem ex Virgine hominis filius natus sit, ut nonnisi ex Deo homo sit; ac demùm ex Deo, hoc est, cùm Deus esset, ità natus sit homo, ut Deus esse non desierit.

[h] In editione Montfauconianâ : « Aliud hinc emolumentum « provenisse dicit. »

ideò dicitur : *Et vidimus gloriam ejus.* Gloriam ejus nemo posset videre, nisi humilitate carnis sanaretur. Irruerat enim homini quasi pulvis in oculum de terrà : oculus iste sauciatus erat, et terra illuc mittitur ut sanetur : caro te obcæcaverat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat, consentiendo carnalibus affectibus : indè fuerat oculus cordis cæcatus : medicus fecit tibi collyrium [a], quoniam sic venit ut de carne vitia carnis exstingueret ; *Verbum* enim *caro factum est*, ut possis dicere : *Vidimus gloriam ejus.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homilià 11, aliàs 12, in Joan., non multùm remotè à principio.)

Subdit autem : *Quasi Unigeniti à Patre*, quia multi Prophetarum glorificati sunt, putà, Moyses, Elias, Eliseus, et alii multi, quicumque miracula ostenderunt ; sed et Angeli hominibus apparentes, et eam quæ est propriæ naturæ coruscantem lucem manifestantes; sed et Cherubim et Seraphim cum multà glorià visa [b] sunt à Prophetà. Ab omnibus his nos abducens Evangelista, et supra omnem naturam et conservorum nostrorum claritatem erigens mentem, ad ipsum nos bonorum perduxit verticem, quasi diceret : Non ut Prophetæ, aut alterius hominis, vel Angeli, aut Archangeli, aut alicujus superiorum Virtutum est gloria quam vidimus, sed quasi ipsius Dominatoris, ipsius Regis, ipsius naturalis Filii Unigeniti.

GREGORIUS,

(Lib. 18 Moral, cap. 6, vel cap. 4 in antiquis exemplaribus.)

In sacro enim eloquio, *sicut*, et *quasi*, aliquandò non pro similitudine ponitur, sed pro veritate : undè et istud : *Quasi Unigeniti à Patre.*

CHRYSOSTOMUS,

(Homilià 11, aliàs 12, in Joan., inter princip. et finem.)

Ac si diceret : Vidimus gloriam qualem decebat, et conveniens est habere unigenitum et naturalem Filium. Consuetudo enim multorum regem valdè ornatum videntium est, ut, cùm aliis enarrare volentes non possunt universam repræsentare claritatem, hoc inducant : Quid oportet multa dicere? Quasi rex ibat [c]. Sic et Joannes dicit : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Angeli enim apparentes, ut servi et Dominum habentes, omnia agebant; ipse verò ut Dominus, etsi cum humili formà apparens; sed et creaturæ Dominum cognoverunt, stella Magos vocans, Angeli pastores, puer exsultans in utero; sed et Pater testatus est de cœlis, et Paracletus super ipsum adveniens; sed et ipsa rerum natura omni tubà clariùs clamavit, quòd Rex cœlorum advenerat; etenim dæmones fugiebant, infirmitates solvebantur, mortuos dimittebant sepulchra; et animas à malitià ad virtutis verticem agebat. Quid utiquè quis dicat præceptorum philosophiam, cœlestium legum virtutem, Angelicæ urbanitatis bonam ordinationem?

ORIGENES,

Homilià (2 in diversis, paulò à fine illius.)

Ejus autem quod sequitur : *Plenum gratiæ et veritatis*, duplex intellectus est; potest enim de humanitate ac divinitate incarnati Verbi accipi, ità ut plenitudo gratiæ referatur ad humanitatem, secundùm quam Christus caput est Ecclesiæ, et primogenitus creaturæ universæ, quoniam maximum et principale gratiæ exemplum, quà, nullis præcedentibus meritis, homo efficitur Deus, in ipso primordialiter manifestatum est. Potest etiam *plenitudo gratiæ* Christi de Spiritu sancto intelligi, cujus septiformis operatio humanitatem Christi implevit [1]. *Plenitudo* verò *veritatis* ad divinitatem refertur. Si verò *plenitudinem gratiæ et veritatis* de Novo Testamento mavis intelligere, non incongruè pronuntiabis plenitudinem gratiæ Novi Testamenti esse per Christum donatam, et legalium symbolorum veritatem in ipso esse impletam.

THEOPHILACTUS,

(hoc loco.)

Vel : *Plenum gratià*, prout ejus verbum gratiosum erat, dicente David : *Diffusa est gratia in labiis tuis* [2]. *Et veritate*, secundùm quòd Moyses et Prophetæ loquebantur aut operabantur in figurà, Christus autem cum veritate.

[1] *Isai.* XI, 2 et 3. — [2] *Psalm.* XLIV, 3.

[a] Ex græco κολλύριον, quod est medicamentum oculorum.

[b] Vel : *Cherubim et Seraphim visi;* sed hebraicè *Cherubim et Seraphim* neutralia sunt, vel neutralium vice : undè in Missæ Præfatione : *Cœli cœlorumque Virtutes ac beata Seraphim*, etc.

[c] « Perque illud *quasi*, addit editio Montfauconiana, non regi « similem describere volunt, sed ipsum verè regem. »

EJUSDEM EVANGELII EXPOSITIO

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI.

✠ ORIGENIS PRESBYTERI HOMILIA I[a].

MONITUM IN DUAS EJUS HOMILIAS

QUÆ PROXIMÈ SEQUUNTUR.

Nobis in hoc percelebre Evangelii secundùm Joannem exordium diversas Patrum Expositiones edituris, primùm occurrunt sequentes Origenis Homiliæ : quas priusquàm aggrediamur, lectorem de pluribus præmonitum volumus.

Non immeritò Combefisius suspectum habuit Origenem, cujus errores plurimi ab Ecclesià damnati sunt [b], ac jure quidem à *Bibliothecâ concionatoriâ* amandavit ea quæ sibi Origenismum sapere videbantur. « Attamen, *inquit* [c], meliora, nedùm è Commentario in Matthæum et Joannem, sed ex aliis in « Vetus Testamentum, Librisque contra Celsum nobis corrogata. » Si qua autem in eis erronea temerariave opinio irrepserit, eam indigitat sedulò, atque monet in hàc vel illâ lectione aliquid subesse periculi. Nos quoque pari curâ invigilabimus ut integrum fidei depositum custodiamus.

Ac primò nobis erat in animo edisserere quid senserit Origenes de Christo, quatenùs Verbum Dei est, quid de ejus æternitate, æqualitate cum Patre et substantiæ in utroque unitate, quid de Spiritu sancto docuerit; sed ne in prolixiori digressione immoremur, hanc dissertationem reperiet lector suprà in Præfatione, ubi de præcipuis quæ in hoc Tomo continentur argumentis summariam mentionem facimus.

Quandoquidem sequentes Origenis Homiliæ non paucis controversiis ortum dederint, imò reprehensioni ansam aliquandò præbeant, nobis incumbit cura illas, prout opus erit, annotationibus distinguere. Illæ autem annotationes præcipuè duplicis sunt generis. Aliæ manifestos errores quibus laborat Origenes, expressis designabunt verbis, suamque illis notam inurent propriam, ne simul cum veritate speciosus error, tanti viri nomine commendatus, imbibatur. Aliæ verò, in iis quæ sub judice pendent, et liberè atque *salvâ fide catholicâ* disceptari possunt, plures suppeditant rationes, quibus propulsentur criminationes Origeni irrogatæ, atque extricentur ambages, quæ malæ textùs interpretationi locum præbebant. Diximus, *salvâ fide catholicâ;* absit enim ut scienter et volenter tantillum quidquam balbutiamus con-

[a] In Operibus Origenis, Tomo 4 et ultimo (edit. Delarue, Paris. 1759), inscribitur : « Origenis Commentariorum in Joan- « nem Tomus 1. » Tomus in isto casu et similibus, idem est ac Tractatus, Expositio, Homilia.

[b] Vide Concilii œcumenici V, an. 553 (Constantinopolitani II) Canones 15 adversùs Origenem (Mansi, Tom. 9, p. 395-400). In eodem Concilio inter hæreticos ab Ecclesià damnatos refertur Origenes, ut videre est Collatione V (Mansi, Tomo eodem, p. 272). Quod repetitum fuit 1° in Concilio œcumenico VI, an. 680 (Constantinopolitano III), ut videre est Actione XVIII (Mansi, Tom. 11, p. 632); in S. Sophronii Jerosolymitani Synodicis in eodem Concilio, Act. XI (loco citato, p. 500) : 2° in Concilio œcumenico VII, an. 787 (Nicæno II, in Definitione fidei), ut etiam videre est Act. VII (Mansi, Tom. 13, p. 377) : 3° tandem in Concilio œcumenico VIII, an. 869 (Constantinopolitano IV).

[c] In Opusculo cui titulus : « Recensiti Auctores ex quibus composita est Bibliotheca Patrum concionatoria. »

tra ea quæ Roma locuta est, et de quibus causa finita est! *Oblivioni detur dextera nostra*[1], si quam sententiam, si quam vocem ab orthodoxâ doctrinâ dissonam in hoc Opere interseruerimus.

Has autem annotationes longas quidem, sed eruditione insignes exprompsimus partim ex HUETIO in ejus Origenianis, partim è D. MARANO, in Opere cui titulus : « Divinitas Domini Jesu Christi manifesta in Scripturis et Traditione : » partim deniquè è GEORGIO BULLO in Defensione fidei Nicenæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ :quæ omnia collecta videre est in Tomo quarto et ultimo editionis Delarue quam sequimur.

NUM. I. Multiplex vocis *principii* significatio : 1° Principium *transitûs*. — 2. 2° Principium *generationis*. — 3. 3° Principium *ex quo aliquid fit*. — 4. 4° Principium *secundùm exemplar*. — 5. 5° Principium *disciplinæ*. — 6. 6° Principium *de actione*. — 7. De quo horum principiorum oportet intelligere illud : *In principio erat Verbum?* — 8. Quisnam est hic Λόγος, id est, Verbum, seu Ratio, quæ in ipso principio esse dicitur? — 9. Verbum *lux* est hominum, lux est *vera*, lux est deniquè *Gentium*. — 10. Cur appellatur *resurrectio?* — 11. Quomodò Christus *via* dicitur? — 12. Quomodò Unigenitus *veritas* est? — 13. Principium vitæ in primogenito omnis creaturæ existit. — 14. Salvator *ostium* et *pastor*. — 15. In quo inter se differunt vocabulum *Christi*, et vocabulum *regis?* — 16. Quomodò Dominus noster *magister* est? — 17. Per quid Filii nobilitas præsertim declaratur? — 18. Quomodò Filius est *vitis vera?* — 19. Quonam pacto Christus *primus et ultimus* in Apocalypsi inscriptus est? — 20. Quomodò dicitur *vivens in sæcula sæculorum?* — 21. *Gladius acutus* est os Filii Dei, et *sagitta electa*. — 22. Quonam pacto Jesus, cùm Filius Dei esset, *formam servi assumpsit*, et factus est *Agnus Dei*. — 23. Christus *advocatus*, et *propitiatio*, et *propitiator*. — 24. Jesus *Dei sapientia* et *potentia*. — 25. Christus *bonus* est. — 26. *Virga* vocatur. — 27. *Ratio* dicitur.

1. *Aliàs*, 16. *In principio erat Verbum*. Hanc vocem *principii*, multa significare, non tantùm Gentiles fatentur. Sed etiam si quis observare atque intelligere voluerit, undiquè colligens hoc nomen, et accuratè exquirens quâ de re in singulis Scripturarum locis positum sit, inveniet multiplicem vocis hujus significationem in divinis Sermonibus esse. Est namque *principium aliud transitûs*, quod ad viam pertinet et longitudinem, ut hæc verba declarant : *Viæ bonæ principium est facere justa*[2]. Cùm enim bona via sit longissima, ad eam in primis [pertinere eam Philosophiæ partem censendum est, quæ in rerum] actione versatur : quod ostenditur ex illis verbis, *Facere justa;* cùm quod reliquum est viæ, id totum ad eam vim spectet, quæ sita est in rerum contemplatione, in quam etiam ipsius finem desiturum opinor, simul atque advenerit restitutio quam vocant, eo quòd tùm temporis ne unus quidem relinquendus sit inimicus, siquidem verum est illud : *Oportet enim eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos, et novissimus hostis aboleatur mors*[3]. Tùm enim cognoscendi Deum una erit actio eorum qui ad Deum pervenerint, duce eo Verbo quod est apud Deum, ut sic sint in cognitione Patris formati omnes accuratè filius, ut nunc solus Filius novit Patrem. Nam si diligenter quis examinet quandò Patrem agnoscent hi, quibus revelat qui Patrem novit, et consideret videntem nunc per speculum et in ænigmate, videre nondùm cognoscentem, quemadmodùm opus est nôsse, haud aberrabit, si dixerit neminem novisse Patrem, etiamsi Apostolus, etiamsi Propheta quis fuerit, sed tùm [Patrem ab his cognoscendum esse], cùm unum erunt, sicut Filius et Pater unum sunt. Quòd si quis putet nos à re digressos fuisse, quia hæc disseruimus, unam principii significationem explanantes, sciat hic hanc digressionem ad rem de quâ agitur, et utilem et necessariam fuisse. Nam si principium, ut transitûs, est et viæ et longitudinis, principiumque viæ bonæ est facere justa, sciendum est quomodò omnis via bona principium habeat facere justa, post principium verò contemplationem, et quomodò contemplationem.

2. *Aliàs*, 17. Rursùm est etiam *principium aliud generationis*, quod videri potest in hoc dicto : *In principio fecit Deus cœlum et terram*[4]. Sed apertiùs in Job significatum hoc enuntiari arbitror, his verbis : *Hoc est principium figmenti Domini, factum ut illudatur ab Angelis suis*[5]. Posset enim quispiam existimare cœlum et terram principio facta fuisse ante omnia quæ sunt in mundi generatione. Sed melius est ut, sententiæ Job habitâ ratione, cùm multa sint quæ in corporibus facta fuere, primus eorum quæ sunt in corpore[a] factus sit ille qui appellatur *Draco*[6], nominatus etiam ali

[1] *Psalm*. CXXXVI, 5. — [2] *Prov*. XVI, 5. — [3] I *Cor*. XV, 25 et 26. — [4] *Genes*. I, 1. — [5] *Job*, XL, 14. — [6] *Id*. III, 8.

[a] Alia proponit Origenes, Homiliâ 1 in Genesin, n. 2 ; « Cùm enim ea quæ facturus erat Deus, ex spiritu constarent « et corpore, istâ de causâ in principio et ante omnia cœlum « dicitur factum, id est, omnis spiritualis substantia, super « quam velut in throno quodam et sede Deus requiescit ; is« tud autem cœlum, id est, firmamentum corporeum est. » Ubi cùm spiritalem substantiam opponat corporeæ, sequitur esse incorpoream. Cæterùm infrà dicit : « Sciendum est neces« sariò cùm Sancti vitam omnis materiæ corporisque expertem « in beatitudine traducerent, *etc*. » Profectò non poterat Origenes evidentiùs Angelis corpus et materiam detrahere. Quid ergò? Arbitratus estne Origenes corporatos esse, vel corpora carere, non solùm Angelos, sed etiam rationis participes na-

cubi *magnum cete, quod vicit Dominus* [1]; sciendumque est necessariò cùm Sancti vitam omnis materiæ corporisque expertem in beatitudine traducerent, nùm is qui Draco appellatur, posteaquàm à

[1] *Isai.*, XXVII, 1.

turas omnes, sive dæmones, sive humanas animas, sive alias quascumque (nam et alias plerasque rationis compotes esse sensit); quoniam ejusdem eas omnes esse inter se naturæ, et eodem tempore à Deo conditas; tùmque fuisse Νοῦς, hoc est, Mentes; deindè verò propter varios illarum motus, ac diversum liberi arbitrii usum, in varios ordines, sive Angelorum, sive hominum, sive dæmonum distributas, constanti et iteratâ Origenes assertione prodidit? Ex HUETIO, Lib. 2 Origenianorum, Quæst. 5, num. 2-4.

Ex omnibus testimoniis in Operibus Origenis collectis non sequitur illum naturam animæ et aliorum spirituum *in corpore quamlumvis subtili* posuisse. Id solùm conficitur ipsum, juxtà ac Platonicos, putâsse animas, aliasque substantias rationabiles, naturâ suâ incorporeas et invisibiles, corporibus tamen quasi indumento et vehiculo circumvolvi, neque iis umquàm omninò nudari, utpotè quæ nudæ comprehendi non possint, nec in ullo corporeo loco consistere, quin indigeant corpore ad naturam loci illius accommodato; sed præter crassum hoc corpus, quo in hâc vitâ induuntur animæ, certo quodam eas connexas esse aerio corpore, quod eas ubique sequitur, quod servant etiam deposito crassiori, quod deniquè vocatur à Porphyrio et Plotino *spiritale et interius animæ indumentum.* Imò præter duplex hocce corpus, Philoponus tertium agnoscit subtilius et purius, quod vocat σῶμα οὐράνιον, αἰθέριον, et αὐγοειδές, quodque animabus tribuit quæ ab affectibus corporeis liberæ sunt. Proclus et Hierocles illud vocant τὸ πνευματικὸν ὄχημα τῆς λογικῆς ψυχῆς, *spiritale vehiculum rationabilis animæ.* At valdè peregrinum in Platonicorum scriptis eum esse oportet, qui in hocce duplici interiori vel alterutro vehiculo eos putaverit animæ naturam posuisse. Apertè sententiam suam de animarum naturâ exprimit Origenes, Lib. 7 contra Celsum, num. 32 : « Quoniam, *inquit*, « resurrectionis dogma ideò Celsus irridet, quia non intelli« git, nec audivit nisi ab imperitis, qui nullo illud argumento « adstruere poterant, utile fuerit, præter ea quæ hâc de re « suprà dicta sunt, hoc unum observare, quæ de resurre« ctione tradimus, ea non proficisci, ut Celsus putat, ex malè « intellectâ animarum è corporibus in corpora migratione; « sed quia scimus animam, naturâ incorpoream et invisibi« lem, in nullo corporeo consistere loco, quin indigeat cor« pore ad naturam illius loci accommodato : quod corpus « modò quidem gestat, exuto priori quod anteà necessarium, « posteà inutile fit; modò autem super illud quod priùs ha« bebat, induitur meliore quo indiget ut ad puriores, æthe« reos, cœlestesque locos perveniat. Sic in hâc vitâ nascens, « membranam exuit quâ eam in vulvâ matris obvolvi utile « erat, quamdiù in eâ fuit; sed antequàm illam exuat, cor« pus induit quod erat in terrâ victuro necessarium, *etc.* » His præmissis, facilè discordantes Origenis loci conciliantur. Quandò igitur incorporeos Angelos et animas dicit, non ad imperitorum captum sese accommodat, sed naturâ suâ incorporeos existimat; et quandò corporeos eos dicit, non eos ità esse naturâ suâ putat, ac proindè non vult spiritus nihil aliud esse quàm summæ exiguitatis corpora, sed vult eos subtili et aerio corpore, quod vocat *spiritale*, quasi indumento et vehiculo exteriùs circumvolvi. DELARUE, Lib. 2 Origenianorum, loco suprà citato.

Cæterùm corporeos esse Angelos Patribus antiquis, ipsique adeò toti ferè antiquitati persuasum fuit. Videnda omninò Actio 5 secundi Nicæni Concilii, ubi hanc esse Ecclesiæ Catholicæ sententiam ex Basilio, Athanasio, Methodio, aliisque; contrariam autem Gentilium, docet Joannes Thessalonicensis. Videndus quoque Tertullianus, Libro de Carne Christi, cap. 6 : « Constat Angelos carnem non propriam gestâsse, ut« potè naturas substantiæ spiritalis; et si corporis alicujus, « sui tamen generis. » Athanasius, sive quisquis est Auctor Libri de Communi essentiâ, definit Angelum, ζῶον λογικὸν, ἄϋλον, *etc.*, quæ videntur sibi repugnare; nam si animal, ergò corporeum; si corporeum, ergò non expers materiæ. Attamen non repugnant; nam ἄϋλον et ἀσώματον differunt. Quintum elementum, seu ætherem ἄϋλον esse dicebant Peripatetici; Deum autem ἀσώματον, atque item animam. Angelus ergò, juxta Athanasium, ejusdem fuerit substantiæ ac æther, corpore, non materiâ constans; atque item juxta Cæsarium, qui Dialogo 1, Interrogatione 48, Angelos quidem ἀΰλους esse dicit, sed non ἀσωμάτους. Corporeum ergò magis accedit ad spiritale, quàm materiale, contra opinionem eruditissimi cujusdam Theologi. Augustinus, Epistolâ 115 ad Nebr., in Libro 2 de Ordine, et Libro 3 de Genesi ad Litteram, cap. 10, aereos et æthereos animantes Angelos et dæmones esse dicit, quamquàm idem, Libro 21 de Civitate Dei, cap. 10, unicuique suum de eâ re judicium permittit. Gregorius Papa, Homiliâ 10 in Evangelia, Angelum qui nascente Christo pastoribus apparuit, *animal rationale* appellat. Legendus idem Libro 2 Moralium, cap. 2, et Comment. in I Reg. Apuleius, Libro de dæmone Socratis decernit « dæmo« nes esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, « corpore aerea, tempore æterna; » et novissimè Cajetanus in cap. 4 Genesis et in cap. 2 Epistolæ ad Ephesios, ubi dæmones corpore constare definivit. His omnibus addi possunt Justinus in Dialogo cum Tryphone; Clemens Alexandrinus, Pædagogi Lib. 1, c. 6; Macarius, Homiliâ 4; Methodius apud Photium, Cod. 234; Cyrillus Alexandrinus, Lib. 9 in Joannem; Gennadius, Lib. de Dogmat. Eccles., c. 11 et 12; Bernardus, Lib. 5 de Consideratione ad Eugenium, et alii complures.

Nunc verò etsi expressè ab Ecclesiâ definitum non est utrùm Angeli corporibus implicati sint, commune tamen hoc est ac receptum, et Theologorum omnium consensu approbatum dogma, quod omni illos corpore spoliat, ut contrarium quisquis hodiè affirmaverit, pro temerario et præfidenti habendus sit, postquàm in id decretum consentit Lateranense Concilium, cap. 1 : « Creator omnium invisibilium et visibi« lium, spiritualium et corporalium, qui suâ omnipotenti vir« tute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit « creaturam, spiritualem ac corporalem, Angelicam videlicet « et mundanam, ac deindè humanam, quasi corpore et spi« ritu constitutam. » Quo decreto Origenistas peti S. Thomas existimabat.

His positis, quandò creati sunt Angeli, hæque omnes naturæ rationis participes, de quibus suprà? Illud nescire se profitetur Origenes in Proœmio Librorum de Principiis, numero 10 : « Est etiam illud, *inquit*, in Ecclesiasticâ præ« dicatione esse Angelos Dei quosdam et Virtutes bonas, « qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam; « sed quandò isti creati sint, non satis id manifestò designa« tur. »

Quæ cùm ità sint, conjecturis dumtaxat utendum est. Probabile mihi quidem fit naturas hujusmodi ab æterno creatas à Deo Origenem existimâsse, quemadmodùm numquàm non sine luce sibi coævâ, licèt à se productâ, sol fuit. Persuasum quippe fuit illi mundum idcircò à Deo conditum, ut naturæ illæ rationales in eum pro meritis demitterentur. Atqui sine mundo Deum numquàm fuisse idem opinabatur; ait enim Lib. 3 de Principiis, c. 5, n. 3 : « Si cœpit mundus ex tem« pore, quid ante faciebat Deus, quàm mundus inciperet? « Otiosam enim et immobilem dicere naturam Dei, impium « est simul et absurdum, vel putare quòd bonitas aliquandò

vitâ purâ excidit, dignus fuit qui ante omnia in materiâ et corpore ligaretur : ut propter hoc respondens Dominus per turbinem et nubes, dicat : *Hoc est principium figmenti Domini, factum ut illu-*

« benè non fecerit, vel omnipotentia aliquandò non egerit « potentatum. » Igitur ne rationales quidem naturæ ex tempore esse cœperunt. Undè necessariò sequitur eas ab omni ævo conditas à Deo fuisse : tùm variis modis voluntatis libertate usas, has rectè, malè illas egisse, statimque sceleribus earum expiandis mundum fuisse fabrefactum in quem detruderentur, adeò ut hæc, re licèt diversâ, simul tamen contigerint. Quod ut Adamantium ità sensisse putem, facit Platonicorum recentiorum auctoritas, quorum consimilis erat propemodùm iisdem de rebus sententia, ut est apud Augustinum, Lib. 10 de Civitate Dei, c. 31. Facit et iste Hieronymi locus ad cap. 1 Epistolæ ad Titum : « Sex millia necdùm nostri or- « bis implentur anni ; et quantas priùs æternitates, quanta « tempora ; quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum « est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræque « Virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus atque « mensuris Deo jubente substiterint ? » Hæc Origenismum sapiunt, qualia multa Commentariis suis Hieronymus asperserat. Facilis nunc est Leontii Byzantii intellectus, cùm ait Scholior. Act. 10 : « Atque ità interim, *inquit*, de præexistentiâ « (Origenes) sentiebat, ante sæcula Mentes fuisse puras om- « nes, et dæmones, et animas, et Angelos ministrantes Deo, « ejusque mandata exsequentes. Diabolum autem, cùm unus « esset, quoniam arbitrii libertate pollebat, Deo resistere vo- « luisse, eumque à Deo fuisse expulsum ; unàque cum ipso « descivisse omnes alias Virtutes, et quæ plùs peccâssent, « dæmones evasisse ; quæ minùs, Angelos ; quæ minùs « etiam, Archangelos ; et ità consequenter unumquemque « pro suo peccato recepisse præmium : reliquas autem fuisse « animas, quæ non tantùm peccaverant, ut dæmones fierent ; « neque rursùm ità leviter, ut Angeli evaderent : mundum « itaque hunc condidisse, animamque supplicii causâ corpori « colligâsse. » Creationem inter et peccatum, et pœnam, momentum ferè unicum intercessisse intellige, atque hæc ab æterno contigisse. Ad Origenis sententiam accedit Auctor Commentarii in Job, quem vertit Perionius ; ait enim : « In diabolo autem « principium formationis intelligendum est, non quòd omnium « quæ ratione et animo intelliguntur, primus sit effectus ; sed « quòd sine tempore, quemadmodùm locus ille declarat. » Ex HUETIO, Origenian. Lib. 2, Quæst. 5, num. 8, 1 et 2.

Reipsa autem asseritne Origenes mundum fuisse à Deo conditum propter rationales naturas ? Nemo id non videt. Cùm enim animas, quocumque statu collocatæ sint, arbitrii sui libertate ad peccandum vel rectè agendum uti voluerit, et pro peccatis hanc iis irrogatum iri pœnam, ut in graviora ac crassiora corpora amandentur, eam ob rem dicere debuit gravia illa corpora formari à Deo, quemadmodùm ergastula ad retinendos reos construuntur. Copiosa ad id probandum Origenis habetur dissertatio Libro 2 de Principiis, c. 1. n. 1, et c. 9, n. 2 et n. 6. Itaque hoc etiam nomine Patrum convicia sensit Origenes : « Quis Propheta, inquit Theophilus, Epist. « Paschali 1, sentire docuit (Origenem), propter ruinam et « lapsus de cœlis animarum, Deum esse compulsum corpora « fabricare ? Quis, juxta beatum Lucam, eorum qui viderunt, « et ministri fuerunt Sermonis Dei, huic tradidit ad docendum, « negligentiâ et motu, et fluxu de altioribus rationabilium crea- « turarum, provocatum Deum mundi hujus condere diversita- « tem ? » Et postmodùm : « Dicit enim propter peccata intelli- « gibilium creaturarum mundum esse cœpisse. » Augustinus, Libro 11 de Civitate Dei, c. 23, sic Origenem adoritur : « Ani- « mas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas à Deo, pec- « câsse à Conditore recedendo ; et diversibus progressibus, pro « diversitate peccatorum, à cœlis usquè ad terras diversa cor- « pora quasi vincula meruisse ; et hunc esse mundum, eam- « que causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur « bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpa- « tur ; in Libris enim quos appellat de Principiis, hoc sensit, « hoc scripsit. » Atque hæc validè postmodùm oppugnat. Oppugnat etiam cùm alibi, tùm maximè Libro contra Priscillianistas et Origenistas, cap. 8, cùm scripsisset ad eum Orosius in Commonitorio, id esse Origenistis quibusdam persuasum « mundum novissimè ideò esse factum, ut in eo animæ « purgarentur, quæ antè peccaverunt. » Isidorus, Libro 8 Originum, c. 5 : « Origeniani, *inquit*, animas in mundi princi- « pio dicunt peccâsse, et pro diversitate peccatorum de cœlis « usquè ad terras lapsas, diversa corpora quasi vincula me- « ruisse, eâque causâ mundum factum fuisse. » Quæ ferè αὐτολεξεί repetit Honorius Augustodunensis in Lib. de Hæresibus. Deniquè S. Thomas adversùs eamdem opinionem, Libro 2 contra Gentiles, c. 44, acerrimè decertat.

Deindè Libro 3 de Principiis, cap. 5, postquàm mundum cœpisse, et interiturum esse ostendit (Origenes), objici adversùs hanc assertionem solere scribit num. 3 : « Si cœpit mun- « dus ex tempore, quid ante faciebat Deus, quàm mundus « inciperet ? Otiosam enim, *etc.*, ut suprà. » Atque id demùm præclarè solvere se putat hâc responsione : « Nos verò « consequenter respondebimus observantes regulam pietatis, « et dicentes, quoniam non tunc primùm, cùm visibilem is- « tum mundum fecit Deus, cœpit operari ; sed sicut post cor- « ruptionem hujus, erit alius mundus ; ità et antequàm hic « esset, fuisse alios credimus. » Mundos autem istos non plures simul esse, sed perpetuâ serie sibi successores fore censet. Dignum istud est animadversione quod ait Origenes, Homiliâ 4 in Isaiam, n. 1 : « Quæ ante mundum fuerint, ignora- « mus : fuerunt porrò quædam ante mundum. Quæ post « mundum secutura sunt, ad certum non apprehendimus : « erunt autem alia post mundum. » Ne quis verò Dei Filium hîc intelligat, qui ante sæcula à Patre genitus est, vel Spiritum sanctum, qui numquàm non ab utroque processit, aquas illas super quas ferebatur Spiritus Dei, et tenebras quæ erant super faciem abyssi, creatas quidem, sed tamen mundo antiquiores intelligere se declarat. Et demùm : « Ea, *inquit*, quæ « post extremum sæculum futura sunt in sæcula sæculorum, « quis potest exponere ? Garrulorum est hominum, horum « notitiam polliceri. »

Quod autem materiam Deo coætèrnam impugnans disserit in Comment. in Genes. I, 12, et Libr. 2 de Principiis, c. 1, n. 4, sic accipiendum est : repudiare eum quidem materiam illam ἀγένητον, *ortu et principio carentem*, qualem invexerant Philosophi quidam, et Marcionistæ defendebant, Deo coævam, et alterum rerum principium ; at nihilo seciùs materiam aliam admittere, non ortûs quidem et principii expertem, *sed ante sæcula ità à Deo procreatam*, *ut lumen à sole proficiscitur*. In eo ergò ab Hæreticis illis dissentiebat, quòd duo hi rerum principia ponerent, Deum, et materiam, utrumque utrique coæternum, neutrum ab altero pendens : ille Deum unicum rerum universarum statueret principium, qui materiam ex se numquàm non produxerat. Mundos autem ex materiâ illâ deinceps conflari fingebat. Ità discrepabat à Marcionistis, quamvis ipsorum argumentis uteretur. Hermogenem enim hæreticum eodem modo ratiocinatum esse refert Tertullianus, Libro peculiari ipsum oppugnans ; Deum enim aiebat semper fuisse Dominum ; Dominum autem ab omni retrò ævo esse non potuisse, nisi semper fuisset aliquid, cujus esset Dominus ; proindèque materiæ semper Dominum fuisse : undè efficitur numquàm non fuisse materiam. Hanc ratiocinationem à veteribus Philosophis sumpserant Marcionistæ, eamque in Proclo obterit Philoponus, Libro de Æternitate mundi. At quamvis mundum ex materiâ quidem æternâ, à Deo tamen conditum dixerit post Socratem Plato ; et in tempore

datur ab Angelis suis; fieri enim potest ut Draco non sit omninò principium figmenti Domini, sed ut multorum quæ facta sint in corpore, ut illuderentur ab Angelis, sit hic Draco principium, cùm possint

quoque creatum affirmaverit, ut tradunt Ambrosius et Zacharias Mitylenæus; atque ità dixisse eum Aristoteles et Theophrastus censuerint; Platonici tamen recentiores, ut magistrum suum cum Aristotele conciliarent, factum quidem mundum dixisse Platonem fatebantur, at ab æterno; adeò ut principio temporis careret, sed principium causæ, Deum nempè, haberet; « nec esset hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium, » ut ait Augustinus, Libro 10 de Civitate Dei, cap. 31, qui et hoc comparatione quâdam explicari à Platonicis ità scribit : « Sicut enim, *inquiunt*, si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium ; quod tamen vestigium à calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset ; sic, *inquiunt*, et mundus, atque in illo dii creati, et semper fuerunt, semper existente qui fecit, et tamen facti sunt. » Atque hanc fuisse Platonis mentem pertendunt Boetius; Simplicius item, Taurus, Porphyrius, et Proclus ; Censorinus, Apuleius, et Macrobius. Vigente hâc itaque Origenis temporibus, et vulgò inter Platonicos receptâ sententiâ, in eam quoque ille concessit.

In alterum porrò de perpetuâ mundorum propagatione placitum undè inductus sit, si quis quærere velit, nihil occurrit verisimilius quàm id ab eo esse confictum ad illud Stoicorum, quod conflagraturum mundum hunc statuit, aliumque huic omni ex parte consimilem, vel parùm certè discrepantem proditurum ; adeò ut non hujus solùm figuram penitùs referat, sed eosdem etiam casus, eadem omnia ; alteroque hoc etiam combusto, alium oriturum posteà, ac deindè alium, renascentibus semper ac conflagrantibus mundis. Platonici verò, et Pythagorei, ab Ægyptiis instructi, mundum quidem incorruptibilem autumabant, sed sideribus post longos anfractus ad eamdem stationem reversis, rursùm eventura eadem, eosdemque nascituros homines, et in pristinam formam reditura omnia, quam simili vigente astrorum positione tenuerunt. Quamvis autem ejusmodi delirationes, Libro 5 contra Celsum, num. 20, 21 et seq., exploserit Origenes, pro eo ac debuit, nihilominùs tamen ex his recoctis suum illud procudisse dogma censuerim.

Minimè illud quidem silentio pressum Patres Origeni condonârunt ; nam et refellitur à Methodio apud Photium, Cod. 235, et ab Hieronymo, Epist. 59 ad Avitum, cap. 2, his verbis : « In secundo autem Libro (de Principiis) mundos asserit innumerabiles, non juxta Epicurum uno tempore plurimos et suî similes, sed post alterius mundi finem alterius esse principium : et ante hunc nostrum mundum, alium fuisse mundum : et post hunc alium esse futurum, et post illum alium, rursùmque cæteros post cæteros. Et dubitat utrùm futurus sit mundus alteri mundo ità ex omni parte consimilis, ut nullo inter se distare videantur ; an certè numquàm mundus alteri mundo ex toto indiscretus, et similis sit futurus. » Mox adduxit verba Origenis[a] : « Et idcircò arbitror pro varietate causarum diversos mundos fieri ; et elidi errores eorum qui similes suî mundos esse contendunt. » Tradita fuisse hæc eadem ab Origene, Lib. 1 et 3 de Principiis, refert Hieronymus cap. 1 et 3 ejusdem Epistolæ ; quamobrem et hunc hinc in crimen vocat Apolog. Libr. 1, cap. 5, et Libr. 2, cap. 3. Justinianus quoque in Epistolâ ad Menam ità scribit : « Statuit autem et diversos constitisse mundos et constare, partim præteritos, partim futuros. »

Notanda verò accuratè quæ præcedunt : « Illud verò omni impietate plenum ipse fabulatur, dicens omnia genera et species esse Deo coæternas. » Ipsa etiam verba adducit Justinianus ad calcem Epistolæ è Libro 1 de Principiis. Parem suo tempore propugnâsse doctrinam Origenistas quosdam significare videtur Orosius in Commonitorio ad Augustinum : « Primùm omnia antequàm facta apparerent, semper in Dei sapientiâ facta mansisse dicentes hoc verbo : Deus enim quæcumque fecit, faciendo non cœpit. » Quæ multis refutat Augustinus in Libro contra Priscillianistas et Origenistas, cap. 8. Pulsat eâdem de causâ Origenem Nicephorus, non genera et species, sed κτίσματα Deo coæterna statuisse ipsum prædicans ; perperàm scilicet, ut videtur, acceptâ Origenis sententiâ, apertè tamen expositâ, Libro 1 de Principiis, apud Justinianum in fine Epistolæ ad Menam : « Genera, *inquit*, omnia et species semper erant : non ità de singularibus differentibus numero dixerit quispiam. » Hanc in sententiam Origenem magistri sui Platonis ideæ perpulerunt. Itaque genera et species Deo esse coæterna eatenùs dixerit, quatenùs Deus ab omni retrò ævo ea in mente habuit.

Verumtamen quantumvis hæc disertè videatur affirmâsse Origenes, id tamen præmisit in Proœmio Librorum de Principiis, num. 7 : « Est præterea et illud in Ecclesiasticâ prædicatione, quòd mundus iste factus sit, et à certo tempore cœperit, et pro ipsâ sui corruptione solvendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, jàm non pro manifesto multis innotuit ; non enim evidens de his in Ecclesiasticâ prædicatione sermo profertur. » Quarum rerum obscuritatem significari ait Homiliâ 4 in Isaiam, num. 1, per alas illas quatuor Seraphinorum duorum, quæ Dei faciem ac pedes velabant. Undè existimari potest, quæcumque super hoc argumento conscripsit, velut meras conjecturas proposuisse, non tamquàm dogmata asseverâsse.

Prætermittere verò minimè decet illud Hieronymi è Libro 1 in Epistolam ad Titum, non longè ab initio : « Sex millia necdùm nostri orbis implentur anni ; et quantas priùs æternitates, quanta tempora quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræque Virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterint ? » Materiam autem à Deo ante mundum creatam posuerunt Philo, Tatianus, Lactantius, et alii, ex quâ mundum posteà fabricaverit. Ex EODEM, Lib. 2 Origenian., Quæst. 12, num. 2-6.

Quid autem de origine animarum ? De animæ origine ac sorte nihil adhuc fuerat ab Ecclesiâ decretum temporibus Origenis. « De animâ verò, ait in Proœmio Libr. de Principiis, num. 5, utrùm ex seminis traduce ducatur, ità ut ratio ipsius, vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur ; an verò aliud habeat initium ; et hoc ipsum initium si genitum est, aut non genitum ; vel certè si intrinsecùs corpori inditur, necne, non satis manifestâ prædicatione distinguitur : » qui locus profertur in supposititio Dialogo sub Hieronymi et Augustini nomine, qui habetur inter spuria Hieronymi ; et in Opere de Deitate et Incarnatione Verbi ad Januarium, qui Tomo Augustini quarto subnectitur, Libr. 1, cap. 2, et profertur utrobique ipsis Rufini verbis. Idem in Epistolâ ad Romanos, Lib. 2, num. 4, p. 479 : « Si etiam extra corpus positi vel Sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, et laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant ; vel rursùm peccatores etiam ipsi extra corpus positi agunt aliquid secundùm propositum mentis suæ, ad Angelorum nihilominùs similitudinem sinistrorum, cum quibus et in æternum ignem mittendi dicuntur à Christo : habeatur et hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria. » Quin et Libr. 2 in Canticum Canticorum, p. 58, animam unamquamque in suâ ipsius cognitione comparandâ

[a] Hæc exstant Lib. 1 de Principiis, cap. 1, num. 3.

aliqui existere in corpore; haud ità tamen. ª Etenim anima solis in corpore est, atque etiam universâ creaturâ, de quâ Apostolus dicit : *Tota creatura suspirat, et condolet usquè in præsens* [1];

[1] *Rom.* VIII, 22.

eniti debere sanciens, varias super eâ ac contrarias enumerat opiniones, quas discutere ac ventilare animam jubet, et in verisimilioribus acquiescere. Sic autem eas animæ expendendas dedit, ut in utramque partem de illis disputare, et rationi magis consentaneas eligere hoc tempore licuisse videatur. Hinc Lib. 2 de Principiis, cap. 8, postquàm multis disseruit de animâ, subjicit illud tandem, num. 4 : « Verumtamen quod diximus, « mentem in animam verti, vel si quæ alia in hoc videntur « aspicere, discutiat apud se qui legit diligentiùs, et pertra« ctet : à nobis tamen non putentur velut dogmata esse prolata, « sed tractandi more ac requirendi esse discussa. » Et paulò pòst, num. 5 : « Hæc prout potuimus de rationabili animâ dis« cutienda magis à legentibus, quàm statuta ac definita pro« tulimus. » Atque hæc est summa defensionis Pamphili. Quam ut validiùs confirmet, aliis ferè de rebus tractâsse Originem dicit; de animâ, utpotè incertæ originis, et parùm compertæ naturæ, nihil scripsisse. Tùm ex Libro in Epistolam ad Titum, illustrem adducit Origenis locum, quo exemplum eorum afferens quæ Apostolicis traditionibus nequaquàm determinata, absque hæreseos notâ poterant vel respui, vel admitti, quæstionem proponit de animâ : « Cùm de eâ, *inquit*, neque « quòd ex seminis traduce ducatur, neque quòd honorabilior « et antiquior corporum compage sit, tradiderit Ecclesiastica « regula ; » quorum alterutri qui fuissent assensi, velut novis studentes rebus in suspicionem venisse dicit; at eos temeritatis damnat, qui hâc quemquam de causâ suspectum haberent. Addit deindè haudquaquàm damnandum esse Origenem, cùm ea servaverit quæ tunc super eâ quæstione servanda præceperat Ecclesia, animas nimirùm ejusdem esse substantiæ, immortales, rationis participes, libero præditas arbitrio, à Deo conditas. Subjungit deniquè : « Quandò autem « factæ sint, olim simul, an nunc per singulos nascentium, « quid periculi est alterutrum è duobus opinari ? » Quid quòd Origenes, Tomo, seu Homiliâ 2 in Joan., num. 24, animarum προϋπαρξιν universali opinione approbatam dicit ? « Quòd si « prævaluerit, *inquit*, universalis de animâ opinio, tamquàm « quæ cum corpore pariter non seminetur, sed ante ipsum « existat, ob variasque causas carnem et sanguinem in« duat, *etc.* »

Nec Origenis modò temporibus, sed recentioribus etiam incerta fuit in Ecclesiâ animæ origo et natura. Ætate quidem suâ diversa sensisse de animâ Ecclesiasticos omnes scribit Pamphilus in Apologiâ. Hieronymus, Epistolâ 82, quæstionem sibi super animæ statu à Marcellino et Anapsychiâ propositam recitat, ex quâ intelligas quantis tenebris fuerit tunc temporis circumsessa quæstio de animâ : « Super animæ statu, *inquit*, « memini vestræ quæstiunculæ, imò maximè Ecclesiasticæ « quæstionis; utrùm lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras philoso« phus, omnesque Platonici, et Origenes putant ; an à propriâ « Dei substantiâ, ut Stoici, Manichæus, et Hispaniæ Priscilliani « hæreses suspicantur; an in thesauro habeantur Dei olim « conditæ, ut quidam Ecclesiastici stultâ persuasione confi« dunt ; an quotidiè à Deo fiant, et mittantur in corpora, se« cundùm illud quod in Evangelio scriptum est : *Pater meus* « *usquè modò operatur, et ego operor* [1] ; an certè ex tra« duce, ut Tertullianus, Apollinarius, et maxima pars Occi« dentalium autumant; ut quomodò corpus ex corpore, sic « anima nascatur ex animâ, et simili cum brutis animan« tibus conditione subsistat. » Augustinus, Libro 3 de Libero arbitrio, cap. 20 et 21, quæstione illâ prætermissâ, utrùm animæ ex propriâ Dei substantiâ profectæ sint, reliquas quatuor recenset his verbis : « Harum autem quatuor de « animâ sententiarum, utrùm de propagine veniant ; an in « singulis quibùsque nascentibus novæ fiant; an in corpora « nascentium jàm alicubi exsistentes, vel mittantur divinitùs, « vel indè suâ sponte labantur, nullam temerè affirmare « oportebit. » Atque has ipsas esse sententias, quas ab Hieronymo relatæ sunt testificatur ipse Augustinus in Epistolâ ad Hieronymum, de Ratione animæ. Toto certè vitæ suæ decursu incertus in eo argumento Augustinus fluctuavit. Exstant insignes ejus ad Hieronymum et Optatum Epistolæ, undè hæsitationem ejus cunctationemque cognoscas ; quam et aliis prætereà locis prodidit, putà, Libro 7 et 10 de Genesi ad Litteram, et alibi. Septimi quidem hujus Libri cap. 6, materiam quamdam spiritalem initio molitum esse Deum conjectat, è quâ hominum animæ formatæ subindè ac fictæ sunt : « Fortassè potuit, *inquit*, et anima, antequàm ea « ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cujus vel pulchri« tudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam « materiam pro suo genere spiritualem, quæ nondùm esset « anima; sicut terra, de quâ caro facta est, jàm erat ali« quid, quamvis non erat caro. » Et Libro 1 Retractationum : « Nam quod attinet ad animi originem, quâ sit in « corpore, utrùm de illo uno sit, qui primùm creatus, « quandò factus est homo in animam viventem, an similiter « fiant singulis singulæ, nec tùm sciebam, nec adhuc scio. »

Nempè utrimque Scripturæ testimoniis pugnabatur. Qui tuebantur animarum προϋπαρξιν, adversùs eos qui animas tunc creari volebant, cùm præparatis corporibus erant inserendæ, hoc Genesis intentabant : *Et requievit* (Deus) *die septimo ab universo opere quod patrârat* [2]. Contrà prætendebant adversarii illud Joannis : *Pater meus usquè modò operatur, et ego operor :* quod ad providentiam, non ad creationem alii referebant. Videndus Nemesius, Libro de Naturâ hominis, cap. 2, et Augustinus in laudatâ ad Hieronymum Epistolâ. Nulli igitur mirum esse debet scripsisse Gregorium Magnum Epistolarum Libr. 7, Indict. 2, Epist. 53, quæstionem de animâ Patribus solvi non posse visam esse, cùm ne ipsius quidem temporibus ecqua è reliquis opinionibus pro certâ haberetur, Ecclesia præscripsisset. Undè falsum esse apparet quod ait Justinianus in Epistolâ ad Synodum Constantinopolitanum, quam exhibet Cedrenus : « Ecclesia « autem, divinis obsecuta sermonibus, dicit animam cum « corpore procreari; non verò hoc prius, illud verò hoc « posterius, juxta Origenis dementiam. » Quid si dicamus igitur quintam Synodum non ideò præcisè damnâsse Origenis sententiam, quòd animarum defenderet προϋπαρξιν, sed quòd Mentes prætereà fuisse illas traderet, et sanctas Virtutes, quas cùm contemplationis divinæ satias cepisset, in deterius esse conversas, et ab amore Dei refrixisse, indèque ψυχάς esse dictas, et in corpora tutelæ causâ dimissas; sic enim habet Justiniani anathematismus secundus. Ex EODEM, Lib. 2 Origenian., Quæst. 6, num. 11 et 12.

ª Mentes ante corpora conditas, ac pro meritis in varia variaque corpora detrusas, quasdam autem ex illis quæ non pessimè sese gessissent, animandis solis et lunæ, aliorumque siderum corporibus, mundoque illustrando ac exornando, nobili scilicet muneri fuisse præfectas opinabatur Origenes: quod probatur per hæc verba suprà dicta : *Anima solis*, non *Eliæ*, ut verterat Ferrarius, sed nullo sensu. Libro etiam 2 de Principiis, c. 9, n. 7, postquàm animas, juxta virtutes ac merita, diversis sanxit annecti corporibus, ex eâque diversitate mundi consonantiam efflorescere, addit quasdam ex his quæ « melioribus meritis sunt, ad exornandum mundi statum « compati reliquis, et officium præbere inferioribus, quò per « hoc participes existant patientiæ Creatoris, secundùm quod « Apostolus ipse dicit : *Vanitati enim creatura subjecta* « *est non volens*, *sed propter eum qui subjecerit in*

[1] *Joan.* v, 17. — [2] *Gen.* II, 2.

et fortassis de illâ est hoc : *Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe*[1], ut in vanitate sint corpora, et ipsum facere corporalia, id quod necessarium est

[1] *Rom.* VIII, 20.

« *spem :* » quod de astris sine dubio intelligendum est. At illud quamvis omni affirmatione asseverâsse visus sit Origenes, hoc tamen pronuntiato, lectoris animum occupavit in Proœmio Libri prioris ejusdem de Principiis, num. 10 : « De « sole autem, et lunâ, et stellis, utrùm animantia sint, an « exanima, manifestè non traditur. : » quæ verba repetit Pamphilus in Apologiâ. Capite quoque 11 Libri sequentis, num. 7, velut incertus et titubans ait : « Cùm ergò, verbi « gratiâ, ad cœlestia loca pervenerint Sancti, tunc jàm ratio- « nem astrorum per singula pervidebunt, et sive animantia « sunt, sive quidquid illud est, comprehendent. » Et in hâc Homiliâ primâ, seu in hoc Tomo primo, n. 40[a], hyperbolicè dictum suspicatur à Jobo *astra pura non esse coram Deo.* Homiliâ 10 demùm in Jeremiam, n. 6, explanans illud Jeremiæ : *Quousquè lugebit terra*[1], terram corpus esse ait animâ ac sensu carens, sed terræ nomine appellari Angelum terræ assistentem, ac itidem aquæ, elementis, et rebus singulis. Quæ inter Ecclesiasticos Doctores tritissima est opinio, animata esse sidera per formam assistentem et cohærentem, non intromissam et informantem. Atque ex his satis patet Origenis hæsitatio.

Ad hæc Pamphilus in responsione ad octavam criminationem, unicuique Christianorum fas esse dicit astra animata vel non animata censere; nec cuiquam, opinionis alterutrius causâ, hæreseos inurendam esse notam, propter hoc quòd non ità apertè de his traditum est in Apostolicâ prædicatione : quod ipsum præ se tulit Origenes in Proœmio Librorum de Principiis, num. 10, uti suprà ostendimus. Penitùs verò origenissat Ambrosius, sic disserens in Epistolâ 58 ad Horontianum : « Stellæ nebulis obductæ vanescunt, « quæ sustinent ministerii hujus mundani usus, non sponte « utiquè, sed in spe ; quia sperant etiam hujus laboris gra- « tiam ab eo qui subjecit eas; ideòque propter eum susti- « nent, id est, propter ejus voluntatem. Nec mirum, si « patienter sustinent, cùm sciant Dominum suum et Creato- « rem omnium, sive quæ in cœlo, sive quæ in terrâ sunt, « suscepisse nostri corporis fragilitatem. » Deindè : « Illius « ergò imitantes bonitatem cœlestes creaturæ, licèt inge- « miscant quòd mundi hujus vanitati subjectæ sint, conso- « lantur se tamen quòd liberabuntur à servitute corruptionis « in libertatem gloriæ. » Augustinus quoque, Libr. 2 de Genesi ad Litteram, et in Enchiridio ad Laurentium, cap. 58, de eo, utpotè re obscurâ et incertâ, definire se nolle quidquam declarat. Hinc ipse Origenis reprehensor Hieronymus in Comment. in Ecclesiasten, I, 6, dubitat annon sideribus animam Salomon adesse putaverit; et in Comment. in Epist. ad Ephes., I, 22, ne sidera quidem ipsa munda esse coram Deo, eaque Servatoris adventum formidare scribit. Undè in Epistolâ 61 ad Pammachium, cap. 5, de hoc agens dogmate : « Non est, *inquit*, istius temporis « contra dogma gentilium et ex parte Platonicum scribere, « ante annos fermè decem in Commentariis Ecclesiastis, « et explanatione Epistolæ ad Ephesios arbitror sensum « animi mei prudentibus explicatum. » Quæ cùm ipsi fuissent à Rufino objecta, Invectiv. 1, crimen diluit Apolog. Lib. 1, cap. 4. Quinetiam Pseudoclemens in Recognitionibus, Libr. 5, et R. Moses ben Maimon, animas astris affingunt. Deniquè S. Thomas, Libr. 2 contra Gent., cap. 70, ad fidei doctrinam pertinere negat, astra animata dicantur, an inanimata : undè æstimare licet quo numero Justiniani anathematismos habuerit, qui affirmantem sententiam confodiunt.

Viam Origeni ad id dogma præmonstravit Plato, qui in Timæo cœli animam rationis esse compotem ait, eâque nihil à Deo præstantius fuisse procreatum ; et in Epinomi θεῖον prædicat γένεσιν ἄστρων, σώματος μὲν τύχον καλλίστου, ψυχῆς δὲ εὐδαιμονεστάτης τε καὶ ἀρίστης. Præmonstravit et Thales, Ionicæ sectæ princeps, qui rebus universis animam tribuebat. Præmonstravit et Pythagoras, qui astra deos esse censebat. Præmonstraverunt et Stoici, et ipse, si Plutarcho, Alexandro Aphrodisio, et aliis credimus, Aristoteles. Platonis sententiam ac ipsa propemodùm verba pro more suo retulit Philo; nam in Libro περὶ τοῦ θεοπέμπτους εἶναι τοὺς ὀνείρους, et alibi, astra non animalia modò, sed mentes etiam purissimas esse asserit. In Libro tamen de mundi Opificio, et altero de Gigantibus, ea esse vult δι' ὅλου σπουδαῖα (quam vocem usurpavit Origenes) καὶ παντὸς ἀνεπίδεκτα κακοῦ, καὶ ἀκήρατα, quod Origeni non placuit. Huic quoque ad eam capessendam opinionem præivit Clemens Alexandrinus in Eclogis ἐκ τῶν προφητικῶν. Perseveravit autem ad nostram ætatem illud de animatis sideribus placitum, defensoresque habuit viros quantivis pretii, Tychonem et Kepplerum.

Augustinus, Libro 5 de Civitate Dei, cap. 1, eorum confutans dogma qui « sine Dei voluntate decernere opinantur sidera « quid agamus, vel quid bonorum habeamus malorumve patia- « mur,» hæc subjungit : « Quod si dicuntur stellæ significare po- « tiùs ista quàm facere, ut quasi locutio quædam sit illa positio « prædicens futura, non agens (non enim mediocriter doctorum « hominum (Origenem notat) fuit ista sententia), non quidem « ità solent loqui Mathematici, ut verbi gratiâ dicant : Mars ità « positus homicidam significat ; sed : Homicidam facit[b]. » His, inquam, Origenem designâsse creditus est ; nam in eo fragmento, quod è Commentariorum ipsius in Genesin, Tomo 3 excerptum, Eusebius Præparationis Evangelicæ Libro 6 inseruit, astris futurorum inesse significationem affirmat num. 5, 9 et seq., non etiam causam, quod faciunt Genethliaci : motum ergò iis à Deo et ordinem inditum, ut indè futurorum cognitionem Angeli hauriant ; cujus quidem cognitionis adeptionem, cùm vires superaret humanas, ab Angelis apostatis in homines aliquâ ex parte fuisse transmissam ; nullam autem libero arbitrio vim vel necessitatem hinc inferri. Præter Augustinum, hæc vehementer castigant Rufinus Palæstinus in Libello de Fide, et Procopus Gazæus, Comment. in Genesin, I, 14, qui ab Origene, quem in aliis ad verbum ferè sequitur, hâc in parte discessit.

Sanè si futura multa non ab astris prænuntiari dumtaxat, sed et effici dixisset Origenes, et siderum viribus corpora hæc terrena variis effici modis, et ad hæc illave commoveri et inclinari, in eâdem esset causâ ac Apotelesmatici omnes, et hodierni Astrologiæ patroni, quorum sententia, integra modò servetur humani libertas arbitrii, hæreseos notâ immunis est. At cùm significationem solùm futurorum, itidem ut Synesius[c], non causam astris adscripserit, illæsâ arbitrii libertate, eo minùs etiam decretis Ecclesiæ adversatur illius opinio : quam manâsse è Platonicorum scholis satis apparet ex Plotini Enn. 2, Libr. 1, cap. 1 et 7, et Enn. 3, Libr. 1, cap. 6, quem secutus est Macrobius, Libr. 1 in Somnum Scipionis, cap. 1.

Cùm in eo autem, quod diximus, fragmento, et alibi quoque, causam futurorum sideribus neutiquàm inesse magno conatu Origenes probaverit, miror id ei dogma affictum : « Astronomiam eorum quæ fiunt causam esse, » quod inter alia eidem exprobrari solita decimo loco recenset anonymus Auctor Apologiæ pro Origene, apud Photium, Cod. 117.

Præter superiora, illud quoque reprehendendi causâ è Libr. 4 de Principiis, num. 16, recitat Justinianus ad calcem Epistolæ ad Menam : « Quis mentis compos statuat primum,

[1] *Jerem.* XII, 4. — [a] In nostrâ editione, num. 24. — [b] Sic et similiter loquitur ubiquè Manilius, Astronomicon Libro 4, ubi Genethliacum agit : et multo etiam frequentiùs Manetho in carmine græco Ἀποτελεσματικῶν, aliique harum rerum Scriptores. — [c] Lib. 1 de Insomniis.

existenti in corpore [a]...... qui est in corpore, non lubens facit quæ sunt corporis. Hanc ob causam vanitati creatura subjecta est non volens; et qui non vult quæ sunt corporis, quod facit, spei gratiâ facit, tamquàm si diceremus Paulum velle permanere in carne, non sponte, sed propter spem; præferentem enim per se *resolvi, et cum Christo esse* [1], nihil est absurdi velle permanere in carne propter aliorum utilitatem, et profectum in rebus, non tantùm quas ipse sperat, sed etiam quas sperent hi quibus est adjumento. Jàm juxta hoc significatum, quo dicimus *principium generationis*, intelligere poterimus etiam illud Proverbiorum : *Deus creavit me principium viarum suarum*, *ad opera sua* [2], quod tamen potest ad primum significatum viæ referri, eo quòd dicatur : *Creavit me Deus principium viarum suarum.* Nec absurdè universorum Deum dixerit quispiam principium, palàm eo procidens, ut Filii principium sit Pater, et principium creaturarum Creator, atque generatim entium principium sit Deus : confirmabit hoc : *In principio erat Verbum,* Verbum intelligens Filium, qui in principio esse dicitur, quia sit in Patre.

3. *Aliàs*, 18. Tertiò *illud ex quo, undè tamquàm ex præexistenti materiâ oriantur alia, principium* existimant illi qui materiam ingenitam adstruunt. Secùs verò apud nos est qui credimus ex non entibus Deum entia fecisse, ut mater illa septem martyrum in Machabæorum gestis [3], et pœnitentiæ Angelus in Pastore docuit.

4. *Aliàs*, 19. Ad hæc, *principium etiam est veluti secundùm formam*, hoc pacto : Si primogenitus omnis creaturæ est imago Dei invisibilis [4], principium ipsius est Pater : similiter etiam Christus est principium eorum qui facti sunt secundùm imaginem Dei. Nam si homines sunt secundùm imaginem, imago verò secundùm Patrem, juxta hoc quidem Pater principium est Filii; juxta illud verò, hominum principium est Christus, qui facti sunt non secundùm id cujus est imago, sed secundùm imaginem ipsius. Congruet autem ad idem exemplum contextus hic : *In principio erat Verbum.*

5. *Aliàs*, 20. Est etiam *principium disciplinæ*, juxta quam intelligentiam dicimus elementa principium esse grammatices. Ob hoc dicit Apostolus : *Cùm deberetis esse magistri propter tempus, rursùm opus habetis ut doceamini quæ sint elementa principii sermonum Dei* [5]. Sed duplex est principium disciplinæ : alterum naturâ, alterum respectu nostrî : ut si dicamus de Christo, quòd naturâ principium ipsius sit divinitas; quoad nos verò, qui non valemus ex magnitudine ejus veritatem de ipso assequi, humanitas, in quantùm parvulis prædicatur Jesus Christus, et hic crucifixus. Quarè hâc ratione Christum dicimus naturâ principium esse disciplinæ, secundùm quòd Dei sapientia, et Dei potentia est : quoad nos verò Verbum caro factus est, ut habitaret in nobis, qui hoc modo tantùm initio eum capere valebamus. Ac fortassis ob hanc causam non modò primogenitus est omnis creaturæ, sed etiam interpretatur homo Adam, eum dicente Paulo Adam his verbis : *Ultimus Adam in spiritum vivificantem* [6].

6. *Aliàs*, 21. Prætereà dicitur etiam *principium de actione*, in quâ actione inest finis quidam post principium. Et observa an sapientia principium actionum Dei existens hoc modo intelligi possit esse principium.

7. *Aliàs*, 22. Jàm cùm tot nobis in præsentiâ succurrant principii significata, quærimus de quo intelligi oporteat illud : *In principio erat Verbum.* Perspicuumque est hoc principium sumi non posse *de principio transitûs*, aut viæ et longitudinis. Liquet autem quòd neque *de principio generationis.* Verumtamen fieri potest, ut illud accipias tamquàm *principium à quo*, quod est faciens, quandoquidem *mandavit Deus, et creata sunt* [7]. Creator enim aliquo modo est Christus, cui dixit Pater : *Fiat lux;* et : *Fiat firmamentum* [8]. Creatorque est Christus [b],

[1] *Philipp.* I, 23.—[2] *Prov.* VIII, 22.—[3] II *Machab.* VII, 28.—[4] *Coloss.* I, 15.—[5] *Hebr.* V, 12. — [6] I *Cor.* XV, 45. — [7] *Psalm.* CXLVIII, 5. — [8] *Gen.* I, 3 *et* 6.

« et secundum, et tertium diem, et vesperam, ac matutinum « tempus sine sole fuisse, et lunâ, et stellis? » Cui et illud potest adjungi, quod Libro 6 contra Celsum legitur, num. 50 et 51, falli eos qui vera dierum sex spatia Moysen in mundi narrandâ creatione significâsse putant : quosque se in suis ad Genesin Commentariis refellisse ait. In quo Philonem secutus est, cujus hæc verba sunt Libro 1 Allegoriarum : Εὔηθες πάνυ τὸ οἴεσθαι ἓξ ἡμέραις, ἢ καθόλου χρόνῳ κόσμον γεγονέναι. Nempè hæc tropicè intelligenda explicandaque censebat Origenes, ut alia pleraque, in quibus allegorico sensui nimiùm tribuens, nativum et litteralem subvertebat. Qui quoniam error suum sibi postulat examen, verbum non addam. EX EODEM, Lib. 2 Origenian., Quæst. 8, n. 1, 3, 4, 5 et 6.

[a] Hic deest aliquid.

[b] *Creatorque est Christus*, etc. Hîc Origenem castigat Petavius, Lib. 1 de Trinitate, c. 4, n. 4, et Lib. 6, c. 3, n. 6. HUETIUS.

Idem facit Huetius ipse; nam sic interpretatur hunc Origenis locum : « Christum, *inquit*, eatenùs esse Creatorem docet (Origenes), quatenùs dixit Pater : *Fiat lux*, id est, quatenùs in faciendâ luce Patri ministrum se præbuit. Clarissimè verò hanc sententiam expressit Libro 6 contra Celsum, n. 60 : « Diximus scilicet proximum Conditorem esse Verbum Dei Filium, illum fuisse mundi quasi ipsummet Opificem; Verbi verò Patrem esse primarium Conditorem, eo quòd Verbo suo Filio mandavit ut mundum faceret. » IDEM, in Origenianis, Lib. 2, Quæst. 2, num. 13.

Porrò si nimiùm urgeretur hic locus, illud potiùs in Origene vituperandum esset, quòd in creatione plùs Filio tribuat, quàm Patri; nam illius qui creat plures esse partes videntur in creatione, quàm illius qui creari jubet. Sed non ea fuit Origenis sententia; nec de Patre detrahit, cùm Filio creationem mundi attribuit; nec de Filio, cùm omnipotentiam, quâ mundum creavit, ad Patrem refert, ut primarium Creatorem. Cùm diceret Celsus « indignum esse primo et maximo Deo jubere Fiat

tamquàm principium, in quantùm Sapientia est : idcircò dictus principium, quia Sapientia sit, dicente per Salomonem Sapientiâ : *Deus creavit me*[a] *principium viarum suarum ad opera ejus*[1], ut sit in principio Verbum, hoc est, in Sapientiâ; secundùm quidem collectionem contemplationis et intelligentiarum de rebus universis, considerata Sapientiâ ; secundùm verò rerum contemplatarum communio-

[1] *Prov.* VIII, 22.

« hoc, » optimè respondet Origenes Deum non alicui ministro, ab ejus substantiâ alieno, hanc provinciam commisisse, sed proprio Filio et Verbo, cui omnia tradidit. Locus autem ad quem hîc lectorem dimittit Origenes, exstat Lib. 2, num. 9, ubi sic loquitur : « Nam si mandavit Deus, et conditæ sunt « creaturæ, quis est qui secundùm prophetici Spiritûs sententiam, tantum mandatum adimplere potuisset, præter eum, « qui, ut ità dicam, animatum Verbum, et Veritas est ? » Huc ergò redit tota Origenis ratiocinatio : Quemadmodùm Patre indignum non est Filio mandare ut mundum creet, quia proprius ejus Filius est, ac proprium Verbum ; ità nec Filio indecorum mandata Patris capessere, quia nulla res creata ejusmodi mandata adimplere potuisset. D. PRUDENTIUS MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 16, num. 6. Vide et BULLUM in Defensione Fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ, cap. 5, num. 6, et cap. 9, num. 10, cujus observationes sequuntur.

Certè à Patre tamquàm summo Opifice quasi imperante, per Filium Patris jussionem ac voluntatem exsequentem, creata fuisse omnia, adeò arianum non est, ut etiam Catholici Doctores qui post Concilium Nicænum vixerunt, quique Arianæ hæresis acerrimi impugnatores fuere, passim illud in scriptis affirmare non sint veriti. Athanasius in Libro de Decretis Nicænæ Synodi, hæc de Psalmo 32 : *Ipse mandavit, et creata sunt*, exponit sic, ut Patrem Filio mandâsse velit : « Unius sunt Dei, « *inquit*, Verbo suo quasi manu propriâ utentis, et in eo omnia « facientis. » Eodem Libro infrà : « Etenim Filius Dei, *inquit*, « ut ex ipsis Scripturis patet, ipse est Dei Verbum, et sapien« tia, et imago, et manus, et virtus. » Ubi non minùs aptè Filium vocat *manum Patris*, quàm Ecclesia eum appellat *dexteram Dei*, et Spiritum sanctum nominat *digitum dexteræ Dei*, in illo Hymno celebratissimo : *Veni, Creator Spiritus*. Orientales in exemplo fidei contra Photinum hæreticum : « Et « iterùm, *inquiunt*, confirmantes Christianismi intellectum « dicimus : Quoniam si quis Christum Deum, Filium Dei, ante « sæcula subsistentem et ministrantem Patri ad omnium per« fectionem non dicat ; sed ex quo de Mariâ natus est, ex eo « et Christum et Filium nominatum esse, et initium accepisse « ut sit Deus dicat, anathema sit. » Marius item Victor, Libro primo de Rerum creatione :

« Quæ mandante Deo cùm plenus mente Parentis
« Filius omnipotens faceret. »

Eòdem spectant et illa Prosperi in Commentario ad Psalmum 148 : *Ipse mandavit, et creata sunt :* « Quod enim Deus « dicit, Verbo dicit ; et Verbum per quod facta sunt omnia, « mandatum dicentis exsequitur. » Scriptoribus illis libet hîc unum Hilarium adjungere, qui in Libro 4 de Trinitate agens de verbis illis Genesis : *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, etc.[1], sic loquitur : « Per id quod dictum est : *Fa« ciamus hominem*, ex eo origo est, ex quo capit et sermo ; « in eo verò quòd Deus ad imaginem Dei facit hominem, signi« ficatur etiam is per quem consùmmatur operatio. » Et paulò pòst : « In eo quòd dicitur : *Faciamus*, et jussio exæquatur et « factum[a]. » Et mox iterùm de Sapientiâ sive Filio Dei Patri suo aggaudente in creationis operibus, hæc habet : « Causam læti« tiæ suæ Sapientia docuit : Lætabatur ob lætitiam Patris, « in perfectione mundi et in filiis hominum lætantis ; scri« ptum est enim : *Et vidit Deus quia bona sunt*[2]. Placere « Patri opera sua gaudet, per se ex præcepto ejus effecta. » Sanè si is qui dixerit Patrem, quà Pater est, primarium esse mundi Opificem, qui hæc universa per Filium suum condiderit, pro Ariano habendus est, vix ab Arianismi labe purus erit ipse Paulus in Epistolâ primâ ad Corinthios, hîc de partibus, ut ità loquar, Patris et Filii in rerum creatione et renovatione sic disserens : *Nobis unus est Deus Pater, à quo omnia, et nos in ipso ; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*[3]. Nam illud ἐξ οὗ, *à quo*, causam primam denotare manifestum est. Undè et Theodorus Beza ad hunc locum hæc adnotat : « Cùm Pater à Filio distinguitur, illi principium « tribuitur. » Scilicet hæc omnia omninò referenda sunt ad illam Filii subordinationem, quâ Patri ut auctori suo (hîc iterùm ipsis Hilarii verbis utor) subjectus est. Quid quòd in ipso Symbolo Nicæno credere jubemur, primò in *unum Deum Patrem omnipotentem*, *omnium visibilium et invisibilium Creatorem :* deindè, *in unum Dominum Jesum Christum*, etc., *per quem omnia facta sunt*. Ut paucis rem totam complectar : Qui dixerit Deum Patrem, tamquàm fontem divinitatis, adeòque omnium operationum divinarum originem, à seipso per Filium suum mundum condidisse, ac proindè rerum omnium primarium esse Opificem, næ is Arianæ hæresis neutiquàm incusandus est, nisi verò antiquis Ecclesiæ Patribus universis, adeòque ipsis Scriptoribus Θεόπνευστοις Arianismi dicam impingere velimus. Sed illud demùm Arianæ esset blasphemiæ, si quis doceret Patrem hæc universa constituisse per Filium, tamquàm per instrumentum sibi extraneum, aut tamquàm per virtutem aliquam ante cætera omnia creatam, atque ab ipsius essentiâ alienam : quæ impietas mentem Origenis ne per somnium quidem umquàm subiit. Hæc GEORGIUS BULLUS in Defensione Fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ, cap. 5, num. 6, et cap. 9, num. 10.

[a] Filium Dei pro re creatâ ab Origene habitum fuisse ac prædicatum, quæ Arianorum et Anomæorum impia fuit ac damnosa opinio, verba hæc persuadere possunt, quæ è Libro 4 de Principiis adducit Justinianus in Epistolâ ad Menam : « Hic « Filius de voluntate Patris generatus, qui est *imago Dei invi« sibilis*[4], *et splendor gloriæ ejus, et figura* expressa *substan« tiæ ejus*[5], *primogenitus omnis creaturæ*[6], conditio, Sa« pientia. Ipsa enim Sapientia dixit : *Dominus condidit me ini« tium viarum suarum ad opera sua :* » et ista ex eodem Libro : « Quòd igitur quæcumque alia res, præter Patrem ac Deum « universorum, creata est, eâdem consequentiâ suademur : » necnon et hæc quæ profert Epiphanius, Hæres. 64, cap. 4 : « Ex « substantiâ Patris eum (Filium) esse arbitratur (Origenes), « sed nihilominùs creatum. Vult autem quasi per gratiam « Filium ipsum appellatum dicere. » HUETIUS, ex Origenianis, Lib. 2, Quæst. 2, n. 21 et 22.

At Maranus : Quod suprà ait Epiphanius ab Origene non naturâ, sed gratiâ Filium dici, commentum est ab omnibus Origenis principiis remotissimum. Idem non dicam de generatione ex voluntate Patris : quæ loquendi ratio cùm multis aliis probata, tùm ad Origenis sententiam satis accommodata. Nam cùm voluntatem Patris in Filio generatam, ac totam Filio communicatam doceat, ità ut identitas sit voluntatis in utroque, non immeritò, nec incommodè dicere potuit Filium ex Patris voluntate genitum. Quod spectat ad Proverbiorum locum : *Dominus condidit me*, etc., quo fretus Origenes Filium conditum et rem conditam appellâsse dicitur, videndum quonam id sensu præstiterit (nam vitio verti non potest quòd Scripturæ verbis utatur) ; utrùm hoc testimonium, ad evertendam Filii æternitatem, ut clarum et apertum adhibeat, an potiùs, ut in obscuro et difficili loco, ad subtiles interpretationes

[1] *Genes.* I, 26. — [2] *Ibid.* 10. — [3] I *Cor.* VIII, 6. — [4] *Coloss.* I, 15. — [5] *Hebr.* I, 3. — [6] *Coloss.* I, 15. — [a] Id est, et jubens et faciens exæquantur.

nem, ad ea quæ sunt rationis [a] capacia, considerato Verbo. Nec mirum si, ut prædiximus, multa bona existens Servator in se contineat, quæ uno et altero, item et tertio considerentur modo. Cùm enim protulerit Joannes de Verbo loquens : *Quod factum est, in ipso vita erat*, ostendit factam fuisse vitam in Verbo. Neque verò Verbum hoc aliud est à Christo, Deus existens, et Verbum apud Patrem, per quod facta sunt omnia; neque vita alia est à Dei Filio, qui inquit : *Ego sum via, veritas, et vita* [1]. Undè non secùs atque vita facta fuit in Verbo, sic Verbum erat in principio. Proindè inspice an juxta hoc significatum possimus intelligere hoc dictum : *In principio erat Verbum* [hoc est, Λόγος, quæ *Ratio* etiam dicitur], ut secundùm Sapientiam, et secundùm figuras collectionis intelligentiarum, quæ sunt in ipsâ, fiant omnia. Opinor enim, sicut domus et navis fabricatur vel ædificatur juxta figuras et formas mentibus eorum qui structuræ præsident, conceptas, domo navique principium sumentibus ab his figuris et rationibus quæ sunt in artifice; sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jàm anteà à Deo manifestatas in Sapientiâ : *Omnia enim in sapientiâ fecit* [2]. Dicendumque est Deum, cùm animatam Sapientiam, ut ità loquar, creâsset, illius curæ permisisse, ut ex figuris et speciebus, quas ipsa habebat (opinor), subsistentiam, et plasmationem, et formas præberet entibus et materiæ. Ego etiam inspicio an dicere possimus principium entium esse Filium Dei, dicentem : *Ego sum principium et finis*, *α et ω*, *primus et novissimus* [3], cùm necessariò etiam sciendum sit nobis ipsum non esse principium, juxta omnia quibus nominatur. Quî enim fieri potest ut sit principium in quantùm est vita, cùm vita facta fuerit in Verbo, quod est ipsius vitæ principium? Manifestius prætereà est ipsum non esse principium, quatenùs primogenitus est ex mortuis. Quòd si diligenter examinemus omnia ipsius cognomina, solùm quia sit Sapientia, principium est, ne principium quidem existens in quantùm est Λόγος, id est, Verbum, vel Ratio, quandoquidem Verbum, vel Ratio in principio erat, adeò ut audacter ausit quis dicere antiquiorem omnibus quæ excogitantur nominibus primogeniti omnis creaturæ, Sapientiam esse. [b] Atque Deus quidem unum est et simplex : Servator verò noster propter multa, quandoquidem *proposuit illum Deus propitiationem* [4], et primitias omnis creaturæ, efficitur etiam multa, vel etiam fortassè omnia hæc purgat ipsius creatura, quæ universa liberare valet. Hinc fit lux hominum, quandò homines, à vitio obscurati, luce egent lucente in tenebris, et à tenebris non apprehensâ : lux non futurus, nisi homines obscurati fuissent. Simile considerare possumus de eo quòd dicitur *primogenitus ex mortuis*; nam si ponamus mulierem deceptam non fuisse, nec Adam deliquisse, sed creatum hominem ad immortalitatem, immortalitatem obtinuisse, neque

[1] *Joan.* XIV, 6. — [2] *Psalm.* CIII, 24. — [3] *Apoc.* XXII, 13. — [4] *Rom.* III, 25.

confugiat. Litem dirimunt quæ leguntur Lib. 1 de Principiis, c. 2, n. 2 et 3, ubi illud, *Dominus condidit me*, non de ipsâ Sapientiâ, sed de his quæ in illâ et per illam condita sunt, intelligendum monet : « In hâc ipsâ ergò, *inquit*, Sapientiæ subsistentiâ, quia omnis virtus ac deformatio futuræ inerat creaturæ, vel eorum quæ principaliter existunt, vel eorum quæ accidunt consequenter virtute præscientiæ præformatâ atque dispositâ ; pro his ipsis, quæ in ipsâ Sapientiâ velut descriptæ ac præfiguratæ fuerant creaturis, seipsam per Salomonem dicit creatam esse Sapientia initium viarum Dei, continens scilicet in semetipsâ universæ creaturæ vel initia, vel formas, vel species. » Nihil hîc ab Arianis non latissimè discrepans. Quod isti clarum et perspicuum ducebant, id Origenes, ut obscurum et difficile, subtiliter interpretatur : quod de Sapientiâ ipsâ accipi volebant, id ab eâ summo studio removet. Suspicari quis posset Rufinum interpretem hoc testimonium, quod græcè non exstat, de suo licenter inseruisse, aut saltem ampliâsse. Sed hanc suspicionem repellit ipse Origenes qui in aliis locis Sapientiam conditam fatetur, quatenùs in eâ Deus omnium rerum exemplaria descripsit ; sic enim loquitur paulò post hæc verba : *Dominus condidit me* : « Proindè inspice an in hanc sententiam illud quoque accipere possimus : *In principio erat Verbum*, ut omnia fiant secundùm Sapientiam et exemplaria omnium in eâ consistentium idearum. Sic enim opinor quemadmodùm ad architectonica exemplaria ædificatur aut fabricatur domus et navis, quæ principium habent ab exemplaribus et rationibus architecto insidentibus ; sic omnia facta esse secundùm rationes futurarum rerum priùs à Deo in Sapientiâ descriptas : *Omnia* enim *in Sapientiâ fecit*. Ac dicendum est Deum, cùm viventem Sapientiam, ut ità dicam, condidisset, ei permisisse ut ab his quæ in ipsâ erant figuris et speciebus, opinor, subsistentiam, et plasmationem, et formas præberet entibus et materiæ. » Liquet ergò nihil aliud sibi velle Origenem, nisi Sapientiam quodammodò à Deo conditam, et permittente, sive, ut alibi loquitur, jubente Deo, omnia condidisse ad exemplaria et ideas, quas Deus in ipsâ disposuerat et descripserat. Et Tomo eodem, seu eâdem Homiliâ, num. 39 (in nostrâ editione, num. 23) : « Illud autem silentio non prætereundum est, Jesum Dei Sapientiam meritò existere, et hanc ob causam hoc nomine appellari ; quippè cùm non in nudis cogitationibus Dei et Patris universorum substantiam habeat Sapientia ipsius, perindè atque phantasmata cogitationum humanarum. Quòd si quis potest incorpoream substantiam variarum speculationum, omnium rerum rationes continentium, viventem et veluti animatam considerare, is planè Dei Sapientiam omni creaturâ præstantiorem reperiet benè de seipsâ dicere : *Deus creavit me initium viarum suarum ad opera ejus*, per quam creationem potuit quævis creatura subsistere, haud expers existens divinæ Sapientiæ secundùm quam facta est. » In hoc ergò posita est illa Sapientiæ creatio, quòd omnia per eam creata fuerint, ejusque particeps facta fuerit quævis creatura. D. PRUDENTIUS MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, c. 15, n. 1.

[a] Alludit ad alteram Λόγου notationem, quâ *Ratio* significatur.

[b] Hæc quoque Lib. 1 de Trinitate, c. 4, n. 4, confutat Petavius, quasi divinæ Verbi naturæ multiplices proprietates affingat Origenes : in quo sanè magni viri judicium non sequor nam hæc Christo, ut Deus simul et homo est, universa Origenes attribuit; et ut ad divinam Verbi naturam pertinere voluisset, verisimilius est hæc pro variis potiùs considerandi Verbi modis, quàm pro divinæ ipsi naturæ insitis qualitatibus habenda credidisse. HUETIUS.

in pulverem mortis descendisset Christus, neque mortuus fuisset non existente peccato, aut erga humanum genus amore moriendum illi fuisset; ac si hæc non fecisset, minimè fuisset primogenitus ex mortuis. Disquirendum et illud, nùm fortè etiam hominis pastor futurus non erat, si comparatus homo jumentis insipientibus non fuisset, neque similis illis factus [1]. Nam si homines et jumenta servat Deus [2], servat quæ servat jumenta, illis donando pastorem, quæ regem capere nequeunt. Exploret ergò oportet, qui collegerit Filii nomenclaturas, quænam ipsarum ipsi accesserint, quæ tales ac tantæ non fuissent, si in beatitate Sancti incœpissent et perseverâssent. Nam fortassè sola Sapientia, vel etiam Verbum, vel Vita, atque omninò Veritas permaneret, haud tamen omnia alia nomina, quæ nostrî causâ assumpsit. Verumenimverò beati illi, qui egentes Filio Dei, ejusmodi fuere, ut in posterum non eguerint medico qui malè affectos curaret, neque pastore, neque redemptione, sed sapientiâ, et verbo, ac justitiâ, vel si quid aliud est iis qui ob perfectionem pulcherrima quæque ipsius percipere valent. Sed hæc sufficiant de eo quod scriptum est : *In principio.*

8. *Aliàs*, 23. Videamus nunc diligentiùs quisnam sit hic Λόγος [id est, Verbum, seu Ratio, quæ in ipso principio esse dicitur. Atque equidem] reputanti mihi quænam frequenter dicuntur de Christo ab iis qui in ipsum credere volunt, mirari subit curnam tandem imposita nomina Servatori nostro, quæ vix numerari possunt, plerumquè hi silentio pertranseant, atque etiam si eorum mentio facta fuerit, illa immutant non propriè, sed tropicè, Jesum his nominibus appellari dicentes; in solâ autem appellatione Verbi insistentes, veluti solum Verbum adstruant esse Christum Dei, non perindè atque in cæteris vocabulis, quibus ipse nuncupatur, indagantes vim significati ex hâc voce Λόγος. Jàm in quo me mirari dicam multorum ruditatem (apertiùs enim loquar), tale est. Inquit alicubi Filius Dei : *Ego sum lux mundi* [3]; et alibi : *Ego sum resurrectio* [4]; et rursùm : *Ego sum via, veritas, et vita* [5]; scriptum est et illud : *Ego sum ostium* [6]; dictum est etiam : *Ego sum pastor bonus* [7]; et ad Samaritidem dicentem : *Scimus quòd Messias venit, qui dicitur Christus; cùm autem venerit ille, nuntiabit nobis omnia;* respondet : *Ego sum qui loquor tecum* [8]. Ad hæc, cùm lavisset pedes discipulorum, dominum se et magistrum his verbis fatetur : *Vos dicitis dominum me et magistrum; et benè dicitis; sum etenim* [9]. Quin apertè et clarè se ipsum Filium Dei esse pronuntiat, dicens : *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis me blasphemare, quoniam dixi : Filius Dei sum ego* [10]? et illud : *Pater, venit hora : glorifica Filium tuum, ut et Filius tuus glorificet te* [11]. Invenimus etiam seipsum pronuntiantem regem, veluti Pilato dicenti : *Rex es tu Judæorum?* Respondens dixit : *Regnum meum non est ex hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certaturi fuerant, ne traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc* [12]. Legimus et illud : *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola* ; et rursùm : *Ego sum vitis, vos palmites* [13]. Connumerentur his hæc quoque : *Ego sum panis vitæ;* et iterùm : *Ego sum panis vivens, qui de cœlo descendi, et vitam mundo præbeo* [14]. Et hæc quidem quæ Filius Dei se esse asserit, quæque nobis ad id de quo agimus, succurrerunt, ex Evangeliorum textu in medium protulimus. Sed addendum etiam illud est ex Joannis Apocalypsi : *Ego sum primus, et ultimus; et vivens, et factus sum mortuus; et ecce vivens sum in sæcula sæculorum;* et rursùs : *Factus sum ego α et ω, et primus et ultimus, principium et finis* [15]. Sunt autem non pauca, atque his quæ diximus, similia, quæ sumi ex Prophetis poterunt ab eo qui diligenter versatus fuerit in sanctis Libris, veluti quòd sagittam electam, et servum Dei, et lucem Gentium seipsum appellat, Isaiâ dicente : *Ex utero matris meæ vocavit me nomine meo, et posuit os meum quasi gladium acutum, et sub protectione manûs suæ abscondit me. Posuit me quasi sagittam electam, et in pharetrâ suâ abscondit me, et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, et in te glorificabor;* et post pauca : *Deus meus erit fortitudo mea. Et dixit mihi : Magnum tibi est, ut voceris servus meus, et suscites tribus Jacob, et dispersionem Israelis convertas. Ecce posui te in lucem Gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ* [16]. Sed et in Jeremiâ ità seipsum agno assimilat : *Ego sicut agnus innocens, qui ducitur ad sacrificandum* [17]. Hæc itaque et his similia seipsum appellat. Porrò innumera vocabula, tùm apud Evangelia, tùm apud Apostolos, tùm apud Prophetas colligas licebit, quibus Filius Dei appellari gaudet, videlicet, vel iis qui Evangelia scripserunt quid de ipso sentirent exponentibus, vel Apostolis ex his quæ didicerant ipsum glorificantibus, vel Prophetis ipsius futurum adventum præcinentibus, et res illius variis nominibus efferentibus. Veluti Joannes Agnum Dei ipsum prædicat, dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [18]; virum verò his quæ

[1] *Psalm.* XLVIII, 13 *et* 21. — [2] *Id.* XXXV, 7. — [3] *Joan.* VIII, 12. — [4] *Id.* XI, 25. — [5] *Id.* XIV, 6. — [6] *Id.* X, 9. — [7] *Ibid.* 11. — [8] *Id.* IV, 25 *et* 26. — [9] *Id.* XIII, 13. — [10] *Id.* X, 36. — [11] *Id.* XVII, 1. — [12] *Id.* XVIII, 33 *et* 36. — [13] *Id.* XV, 1 *et* 5. — [14] *Id.* VI, 33, 35 *et* 41. — [15] *Apoc.* I, 17 *et* 18 *et* XXII, 13. — [16] *Isai.* XLIX, 1, 2, 3, 5 *et* 6. — [17] *Jerem.* XI, 19. — [18] *Joan.* I, 29.

sequuntur : Hic est de quo dicebam : *Post me vir venit, qui ante me factus est; quoniam prior me erat; et ego nesciebam eum* [1]. Sanè in Catholicâ Epistolâ Joannes illum appellat *advocatum animarum ad Patrem*, dicens: *Si quis peccaverit, advocatum apud Patrem habemus Jesum Christum justum.* Subjungit etiam quòd *sit reconciliatio pro peccatis nostris* [2]; ad cujus similitudinem Paulus appellat eum *reconciliatorem*, dicens: *Quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem præteritorum peccatorum, quæ Deus toleravit* [3]. Ad hæc, prædicatus est etiam à Paulo *sapientia et potentia Dei esse*, ut in Corinthiorum Epistolâ, quandò dicit : *Christus est Dei potentia et sapientia* [4]; quòd etiam *sanctificatio sit et redemptio : Factus est*, inquit, *sapientia nobis à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* [5]. Quinetiam *Sacerdotem magnum* eumdem esse docet nos, ad Hebræos scribens : *Habentes ergò Sacerdotem magnum, qui pertransivit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem* [6]. Prophetæ etiam præter hæc diversis eum nominibus appellant : Jacob quidem in eâ benedictione, quâ in liberos usus est, *Judam* nominat : *Juda*, inquit, *laudabunt te fratres tui : manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum. Catulus leonis Juda : ex germine, fili mi, ascendisti : recumbens dormisti ut leo, et ut leonis catulus. Quis excitabit illum* [7]? Cæterùm præsentis non est temporis singulis immorari, ostendendo quomodò quæ de Judâ dici videntur, Christo conveniant. Atque etiam objectio, quæ jure inferri posset, scilicet : *Non deficiet princeps de Judâ, et dux de femoribus ejus, donec venerit cui repositum est* [8], aliàs commodiùs solvetur. Isaias etiam novit ipsum Christum appellari *Jacob et Israel*, dicens : *Jacob, dilectus meus, auxiliabor ei : Israel, electus meus, suscepit illum anima mea. Judicium Gentibus nuntiabit : non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Calamum contritum non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec projecerit ex contentione judicium, et in nomine ejus Gentes sperabunt* [9]. Quòd enim hæc de Christo Prophetæ nuntient, palàm Matthæus ostendit in Evangelio, ex parte mutila citans, et dicens : *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam : Non contendet, et non clamabit*, etc. [10]. Vocatur etiam *David* Christus, veluti quandò Ezechiel prophetans ad pastores subjungit ex personâ Dei : *Excitabo David servum meum, qui reget eos* [11]; non enim David patriarcha exsurget recturus Sanctos, sed Christus. Ad hæc, *virgam et florem* appellat Christum Isaias, his verbis : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus cognitionis et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Dei* [12]. Jàm *lapis* etiam dicitur Dominus noster, ità in Psalmis : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : à Domino factus est hic, et est mirabilis in oculis nostris* [13]. Declarat autem Evangelium, et Lucas in Actis, non alium esse lapidem quàm Christum. Evangelium quidem sic : *Numquàm legistis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Omnis qui ceciderit super lapidem hunc, conteretur; super quem verò ceciderit, conteret eum* [14]. In Actis verò Lucas scribit : *Hic est lapis ille, qui rejectus est à vobis ædificantibus, qui factus est caput anguli* [15]. Cùm igitur Verbum illud, quod erat in principio, Verbum, inquam, Deus apud Deum, unum sit ex nominibus Servatori attributis, nec tamen ab ipso dictum, sed à Joanne scriptum, operæ pretium fuerit instare iis [a] qui tot à nobis enumerata nomina prætermittentes, hoc

[1] *Joan.* I, 30 *et* 31.— [2] I *Joan.* II, 1 *et* 2.— [3] *Rom.* III, 25 *et* 26. — [4] I *Cor.* I, 24.— [5] *Ibid.* 30.— [6] *Hebr.* IV, 14.— [7] *Gen.* XLIX, 8 *et* 9.— [8] *Ibid.* 10.— [9] *Isai.* XLII, 1-4.— [10] *Matth.* XII, 17 *et* 19. — [11] *Ezech.* XXXIV, 23. — [12] *Isai.* XI, 1-3. — [13] *Psalm.* CXVII, 22 *et* 23. — [14] *Matth.* XXI, 42 *et* 44. — [15] *Act.* IV, 11.

[a] Hæc vesania fuit Valentinianorum, Marcosiorum et Colarbasiorum, quibus perpetuum Origenes bellum indixit (Vide Irenæum, Lib. 1, c. 10; Epiphanium, Hæres. 34, quæ est Marcosiorum, c. 4, et Hilarium, Lib. 10 de Trinitate). Fuit et Tertulliani, et Lactantii, et Pauli Samosateni. Nec dissimulandum tamen hîc aliquid esse peccatum ab Origene, quod *Verbi* vocabulum non aliter ad Filium pertinere putet, quàm vel *lucis*, vel *pastoris*, et aliorum quæ commemorat. Id falsum est; nam vox Verbum hypostasim illius propriè distinguit, et substantiæ ipsius divinæ significationem involvit. HUETIUS, Lib. 2 Origenian., Quæst. 2, num. 6.

Minùs bellè Huetius hæc in Valentinianos aut Marcosios dicta existimat. Assentitur ei hâc in re Auctor Platonismi retecti, p. 222. Petavius, Lib. 6 de Trinitate, c. 3, Catholicos ab Origene refelli opinatur, eumque, itidem ut Huetius, vituperat quòd Verbi appellationem, quæ Filii hypostasim propriè distinguit, non aliter Filio, quàm *lucis*, et *vitæ*, et *resurrectionis*, et alias ejusmodi appellationes aptare videatur. Nec Valentiniani ab Origene refelluntur, nec generatim Catholici, sed vel Novatiani, vel imperiti nonnulli, qui, dùm in Verbi appellatione nimiùm hærent, Noetianis imprudentes favebant. Postquàm enim recensuit Origenes varias Christi appellationes quæ ex ejus operationibus deduci solent, hæc ait à se dicta esse « ut multorum temerariam et inconsideratam agendi rationem » redarguat, qui, « cùm tot appellationes ad Christum referuntur, in solâ Verbi appellatione inhærent, non « inquirentes quam tandem ob causam Filius Dei Verbum « esse et Deus in principio apud Patrem, per quod omnia facta « sunt, scriptus sit. » Non ergò Valentinianam hæresim hoc loco refellit Origenes, sed multorum imperitiam, qui penè eadem ac Noetus, imprudentes peccabant. Nihil autem in eis vituperat, quod Catholicæ doctrinæ consentaneum esset : nihil ipse ab eâ statuit alienum. Nonne enim meritò vapulabant, qui, dùm Verbi appellationem acriùs adurgent, neque ullam hujus vocis explanationem pati possunt, committebant ut Verbi hypostasis ad inanem sonum redacta videretur? Christum autem Ori-

solo Verbi vocabulo ceu præcipuo utuntur : rursùs eorum interpretationem, si qua quis protulerit, requirentes, et hoc unum Verbi vocabulum admittentes, tamquàm liqueat, quid sit Filius Dei, Verbum nuncupatus, idque tùm maximè quòd continuè utantur hoc dicto : *Eructavit cor meum verbum bonum* [1], existimantes Filium Dei paternam prolationem esse tamquàm in syballis positam; et idcircò [a] hypostasim et subsistentiam illi, si accuratè ipsos interrogemus, non tribuentes, neque essentiam ejus explanantes, nondùm dicimus talem, vel talem, sed quomodocumque essentiam. Verbum enim pronuntiatum intelligere vel vulgaris quivis potest; at renuntient nobis et proferant Verbum tale per se vivere, quod vel non sit separatum à Patre, et hâc etiam ratione neque subsistat, neque sit Filius; vel quod sit separatum, et substantiam habeat Deus Verbum. Itaque dicendum est non secùs à nobis fieri debere, cùm vocabulo Verbi ille nuncupatur, atque facimus singillatim in nominibus prædictis, cùm ex proprietate nominis explicamus intelligentiam rei nominatæ, cùmque certas rationes adoptamus ad explicandum quomodò Filius Dei hoc vel illo nomine nuncupetur. Quæ enim est hæc privata istorum electio, non insistere in singulis quibusque spectando vim vocabuli; sed, ut ità dicam, cùm quæsierint quomodò *ostium*, quomodò *vitem*, quânam etiam de causâ intelligere debeamus eum esse *viam*, idem solùm non facere, cùm audis eum dici in Scripturis *Verbum?* Ut ergò diligentiùs ac reverentiùs assequamur ea quæ dicturi sumus in eâ de quâ agitur disputatione, scilicet, quomodò Filius Dei dicatur esse Verbum, à nominibus ipsius, nobis à principio propositis, incipiamus necesse est. Nec ignoramus fore aliquos, quibus ejusmodi digressio major, quàm pro rei necessitate esse videatur; attamen animum adhibenti rei de quâ agitur, non parùm utile fuerit explorare sensa, de quibus nomina ponuntur, quorum etiam consideratio utilis erit ad res quæ subsequuntur. Proindè cùm semel in theologiam de Servatore inciderimus, invenientes, diligentiâ adhibitâ, quæ de illo feruntur, necessariò non tantùm eum eâ parte considerabimus, quâ Λόγος [id est, Verbum et Ratio] dicitur; sed etiam pleniùs et uberiùs, pro virili nostrâ, reliqua vocabula quibus appellatur, tractabimus.

9. *Aliàs*, 24. Cùm ergò dixerit seipsum *lucem mundi*, etiam proxima et similia huic voci, quæ quibusdam fortassè non tantùm proxima et similia, sed etiam eadem videbuntur esse, examinabimus. Itaque lux est *hominum*, lux est *vera*, lux est deniquè *Gentium*. Quòd sit lux *hominum*, Evangelii, cujus instituitur nunc à nobis interpretatio, initium testatur dicens : *Quod factum est, in ipso vita erat; et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non apprehenderunt.* Quòd etiam sit lux *vera*, ejusdem Evangelii verba declarant, quæ mox subnectuntur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Lux verò *Gentium* ab Isaiâ appellatur, sicut prædiximus, illud illius testimonium proferentes : *Ecce posui te in lucem Gentium, ut sis salus mea ab extremis terræ* [2]. Cæterùm lux mundi sub sensum cadens sol est. Post hunc non inconcinnè etiam luna, ac deniquè reliquæ stellæ eodem nomine nuncupabuntur. Lux sub sensum cadens cùm hæc sint, eo quòd terrestria illuminant, dicta apud Moysem quarto die facta fuisse, haud tamen lux sunt vèra. [b] At verò Servator noster illucescens his qui rationis sunt capaces, præstantis-

[1] *Psalm.* XLIV, 1. — [2] *Isai.* XLIX, 6.

genes existimat Verbum appellari, quia « in nobis recidit « quidquid à ratione alienum est, nosque verè participes ra- « tionis efficit : » vel etiam quia « renuntiat occulta Patris sui, « qui mens est relatè ad Filium, qui Verbum dicitur. Quemad- « modùm enim verbum nostrum nuntius est eorum quæ à « mente cernuntur; sic Verbum Dei, quod Patrem cognovit, « nullâ re creatâ absque duce ad eum accedere valente, cogni- « tum Patrem revelat. » Nihil est sanè his in verbis, quod jure possit reprehendi. Neque enim negat Origenes Verbi appellatione propriam Verbi hypostasim constitui. Sæpè enim divinarum personarum proprietates ex earum efficientiis explicantur. Gregorius Nazianzenus, magnum illud Theologiæ lumen, non veretur asserere, Oratione 36, p. 590, Christum appellari « Verbum, quia Filius ità se habet ad Patrem, ut ser- « mo ad mentem, non modò propter generationem passionis « omnis expertem, verùm etiam propter conjunctionem ip- « sius cum Patre, et vim enuntiatricem. » Hæc D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, c. 15, n. 7, loco suprà citato.

[a] Ὑπόστασις pro οὐσίᾳ priscis temporibus solebat usurpari ab Ethnicis et Christianis. Hieronymus, Epist. 57 ad Damascenum : « Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud « ὑπόστασιν nisi οὐσίαν novit. » Ità sumpserunt Nicæni Patres, ità Sardicenses. Ità et sumpsisse Origenem verisimile est. Tomo quidem (seu Homiliâ) 1 in Joannem, num. 23 (in nostrâ editione, num. 8, suprà), loquens de Valentinianis, ὑπόστασιν ab οὐσίᾳ distinguit quidem, at non sumit pro personâ, sed pro *subsistentiâ*. HUETIUS, in Origenianis, Lib. 2, Quæst. 2, num. 3.

At Maranus : Etiamsi, *inquit*, de nonnullis Scriptoribus id concederem, de Origene certè concedi non posset; sed multi alii hanc vocem in eamdem sententiam usurpârunt. Ipsi hæretici, cùm unam hypostasim admitterent, nonne hypostasis nomine personam intelligebant? Ut omittam Alexandrum Alexandrinum, qui in Epistolâ ad Alexandrum Constantinopolitanum idem docet ac Origenes; Athanasium, qui tres hypostases cum unâ in concordiam adduxit; Basilium et Gregorium Nazianzenum, et alios trium hypostasium defensores; uterque Dionysius, Romanus et Alexandrinus, sex Episcopi, quorum exstat Epistola ad Paulum Samosatenum, hypostasim eodem modo ut Origenes interpretati sunt. Hæc PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 15, num. 6. Vide insuper BULLUM in Defens. fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ, Sect. 2, cap. 9, num. 11.

[b] Photius, Cod. 8, errores referens Librorum de Principiis, hos ait Libro primo contineri : « Pervadere quidem Patrem « quæcumque sunt, Filium verò res dumtaxat rationis parti-

simis animarum eorum partibus, ut ipsorum mens propria aspectabilia cernat, intelligibilis mundi lux est, nimirùm, animarum rationis capacium in hoc mundo sensibili existentium, et si quid præter hæc mundum complet : ex quo Servator noster esse nos docet. Fortassè ipse illius præcellens præstantissimaque pars existens, ut ità dicam, sol, qui faciat diem Domini magnum, cujus diei causâ ad eos dicit, qui lucis suæ participes erant : *Operamini, dùm dies est; veniet nox, quandò nullus posteà potest operari : quamdiù sum in mundo, lux sum mundi* [1]. Quoniam verò discipulis etiam dicit : *Vos estis lux mundi;* et : *Luceat lux vestra coram hominibus* [2], non secùs atque lunam et astra, lucere existimamus sponsam Ecclesiam, et discipulos qui propriam lucem habent, et ab illo vero Sole mutuatam, ut luceant illis qui lucis fontem in se præparare non possunt. Verbi gratiâ, Paulum quidem et Petrum dicimus lucem mundi; vulgares verò, vel ipsorum discipulos, qui illuminentur quidem, haud tamen illuminare alios possint, mundum : cujus mundi lux fuere Apostoli. At verò Servator lux existens mundi, non corpora, sed incorpoream mentem incorporeâ potentiâ illuminat, ut tamquàm à Sole illuminatus unusquisque nostrûm videre alia etiam intelligibilia possit. Ut autem sole illucescente vis illa lunæ et stellarum illuminandi obscuratur; sic hi, qui à Christo illustrantur, quique splendores illius perceperunt, nullam operam desiderant aliquorum administrantium Apostolorum, vel Prophetarum, ac ne Angelorum quidem; audendum enim est veritatem dicere : proindè addam, neque præstantissimarum Virtutum eos indigere, quos ipsa primigenia lux edocuerit. Porrò iis qui minimè solares Christi radios capere valent, Sancti ipsi ministrantes lucem præbent, sed eâ quam prædiximus longè inferiorem, cùm vix alioqui hanc parvam ipsi capere valeant mox ab ipsâ pleni. Est autem Christus lux mundi. Est et lux *vera*, ad ejus lucis differentiam, quæ sensu percipitur, [a] cùm nihil quod sensu percipiatur sit verum; nec tamen quia quod sensu percipitur non est verum, idcircò falsum est; nam potest comparationem proportionemque habere, quod sensu percipitur, ad illud quod animo cernitur rationeque comprehenditur, cùm interim sanè rectèque de omni non vero non prædicetur falsum. Quæro autem an idem sit lux *mundi*, et lux *hominum*. Ac meum quidem judicium est majorem tunc lucis vim exhiberi, cùm appellatur lux *mundi*, quàm quandò *lux hominum*. Nam mundus juxta unum sensum, non tantùm homines. Et Paulus in priore ad Corinthios Epistolâ majus quiddam esse, vel etiam diversum ab hominibus mundum hunc adstruit, dicens : *Theatrum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus* [3]. Proindè observa an juxta unum sensum mundus sit creatura illa, quæ liberanda dicitur ab interitûs servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, cujus vehemens desiderium revelationem filiorum Dei exspectat [4]. Observa autem, addidimus, quòd in medium producta fuerint ea verba : *Ego sum lux mundi* [5], quæ possunt etiam de discipulis intelligi, cùm eis quoque Jesus dixerit : *Vos estis lux mundi* [6]; siquidem sunt qui suspicantur præstantiores aliis creaturis eos esse homines, qui ab ipso Jesu sincerè edocti fuerint. [b] Quorum alii quidem hos homines naturâ, alii verò ratione quæ in actione difficiliori versatur, tales existere affirmant; majores enim labores, majoraque vitæ pericula, qui carne ac sanguine constant habere, quàm qui æthereo corpore. Nam neque lumina cœlestia dicunt, corpora terrena si suscepissent, à periculis omninò, et à peccando immunia præsentem vitam transactura. Cui etiam rationi qui favent, Scripturarum quarumdam testimoniis enuntiantibus maxima de hominibus, supervenientiamque promissionis ad hominem pertinere dicentibus,

[1] *Joan.* IX, 4 *et* 5. — [2] *Matth.* V, 14 *et* 16. — [3] I *Cor.* IV, 9. — [4] *Rom.* VIII, 19 *et* 21. — [5] *Joan.* VIII, 12. — [6] *Matth.* V, 14.

« cipes, Spiritum autem sanctum ea tantùm quæ salutem « adepta sunt. » Verba ipsa Origenis è Libro primo de Principiis, c. 3, n. 5, profert Justinianus in calce Epistolæ ad Menam : « Quòd Deus quidem et Pater omnia continens ad « unumquodque entium pervenit, esse unicuique impertiens « de suo; ipse enim est qui est : quòd verò minor Patre Filius « ad sola rationabilia pervenit; est enim secundus à Patre : « adhuc etiam minor est Spiritus sanctus ad solos sanctos per- « veniens. Ità ex hoc major est potestas Patris præ Filio et Spi- « ritu sancto, ampliorque Filii præ Spiritu sancto; ac rursùm « præstantior sancti Spiritûs potestas præ aliis entibus san- « ctis. » Quamobrem à Theophilo acriter castigatus est in primâ Epistolâ Paschali.

Atque hæc ἀποτόμως ità sumpta, vix est ut reprehensionem effugiant. At si quis ad mentem potiùs Origenis quàm ad verba attenderit, aliter sentiet. Quamvis enim una eademque sint sacræ Trinitatis extranea opera, et quidquid agit in rebus externis Pater, hoc agat et Filius, hoc et Spiritus sanctus; quædam tamen Patri assignari solent, alia Filio, alia Spiritui sancto. Quemadmodùm ergò Patri vulgò attribuitur creatio rerum, licèt trium peræquè personarum sit; ità Filio, qui est Λόγος, omnium λόγικῶν curam Origenes adscribit; sanctitudinis verò collationem addicit Spiritui sancto, juxta Rom. I, 4 et II Thess. II, 13, quamvis toti Trinitati debeatur. HUETIUS, Lib. 2 Origenian., Quæst. 2, num. 27 et 28.

Si sine Patre rationabilia à Filio illuminari, sancta à Spiritu sancto sanctificari diceret Origenes, meritò in sanctam Trinitatem injuriosus videretur, atque haud scio an ipsum in Patrem injuriosior. Sed in eo nulla hujus erroris suspicio residet; ac Patris virtutem in hoc tantùm virtute Filii et Spiritûs majorem dicit et latiùs patentem, quòd cùm rationabilia à Filio rationem, sancta à Spiritu sanctitatem accipiant, Filius à Patre Spiritus à Patre et Filio omnia acceperint. D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, c. 16, n. 2.

[a] Hæc ex adolescentiori Academiâ desumpta sunt. Vide Cicer., Academ. Lib. 4. HUETIUS.

[b] Ea erat Valentinianorum doctrina, qui tres diversas hominum naturas fingebant. IDEM.

usuri sunt, cùm tamen hoc ipsum de creaturâ, vel, ut intelleximus, de mundo testimonia hæc non promittant. Illud enim : *Ut ego et tu unum sumus, ut et ipsi in nobis unum sint* [1]; et : *Ubi ego sum, illic erit et minister meus* [2], apertè de hominibus scriptum est; de creaturâ verò, quòd liberatur ab interitûs corruptione in libertatem gloriæ filiorum Dei [3]. Etiam addent, non si liberatur, jàm etiam participem esse filiorum Dei gloriæ. Non silebunt autem etiam isti primogenitum omnis creaturæ, pro eo honore quo hominem præter cætera prosequebatur, hominem factum, non animal aliquod cœleste. Quin etiam rursùs addunt ministram et servam cognitionis Jesu stellam, quæ in Oriente apparuit, creatam fuisse, vel similem reliquis astris, vel fortassè etiam præstantiorem, quippè quæ omnium præstantissimum designaret. Quòd si gloriationes Sanctorum sunt in afflictionibus, qui *sciunt afflictionem parere patientiam, patientiam verò probationem, probationem verò spem, spem autem non confundere* [4], neque patientiam, neque probationem habebit non afflicta creatura æqualem, sed diversam : *Quoniam vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit illam sub spe* [5]. Cæterùm qui non in animum inducit suum talia homini beneficia collata fuisse, aliò voluntate tendens, dicet creaturam, quæ vanitati suspirans subjacet, affligi magis, quàm hos qui suspirant in hoc tabernaculo; quippè quæ tempore quamplurimo, idque cum multiplicatione, serviat humani certaminis vanitati. Quarè enim nolens hoc facit, nisi quòd vanitati subjectam esse, et non habere præcipuum vitæ statum sit contra ejus naturam? quem quidem statum, quia in mundi interitu, et in interitu vanitatis corporum liberatur et solvitur, receptura est. Verumenimverò quoniam plura, quàm quæ conveniant propositæ disputationi, videmur disseruisse, redeamus undè digressa erat oratio, memoriâ repetentes, quâ de causâ tùm lux *mundi*, tùm lux *vera*, tùm deniquè lux *hominum* Servator dicatur. Explicatum est ergò eum lucem *veram* appellari, propter lucem mundi sensibilem : vel quòd idem sit esse lucem *mundi*, et lucem *hominum* : vel in disputationem cadat, sit necne idem. Quæ necessariò nobis investigata sunt propter eos qui nihil commentati sunt, quarè Servator diceretur Verbum : quo persuasum haberemus nos non ex præfinitione stare debere in solius vocabuli hujus, *Verbum*, intelligentiâ, cum minùs sit decens, ut hoc vocabulum per translationem non exponatur, cùm anagogicè atque allegoricè exponamus illud lumen mundi, atque multa alia quæ in medium protulimus.

10. *Aliàs*, 25. Ut autem eo quòd illuminet illustretque hominum mentes, vel generatim omnium qui rationis sunt capaces, lux est *hominum*, et lux *vera*, et lux *mundi*; sic eo quòd auctor sit omnis mortalitatis deponendæ, ingenerandique eam quam propriè vocamus vitam, resurgentibus ex mortuis iis qui eum sincerè receperint, appellatur *resurrectio*. Hoc autem non modò in præsentiâ in his operatur, qui valent dicere : *Consepulti sumus cum Christo per baptismum*, cumque eo simul resureximus; sed etiam multò magis cùm prorsùs omni depositâ mortalitate, aliquis in novitate vitæ ipsius Filii ambulat [6]; *mortalitatem* verò *Jesu semper in corpore*, dùm hîc degimus, *circumferimus*, quandò magnum fructum cepimus, *ut vita Jesu in corporibus nostris manifestetur* [7].

11. *Aliàs*, 26. Quin etiam via, quæ est in sapientiâ, et quæ vim habet efficiendi eos qui per eam salutem adipiscuntur secundùm explicationes de veritate in divino verbo, et actiones existentes in verâ justitiâ, nobis intelligendum præbet, quomodò Christus *via* dicatur, in quam viam nihil gestare debet, neque peram, neque pallium, ac ne baculum quidem, vel calceos [8], quibus induat pedes iter facturus. Sufficiens enim per se est hæc via ad omnia suppeditanda itineri necessaria, nullàque re omninò indiget quisquis hanc ingreditur, ornatus eo vestimento, quo ornatum esse eum decet, qui invitatus vadit ad nuptias, cùm nulla res molesta possit in hàc viâ occurrere. Facile enim factu non est, teste Salomone [9], ut serpentis, et, ut ego arbitror, cujusvis etiam feræ vias inveniat quis supra petram. Quarè nihil opus est baculo in viâ hâc, quæ tantùm abest ut contrariorum vestigia habeat, ut ne illorum quidem quæ mala sunt, ob soliditatem, undè etiam *petra* dicitur, sit capax.

12. *Aliàs*, 27. Porrò Unigenitus *veritas* est, omnem omnium rerum juxta Patris voluntatem cum omni claritate rationem in se complectens, atque unicuique, in quantùm est *veritas*, pro illius dignitate et merito distribuens. [a] Quòd si quis in-

[1] *Joan.* XVII, 21. — [2] *Id.* XII, 26. — [3] *Rom.* VIII, 21. — [4] *Id.* V, 3-5. — [5] *Id.* VIII, 20. — [6] *Id.* VI, 4. — [7] II *Cor.* IV, 10. — [8] *Matth.* X, 10. — [9] *Prov.* XXX, 19.

[a] Sunt qui dicunt quòd Origenes nonnumquàm asseruit minorem esse cognitionem Filii quàm Patris. Sic Hieronymus in Epistolâ 59 ad Avitum, cap. 4, recitat hoc ipsius decretum è Libro 4 de Principiis, n. 35, quod et græcè exhibet Justinianus in fine Epistolæ ad Menam : « Curiosus lector inquirat utrùm « à semetipso cognoscatur Pater, quomodò cognoscitur à Fi- « lio; sciensque illud quod scriptum est : *Pater qui misit me*, « *major me est* [1], in omnibus verum esse contendet, ut dicat et « in cognitione Filio Patrem esse majorem, dùm perfectiùs et « puriùs à semetipso cognoscitur, quàm à Filio. » Hæc HUETIUS, in Origenianis, Lib. 2, Quæst. 2, n. 19.

At Marapus : Hoc loco, *inquit*, non suis ipse verbis loqui-

[1] *Joan.* XIV, 28.

quirat nùm omne quod tandem cognitum est Patri juxta profunditatem et divitiarum, et sapientiæ, et cognitionis ejus, Servator noster sciat, et causà glorificandi Patrem, quædam à Patre cognita esse dicat, quæ Filius ignoret, cùm alioqui possit ex æquo perindè atque ingenitus Deus apprehensiones prehendere; sciendum est Servatorem ipsum, quia sit *veritas*, nihil veri ignorare, idque tùm maximè adjungendum est, *solida* si est *veritas*, ne claudicet veritas diminutâ cognitione eorum quæ sunt in solo Patre, ut isti tradunt: vel ostendat aliquis quædam esse quæ cognoscuntur, quæ veritatis appellatione nuncupari non possunt, sed supra ipsam veritatem sita sunt.

13. *Aliàs*, 28. Cæterùm perspicuum est principium fontemque vitæ sincerioris ac purioris, atque à mixtione cujuscumque rei alienæ, propriè *in primogenito omnis creaturæ* existere, à quà qui Christi sunt participes sumentes, veram vivunt vitam, cùm hi qui præter ipsum vivere existimantur, ut veram lucem non habent, ità ne veram quidem vivant vitam.

14. *Aliàs*, 29. Quoniam verò in Patre vel apud Patrem non licet esse ei qui primum ab imo ascendendo non pervenerit ad Filii divinitatem, per quam quis manu duci potest etiam ad paternam, *ostium* Salvator inscriptus est. Generis autem humani manas cùm sit, et qualemcumque animorum ad meliorem frugem inclinationem admittat, eorum qui ad [Λόγον, id est], ad Rationem non festinant, oviumque instar non exquisitam, sed irrationalem mansuetudinem et lenitatem habent, pastor efficitur; *homines* enim *et jumenta servat Dominus*[1]: quin et Israel et Judas nedùm hominum, sed etiam jumentorum semen seminat.

15. *Aliàs*, 30. Ad hæc, à principio considerandum est *Christi* vocabulum, adjuncto etiam vocabulo *Regis*, ut comparatione quid differant intelligatur. Cùm itaque in quarto hic et quadragesimo Psalmo dicatur amans justitiæ et osor iniquitatis præ

[1] *Psalm.* XXXV, 7.

tur Origenes, sed alium inducit loquentem, cujus sententiam nullà approbationis significatione confirmat, ut quisque percipere potest ex ipso testimonio, quod græcè habetur Lib. 4 de Principiis, num. 35. Atque etiamsi hoc loco non alienam sententiam, sed suam proponeret, illius profectò verba eodem sensu accipienda essent, quo ista Basilii ex Lib. 4 adversùs Eunomium: « Si verus Deus, et lux, et immutabilis, et bonus, « et sanctus, et Dominus est Filius. Hæc autem et Pater cùm « sit, non similiter est, sed ampliùs; non substantiæ exsupe- « rantiâ, sed qualitatis præstantiâ. » Et hanc esse mentem Origenis intelligitur ex Rufino, Invect. 1 in Hieronymum, ubi Origenes suo nomine loquitur, ac statuit non esse dubium quin si Pater sit in Filio, et comprehendatur ab eo in quo est: « Si enim Patrem cognoscit Filius, *inquit*, videtur, in eo quòd « novit Patrem, posse eum comprehendere, ut si dicimus ar- « tificis animum artis scire mensuram. Nec dubium quin si « Pater sit in Filio, et comprehendatur ab eo in quo est. Sin « autem comprehensionem eam dicimus, ut non solùm sensu « quis et sapientiâ comprehendat, sed et virtute et potentiâ « cuncta teneat qui cognovit, non possumus dicere quòd com- « prehendat Filius Patrem. Pater verò omnia comprehendit. « Inter omnia autem et Filius est: ergò et Filium comprehen- « dit. » Unitatem essentiæ et æqualitatem in Patre et Filio mirificè exponit Origenes, dùm Patrem à Filio comprehendi statuit, quia Pater in Filio est. Patrem ergò in Filio esse credebat, non quia Patri Filius obedit, sed quia Filio Pater totam divinam substantiam generando tradidit. Undè scientiam et sapientiam in utroque æqualem agnoscit Origenes, ac illud « tantùm comprehensionis genus, quo genitum comprehendit « genitor, à Filio removet. » D. PRUDENTIUS MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, c. 16, n. 2 et 4.

Alioquin, subdit Huetius, loco suprà citato, num. 20, hæc quamvis asseveranter pronuntiata sint ab Origene, scilicet, minorem esse cognitionem Filii quàm Patris, idem ipse tamen Tomo, seu Homiliâ 1 in Joannem, num. 27 (in nostrâ editione, num. 12, suprà), æqualem cognitionem Filii cognitioni Patris videtur statuere. Idem statuit etiam Origenes, Lib. 6 contra Celsum, num. 17 et num. 65, subjungit Delarue, eodem loco. Vide ad calcem Tomi 4 et ultimi Operum Origenis, edit. Delarue, BULLUM in Defens. Fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ, Sect. 2, c. 9, n. 9 et n. 16.

Valere etiam potest hic numerus adversùs Origeni intentatam ab Hieronymo et Augustino criminationem, et relatam à primo in Epistolà 59 ad Avitum, cap. 1: « Filium, quantùm ad « Patrem, non esse veritatem, quantùm ad nos, esse imagina- « riam veritatem: » à secundo autem, in Libro de Hæres. ad Quodvultdeum, Hæres. 43: « Dicit prætereà Origenes quòd « Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit; Patri « collatus, mendacium. »

Fatetur Petavius non ità desipuisse Origenem, ut Filium Dei ullâ ratione *mendacium* diceret; sed hanc consecutionem ex ejus sententiâ ab Hieronymo suprà citatâ nonnullos eruisse. Existimat Huetius hanc, ut ipse appellat, hæresim ex Lib. 1 de Principiis, c. 2, n. 6, expressam fuisse, sed Rufini artibus intricatam, et falsâ hàc interpretatione obductam: « Imago est « invisibilis Dei Patris Salvator noster, quantùm ad ipsum « quidem Patrem, veritas; quantùm autem ad nos, quibus re- « velat Patrem, imago est, per quam cognoscimus Patrem. » Reverà locus videtur aut Rufini, aut librariorum culpâ corruptus; ità ut hæc Origenis sententia esse debeat, Filium respectu Patris esse imaginem, respectu nostrî veritatem. Sed veritas, hoc loco, prout opponitur imagini, idem sonat ac exemplar, nec Origenes, cùm Filium respectu Patris imaginem, respectu nostrî veritatem sive exemplar esse dicit, à cæteris Patribus discedit, qui Patrem exemplar Filii, Filium cæterorum exemplar, Filium imaginem Patris, nos Filii imaginem esse dixerunt. Si autem Veritatis nomine intelligatur Verbum illud quod paternas omnes ideas complectitur, secundùm quòd Deus omnia gubernat, nihil longiùs abest ab Origenis mente, quàm ut illud Veritatem non esse diceret. Legere equidem malim: « Quantùm ad ipsum quidem Patrem, Virtus, » id est, persona divina. Sed tamen retineri potest vox illa, *Veritas*, modò verum Filium, ac verè substantiâ divinâ à Patre donatum intelligamus. Vituperat hoc loco Origenes probolas à Valentinianis in generationem Filii inductas, ac Filium statuit ità imaginem Dei invisibilis dici, ut nequaquam assimiletur illis imaginibus, « quæ in materiâ aliquâ, id est, ligni, vel lapidis « depingi vel exsculpi solent; » sed « sicut ipse Pater invisi- « bilis est per naturam, ità imaginem quoque invisibilem ge- « nuerit. » Undè statuit Filium, quantùm ad Patrem attinet, esse veritatem, id est, personam divinam, ac rem verè per se subsistentem; quantùm ad nos, imaginem, per quam Deum cognoscimus. D. PRUD. MARANUS, Libro 4 de Divinitate Christi, cap. 16, n. 1. Vide et BULLUM in Defensione Fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ, cap. 9, num. 17 et 18.

participibus, ob talem erga justitiam amorem ergaque iniquitatem odium, promeruisse ut ungeretur[1], tamquàm non simul cum esse unctionem existentem concreatamque acceperit; quæ unctio regni, interdùmque etiam sacerdotii mortalibus est signum : censebis tu mortale Filii Dei regnum esse, nec simul eum eo natum? Atqui quî fieri potest ut primogenitus omnis creaturæ Rex efficeretur, cùm id anteà non haberet, et idcircò quia justitiam dilexerit, cùm sit ipsa justitia? Verùm haudquaquàm nos latere debet vocabulum *Christi* ad eam naturam, quà est homo, præcipuè pertinere; juxta quam etiam anima ipsius dicitur turbata et pertristis fuisse; vocabulum verò *Regis* referri ad divinitatem : id quod ex primo et septuagesimo Psalmo confirmare licet, dicente : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis, ut judicet populum tuum in justitiâ, et pauperes tuos in judicio* [2]; apertè enim Salomoni inscriptus hic Psalmus de Christo prophetat; operæque pretium est videre cui regi optet à Deo Propheta judicium dari, et cui filio regis, et cujus regis justitiam. Meum itaque est judicium præcipuam primogeniti totius creaturæ naturam, cui ob præstantiam datum sit judicium, regem dici; filium verò regis, eum quem assumpsit hominem, ab illà formatum, et effigiatum secundùm justitiam. Quam rem sic se habere ut credam, adducor ex eo quòd sub unam et eamdem rationem contractum sit utrumque; et quòd quæ dicuntur, non tamquàm de duobus quibusdam, sed tamquàm de úno enuntientur. Nam *fecit* Servator *utraque unum* [3], cùm eorum quæ fiunt utraque unum, primitias in seipso ante omnia fecisset. Vocem autem, *utraque,* refero ad homines etiam illos, qui permixtam Spiritu sancto habentes animam, spirituales effecti servantur. Ut igitur aliquos cernere est, quibus Christus est Pastor, sicuti prædiximus, propter suam ipsorum mansuetudinem et firmitatem, quæ inest in irrationali parte animæ; sic etiam aliquos videas, quibus Rex sit ipse Christus, ob eam animæ partem quæ rationis magis est capax, per quam accedunt ad Dei cultum. Quorum quidem regem habentium sunt differentiæ, regnante in illis rege, vel magis secundùm mysticam et arcanam rationem, arcaniùs, ac diviniùs, vel imperfectiùs. Ex quo dixerim ego in illis qui eousquè ratione pervenerunt, ut contemplati fuerint ea quæ corporea non sunt, et à Paulo vocantur *invisibilia* [4], et quæ oculis non cernuntur, præcipuam Unigeniti regnare naturam; in iis verò, qui rationem etiam attigerunt rerum earum quæ sensu percipi possunt, et ex hisce rebus glorificant eum qui fecit ut etiam ipsi sub regno rationis sint, ipsum Christum regnare. Neque verò offendatur ullus, separantibus nobis, quæ sunt in Servatore, significationes, idem existimans etiam in substantià ipsius nos facere.

16. *Aliàs*, 31. Vel vulgaribus verò quibusque admodùm etiam patebit quomodò Dominus noster *magister* sit, et *explanator* his qui contendunt ad pietatem, ac *dominus* servorum illorum, qui *spiritum servitutis habent ad timorem* [5] : qui si proficiant, et ad sapientiam summo studio contendant, etiam hàc digni habentur : *Quoniam servus nescit quid velit dominus ipsius* [6]; nec ampliùs autem permanet dominus, factus illorum amicus : id quod ipse docet, cùm adhuc servi erant ipsius auditores, dicens : *Vos vocatis me magistrum ac dominum; et benè dicitis; sum etenim* [7]; alibi verò : *Posthàc non dico vos servos, quia servus nescit quæ sit voluntas domini sui; sed dico vos amicos* [8], quoniam *permansistis mecum in omnibus tribulationibus meis* [9]. Qui ergò in timore vivunt, quem exigit Deus à servis non bonis, ut legimus in Malachià : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus* [10]*?* servi sunt Domini, qui illorum vocatur Servator.

17. *Aliàs*, 32. Attamen nec his omnibus manifestè Filii nobilitas declaratur, sed tùm cùm : *Filius meus es tu : ego hodiè genui te* [11], dicitur ad illum à Deo, cui semper est hodiè; neque enim est vespera Dei, neque mane, meo quidem judicio, sed tempus, ut ità dicam, simul se extendens, cùm illa ipsius ingenita et sempiterna vita ipsi dies est hodiè, in quâ genitus est Filius; sic non invento originis ipsius principio, sicut neque diei.

18. *Aliàs*, 33. Insuper addendum est his quæ diximus, quomodò Filius sit *vitis vera* [12]. Ac profectò hoc perspicuum erit iis qui, ut dignum est propheticâ gratià, intelligunt illud : *Vinum lætificat cor hominis* [13]. Nam si cor est intelligendi facultas, ipsamque lætificat sermo, maximè potabilis, abducens à rebus humanis, et furere faciens, et ebrium esse ebrietate, non eâ quidem quæ est aliena à ratione, sed divinâ, quà etiam Joseph fratres, ut puto, ebrios fecit [14]; meritò is qui vinum cor hominis lætificans affert, est *vitis vera :* ob hanc causam *vera*, quòd racemos habeat veritatem, et palmites discipulos [15], suî imitatores, et ipsos fructificantes veritatem. Difficile autem est differentiam proponere *panis* et *vitis,* quandoquidem non *vitem* tantùm, sed etiam *panem vitæ* seipsum appellat. Proindè vide ne fortè quemadmodùm panis nutrit et cor roborat, confirmare cor hominis dictus, et vinum

[1] *Psalm.* XLIV, 8.— [2] *Id.* LXXI, 2. — [3] *Ephes.* II, 14.— [4] *Coloss.* I,16. — [5] *Rom.* VIII, 15. — [6] *Joan.* XV, 15. — [7] *Id.* XIII, 13. — [8] *Id.* XV, 15. — [9] *Luc.* XXII, 28. — [10] *Malach.* I, 6.— [11] *Psalm.* II, 7.— [12] *Joan.* XV, 1. — [13] *Psalm.* CIII, 15. — [14] *Gen.* XLIII, 34. — [15] *Joan.* XV, 5.

lætificat diffundens animum atque exhilarans; sic disciplinæ morales, quæ vitam acquirunt eas addiscenti atque operanti, panis quidem sint vitæ, non tamen fructus vitis dicantur; theoremata verò arcana et mystica, lætificantia atque numine animum afflantia, quæ ingenerantur in iis qui oblectantur in Domino, non solùm nutriri, verùm etiam oblectari desiderantes, vinum vocentur à verâ vite pervenientia.

19. *Aliàs*, 34. Ad hæc [elaborandum nobis est] quonam pacto *primus* et *ultimus* in Apocalypsi inscriptus est : in quantùm *primus* est, diversus ab α, id est, principio; et in quantùm est *ultimus*, non idem cum ω, id est, fine. Opinor itaque, cùm animalia quæ rationem participant, diversarum sint specierum, aliud inter ipsa esse primum, aliud secundum, aliud tertium, et sic deinceps usquè ad ultimum; quorum sanè quodnam sit primum, et secundum, et tertium, et sic usquè ad ultimum accuratè dicere humani non admodùm ingenii est, sed ejus quod naturam superet nostram. Conabimur tamen quæ ad hujus considerationis declarationem pertinere videbuntur, pro virili nostrâ afferre in medium, atque eloqui. Sunt quidam dii, quorum Deus Deus est, ut Prophetiæ loquuntur : *Confitemini Deo Deorum* [1]; et : *Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram* [2]; Deus autem, ut Evangelium tradit, *non mortuorum Deus est, sed viventium* [3]. Undè viventes etiam dii sunt, quorum Deus Deus est. Quinetiam scribente ad Corinthios Apostolo juxta propheticas voces : *Quemadmodùm sunt dii multi et domini multi* [4], nomen deorum interpretati sumus, tamquàm existant. Sunt verò etiam præter deos, quorum Deus est Deus, alii qui vocantur Throni, et alii qui dicuntur Principatus : rursùs præter hos, alii qui dicuntur Dominationes et Potestates. Dicente autem Paulo : *Super omne nomen, quod nominatur non solùm in sæculo hoc, verùm etiam in futuro* [5], credere debemus alia esse etiam, præter hæc rationalia [a], quorum vocabula haud ità familiariter nobis sint in usu, quorum unum quoddam genus *Saba* vocabat Hebræus, ob eam causam dicens nomen formatum fuisse *Sabaoth*, qui princeps hujus ordinis esset, nec diversus à Deo. Præter hæc omnia, est mortale rationale ipse homo. Universorum ergò Deus, genus primum quoddam rationale, quod cæteris honore excelleret, fecit : quod meâ sententiâ eos complectatur, qui vocantur dii : alterum in præsentiâ vocentur Throni; tertiùm verò Principatus sine dissidio. Sic autem rationali ad ultimum rationale descendendum est, quod non aliud fortassè fuerit quàm homo. Servator igitur diviniùs multò quàm Paulus, factus est omnibus omnia [b], ut omnes vel lucri-

[1] *Psalm.* CXXXV, 2. — [2] *Id.* XLIX, 1. — [3] *Matth.* XXII, 32. — [4] I *Cor.* VIII, 5. — [5] *Ephes.* I, 21.

[a] Origenes, Libro 1 de Principiis, cap. 5, eumdem hunc Pauli locum exponens : « Ex quo videlicet, *inquit*, ostendit « esse quædam præter hæc quæ commemoravit, quæ nominantur quidem in hoc sæculo, non tàmen ab ipso enumerata « fuerint, fortè nec ab alio aliquo intellecta ; esse verò alia « quæ in hoc sæculo quidem non nominentur, tamen nominabuntur. » Nec unus id sibi persuasit Origenes præter eos Angelorum ordines qui nominantur in Scripturâ, alios esse numero infinitos, et hominibus ignotos; scripsit siquidem Chrysostomus, Homiliâ 4 de Incomprehensibili : « Sunt enim, « sunt et aliæ Virtutes, quarum ne nomina quidem scimus : » quod paulò pòst ex suprà memorato Pauli ad Ephesios loco colligere se profitetur. Atque id ipsum iterat, Oratione 5 contra Anomæos, et Homiliâ 3 in Epistolam ad Ephesios. Assentiuntur Chrysostomo Theodoretus in eumdem ejusdem Epistolæ locum, Œcumenius, et Theophilactus. HUETIUS, in Notis.

[b] Theophilactus, Epistolâ Paschali 2, queritur Origenem sensisse « Christum pro dæmonibus ac spiritualibus nequitiis « apud superos affigendum cruci. » Non aliter Hieronymus, Epistolâ 61 ad Avitum, cap. 4 : « Cùmque dixisset « (Origenes) juxta Joannis Apocalypsim, Evangelium sempi« ternum, id est, futurum in cœlis, tantùm præcedere hoc « nostrum Evangelium, quantùm Christi prædicatio Legis Ve« teris sacramenta, ad extremum intulit (quod et cogitâsse « sacrilegum est) pro salute dæmonum Christum etiam in « aere, et in supernis locis esse passurum. Et licèt ille non « dixerit, tamen quòd consequens sit intelligitur : sicut pro « hominibus homo factus, ut homines liberaret, sic et pro « salute dæmonum Deum futurum, quod sunt hi ad quos « venturus est liberandos. » Pejus quid repræsentat Justinianus imperator in Epistolâ ad Menam, futurum nempè ut pro dæmonibus crucifigatur Christus, idque sæpenumerò per futura sæcula. Horribile verò est et exsecrandum quod Joannes Damascenus in Libro de Hæresibus Origeni persuasum fuisse ait, nempè « Christum unà cum diabolo à Rege « gubernatum iri, eumque in crucem actum dæmonibus falsa « denuntiaturum. »

Nunc rivis omissis, ex ipso fonte hauriamus. Origenes, Homiliâ 10 in Lucam, ex eo probat Jesu Christi adventum Veteris Testamenti Patribus profuisse, quòd *Cœlestibus* profuerit. Hæc sunt ipsius verba : « Ut enim arbitror, etiam Pa« tres nostri Abraham, et Isaac, et Jacob, et universus cho« rus sanctorum Prophetarum et justorum, Christi præsen« tiâ fruiti sunt. Si enim, juxta divinum Apostolum, *per « crucis suæ sanguinem pacificavit ea quæ in terrâ et quæ « in cœlis sunt* [1], quid dubitas credere ipsum quoque Pa« tres visitâsse, et ejus ad inferos adventum hoc effecisse ? » Quo Pauli loco in eamdem abutitur sententiam Homiliâ 1 in Leviticum, num. 3, et Lib. 5 in Epistolam ad Romanos, num. 10, p. 568. Hoc autem *Cœlestium* nomine, non Angelorum modò ordines, sed sidera quoque notavit, utpotè quæ non animâ modò, sed ratione etiam prædita censuerit. Quæcumque autem ratione pollent, peccato esse obnoxia, ac proindè purgatione indigere arbitratus est; purgationis verò officium illis morte suâ exhibuisse, salutemque procurâsse Christum. Sic error errori cohæret. Rationalia porrò enumerans suprà, Angelos in iis, homines ac dæmones collocavit. Astris autem animam addidit, è supernis nimirùm cœlitum ordinibus depromptam, ad quam peræquè mortis Christi beneficium pertinuerit. Commenta illa palàm profert infrà,

[1] *Coloss.* I, 20.

faceret, vel perficeret [1]; et manifestè homo hominibus, Angelis Angelus factus est. Cùmque fidelium nemo ambigat hominem eum fuisse, Angelum etiam eum fuisse inducamur ad credendum, servantes Angelorum apparitiones et verba, quandò potestatem eum apparet Angelorum habere : in quibusdam Scripturæ locis Angelis loquentibus, veluti illo in loco : *Visus est Angelus Domini in flammâ*

[1] I *Cor*, IX, 22.

num. 40 [a], Christumque asserit magnum esse Pontificem, non pro hominibus modò, sed pro omni etiam quod rationis esset capax, atque ità demùm concludit : « Etenim « absurdum est pro peccatis quidem humanis dicere eum « mortem gustâsse, non ità verò pro quibuscumque etiam « aliis, qui præter hominem in peccatis essent, verbi gra- « tiâ pro *astris*, nimirùm neque astris omninò coram Deo « puris existentibus, veluti legimus apud Job : *Astra au-* « *tem non sunt munda in conspectu ejus*, nisi fortè hoc « hyperbolicè dictum est. » Simile quid innuit Tomo (seu Homiliâ) 2 in Joannem, numero 16, cùm Christum lucem esse ait non hominum dumtaxat, sed et eorum omnium qui rationis capaces sunt. Nec his finibus mortis Christi pretium et valorem circumscripsisse visus est, sed ad res creatas omnes porrexisse ; ait enim Tomo (seu Homiliâ) 13 in Matth., num. 8, Christum passum « pro hominibus, vel « etiam universo ; » et Tomo (seu Homiliâ) 2 in Joannem, numero 6 : « Aut hoc etiam dici potest, *inquit*, creatæ na- « turæ, ut à servitute interitûs corruptionisque liberaretur, « atque etiam hominum generi beatâ ac divinâ virtute, ut ità « dicam, incarnatâ opus fuisse, quæ ea etiam quæ in terrâ « sunt corrigeret. »

Non satis verò ipse sibi videtur constare, cùm rationem modumque explanat, quo res rationis compotes à corruptionis servitute Christus liberavit. Nam singulis Angelorum ordinibus, in suâ unicuique formâ apparuisse, Evangelium prædicâsse, et in cœlo deniquè mortem pro iis obiisse sciscere videtur aliquandò, velut cùm ait Homiliâ 8 in Genesin, num. 8 : « Considerandum est quia Angelus hæc refertur « ad Abraham locutus, et quia in consequentibus evidenter « hic Angelus Dominus ostenditur : undè puto quòd sicut « inter nos homines habitu repertus est ut homo, ità et « inter Angelos habitu est repertus ut Angelus. » Et cùm Tomo 15 in Matth., num. 7, Angelos Christi discipulos appellari posse asserit : « Ad potestates quippè sanctas discipu- « lorum Jesu quoque nomen pertinere consentaneum est, « ut non homines solùm, sed et Angeli quibus visus est, « se ipsi erudiendos tradant, et quisquis fidem ipsius volue- « rit amplecti, ex *omni nomine quod nominatur, non* « *solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* » Et cùm hoc numero, suprà, Servatorem ait factum omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret, quicumque salutem adipisci poterant, quòd rationis essent participes : tùm res ratione pollentes recenset, earumque triplicem constituit seriem ; ac primam Angelis assignat, et dubitat deindè posterioresne partes adscribat hominibus, an τοῖς καταχθονίοις, quorum è numero dæmones, vel omnes, vel aliquos esse autumat. Et cùm Libro primo Commentariorum in Epistolam ad Romanos, num. 4, quærit annon Christus *manifestatus in carne*, cùm *apparuerit* Angelis, eis absque Evangelio non apparuerit : tùm subjicit deindè : « Si ergò cùm apparuit nobis « hominibus, non sine Evangelio apparuit, consequentia vi- « detur ostendere, quòd etiam Angelico Ordini non sine « Evangelio apparuerit, illo fortassis quod æternum Evan- « gelium à Joanne memoratum [1] suprà edocuimus. Si verò « etiam in reliquis cœlestibus Ordinibus tale aliquid gestum « esse ab eo suspicandum sit, in eâ quâ singuli quique « sunt formâ apparens eis, et annuntians pacem, quoniam « quidem *per sanguinem crucis suæ pacificavit* non solùm « *quæ in terrâ*, sed *quæ in cœlis sunt*, etiam tu apud « temetipsum discutito. » Et cùm, Homiliâ 1 et 2 in Leviticum, Christum « in cœlestibus vitalem corporis sui vir- « tutem, velut corporale quoddam sacrificium immolâsse » ait, et cœlestia eatenùs pacificâsse per sanguinem suum, quatenùs in cœlis pro munere oblatus est.

At contrà *unâ morte in terris obitâ* rebus universis ratione instructis salutem promeruisse Christum pluribus locis decernit. Nam præter hunc præsertim hujus Homiliæ, num. 40 [b], in quo Christus dicitur « magnus Pontifex, non modò pro « hominibus, sed etiam pro omni quod rationis est capax, « hostiam *semel oblatam* seipsum offerens ; » et istum prætereà è Tomo 7 contra Celsum, num. 17, p. 706 : « Passus « est ut sapiens et perfectus quæcumque oportebat pati eum « qui generis humani aut etiam naturarum intelligentium « gratiâ omnia faciebat ; » unus ille pro omnibus esse posset, qui habetur in fine Libri 5 in Epistolam ad Romanos, num. 10, p. 568, ubi mirari se dicit « quosdam contra « hanc evidentissimam Pauli sententiam (scilicet, quia *mors* « *ei* (Christo) *ultrà non dominabitur* [2]), velle asserere quòd « in futuris iterùm sæculis vel eadem vel similia pati ne- « cesse sit Christum, ut liberari possint etiam hi quos in « præsenti vitâ dispensationis ejus medicina sanare non po- « tuit. » Et paulò pòst : « Sed ad hæc nos breviter, prout possu- « mus, respondebimus. Manere quidem naturæ rationabili « semper liberum arbitrium non negamus ; sed tantam esse « vim crucis Christi et mortis ejus, quam in sæculorum fine « suscepit, asserimus, quæ ad sanitatem et remedium non « solùm præsentis et futuri, sed etiam præteritorum sæcu- « lorum, et non solùm humano huic nostro ordini, sed etiam « cœlestibus Virtutibus Ordinibusque sufficiat ; secundùm sen- « tentiam namque ipsius Pauli Apostoli, Christus *pacificavit* « *per sanguinem crucis suæ*, non solùm *quæ in terrâ sunt*, « sed et *quæ in cœlis*. »

Certè de morte à Christo oppetitâ aliter sensisse Origenem ac vulgò in eum jactatur, ex perspectis attentâ consideratione ejus verbis conjecturam capio ; neque enim persuaderi possum tantùm in eo fuisse vecordiæ, ut iterata Christum vel passum, vel passurum esse crederet supplicia aut in cœlo, aut in aere, vel Angeli, vel dæmonis indutum formâ. Calumniæ huic præbuisse videtur ansam unus locus quem proferunt Justinianus et Hieronymus ; nam alium nullum expressis hæreseos hujus notis insignem apud eum reperio ; nec ullos in iis exstitisse lucubrationibus verisimile est quæ interciderunt ; nec eos quippè intactos adversarii ejus prætermisissent.

Locum istum Justiniani exhibitum in Epistolâ ad Menam è Libro 4 de Principiis, num. 25, latino sic conceptum sermone repræsentat Hieronymus in Epistolâ 61 ad Avitum, cap. 4 : « Sicut enim per umbram Evangelii umbram Legis « implevit ; sic, quia omnis Lex exemplum et umbra est « cæremoniarum cœlestium, diligentiùs requirendum utrùm « rectè intelligamus Legem quoque cœlestem, et cæremonias « superni cultûs plenitudinem non habere, sed indigere Evan- « gelii veritate, quod in Joannis Apocalypsi Evangelium legi- « mus sempiternum, ad comparationem videlicet hujus « nostri Evangelii, quod temporale est, et in transituro mun- « do ac sæculo prædicatum. Quod quidem etiamsi usquè ad « passionem Domini Salvatoris inquirere voluerimus, quam- « quàm audax et temerarium sit in cœlo ejus quærere pas- « sionem, tamen si spiritualia nequitiæ in cœlestibus sunt,

[1] *Apoc.* XIV, 6. — [2] *Rom.* VI, 9. — [a] In nostrâ editione, num. 26. — [b] In nostrâ editione, num. 26.

ignis de medio rubi, et dixit : Ego sum Deus Abraham, et Isaac, et Jacob[1]. Quinetiam Isaias dicit : *Vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus*[2]. Primus ergò et ultimus est Servator, non quòd non sit etiam media; sed idcircò duorum extremorum vocabulo gaudet, ut declaret se omnia fuisse. Inspice verò utrùm homo sit ultimum rationale, an ea quæ vocantur subterranea, quorum

[1] *Exod.* III, 2 *et* 6. — [2] *Isai.* IX, 6.

« et non erubescimus crucem Domini confiteri propter de« structionem eorum quæ suâ passione destruxit, cur timea« mus etiam in supernis locis, in consummatione sæculorum « aliquid simile suspicari, ut omnium locorum Gentes illius « passione salventur? » Ex hàc Hieronymi interpretatione liquet perperàm à Justiniano accepta fuisse verba Origenis; nam quod apud eum legitur : Ἕως τῆς συντελείας τοῦ παντὸς αἰῶνος, tàmne supinè et negligenter intellexisse credemus Hieronymum, ut verteret : *In consummatione sæculorum*? Potiùs est ut dicamus legendum : Ἐπὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, facili litterarum permutatione; nam et Libro 5 in Epistolam ad Romanos, num. 10, p. 568, ubi vertit Rufinus : « Mortis hujus, quam in fine sæculorum suscepit, » verisimile est scripsisse itidem Origenem : Ἐπὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Id si ità est, Origeniano huic loco lemma hujusmodi Justinianus immeritò præfixerit : « Oportere Chri« stum etiam pro dæmonibus crucifigi, idque sæpiùs in fu« turis sæculis : » quod cùm extra ordinem in fronte describendum esset, malè sequentibus in unam seriem adtextum est. Est igitur corruptus ille Justiniani locus. Quòd si Hieronymi interpretationi adhæreamus, non tàm aperta erit sententia, ut indè consequi demus id voluisse sibi Origenem, Christum pro dæmonibus iterùm mortem oppetiturum. Maximam prætereà et præcipuam dogmatis hujus partem, quæ pro salute dæmonum dæmonem futurum Christum statuit, minimè in Origenis exstare Libris fatetur Hieronymus, Epistolà 61 ad Avitum, cap. 4; sed ex ejus tantùm pronuntiatis necessariò profluere arbitratus est, itidem ut Alexandrinus ille Theophilus, quemadmodùm dixi, cùm eorum accusationes recenserem.

Genuinam ergò de morte Christi doctrinam Origenis hanc fuisse censeo : Semel omninò Christum obiisse, in terris nimirùm, cùm à Pontio Pilato morti addictus est; postquàm autem cruento illic mactatus sacrificio hominum peccata eluit, spiritali quodam sacrificio cœlestium, aliarumque rerum, quæ rationis compotes essent, noxas abstersisse : « Nisi « quia fortè, *inquit*, Homilià 1 in Leviticum, num. 3, hoc « intelligi voluit (Moyses), quòd sanguis Jesu non solùm in « Jerusalem effusus est, ubi erat altare, et basis ejus, et « tabernaculum testimonii, sed et quòd supernum altare quod « est in cœlis, ubi et Ecclesia primitivorum est, idem ipse « sanguis asperserit, sicut et Apostolus dicit : *Quia pacifica« vit per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terrâ sunt, sive « quæ in cœlis*. Rectè ergò secundò nominat altare, quod est « ad ostium tabernaculi testimonii, quia non solùm pro ter« restribus, sed etiam pro cœlestibus oblatus est hostia Jesus; « et hìc quidem pro hominibus ipsam corporalem materiam « sanguinis sui fudit; in cœlestibus verò ministrantibus (si « qui illi inibi sunt) sacerdotibus, vitalem corporis sui virtu« tem, velut corporale quoddam sacrificium, immolavit. » Addit deindè duplicem in eo fuisse hostiam, unam terrestribus convenientem, aliam aptam cœlestibus, et cùm duplici illo velamine, quod commemorat Paulus in Epistolà ad Hebræos [1], caro Christi, et cœlum quod ipse penetravit, significentur, duplex proindè intelligendum esse sacrificium, per quod terrestribus et cœlestibus salutem comparârit. Hæc attentè perspecta expositionem quæ ad oram adjecta est, manifestè respuent, quâ cœleste illud sacrificium Eucharistiam esse, terrestre verò toleratam in cruce mortem asseritur. Præterea non pro peccato, sed pro munere oblatum in cœlo Christum pronuntiat, Homilià 2 in Leviticum, num. 3 : « Vide ergò, *inquit*, ne fortè « Jesus, quem Paulus dicit *pacificâsse per sanguinem suum* « non solùm *quæ in terris*, sed et *quæ in cœlis sunt*, idem « ipse sit vitulus, qui in cœlis quidem non pro peccato, sed pro « munere oblatus est; in terris autem, ubi ab Adam usquè ad « Moysen regnavit peccatum [2], oblatus sit pro peccato; et hoc « est passum esse *extra castra* [3]. »

Quomodò autem unicuique in suâ formâ apparuerit, exponit ipse in hoc eodem numero, et hominem hominibus factum esse docet, quandò *manifestatus est in carne* [4] : Angelum Angelis, quandò Patriarchis et Prophetis visus est, Moysi, putà, in rubo [5]; inferis autem, quandò *factus est inter mortuos liber* [6]. Prædicâsse quoque Angelis Evangelium dici potest, quandò futuræ Incarnationis mysterium ipsis aperuit; subterraneis verò, quandò *penetravit omnes inferiores partes terræ, et inspexit omnes dormientes, et illuminavit omnes sperantes in Domino* [7] : quandò *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in eo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquandò, quandò exspectabant Dei patientiam in diebus Noe* [8] : quandò *mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundùm hominem in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu* [9]. Vel tunc etiam Angelis doctrinam suam prædicâsse dicendus est, cùm ad homines verba faciens, præsentes quoque Angelos est allocutus. Id innuit Origenes, Homilià 23 in Lucam : « Docet igitur Salvator noster, et Spiritus sanctus qui « locutus est in Prophetis, non solùm homines, sed etiam An« gelos, et Virtutes invisibiles; » et deindè : « Venit enim, non « Joannes et Prophetæ tantùm, sed etiam ipse Salvator, et An« gelis, et Virtutibus cæteris salutarem pœnitentiam prædi« care, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, « terrestrium, et infernorum* [10]; » Angelos quippè peccatis obnoxios esse censuit, ut diximus suprà. Nec Christum duntaxat, sed et Prophetas, et Apostolos, quotiescumquè ad homines orationem de divinis rebus habuerunt, ad Angelos quoque habuisse eâdem Homilià declaravit. Ità autem et Angelis, et subterraneis, et hominibus Christum apparuisse putavit, ut unicæ suæ mortis in corpore humano toleratæ beneficium iis applicaret, non ut, assumptis illorum formis, novas mortes sustineret. Quod autem alicubi sentire videtur, Christum non pro rebus modò ratione præditis obiisse mortem, sed pro creatis etiam quibuscumque, facilè explicabimus, si meminerimus refragari id doctrinæ ipsius contextui et sequelæ; nam rationis capacia omnia perpetuum habere libertatis usum opinatus est; quæ libera autem, ea peccatis obnoxia; quæ peccati rea, ea purgatione egere; purgationem verò conferre solam Christi mortem potuisse. At res rationis expertes libertate carere, ac proindè non peccare censuit, nec indigere purgatione, proptereàque mortis Christi fructum neutiquàm percipere. Per κτίσιν igitur, ratione prædita Dei opificia significâsse ipsum dicendum est, posito genere pro specie.

Patet itaque ex priori hoc figmento, quo perpetuum libertatis usum rebus omnibus ratione præditis adscripsi, et fuisse perpulsum Origenem, ut reconciliatione opus illis esse

[1] *Hebr.* VI, 9 *et* X, 20. — [2] *Rom.* V, 14. — [3] *Hebr.* XIII, 12. — [4] I *Tim.* III, 16. — [5] *Exod.* III, 2. — [6] *Psalm.* LXXXVII, 5 *et* 6. — [7] *Eccli.* XXIV, 45 — [8] I *Petr.* III, 18-20. — [9] *Id.* IV, 6. — [10] *Philipp.* II, 10.

de numero sunt dæmones, vel omnes, vel aliqui. Inquirenda sunt et illa, quæ Servator se factum per Prophetam David inquit : *Et factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber*[1] ; sicut plùs habens præ hominibus, quia natus sit ex virgine, et ob reliquam vitam admirabiliter transactam, ità inter mortuos non derelicta est anima ejus in infernum, eo quòd illic solus fuerit liber. Atque hunc quidem in modum *primus* est et *ultimus*. Quòd si sunt litteræ Dei, ut certè sunt, quas Sancti legentes ea se dicunt legere quæ sint in tabulis cœli, elementa illa per quæ legenda sunt cœlestia, notiones sunt, in minutas partes divisæ, nempè in α, et quæ sequuntur, usquè ad ω, quod est Filius Dei. Rursùs idem principium est et finis; sed secundùm significationes non est idem. Nam principium est, quatenùs Sapientia est, ut in Proverbiis didicimus. Scriptum est ergò : *Deus creavit me principium viarum suarum ad opera ejus.* Quatenùs autem Verbum est, non est principium, quia in principio erat Verbum. Igitur significationes ejus continent principium, et secundum quiddam, et tertium, præter principium, et sic usquè ad finem, tamquàm si diceret : Principium sum, quatenùs sapientia sum; secundum autem, si fortè sic contingeret dici, in quantùm sum invisibilis : tertium, in quantùm vita, quoniam *quod factum est, in ipso vita erat.* Quòd si quis Scripturarum sensum investigans, idoneus est eum assequi, is quidem fortassè inveniet pleraque, quæ ad ordinem pertineant, atque finem ipsum, nescio autem an omnia. Apertiùs autem principium ac finis secundùm communem loquendi consuetudinem, de re continuâ et unitâ dici videntur, ut domûs principium est fundamentum, et finis fastigium. Et sanè *summo angulari lapide* existente *Christo*[2], toti corpori

[1] *Psalm.* LXXXVII, 5 et 6. — [2] *Ephes.* II, 20.

putaret, hoc autem ipsis beneficium mortem Christi contulisse. Eòdem ipsum adduxerunt duo Pauli loci, alter ex Epistolâ ad Ephesios, cap. 1, vers. 10, alter ex Epistolâ ad Colossenses, cap. 1, vers. 20, quem sæpè nobis oggerit. Hunc rectiùs multò ac meliùs interpretatur Homiliâ 4 in Leviticum, num. 4 : « Sed et sanctorum, *inquit*, socios nos dicit Apostolus, nec « mirum. Si enim cum Patre et Filio dicitur nobis esse socie- « tas, quomodò non et cum sanctis, non solùm qui in terrâ « sunt, sed et qui in cœlis, quia et *Christus per sanguinem « suum pacificavit cœlestia et terrestria*, ut cœlestibus « terrena sociaret. » Quæ verior est dicti hujus Apostolici expositio, et quam tuetur Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 61. Quòd si olim quoque passurum Christum, reipsa, uti fertur, autumavit Origenes, opinionem suam fundaverit super dictum illud : *Denuò debeo crucifigi*, quod in Actis Pauli Christo tribuitur, ut ex Origene ipso discimus Tomo 20 in Joan., num. 12.

Neque verò in eo primùm hæc de morte Christi damnata est opinio : confutat eam Tertullianus, Libro de Carne Christi, cap. 14 : « Sed Angelum, *aiunt*, gestavit Christus : quâ « ratione ? quâ et hominem. Eadem ergò est et causa, ut ho- « minem gestaret. Christus salus hominis fuit, causa scilicet « ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem « restitui oportuerat. Ut Angelum gestaret Christus, nihil tale « de causâ est; nam, etsi Angeli perditio reputatur in ignem « præparatum diabolo et angelis ejus, numquàm tamen illis « restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute An- « gelorum suscepit Christus à Patre. Quod Pater neque repro- « misit, neque mandavit, Christus administrare non potuit. » Hanc autem Origenis sententiam in Commentarios suos in Epistolam ad Ephesios transtulit Hieronymus, cujus hæc verba sunt Libro 1 in cap. 1, vers. 22 : « Cur autem omnia, id est, « Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, et Virtutes cæte- « ræ, quæ numquàm fuerant contrariæ Deo, ejus pedibus sub- « jiciantur, videtur obscurum. Potest itaque responderi quòd « absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non sint munda co- « ram Deo, omnisque creatura paveat Creatoris adventum. « Undè et crux Salvatoris non solùm ea quæ in terrâ, sed « etiam ea quæ in cœlis erant, purgâsse perhibetur; » et in cap. 2, vers. 14 : « Cæterùm, qui illud Apostoli legit, de Christo « memorantis : *Pacem faciens per sanguinem crucis suæ « his quæ in terrâ sunt, et his quæ in cælis*,.. hanc totam « intelligentiam ad Angelos, Virtutesque cœlestes, et ad ani- « mas temperabit humanas;.. atque ità fieri putabit, ut crux « Domini non solùm terræ, sed et cœlo profuerit : non solùm « hominibus, sed et Angelis, et omnis creatura Domini sui « cruore purgata sit; » et Libro 2 in ejusdem Epistolæ cap. 3, vers. 10, crucem ait Christi, non solùm nobis, sed et Angelis, cunctisque in cœlo Virtutibus profuisse; per eam quippè illis, itidem ut nobis, revelatam fuisse multiplicem Dei sapientiam; et in cap. 4, vers. 10 : « Neque enim, *inquit*, scire possumus quo- « modò et Angelis, et his qui in inferno erant sanguis Christi « profuerit; et tamen quin profuerit nescire non possumus. » Quæ quòd absque confutatione protulisset Hieronymus, à Rufino reprehensus est Libro 1 Invectiv.; sed in Apologiâ nihilominùs validè se tuetur. Facit quoque ad excusationem Origenis Cyrillus, Libro 9 de Adoratione, ubi sic loquitur : « Christi « enim particeps est omnis aspectabilis, et non aspectabilis « creatura; Angeli quippè, et Archangeli, et quæcumque præter- « eà sunt, et ipsa quoque Cherubim, non aliter sancta sunt, quàm « per unum Christum in sancto Spiritu; » et Augustinus, Libro 1 de Consensu Evangelistarum, cap. 35, ubi mentes omnes rationis compotes, sive Angelorum, sive hominum, nonnisi Christi, qui sapientia est, participatione sapientes esse definit, Christumque « congrua saluti nostræ dicendo et faciendo, pa- « tiendo et sustinendo, factum esse et deorsùm hominibus « exemplum redeundi, et eis qui sursùm sunt Angelis exem- « plum manendi. » Ecclesiæ sanè decretis neutiquàm repugnat hæc propositio : Primam gratiam Angelis, ac deindè perseverantiæ donum Christum sanguine suo promeruisse, ut eo sensu Angelorum quoque conservator, et ut loquitur Tertullianus, Salutificator dici possit[a]. Minimè verò Didymi suffragium hic prætendo, quippè qui Origenismi causâ malè audierit; hæc nihilominùs verba ipsum proferam è Commentario in primam Epistolam Petri, cap. 3, quæ Origeniano fermento turgent : « Sicut enim homines abstinentes à peccatis subjecti sunt; ità « et superiora rationalia correcta spontaneis culpis, quæ for- « sitàn habuerunt, ei subjecta sunt, completâ dispensatione « habitâ pro salute cunctorum. »

Huc adde quæcumque ferè super eo argumento proposuit

[a] Vir clarissimus et doctissimus, D. MARTIN DE NOIRLIEU, Parochus S. Ludovici Antinensis apud Parisios, in Opere scientiâ referto, cui titulus : « Exposition et défense des dogmes principaux du Christianisme (Paris, 1853), » hanc doctrinam exponit et tuetur, primò, vi logicâ ipsi propriâ, secundò, Auctoritatibus suprà citatis, quibus addit auctoritatem S. Bernardi, Sermone 22 in Cantic. et S. Thomæ, Part. 3, Quæst. 2, Art. 7. Vide hoc eximium opus, p. 113-150.

unito eorum qui servantur, adaptandum est exemplum hoc; omnia enim et in omnibus est Christus unigenitus[1], qui ut principium in eo est homine quem assumpsit; ut finis autem, in ultimo, sanctorum scilicet, etiam in his qui sunt in medio. Est etiam, ut principium quidem, in Adam; ut finis autem, in adventu suo, juxta illud : *Ultimus Adam in spiritum vivificantem*[2]. Verumtamen hoc dictum congruet etiam explicationi harum vocum, *primus et ultimus.*

20. *Aliàs*, 35. Cæterùm, si observaverimus quæ superiùs à nobis dicta fuere de vocabulis *primi* et *ultimi*, ubi tùm ad species rationalium, tùm ad Filii Dei diversas appellationes et significationes orationem retulimus, habemus etiam differentiam primi et principii, et ultimi et finis, quinetiam ejus quod esse dicitur α et ω; sed neque obscurum est quomodò Christus dicatur *vivens et mortuus*, imò post hanc vocem *mortuus*, *vivens in sæcula sæculorum.* Quoniam enim non juvabamur à præcedenti ipsius vitâ, peccato obnoxii, descendit ipse ad mortalitatem nostram, ut nos ipsius Jesu peccato mortui mortificationem circumferentes[3], ordine capere possimus eam, quæ post mortificationem ipsius exstitit, vitam in sæcula sæculorum. Nam qui semper Jesu mortificationem in suo corpore circumferunt, etiam ipsam Jesu vitam habituri sunt in corporibus ipsorum clarè apparentem.

21. *Aliàs*, 36. Et hæc quidem ipse de seipso in Libris Testamenti Novi enuntiavit. Apud Isaiam autem suum ipsius os à Patre positum esse dixit veluti gladium acutum, et se absconditum fuisse sub umbrâ manûs ipsius, assimilatum interim sagittæ electæ, et in Patris pharetrâ absconditum : servum Dei universorum ab ipso vocatum, et Israelem, et lucem Gentium[4]. Gladius itaque acutus est os Filii Dei, quoniam *vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrantior quovis gladio utrimque incidente, et pertingens usquè ad divisionem animæ simul ac spiritûs, compagumque et medullarum, et discretor cogitationum et notionum cordis*[5]; præsertim cùm venerit, non ut mittat pacem super terram, hoc est, in res corporeas et sensibiles, sed gladium[6]; et ut discindat perniciosam, ut ità loquar, corporis amicitiam et animæ, quo anima permittens seipsam spiritui qui militat adversùs carnem, amicitiam cum Deo ineat, gladium, vel tamquàm gladium acutum habuit os juxta propheticum sermonem. Quinetiam inspiciens aliquis tot divino amore sauciatos, non secùs atque erat illa, quæ in Cantico Canticorum se hoc passam fatebatur, inquiens : *Amore vulnerata ego sum*[7], is profectò non aliam inventurus est sagittam tàm multorum animas amore Dei vulnerantem, quàm eum qui dicit : *Posuit me sicut sagittam electam.*

22. *Aliàs*, 37. Ad hæc, quisquis intellexerit quonam pacto Jesus factus sit discipulis non tamquàm recumbens, sed *tamquàm ministrans,* quippè qui cùm Filius Dei esset, pro liberandis iis qui peccato serviebant, formam servi sumpserit, non ignorabit quomodò ad ipsum Pater dicat : *Servus meus es tu;* ac mox : *Magnum tibi est, ut voceris servus meus*[8]. Nam nobis audendum est dicere majorem divinioremque, atque verè, secundùm imaginem Patris, Christi bonitatem apparere, quandò *humilem præbuit semetipsum, factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis,* quàm si rapinam arbitratus esse se æqualem Deo[9], noluisset pro mundi salute fieri *servus.* Ob eam causam volens nos docere magnum donum se à Patre accepisse, quòd sic serviverit, inquit : *Et Deus meus erit mihi fortitudo mea; et dixit mihi : Magnum tibi est ut voceris servus meus;* nam servus non factus, non excitâsset Jacob, neque dispersionem Israel convertisset; sed neque futurus erat in lucem Gentium, ut usquè ad extremum terræ salus esset[10]. Et res quidem non usquè adeò magna est, quòd servus ipse fuerit factus, quamvis à Patre hoc magnum esse dicatur, si conferatur cum *agnello* et *agno innocente;* ut enim agnellus innocens, qui ducitur ut sacrificetur, factus est ille Agnus Dei, ut auferat peccatum mundi, et qui omnibus sermonem suppeditat, etiam assimilatus est agnello sine voce coram tondente[11], ut morte ipsius omnes nos purificemur, quæ dátur instar pharmaci adversùs actiones adversarias, et adversùs peccatum eorum qui recipere cupiunt veritatem; siquidem imbelles fecit

[1] I *Cor.* XV, 28. — [2] *Ibid.* 4. — [3] II *Cor.* IV, 10. — [4] *Isai.* XLIX, 2, 3 *et* 6. — [5] *Hebr.* IV, 12. — [6] *Matth.* X, 34. — [7] *Cant.* II, 5. — [8] *Isai.* XLIX, 3 *et* 6. — [9] *Philipp.* II, 6 *et* 8.— [10] *Isai.* XLIX, 5 *et* 6. — [11] *Id.* LIII, 7.

Origenes, hæsitando et inquirendo, non affirmando proposuisse, velut in illo insigni loco ex Homiliâ 1 in Leviticum, num. 3 : « Sed et hoc fortassè, *inquit,* non sine causâ fit, *etc.;*» Item paulò infrà : « Nisi quia fortè hoc intelligi voluit, *etc.;*» et in altero, ex Homiliâ 2, num. 3 : « Vide ergò ne fortè Je- « sus, *etc.;* » tùm in eo qui petitus est ex hoc numero, quomodò subterraneis similis factus sit, dubiè inquirit. Apertissimè verò fluctuationem suam exprimit Libro 1 in Epistolam ad Romanos, num. 4, cùm varias illas Christi apparitiones recenset : « De quibus, *inquit*, quamvis periculosum videatur « chartulis committere sermonem, tamen non otiosè præter- « eunda sunt *dicta sapientium et ænigmata*[1], sed subtili ad- « modùm mentis acie (in quantùm res patitur), velut per « quoddam speculum contemplanda, ne fortè is qui Verbum « caro factus apparuit positus in carne, *etc.*» Ex HUETIO, Lib. 2 Origenian., Quæst. 3, num. 21-26.

[1] *Prov.* I, 6.

mors Christi eas potentias, quæ humano generi bellum inferunt, et vindicabit à peccato vitam in unoquoque credentium, potentià indicibili. Quoniam autem aufert peccatum, ut totus sine peccato sit mundus, idque facit donec universos hostes suos, atque adeò mortem ipsam, nempè ultimum hostem, devicerit, idcircò Joannes ait, ostendens ipsum : *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* [1] *:* non inquit : Qui tollet aliquandò, neque item qui abstulit quidem antè, nunc autem non tollit ; non cessat enim ab unoquoque in mundo existente peccatum tollere, quoad è toto mundo sublatum fuerit peccatum, ac Servator tradiderit paratum Patri regnum [2], quod quidem eo quòd ne leve quidem peccatum superfuturum sit, poterit à Patre recipi, et rursùm suscipiet omnia Dei in toto seipso perfectè, quandò impletur illud, *ut sit Deus omnia in omnibus* [3]. Dicitur etiam præter hæc vir veniens post Joannem, ante ipsum factus, et ante ipsum existens [4], ut [a] edoceamur etiam hominem

[1] *Joan.* I, 29. — [2] I *Cor.* XV, 24. — [3] *Ibid.* 28. — [4] *Joan.* I, 15, 17, 30, 31 *et* 33.

[a] Cùm præexistentiam animarum admitteret Origenes, conjecit eum hæc opinio [a] in absurdam de Christi animâ sententiam. Statuenti enim animas ante exstitisse, quàm in corpora mitterentur, integrum non fuit idem de Christi animâ non dicere ; et cùm fides Catholica doceat nec animam Christi, nec corpus à Verbo umquàm separata exstitisse, inducenda fuit unio animæ cum Verbo ante unionem ejusdem Verbi cum corpore. Sed quoniam ex Libro 2 de Principiis, cap. 6, ubi eâ de re fusiùs disserit, plurimi concludunt sensisse Origenem animam Christi, cùm à Deo unà cum cæteris creata esset, optimo liberi arbitrii usu consecutam esse ut cum Verbo hypostaticè conjungeretur, locus ille paulò accuratiùs examinandus est. Postquàm igitur num. 2, admonuit Origenes se « suspiciones « potiùs quàm manifestas aliquas affirmationes » allaturum, quod argumento est eum his de rebus nihil statuere ausum esse, hæc addit num. 3 et 4 : « Verùm cùm pro liberi arbitrii « facultate varietas unumquemque ac diversitas habuisset ani- « morum, ut alius ardentiore, alius tenuiore et exiliore « erga Auctorem suum amore teneretur, illa anima, de quâ « dixit Jesus, *quia nemo auferet à me animam meam* [1], ab « initio creaturæ et deinceps inseparabiliter ei atque indisso- « ciabiliter inhærens, utpotè Sapientiæ, et Verbo Dei, et Veritati, « ac Luci veræ, et tota totum recipiens, atque in ejus lucem « splendoremque ipsa cedens, facta est cum ipso principaliter « unus spiritus, sicut et Apostolus his qui eam imitari debe- « rent, promittit, quia *qui se jungit Domino, unus spiritus « est* [2]. Hâc ergò substantiâ animæ inter Deum carnemque me- « diante (non enim possibile erat Dei naturam corpori sine « mediatore misceri) nascitur, ut diximus, Deus homo, illâ « substantiâ mediâ existente, cui utiquè contra naturam non « erat corpus assumere. Sed neque rursùs anima illa, utpotè « substantia rationabilis, contra naturam habuit capere Deum, « in quem, ut superiùs diximus, velut in Verbum, et Sapien- « tiam, et Veritatem tota jàm cesserat. Undè et meritò pro eo « vel quòd tota esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium « Dei, etiam ipsa cum eâ quam assumpserat carne, Dei Filius « et Dei Virtus, Christus et Dei Sapientia appellatur ; et rur- « sùm Dei Filius per quem omnia creata sunt, Jesus Christus « et Filius hominis nominatur. Nam et Filius Dei mortuus « esse dicitur pro eâ scilicet naturâ, quæ mortem utiquè re- « cipere poterat ; et Filius hominis appellatur, qui venturus « in Dei Patris gloriâ cum sanctis Angelis prædicatur. Et hâc « de causâ per omnem Scripturam tàm divina natura humanis « vocabulis appellatur, quàm humana natura divinæ nuncupa- « tionis insignibus decoratur. Magis enim de hoc quàm de « ullo alio dici potest, quod scriptum est, quia *erunt ambo in « carne unâ ;* et : *Jàm non sunt duo, sed caro una* [3]. Magis « enim Verbum Dei cum animâ in carne unâ esse, quàm vir « cum uxore, putandum est. Sed et unus spiritus esse cum « Deo, cui magis convenit, quàm huic animæ, quæ se ità Deo « per dilectionem junxit, ut cum eo unus spiritus meritò di- « catur ? Quòd autem dilectionis perfectio, et meriti affectûs « sinceritas ei hanc inseparabilem cum Deo fecerit unitatem, « ità ut non fortuita fuerit, aut cum personæ acceptione ani- « mæ ejus assumptio, sed virtutum suarum ei meritò delata, « audi ad eam Prophetam dicentem : *Dilexisti justitiam, et « odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, « oleo lætitiæ præ participibus tuis* [4]. Dilectionis ergò me- « rito ungitur oleo lætitiæ, id est, anima Christi cum Verbo « Dei Christus efficitur. Ungi namque oleo lætitiæ, non aliud in- « telligitur, quàm Spiritu sancto repleri. Quòd autem *præ « participibus* dixit, indicat quia non gratia Spiritûs sicut « Prophetis ei data est, sed ipsius Verbi Dei in eâ substantia- « lis inerat plenitudo, sicut et Apostolus dixit : *In quo inha- « bitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [5]. » Fatendum sanè est primâ specie his in verbis non aliam occurrere sententiam, quàm quæ Origeni à plerisque tribuitur, animam Christi non gratuitò ad unionem cum Verbo vocatam fuisse, sed id merito suo in mercedis loco assecutam esse : undè etiam id Origeni tribuit Huetius « nos si singularem animæ Christi « adversùs Deum amorem, quo Deum in se recipere merita « est, imitemur, Christi quoque pro ratâ effectum iri partici- « pes. » Demus tamen operam ut Origenis sensa investigemus. Illud 1° observandum est nullum omninò temporis intervallum poni ab Origene inter animæ Christi creationem et ejus unionem cum Verbo. Ei enim « ab initio creaturæ, et deinceps, inse- « parabiliter atque indissociabiliter inhærebat. » Quinetiam haud dicere verear nihil cautiùs vitâsse Origenem, quàm ne ex ipsius de præexistentiâ animarum opinione sequeretur animam Christi aliquamdiù à Verbo separatam fuisse, et instar cæterarum peccare potuisse. Hinc omni asseveratione confirmat num. 5, « animam Christi ità elegisse diligere justitiam, « ut pro immensitate dilectionis ei inconvertibiliter inhæreret, « et nullum sensum vel possibilitatem peccati haberet. » Hanc autem sanctitatem et impeccabilitatem repetit ex unione hypostaticâ cum Verbo Dei. Utitur exemplo massæ ferreæ, quæ « si semper in igne posita sit, omnibus suis poris, omnibusque « venis ignem recipiens et tota ignis effecta, si neque ignis ab « eâ cesset aliquandò, neque ipsa ab igne separetur, » numquàm poterit frigus recipere. « Hoc ergò modo, *inquit*, num. 6, « etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in « Verbo, semper in Sapientiâ, semper in Deo posita est, omne « quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est ; et ideò nec « convertibilis aut mutabilis dici potest, quæ inconvertibilita- « tem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit. Ad « omnes deniquè sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus « est pervenisse ; in hâc autem animâ ipse ignis divinus sub- « stantialiter requievisse credendus est, ex quo ad cæteros calor « aliquis venerit. Deniquè quod dixit, quia *unxit te Deus, « Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis*, ostendit « quòd aliter ista anima oleo lætitiæ, id est, Verbo Dei et Sa- « pientià ungitur, et aliter participes ejus, id est, sancti Pro- « phetæ et Apostoli. Illi enim in odore unguentorum ejus cu-

[1] *Joan.* X, 18. — [2] I *Cor.* VI, 17. — [3] *Marc.* X, 8. — [4] *Psalm*, XLIV, 8. — [5] *Coloss.* II, 9.

[a] Quam quinta Synodus generalis declaravit esse hæresim.

Filii Dei divinitati ipsius commixtum ante fuisse, quàm nasceretur ex Mariâ, quem hominem Baptista dicit se nescire. Quomodò non nôrat, cùm jàm subsiliisset præ gaudio in infans, et adhuc existens in utero Elisabethæ, quandò facta est vox salutationis Mariæ ad aures conjugis Zachariæ [1]? Proindè observa nùm quod Joannes dicit se non nôsse [2], referri possit ad id tempus quo nondùm ipse Christus in corpore apparuerat. Sin verò non nôrat ipsum Christum, antequàm id temporis apparuisset in corpore, cùm tamen ipsum jàm agnovisset existentem in utero matris, fortassè discit quiddam aliud de eo, diversum ab illo quod agnoscebat, scilicet quòd super quem delapsus Spiritus sanctus maneret super eum, hic esset qui baptizaret Spiritu sancto et igni [3]. Etenim si noverat ipsum adhuc ex utero matris, at non noverat omnia quæ ad illum pertinebant. Fortè etiam ignorabat ipsum esse qui baptizat in Spiritu sancto et igni, quando vidit Spiritum descendentem et super eum manentem. Attamen virum ipsum etiam anteà existere nôrat Joannes.

23. *Aliàs*, 38. Verumenimverò nullum vocabulum ex his quæ suprà diximus, æquè Christi pro nobis patrocinium apud Patrem declarat, obsecrantis pro hominum naturâ, et eam expiantis, atque *advocatus*, et *propitiatio*, et *propitiator*. Et *advocatum* quidem nuncupat eum Joannes in Epistolâ suâ, dicens : *Si peccaverit quis, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum* [4]. Dicitur etiam *propitiatio* ab eodem in eâdem Epi-

[1] *Luc.* I, 41 *et* 44. — [2] *Joan.* I, 31 *et* 33. — [3] *Ibid.* 33. — [4] I *Joan.* II, 1.

« currisse dicuntur; ista autem anima vasculum unguenti « ipsius fuit, ex cujus fragrantiâ participantes digni quique « Prophetæ fiebant et Apostoli. » Cùm ergò tàm disertè animam Christi numquàm peccare aut mutari potuisse dicat, cùmque hanc impeccantiam ex perpetuâ cum Verbo unione hypostaticâ repetat, nullum omninò tempus inter creationem animæ et ejus cum Verbo unionem excogitare potuit. 2° Non minùs aberat ab Origenis mente impia illa opinio, nos posse, si Christum imitemur, ad similem cum Verbo unionem pervenire. Hoc enim discrimen ponit inter Christum et Sanctos, quòd unio animæ Christi cum Verbo ab initio indissociabilis, et inseparabilis, et substantialis fuerit, atque ex hâc unione inconvertibilitatem indesinenter ignita possiderit; aliæ autem animæ nec ab initio creationis inconvertibiliter cum Verbo unitæ fuerint, nec umquàm substantialiter sive hypostaticè uniri possint. Hypostaticam illam unionem sic explicat Origenes ibidem, num. 3 : « Undè et meritò pro eo vel quòd tota « esset in Filio Dei, vel totum in se caperet Filium Dei, « etiam ipsa cum eâ quam assumpserat carne, Dei Filius et « Dei Virtus, Christus et Dei Sapientia appellatur ; et rursùm « Dei Filius per quem omnia creata sunt, Jesus Christus et « Filius hominis nominatur. Nam et Filius Dei mortuus esse « dicitur pro eâ scilicet naturâ quæ mortem utiquè recipere « poterat; et Filius hominis appellatur, qui venturus in Dei « Patris gloriâ cum sanctis Angelis prædicatur. Et hâc de « causâ per omnem Scripturam tàm divina natura humanis « vocabulis appellatur, quàm humana natura divinæ nuncu- « pationis insignibus decoratur. » 3° Si anima Christi ab initio creationis hypostaticè unita fuit cum Verbo, quomodò hanc unionem mereri potuit? Si ab initio idcircò immutabilis sive impeccabilis fuit, quia semper tota fuit unita cum toto Verbo, quomodò hâc immutabili sanctitate consecuta est ut cum Verbo uniretur? Nùm igitur secum pugnare dicemus Origenem, aut ex ejus contextu expungemus quod ait, « dilectionis per- « fectionem ac meriti affectûs sinceritatem hanc ei insepara- « bilem cum Deo fecisse unitatem, ità ut non fortuita fuerit, « aut cum personæ acceptione animæ ejus assumptio, sed vir- « tutum suarum ei meritò delata ? » Neutrum equidem crediderim; neque enim hæc verba ab ejus propositio aberrant. Id unum, ut jàm dixi, cavet, ne quis animam Christi in eodem ac alias statu aliquandò fuisse, et ex earum numero ad unionem hypostaticam electam fuisse suspicetur. Hæc electio non solùm fortuita et cum personarum acceptione facta videretur, sed ipsa etiam anima esset indignissima hâc electione. Nam ex unione hypostaticâ Verbi cum animâ aut peccatrice, aut quæ peccare et damnari potuisset, sequeretur de Verbo sic ei unito, idem ob communionem idiomatum dici posse. Negat igitur Origenes animam Christi fortuitò aut cum personarum acceptione, id est, ex numero similium animarum et in eodem statu existentium electam, gratuitò electam in ipso creationis momento non negat; et cùm electionem ex merito repetit, meriti nomine non præclarè facta ante electionem intelligit, sed illam immutabilitatem et impeccantiam, quæ ei in creationis momento ob unionem cum Verbo collata, dignam effecit quæ cum Verbo uniretur. Hæc illustrari possunt ex his quæ docet Hermas in Pastoris Libro 3, cap. 5, num. 6, « præpara- « tum esse à Spiritu sancto illud corpus in quo Deus habi- « taret, » ut videlicet dignum esset quod cum Deo Verbo uniretur. Sequitur ex sententiâ Christi corpus non fortuitò aut cum personarum acceptione inter alia corpora in eodem statu existentia electum fuisse, sed solum dignum et idoneum fuisse, in quo Verbum hypostaticè habitaret. Nihil aliud de animâ Origenem dicere fatebitur quisquis hoc in loco non litterarum apices, sed sententiarum seriem et complexionem persequetur. In hoc quidem peccat Origenes [a] quòd animas ante corpora creatas crediderit, sed in hoc laudandus quòd caverit ne animam Christi à Verbo separaret. 4° Sed quidquid in hâc difficilis loci explicatione elaboravi, id ad Rufinum interpretem potiùs quàm Origenem purgandum valebit. Origenis enim contextum mirè deformavit Rufinus, dùm emendare aggressus est. Quòd si illum, prout à Justiniano ad calcem Epistolæ ad Menam servatus est, inspiciamus, animadvertemus Origenem non de animæ tantùm, sed de corporis et animæ hypostaticâ cum Verbo conjunctione loqui, ex quâ fit ut Christi humanitas simul cum Verbo et Christi et Unigeniti appellationem et gloriæ societatem sortiatur. Sic igitur Origenes apud Justinianum : « Idcircò et homo factus « est Christus, sanctitatis merito hoc consecutus, quemad- « modùm Propheta testatur, dicens : *Dilexisti justitiam*, etc. « Decebat enim ut qui numquàm ab Unigenito separari potest, « cum Unigenito et nomen et gloriam partiatur. » Quod ergò de animâ solâ dixerat anteà, idem nunc de totâ Christi humanitate statuit; nec eam dicit sanctitate consecutam esse ut cum Verbo conjungeretur hypostaticè, sed hâc hypostaticâ conjunctione inconvertibiliter sanctificatam, Unigeniti gloriæ et nominis esse participem. Eodem sensu sex Episcopi in Epistolâ ad Paulum Samosatenum : « Corpus ex Virgine, quod « capit omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, divinitati « immutabiliter unitum est et deificatum. » Hæc D. PRUD MARANUS, Libro 4 de Divinitate Christi, cap. 16, num. 11.

[a] Et ab Ecclesiâ damnatus est.

stolâ: *Et hic propitiatio est pro peccatis nostris* [1]. Similiter in Epistolâ ad Romanos, *propitiator: Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem* [2], cujus propitiatorii erat umbra quædam aureum illud propitiatorium duobus impositum Cherubim in intima et Sancta sanctorum. Quomodonàm verò *advocatus, et propitiatio,* tùm etiam *propitiatorium* esse posset Jesus absque Dei potentiâ, quæ nostram abolet infirmitatem, et quæ in credentium animos influit, et à Jesu subministratur, qui eâ prior est, cùm sit ipsa Dei potentia, per quem etiam dicat aliquis: *Omnia possum per Christum, qui me corroborat* [3]? Quapropter Simonem quidem illum magum seipsum prædicantem esse potentiam Dei, quæ vocatur magna, scimus unà cum suo argento in interitum et perditionem abiisse [4]; nos verò Christum verè Dei potentiam esse fatentes, quæcumque res vi pollent, ipsius esse participes persuasum habemus.

24. *Aliàs*, 39. Illud autem silentio non prætereundum, Jesum *Dei sapientiam* meritò existere, et hanc ob causam hoc nomine appellari; quippè cùm non in nudis visionibus Dei et Patris universorum substantiam habeat sapientia ipsius, perindè atque phantasmata cogitationum humanarum. Quòd si quis potest incorpoream substantiam variarum speculationum, quæ omnium rationes continent, viventem, et veluti animatam considerare, is planè sciet Dei sapientiam omni creaturâ longè præstantem, ac benè de seipsâ dicere: *Deus creavit me initium viarum suarum, ad opera ejus* [5], per quam creationem potuit quævis creatura subsistere, haud expers existens divinæ sapientiæ, per quam facta est; quandoquidem, teste Davide, *in sapientiâ fecit omnia Deus* [6]. Sed multa quidem participatione sapientiæ orta sunt, quæ vicissim non assequuntur eam quâ creata sunt; perpauca autem sunt, quæ non modò eam quæ ad se, verùm etiam quæ ad multa alia spectat, sapientiam assequuntur, cùm Christus sit universa sapientia. Quilibet autem sapiens, quatenùs sapientiam capit, fit Christi, in quantùm est *sapientia*, particeps, quemadmodùm unusquisque viribus longè præcellens, quantùm particeps est potentiæ, tantumdem etiam Christi, quatenùs est *potentia*, est particeps. Quod idem etiam *de sanctificatione* et *de redemptione* sentiendum est; ipsa siquidem *sanctificatio*, undè sancti sumunt sanctificationem, *et redemptio* Christus nobis factus est; unusquisque autem nostrûm illâ sanctificatione sanctificatur, et illâ redemptione redimitur. Observa autem an particulam *nobis*, minimè frustrà addiderit Apostolus, dicens: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* [7]. Itidemque observa Apostolum non ab re alibi dixisse absolutè Christum, Dei sapientiam et Dei potentiam, quatenùs potentia et sapientia est, etiamsi nos existimâssemus eum non esse potentiam Dei, neque sapientiam in universum, sed nobis. Nunc autem Jesum scribens Apostolus sapientiam esse ac potentiam, aliquotiès vocabulum *nobis*, addit, aliquotiès non addit, absolutè eum sapientiam et potentiam scribens, cùm idem interim non faciat, scribens eum esse *sanctificationem* et *redemptionem*. Quocircà vide, *quoniam qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes* [8], an ipsius, qui est nostra sanctificatio, sanctificatio sit Pater, quemadmodùm ipsius Christi, qui est nostrum caput, caput est Pater. Est autem *redemptio nostra* Christus, eo quòd in captivitatem abducti opus habuimus redemptione. Nec ipsius redemptionem quæro, *qui tentatus est per omnia juxta similitudinem absque peccato* [9], sed numquàm ab hostibus factus captivus.

25. *Aliàs*, 40. Cùm semel autem distinxerimus inter voculam *nobis*, et voculam *simpliciter*, dicentes non simpliciter *sanctificationem* et *redemptionem* scribi à Paulo esse Christum, sed cum additamento *nobis* (cùm potentia et sapientia dicatur, et cum additamento *nobis*, et simpliciter sine voculâ *nobis*), non sinere debemus inexploratum sermonem *de justitiâ*. Et quòd quidem *justitia* nobis sit Christus, perspicuum est ex eo: *Qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Quòd si non invenimus ipsum *justitiam* simpliciter dici, quemadmodùm simpliciter sapientia et potentia Dei dicitur, inquirendum est an ipsi Christo quemadmodùm sanctificatio est Pater, ità etiam justitia sit Pater. Neque enim injustitia est apud Deum [10], et justus et sanctus est Dominus, et in justitià judicia ejus [11]. Justus autem cùm sit, justè omnia dispensat. [a] Quod autem atti-

[1] *Joan.* II, 2. — [2] *Rom.* III, 25. — [3] *Philipp.* IV, 13. — [4] *Act.* VIII, 9, 10 *et* 20. — [5] *Prov.* VIII, 22. — [6] *Psalm.* CIII, 24. — [7] I *Cor.* I, 30. — [8] *Hebr.* II, 11. — [9] *Id.* IV, 15. — [10] *Joan.* VII, 18. — [11] *Apoc.* XVI, 5 *et* 7.

[a] Origenem de Filii bonitate detraxisse auctor est Hieronymus in Epistolâ ad Avitum, cap. 1: « Deum Patrem omnipo« tentem, *inquit*, appellat (Origenes) bonum et perfectæ boni« tatis: Filium non esse bonum, sed auram quamdam et ima« ginem bonitatis, ut non dicatur *absolutè* bonus, sed cum « additamento: Pastor *bonus*, etc. » HUETIUS, Lib. 2 Origenian., Quæst. 2, num. 15.

At Maranus: Pugnat Hieronymi judicium cum pluribus Origenis testimoniis, præsertim cum his quæ docet Tomo (seu Homiliâ) 1 in Joan., num. 11 (hic numerus non reperitur in nostrâ editione, in quâ numerus 1 correspondet num. 16 in editione Delarue), Apostolos evangelizâsse bona, ut prædixerat Isaias, cùm Christum evangelizaverunt, qui est « bonum « nullo alio bono inferius, multitudo bonorum, in quo bene« placitum fuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corpo-

net ad id quod hæretici dicunt, diversum scilicet esse *justum* à *bono*, sed, quod ipsi non explanant, existimantes justum quidem esse mundi Opificem, Christi autem Patrem bonum, meâ sententiâ accuratè examinatum posset dici de Patre et Filio; Filio quidem existente *justitiâ*, qui accepit potestatem faciendi judicium, *quoniam filius hominis est* [1]; et : *Judicabit orbem terrarum in justitiâ* [2]; Patre verò (eos qui in Filii justitiâ eruditi fuerint, post Christi regnum beneficiis afficiente) *boni* vocabulum operibus ostensuro, quandò fuerit *Deus omnia in omnibus* [3]. Cujus fortassìs justitiâ Servator instruit omnia, temporibus idoneis, et ratione, et ordine, et punitionibus, et spiritualibus, ut ità loquar, auxiliis suis medicinalibus, ad capiendum in fine Patris bonitatem. Cujus vim probè tenens Servator illi qui sibi Unigenito dicebat : *Præceptor bone : Cur me*, inquit, *appellas bonum? Nemo bonus nisi unus*, nempè ille *Deus*, ille *Pater* [4]. Simile verò etiam in aliis ostendimus, tùm verò maximè in hoc quod dicunt majorem esse aliquem mundi Opifice, per mundi Opificem interpretantes Christum, per hoc verò majorem Patrem. Hic igitur qui tot nominibus nuncupatur, *advocatus, propitiatio, propitiatorium*, compassus infirmitatibus nostris, tentatus in omnibus humanis juxta similitudinem sine peccato [5], *magnus* est *Pontifex*, non modò pro hominibus, sed etiam pro omni quod rationis est capax, hostiam semel oblatam seipsum offerens; *sine Deo* enim, vel *per gratiam Dei* (ut in quibusdam exemplaribus Epistolæ ad Hebræos ponitur), *pro omni gustavit mortem* [6]; sed sive sine Deo pro omni gustavit mortem, non solùm pro hominibus mortuus est, verùm etiam pro cæteris rationis capacibus : sive per gratiam Dei pro omni gustavit mortem, pro omnibus sine Deo mortuus est; per gratiam namque Dei pro omni gustavit mortem; etenim absurdum est pro peccatis quidem humanis dicere eum mortem gustâsse, non ità verò pro quibuscumque etiam aliis, qui præter hominem in peccatis essent, verbi gratiâ, pro astris, nimirùm neque astris omninò coram Deo puris existentibus, veluti legimus apud Job : *Astra autem non sunt munda in conspectu ejus* [7], nisi fortè hoc hyperbolicè dictum est [a]. Ob eam causam *magnus* est *Pontifex*, quoniam regno Patris omnia restituit, faciens ea repleri quæ in unoquoque mortalium desunt, ut capiant paternam gloriam. Sanè hic magnus Pontifex juxta aliam considerationem *Judas* vocatur, ut qui in occulto sunt Judæi [8], non à Judâ, Jacob filio, nominentur, sed ab hoc, existentes ipsius fratres, et laudantes eum, adipiscentes libertatem quâ liberantur ab ipso, et liberati ab hostibus suis, ipso scilicet manus suas in illorum dorsum imponente

[1] *Joan.* V, 27. — [2] *Psalm.* XCVII, 9. — [3] I *Cor.* XV, 28. — [4] *Matth.* XIX, 16 *et* 17. — [5] *Hebr.* IV, 15. — [6] *Id.* II, 9. — [7] *Job*, XXV, 5. — [8] *Rom.* II, 29.

« raliter... qui à bono Patre accepit, ut esset bona, » id est, omnium bonorum complexio. Quî ergò bonum negare potuit eum, quo omnia bona contineri declarat? Videtur Origenis vituperandi ansa arrepta ex his quæ dixit in hæc Christi verba : *Quid me vocas bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus* [1]. Singula loca expendamus. Origenes, suprà, ut ad sanitatem revocet hæreticos, qui alium Deum justum, alium bonum, alium Creatorem, alium Creatore majorem dicebant, concedit eis Deum Patrem Creatore majorem dici posse, si Creator Filius ejus intelligatur; similiter, « justum et bonum de Patre « et Filio dici posse, Filio justitiâ existente, *etc.*, *usquè ad « hæc verba :* quandò fuerit Deus omnia in omnibus. » Hanc ob causam Christum dixisse conjicit : *Quid me appellas bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus Pater* [2]. Nullum Arianismi vestigium in hâc subtili interpretatione, quæ si bonitatem Filio detrahit, justitiam Patri detrahere dicetur. Eadem Christi verba interpretatur in Libro 5 contra Celsum, num. 11, ubi solis et stellarum cultum à Celso defensum refellens, sic loquitur : « Cùm Salvator noster et Dominus aliquandò se au« diisset magistrum bonum appellari, eum qui sic vocabat, ad « Patrem suum remisit his verbis : *Quid me dicis bonum? « Nemo bonus, nisi unus Deus Pater.* Id si meritò dixit « Filius charitatis Patris ut imago bonitatis Dei, quandò con« venientiùs eos qui ipsum colerent, compellaret sol in hunc « modum : Quid est quòd me adorares? *Dominum Deum « tuum adorabis, et illi soli servies* [3], quem ego et qui « mecum sunt omnes adorant, cuique serviunt. » Visa sunt Arianis verba Christi soluta et expedita; at Origenes, ut in difficili loco, desudavit, et varias quæsiit interpretationes. Mirum non erat Arianis, quòd solum Deum Christus bonum dixisset; aliam enim in eo, aliam in Patre substantiam fingebant. Contrà Origenes hæc à Christo dicta esse contendit, non quòd ipse bonus non sit, sed quòd unius naturæ divinæ bonitas in Patre, justitia in Filio consideretur; vel quòd Filius à Patre bonitatem acceperit, Pater autem à nemine. Ex his explanatur alius locus à Justiniano objectus ad calcem Epistolæ ad Menam, qui sic habet : « Ità etiam « existimo et de Salvatore præclarè dictum iri, illum esse « imaginem bonitatis Dei, sed non ipsam bonitatem. Ac « fortassè bonus dicetur ipse Filius, sed non ut simpliciter « bonus. Et quemadmodùm Dei invisibilis imago est, atque « idcircò Deus; non tamen is de quo dicit ipse Christus : « *Ut cognoscant te solum Deum verum* [4], ità imago boni« tatis est, at non, ut Pater, sine ullâ differentiâ bonus. » Ubi naturam in personis divinis considerat Origenes, bonitatem, seu, quod idem est, voluntatem Dei, quæ est in Filio, *nullatenùs diversam* esse statuit à voluntate Patris. Hîc autem in adstruendâ personarum distinctione occupatur, ac Filium negat esse, ut Patrem, ἀπαραλλάκτως bonum, quia Pater bonum ipsum est et fons bonitatis, Filius imago bonitatis, et bonus de bono. Tota ergò illa differentia nequaquàm in ipsam bonitatem cadit, sed in modum quo Pater bonus est, et Filius bonus; Pater quidem bonitate à nemine acceptâ; Filius bonitate à Patre manante. D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, c. 16, n. 1. Vide insuper BULLUM in Defensione Fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμουσίῳ, cap. 9, n. 13.

[a] Vide quæ dicta sunt suprà in Notâ *a*, pp. 499-501.

[1] *Marc.* X, 18. — [2] *Luc.* XVIII, 19. — [3] *Deut.* VI, 13 *et Matth.* IV, 10. — [4] *Joan.* XVII, 3.

et subjiciente ipsos [1]. Præterea cùm supplantaverit actionem oppositam, et solus videat Patrem (etiam quandò homo factus est), *Jacob* est et *Israel*, à quo vocato Jacob et Israel, ità vocamur etiam nos Jacob et Israel, ut ab ipso qui est lux mundi, lux etiam nuncupamur.

26. *Aliàs*, 41. Quoniam autem accipit regnum à rege quem sibi præfecerant filii Israel, cuique imperium, Deo neutiquàm annuente, tradiderant, neque Deo conciliaverant; et quoniam bella Domini gerens, filio suo (nempe populo) pacem comparat, fortassìs hanc ob causam *David* vocatur, deindè *virga* [2], nimirùm his qui etiamnùm laboriosâ ac duriore vitæ institutione indigent, cùm necdùm seipsos amori mansuetudinique Patris permiserint. Hanc ob causam si *virga* vocatur, egredietur; neque enim manet intra se, sed extra primigenium statum esse videtur. Cùmque egressus fuerit factus virga, non manet virga, sed post virgam exoritur *flos ascendens*. Undè ipsam virgæ extremitatem florem esse conspiciunt illi, qui ab eo facto virgâ visitati fuerint. Visitabit enim Deus in virgâ (nempe Christo) iniquitates eorum quos visitabit; misericordiam verò non disperget ab eo [3]; ipsum namque miseratur, quandoquidem quos miseratur Filius, miseratur et Pater. Possumus autem non de iisdem accipere factum fuisse ipsum virgam et florem; sed virgam quidem egentibus punitione, florem verò his qui servantur; sed melius arbitror, quod priùs dixi. Attamen hoc etiam in hoc loco addendum est fortassè futurum ut cui fuerit Christus *virga*, sit illi etiam propter virgæ extremitatem omninò *flos*, sed non contrà; neque enim si alicui *flos*, huic etiam est *virga*, nisi fortè quòd flos sit perfectior flore ipsàque florum emissione, quæ de iis dicitur qui fructus perfectos nondùm tulerunt, perfecti id quod supra florem Christi est, capiant. Qui verò ipsius virgâ tentati fuerint, simul cum ipsâ virgâ futuri non sunt participes perfectionum Christi, sed tantùm floris præcedentis fructus ipsius. Deniquè antequàm ad vocis Λόγος examen accedamus, *lapis* est Christus reprobatus ab ædificantibus, et in caput anguli ordinatus [4]. Quoniam enim lapides vivi ædificantur in fundamento, aliis lapidibus Apostolorum et Prophetarum, ipso Jesu Christo Domino nostro existente summo angulari lapide, eo quòd ipse sit pars structuræ, quæ est ex lapidibus viventibus in regione viventium [5], *lapis* appellatur. Hæc autem à nobis dicta sunt redarguere multos volentibus, qui privatâ quàdam electione et utuntur, et segnes sunt in indagando; nam tot nomina cùm sint, quæ ad Christum referantur, in solo τοῦ Λόγου (id est, Rationis et Sermonis) vocabulo acquiescentes [*], non expendunt curnam tandem Filius Dei, Deus in principio apud Patrem, inscriptus sit Λόγος, per quem omnia facta sunt.

27. *Aliàs*, 42. Ut igitur propter actionem, eo quòd illuminet mundum, cujus est lux, *lux mundi* appellatur, et ex eo quòd auctor sit deponendæ mortificationis, illi sincerè adhærentibus, et resurgentibus recipiendi vitæ novitatem, *resurrectio* vocatur, itemque propter aliam actionem, et *pastor*, et *præceptor*, et *rex*, ac deniquè *sagitta electa*, et *servus*, ad hæc, *advocatus*, *propitiatio*, et *propitiator*, sic etiam Λόγος (hoc est, *Ratio*) dicitur, quidquid in nobis est à ratione alienum prorsùs auferens, et nos præparans convenienter veritati, rationis participes esse, omnia vitæ opera tùm vulgaria, tùm perfectiora, propter hunc Λόγον (*Rationem*) ad Dei gloriam agentes, adeò ut vel manducando, vel bibendo gloriæ Dei studeamus. Nam si ipsum participantes resuscitamur illuminamurque, fortassìs autem pascimur etiam vel regimur, quis non videat rationis capaces nos divinitùs effici ipso Λόγῳ, hoc est, Filio Dei, atque ipsâ Ratione, cuncta in nobis à ratione aliena, atque mortificationem ipsam, quatenùs ratio est et resurrectio, abolente? Quocircà inspice an quodammodò ipsius, quatenùs Λόγος (hoc est, *Ratio*) est, participes sint omnes homines. Itaque eum quæri non extra eos qui quærunt, ab iis qui eum invenire constituant, nos docet Apostolus dicens : *Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere; aut: Quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit Scriptura? Prope te verbum est valdè in ore tuo et in corde tuo* [6], perindè ac si ipse Christus etiam esset verbum quod quæritur. Quinetiam quandò ipse Dominus loquitur : *Nisi venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem non habent quod prætexant peccato suo* [7], nihil aliud intelligendum est λόγον (hoc est, *rationem*) dicere, quàm eos quibus nondùm λόγος (id est, *ratio*) completa est, peccatum non habere, sed illos tantùm peccato obnoxios esse, qui participes effecti jàm ipsius rationis, agunt præter rationes, ex quibus hæc ratio in nobis completur, in quem sensum tantùm verum est illud : *Nisi venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Age enim; de Jesu aspectabili (ut vulgares existimabunt) hoc expendatur, quomodò jàm verum sit eos, ad quos non venerit, non habere peccatum. Namque omnes qui fuerint ante Servatoris adventum, ab omni peccato immunes futuri sunt, quoniam non venerit

[1] *Gen.* XLIX, 8. — [2] *Isai.* XI, 1. — [3] *Psalm.* LXXXIII, 33 *et* 34. — [4] *Id.* CXVII, 22. — [5] *Ephes.* II, 20 *et* 21.— [6] *Rom.* X, 6, 7 *et* 8. — [7] *Joan.* XV, 22.

[*] Valentinianos intellige, qui Filium per prolationem genitum esse arbitrabantur. HUETIUS.

aspectabilis juxta carnem Jesus. Quinetiam omnes quibus de eo nuntiatum non fuerit, peccatum non habebunt. Undè apertè sequitur etiam peccatum non habentes, condemnationi non subjici. At λόγος (id est, *ratio*), quæ est in hominibus, cujus participare genus nostrum diximus, bifariàm dicitur: vel juxta complementum, quod omni inest qui puerilem transcendit ætatem, detractis prodigiis: vel juxta summam perfectionem, quæ in solis perfectis invenitur. Itaque juxta priorem sensum intelligenda sunt hæc verba : *Nisi venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent*; juxta secundum verò : *Omnes, quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves* [1]. Nam, antequàm perficiatur ratio, omnia quæ insunt hominibus, vituperabilia sunt, quia sint indiga et imperfecta, quibus etiam perfectè non obtemperant ea quæ sunt in nobis ratione carentia, tropicè *oves* dicta. Ac fortassè juxta primum sensum, Λόγος (id est, *Ratio*) facta est caro; juxta secundum verò, Deus erat ille Λόγος (hoc est, illa Ratio). Huic autem consequens est quærere nùm cernere possimus medium aliquod in hominibus inter hanc particulam : *Ratio facta est caro*, et inter hanc : *Deus erat illa Ratio*, videlicet reelementata, atque in idem redeunte Ratione illâ, postquàm fuerat facta caro tantisper inferior facta, donec fieret quod erat in principio [apud Deum Deus Λόγος, id est] Ratio illa apud Patrem : cujus Λόγου [et Filii Dei] gloriam vidit Joannes verè Unigeniti, veluti à Patre. Potest autem Filius etiam *Sermo* esse, eo quòd renuntiet occulta Patris sui, qui mens existit perindè atque Filius, qui vocatur Sermo. Ut enim apud nos sermo nuntius est earum rerum quæ à mente cernuntur, sic ille Dei Sermo, qui Patrem agnovit [nemine alioqui mortalium absque duce in eum intendere valente], Patrem agnitum revelat. Nullus enim agnovit Patrem, nisi Filius, aut ille cui Filius revelabit [2], et in quantùm Sermo est, *magni* existit *consilii nuntius* : cujus *principatus factus est super humerum ejus* [3]; regnavit enim eo quòd in crucem suffixus est. Cæterùm, in Apocalypsi, Sermo fidelis et verus sedere dicitur in equo albo [4], meâ sententiâ denotans vocis claritatem, quam insonat ad nos accedens veritatis sermo. Non est autem præsentis temporis ostendere vocabulum *equi* frequenter poni in voce Scripturæ, [in quâ proponuntur] quæ nobis sint adjumento divinas disciplinas audientibus. Tantùm unius aut alterius loci submoneamus : hujus : *Fallax equus est ad salutem* [5]; et illius : *Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur* [6]. Porrò quod in quarto et quadragesimo Psalmo est scriptum : *Eructavit cor meum sermonem bonum : dico ego opera mea regi* [7], frequentissimè repetitum à multis, perindè ac si intelligerent, haud intactum nobis prætereundum est. Esto enim Patrem hæc dicere, quodnam dicent esse ipsius cor, ut sermo videatur bonus consequenter cordi? Si enim hæc vox Λόγος (id est, *Ratio*, vel *Sermo*), interpretatione non eget, ut illi existimant, abundè constat neque *cordis* vocabulum interpretatione egere, id quod est absurdissimum; existimare scilicet non secùs cor partem Dei esse, atque est in nostro corpore. Sed admonendi sunt illi quòd, quemadmodùm manus, et brachium, atque etiam digitus Dei dicitur, nudum vocabulum acie mentis nobis non dispicientibus, sed examinantibus quonam pacto hæc sanè, et ut Deo est dignum, sint accipienda, ità etiam nos intelligere debere cor Dei esse ejus eam vim, quæ intelligentiam efficiat, et universa disponat; sermonem verò illud esse quod, quæ in illo sunt corde, renuntiet. Quis verò Patris consilium his qui inter mortales digni exstiterint, quique horum naturam superaverint, renuntiat, nisi Servator? Fortè autem non frustrà positum est, *Eructavit*, cùm hujus verbi vice, alia innumera dici potuissent, nimirùm : *Proposuit*, vel : *protulit* cor meum sermonem bonum : *locutum est* cor meum sermonem bonum. Sed vide ne fortè, quemadmodùm alicujus flatûs occulti progressus in apertum est ructus eructantis, tamquàm per hunc respirantis, ità veritatis speculationes non continens Pater eructet, faciatque harum figuras in sermone, qui etiam hanc ob causam vocetur invisibilis Dei imago [8]. Et hæc quidem, ut illud : *Eructavit cor meum sermonem bonum*, dici à Patre intelligamus, multorum intelligentiæ adhærentes. Quibus tamen non statim cedendum, perindè ac constet Deum hæc enuntiare. Quarè enim non Propheta ille loquatur plenus Spiritu sancto, et proferat sermonem bonum pertinentem ad prophetiam de Christo, continere ipsum non valens, scilicet : *Eructavit cor meum sermonem bonum : dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Speciosus formâ præ filiis hominum* : posteà ad ipsum Christum : *Diffusa est gratia in labiis tuis?* Si enim hæc Pater loquebatur, quomodò his verbis : *Diffusa est gratia in labiis tuis*, additum est illud : *Propterea benedixit te Deus in æternum;* et post pauca : *Propter hoc unxit te Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis?* Verùm illud objiciat aliquis (volens hæc Psalmi verba à Patre enuntiari) : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris* [9], et dicat Prophetam non fuisse dicturum ad

[1] *Joan.* X, 8. — [2] *Matth.* XI, 27. — [3] *Isai.* IX, 6. — [4] *Apoc.* XIX, 11. — [5] *Psalm.* XXXII, 17. — [6] *Id.* XIX, 8. — [7] *Id.* XLIV, 1. — [8] *Coloss.* I, 15. — [9] *Psalm.* XLIV, 1, 2, 3, 8 *et* 11.

Ecclesiam : *Audi*, *filia*. At ex aliis Psalmis difficile non fuerit ostendere personarum plerumquè fieri immutationes, ut ab eo loco , *Audi*, *filia*, possit Pater loqui. Jàm indagantibus nobis vim sermonis, adjungendum est etiam hoc : *Sermone Dei cœli firmati sunt*, *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [1], quæ quidam existimant de Servatore et Spiritu sancto posita esse, cùm etiam hunc sensum habere possint, cœlos Dei Ratione firmatos fuisse, non secùs ac dicimus domum ædificatam fuisse ratione illâ, quæ est ars fabricandarum ædium, navim compactam fuisse ratione illâ, quæ est ars fabricandarum navium, sic etiam dicentes cœlos Dei Ratione firmatos fuisse, qui divinius corpus assequuntur, quod etiam propter hoc Firmamentum vocatur, non habens quamplurimùm fluxus, eamque facilitatem fluendi, quàm cætera inferiora : propter quam differentiam ac præstantiam dicimus etiam cœlum eximiè divinâ Ratione firmatum fuisse. Quoniam igitur proponitur, ut apertè intelligamus hoc dictum : *In principio erat* Λόγος (hoc est, *Sermo*, sive *Ratio*), principium verò Sapientiam dici explicatum est, testimoniis ex Proverbiis sumptis, consideraturque Sapientia ante Sermonem ipsam annuntiantem, intelligamus necesse est Sermonem in principio, hoc est, Sapientiâ, semper esse, cùmque sit in Sapientiâ quæ vocatur principium, non prohiberi esse apud Deum, cùm sit etiam ipse Deus : nec apud Deum simpliciter est ipse, sed existens in principio (similiter Sapientia) est apud Deum; subjungit enim, et inquit : *Hic erat in principio apud Deum.* Poterat enim dicere : *Hic erat apud Deum.* Sed quemadmodùm erat in principio, sic et apud Deum in principio erat; et : *Omnia per ipsum facta sunt*, existentem in principio; omnia enim Deus (teste Davide) in Sapientiâ fecit [2]. Ad hæc, ut intelligamus Sermonem propriam habere inscriptionem, velut qui vitam per se assequatur, dicendum etiam est *de potentiis*, non de potentiâ. *Hæc dicit Dominus potentiarum*, multis in locis ponitur, nomine *potentiarum* intellectis quibusdam divinis animantibus, quæ rationis sunt capacia, quibus superior et præstantior Christus est, non tantùm Sapientia Dei, sed etiam *Potentia* dictus. Ut igitur Virtutes complures sunt, quarum singulæ descriptionem habent, quibus differt Servator, sic etiam ὁ Λόγος (id est, ille Filius Dei, illa Ratio) (etiamsi illa ratio, quæ in nobis est, non habeat descriptionem extra nos) intelligetur Christus, juxta ea quæ anteà indagavimus, hypostasim habens in principio, hoc est, in Sapientiâ. Sed hactenùs de eo quod est : *In principio erat Sermo.*

✠ EJUSDEM HOMILIA II[a].

Num. 1. Quonam pacto Sermo ille, qui erat in principio, erat apud Deum? — 2. Differuntne Deus *cum articulo*, et Deus *sine articulo?* — 3. Differuntne ὁ Λόγος et Λόγος, id est, Sermo *cum articulo* et Sermo *sine articulo?* — 4. Unus est Sermo Dei. Longa, sed magnifica exegesis vers. 11 et seqq. cap. 19 Apocalypsis. — 5. Hæc propositio: *Hic erat in principio apud Deum*, summa est et collectio trium præcedentium. — 6. Numquàm principem locum habet particula *per*, sed semper secundum. — 7. Quonam pacto accipere debemus vocabulum *omnia*, et vocabulum *nihil?* — 8. Expositio simulque refutatio dogmatis Heracleonis. — 9. Vitium per Λόγον non factum est. — 10. Quid intelligi debet per hæc verba : *Quod factum est in ipso, vita erat, et vita illa erat lux hominum.* — 11. Non est peccatorum, sed sanctorum Deus. — 12. Servator vita est hominum quorum etiam lux est. — 13. Solus et omnis vivens est lucis filius. — 14. Qui in tenebris est, est etiam in morte. — 15. Interpretatio quam tradit Heracleon horum verborum : *Quod factum est in ipso vita erat.* — 16. Nùm vita est hominum tantùm lux, et non potiùs cujusvis in beatitudine existentis? — 17. Homo est, quidquid ad imaginem et similitudinem Dei est factum. — 18. Non idem est lux, quæ in tenebris lucet ab illis non apprehensa, et lux in quâ haudquaquàm sunt tenebræ. — 19. Cur Sermo non est dictus lux hominum, sed vita quæ facta est in Sermone ipso? — 20. In quo differunt inter se sapientiæ et cognitionis significata ipsa mutuò in se collata? — 21. Cùm Salvator sit impeccabilis et lux in quâ nullæ tenebræ, cur id tamen Patri proprium tribuatur ut tenebræ in eo non sint ullæ? — 22. Lux lucens in tenebris persecutionem patitur quidem à tenebris, sed non apprehenditur. — 23. Nùm, quomodò, et quandò, in meliorem partem *tenebrarum* nomen sumitur? — 24. Quid intelligendum est per vocem *missus?* Undè Joannes missus est, et quò? — 25. Nùm fortè unus sanctorum Angelorum est præcursor Servatoris nostri? — 26. Joannes est veluti vox, ad comparationem Christi qui Sermo est. — 27. Quid Zacharias, quidve Joannes significant? — 28. Cur à Prophetis fuit prænuntiatus Christus? — 29 et 30. Joannes venit ut testificaretur de Christo.

1. *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Satis pro viribus nostris, sacer Ambrosi, idemque frater Evangelio conformis, cùm antehàc disseruerimus quid sit Evangelium, et quod qualeve

[1] *Psalm.* XXXII, 6. — [2] *Id.* CIII, 24.

[a] In Operibus Origenis : « Origenis Explanationum in Evangelium secundùm Joannem Tomus secundus. »

principium in quo erat Sermo, et quisnam sit ille Sermo qui erat in principio. Consequenter nunc consideremus quonam pacto Sermo ille erat apud Deum. Ergò utile erit ad hoc explicandum colligere Sermonem, qui scriptus est, factum fuisse ad quosdam. Verbi gratiâ : *Sermo Domini factus est ad Osee, filium Beeri* [1]; et : *Sermo factus est ad Isaiam, filium Amos, de Judæâ et de Jerusalem* [2]; et : *Sermo factus est ad Jeremiam de siccitate* [3]. Quomodò ergò sermo Domini factus est ad Oseam, et sermo ad Isaiam, filium Amos, et rursùs ad Jeremiam de siccitate, considerandum est, ut sic collatione factâ inveniri possit quonam pacto Sermo ille erat apud Deum. Atque equidem vulgus simpliciùs exponet Prophetarum dicta, veluti sermone Domini, vel sermone facto ad ipsos. Tu verò vide ne fortè, ut dicimus hunc ad hunc fieri, sic etiamnunc à nobis theologicè consideratus Filius, sermo factus sit ad Oseam, missus ad ipsum à Patre : quod ad historiam quidem attinet, ad Prophetam Oseam, filium Beeri, quantùm verò ad mysticam rationem, ad Servatum (sonat enim Oseas, si interpreteris, *Servatus*), filium Beeri, quæ vox *puteos* sonat; efficitur enim quilibet eorum qui servantur, *putei* filius, quia sapientia Dei ex profundo scaturit. Nec mirum sanè est *puteorum* filium sic esse sanctum, qui ex strenuè factis frequenter filius nominatur ; idcircò quidem quia luceant opera ejus coram hominibus [4], filius lucis nuncupatus; quia verò habeat pacem Dei, exsuperantem omnem intelligentiam [5], filius pacis; atque etiam propter sapientiæ utilitatem, filius sapientiæ; *justificata est enim*, inquit, *sapientia à filiis suis* [6]. Hunc igitur in modum ille etiam, qui divino Spiritu omnia profunda Dei perscrutatur, ut eloqui possit : *O profunditatem divitiarum, et sapientiæ, et cognitionis Dei* [7]*!* potest esse *puteorum* filius, ad quem sermo fiat Domini. Sic sermo etiam ad Isaiam venit docens, quæ in ultimis diebus eventura erant tùm Judææ, tùm Jerusalem; eodem modo et ad Jeremiam divinâ elatione elatum (nam interpretatur elatio *Jao*). Sed ad homines quidem, qui priùs capaces non erant adventûs Filii Dei, qui est Sermo; ad Deum verò non fit, quasi qui anteà non existeret apud ipsum, sed eo quòd sit semper cum Patre, dicitur : *Et Sermo erat apud Deum;* non enim factus est apud Deum; et idem verbum, *Erat*, de Sermone prædicatur, quoniam in principio erat etiam tùm, cùm apud Deum erat, neque à principio separatus, neque Patrem deserens; et rursùs, neque eo quòd non sit in principio factus, in principio, neque eo quòd non sit aput Deum, factus ut esset apud Deum; ante omnia enim tempus et sæculum, *in principio erat Sermo, et Sermo erat apud Deum.* Quoniam igitur ut inveniremus sensum verbum illorum : *Et Sermo ille erat apud Deum*, apposuimus verba prophetica, quomodò factus sit Sermo ad Oseam, et Isaiam, et Jeremiam, observavimusque non parùm differre, *Fuit*, et, *Factus est*, à verbo, *Erat*, addemus, dùm ad Prophetas Sermo fit, Sermonem Prophetas illustrare luce cognitionis, facientem eos, tamquàm coram videntes, ea videre quæ non intellexerant, antequam fieret ad eos Sermo ipse; apud Deum verò Deum esse, ex eo quòd sit apud ipsum. Itaque fortassè talem quemdam ordinem intuitus Joannes in sermone non præposuit, *Deus erat Sermo*, illis verbis : *Sermo erat apud Deum*, nihil alioqui, quod ad enuntiationes attinet, obfuturâ serie ad intelligendam vim seorsùm cujuscumque pronuntiati; unum namque pronuntiatum est : *In principio erat ille Sermo :* alterum : *Ille Sermo erat apud Deum;* et deinceps : *Et Deus erat ille Sermo.* Sed quoniam fortassè ordinem quemdam declarat, quia positum sit primo loco hoc pronuntiatum : *In principio erat ille Sermo*, juxta talem seriem : *Et Sermo erat apud Deum;* et tertio loco : *Et Deus erat Sermo*, idcircò dicitur : *Et ille Sermo erat apud Deum*, deindè : *Et Deus erat ille Sermo*, ut ille Sermo intelligi possit esse Deus, quia sit apud Deum.

2. Cæterùm magnâ observatione (non tamquàm non callens elaboratum Græcorum dicendi genus) alibi quidem articulis usus est Joannes, alibi verò reticuit; in voce namque Sermonis, articulum cùm addiderit, in Dei vocabulo aliquandò id ponit, aliquandò differentiæ gratiâ id non ponit. [a] Nam cùm

[1] *Osc.* I, 1. — [2] *Isai.* I, 1. — [3] *Jerem.* XIV, 1. — [4] *Matth.* V, 16. — [5] *Philipp.* IV, 7. — [6] *Matth.* II, 19. — [7] *Rom.* XI, 33.

[a] Multis reprehensionibus vapulavit Origenes, quia Deum Patrem observat Deum *cum articulo* vocari, Verbum autem *sine articulo* Deum dici. Addit hanc observationem sibi aptam videri ad eos refellendos qui, ne duos deos dicerent, aut Filium eumdem esse ac Patrem fingebant, aut ejus divinitatem negabant. « Dicendum est illis quòd αὐτόθεος, *etc.*, « *usquè ad finem numeri.* » In his verbis Petavius, Libro 1 de Trinitate, cap. 4, stuporem cum impietate certare pronuntiat, ac « palmare illud sacrilegium inesse » putat, « quòd et « Filium Dei verum Deum dici non patitur Origenes, et inter « factos deos numerat, et Verbum, id est Λόγον ità compa- « rari cum creaturis affirmat, quemadmodùm cum Λόγῳ ipso « summus ac verus Deus. » Sed tamen si plus æquitati quàm præjudicatis opinionibus tribuatur, non erit demonstratu difficile Origenem Catholicis stare principiis, non ad Ariana deficere.

1° Illud vitio verti non potest Origeni, quòd contra nefarios hæreticos qui tres deos coli à Christianis dictitabant, singularitatem Dei ex singularitate principii demonstret. Eodem modo Tertullianus, Libro contra Praxeam, cap. 3, 4 et 11, Ecclesiæ Catholicæ monarchiam vindicat, quam sibi Praxeas ejusque gregales arrogabant. Ipse Petavius in Libro 4 de Trinitate, cap. 13, inter alias causas cur unus sit Deus, cùm tres sint personæ, hanc tertio loco commemorat, quòd Pater Filii et Spiritûs sancti principium sit, eisque omnia tradiderit, cujus sententiæ testes citat Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium utrumque, et alios magni nominis Scriptores, qui

Dei vocabulum ponitur de ingenito universorum Auctore, articulum ponit, reticens illud, cùm ille Sermo Deus nominatur. Proindè vide ne fortè, ut in his locis differt Deus *cum articulo*, et Deus *sine articulo*, sic differat etiam ὁ Λόγος (id est, ille Sermo, vel illa Ratio) *cum articulo*, et Λόγος, id est, Sermo, sive Ratio *sine articulo*. Ut enim Deus ille, qui est in omnibus, ille Deus est *cum articulo*, et non simpliciter Deus *sine articulo*, sic fons rationis (quæ unicuique rationis capaci inest) Ratio illa est *cum articulo;* cùm alioqui ratio, quæ in unoquoque inest, non perindè propriè atque illa Ratio prima (quam fontem hujus dico) nominetur, dicaturque illa Ratio *cum articulo*. Et hinc solvi potest illud quod perturbat multos profitentes se Dei amantes esse, ac verentes duos prædicare Deos; et propter hoc in falsa et impia dogmata incidentes: vel [a] negantes proprietatem Filii esse aliam à Patris proprietate; confitentes Deum esse cum nomine tantùm, qui apud ipsos Filius appellatur: vel [b] negantes Filii divinitatem, et ponentes ipsius proprietatem et essentiam per circumscriptionem existere aliam à Patre. Dicendum enim est illis quòd αὐτόθεος quidem (hoc est, *à se* Deus), Deus

eodem argumento unum Deum à Christianis coli demonstrant.

2° Adhibitam ab Origene distinctionem Dei *cum articulo* et Dei *sine articulo* inutilem prorsùs esse non inficior; neque etiam valdè probaverim quòd hæc verba : *Ut agnoscant te illum solum Deum verum*, ad solum Patrem refert, cùm Filium non excludant; sed æquum est inquirere utrùm Origenes ad has subtiles distinctiones adductus sit, quia divinam naturam soli Patri inesse, an quia solum Patrem ab alio divinitatem non accepisse credebat. Rem in ambiguo non relinquit, siquidem conceptis verbis declarat Deum *cum articulo* nihil aliud esse quàm αὐτόθεον, *à se* Deum : « *A se* Deus, « Deus ille est *cum articulo*, propter quod et Salvator in « precatione ad Patrem ait, *etc.* » Comparat igitur αὐτόθεον cum Deo ex Deo, veritatem et exemplar cum imagine, nec de divinâ Filii naturâ detrahit. Ait enim illum, cùm sit apud Patrem, trahere ad se divinitatem, apud Deum in principio esse « eo quòd sit apud Deum semper manens Deus. » Deindè verò non alio consilio in has tricas sese implicat Origenes, nisi ut plures personas divinas cum monarchiâ conciliet; nec facit cum Arianis, cùm Patrem solum Deum verum esse concedit, quia solus est Deus *à se*, sed eis maximum præsidium præripit quod sibi in his Christi verbis constituerant.

3° Filium inter deos factos nequaquàm recenset. Statuit ille quidem quidquid Deus dicitur, præter eum qui est *à se* Deus, id participatione divinitatis Patris ità appellari; sed deos illos factos latis finibus à Filio discernit. Dii illi, ut non multò antè exposuit Tomo (seu Homiliâ) 1, num. 34, (in nostrâ editione 19), sunt certum aliquod genus Angelorum Thronis et Principatibus superius. Hos deos vocari colligit ex his Scripturæ verbis : *Deus deorum locutus est. Confitemini Deo deorum.* In hoc tantùm hos deos cum Filio comparat, quòd neutri sint *à se* Deus, quòd Filius sit imago Patris, isti imagines Filii. Quantùm autem inter utrosque intersit, multis rebus declarat; nam *Filius apud Patrem est semper Deus, ab ipso trahens divinitatem ;* at isti nec apud Patrem, nec apud Filium sunt semper dii, nec à Filio divinitatem trahunt. Filius à Deo haurit undè illos deos efficiat, idque *pro suâ bonitate ;* at illi à Filio non hauriunt.

Idem discrimen observandum est in his quæ sequuntur, initio numeri 3, usquè ad hanc phrasim exclusivè : « Qui enim « non capit Λόγον hunc, *etc.* »

Multùm valet ad Origenis defensionem metus ille ne Verbo res creatas adæquare videretur, et adhibita ad hanc suspicionem refellendam uberior sententiæ explicatio. Declarat enim se nec ea quæ Filius à Patre accepit, cum iis quæ res creatæ à Filio acceperunt, nec accipiendi modum comparare, sed potiùs Filium Patri æqualem prædicare, quia utrumque fontem esse asseverat : ex quo sequitur eamdem in utroque naturam, ac eadem prorsùs esse attributa. Itaque dùm res creatas in eo comparare cum Filio videtur, quòd Filius omnia à Patre, res creatæ omnia à Filio acceperint, ipsum potiùs cum Filio Patrem, si ritè attendimus, comparat. D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 16, num. 2.

Cæterùm, postquàm in Origenianis, Lib. 2, Quæst. 2, num. 7, Huetius quodammodò Origenem patrem Arianorum declarâsset, et probâsset suam sententiam per hæc verba numeri 3 : « Erat Deus *cum articulo*, et Deus *sine articulo*, deindè dii « dupliciter : quorum meliorem ordinem Deus Verbum su- « perat, à Deo rerum omnium ipse superatus, » hæc pronuntiat in Notâ *a*, p. 50, Operum Origenis : « Distinctio hæc « (scilicet Dei *cum articulo*, et Dei *sine articulo*) nonnullo- « rum convicia in Origenem concitavit. Eam quidem Chry- « sostomus, Homiliâ 8 in Joan., dissimulato Auctoris nomine, « explodit. Attendissent quomodò in sequentibus explicata « sit : Pater, *inquit*, quòd *ex se* Deus sit, hoc est, αὐτόθεος, « ὁ Θεός appellatur : Filius, quòd sit Deus à Patre, Deus de « Deo, ut loquitur Concilium Nicænum, Θεός dicendus est. » Deindè addit in Notâ *b*, ibidem : « Sententia hæc est totius « disputationis : quemadmodùm à Patre qui est αὐτόθεος « habet Filius ut sit Deus, et cæteri qui dii appellantur, quia « principium totius divinitatis Pater est; ità à Filio qui est « ὁ Λόγος, *Ratio*, et fons totius rationis, habent ii qui ratione « utuntur ut sint rationis participes. Igitur ut divinitatem « suam Filio communicat Pater; ità rationem iis qui rationis « participes sunt communicat Filius. Pater principium est « divinitatis Filii : Filius principium est rationis eorum « qui rationis capaces sunt. Atque eo sensu ut se habet Pater « ad Filium; ità Filius ad ea quæ ratione pollent. Comparatio « ergò hæc est, atque ea imperfecta et in multis claudicans. « Pater autem quia principium est et fons divinitatis totius, « indè eum ἀληθινὸν Θεόν appellavit; reliqui autem θεοὶ τῇ « μετοχῇ τοῦ Θεοῦ γινόμενοι, Filius nimirùm, et qui dei ap- « pellantur. At divinitatem à Patre non uno modo recipiunt; « Filius enim ità Deus est à Patre, ut unâ eâdemque divinitate « Pater et Filius polleant; reliqui autem dii, diversâ, dispari « et inæquali divinitate præditi sint. Ne quemquam igitur mo- « veat vox γινόμενοι, quæ iis omnibus convenit qui ab alio « habent ut sint, sive per generationem, sive per processio- « nem, sive per creationem, ut paulò infrà demonstrabimus. « Nonnumquàm verò simpliciter *existere*, *esse*, significat. « Atque hæc quidem posterior notatio huic ipsi loco videtur « tribuenda. His ità explicatis, facilè viri cujusdam eruditis- « simi refelluntur criminationes, qui ex hoc loco violatæ Filii « dignitatis reum Origenem peragit, *licèt aliàs sæpè in eo- « dem argumento lapsus sit.* » Quæ postrema verba non admittit D. Maranus, qui Origenem vindicare aggressus est à criminationibus ipsi irrogatis de æternitate Verbi, æqualitate cum Patre, et substantiæ in utroque unitate. Vide ipsius Librum 4 de Divinitate Christi, cap. 14.

[a] Ea fuit Noëti hæresis circa Origenis ætatem exorta, nec multò post à Sabellio amplificata. HUETIUS.

[b] Origenes, Libro 7 in Epistolam ad Romanos, cap. 9 : « Et « miror quomodò quidam legentes quod idem Apostolus in « aliis dicit : *Unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Do- « minus Jesus Christus per quem omnia*, negent Filium Dei « Deum debere profiteri, ne duos deos dicere videantur. » IDEM.

ille est *cum articulo*, propter quod et Servator in precatione ad Patrem inquit: *Ut agnoscant te illum solum verum Deum* [1]; quidquid verò præter hunc, qui αὐτόθεος dicitur (hoc est, *à se* Deus), participatione et communione illius divinitatis deificatum est, non ὁ Θεός, Deus *cum articulo*, sed Θεός, Deus *sine articulo* magis propriè dicitur: quo nomine omninò vocandus primogenitus omnis creaturæ; quippè qui, cùm primus sit apud ipsum, attrahens divinitatem ad seipsum, honorabilior est reliquis diis, qui sunt præter ipsum, quorum Deus *cum articulo* Deus est, juxta id quod dicitur: *Ille Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram* [2], suppeditans eis ut sint dii, à Deo hauriens abundanter, undè illos efficiat deos, et undè illis pro suâ bonitate largiatur. Verus igitur Deus est Deus *cum articulo;* qui autem dii efformantur ad ejus formam, velut imagines quædam sunt primi exemplaris. Sed rursùs multarum imaginum archetypa imago est ille Λόγος, qui est apud Deum in principio existens, quia sit apud Deum semper manens Deus, haudquaquàm id habiturus, nisi apud Deum esset, et haudquaquàm Deus mansurus, nisi perpetuò permansisset in contemplatione paternæ profunditatis.

3. [a] Sed quoniam fortasssè verisimile est fore ut multi offendantur, quòd dixerimus unum esse verum Deum, nempè Patrem, et præter verum Deum multos factos deos participatione Dei, ac vereantur ne illius gloria, qui omnem creaturam præcellit, reliquis obtinentibus appellationem dei adæquetur, præter allatam differentiam, quâ Deum Λόγον diximus reliquis omnibus diis ministrum esse deitatis, hæc quoque est apponenda. Ea enim ratio, quæ in singulis ratione utentibus inest, eamdem comparationem habet ad illam Rationem, quæ in principio apud Deum est, et Deus est Λόγος, quam habet Deus Λόγος [id est, Ratio] *sine articulo* ad Deum illum *cum articulo*. Ut enim Pater αὐτόθεος [hoc est, *à se* Deus, et Deus verus] se habet ad imaginem et ad imagines imaginis, quam ob causam etiam dicuntur homines non esse imagines, sed ad imaginem, sic hunc in modum se habet ipse Λόγος, hoc est, ipsa Ratio, ad eam, quæ est in singulis, rationem. Utraque enim locum obtinent fontis et originis; Pater quidem divinitatis, Filius vero Λόγου [id est, Rationis]. Quemadmodùm ergò dii multi, sed nobis unus Deus est, nempè ille Pater; et multi domini sunt, sed nobis unus Dominus est Jesus Christus; sic multi etiam sunt λόγοι [hoc est, rationes], sed nobis illum Λόγον [id est, Rationem illam] precamur inesse, quæ est in principio, quæ est apud Deum Deus Λόγος. Qui enim non capit Λόγον hunc (id est, Rationem), quæ in principio apud Deum est, aut ipsum assequetur, quatenùs caro factus est, aut particeps efficietur alicujus eorum qui Λόγον hunc (id est, Rationem ipsam) assequuntur; si verò nec alicujus quidem horum qui hujus Rationis participes existunt, particeps effici poterit, in numero omninò eorum erit qui à ratione alieni dicuntur. Id autem quod diximus, palàm efficietur ex exemplis de Deo illo qui profertur *cum articulo*, et de illo Λόγῳ *cum articulo*, qui est Deus *sine articulo*, tùm etiam de diis, qui vel participant Deum, vel dii quidem dicuntur, nullo pacto autem sunt; et rursùs de Λόγῳ Deo, et de Λόγῳ, qui factus est caro, necnon de λόγοις, qui hunc quodam modo participant, et λόγοι secundi ac tertii ab ipso dicuntur, et λόγοι esse existimantur, cùm tamen verè non sint, sed potiùs, ut ità loquar, prorsùs dici merentur ἄλογοι λόγοι (hoc est, rationes irrationales), quemadmodùm etiam de iis qui dii quidem dicuntur, cùm non sint, diceret aliquis dii non dii; non secùs enim et hi vocantur ἄλογοι λόγοι, hoc est, rationes ratione carentes. Atque ille quidem Deus universorum, electionis est Deus, et multò magis illius, qui hanc servavit: deinceps eorum, qui verè sunt dii, et ut semel dicam, Deus est viventium, et non mortuorum [3]; at verò Deus Λόγος, fortassè Deus est eorum qui in ipso sistunt omnia, quique existimant ipsum esse Patrem. Sol autem, et luna, et astra, ut ante nos quidam [b] disseruerunt, illis attributa fuerunt, qui minùs digni habentur, ut illo titulo ac laude cohonestentur, ut Deus deorum Deus ipsorum sit. Sic autem intellexerunt adducti verbis Deuteronomii, quæ ità sese habent: *Ne cùm suspexeris in cœlum, et intuitus fueris solem, et lunam, et omne cœli ornamentum, deceptus adores ea, et servias eis, quæ ipsa distribuit Deus tuus cunctis Gentibus* [4]. Vobis autem non sic dedit Do-

[1] *Joan.* XVII, 3. — [2] *Psalm.* XLIX, 1. — [3] *Matth.* XXII, 32. — [4] *Deut.* IV, 19.

[a] Audiendus in hunc locum Dionysius Petavius, Libro 1 de Trinitate, c. 4, n. 5. Mihi tamen id dolet, iniquum adeò in Origenem se gessisse virum magnum, ut quæ minùs sana in eo deprehenduntur, germana esse, neque ab Arianis inserta, contra Rufini testimonium prætenderit; quæ verò orthodoxæ sunt fidei, amicâ manu attexta fuisse contra Athanasii (Lib. de Decret. Nicænæ Synodi) auctoritatem crediderit. HUETIUS.

[b] Clementem hic designat, cujus hæc verba sunt Libro 6 Stromatum: « Quia enim noverat Deus, utpotè præscius, hunc non « crediturum, nihilominùs tamen ut perfectionem reciperet « cujus capax erat, dedit ei quidem philosophiam, sed ante « fidem; dedit autem solem, et lunam, et astra ad religionem: « quæ Gentibus fecit Deus, inquit Lex, ne funditùs athei ef- « fecti, funditùs pereant. At illi in hoc præcepto inconside- « rati, in sculptiles defixi statuas, nisi pœnitentiam agant, ju- « dicantur: hi quidem, quia, cùm possent, noluerunt Deo « credere; illi verò qui, etiamsi vellent, non conati sunt tamen « fideles evadere, et ii etiam qui ab astrorum cultu, ad eorum « conditorem non recurrerunt. Hæc enim via erat Gentibus « data, ad Deum per astrorum cultum assurgere. » HUETIUS.

minus Deus vester. Sed quì distribuit cunctis Gentibus solem, et lunam, et omne cœli ornamentum Deus, cùm sic non dederit Israeli? Scilicet ut qui non possunt ad intelligibilem recurrere naturam, rebus corporeis ac sub sensum cadentibus divinitatem esse suspicati, vel lubenter in his sisterent, non prolapsi ad idola et dæmonia. Deum igitur alii quidem Deum universorum habent; qui verò hos proximè sequuntur, in Christum Dei ipsius Filium defixi sunt. Tertii verò sunt, qui solem, lunam, omneque cœli ornamentum (habentes), à Deo aberrant, verumtamen errore longè præcellenti præstantioreque, quàm eorum qui vocant deos opera manuum hominum, aurum, et argentum, artis excogitationes. At omnium ultimi sunt, qui dicati sunt his qui dii quidem dicuntur, haudquaquàm verò sunt. Similiter igitur aliqui participant quidem ipsius Λόγου [id est, Rationis sive Sermonis], qui est in principio, qui est apud Deum, qui est Deus, velut Oseas, et Jeremias, et Isaias, et si quis alius talem seipsum exhibuit, ut sermo Domini, vel sermo ad se fieret; alii verò, qui nihil sciunt, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum [1], tantùm secundùm carnem agnoscunt Christum [2], existimantes se habere ampliùs nihil de Sermone, nisi quòd caro factus est: cujusmodi est multitudo eorum qui credere putantur. Jàm tertii se sermonibus aliquantulùm illum Sermonem participantibus applicuerunt, perindè quasi sermones illi omnem sermonem præcellant. Et fortè hi sunt, qui præclaras in philosophiâ et præstantes sectas apud Gentiles exercent. Quarto verò loco ab his numerandi sunt illi, qui sermonibus prorsùs corruptis et impiis crediderunt, evidentem ac ferè sub sensum cadentem de medio tollentes providentiam, aliumque finem quemdam, præter bonum honestumve, approbantes. Quòd si digredi visi sumus, commodè tamen id fecisse remur et apposité, nimirùm quod ad Dei nomen attinet, res quatuor in eo inspecturi, et totidem in nomine Λόγος, [qui est Ratio, sive Sermo]. Erat enim Deus *cum articulo*, et Deus *sine articulo*, deindè dii dupliciter: quorum meliorem ordinem Deus Verbum superat, à Deo rerum omnium ipse superatus. Et rursùs erat ὁ Λόγος, fortassìs autem et Λόγος, eodem modo quo ὁ Θεός et Θεός. Verborum etiam duo sunt genera, quorum humana propria sunt alia quidem Patris, quòd ejus partes sint, et his finitima, quæ nunc verbum apertiùs et planiùs nobis explanat, quæ ad Servatorem pervenerunt, et omni ex parte in eo adstiterunt. Ac tertia sunt, quæ antè commemoravimus, solem, ac lunam, et stellas deos esse existimantia, et in eis hærentia. Sed præter hæc omnia, sunt etiam in loco inferiore, quæ inanima et mortua idola venerantur. Similia quoque de iis quæ ad Verbum pertinent reperimus: alia enim ipso Verbo ornata sunt, alia aliquo ei vicino ac finitimo, quod primum Verbum esse videtur, quæ nihil sciunt, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum, eademque Verbum carnem vident. Tertia etiam, quæ paulò antè diximus. Quid verò attinet de iis dicere qui in Verbo esse existimantur, sed non solùm ab honesto, verùm etiam ab ejus vestigiis, atque iis qui ejus sunt participes, aberrârunt?

4. *Hic erat in principio apud Deum.* Tribus prædictis propositionibus, tres ordines nos docens Evangelista, tria in unum connectit, dicens: *Hic erat in principio apud Deum.* In primâ propositione didicimus in quo erat Λόγος, videlicet, quòd in principio; et apud quem hic erat, videlicet, quòd apud Deum; et quisnam Λόγος erat, videlicet, quòd Deus. Tamquàm ergò demonstrans Sermonem, quem antè dixerat Deum per particulam *hic*, et in quartam propositionem congregans illud: *In principio erat Sermo, et Sermo erat apud Deum, et Deus erat ille Sermo;* inquit: *Hic erat in principio apud Deum.* Potest tamen principii nomen sumi etiam de principio mundi, addiscentibus nobis per hæc dicta Sermonem illum antiquiorem esse rebus à principio factis. Nam si *in principio fecit Deus cœlum et terram* [3], clarum est id quod in principio erat, antiquius esse eo quod in principio factum est; nec solùm firmamento et aridâ, sed cœlo et terrâ Sermo ille est antiquior. Fortè autem non absurdè quis inquirat quarè non sit dictum: *In principio erat Sermo* Dei, *et Sermo* Dei *erat apud Deum, et Deus erat ille Sermo* Dei. Sed consequitur ut, qui quærit cur tandem non scriptum sit: *In principio erat Sermo* Dei, et quæ sequuntur, plures enuntiet esse Sermones, et fortassè diversi generis. Vel unus quidem erit Dei Sermo, alter (ut ità dicam) Angelorum Sermo, alius item hominum, et ità in cæteris Sermonibus. Quòd si vocabulum *Sermo* hoc modo se habebit, idem fortassìs censendum erit de Sapientiâ et de Justitiâ. Absurdum est autem dicere plures vocis hujus, *Sermo*, compotes fieri, et hujus, *Sapientia*, et illius, *Justitia.* Convincemur etiam à veritate minimè à nobis quæri oportere *plures sermones*, et *sapientias, justitias*, quæ propriè sic nominentur. Nam unusquisque confiteretur unam esse veritatem, nec auderet aliquis dicere aliam esse Dei veritatem, aliam Angelorum, aliam hominum, cùm in naturâ entium una sit de unaquâque re veritas. Quòd si veritas est una, perspicuum est etiam sapientiam, quæ confirmatio et demonstratio ipsius est veritatis, meritò intelligi unam esse, quippè cùm ne ea quidem quæ appellatur sapientia, nomen

[1] I *Cor.* II, 2. — [2] II *Cor.* V, 16. — [3] *Gen.* I, 1.

suum rectè tueri queat, si non adsit veritas. Quòd si veritas una et sapientia una est, unus etiam Sermo sit oportet, annuntians veritatem et sapientiam rerum earum quæ simplices sunt et apertæ, ad eos qui sunt capaces. Nec hoc dicimus negantes esse veritatem, et sapientiam, et Sermonem Dei, sed ostendentes utilitatem, ob quam Evangelista reticuit Dei vocabulum, non scribens: *In principio erat Sermo* Dei. Idem autem Joannes etiam cum additione *Dei* nominat eum in Apocalypsi, dicens: *Et vidi cœlum apertum*, etc., usquè ad hæc verba: *Rex regum, et Dominus dominantium*[1]. Sed necessariò et absolutè posuit Joannes vocabulum *Sermo*, et cum adjectione etiam, *Sermo Dei*. Nam si alterum tacuisset, occasionem habituri eramus præter germanam sententiam intelligendi, et aberrandi à veritate hujus vocabuli *Sermo;* ac si absolutè scripsisset Joannes, *Sermonem*, nec dixisset etiam cum adjectione, *Sermonem Dei*, non didicissemus apertè hunc Sermonem esse Sermonem Dei. Rursùs si *Sermonem Dei* dixisset, nec absolutè *Sermonem*, etiam multos Sermones fingentes juxta relationem ad unumquemque eorum qui sermone ac ratione utuntur, frustrà multos propriè sic nominatos admisissemus. Itaque rectè Apostolus et Evangelista, jàm verò etiam propter Apocalypsin Propheta, describens in Apocalypsi *Sermonem Dei*, se *Dei Sermonem vidisse* inquit, *aperto cœlo*, *equo albo vectum*. Quid verò innuat cœli apertio, et equus albus, et super ipsum sessio illius, qui *Sermo Dei* vocatur, qui etiam præterquàm est *Sermo Dei*, *fidelis* dicitur, *et verax*, *et in justitiâ judicans*, *et bellans*, considerandum est, ut eò magis proficiamus, cùm intellexerimus quæ ad Dei Sermonem pertinent. Proindè arbitror ego impiis, et terrestrem imaginem gerentibus, cœlum esse clausum; apertum verò justis, et his qui insigniti fuerint Supercœlestis imagine. Nimirùm impiis quidem humi etiamnùm repentibus et in carne existentibus præstantiora sunt clausa, quia non intelligant ea, nec possint eorum pulchritudinem (quia nolunt), dispicere, proni, nec erigere se conantes, cùm justi et excellentes, quia jus civitatis in cœlis habeant[2], cœlestia contemplentur, Davidis clavi aperta; nempè divino Sermone aperiente ea et manifestante, eo quòd vehatur *equo*, hoc est, vocibus significata renuntiantibus; *albo*, propter perspicuam, et candidam, et lucidam cognitionem. Sedet autem super equum album ille qui vocatur *fidelis*, firmiùs et (ut ità dicam) regaliùs insidens in vocibus quæ subverti non possunt, ac quovis equo velociùs ac celeriùs currunt, et gloriâ in ipso impetu superant adversarium omnem simulantem se esse Sermonem, itidemque simulantem se esse veritatem, et apparentem veritatem. Vocatur autem *fidelis*, qui sedet in equo albo, non quia fidem alicui habeat, sed quia fide dignus sit; nam, Moyse teste, *fidelis et verax est Dominus*[3]. *Verax est* etiam ad differentiam umbræ, et figuræ, et imaginis, quoniam talis est ille Sermo, qui est in cœlo aperto; non enim talis est Sermo terrestris, qualis cœlestis, quia factus caro, per umbras, et figuras, et imagines loquitur. Multitudines ergò eorum qui putantur credere, umbrâ Sermonis, non verò illo Sermone Dei, qui est in cœlo aperto, erudiuntur. Propterea Jeremias inquit: *Spiritus faciei nostræ Christus Dominus, cui diximus: In umbrâ ipsius vivemus in Gentibus*[4]. Sic igitur Sermo ille Dei, qui *fidelis* vocatur, etiam *verax* vocatur, *et in justitiâ judicat, et bellum gerit*, quòd justitiâ ipsâ ac judicio ipso facultatem à Deo acceperit judicandi et distribuendi ex dignitate uniuscujusque entium. Nemo enim eorum qui justitiam ac facultatem judicandi populum habent, ità in suâ ipsius animâ omninò imprimere poterit et justitiæ et judicandi figuras ipsas et ideas, ut nullâ in re sit inferior eâ quæ ex se est justitiâ, et eo quod ex se est judicio; quemadmodùm neque qui pingit imaginem, potis erit picturâ exprimere omnes rei depictæ proprietates. Propterea Davidem dixisse reor: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*[5]; non enim generatim dixit: Omnis homo, sive: Omnis Angelus, sed: *Omnis vivens*, quoniam etiamsi vitæ quis sit particeps, et mortalitatem prorsùs excusserit, sic neque tuî comparatione justificari poterit, perindè atque vita. Neque fieri potest, ut qui particeps est vitæ, et ob hoc vivens nominatur, ipse sit vita; nec qui compos est justitiæ, et idcircò justus dicitur, omninò ipsi justitiæ æquiparari poterit. Jàm verò, quemadmodùm ad Dei Sermonem pertinet judicare in justitiâ, ità etiam ad ipsum pertinet bellum gerere in justitiâ; ut ex eo quòd dicitur oppugnare hunc in modum ipsi Sermoni et justitiæ inimicos, sublatis his qui à ratione sunt alieni, et injustitiâ sublatâ, inhabitet et justificet: expellens contraria ab animâ illius, qui salutis causâ (ut ità dicam) captivus factus est à Christo. Sed apertiùs cernere possumus hoc Sermonis bellum, quod gerit, quandò ipse quidem fungitur legatione pro veritate, alter verò, qui non est Sermo, sed fingit se esse Sermonem; itemque simulata veritas, quæ non est veritas, sed mendacium, prædicat se esse ipsam veritatem. Tunc enim armatus Sermo contra mendacium, illud interficit spiritu oris sui, et destruit apparitione præsentiæ suæ[6]. Et vide an hæc secundùm spiritalem sensum subinnuere voluerit Apostolus in Epistolâ ad Thessalonicenses. Quid enim est quod spiritu oris Christi interficitur, cùm Christus sit Sermo, Veritas, et Sapientia,

[1] *Apoc.* XIX, 11-16. — [2] *Philipp.* III, 20. — [3] *Deut.* XXXII, 4. — [4] *Thren.* IV 20. — [5] *Psalm.* CXLII, 2. — [6] II *Thess.* II, 8

nisi mendacium? Et quid est illud quod destruitur apparitione præsentiæ Christi, qui Sapientia et Sermo consideratur, nisi id omne quod profitetur se esse sapientiam, unum verò est ex illis quibus comprehendit eos qui non sunt sapientes verâ sapientiâ, in vafritie ipsorum? Quarè mirè ac supra modum de Sermone disserens Joannes, qui equo albo vehebatur, inquit etiam illud : *Oculi autem ejus velut flamma ignis.* Ut enim flamma clara, pariter et lucida, jàm verò etiam ignea est et consumptrix materialium; sic oculi (ut ità dicam) Sermonis, quibus et ipse videt, et quisquis illius fuerit particeps, præterquàm quòd percipiunt intelligibilia per ea quæ in ipso insunt, conficiunt et demoliuntur conceptus crassiores et magis materiales, omnibus quomodocumquè falsis gracilitatem et tenuitatem veritatis fugientibus. Valdè autem ordinatè postquàm induxit Sermonem judicantem in justitiâ, et ut judicet in justitiâ, bellum gerentem, atque deindè post bellum, illuminantem, illud subjungitur, *in ipsius capite multa esse diademata.* Nam si unum et uniforme esset mendacium, de quo prostrato coronam acciperet victor, fidelis et verax Sermo, jure etiam Sermo, qui superâsset Deo repugnantes, scriptus fuisset uno diademate insignitus. Nunc autem multa cùm sint mendacia, quæ profitentur veritatem, adversùs quæ bellum gerens ille Sermo coronatur, multa sunt etiam diademata capiti cuncta victoris imposita. Quinetiam unamquamque actionem rebellem superans, multis coronis ob victoriam multiplicem insignitur. Dictus etiam post diademata capiti imposita, *nomen habere scriptum, quod nemo novit nisi ipse;* novit enim solus quædam animatus hic Sermo, cùm nullus intueri possit ea quæ ille comprehendit, eo quòd res quæ continuè generantur, longè inferiores sint naturâ ipsius. Atque etiam fortassìs soli participes illius Sermonis quædam nôrunt, quæ sunt abscondita non participantibus illum. Porrò Sermo ille Dei non nudus à Joanne cernitur, dùm equo albo vehitur, sed *circumdatus veste sanguine tinctâ,* quandoquidem vestigiis et notis circumdatus est Sermo factus caro, et idcircò etiam mortuus, quia caro factus, ità ut sanguinem super terram suum profuderit, milite latus ejus pungente. Passionis namque illius, et veritatis, et instituti vitæ, quam tenuit in corpore nostro, nulla nos umquàm tenebit oblivio, etiamsi fortassè quomodocumquè pervenerimus ad altissimam supernamque ipsius Sermonis et Filii Dei contemplationem. Hunc Dei Sermonem *cœlestes exercitus omnes sequuntur,* Sermonem sequentes ducem, et imitantes eum in omnibus; idque tùm maximè, cùm non secùs ac ipse *inscendunt equos albos;* omnia enim aperta sunt intelligentibus. Et quemadmodùm fugit dolor, et mœror, et suspirium in fine rerum; sic arbitror fugere etiam obscuritatem et dubitationem, omnibus sapientiæ Dei mysteriis diligenter et manifestè in apertum productis. Considera verò albos equos eorum qui sequuntur Sermonem, *indutos albo et puro bysso;* et considera nùm, quia byssus è terrâ oritur, byssina indumenta significent proprietates linguarum quæ sunt in terrâ, quibus indutæ sunt voces, res apertè et purè significantes. Hæc autem sumpta ex Apocalypsi, quæ docet nos qualis sit *Dei Sermo,* prolixiùs tractavimus, ut accuratiùs et subtiliùs, quæ ad ipsum Sermonem spectant, consideraremus.

5. *Hic erat in principio apud Deum.* Iis qui accuratè non attendunt diversas in his quæ enuntiantur, propositiones, videbitur Evangelista eadem repetere, ac si nihil plùs diceret his verbis : *Hic erat in principio apud Deum,* quàm illis : *Et ille Sermo erat apud Deum.* Sed observemus necesse est nos, quandò dicimus : *Ille Sermo erat apud Deum,* non addiscere quandò erat, vel in quo erat apud Deum, juxta quartum pronuntiatum additum. (Nam quatuor cùm sint hoc in loco [ἀξιώματα, hoc est], *pronuntiata,* quæ aliqui προτάσεις, hoc est), *propositiones* appellant, pronuntiatum quartum est : *Hic erat in principio apud Deum.* Insuper hæc propositio : *Ille Sermo erat apud Deum,* non idem est cum illâ quæ inquit : *Hic erat,* non simpliciter, *apud Deum,* sed quandò vel in quo, *apud Deum? Hic* enim, inquit, *erat in principio apud Deum :* quinetiam illud, *Hic,* per demonstrationem existimabitur positum fuisse vel de Sermone, vel de Deo, ab eo qui minùs diligenter investigaverit, ut etiam inveniat comprehensionem priorum, et comprehensionem considerationis hujus vocis, *Sermo,* et hujus vocis, *Deus,* factam in pronomine *Hic,* ut hæc demonstratio in unum ea congreget quæ consideratione sunt diversa; neque enim dùm consideramus Deum, consideramus Sermonem; neque dùm consideramus Sermonem, consideramus Deum. Fortassìs autem summa est et collectio trium propositionum in unam hanc : *Hic erat in principio apud Deum ;* quatenùs enim in principio erat Sermo, non didiceramus quòd *apud Deum ;* quatenus verò apud Deum Sermo ille erat, non agnoveramus apertè quòd *in principio apud Deum erat* ; quatenùs autem Deus ille Sermo erat, neque declarabatur ipsum *in principio esse,* neque *quòd apud Deum erat.* Quòd si dicente Evangelistâ : *Hic erat in principio apud Deum,* sub pronomine demonstrativo *Hic,* intelligatur et Sermo et Deus, et particula *in principio* sic conjungatur, addaturque etiam *apud Deum,* nihil omittitur eorum quæ sunt in tribus propositionibus, quod summatim non comprehendatur redactis tribus propositionibus in unum. Vide verò an fieri possit, ut etiam duas res dicamus, quia bis dicatur *in principio,* alteram

quidem, quòd *in principio erat ille Sermo*, quasi etiam ex se esset, et non omninò apud aliquem; alteram verò, quòd *in principio apud Deum erat*. Meumque est judicium absque mendacio dici posse de eo, quòd et *in principio erat*, et *in principio apud Deum*, neque apud Deum solùm existens, quoniam *in principio erat*, neque in principio solùm existens, et non apud Deum existens, quoniam *hic erat in principio apud Deum*.

6. *Omnia per ipsum facta sunt*. Numquàm principem locum habet particula *per quem*, sed semper secundum, veluti in Epistolâ ad Romanos: *Paulus servus*, inquit, *Jesu Christi, vocatus ad munus Apostolicum, segregatus in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui genitus fuit ex semine David secundùm carnem: qui declaratus fuit Filius Dei cum potentiâ, secundùm spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit è mortuis Jesus Christus Dominus noster, per quem accepimus gratiam, et Apostolici muneris functionem, ut obediatur fidei inter omnes Gentes super ipsius nomine* [1]. Deus enim Evangelium suum prænuntiaverat per Prophetas, subministrantibus Prophetis, et habentibus sermonem illius cui competit *per quem*; et rursùm Deus dedit gratiam et Apostolici muneris functionem Paulo, et reliquis, ut obediant fidei omnes Gentes; et dedit *per Christum Servatorem*, habentem particulam, *per quem*. Et in Epistolâ ad Hebræos ipse Paulus inquit: *In novissimis diebus locutus est nobis in Filio, quem posuit hæredem omnium, per quem fecit et sæcula* [2], docens nos Deum sæcula fecisse per Filium, Unigenito habente particulam δι' οὗ [id est, *per quem*], dùm sæcula fierent. [a] Sic igitur hoc etiam in loco, si omnia *per Sermonem* facta fuerunt, non à Sermone facta fuerunt, sed ab eo qui ipso Sermone major est, quem quis alium dixerit, quàm Patrem ipsum? Quærendum est et illud, an ipse etiam Spiritus sanctus per ipsum sit factus, verum cùm sit omnia per Sermonem facta fuisse. Ac meo quidem judicio, si quis dicat factum esse Spiritum sanctum, et admittat omnia per Sermonem facta fuisse, is etiam fateatur necesse est Spiritum ipsum à Sermone factum, nimirùm Sermone ipso antiquiore existente ipso Spiritu. Qui verò noluerit Spiritum sanctum per Christum fuisse factum, sequitur, ut is vera credens, quæ in hoc Evangelio sunt scripta, Spiritum ipsum [b] ingenitum asserat. [Erit autem etiam aliquis tertius, præter hos duos, eum scilicet qui per Verbum factum fuisse Spiritum sanctum concedit, et eum qui non factum eum existimat, ([c] statuens nullam essentiam constare Spiritûs sancti propriam, quæ à Patre et Filio di-

[1] *Rom.* I, 1-5. — [2] *Hebr.* I, 1 *et* 2.

[a] Duo hîc displicent Huetio, Filium infra Patrem amandari, creationem ei abjudicari. Sed aliter sensisset, si attendisset Origenem, dùm præpositionum ὑπό et διά vim ac sententiam ponderat, occurrere Heracleonis commentis qui Verbum volebat « Creatori causam præbuisse mundi originis, ac ipsum « Verbum nequaquàm ὑπ' ἄλλου ἐνεργοῦντος, *sub alio operante et vim præbente*, creavisse, sed alium potiùs, *ipso* « *Verbo operante*. » Contrà statuit Origenes « debuisse dicere « Scripturam, si hæc Heracleonis vera esset sententia, omnia « *per Creatorem à Verbo* facta esse, non autem per Verbum à « Creatore. » Addit « non Creatorem Verbi in mundi creatione, « sed Verbum Creatoris ministrum fuisse, secundùm David « Prophetam: *Deus dixit, et facta sunt: mandavit, et crea-* « *ta sunt* [1]. Mandavit enim ingenitus Deus Primogenito omnis « creaturæ, et creata sunt non solùm mundus, et quæ in illo « sunt, verùm etiam reliqua omnia, *sive Throni, sive Domi-* « *nationes, sive Potestates; omnia enim per illum et in* « *illum creata sunt; et ipse est ante omnia* [2]. » Nihil est in his verbis quod meritò reprehendas. Non aliter Filium Patri subjicit Origenes, quàm Catholica doctrina postulat, nec veram creationem Verbo abjudicat, sed eam tantùm quam hæretici fingebant. Cùm enim mundum à vero Deo creatum negarent, ac Verbum Creatore sive demiurgo tamquàm instrumento quodam usum dicerent, violatam Creatoris majestatem vindicat Origenes, ac Verbum omnia à Creatore sive Patre accepisse, nihil Patrem à Verbo, nec Creatorem Verbo, sed Verbum Creatori ministrâsse demonstrat, quippè cùm Verbum, ut alibi docet, idea sit idearum, quâ omnia continentur; æterna ratio, cujus ad præscriptum Deus omnia creat et gubernat; sapientia, in quâ tamquàm sapiens architectus omnia descripsit ac disposuit. Non indecorum est Verbo hoc ministerium, nec cum decretis Catholicis pugnat hæc creandi ratio, sed cum hæreticorum commentis. Hæc D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 16, n. 5.

[b] Si per ἀγέννητον, *non creatum*, vel *non genitum* intelligas, Spiritui sancto convenit: si pro eo quod principio caret usurpetur, non item. Hinc est cur eam appellationem à Spiritu sancto vetusti Patres removeri velint. Basilius quidem, Homiliâ 17 contra Sabell., idcircò Spiritum sanctum ab hoc vocabulo prohibet, quòd hæc captum humanæ mentis superent; Theodoretus autem, Dialogo 3, quòd vox ejusmodi in Scripturis sacris Spiritui sancto minimè tribuatur. HUETIUS.

[c] Verbis uncis inclusis significat Origenes, juxta Huetium, Lib. 2 Origenianorum, Quæst. 2, ad finem num. 3, p. 117, ab eo qui unicam in Trinitate οὐσίαν ponit, se dissentire, et tres ὑποστάσεις admittere, hoc est, tres οὐσίας; nam si ἰδιότητας, hoc est, *personas*, hîc significaret vox ὑποστάσεις, neutiquàm exprimeret dissensionem suam ab eo qui unius οὐσίας Trinitatem esse volebat.

Videndum autem an meritò decernat Huetius *hypostasis* nomine non personam ab Origene intelligi, sed *essentiam*, quam qui unicam in Trinitate statuunt, ab iis Origenem palàm et apertè dissentire. 1° Perspicuum est nihil negotii esse Origeni cum Catholicis unam in tribus personis essentiam admittentibus, sed cum Noëtianis, qui nullam propriam Spiritûs sancti substantiam subsistere volebant; aut si Patrem à Filio distinguebant, saltem eò ferebantur, ut Spiritum sanctum eumdem esse ac Patrem existimarent. Quarè apud Origenem Spiritum sanctum eumdem ac Patrem existimare, idem sonat ac propriam illius substantiam per se subsistentem negare. Atque hanc fuisse Noëti Origeni æqualis sententiam omnibus notum. Is enim divinam essentiam per se subsistere non negabat; sed

[1] *Psalm.* XXXII, 9. — [2] *Coloss.* I, 10.

versa sit; sed si animum advertat, fortassis diversum esse potiùs à Filio Patrem existimabit, quòd is idem quod Pater sit, quòd sine controversiâ distinctio declaretur Spiritûs sancti à Filio hoc loco : *Qui verbum dixerit in Filium hominis, dimittetur ei, qui autem blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non dimittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro*[1]. Nos autem qui tres personas, Patrem, et Filium, atque Spiritum sanctum esse credimus), et [a] ingenitum

[1] *Matth.* XII, 32.

per se subsistere in tribus personis, ità ut per proprietates personales propria sit cujusque personæ, id pernegabat. Nihil igitur aliud defendit Origenes, quàm quod isti negabant, Spiritum sanctum personam esse à Patre et Filio distinctam. 2° *Essentiæ* et *hypostasis* nomine personam his in locis designari contra quàm videtur Huetio, multis testimoniis declaratur. Neque enim aliter accipi possunt hæc verba ex Tomo 17 in Matth., num. 14 : « Neque enim pro eo (Christo) « stare existimandi sunt, qui falsa de eo fingunt, dùm sibi vi« dentur honorem ei habere : quales sunt qui Patris et Filii « notionem confundunt, ac unum *hypostasi* esse Patrem et « Filium volunt, solâ cogitatione et nominibus unam perso« nam distinguentes. » Habemus hoc loco eosdem hæreticos ac superiore, eamdemque Origenis sententiam. *Hypostasim* et *suppositum*, sive *personam*, nullo discrimine adhibet; ac Patrem et Filium *hypostasi* unum fingere, idem censet ac unam et singularem personam solâ cogitatione ac solis nominibus distinguere. Non ergò substantiæ, sed personæ singularitatem in Trinitate condemnat, eamque distinctionem requirit, quæ solâ cogitatione ac solis nominibus non contineatur. Similiter, in hâc Homiliâ, suprà, num. 2, duplicem classem instituit hæreticorum de unius Dei cultu gloriantium : « Vel qui negant proprietatem Filii aliam esse ac « Patris, confitentes Deum esse eum qui apud eos no« mine tenùs appellatur Filius : vel qui Filii divinitatem « negant, ejus autem proprietatem et essentiam per se « subsistentem, aliam esse ac Patris confitentur. » Idem ergò sonant apud Origenem *proprietates*, *persona*, *suppositum*, *essentia per se subsistens*. Non adjungam ad meos usus, quod concedere videtur Huetius, eos ab Origene vituperari, qui substantiam κατὰ περιγραφὴν aliam in Filio ac Patre ponebant. Non eos vituperat, sed laudat potiùs; et meritò quidem; nam οὐσία κατὰ περιγραφὴν nihil aliud est quàm essentia suis proprietatibus circumscripta et definita, sive per se subsistens. Hanc loquendi rationem, quæ magni momenti est ad Origenis doctrinam explicandam, sic ipse exponit sub finem Homiliæ 1 in Joan., n. 42 (in nostrâ edit. n. 26) : « Ad hæc, ut intelligatur Verbum habere propriam circum« scriptionem, quippè cùm per se subsistat, dicendum est *de* « *potentiis*, non solùm de potentiâ. *Hæc dicit Dominus vir*« *tutum*, multis locis ponitur : quo *virtutum* nomine intel« liguntur divina quædam animalia rationalia, quibus supe« rior et præstantior Christus, qui non solùm Sapientia, sed « etiam *Virtus* dicitur. Quemadmodùm ergò plures sunt Dei « *potentiæ*, quarum unaquæque circumscriptionem habet, id « est, per se subsistit, sic Verbum (quamvis nostrum per se « non subsistat extra nos) intelligetur Christus ex iis quæ « anteà indagavimus, in principio, id est, in Sapientiâ *hy*« *postasim* habens. » Sic etiam apud Basilium Epistolâ 38, num. 2, περιγραφὴ opponitur substantiæ communi tribus personis; et num. 3, *hypostasis* sistere et circumscribere definitur id quod commune est et incircumscriptum, sive infinitum. D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 15, num. 4.

[a] Origenes, Lib. 1 de Principiis, cap. 2 : « Ità ergò et ab eo « (Patre) Filii substantia generatur : quod necesse est in pri« mis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est, innatum, « præter solum Deum Patrem fatentur. » Quem locum repetit Pamphilus in Apologiâ. Hieronymus, Epistolâ 59 ad Avitum, de Origene loquens : « De quo (Spiritu sancto), *inquit*, « cùm ignorare se dicat utrùm factus sit, an infectus; in po« sterioribus quid de eo sentiret expressit, nihil absque solo « Patre infectum esse confirmans. » Vocem ἀγέννητον, quam *ingenitum* vertit Rufinus, latini quidam Patres *infectum*, et *inoperatum*, et *originis expers* exposuerunt. Veteres quoque græci Scriptores quos laudat Athanasius, Libro de Synod. Ariminensi et Seleuciensi, et Oratione 2 contra Arianos dicebant : Ἓν τὸ ἀγέννητον ὁ Πατήρ· *Una res est infecta Pater*. Multiplex quippè est vocis ἀγέννητος significatio, quâ abusi Ariani et Anomœi diù simpliciores homines ludificati sunt. At audiendus Athanasius qui hæc scribit : « Non ignoramus au« tem eos qui dixerunt unam rem esse infectam, Patrem ni« mirùm, non ità scripsisse quasi Verbum factum et conditum « sit, sed quia (Pater) causam et auctorem non habet. » DELARUE.

Sic etiam Maranus : Displicet Epiphanio et Hieronymo *genitus Deus* : idem esse volunt ac *factum* et *creatum*, saltem apud Origenem, de cujus Arianismo non præjudicium, sed planè judicium fecerant. Sed illud γενητόν, cùm de Filio dicitur ab Origene, vel generatim significat *id quod habet aliquod suî principium*, vel *veram generationem* designat. Utriusque interpretationis exempla passim occurrunt : primæ quidem, hoc numero 6, cùm Origenes solum Patrem ingenitum demonstrat, ac Filium cum rebus creatis in eo comparare non dubitat, quòd à Patre acceperit ut esset, cum hoc tamen discrimine, quòd Filius ab æterno genitus, istæ in tempore creatæ. Sic etiam Homiliâ 1, suprà, n. 2, *aliàs* 17 : « Non « absurdè quis universorum Deum principium dixerit, palàm « eò procidens, ut Filii principium sit Pater, et principium « creaturarum Creator, ac generatim principium entium « Deus. » Eodem sensu docet hâc Homiliâ 2, num. 23, multas Dei proprietates cognosci non posse ab humanâ naturâ, fortè etiam nec ab aliis præter Filium et Spiritum sanctum genitis rebus. Nihil igitur repugnat *genitus Deus*, si ità accipiatur; at quo sensu Epiphanius et Hieronymus accipiunt (id est, sensu *Deus factus*, *creatus*), nusquàm apud Origenem occurrit, nisi fortè velimus ipsam Patris naturam ex nihilo creatam ab Origene existimari; nam voluntatem Patris in Filio nasci declarat Lib. 8 contra Celsum, n. 12. D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 15, num. 1.

« Præstat, *inquit* Huetius, Lib. 2 Origenianorum, Quæst. 2, « num. 24, ipsa Origenianæ doctrinæ penetralia scrutari. » « Hoc « non est ipsa Origenianæ doctrinæ penetralia scrutari, *respon*« *det* Bullus in Defensione fidei Nicænæ de Filii τῷ ὁμου« σίῳ, cap. 9, num. 14, sed ea potiùs rimari et suspicari, « de quibus ipse Origenes ne per somnium quidem umquàm « cogitavit. Fateor generationem Filii ex Patre illustrari ab « Origene, etiam in Libris contra Celsum, similitudine radii « sive splendoris à sole, sive alio corpore lucido, projecti. « Sed quid tùm? Annon Patres Catholici omnes, tàm qui « ante, quàm qui post Concilium Nicænum scripserunt, eodem « simili usi sunt? Nonne ipsi Patres Nicæni, idque in ipso « Symbolo suo, dixerunt Filium Deum ex Patre Deo nasci, ut « lumen de lumine? Et quid demùm Epistolæ ad Hebræos di« vino Scriptori fiet, qui non veritus est Filium Dei nuncu« pare *Splendorem paternæ gloriæ*[1]? Duo certè porismata, « quæ ex hâc comparatione deducit, Origenique affingit Hue« tius, à mente Origenis omninò aliena sunt. Primum est Fi« lium à Patre dividi et separari ut partem divinæ essentiæ à

[1] *Hebr.* I, 3.

nihil præter Patrem esse nobis persuasimus, Spiritum sanctum [a] et iis omnibus quæ per Verbum facta sunt, et ordine iis omnibus quæ à Patre per Christum condita sunt, præstantiorem esse, ut pium et

« totâ, adeòque Dei essentiam in partes sectam esse. Sed quis « credat Origeni, viro sanè non indocto, tàm insulsam blas« phemiam venire in mentem potuisse? Quotiès verò in « scriptis suis istam blasphemiam expressè repudiavit Ada« mantius! Sic (ut alia loca sexcenta omittam) in Lib. 4 « contra Celsum, num. 14, p. 510, Epicureos et Stoicos irri« det, quòd non potuerint « clarè Dei naturam intelligere, « nempè quòd is sit omninò incorruptibilis et simplex, nec « compositus, nec divisibilis. » « Mox addit Filium Dei in « formâ Dei, hoc est, in essentiâ divinâ subsistere, proindè « et ipsum juxta cum Patre immutabilem esse. Nihil autem « expressius huic commento repugnat, quàm verba Origenis « quæ ex Libro 2 super Joannem citat Pamphilus in Apolo« giâ, nempè hæc : « Unigenitus ergò Deus Salvator noster, « solus à Patre generatus, naturâ et non adoptione Filius est. « Natus autem ex ipsâ Patris mente, sicut voluntas ex mente. « Non enim divisibilis est divina natura, id est, ingeniti Pa« tris, ut putemus vel divisione, vel imminutione substantiæ « ejus, Filium esse progenitum. » Ad alterum Huetii corol« larium quod attinet, nempè Filium ab Origene Patre inferio« rem statui, evidentissimè ostendam numquàm statuisse Orige« nem Patri Filium esse imparem juxta essentiam, sed tantùm « originis respectu, nempè quatenùs Pater est auctor et princi« pium Filii. Verbo dicam: Origenes aliique Catholici Patres simile « illud solis et radii, lucis et splendoris usurpantes, hæc tantùm « significare voluerunt, neque aliud quidquam ipsis in mentem « venit : 1° Patrem esse fontem divinitatis, quemadmodùm « sol fons est splendoris ex ipso emissi : 2° Filium esse ejus« dem naturæ ac substantiæ cujus est Pater, utpotè de ipsâ « Patris essentiâ genitum, ut lumen de lumine manat; 3° Fi« lium neutiquàm à Patre suo divisum ac separatum existere; « quemadmodùm nec radius à sole, nec splendor à luce dis« jungitur : 4° Deniquè Filium sine alteratione et diminutione « divinæ essentiæ ex Patre nasci. Equidem hos animi nostri « conceptus de adorandâ generatione Filii Dei, mirum in mo« dum adjuvat similitudo ista; undè et à Patribus Nicænis in « ipsâ Confessione suâ adhibita fuit. »

[a] Hæc, quantumvis dura, facilè excusabimus, si dicamus processionem Spiritûs sancti hîc significari, et eo quidem modo quo ipsam antiqui Ecclesiæ Patres explicârunt, dicentes à Patre per Filium procedere Spiritum sanctum. Cyrillus, Libro de rectâ Fide ad Theodosium, Spiritum sanctum scribit esse ἐξ Υἱοῦ, καὶ δι' Υἱοῦ; et Libro 1 de Adoratione : Ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προχεόμενον Πνεῦμα. Quod idem repetit in Epistolâ ad Reginas et variis locis. Damascenus, Libro 1 de Fide orthodoxâ, cap. 18 : « Et Filii Spiritus, non quasi ex ipso, sed « quasi per ipsum à Patre procedens. » Tertullianus, Libro adversùs Praxeam, cap. 4 : « Spiritum non aliundè puto quàm « à Patre per Filium. » Hilarius, Lib. 12 de Trinitate : « Con« serva hanc, oro, fidei meæ religionem, ut semper obtineam « Patrem, scilicet, te, et Filium tuum unà tecum adorem, et « Spiritum sanctum tuum, qui est per Unigenitum tuum, « promerear. » Vide etiam Florentinum Concilium, et D. Thomam, Libro 1 Sententiarum, Quæst. 36, Art. 3. Ait quidem Paulus : *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* [1]; et : *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* [2]. Quibus verbis inductus, Aetius, Anomœorum antesignanus, Patrem inter et Filium discrimen inesse credidit, ut primaria causa esset Pater, instrumentum verò Filius. Hanc autem vesaniam castigat Basilius, Libro de Spiritu sancto, accuratèque demonstrat voces illas ἐξ οὗ, et δι' οὗ in Scripturis promiscuè usurpari; hîc autem Patri et Filio fuisse seorsùm attributas, ut hypostases discernerentur, cùm ea cæteroquin quæ fiunt à Patre, à Filio quoque fiant. Audiendus in primis Cyrillus, cap. 5 in hunc Joannis locum, ubi idem multis probat. Γενομένων autem Origenis vox est generalis, ea complectens universa, quæ quoquo modo sunt, sed ad Spiritum sanctum, ad res creatas diversâ ratione pertinens; nam quod ait, verbi gratiâ, Hilarius Spiritum sanctum per Unigenitum esse, id dixerit Origenes διὰ Μονογενοῦς ἅγιον Πνεῦμα γίνεσθαι. Cùm igitur Spiritus sanctus γενητός esse dicitur, hoc est : *Qui habet ab alio ut sit;* cùm autem οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν, *non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, sciscit Athanasius in Symbolo et Epiphanius in Anchoratu, cap. 7, hoc est : *Non genitum.* Notandum prætereà hic esse γενητόν, illic γεννητόν, quæ diversam postulant interpretationem; hoc enim fit à γεννάω, *gigno;* illud à γίνομαι, *sum*, *existo*. Ità olim Filius ἀγένητος à Catholicis dicebatur, ἀγέννητος, non item. At, ἀγένητος, illud quod de Filio dicebatur, *increatum* significat : γενητός, quod de Spiritu sancto dixit Origenes, significationem habet à γίνομαι, *sum*, et idem sonat ac *existens*. Quòd verò vocem γενητόν pessimo sensu ab Origene usurpatam conjectat Epiphanius, Hæres. 64, cap. 8, in eo sanè ipsius æquitatem requiro. Nec ego tamen rectè usquequaquè de Spiritu sancto Origenem sensisse contra Epiphanium et Basilium, Lib. de Spiritu sancto, cap. 29, durâ fronte prætenderim, *ut fidem faciunt Origeniana nostra.* HUETIUS.

Et reipsa Huetius Libro 2 Origenian., p. 128-130, num. 21, accusat Origenem blasphemiæ in Spiritum sanctum; et materiam eum accusandi capit in satis longâ disputatione de sancto Spiritu, quæ exstat in hoc numero 6. Quæ autem ad hanc criminationem firmandam proferuntur, ea, si græcum contextum accuratè expendas, potiùs Origenis stabiliunt de Spiritu sancto doctrinam sanam. Etenim sic loquitur Origenes, non longè ab initio hujus numeri : « Inquirendum autem est, « cùm verum sit illud : *Omnia per eum exstiterunt*, an ipse « etiam Spiritus sanctus per eum exstiterit. Illud equidem « arbitror ei qui Spiritum sanctum rem genitam esse dicat, « ac illud : *Omnia per eum exstiterunt*, admittat, necessa« rium esse Spiritum sanctum per Verbum, quod eo præstan« tius est, fateri exstitisse. Nolenti autem Spiritum sanctum « per Christum exstitisse, consentaneum est ingenitum illum « dicere, si vera esse judicet, quæ in hoc Evangelio leguntur. »

Illud 1° observandum est has voces ἐγένετο, γεγονέναι, γενητόν, duobus modis accipi posse; et de rebus ex nihilo creatis, et de iis quæ aliquod suî principium habent. Hinc Epiphanius, qui in Origene γενητόν idem valere existimat ac *creatum*, Hæres. 64, hoc Joannis de Christo dictum, πρῶτος μοῦ ἐγένετο, idem esse contendit ac *ante me fuit*, Hæres. 68. Ipse Origenes Filium, de cujus æternitate mirificè sensit, *Deum genitum* appellare non dubitat, ut infrà videmus. Hinc Verbum et Veritatem substantialem non per alium quemquam, sed à Deo exstitisse contendens, his vocibus utitur : « Nec omninò per alium quemquam, sed à Deo exstitit. » Quemadmodùm ergò his in locis, γένεσθαι aliud omninò sonat ac *creari;* sic, cùm suam Origenes de Spiritûs æternitate sententiam tot rebus testatus sit, accommodatè ad hanc sententiam reddendæ sunt voces generatim rei creatæ aut increatæ quidem, sed tamen esse ab alio incipienti congruentes. Hanc interpretandi rationem probat Huetius, ut suprà vidimus, quamvis adduci se non posse dicat, ut Origenem probatum et purgatum habeat. 2° Fatendum est Origenem non bellè interpretari verba Joannis, quæ cùm ad res creatas pertineant, ad Spiritum sanctum referri non debebant. Sed tamen, cùm illud ἐγένετο, omnibus rebus aliquod suî principium habentibus conveniat, non præter suum et aliorum benè

[1] I *Cor.* VIII, 6. — [2] *Coloss.* I, 16.

verum concedimus et approbamus. [a] Atque hæc forsitan causa est, cur ipse Dei non dicatur esse Filius, quòd solus Unigenitus à principio naturâ Filius sit, quo indigere videtur Spiritus sanctus, ministrante ipsius hypostasi, non solùm ut sit, sed ut sapiens sit, et rationis particeps, et justus, et omne id quod eum esse intelligendum est, ex Christi notionum, quæ à nobis paulò antè commemoratæ

multorum morem sic Scripturam interpretatur. Solent enim ecclesiastici Scriptores Patrem unicum principium dicere, Filium et Spiritum sanctum ex Patre esse demonstrant, quia omnia ex Patre esse in Scripturis dicuntur, nec Filium et Spiritum in hoc cum rebus creatis comparare dubitant, quòd à Patre esse acceperint, licèt modo longè diverso ac res creatæ. Origenes, Tom. 4, num. 22, p. 80, multa esse statuit in Deo, quæ non solùm ab humanâ naturâ, sed etiam ab aliis præter Filium et Spiritum genitis rebus comprehendi non possint. Minimè ergò mirum, si, cùm ipsum Filium in rebus quæ à Deo esse habent, numeret, Spiritum sanctum in iis recenseat, quæ per Filium exstiterunt. Nicænæ fidei acerrimus defensor Hilarius, Arianis cavillandi causâ quærentibus per quem sit Spiritus sanctus, responsum affert, Lib. 9 de Trinitate, num. 29, huic Origenis loco simillimum : « Cùm dicunt, *inquit*, per quem sit, et ob quid sit, vel qualis sit, si « responsio nostra displicebit dicentium per quem omnia, et « ex quo omnia sunt, et quia Spiritus est Dei, donum fidelium; displiceant et Apostoli et Prophetæ hoc tantùm de eo « quod esset loquentes, et post hæc Pater et Filius displicebit.»

Sed Origenis sententia ex his quæ sequuntur accuratiùs examinanda. Sic enim pergit : « Erit fortè præter illos duos, « nempè eum qui Spiritum sanctum per Verbum exstitisse « assentiatur, et eum qui ingenitum illum existimet, tertius « aliquis, qui ne propriam quidem essentiam subsistere Spiritûs sancti, aliam à Patre et Filio decernat; aut fortè, si « Filium alium ac Patrem esse sentiat, eò magis feratur, ut « Spiritum sanctum eumdem esse ac Patrem ipsum existimet, « cùm manifestò demonstretur Spiritûs sancti et Filii distinctio in his verbis : *Qui verbum dixerit in filium hominis, « dimittetur ei; qui autem blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non dimittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in « futuro.* »

His præmissis Origenes sententiam suam sic exponit : « Nos « autem qui persuasum habemus tres hypostases esse Patrem, « et Filium, et Spiritum sanctum, nec quidquam ingenitum « credimus præter Patrem, sic statuimus, cùm omnia per Filium exstiterint, Spiritum sanctum omnibus præstantiorem « esse, et ordine ab omnibus quæ per Christum à Patre exstiterunt segregari. Atque hæc fortè causa est, cur ipse quoque « Dei Filius non appelletur, solo Unigenito naturâ Filio ab initio existente, quo quidem indigere videtur Spiritus sanctus, ut ipsius hypostasi ministret, non solùm ut sit, sed etiam « ut sit sapiens, et rationalis, et justus, et quidquid omninò « eum cogitare et intelligere oportet, secundùm communicationem Christi notionum, quas jam commemoravimus. »

Habemus in his verbis accuratam Origenis sententiæ explicationem. Nam, 1° Spiritum sanctum eodem sensu γενητόν esse asserit, quo ipsum Filium; eodem sensu ingenitum negat, quo Patrem ingenitum affirmat. Ex eo enim quòd solus Pater ingenitus sit, nec de Filio, nec de Patre idem dici posse concludit. At profectò, cùm Patrem solum ingenitum dicit, non solùm ex nihilo creatum non esse, sed solùm ab alio esse non accepisse intelligit; ex quo patet non id eum inquirere utrùm Spiritus sanctus ex nihilo creatus sit necne, sed utrùm ab alio necne esse acceperit. Id confirmat necessaria illa triplicis hypostasis distinctio, quam ad usus suos adjungit. Nemo sanè dixerit ità desipuisse Origenem, ut Spiritum sanctum ex eo quòd tertia sit Trinitatis hypostasis, nec cum Patre et Filio confundi debeat, creatum et eductum ex nihilo concluderet.

2° Quamvis Spiritum sanctum in iis rebus numeret, quæ per Filium exstiterunt, eum tamen à rebus creatis segregatum esse declarat. Hinc cùm de Spiritu sancto loquitur, nusquàm iis utitur vocibus, quæ creationem designent : quinetiam ejusmodi voces interdùm de Filio in Scripturis, nusquàm de sancto Spiritu occurrere declarat Lib. 1 de Principiis, cap. 3, num. 3; qui locus cùm à Pamphilo Martyre ad Origenis defensionem allatus sit, auctoritate non caret : « Verumtamen, « *inquit*, usquè ad præsens nullum Sermonem in Scriptis sanctis invenire potuimus, per quem Spiritus sanctus factura « esse vel creatura diceretur, ne eo quidem modo, quo de « Sapientiâ referre Salomonem suprà edocuimus, vel quæ de « vitâ, vel Verbo, aliisque appellationibus Filii Dei intelligenda « esse tractavimus. » Non defuisset Origeni ejusmodi testimonium, si his Joannis verbis : *Omnia per ipsum facta sunt*, seu *exstiterunt*, quibus Spiritum sanctum comprehendi non dubitat, creationem designari existimâsset.

3° Hanc rationem affert, cur Spiritus sanctus non appellatur Filius, quia à Patre per Filium existit : in quo liquet totum inter Filium et Spiritum sanctum discrimen non ex naturæ dissimilitudine, sed ex diversâ existendi ratione repeti. Hinc illa Martyris Pamphili observatio ex Proœmio in Libros de Principiis, num. 4, ad hæc Origenis verba : « In hoc non jàm « manifestè discernitur utrùm natus sit an innatus. Qui de nato, « *inquit*, vel innato requirit, sine dubio creaturæ in eo nullam habet opinionem ; alioquin et hoc adduxisset ad inquisitionem. » Et adjungit Origenes, cap. 1 Apologiæ Pamphili, p. 20, col. 2 : « Vel Filius ipse Dei habendus sit necne. » Cùm hæc postrema Origenis verba, tùm S. Martyris notatio demonstrant, non id Origenem inquirere utrùm Spiritus sit necne creatura, sed quomodò acceperit, ut esset una ex tribus personis divinis. Quamobrem minùs accuratè Hieronymus, ad hunc Origenis locum respiciens, sic loquitur in Epistolâ ad Avitum : « De quo, *inquit* (id est, de Spiritu sancto), cùm ignorare se « dicat utrùm factus sit an infectus, in posterioribus quid de « eo sentiret expressit, nihil absque solo Patre infectum esse « confirmans. » Numquàm ignorare se dixit Origenes utrùm Spiritus sanctus esset necne creatura. Nam in hoc ipso Proœmio in Libros de Principiis inter ea « quæ per Apostolicam « prædicationem manifestè traduntur, » hoc dogma numerat, « honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum Spiritum sanctum : » quæ verba non omisit Pamphilus. Numquàm ergò dubitavit Origenes, quin Spiritus sanctus una sit ex tribus divinis personis, æqualis Patri et Filio; sed cùm ejus processio non tàm distinctè in Scripturis exponi videretur, quàm generatio Filii, operam hâc in re investigandâ insumendam esse ducebat.

4° Mirificè confirmat æqualitatem trium personarum et unitatem substantiæ, quod ait Origenes Spiritum sanctum Filio egere « ut sit sapiens, rationalis, justus, et quidquid eum « omninò cogitare et intelligere oportet secundùm communicationem Christi notionum, » quas anteà enumeraverat. Quemadmodùm ergò Filius omnia est, ut docet Origenes, quæcumque est Pater; ità Spiritus sanctus omnia est quæcumque Filius, excepto generationis et processionis discrimine; et quemadmodùm Pater omnia sua Filio tradidit, ut alibi declarat Origenes, ità Spiritui sancto omnia per Filium à Patre tradita ex ejusdem principiis necessariò demonstratur. D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 16, num. 9.

[a] Similis ferè est Basilii, Epistolâ 43, Gregorii Nysseni, Lib. 1 contra Eunomium, Epiphanii in Anchoratu, Augustini, Lib. 15 de Trinitate, cap. 26, et Lib. 3 contra Maximinum, cap. 14, aliorumque ratiocinatio, cùm Filium idcircò Filium dici et esse volunt, quòd ex uno oriatur; Spiritum sanctum nec dici Filium, nec esse, quòd procedat ex duobus. HUETIUS.

sunt, participatione. Ego autem existimo Spiritum sanctum, ut ità dicam, materiam gratiarum quæ à Deo proficiscuntur, suppeditare iis qui per ipsum ejusque communionem sancti sunt, dum materia, quam dixi, charismatum, à Deo quidem operatur, à Christo autem ministratur, per Spiritum verò sanctum existit. Quod quidem ut ità esse putem, facit Paulus, qui quodam loco de gratiis scribit his verbis: *Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus*[1]. [a]Habet autem dubitationem, quòd omnia per ipsum facta sint, et ex eo sequatur ut Spiritus sanctus, qui factus est, ab ipso factus sit: quomodò Christo in quibusdam Scripturis anteponatur, cùm Christus ipse in Isaià quidem se non solùm à Patre, sed etiam à Spiritu sancto missum esse fateatur (ait enim: *Et nunc Dominus misit me, ejusque Spiritus*[2]); in Evangelio autem, remissionem promittat in peccato quod in ipsum committitur; pronuntiet verò de blasphemià in sanctum Spiritum, non fore ut pateat non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro ad ejus veniam et remissionem aditus ei qui in illum blasphemaverit. Et fortassè non propterea ei qui in Spiritum sanctum peccaverit, non ignoscitur, quòd ipse Christo sit honoratior, eique anteponatur, sed quòd omnia in quibus est ratio, Christo participant, quibus, cùm à peccatis discedunt, venia datur; eos autem qui sancto Spiritu digni judicati sunt, non consentaneum sit veniam consequi, cum tanto et tali instinctu, et, ut ità dicam, inspiratione in malum iterùm relabentes, et consilia Spiritûs sancti, qui in eis inest, respuentes. Quòd si id quod est apud Isaiam scriptum, ait Servator noster se à Patre missum esse et ab ipsius Spiritu, respondendum est etiam hoc loco missum esse Christum à Spiritu, non quòd naturâ differat, sed propter Filii Dei Conservatoris nostri, qui se infra eum minuit, in humanitate sumendâ, dispensationem. Quòd si quis ex eo offenditur, quòd in sumendâ naturâ humanà infra Spiritûs dignitatem Servatorem imminutum dixerim, hoc ei probandum est ex iis quæ scripta sunt in Pauli ad Hebræos Epistolâ, in quâ etiam Angelis minorem Jesum fuisse propter mortis perpessionem pronuntiat; ait enim: *Eum autem qui modicò quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum*[3]. Aut hoc etiam dici potest creatæ naturæ[b], ut à servitute interitûs corruptionisque liberaretur, atque etiam hominum generi beatâ ac divinâ virtute, ut ità dicam, incarnatâ opus fuisse, quæ ea etiam quæ in terrâ sunt corrigeret; et quodammodò hanc actionem ad sanctum Spiritum pertinere, quam cùm ferre non posset, Servatorem offert et proponit, ut qui solus hoc certamen posset sustinere: Pater etiam ut princeps Filium mittens, unà Spiritum quoque mittit, quem certo tempore descensurum ad Dei Filium, et unà hominum salutem operaturum effecturumque promiserat. Id quod perfecit, tùm cùm corporeâ specie columbæ ad eum post lavacrum volavit, et insistens non præteriit[4]: quod fecit fortassè apud homines, qui ejus majestatem assiduè ferre non poterant. Itaque significans Joannes et loquens de cognitione quisnam Christus esset, non solùm Spiritûs ad Jesum descensum narrat, sed præter descensum illius, in ipso mansionem; scriptum est enim hoc dixisse Joannem: *Qui misit me baptizare, dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu et igne*[5]. Non enim dicitur: *Super quem videris Spiritum descendentem* solùm, quòd fortassè etiam ad alios ipse descenderet, sed *descendentem, et manentem super ipsum.* Hæc autem multùm ac diù examinata sunt nobis, planiùs et

[1] I *Cor.* XII, 4, 5 *et* 6. — [2] *Isai.* XLVIII, 16. — [3] *Hebr.* II, 9. — [4] *Luc.* III, 22. — [5] *Joan.* I, 32.

[a] Vide S. Thomam, Part. 1, Quæst. 43, Art. 8. Eo loco quærit Origenes quomodò fieri possit, si Spiritus sanctus per Filium existit, ut ipse Filius apud Isaiam missum se dicat à Domino et Spiritu ejus. Respondet, primò « missum esse Christum à Spiri« tu, non quòd is naturâ præstantior sit, sed propter œconomiam « Incarnationis Filii Dei Salvatoris, qui se infra Spiritum immi« nuit. » Deindè verò, ut erat ingenio in ejusmodi rebus excogitandis luxurianti, hanc conjecturam proponit: Ἢ τάχα ἐστὶ καὶ τοῦτο εἰπεῖν, ὅτι ἐδεῖτο ἡ κτίσις, κ. τ. λ. « Aut hoc etiam « dici potest creatæ naturæ, ut à servitute interitûs, *etc.* » Duplicem hìc errorem castigat Huetius (in græco), sed vir doctissimus minùs advertit illud ὡσπερεί, *quodammodò*, quod Origenem figurà quâdam orationis uti demonstrat, ac nequaquàm dicere Incarnationem Spiritui sancto potissimùm convenisse, eumque hoc munus sustinere non potuisse; sed quasi ei conveniret, ac sustinere non posset, ità Salvatori detulisse. Nam cùm certò teneret Origenes Filium Spiritu sancto majorem esse ratione originis, nec ab eo mitti posse, quippè cùm Spiritus sanctus per Filium existat, sic Isaiæ locum explicandum putavit, ut Filius non ut à majore, sed ut à personâ ex ipso procedente et hoc munus honoris causâ deferente missus diceretur. Perabsurdum ergò foret id quod Origenes à se fingi declarat, ut germanissimam ejus sententiam accipere. D. PRUD. MARANUS, Lib. de Divinitate Christi, cap. 16, num. 10.

Universi Patres, præ reliquis SS. Trinitatis personis, humani redemptionem generis Filio præcipuè convenisse demonstrant, causasque hujus reddunt multiplices et validas. Patrem tamen ac Spiritum sanctum eodem officio haud secùs ac Filium defungi potuisse communis est Ecclesiæ catholicæ doctrina, eamque tuetur D. Thomas[a], Part. 3, Quæst. 3, Art. 5. Nihilominùs Anselmus non aliam potuisse carni suæ humanæ illigari personam quàm Filium dixit in eo Opere, cui titulum fecit: « Cur Deus homo. » « Quoniam ergò, *inquit*, quodlibet parvum inconveniens in Deo « est impossibile, non debuit alia persona incarnari, quàm Fi« lius. » EX HUETIO, in Origenianis, Lib. 2, Quæst. 2, num. 50.

[b] Vide Notam *b* suprà, pp. 511-515.

[a] Idem tamen, Part. 3. Quæst. 3, Art. 8, docet, ut id animadvertit Huetius in Notis, humani generis redemptionem Filium quidem potiùs quàm Spiritum sanctum decere.

apertiùs videre volentibus quomodò, si omnia per ipsum facta sunt, Spiritus etiam per Verbum factus est, qui una ex rebus inferioribus eo per quod factæ sunt, intelligatur [a], etiamsi verba quædam nos in contrariam partem trahere videantur. Quòd si quis Hebræorum Evangelium proferat, in quo Servator ipse hæc dicit : *Modò accepit me mater mea sanctus Spiritus uno capillorum meorum, et me in montem magnum Thabor portavit*, is dubitabit quî Spiritus sanctus, qui per Verbum factus est, mater Christi esse possit. Sed hæc atque hoc non est difficile interpretari. Si enim is qui facit voluntatem Patris qui in cœlis est, ejus est et frater, et soror, et mater [1]; et fratris Christi nomen non solùm ad genus hominum venit, sed etiam ad ea quæ eo diviniora sunt, nihil jàm absurdum alienumque erit plùs etiam quàm eos qui, quòd Patris qui in cœlis est voluntatem faciant, Christi mater appellantur, matrem esse sanctum Spiritum.] Ad hæc, quæramus oportet et illa in hoc dictum : *Omnia per ipsum facta sunt.* Sermo intellectione animi alius est à vitâ, et *quod factum est, in* Sermone *vita erat, et vita erat lux hominum.* An igitur ut omnia per ipsum facta sunt, sic etiam vita per ipsum facta est, quæ est lux hominum, et aliæ Servatoris intellectiones : vel omnia per ipsum facta fuisse intelligere opus est, detractis his quæ in ipso sunt? quod mihi melius esse videtur. Ut enim concedatur ipsum fecisse omnia, eo quòd vita (quæ est lux hominum) facta fuerit, quid dicendum de Sapientiâ, quæ ante ipsum Sermonem consideratur? Nam profectò per Sermonem factum non est, quod excellit Sermonem. Quarè omnia per Sermonem Deum facta sunt, præter ea quæ considerantur in Christo, quia Pater fecerit ea in sapientiâ : *Omnia enim*, inquit, *in sapientiâ fecisti* [2], non per sapientiam fecisti.

7. Videamus etiam quamobrem dictum sit : *Et sine ipso factum est nihil,* etiamsi quibusdam videatur superfluum esse illud : *Sine ipso factum est nihil,* quod subjungitur his verbis : *Omnia per ipsum facta sunt.* Si omne et quidquid dixeris per Sermonem factum fuit, nihil nisi Sermone factum fuit, tamen non sequitur, si sine Sermone non factum est aliquid, omnia per Sermonem facta fuisse. Nam fieri potest, ut, cùm nihil sine Sermone factum fuerit, non tantùm omnia per Sermonem facta sint, sed aliqua solùm ab ipso facta fuerint. Proindè intelligamus necesse est quonam pacto accipere debeamus vocabulum *omnia,* et quomodò vocabulum *nihil.* Fieri enim potest, ni explanaverimus utrasque dictiones, si omnia per Sermonem facta sunt, et appellatione *omnium* comprehendatur et vitium, et omnis fusio peccati, et omnia prava, ut intelligamus etiam hæc per Sermonem facta fuisse, quod est falsum; creaturas enim per Sermonem factas fuisse nihil est absurdi ; atque etiam beatos viros omnia præclarè facta et egregia facinora per Sermonem peregisse, nobis necessarium est intelligere : non item verò lapsus et peccata. Exposuerunt igitur quidam [b], propterea quòd non subsistat vitium (neque enim fuit ab initio, ac ne in sæculum quidem futurum est), id nihil esse. Et quemadmodùm Gentiles quidam [c] genera, et species, veluti animal et hominem, nihil esse dicunt, ità hi arbitrati sunt esse omne illud quod nec à Deo, nec per Sermonem sumpserit apparentem subsistentiam. Et annotamus nùm è Scripturis possint hæc accuratissimè ostendi. Quantùm igitur attinet ad significata hujus voculæ *nihil*, et voculæ *non ens*, synonyma videbuntur esse, cùm non ens dicatur *nihil*, et nihil *non ens.* Itaque videtur Apostolus *non entia* dicere, non quæ omninò nequaquàm sunt, sed *ea, quæ sint prava*, existimans prava *non existere; quæ enim non erant,* inquit, *Deus velut entia vocavit* [3]. Quin Mardochæus etiam in Libro Esther juxta Septuaginta, *non existentes* vocat inimicos Israel, dicens : *Ne tradideris sceptrum tuum, Domine, non existentibus* [4]. Possumus etiam adjungere, quomodò propter vitium mali appellentur *non existentes*, ex Dei nomine, quod scriptum est in Exodo : *Dixit enim Dominus ad Moysen : Existens, hoc mihi est nomen* [5]. [d] Bonus Deus hæc loquitur judicio nostro, qui gloriamur esse de Ecclesiâ, quem glorificans Servator dicit : *Nemo bonus, nisi solus Deus* [6], nempè ille Pater. Igitur bonus idem est cum *existente.* Cùm verò malum aut pravum contrarium sit bono, et contrarium existenti sit non existens, sequitur malum et pravum esse *non existens.* Et fortassìs hâc ratione adducti fuerunt, [e] qui dicunt diabolum non esse Dei opificium; in quantùm enim diabolus est, non est Dei opificium; in quantùm verò illi contigit diabolo esse, factus cùm sit (cùm nihil creatum sit extra Deum nostrum), Dei est opi-

[1] *Matth.* XII, 50. — [2] *Psalm.* CIII, 24. — [3] *Rom.* IV, 17. — [4] *Esther,* XIV, 11. — [5] *Exod.* III, 14 *et* 15. — [6] *Marc.* X, 18, *et Luc.* XVIII, 19.

[a] Quòd Spiritum sanctum Verbo minorem statuit Origenes, consentientem habet Athanasium, Orat. 2 adversùs Arianos. Verbum autem majus est Spiritu sancto propter dignitatem et auctoritatem originis : æquale, essentiâ et naturâ.

[b] Augustinus, Soliloq., cap. 5 et alibi.

[c] Hoc est juxta doctrinam Peripateticorum, rerum quæ non sunt hoc aliquid, sive τόδε τί; ea sunt autem τὰ καθόλου, vel, juxta Platonicos, ideæ universales. HUETIUS.

[d] Marcionistas suggillat οἰηθέντας δίκαιον μὲν εἶναι τὸν Δημιουργὸν, ἀγαθὸν δὲ τὸν τοῦ Χριστοῦ Πατέρα, ut idem habet Origenes suprà, Homiliâ 1, num. 42, *aliàs* 40. IDEM.

[e] Marcionistas porrò et alios eorum symmystas hic designat Origenes, qui tria principia statuebant, quorum Deus alter esset bonus, ignotus, Christi Pater : alter Creator et cognitus, et tertius inter utrumque diabolus. Legendus Epiphanius, Hæres. 42, cap. 8. IDEM.

ficium (ut si parricidam Dei opus esse negaremus), non auferentes ipsum à Deo factum fuisse, in quantùm homo est. Namque ponentes etiam nos eum esse sumpsisse à Deo, in quantùm homo est, non ponimus hoc eum sumpsisse, in quantùm est interfector. Itaque omnes participantes ens (participant autem sancti), meritò erunt *existentes;* qui verò diffugiunt entis participationem, eo quòd privati sint ente, facti fuerunt *non existentes.* Diximus autem superiùs *ens* et *nihil* synonyma et univoca esse; et hanc ob causam, qui *non sunt, nihil* esse, et omne vitium etiam *nihil* esse, quoniam est *non ens;* et *nihil* vocatum, sine Sermone factum fuisse, non connumeratum cum voculâ hàc, *omnibus.* Atque nos quidem pro virili ostendimus quæ sint *omnia* facta per Sermonem, et quid sit sine ipso quidem factum, *numquàm* autem *existens,* et hanc ob causam *nihil* vocatum.

8. Existimo autem Heracleonem, qui Valentini discipulus esse fertur [a], cùm hæc edissereret : *Omnia per ipsum facta sunt,* coactè et sine testimonio mundum universum, quæque in eo sunt, excepisse : excludentem, quantùm ipsius fert hypothesis, ex omnibus præstantissima quæque mundi, et eorum quæ ipso continentur. Ait enim per Sermonem, non sæculum, non quæ in sæculo sunt, facta fuisse; existimans illa ante Sermonem fuisse. Impudentiùs insuper instans ad illud : *Et sine eo factum est nihil,* neque veritus illud : *Ne addideris sermonibus ejus, ne te redarguat, et mendax sis* [1], illi voci *nihil*, addit, *eorum quæ in mundo sunt, et in hâc conditione.* Et quoniam apertum est dicta ipsius valdè coacta esse, præterque evidentiam pronuntiata, si quæ ipse divina opinatur, excluduntur à voce *omnium*, quæ verò sunt opinione suâ omninò corruptibilia propriè dicuntur *omnia,* non immorandum nobis est in his confutandis, quæ ex se absurditatem præ se ferunt. Quale est illud etiam quod Scripturâ dicente : *Et sine ipso factum est nihil*, ipse addit sine auctoritate Scripturæ : *Eorum quæ sunt in mundo et creatione :* quod neque cum probabilitate pronuntiat, sed dignum se putat, cui non secùs atque Prophetis, vel Apostolis credatur, qui cum auctoritate et inculpatè reliquerunt suî similibus ac posteris suis salutaria scripta. Jam verò et hoc dictum : *Omnia per ipsum facta sunt*, privatim atque secùs quàm alii exposuit, dicens Sermonem eum esse, qui causam præbuerit generationis mundi Opifici, nec tamen Sermoni competere particulam *à quo,* vel *ex quo,* sed *per quem,* exponens id quod scriptum est, phrasim esse consuetam; sed si rerum veritas erat, ut ipse putat, scriptum fuisse oportuit omnia per Opificem facta fuisse à Sermone, non vice versâ per Sermonem ab Opifice. Et nos quidem cùm usi sumus voculâ *per quem,* perindè atque facit consuetudo, non sine teste expositionem dimisimus. At verò ille, præterquàm quòd suam opinionem è divinis Scripturis non confirmat, videtur et suspicatus fuisse veritatem, et impudenter illi adversatus, dicens : Non enim faciebat ipse Sermo, tamquàm ab alio operante (ut sic intelligeretur vocula *per quem*); sed ipso operante alius faciebat. Cæterùm non præsentis est temporis probare quòd mundi Opifex et Fabricator fecerit mundum, non factus minister Sermonis, et ostendere quòd Sermo, ut minister Opificis, mundum condiderit. Juxta David enim Prophetam *Deus dixit, et facta sunt : mandavit, et creata sunt* [2]*;* mandavit enim ingenitus Deus Primogenito omnis creaturæ, et creata sunt, non solùm mundus et quæ sunt in illo, verùm etiam reliqua omnia, *sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia enim per illum et in illum creata sunt; et ipse est ante omnia* [3].

9. Ad hæc, in hoc dictum : *Et sine ipso factum est nihil,* non intacta sinenda est oratio de vitio; quamvis enim admodùm dissentanea atque absimilis esse videatur, ego nihil fermè facilè contemnendum esse censeo. Quærendum enim est an etiam vitium per λόγον [id est, rationem] factum sit, sumendo nunc λόγον [id est, rationem] attentè et diligenter pro eo λόγῳ, qui est in unoquoque, quoniam et ipse ingenitus est singulis ab eo Λόγῳ, qui erat in principio. Inquit igitur Apostolus : *Sine lege peccatum est mortuum;* et addit : *Veniente autem mandato, peccatum revixit* [4], universè docens de peccato, quòd peccatum ipsum nullam habeat operationem, antequàm veniat lex et mandatum. Proindè cùm λόγος [id est, ratio] sit aliquo modo lex et mandatum, et non sit peccatum non existente lege (*peccatum enim non imputatur, cum non sit lex* [5]), etiam rursùs non erit peccatum, si non sit ratio; nam *si non venissem*, inquit, *et locutus eis fuissem, peccatum non haberent* [6]. Aufertur enim prætextus omnis ab eo qui voluerit se de peccato defendere, quoniam sermoni et rationi in se existenti ostendentique quid agendum non paruerit. Undè omnia vel fortassè etiam ipsa deteriora facta sunt per rationem, et sine ipsâ (exponentibus nobis simpliciùs voculam *nihil*) factum est nihil. Nec rationi omninò vitio vertendum est, si omnia per ipsam facta sint, et sine ipsâ factum sit nihil; quemadmodùm neque magistro vitio vertendum est, qui discenti necessaria ostenderit, cùm propter hujus

[1] *Prov.* XXX, 6. — [2] *Psalm.* XXXII, 9. — [3] *Coloss.* I, 16 et 17. — [4] *Rom.* VII, 8 et 9. — [5] *Id.* V, 13. — [6] *Joan.* XV, 22.

[a] De Heracleone ejusque dogmatibus videre est apud Irenæum, Lib. 2, cap. 4; Tertullianum de Præscript. adversùs Hæreses, cap. 49, et cap. 4 adversùs Valentinum; Epiphanium, Hæres. 36, et alios.

disciplinas nullus defensionis peccanti relinquitur locus, perindè quasi ignoraverit, idque præsertim, si consideraverimus magistrum à discente inseparabilem; veluti enim magister inseparabilis est à discente, sic ratio in unoquoque qui rationis est compos, naturaliter existens, semper agenda suggerens, etiamsi non obediamus illius præceptis, permittentes nos ipsos voluptatibus, et prætermittentes optima illius consilia. Ut autem oculo nobis ad bona ministro dato etiam abutimur in his quæ honestè non videmus, perindè atque in auditu facimus, cùm attentos nos præbemus dijudicandis canticis auditionibusque nobis vetitis; sic contumeliam inferentes rationi quæ in nobis inest, nec ubi oportet, illâ utentes, per ipsam transgredimur legem, quæ peccantibus inest ad judicium, et idcircò eum judicans qui ipsam omnibus non prætulerit. Undè etiam inquit : *Sermo, quem locutus sum, ipse condemnabit vos* [1], perindè quasi diceret : Ego ille Λόγος, ille in vobis insonans, ipse vos condemnabo, qui nullum omninò defensionis relictum habetis locum. Verùm coactior videbitur esse hæc intelligentia, exponentibus nobis alium Λόγον in principio existentem Λόγον apud Deum, Deum Λόγον; alium autem ipsum considerantibus, quia non solùm de præcipuis opificiis, omnia per ipsum facta fuisse dici diximus, verùm etiam de omnibus quæ fiunt ab his qui λόγου [et rationis] sunt compotes, sine quo λόγῳ [id est, ratione] nihil peccamus. Insuper quærendum etiam est an is λόγος qui in nobis est, idem sit cum eo qui est in principio, et qui est apud Deum, et Deus Λόγος, præsertim quoniam tamquàm hoc λόγῳ altero non existente, ab eo Λόγῳ qui est in principio apud Deum, videatur Apostolus illud docere : *Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum? hoc est Christum deducere : vel quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit Scriptura? Prope te verbum est valdè in ore tuo et in corde tuo* [2].

10. *Quod factum est, in ipso vita erat, et vita illa erat lux hominum.* Quædam sunt apud Gentiles dogmata (paradoxa quæ vocant) sapienti suo tribuentia quamplurima, cum quâdam demonstratione vel apparenti demonstratione. Juxta quæ inquiunt solum et omnem sapientem esse sacerdotem, eo quòd solus sapiens cultûs divini sapientiam teneat; solum etiam et omnem sapientem inquiunt esse liberum, tamquàm qui acceperit libertatem ex animi sui sententiâ operandi à lege divinâ, libertatem etiam definientes legitimam permissionem. Et quid opus est nos nunc dicere de his quæ paradoxa appellantur, cum multum operæ insumatur in eis, et ea quæ ab ipsis enuntiantur juxta paradoxa, collatione egeant cum voluntate Scripturæ, ut in quibus cultûs divini ratio concordet, et in quibus contrarium velit, his quæ ab illis dicuntur, ostendere possimus? Horum autem mentio facta est inquirentibus illud : *Quod factum est, in ipso vita erat,* propterea quòd possit aliquis Scripturam sequens, complura hujusmodi ostendere, quæ formam veluti habeant paradoxorum; quæque etiam (si quid, quod magis sit paradoxon, opus est dicere) magis sint paradoxa quàm quæ ab illis dicuntur. Nam si consideraverimus Λόγον [id est, Rationem] et Filium Dei in principio existentem Rationem apud Deum, et Rationem Deum, fortassis eum solum qui hujus particeps sit, in quantùm est talis, rationis capacem dicere poterimus, adeò ut enuntiemus solum sanctum rationis capacem esse. Rursùm, si intellexerimus factam in Sermone vitam, juxta eum qui dicit : *Ego sum vita* [3], dicturi sumus neminem extra Christi fidem vivere, sed omnes mortuos esse, qui Deo non vivant, et quòd vivere ipsorum, sit vivere peccato, et idcircò, ut ità dicam, vivere ipsorum ad mortem pertineat. Inspice verò annon hoc frequenter proponant divinæ Scripturæ, alicubi Servatore dicente : *Annon legistis quod dictum est in rubo : Ego Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium* [4]; et : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* [5]. Cæterùm quid dicere opus est de ipso Deo, vel Servatore? Ambigitur enim utrius sit vox illa, quæ apud Prophetas dicit : *Vivo ego, dicit Dominus* [6].

11. Ac principio quidem videamus illud : *Non est Deus mortuorum, sed viventium,* quod perindè valet atque illud : Non est peccatorum Deus, sed sanctorum Deus. Magnum enim Patriarcharum munus, Deum vice sui nominis illorum nomenclaturam applicuisse suæ propriæ appellationi Dei; quemadmodùm etiam Paulus inquit : *Propter quod non erubescit Deus vocari Deus ipsorum* [7]. Itaque Deus est patrum et omnium sanctorum ; nec alibi scriptum reperias Deum esse alicujus impiorum Deum. Si ergò Deus sanctorum est, et Deus viventium esse dicitur, sancti sunt viventes, et viventes sancti, quippè cùm sanctus non sit extra viventes, nec aliquis jàm sit vivens, qui cum ipsâ vitâ non etiam hoc habeat, ut sit sanctus. Idem ferè de eo sentiendum est, quod ait : *Hilariter affectus ero erga Dominum in regione viventium* [8] : perindè ac si dixisset in ordine sanctorum, vel in loco sanctorum, nempè animi hilaritate propriè, vel in ordine, vel in loco sanctorum existente, et perindè quasi nullus eam plenè sit possessurus, qui vel ad

[1] *Joan.* XII, 48. — [2] *Deut.* XXX, 14. — [3] *Joan.* XI, 25. — [4] *Marc.* XII, 26 *et* 27. — [5] *Psalm.* CXLII, 2. — [6] *Num.* XIV, 28. — [7] *Hebr.* XI, 16. — [8] *Psalm.* CXIV, 9.

ordinem sanctorum, vel ad locum sanctorum non pervenerit: ad quem accedat oportet quisquis hàc in vitâ perceperit umbram veluti et imaginem veræ hilaritatis. Quin illud : *Non justificabitur coram Deo omnis vivens*, declarat neminem, quantumlibet beatum, si cum Deo ac justitiâ ipsius conferatur, justificari, veluti si tale quiddam altero exemplo diceremus : Non splendebit lucerna ulla coram sole; splendebit quidem omnis lucerna, sed tùm cùm radiorum solis splendore non illustratur. Justificabitur etiam omnis vivens; at verò non coram Deo justificabitur, quandò cum illis comparatur, qui infernè habitant, quique tenebris detinentur, apud quos lucebit illorum lux. Et vide nùm hàc ratione intelligendum sit etiam illud quod est in Evangelio : *Luceat lux vestra coram hominibus*[1]; non enim dixit : Luceat lux vestra coram Deo; alioqui præceptum daturus impossibile, si hoc præcepisset; perindè ac si lucernis animatis præcepisset, uti lux ipsorum coram sole luceret. Quamobrem non modò vulgus viventium non justificabitur coram Deo, sed nec etiam hi qui ceu inter viventes inferioribus præstant; quodque magis etiam est, omnium viventium in unum collecta justitia, comparatione Dei, non justificabitur; perindè ac si, luminibus, quæ super terram sunt, nocturnis in unum collectis, dicerem ego fieri non posse uti splendorem afferant, splendorum hujus solis comparatione. Per repetitionem verò eorum quæ diximus, considerandum etiam illud est : *Vivo ego, dicit Dominus*, cùm proprium vivere, præcipuè ex his quæ de vivendo disseruimus, penes solum sit Deum. Et vide nùm ob hoc possit Apostolus in hyperbolen usquè consideratâ Dei vitæ excellentiâ, et, ut dignum est Deo, intelligens illud : *Vivo ego, dicit Dominus*, de Deo dixisse : *Qui solus habet immortalitatem*[2], nullo præter Deum viventium, immutabilem inalterabilemque divinitatem habente. Et quid ambigimus de cæteris, quandò ne Christus quidem Patris habuerit immortalitatem ? nam pro quocumque mortem gustavit[3].

12. Cùm verò inquiramus de his quæ ad Deum viventem pertinent, et de vitâ, quæ est Christus, deque viventibus, qui sunt in suâ regione, atque de viventibus etiam his qui coram Deo non justificantur, consequenter his apponentes : *Qui solus habet immortalitatem*, pariter etiam assumemus quæ subintelliguntur, nempè quòd omne quidquid dixeris rationis capax, non habeat substantialiter (ceu inseparabile accidens) beatitudinem. Nam si inseparabilem habeat beatitudinem et præcipuam vitam, quomodò verum erit illud quod de Deo dicitur : *Qui solus habet immortalitatem?* Sciendum est attamen Servatorem non esse sibi ipsi aliqua, sed aliis; aliqua verò et ipsi et aliis. Insuper quærendum est an aliqua ipse habeat, quæ nullus alius. Namque palàm aliis est pastor : non sicut ii qui apud homines pastores sunt, utilitatem ad se trahens, eo quòd pascat, nisi fortè eorum qui pascantur, utilitatem, benignitatis causâ, propriam esse reputet. Quinetiam via est aliis, similiter etiam ostium : jàm etiam in confesso est quòd sit etiam virga; sibi verò ipsi et aliis sapientia, fortassis etiam Λόγος [id est, Ratio]. Quærendum est insuper nùm ex eâ multitudine speculationum quæ sunt in ipso, in quantùm sapientia est, sint aliquæ speculationes apud ipsum, quas reliqua natura generata percipere nequeat, quarumque sibi ipsi scientiam reservet. Nec inexaminata relinquenda est oratio propter Spiritûs sancti reverentiam; nam quòd etiam ipse ab illo edoceatur, liquet ex eo quòd de Paracleto et Spiritu sancto dicitur : *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*[4]; [a] sed diligentiùs inquirendum est, an cùm docetur, omnia capiat, quæ defixis in Patrem oculis à principio existens Filius agnoscit. Si ergò Servator aliqua quidem est aliis, aliqua verò forsitan sibi ipsi, eaque vel nulli, vel uni, vel paucis, examinandum est utrùm Servator, quatenùs est vita illa quæ facta est in Sermone, sibi ipsi et aliis sit vita, an aliis; et si aliis, quibus aliis. Quamobrem si vita et lux hominum idem sunt ; inquit enim : *Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum;* et lux hominum, aliquorum est lux, et hæc non omnium qui rationis sint capaces, propterea quòd addita sit vocula *hominum*, sed hominum est lux, vita erit etiam vita hominum, quorum etiam lux est; et in quantùm est vita, dici potest Servator non sibi ipsi, sed aliis vita, quorum est etiam lux. Hæc sanè vita in Λόγῳ [hoc est, in Dei Filio] fit inseparabilis ab ipso, existens simul atque facta fuerit; præexistat enim Λόγος [id est, Sermo, sive Ratio] in animâ oportet, qui ipsam expurget, ut post hunc et ab ipso provenientem purgationem, omni prorsùs ablatâ mortificatione et infirmitate, pura sinceraque vita ingeneretur apud omnem qui fecerit seipsum capacem Sermonis, in quantùm Deus est.

13. Cæterùm duo singulatim observanda sunt,

[1] *Matth.* V, 16. — [2] I *Tim.* VI, 16. — [3] *Hebr.* II, 9. — [4] *Joan.* XVI, 14 *et* 15.

[a] Quia scientiam cæteraque omnia habet Spiritus sanctus à Filio, tamquàm à processionis principio, utcumquè ratione originis dici potest ab eo edoctus, quemadmodùm eâdem de causâ per Athanasium, Oratione 2 contra Arianos, p. 357, minor illo prædicatur. Periculosè verò Origenes hic vocari vult in quæstionem an Spiritus sanctus, quem doceri à Filio ex Joanne, XVI, 14, colligit, omnia capiat quæ Filius cognoscit, quamvis sancti Spiritûs *reverentiam* profiteatur.

differentiaque eorum accuratè examinanda : primùm quidem Λόγος [id est, Sermo] est in principio : deindè quòd vita in Sermone. Sed Sermo quidem in principio non est factus ; nec enim fuit, quandò principium fuerit absque Sermone et Ratione : quam ob causam dicitur : *In principio Sermo erat.* At verò vita in Λόγῳ [id est, Sermone] non erat, sed facta est, quandoquidem vita est lux hominum ; cùm enim homo nondùm esset, neque lux hominum erat, consideratâ luce hominum juxta relationem ad homines. Cæterùm nemo nos urgeat ratus nos hæc temporaliter enuntiare, ordine exigente primum, et secundum, et quæ deinceps, etiamsi tempus non inveniatur quandò ternarius numerus aut quartus haudquaquàm à Sermone substrati erant. Ut igitur *omnia per ipsum facta sunt*, non omnia per ipsum erant, *et sine ipso factum est nihil*, non sine ipso erat nihil ; sic *quod factum est in ipso*, non quod erat in ipso, *vita erat.* Et rursùs non quod factum est in principio, Sermo erat, sed quod erat in principio, Sermo erat. Quædam tamen exemplaria, et fortassis non improbabiliter, habent : *Quod factum est, in ipso vita est.* Quòd si vita idem est cum luce hominum, nullus qui sit in tenebris vivit ; nec ullus viventium est in tenebris, cùm omnis qui vivit, is etiam sit in luce, et omnis qui sit in luce, is etiam vivat, adeò ut solus et omnis vivens sit lucis filius ; filius autem lucis, cujus luceant opera coram hominibus [1].

14. Rursùs, quoniam ex his quæ disseruimus de contrariis, intelligi possunt contraria prætermissa, disseritur autem de vitâ et luce hominum, contrarium autem vitæ mors est, et contrarium luci hominum tenebræ hominum, videre est quòd qui in tenebris existat hominum, is etiam sit in morte, et quæ mortis sunt agens, non alibi sit quàm in tenebris. At qui memor est Dei (si consideraverimus quid sit memorem esse Dei) non est in morte, juxta illud quon dicitur : *Nihil rei cum morte habet, qui memor est tui* [2]. An verò tenebræ hominum et mors naturâ talia sint necne, alterius est considerationis : *Nos eramus aliquandò tenebræ ; nunc autem lux in Domino* [3], etiamsi sancti spiritualesque jàm aliquo maximè pacto simus. Quisquis fuit aliquandò tenebræ, factus est perindè atque Paulus, tenebræ cùm esset, capax et aptus ut fieret lux in Domino. Haud verò scio an juxta opinionem eorum qui naturas rentur spirituales, veluti Paulum ac sanctos Apostolos, consistat spiritualem esse aliquandò tenebras, ipsumque posteà lucem fieri ; nam si spiritualis tenebræ quandoquè fuit, terrestris qualis ? Quòd si verum est tenebras factas fuisse lucem, quænam privata electio est, cur non omnes tenebræ lux fieri queant ? Nisi enim de Paulo dictum fuisset : *Eramus aliquandò in tenebris, nunc autem lucidi cum Domino ;* de illis verò quos arbitrantur naturæ deperditæ, quoniam tenebræ erant et tenebræ sunt, locum utiquè habuisset eorum de naturis hypothesis. Nunc autem Paulus inquit se aliquandò tenebras fuisse, nuncque esse lucem in Domino, quasi in lucem tenebræ transire possint. Haud autem difficile est cernentem uniuscujusque contingentem mutationem in melius, vel in pejus, diligenter perspicere ex his quæ diximus, quæ ad omnes tenebras hominum, et quæ ad hanc mortem in tenebris hominum existentem pertinent.

15. Cæterùm valdè coactè ad hunc contextum veniens Heracleon : *Quod factum est, in ipso vita erat : in ipso* interpretatus est, *in hominibus spiritualibus*, quasi Sermonem et *spirituales* idem esse arbitratus fuerit. Etsi non apertè id dixerit, at veluti causam reddens, inquit : « Ipsam enim primam formationem, quoad ortum attinet, ipsis « præbuit, ab alio prætermissa in formam, et illu- « minationem et delineationem propriam ducens « et ostendens. » Non observavit autem Paulum de spiritualibus loquentem, eos homines esse reticuisse : *Animalis* enim, inquit, *homo non recipit quæ sunt Spiritûs Dei ; stultitia enim est illi ; at spiritualis omnia dijudicat* [4]. Nos enim dicimus non ab re nomen hominis à Paulo prætermissum, cùm spiritualem diceret, eo quòd præstantius quiddam spiritualis sit quàm homo : nempè homine, vel in animâ, vel in corpore, vel in utrisque formam accipiente : non ità verò in spiritu, his longè diviniore, secundùm cujus participationem prævalentem est spiritualis. Pæstereà verò quæ ad talem opinionem spectant, vel sine apparenti demonstratione enuntiat, ne mediocrem quidem persuasionem attingere valens, disserendo de hisce rebus. Sed de illo hactenùs.

16. Age verò, inquiramus etiam nos hoc, scilicet nùm vita erat hominum tantùm lux, et non potiùs cujusvis in beatitudine existentis. Nam si *vita* et *lux hominum* idem sunt, et hominum tantùm sit Christi lux, hominum tantùm etiam vita erit ; hoc autem suspicari æquè stultum est atque impium, refragantibus aliis Scripturis huic intelligentiæ ; siquidem quandò proficiemus, erimus tamquàm pares Angelis [5]. Sed sic solvendum est dubium : si quid aliquorum esse dicatur, non continuò illud ad eos solos, de quibus id dicitur, pertinere. Sic igitur non, si vita lux hominum dicitur, hominum tantùm est lux. Poterat enim addi : Vita erat hominum tantùm lux ; fieri enim potest ut lux hominum, aliorum quoque, præterquàm hominum sit lux, perindè atque cùm animalia quædam et plan-

[1] *Matth.* v, 16. — [2] *Psalm.* vi, 6. — [3] *Ephes.* v, 8. — [4] I *Cor.* ii, 14 *et* 15. — [5] *Matth.* xxii, 30.

tæ hominibus suppeditant undè alantur, tamen alia quoque præter homines alere possunt. Hoc autem exemplum ex consuetudine sumptum est. Verumenimverò dignum est, ut è Scripturis Dei spiritu proditis, simile conferamus. Proindè hoc in loco inquirimus nùm quidquam prohibeat lucem hominum esse etiam lucem aliorum, dicentes, proptereà quòd dicatur lux hominum, non jàm ideò excludi aliorum quoque hominibus præstantiorum, vel hominibus similium, veluti lucem esse. Nam cùm sit scriptum Deum esse Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob[1]; qui voluerit, quia dictum sit : *Vita erat lux hominum*, lucem ad nullum alium præterquàm ad homines pertinere, existimet oportet is pari modo Deum nullius alterius Deum esse, nisi tantùm horum trium patrum ; verùm Eliæ profectò etiam est Deus[2]; et, ut inquit Judith, patris sui Simeon[3], atque etiam Hebræorum est Deus[4]. Quamobrem si nihil prohibet Deum aliorum quoque esse Deum, eodem modo nihil prohibeat oportet lucem hominum esse etiam aliorum, præterquàm hominum, lucem.

17. Porrò alius quispiam etiam testimonio illo utens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[5], hominem esse dicit quidquid ad imaginem et similitudinem Dei sit factum, innumeris hâc in re utens exemplis, nihil referre Scripturæ, hominem dicat, an Angelum ; de eodem enim subjecto[a] alicubi poni Angeli et hominis vocabulum, quemadmodùm in tribus illis qui apud Abraham hospitio fuere excepti[6], et in duobus qui Sodomis fuerunt[7], et in totâ Scripturæ serie ; aliquandò quidem Angeli, aliquandò verò homines esse dicuntur. Quinetiam, qui hoc existimat, dicet quòd, ut homines vocati sunt Angeli, apud eos quos palàm cernere est esse homines, quemadmodùm Zacharias dicens : *Angelus Dei ego vobiscum sum, dicit Dominus omnipotens*, et Joannes de quo scriptum est : *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*[8]; sic etiam Dei Angeli hoc vocabulo nuncupantur, propter officium, et non propter naturam vocati viri. Prætereà magis etiam hoc corroborabit, quoniam nomina in Virtutibus præstantioribus non naturarum animalium sunt nomina, sed ordinum, quos hæc et hæc, rationis compos natura sortita sit à Deo ; [b] Thronus

[1] *Exod.* III, 6, 15, 16 *et* IV, 5. — [2] IV *Reg.* II, 14. — [3] *Judith*, IX, 2. — [4] *Exod.* III, 18; V, 3; VII, 16; IX, 1, 13 *et* X, 3. — [5] *Gen.* I, 26. — [6] *Id.* XVIII, 2 *et seqq.* — [7] *Id.* XIX, 1. — [8] *Malach.* III, 1; *Matth.* XI, 10; *Marc.* I, 2 *et Luc.* VII, 27.

[a] Viros sanctitate et illustrioribus à Deo donis ornatos, Angelos esse credidit Origenes. Hieronymus in Proœmio in Malachiam : « Scripsit in hunc Librum Origenes tria volumina ;... « sed Angelum putans fuisse qui scripsit ; » et in cap. 1 Aggæi, tacito Origenis nomine : « Quidam putant et Joannem « Baptistam, et Malachiam, qui interpretatur *Angelus Domini*, et Aggæum, quem nunc habemus in manibus, fuisse « Angelos, et ob dispensationem et jussionem Dei assumpsisse « humana corpora, et inter homines conversatos. » Item, in Epistolâ ad Evagrium : « In fronte Geneseos, in primâ Homi« liarum Origenis reperi scriptum de Melchisedech, in quâ « multiplici sermone disputans, illuc devolutus est, ut eum « Angelum diceret. » Quin et omnes hominum animas Angelos fuisse et rursùs fieri scribit Epiphanius Origenem docuisse, eamque postmodùm opinionem ex Methodio confutat. HUETIUS.

[b] Ex hoc loco et præcedentibus, Angelis et hominibus unam eamdemque naturam videtur Origenes tribuere. Verumenimverò Libro 3 de Principiis, cap. 5, num. 4, sic disputat : « Unius « namque naturæ esse omnes rationabiles creaturas ex multis « assertionibus comprobatur; per quod solum Dei justitia in « omnibus earum dispensationibus defendi potest, dùm una« quæque in semetipsâ habet causas, quòd in illo vel in illo « vitæ ordine posita sit. » Hinc triplex enumerat rationabilium naturarum genus huc delapsarum, earum scilicet quæ gestis suis id fuerint promeritæ : aliarum quæ aspectabilium cupiditate raptæ sint; et illarum demùm quæ etiam invitæ ad officia aliis exhibenda à Deo deputatæ sint, et in hæc loca relegatæ. Quibus hominum animas significat ; tùm Angelos illos qui mulieres adamâsse[1] crediti sunt à plerisque ; ac Angelos deniquè tutelæ hominum præfectos, vel eos quos à Deo non missos, in hunc mundum, doctrinam vel prophetiam promittentes venisse ait Tomo 20 in Joan., num. 17. Priore autem de Principiis Libro, cap. 6, num. 2 : « Ex his sanè, *inquit*, qui in illo initio per« manserunt, quod futuro fini simile esse descripsimus, qui« dam ex ipsis in ordinatione ac dispensatione mundi ordinem « Angelicum sortiuntur, alii Virtutum, alii Principatuum, alii « Potestatum :... quæ omnia eis pro merito et profectibus suis, « quibus in Dei participationem imitationemque profecerant, « æquo justoque judicio divina contulit providentia. Hi verò « qui de statu primæ beatitudinis moti quidem sunt, non ta« men irremediabiliter moti, illis quos suprà descripsimus, « sanctis beatisque ordinibus subjecti sunt ac regendi : quo« rum adjutorio usi, et institutionibus ac disciplinis salutari« bus reformati, redire ac restitui ad statum beatitudinis pos« sunt. Ex quibus existimo, prout ego sentire possum, hunc « ordinem humani generis institutum, qui utiquè in futuro « sæculo, vel supervenientibus sæculis, cùm cœlum novum, « et terra nova secundùm Isaiam erit[2], restituetur in illam « unitatem, quam promittit Dominus Jesus. » Et mox num. 3 : « Sciendum tamen est quosdam, qui ex uno principio, quod « suprà diximus, delapsi sunt, in tantam indignitatem ac ma« litiam se dedisse, ut indigni habiti sint institutione hâc, vel « eruditione quâ per carnem humanum genus adjutorio Vir« tutum cœlestium instituitur atque eruditur ; sed è contra« rio etiam adversarii atque repugnantes his qui erudiuntur « atque imbuuntur, existunt. » Tùm paulò inferiùs : « Interim « tàm in his quæ videntur et temporalibus sæculis, quàm in « illis quæ non videntur et æterna sunt, omnes isti pro ordine, « pro ratione, pro modo, et meritorum dignitatibus dispensan« tur, ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ulti« mis temporibus, et per majora ac graviora supplicia, necnon « et diuturna, ac multis, ut ità dicam, sæculis tolerata, aspe« rioribus emendationibus reparati, et restituti eruditionibus « primò Angelicis, tùm deindè etiam superiorum graduum « Virtutibus, et sic per singula ad superiora provecti, usquè « ad ea quæ sunt invisibilia et æterna perveniant, singulis « videlicet quibusque cœlestium Virtutum officiis quâdam « eruditionum specie peragratis. Ex quo, ut opinor, hoc con-

[1] *Gen.* VI, 2. — [2] *Isai.* XLVI, 22.

enim non species animalis est, neque Principatus, neque Dominatio, neque Potestas species sunt animalis, sed rerum nomina, in quibus ordinati sunt, qui sic appellantur, quorum subjectum nihil aliud

« sequentia ipsa videtur ostendere unamquamque rationabi« lem naturam posse ab uno in alterum ordinem transeuntem « per singulos in omnes, et ab omnibus in singulos perve« nire, dùm accessus profectuum defectuumve varios pro mo« tibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii « facultate perpetitur. »

Has quoque conversiones, et dignitatum ac ordinum permutationes statuit Tom. 15 in Matth., num. 27. Tomo verò 13, p. 594, intricato licet, et à librariis fortassè corrupto sermone adversarias potestates propter offensiones hominibus præbitas corpora humana subire, in eisque pœnas luere tradit. Idem, capite 8 Libri 1 de Principiis, num. 1 et 4, paria repetendo, inculcat « Angelorum officium nonnisi ex merito con« stare; » dæmones verò, « pro motibus suis et profectibus, « quibus in scelere profecerunt, hos malitiæ sortitos esse « gradus, » atque ità sese nequitiæ dedisse, ut jàm libidini sit ac delectationi peccatum, « et ut revocari nolint, magis quàm « non possint, » Deo pro suâ benignitate omnia ad beatitudinem attrahente et provocante; è rationalium verò naturarum ordine ad humanum genus explendum animas seligi, quæ post piè administratum vitæ tempus, in Angelorum ordinem iterùm assumuntur. De diabolo iterùm Libro 3 de Principiis, cap. 6, num. 5 : « Destrui sanè, *inquit*, novissi« mus inimicus ità intelligendus est, non ut substantia ejus, « quæ à Deo facta est, pereat, sed ut propositum et voluntas « inimica, quæ non à Deo, sed ab ipso processit, intereat. » Homiliâ 23 in Lucam, Angelos illos, de quibus agitur Apoc., II et III, peccâsse, ideòque fuisse à Joanne reprehensos ait, ipsisque eum ac hominibus salutarem pœnitentiam prædicâsse, quemadmodùm et Servatorem. Hinc Homiliâ 4 in Ezechielem, num. 1, p. 370 : « Quandò ergò, *inquit*, Angeli prævaricantur, « et alii sunt qui Dei præcepta custodiunt, et judicium præsto« lantur, non solùm hominum, verùm etiam Dei, ut frequen« ter diximus, tàm de his quæ in Apocalypsi conscripta « sunt, quàm ex aliis innumerabilibus; quarè, inquam, non « terræ et aeris judicium sit futurum ? » Sexcentis ad hæc locis Angelos hominum custodiæ præfectos munus sibi impositum negligenter nonnumquàm obire, et peccatorum ab hominibus admissorum conscios esse ac reos, proptereàque pœnis addictum iri definit. Illustris verò præ reliquis locus ille est è Tomo 15 in Matth., num. 27, ubi postquàm Angelos non homine solùm, sed et reliquo mundi opificio præstantiores et antiquiores esse dixit : « Audacter affirma, *inquit*, plurimos An« gelos qui hominibus priores erant, quibusdam hominibus « fieri posteriores; homines verò complures, qui naturâ An« gelis posteriores sunt, Angelis quibusdam in primo gradu « constitutis, at certas ob causas ad postrema redactis, priores « evadere : » quibus reliqua consentiunt. Illustris et iste ex hoc numero suprà, in quo Angeli et hominis nomen eidem subjecto nonnumquàm attribui dicit, adeò ut homo Angelus aliquandò, et Angelus vicissim homo appelletur. Tùm subjicit : « Prætereà magis etiam hoc corroborabit, *etc.*, usquè ad hæc « verba : *Ego sum princeps exercitûs potentiæ Domini*, « *nunc accessi*. » Indè lux huic loco Hieronymi Epist. 61 ad Pammach., cap. 5 : « Nec Origenes umquàm dixit ex Angelis animas fieri, cùm ipsos Angelos nomen esse officii doceat, non naturæ : » hoc est, non per naturæ conversionem Angelus anima efficitur; ejusdem quippè naturæ sunt; sed per officii commutationem, et quasi in aliud domicilium migrationem. Sed et Tomo 18 in Joan., num. 58, existimare se ait divinitate Jesu stupefactos quosdam è dæmonibus, pœnitentiâ ductos ad ipsum confugisse; quippè qui virtutis capaciores sint quàm homines, cùm spiritalis naturæ sint, homines verò corporeæ et crassioris. In primis verò perlegi velim locos Origenis ab Hieronymo depromptos Epistolâ 59 ad Avitum, cap. 1, in quibus rationis participes naturas jumentorum corporibus colligari propter delicta asserit; dæmonum, hominum, Angelorumque naturas simul permutari ac permisceri; siderum ipsorum animas, utpotè ratione præditas, ob peccata his fuisse adjunctas corporibus, quæ vel plùs vel minùs luceant, prout rectè vel malè se gesserunt.

Quod autem scribit Epiphanius in Synopsi Tomi 1, Lib. 2, cap. 18, docuisse Origenem desituros aliquandò Angelos, sic intelligendum est, futuram olim rerum omnium conversionem et ἀποκατάστασιν, redituraque ad pristinum statum omnia, Angelosque adeò ac dæmones eodem futuros loco quo fuerunt, antequàm virtutibus suis vel peccatis ad Angelorum dæmonumve naturam adjungi meruissent. Rectè id juxta Origenis sententiam exponit Justinianus in Epistolâ ad quintam Synodum, quam recitat Cedrenus.

Verumtamen perspicuis licèt et illustribus testimoniis deliramenta ejusmodi Adamantius sæpè prodiderit, aliquandò tamen, quasi Penelopæ telam retexens, priora videtur retractare. « Vide ergò, *inquit*, Homiliâ 2 in Leviticum, num. 3, « ne fortè Jesus, quem Paulus dicit *pacificâsse per sangui*« *nem suum*, non solùm *quæ in terris*, sed et *quæ in cœlis* « *sunt* [1], idem ipse sit vitulus, qui in cœlis quidem non pro « peccato, sed et pro munere oblatus est; in terris autem, ubi « ab Adam usquè ad Moysen regnavit peccatum, oblatus sit « pro peccato. Et hoc est passum esse *extra castra* [2]. » Ex hujus loci contextu, si quis attendat, efficitur illud, in cœlo peccatum non admitti. Homiliâ quoque in Num. 13, num. 7, cùm quæsisset cur ne à Balaamo dæmones invocentur, prohibet Deus, respondet idcircò factum illud, quòd vel arbitrii fuisset dæmonibus relinquenda libertas, eorumque furoribus et intemperiis permittendus populus Dei, vel arbitrii libertate spoliandi fuissent iidem, ne in Israelitas impotenter desævirent. Postremum hoc si fuisset, « hoc erat, *inquit*, damnâsse « rationabilem creaturam, et ante tempus intulisse judicium, « et impedisse omnibus, qui adversùm eos in agone poterant co« ronari : » quasi dæmones in judicio adversùs se olim statuendo jus libertatis tandem aliquandò amissuri sint. Quod quamvis non liquidò ex superioribus, neque necessariâ consequentiâ cogatur, eò tamen videtur loci hujus inclinare sententia, et à prioribus placitis recedere. Cùm præsertim Libro 1 de Principiis, cap. 6, num. 1, de Angelorum libertate accuratiùs acturus, et dogmata suprà ventilata fusè propositurus, ità proloquatur : « Quæ quidem à nobis etiam cum magno metu et cautelâ di« cuntur, discutientibus magis et pertractantibus, quàm pro « certo ac definito statuentibus. Indicatum namque à nobis in « superioribus est quæ sint de quibus manifesto dogmate « terminandum sit, quod et pro viribus nos fecisse puto, cùm « de Trinitate loqueremur. Nunc autem disputandi specie ma« gis quàm definiendi, prout possumus, exercemur; » cùmque cap. 8, num. 3, hujus Libri sic disputet : « Secundùm nos « verò, nihil est in omni rationabili creaturâ, quod non tàm « boni quàm mali sit capax; sed non continuò, quia dicimus « nullam esse naturam quæ non possit recipere malum, id« circò confirmamus omnem naturam recepisse malum, id « est, malam esse effectam : sicut est dicere quòd omnis ho« minis natura recipit ut possit navigare, non tamen ex eo « etiam omnis homo navigabit; et iterùm omni homini possi« bile est discere artem grammaticam et medicinam, non tamen « idcircò ostenditur omnis homo vel medicus esse vel gramma« ticus; ità si dicimus nullam esse naturam quæ non possit re« cipere malum, non tamen continuò etiam recepisse malum

[1] *Coloss.* I, 20. — [2] *Hebr.* XIII, 12 et 13.

sit quàm homo, cui subjecto contingat esse vel Throno, vel Dominationi, vel Principatui, vel Potestati. Et in Jesu Nave ponitur illud : Visus est Jesu ipsi homo in Jericho, (qui) inquit : *Ego sum princeps exercitûs potentiæ Domini, nunc accessi*[1]. Secundùm hoc ergò, ut æquè valens, interpretabi-

[1] *Jos.* V, 13 *et* 14.

« designatur ; secundùm nos namque ne diabolus quidem ipse « incapax fuit boni ; non tamen idcircò quia potuit recipere « bonum, etiam voluit, vel virtuti operam dedit ;» et paulò pòst, num. 4 : «Et est alter iste ordo rationabilis creaturæ, qui « se ità præceps nequitiæ dedit, ut revocari nolit magis quàm « non possit, dùm scelerum rabies jàm libido est et delectat ; » et cùm Libro 5, Commentar. in Epist. ad Rom., num. 10, p. 568, postquàm voluntatis libertate præditam esse naturam quamlibet rationis compotem confessus est, non eà perindè uti doceat : « Quid autem sit, *inquit*, quod in futuris sæculis teneat arbitrii « libertatem, ne rursùm corruat in peccatum, brevi nos ser- « mone Apostolus docet, dicens : *Charitas numquàm cadit*[1] ; « idcircò enim et fide et spe major charitas dicitur, quia sola « erit per quam delinqui ultrà non poterit :» deindè subjiciat : « Et ideò meritò charitas, quæ sola omnium major est, omnem « creaturam continebit à lapsu : *Tunc erit Deus omnia in om- « nibus*[2] :» quod Apostoli auctoritate confirmat, qui nullà re, quantumlibet gravi et molestâ, à Christi charitate sese divelli posse declarat ; cùmque Tomo 17 in Matthæum, num. 30, cùm quæreret annon homines pietate insignes Angeli evadant, dubitantem se et incertum hæc perscrutari dicat ; cùmque alio loco[5], postquàm de Angelis quid sentiret explicavit, talia subnectat : « Hæc juxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita « tantùm, atque projecta, ne penitùs intractata viderentur.»

Jàm verò ecqui damnosæ huic causæ suffragentur, anquiramus. Ac primùm Angelos et homines hypostasi quidem discrepare, at eamdem habere naturam dixit Joannes Damascenus, Libro de duabus Voluntatibus. Ejusdem verò esse Angelos inter se naturæ tanto consensu Patres affirmârunt, ut hanc fuisse Ecclesiæ universæ doctrinam à nonnullis proditum sit ; benè autem vel malè agere posse Angelos et dæmones, post Origenem viri graves opinati sunt. Ambrosius hunc exponens Pauli locum ad Ephesios, III, 10, dæmones ab errore revocari posse per Ecclesiam, et à diaboli consortio segregari censuit. Hieronymus in ejusdem Epistolæ cap. 1, vers. 22 : «Cur autem omnia, « *inquit*, id est, Angeli, Throni, Dominationes Potestates, et « Virtutes cæteræ, quæ numquàm fuerunt contrariæ Deo, ejus « pedibus subjiciantur, videtur obscurum. Potest itaque re- « sponderi quòd absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non « sint munda coram Deo[3], omnisque creatura paveat Creatoris « adventum[4]. Undè et crux Salvatoris non solùm *ea quæ in « terrâ*, sed etiam *ea quæ in cœlis erant purgâsse* perhibe- « tur ;» et paulò superiùs in hujus capitis vers. 20 : «Si autem « sunt Principatus, et Potestates, et Virtutes, et Dominationes, « necesse est ut et subjectos habeant, et timentes se, et servien- « tes sibi, et eos qui suâ fortitudine roborentur. Quæ distribu- « tiones officiorum, non solùm impræsentiarùm, sed etiam in « futuro sæculo erunt, ut per singulos profectus, et honores, « et ascensiones, et descensiones, vel crescat aliquis, vel de- « crescat, et sub aliâ atque aliâ Potestate, Virtute, Principatu, « et Dominatione fiat.» Atque hæc cùm Rufini reprehensionibus et censuris exagitata fuissent, sic excusare conatur Hieronymus, Apolog. adversùs Rufinum, Lib. 1, c. 6 : «Sin autem « putat et idcircò me Origenem sequi, quia profectus et hono- « res, ascensiones et descensiones, incrementa et imminutiones « in expositione meâ posui, sciat multùm interesse de Angelis, « et Seraphim, et Cherubim dicere dæmones et homines fieri, « quod affirmat Origenes, et ipsos inter se Angelos diversa offi- « ciorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat. « Quomodò et inter homines ordo dignitatum ex laboris va- « rietate diversus est, cùm Episcopus et Presbyter, et omnis « Ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum, et tamen omnes « homines sunt ; sic et inter Angelos merita esse diversa, et ta- « men in Angelicâ omnes persistere dignitate, nec de Angelis « homines fieri, nec rursùm homines in Angelos reformari.» Hoc Origenis inter et Hieronymi doctrinam interest, quòd unius esse naturæ Angelos et animas ille autumârit ; at pro meritis, gradibus fuisse diversis constitutos, et varia obiisse officia, quæ tamen subindè pro meritorum ratione permutentur, vel altiùs ascendendo, vel ad inferiora prolabendo ; atque hujus vicissitudinis gradus esse Angelorum, hominum, ac dæmonum naturam. Hieronymus verò Angelorum quidem naturam ab humanâ secrevit, sed varios illos gradus et ordines Angelis pro virtutibus et meritis ità assignatos existimavit, ut ad superiora etiamnùm aspirent, et benè agendo perveniant, vel malè agendo ad inferiora devolvantur, et alii aliique vel Potestati vel Principatui subjiciantur, futurasque etiam hujusmodi permutationes in æternum, sed intra naturæ Angelicæ fines.

Angelos ægrè quidem, sed peccare tamen posse sciscit Basilius, Homiliâ in Psalmum 32 : «Ægrè ad malitiam converti posse « constantiam illam in virtute, beneficio sancti Spiritûs haben- « tes.» Item Maximus in cap. 11 Dionysii de cœlesti Hierarchiâ : quod aliquâ ex parte videtur transtulisse è Gregorio Nazianzeno, tùm Oratione 38, tùm alibi. Item etiam Nemesius, Lib. de Naturâ hominis, cap. 41. Quid quòd Joannes Damascenus, Lib. 3 de orthodoxâ Fide, cap. 4, Angelum eum peccâsse et in tartarum detrusum fuisse docet, qui terrestris ordinis principatum tenebat, cuique custodiendæ terræ cura à Deo commissa fuerat ? Germanissimum verò Origenismum sapiunt illa Evagrii : «Unusquisque ordo Virtutum cœlestium, aut totus « ex inferioribus, aut totus ex superioribus, vel ex superiori- « ribus et inferioribus constat.» Multò verò magis illa : « Ex « Angelico ordine et Archangelico animalis ordo existit ; ex ani- « mali autem dæmoniacus et humanus ; ex humano autem An- « geli rursùs dæmonesque fiunt.» (Quæ condemnata sunt à quintâ Synodo generali, can. 5, qui sic habet : «Si quis dixerit « ex Angelico et Archangelico statu animalem statum fieri, ex « animali autem dæmoniacum et humanum, ex humano verò « Angelos iterùm dæmonesque fieri, et singulos ordines cœle- « stium Virtutum, vel cunctos ex inferioribus vel ex superiori- « bus, vel ex superioribus et inferioribus constitisse, anathema « sit.»)

Nec suffragiis modò, sed ratione etiam pugnare potest Origenes, et aliqua saltem doctrinæ suæ capita defendere. Nam ordinum et graduum illa, quam dixi, permutatio eatenùs admitti potest, si servato naturam in hominibus et Angelis discrimine, homines per gratiam, parem Angelis beatitudinis et gloriæ gradum consequi posse dicamus. Probat autem istud Angelicus Doctor Parte 1, Quæst. 108, Art. 8, atque illud esse dicit, « Ho- « mines ad ordines Angelorum assumi.» Huic verò Hieronymi criminationi, quâ eò progressum Origenem queritur, ut rationis participes animos in brutorum corpora devolvi opinatus sit, opponi posset illud Origenis testimonium è Libro 1 de Principiis, cap. 7, num. 4, p. 76, nisi Rufini interpretis dubia esset fides : « Illa sanè nos nequaquàm recipienda censemus, quæ et à qui- « busdam superfluò vel requiri vel adstrui solent, id est, quòd « animæ in tantum sui decessum veniant, ut naturæ rationalis « ac dignitatis oblitæ etiam in ordinem irrationabilium animan- « tium, vel bestiarum, vel pecudum devolvantur... Quæ nos « non solùm non suscipimus ; sed et omnes has assertiones « eorum contra fidem nostram venientes refutamus atque « respuimus.» Idem, Lib. 2 Origenian., Quæst. 5, num. 14-17.

[1] *Cor.* XIII, 8. [2] *Id.* XV, 28. — [3] *Job.* XV, 14. — [4] *Id.* XXV, 5. — [5] Epist. 59 Hieronymi ad Avitum, cap. 1.

tur lucem hominum lucem etiam esse cujuslibet, qui rationis sit compos, quippè quia sit homo ad imaginem et similitudinem Dei. Sanè lux ipsa trifariàm nominatur : *Lux hominum;* et simpliciter : *Lux;* et *Lux vera.* Atque lux quidem est hominum, vel quòd, ut antè ostensum est, nihil prohibeat eam intelligere lucem etiam aliorum præter hominem esse, vel quòd omnes, qui rationis sunt compotes, homines vocentur, quia facti sint ad imaginem et similitudinem Dei.

18. Quia verò lux simpliciter hoc in loco Servator, in ipsius verò Joannis Catholicâ Epistolâ Deus lux esse dicitur [1], alius quidem existimat etiam hinc colligi Patrem à Filio substantiâ [a] non differre. Qui verò et diligentiùs observârit, et rectiùs locutus fuerit, dicet non idem esse lux, quæ in tenebris luceat, ab illis non apprehensa, et lux in quâ haudquaquàm sint tenebræ; siquidem ea lux, quæ in tenebris lucet, tamquàm supervenit tenebris; cùmque ab ipsis persecutionem patitur, et, ut ità dicam, insidiis petitur, non comprehenditur. At lux, in quâ nullæ sunt tenebræ, nèque lucet in tenebris, neque ullo modo ab ipsis persecutionem patitur, ut ceu vincens publicè declaretur quòd ab ipsis persequentibus non sit apprehensa. Tertiò, dicitur hæc lux *lux vera.* Quâ portione autem Pater veritatis, Deus, amplior et major est quàm veritas, et Pater cùm sit Sapientiæ, melior et præstantior est Sapientiâ ; hâc etiam portione superat lucem veram. Apertiùs autem Patrem et Filium duas existere luces per hæc à Davide sciemus, Psalmo quinto et trigesimo dicente : *In lumine tuo videbimus lumen* [2]. Eadem sanè lux hominum in tenebris lucens, *lux vera,* in sequentibus Evangelii lux esse mundi dicitur, dicente Jesu : *Ego sum lux mundi* [3]. Quarè neque hoc sinamus non animadversum, cur, cùm potuisset scribere : Quod factum est, in ipso lux erat hominum, et lux hominum vita erat, contrarium fecerit, præponens vitam luci hominum, quamvis idem sit *vita* et *lux hominum;* et dicendum quòd in his qui participes sunt vitæ, quæ est lux hominum, primùm nobis occurrat ipsos vivere vitâ beatâ, et anteà dictâ, deindè eos illustrari ; supponatur enim vivere oportet, ut vivens illuminatus fiat; nec consequens fuisse illuminari eum qui nondùm intellectus fuisset vivere, et superinduci illuminationi ipsum vivere. Quamvis enim idem sit *vita* et *lux hominum,* considerationes tamen secundùm aliud et aliud sumuntur. Hæc itaque lux hominum dicitur *lux Gentium* apud Prophetam Isaiam, juxta illud : *Ecce posui te in testamentum generis, in lucem Gentium* [4]; et huic luci confisus David in sexto et vigesimo Psalmo inquit : *Dominus*

[1] I *Joan.* I, . — [2] *Psalm.* XXXV, 10. — [3] *Joan.* VIII, 12. — [4] *Isai.* XLII, 6.

[a] Facilè excusabitur hic locus, si οὐσία vertatur *persona,* aut οὐσίας, id est, *substantiæ* nomine *persona* intelligatur. Neque necesse est uti veniâ, quam dat Huetius (Lib. 2 Origenianorum, Quæst. 2, num. 3), ut eos Origenes minimè dicatur vituperare qui Patrem à Filio οὐσίᾳ non differre statuebant, sed eos tantùm, qui hanc sententiam ex his duobus Joannis locis deducebant. Ipsam profectò sententiam vituperat, ut patet ex verbis sequentibus, quæ lucem huic loco afferent : «Qui verò diligen-« tiùs observaverit, et rectiùs locutus fuerit, dicet non idem « esse lucem, quæ lucet in tenebris, ab eis non comprehensa, « et lucem in quâ haudquaquàm sunt tenebræ. » Ex his primò concludendum videtur non Catholicam doctrinam, quæ unam et singularem Patris et Filii substantiam defendit, ab Origene refelli; sed hæreticos, qui, ut tanti mysterii credendi molestiam sibi excuterent, Patrem et Filium ταυτόν esse, id est, unam et camdem rem ac personam volebant. Hanc enim habet vim et naturam illud ταυτόν, quod de Patre et Filio dici vetat, ut patet vel ex eodem hoc loco in quo quærens cur sanctus Evangelista dixerit : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum,* sicque vitam luci præposuerit, respondet vitam et lucem, etsi ταυτόν unum et idem, variis tamen modis considerari. 2° Cùm hæretici, quos refellit Origenes, unius essentiæ nomine unam personam intelligerent, dubium non est quin Origenes eidem voci camdem sententiam subjecerit, et sub unius essentiæ nomine singularitatem personæ rejecerit. Hæc observatio indè confirmatur, quòd Origenes, dùm hanc hæresim refellit, in contrariam non feratur, sed medium teneat, ut Catholica semper tenuit Ecclesia. Sic enim contra hæreticos verum Dei Filium vindicat, ut non aliam Patris et Filii distinctionem ponat, quàm quæ ex ipsâ Patris et Filii notione deducitur. Postquàm enim demonstravit in Patrem non cadere ut luceat in tenebris, et persecutionem à tenebris patiatur, quia hæc ad Filii Incarnationem referuntur, hanc tertiam rationem addit : «Tertiò, *inquit,* dici-« tur hæc lux *lux vera,* quâ ratione Pater veritatis Deus amplior « est et major, quàm veritas; et Pater cùm sit Sapientiæ, « quantò ipsam Sapientiam, tantò lucem veram superat. » Defendit ergò mysterium, quod nefarii hæretici evertebant; nec aliam rationem affert, cur Pater à Filio distinguatur, cur Filius major sit, nisi quòd veri Filii verus est Pater. 3° Non invitus fatebor idem factum ab Origene, quod à multis aliis accuratissimis Patribus, qui, etsi unam et singularem tenent in tribus personis essentiam, quia tamen hæc essentia alias habet in Patre, alias in Filio proprietates, interdùm habitâ ratione hujusmodi personalium proprietatum, essentiam Filii ab essentiâ Patris distinguunt. Nihil igitur mirum, si Origenes hoc loco veram lucem à Patre veræ lucis distinguit, imò Patrem et Filium duas luces esse contendit ibidem : «Apertiùs autem Patrem et Filium « duas luces existere per hæc à Davide sciemus, Psalmo quinto « et trigesimo dicente : *In lumine tuo videbimus lumen.*» Quid igitur, an Origenem dicemus ab egregiis principiis, quæ alibi statuit de identitate voluntatis et essentiæ, discedere? Ne digito quidem discedit; sed, quemadmodùm rectè dicitur lumen de lumine, voluntas ex voluntate, quamvis unum sit in Patre et Filio lumen, una voluntas, sic Origenes lucem ex luce agnoscit. Deindè verò illud memoriâ tenendum est Origenem contra hujusmodi hæreticos disserere, quos inter et Catholicos de singularitate divinæ naturæ conveniebat : in eo autem controversia erat, quòd isti Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, tria ejusdem naturæ variis modis consideratæ nomina, Catholici verò tres personas esse contenderent. Quamobrem contra hanc hæresim usui erant Scripturæ testimonia quæ Patrem à Filio, non solo nomine, non variâ tantùm ejusdem rei considerandæ ratione, sed ut voluntatem ex voluntate, essentiam ex essentiâ distinguunt. Hæc D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 15, num. 3.

illuminatio mea, et salus mea, quem timebo [1] ?

19. Sanè ad eos [a] qui fingunt fabulosum de sæculis in conjugationibus commentum, et existimant à mente et veritate sermonem vitamque jàm antè emissos et productos fuisse, haud absurdum est talia movere dubia. Quomodò enim vita sermonis, ut ipsi tradunt, conjux esse sumit in marito? *Quod factum est* enim, inquit, *in ipso* (scilicet prædicto sermone) *vita erat*. Dicant ergò nobis, quomodò conjux sermonis vita facta sit in sermone, et quomodò ipsa vita potiùs quàm sermo lux sit hominum? Verumenimverò probabile est ut viri meliore mente præditi, qui quæstionibus permoventur, dubitatione hàc perculsi, ex adverso nos interrogent urgeantque, ni invenerimus causam, per quam sermo non sit dictus lux hominum, sed vita quæ facta est in sermone ipso. Quibus talia respondebimus : Vitam hoc in loco non eam intelligi, quam communiter participant, et rationis capaces, et bruta, sed eam quæ completæ in nobis rationi supervenit, sumptâ participatione ἀπὸ τοῦ πρώτου λόγου [hoc est, à ratione primâ], cujus in primis vitæ participes efficimur, ut ab apparente, nec verè existente vitâ abducamur, vitam illam verè existentem capere desiderantes, quâ perceptâ mox in nobis oriri etiam dicimus fundamentum lucis cognitionis. Et fortassìs ipsa hæc vita penes quosdam quidem potentiâ, non actu, lux est; nempè penes eos qui minimè, quæ ad cognitionem pertinent, inquirere contendunt; apud quosdam verò actu etiam factos jàm lucem; quos eos esse perspicuum est, qui Pauli præceptum cum laude impleverint, nimirùm : *Æmulamini charismata utiliora* [2], quibus charismatibus utilius illud est, quod omnibus etiam præponitur, nempè sapientiæ sermo, quem mox cognitionis sermo sequitur. Jàm verò quid differant inter se sapientiæ et cognitionis significata ipsa mutuò inter se collata, non est præsentis temporis disserere.

20. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non apprehenderunt.* Adhuc de hominum luce, quoniam in ordine prima est, inquirimus, atque etiam, opinor, de ejus contrario, nempè tenebris, de quibus nondùm inquisivimus. De hominum autem luce, inquam, quoniam fortassè lux hominum genus est duarum specialium rerum; atque etiam similiter tenebræ. Contingit enim, ut qui lucem hominum possederit, et splendorum ejus particeps fuerit, opera lucis perficiat, et illustratus scientiæ lucem cognoscat : idem pari ratione ex contrariis existimandum est, pravis videlicèt actionibus et scientià quæ opinione quidem fit, reverà non fit, rationem habentibus tenebrarum. Et quòd quidem res ad agendum aptas, lucem soleat Scriptura sacra dicere, inquit Isaias : *Eo quòd lux sint mandata tua super terram* [3], et David in decimo octavo Psalmo : *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos* [4]. Quòd verò præter mandata et præcepta lux sit quædam scientiæ, invenimus apud quemdam ex Duodecim : *Seminate vobis ipsis ad justitiam : vindemiate ad fructum vitæ : illuminate vobis ipsis lumen scientiæ* [5]. Veluti enim existente aliâ luce scientiæ præter mandata, dicitur : *Illuminate vobis ipsis lucem,* non simpliciter, *lucem*, sed qualem? nempè *lucem scientiæ*. Nam si quævis lux, quam sibi homo illuminat, lux scientiæ esset, frustrà additum fuisset : *Illuminate vobis ipsis lucem scientiæ*. Rursùs quòd tenebræ de pravis operibus sumantur, ipse Joannes in suâ docet Epistolâ, dicens : *Si dixerimus quòd communicationem cum ipso habemus, et ambulamus in tenebris, mentimur, et non facimus veritatem* [6] ; et rursùs : *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usquè modò ;* et adhuc : *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, nec novit quò vadat, quia tenebræ excæcaverunt ipsius oculos* [7], siquidem per ambulationem in tenebris indicat actionem vituperabilem. Quinetiam odio prosequi fratrem suum, nonne lapsus est ab eâ, quæ propriè vocatur scientia? Quòd autem qui ignorat divina, propter ipsum ignorare in tenebris ambulet, inquit David : *Non cognoverunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* [8]. Illud verò observa an idcircò dicatur : *Deus lux est, et tenebræ in eo ne unæ quidem sunt* [9], non quia unæ sint tenebræ, sed vel propter genus duplex tenebrarum ; vel etiam quia unaquæque species tenebrarum multas habeat pravas actiones et multa falsa dogmata, plures sunt tenebræ, quorum nulla in Deo est. Neque enim dictum fuisset de Sancto quod ait Salvator : *Vos estis lux mundi* [10], quoniam lux mundi est Sanctus, *et tenebræ in eo non sunt ullæ*.

21. Proindè quæret aliquis : Si de Patre positum est quòd tenebræ nullæ sint in eo, quomodò ceu rem eximiam et præcipuam hoc in ipso dicemus esse, cùm de Servatore quoque dicatur quòd omninò sit impeccabilis [11], ità ut eum dicamus esse lucem, in quâ nullæ sint tenebræ. Ex parte itaque differentiam in superioribus ostendimus. Atque etiamnùm illis audaciùs addemus, si Christum non agnoscentem peccatum fecit Pater pro nobis peccatum, si

[1] *Psalm.* XXVI, 1. — [2] I *Cor.* XII, 31. — [3] *Isai.* XXVI, 9. — [4] *Psalm.* XVIII, 9. — [5] *Osc.* X, 13. — [6] I *Joan.* I, 6. — [7] *Id.* II, 9 *et* 11. — [8] *Psalm.* LXXXI, 5. — [9] I *Joan.* I, 5. — [10] *Matth.* V, 14. — [11] *Isai.* LIII, 9; I *Petr.* II, 22 *et* I *Joan.* III, 5.

[a] Valentinianos eorumque consecraneos intellige, qui hæc Æonum τερατεύματα è Platonicis ideis, et Poetarum græcorum theologià confinxerunt.

fecit, inquam, Deus ille Christum pro nobis peccatum, dici non posse de eo : *Tenebræ in eo non sunt ullæ.* Quamvis enim *in similitudinem carnis peccati* [*de peccato damnavit* Jesus *peccatum* [1], quòd similitudinem carnis peccati assumpsit], haud tamen omninò hæc de eo rectè dicentur, scilicet, quòd nullæ tenebræ insint in eo. Addemus autem eum infirmitates nostras et morbos assumpsisse, et animæ infirmitates et morbos occulti cordis nostri hominis [2], quas infirmitates, morbosque quia à nobis sustulerit, dicitur apud Zachariam animam pertristem perturbatamque habere, atque *vestibus sordidis indutus* [3]; quibus quoniam exuendus erat, dicuntur esse peccata. Subjungit ergò eodem in loco: *Ecce ego abstuli peccata tua* [4]; eo enim quòd ipse receperit in seipsum populi credentium peccata, frequenter inquit : *Longè à salute meâ verba delictorum meorum* [5]; et : *Tu cognovisti insipientiam meam, et delicta mea à te non sunt abscondita* [6]. Nec verò suspicetur nos quisquam hæc dicere, minùs piè Christum Dei colentes. [a] Nam quâ ratione solus Pater habet immortalitatem, quia Dominus noster [omnium nostrûm nomine] mortem ob amorem erga genus humanum pertulerit; hâc Pater solus habet ut in ipso nullæ sint tenebræ, cùm Christus, ut homines beneficio afficeret, tenebras nostras in seipsum receperit, ut potentiâ suâ mortem nostram deleret, expelleretque animarum nostrarum tenebras, nimirùm ut impleretur illud Isaiæ : *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam* [7]. Hæc itaque lux, quæ facta est in sermone, existens etiam vita, lucet in tenebris animarum nostrarum; et eò accessit, ubi erant mundi rectores tenebrarum (sæculi) hujus [8], qui, quia cum genere humano luctentur, in tenebras adducere eos contendunt, qui pro virili non instant ut illuminati in filiorum lucis numero censeantur. Jàm verò etiam hæc lux lucens in tenebris persecutionem patitur quidem à tenebris, sed non apprehenditur.

22. Quòd si quis putet nos addere quod non sit scriptum, nempè quòd tenebræ lucem insequantur, audiat frustrà illud dici, quòd *tenebræ eam non apprehenderunt*, si nequaquàm tenebræ lucem sunt persecutæ. Veluti autem mente præditis, per quam intelligere possent consequentia rerum scriptarum, quæ putarentur omissa, scribit Joannes tenebras lucem non apprehendisse. Nam si non apprehenderunt, persecutæ non apprehenderunt; quòdque lucem tenebræ persecutæ fuerint, perspicuum est tùm ex his quæ Servator perpessus est, tùm etiam illi qui illius disciplinam exceperunt et secuti sunt, genuini ipsius filii, tenebris operantibus adversùs lucis filios, et fugare volentibus lucem ab hominibus [9]. At quoniam si Deus pro nobis, nullus, etiamsi velit, poterit aliquid adversùm nos, quantò magis seipsos humiliabant, tantò plures existebant prævalebantque admodùm valdè. Porrò duobus modis tenebræ non apprehenderunt lucem; vel quia lux eas longo intervallo post se relinqueret, ut quam celeritate pernicitateque cursûs præstantem, ob propriam tarditatem ipsæ tenebræ, ne juxta quantitatem quidem, assequi possent; vel quia sicubi tenebræ luci insidias struere voluerint, atque certo quodam consilio et per dispensationem supervenientes ipsas lux exspectaverit, mox atque luci appropinquaverint, evanescunt. Attamen utroque modo tenebræ lucem non apprehenderunt.

23. Necesse autem est nos in his versantes annotare, non, sicubi tenebræ nominentur, mox eas in pejorem partem sumi; verùm Scripturam etiam in bonam partem aliquotiès has accipere : quod qui diversa à nobis sentiunt [b], non dividentes, horrenda de mundi Opifice dogmata admittentes, ab ipso recesserunt, seipsos figmentis fabularum addicentes. Quomodò ergo, et quandò, et nùm in meliorem partem tenebrarum nomen sumatur, jàm est ostendendum. Tenebræ, nubes, nimbusque in Exodo circa Deum esse dicuntur [10], et in Psalmo decimo septimo : Deus *posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus : tenebrosa aqua in nubibus aeris* [11]; si enim quis con-

[1] *Rom.* VIII, 3. — [2] *Isai.* LIII, 4 *et Matth.* VIII, 17. — [3] *Zach.* III, 3. — [4] *Id.* 4. — [5] *Psalm.* XXI, 2. — [6] *Id.* LXVIII, 6. — [7] *Isai.* IX, 2. — [8] *Ephes.* VI, 12. — [9] *Rom.* III, 31. — [10] *Exod.* XIX, 9 *et* 16, *et* XX, 21. — [11] *Psalm.* XVII, 12.

[a] « Vereor, *inquit* Huetius, Lib. 2 Origenian., Quæst. 2, n. 3, « ne de Platonicæ doctrinæ narthecio ista deprompta sint. »

Perperàm verò timet Huetius ne de Platonicæ doctrinæ narthecio depromptum sit quòd Patrem Origenes in tenebris lucere negat, Filium asserit. Ipse enim mentem suam non multò pòst aperit. Nam cùm id durum et insolens videri posset, quærit quam ob causam, cùm Salvator sit impeccabilis, et lux in quâ nullæ tenebræ, id tamen Patri proprium tribuatur ut tenebræ in eo non sint ullæ. Respondet Salvatorem pro nobis factum esse peccatum : « Nam quâ ratione, *inquit*, solus Pater habet « immortalitatem, quia Dominus noster mortem pro nobis ob « amorem erga genus humanum pertulit; hâc Pater solus ha« bet ut in ipso nullæ sint tenebræ, cùm Christus, ut homines « beneficio afficeret, tenebras nostras in seipsum receperit, ut « potentiâ suâ mortem nostram deleret, expelleretque anima« rum nostrarum tenebras, nimirùm ut impleretur illud Isaiæ : « *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* » Siccine à Platonicis non abludit, qui Filium in tenebris lucere ait, quia nostrâ causâ incarnatus et mortuus est? Tertullianus, Libro adversùs Praxeam, cap. 15, eamdem hæresim refellens, idcircò Paulum existimat de Patre dixisse, « qui *solus habet* « *immortalitatem; et lucem habitat inaccessibilem,* ut et « contraria ipsi Filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilita« tem, quem mortuum contestatur secundùm Scripturas, et no« vissimè à se visum, per accessibilem utiquè lucem. » Hæc D. PRUD. MARANUS, Lib. 4 de Divinitate Christi, cap. 15, num. 3.

[b] Valentiniani nimirùm, Cerdoniani et Marcionistæ.

sideraverit multitudinem contemplationum et cognitionis de Deo, quam humana natura percipere nequeat, fortassè autem nec alii qui geniti sunt, præter Christum et Spiritum sanctum, sciet quonam pacto circa Deum sint tenebræ; propterea quòd nulla, quantumlibet copiosa atque ornata, oratio explicare valeat, ac ne sciat quidem ex dignitate ipsius Dei, in quibus tenebris posuerit latibulum suum, qui hoc fecit, eo quòd quæ de ipso sunt, ignorentur, imperceptibilia cùm sint. Quòd si quis hujuscemodi expositionibus offendetur, is in sententiam nostram veniat, adductus tùm à tenebrosis sermonibus, tùm à thesauris Christo datis à Deo, tenebrosis, occultis et invisibilibus; nec enim aliud opinor esse tenebrosos thesauros per Christum manifestatos : *Tenebras posuit* Deus *latibulum suum;* et : *Sanctus intelliget parabolam et obscurum sermonem* [1]. Verùm considera nùm ob hoc dicat Servator discipulis suis : *Idcircò quæ in tenebris audistis, dicite in luce* [2]. Tradita enim ipsis mysteria, cognitu difficilia et obscura, in loco secreto, et non in frequenti auditorio, jubet eos illuminatos, et ob hoc dictos esse in luce, omnibus qui lux fuerint, nuntiare. Admirabilius autem quiddam addam de tenebris laudatis; nempè has festinare ad lucem, eamque apprehendere, atque quæ olim fuissent tenebræ, non dispicienti vim ipsarum, eo quòd ignoraretur, sic immutari, ut cùm is ad eorum scientiam pervenerit quæ ignorabat, enuntiet, quæ didicerit, fuisse sibi aliquandò tenebras, nunc autem lucem.

24. *Fuit homo missus à Deo, nomen illi Joannes.* Accuratiùs aliquis intelligens vocem *missus* (quoniam qui mittitur, alicundè et aliquò mittitur), quæret undè Joannes sit missus, et quò. Cùm verò liqueat quò, nimirùm juxta historiam, quòd ad Israel et ad volentes eum audire in eremo Judææ commorantem, et apud Jordanem fluvium baptizantem (juxta verò rationem profundiorem, in mundum, intelligendo per mundum, locum hunc terrestrem, ubi sunt homines), inquiret quonam pacto particula *undè* sumi debeat. Itaque diutiùs dictionem examinans, fortè etiam enuntiabit quòd, quemadmodùm de Adam scriptum est, quòd *emiserit eum Dominus Deus è paradiso voluptatis, ut coleret terram, è quâ sumptus fuerat* [3]; ità Joannes missus fuerit [a] vel è cœlo, vel è paradiso, vel ex aliâ parte, alicundè tandem, ad hunc super terram locum; et missus fuerit *ut testaretur de luce.* Habet autem non contemnendam objectionem sermo hic, quoniam scriptum sit apud Isaiam : *Quem mittam, et quis ibit ad populum hunc* [4]? et respondens Propheta inquit : *Ecce ego, mitte me* [5]. Dicet enim qui adversabitur huic opinioni,

[1] *Prov.* I, 6. — [2] *Matth.* X, 27. — [3] *Genes.* III, 23. — [4] *Isai.* VI, 8. — [5] *Ibid.*

[a] Diximus suprà opinatum fuisse Origenem rerum omnium ratione pollentium unam esse eamdemque naturam, easque pro meritorum inæqualitate vel evehi ad Angelorum ordines, vel in humana corpora deprimi, vel dæmones etiam evadere. Aliud quid excogitavit prætereà, hominum nempè sanctitate conspicuorum animas ipsos esse Angelos, non propter peccata in hominum ordinem redactos, sed aliis de causis extraordinariâ illuc legatione à Deo missos. Prostant doctrinæ hujus monumenta Tom. 12 in Matth., num. 30, ubi ait, quemadmodùm humanæ Christi naturæ Verbum conjunctum est, ità proportione quâdam Angelos, tamquàm Verba, sese Prophetis adjunxisse. Hoc quoque numero, suprà, ait Joannem non aliam habuisse causam cur in mundum veniret, quàm ut de luce testaretur; et addit paulò pòst, num. 25, Angelos, Christi imitatores humanum induisse corpus, quo Christi in homines amorem æmulantes, promovendæ ipsorum saluti inservirent. Hæc deliramenta deindè Libri cujusdam apocryphi, cui titulus est « Precatio Joseph » approbare nititur, et ex eo etiam quòd exsultavit Joannes in Elisabethæ utero, quòdque Jacob inter et Esaü discrimen illud à Deo constitutum est, futurum ut major serviat minori. Nec multò superiùs hæc leguntur in numero 17 : « Quinetiam, « qui hoc existimat (nempè nihil referre Scripturæ, hominem « dicat, an Angelum), dicet quòd, ut homines vocati sunt An« geli apud eos quos palàm cernere est esse homines, quemad« modùm Zacharias dicens : *Angelus Dei ego vobiscum sum,* « *dicit Dominus omnipotens*, et Joannes de quo scriptum « est : *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam;* « sic etiam Dei Angeli, hoc vocabulo nuncupantur, propter of« ficium, et non propter naturam vocati viri. »

Hoc Adamantii dogma convellit Cyrillus Alexandrinus, Lib. 1 in Joan., cap. 6, multosque ait, jàm ante Origenem, credidisse Joannem Baptistam non hominem fuisse, sed Angelum, ejusque erroris evertendi causâ adscripsisse Joannem Evangelii scriptorem : *Fuit homo.* Idem facit Hieronymus in Aggæi I : « Qui« dam [a] putant, *inquit*, et Joannem Baptistam, et Malachiam « qui interpretatur *Angelus Domini*, et Aggæum quem nunc « habemus in manibus, fuisse Angelos, et ob dispensationem « et jussionem Dei assumpsisse humana corpora, et inter homi« nes conversatos. Nec mirum hoc de Angelis credi, cùm pro « salute nostrâ etiam Filius Dei humanum corpus assumpserit. « Et ob hanc causam etiam de Apocryphis præbent testimonium, « ubi dicitur quòd Jacob, qui posteà vocatus est Israel, Ange« lus fuerit, et propterea supplantaverit fratrem in ventre ma« tris suæ : Joannem quoque ad vocem Mariæ, matris Domini, « exsultâsse in utero Elisabethæ; et omnium rationabilium unam « esse naturam, et ob hanc causam homines qui placuerunt « Deo, æquales Angelis fieri. Hoc illi sentiant. Cæterùm, nos « nuntium Domini, id est, Angelum, qui hebraicè dicitur מַלְאָךְ, « *Malac*, simpliciter Prophetam dictum recipiamus, ab eo « quòd Domini voluntatem populo nuntiaverit. » Sic et Prooemio Commentariorum in Malachiam et in Epistolâ 126, quæ est ad Evagrium. Longè ergò ab hoc errore abfuit Hieronymus, cui ipsum tamen in Comment. ad Psalmum 23 favisse suspicatur Genebrardus : quod certè ità non esse deprehendet, quisquis totam Psalmi hujus enarrationem curiosis oculis perlustraverit.

Cæterùm, immeritò culpat Origenem Sixtus Senensis, quòd Homiliâ 23 in Lucam, septem Ecclesiarum Episcopos, quos Joannes in Apocalypsi ratione officii Angelos appellat, verè fuisse Angelos, veramque Angelorum naturam habuisse dixerit; nec harum enim Ecclesiarum Episcopos illic putavit significari, sed earum gubernationi præfectos Angelos. HUETIUS, Lib. 2 Origenianorum, Quæst. 5, num. 24 et 25.

[a] Origenem designat.

quæ profundior apparet, quemadmodùm Isaias missus est, non ab alio loco ad hunc mundum, sed postquàm *vidit Dominum sedentem in throno excelso et elato* [1], ut ad populum diceret : *Auditu audietis, et non intelligetis*, etc. [2]; ità etiam Joannem (suppresso principio missionis analogiam et rationem habentis ad missionem Isaiæ) mitti ad baptizandum et præparandum Domino populum instructum [3], et ad testificandum de luce. His ità dictis ad primam rationem solutiones tales adducuntur, assensum attrahentes ad id quod de Joanne profundiùs excogitatum est; ex eodem enim loco subjungitur : *Hic venit ad testificandum, ut testaretur de luce;* si enim venit, alicundè venit. Dicendum etiam est illi qui gravatè admittit id quod in sequentibus à Joanne dicitur, postquàm vidit Spiritum sanctum descendentem ceu columbam super Servatorem; inquit enim : *Qui misit me ad baptizandum in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni* [4]. Quandò enim ille qui misit, hoc præcepit? At probabile est responsurum ad interrogationem hanc, eum qui ad Joannem loquebatur, tùm hæc verba dixisse ei, cùm eum mitteret ut baptizare inciperet. Adhuc ad probandum quòd alicundè ex alio loco missus sit Joannes, qui corpus assumit, causam non aliam adventûs sui in vitam habens, quàm *ut testaretur de luce*, majoris ponderis est quòd repletus Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ dicitur à Gabriele, qui nuntiavit Zachariæ quidem ortum Joannis, Mariæ autem Servatoris nostri inter homines adventum, et illud etiam : *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* [5]. Proindè qui cavet ne quidquam vel injustè, vel casu, vel privatâ electione faciat, antiquiorem esse Joannis animam quàm corpus admittat necesse est, et anteà subsistentem missam fuisse ad ministerium testandi de luce. Ad hæc, haud ità contemnendum est etiam illud : *Hic est Elias, qui venturus est* [6]. Quòd si prævaluerit universalis de animâ opinio, tamquàm quæ cum corpore pariter non seminetur, sed ante ipsum existat, ob variasque causas carnem et sanguinem induat, particula *missus à Deo* non videbitur ampliùs dicta ceu res quædam eximia de Joanne. Itaque omnium pessimus, homo peccati, filius perditionis, dicitur apud Paulum mitti à Deo : *Propter hoc enim*, inquit, *mittit illis Deus actionem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur quotquot veritati non credunt, sed sibi complacent in injustitiâ* [7]. At vide nùm hanc quæstionem sic solvere possimus, nempè quòd, quemadmodùm simpliciter omnis homo, eo quòd creatus sit à Deo, homo est Dei, sed nullus homo est Dei, nisi qui Deo fuerit addictus, quemadmodùm Elias, et qui in Scripturis inscribuntur homines Dei; ità dici posse communiter omnem hominem à Deo missum esse; propriè autem non alium à Deo mitti, quàm qui ad ministerium divinum et ad obeundam humani generis salutem in vitam advenerit. Quamobrem non invenimus quòd quisquam mittatur à Deo positum, nisi de Sanctis; de Isaiâ quidem, ut anteà proposuimus; de Jeremiâ verò : *Ad omnes, ad quos misero te, ibis* [8]; de Ezechiel etiam : *Ecce ego mitto te ad Gentes rebelles et incredulas mihi* [9]. Cæterùm haud ità ad propositum sumpta fuisse videbuntur exempla missionis, cùm nos quæramus de missione quæ fit ad hanc vitam, et illa non apertè dicant aliquem existentem extra hanc vitam, missum fuisse in hanc vitam. Attamen sic etiam nihil est absurdi orationem transferre ad id de quo quærimus, si dicamus quòd, ut solos Sanctos de quibus locuti sumus, mittere dicitur Deus, sic etiam de his intelligendum esse, qui ad vitam mittuntur.

25. Et quoniam omninò in Joannis sermone versamur, ipsius missionem investigantes, non importunè opinionem nostram, quam de ipso habemus, proponemus. Quoniam enim legimus prophetiam de ipso : *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* [10], annotamus nùm fortè unus sanctorum Angelorum existens, præcursor ad ministerium demittatur Servatoris nostri. Et mirum profectò est nihil, Christi primogeniti omnis creaturæ, ob amorem erga homines incarnati, æmulatores imitatoresque aliquos exstitisse, quibus dulce fuerit ei benignitati, quam in ipsos ostendisset, inservire, eâdem corporis similitudine. Sed quemnam non moveret exsultans in gaudio adhuc existens in utero (matris suæ), perindè ac communem hominum naturam excellens? Quòd si quis admittat precationem Joseph inscriptam in his Libris qui apud Hebræos dicuntur apocryphi, mox hoc dogma etiam apertè dictum indè sumpturus est : perindè quasi qui à principio eximium aliquid præ hominibus habuerunt, longè meliores cæteris animabus, cùm Angeli essent, ad humanam descenderint naturam. Inquit ergò Jacob : « Ego qui ad vos loquor, Jacob sum et Israel : « Angelus Dei sum ego, et spiritus primarius; et « Abraham et Isaac ante omne opus creati fue- « runt. Ego autem Jacob, vocatus ab hominibus « Jacob, nomen verò meum Israel, qui vocor Israel « à Deo, vir videns Deum, quoniam ego primogeni- « tus omnis animantis à Deo animati. » Et subjun-

[1] *Isai.* VI, 1. — [2] *Ibid.* 9. — [3] *Luc.* I, 17. — [4] *Joan.* I, 32 et 33. — [5] *Luc.* I, 13, 15, 32 et 44. — [6] *Matth.* XI, 44. — [7] II *Thessal.* II, 10 et 11. — [8] *Jerem.* I, 7. — [9] *Ezech.* II, 3. — [10] *Malach.* III, 1.

git : «Cùm verò ego venissem à Mesopotamiâ Syriæ, exivit Uriel Angelus Dei, et dicit se descendisse ad terram, et habitâsse inter homines, et quòd vocatus fuisset nomine Jacob, æmulatusque est, et pugnavit mecum, et luctatus est, mihi dicens suum nomen primas habere supra nomen meum et ante omnem Angelum. Interrogavique eum de nomine suo, et quotus esset inter filios Dei. Nonne tu es Uriel octavus à me, et ego Israel Archangelus potentiæ Domini, et princeps tribunus militum inter filios Dei? Nonne ego Israel in personâ Dei minister primus, et invocavi nomine inexstinguibili Deum meum?» Probabile enim est his à Jacob verè dictis, et ob hoc scriptis, etiam illud : *In utero supplantavit fratrem suum* [1], prudenter factum fuisse. Inspice verò nùm celeberrima quæstio de Jacob et Esaû solutionem habeat; quandoquidem *nondùm natis pueris, cùm neque boni quidpiam fecissent, neque mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi : Major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi; Esaû verò odio habui. Quid igitur dicemus? Nùm injustitia est apud Deum? Absit* [2]. [Si autem cùm nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante Deo dictum est], non recurrentibus ergò nobis ad opera hanc vitam præcedentia, quomodò verum erit injustitiam non esse apud Deum, si major minori serviat, odio habitus antequàm digna vel servitute vel odio faciat? Sed latiùs digressi sumus sermonem Jacob assumentes, et adducentes nobis in testimonium Scripturam haud ità facilè contemnendam, ut confirmatior de Joanne oratio ea esset, quæ adstruit eum Angelum existentem, juxta Isaiæ vocem, in corpore advenisse testificaturum de luce. Sed hactenùs de Joanne homine.

26. Arbitror verò ego quemadmodùm vox et sermo apud nos differunt, cùm interdùm proferri possit vox nihil significans absque sermone, itidemque sermo absque voce renuntiari possit menti (veluti cùm intra nos ipsos discurrimus); ità Joannem etiam, veluti vocem existentem ad comparationem Christi, qui Sermo est, differre à Servatore, qui juxta quamdam considerationem Sermo est. Ad hoc autem me invitat ipse Joannes, quisnam tandem esset ad interrogantes respondens : *Ego vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* [3]. Et fortassè propter hoc incredulus Zacharias in ortu vocis, quæ demonstrat Sermonem Dei, amittit vocem, sumens eam, nascente voce, quæ est præcursor Sermonis. Vox enim auribus percipiatur oportet, ut posteà mens demonstratum à voce sermonem excipere valeat. Idcircò etiam paulò antiquior Christo est Joannes, quod ad ortum pertinet; vocem enim ante sermonem recipimus. Demonstrat etiam Christum Joannes, quia voce demonstratur sermo; atque etiam baptizatur Christus à Joanne, fatente se opus habere, ut ab ipso baptizetur, quia sermo purificatur à voce inter homines, cùm naturâ vocem omnem significantem purificet sermo. Prorsùsque cùm Joannes Christum ostendit, homo Deum ostendit, et Servatorem incorporeum, et vox sermonem.

27. Ut autem in rebus multis nominum evidentia est utilis, sic hoc quoque in loco utile erit videre quid Zacharias, quidve Joannes significent. Etenim perindè ac si esset aliquis non contemnendus, quod ad nominis positionem attinet, cognati quidem Zachariam appellandum censent, rei novitate turbati, quia vellet eum Elisabeth Joannem appellare; cùm verò : *Joannes erit illi nomen*, Zacharias scripsisset [4], à molesto silentio liberatur. Invenimus ergò [a] in Interpretatione nominum, *Joannes;* et invenimus particulam [b] *Joa*, seorsùm sumptam, sine *nes*, quod idem valere putamus atque *Joannes;* quoniam alia quoque Novum Instrumentum Hebræorum nomina græcè reddiderit, formâ græcâ pronuntians ipsa, veluti pro Jacob, Jacobum, pro Simeon, Simeonem. Porrò Zacharias *memoria* esse dicitur; Elisabeth verò *Dei mei jusjurandum*, vel *Dei mei septimum*. Ex memoriâ igitur de Deo, juxta jusjurandum Dei nostri, quod juravit ad Patres [5], genitus est Joannes (hoc est, *gratia à Deo*), præparans Domino populum instructum [6], cùm Vetus Instrumentum, quod est sabbatismi extremitas, pervenisset ad finem. Quarè gigni non potuit ab hebdomadâ Dei nostri requies, quæ est post sabbatum, nimirùm Deo Servatore nostro eam ingenerante secun-

[1] *Osc.* XII, 3. — [2] *Rom.* IX, 11 *et seqq.* — [3] *Joan.* I, 23. — [4] *Luc.* I, 59 *et seqq.* — [5] *Ibid.* 73. — [6] *Ibid.* 17.

[a] Librum hoc titulo scripserat Philo. Quod autem in Veteri Testamento ipse egerat, idem in Novo factitavit Origenes, suumque Librum Philonis adjunxit, atque hujus Operis hîc videtur meminisse. HUETIUS.

[b] Non nunc primùm Origenis in Hebraicis imperitiam deprehendimus. Johannes, quod est יוֹחָנָן, *Johanan*, *misericors*, fit à חָנַן, *hanan*, *misertus est;* plerique ex הָוָה, *hava, fuit*, præfixo formatum putant, ut alia pleraque per *Jo*, incœpta vocabula : in quo sanè falluntur; sunt enim serviles et nominis formatrices litteræ. Quòd verò hîc *Johannes*, idem esse scribit Origenes ac *Joa*, id est, יְהוָה, sine *nes*, addidisset saltem, sine חָנַן, *hanan*, tolerabilius esset, quamvis æquè à vero alienum; id enim dixerunt alii, item docti, Hieronymus, putà Libro de Nominibus hebraicis et in Matth. Cùm subjungit quoque : Ζαχαρίας μνήμη εἶναι λέγεται, addere debebat Θεοῦ. Quæ tamen ab aliis accepta infrà rectiùs exposuit : ἀπὸ Θεοῦ δὲ χάρις, inquit (id est, Joannes), ἐκ τῆς περὶ Θεοῦ μνήμης (id est, Zacharias), κατὰ τὸν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ὅρκον (id est, Elisabeth), etc. IDEM.

dùm requiem suam in nobis, qui facti sumus morti ipsius conformes [1], et idcircò etiam resurrectioni.

28. *Hic venit in testimonium, ut testificaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum.* Quidam ex his qui ab Ecclesiæ decretis dissentiunt, credere se dicentes in Christum, et eo quòd fingant Deum alium diversum à mundi fabricatore, ut est ipsis consequens, non admittentes adventum ipsius à Prophetis prænuntiatum fuisse, subvertere conantur Prophetarum testimonia de Christo, dicentes opus non esse testibus filio Dei : ut qui fidem sibi conciliaret, tùm ex salutaribus sermonibus, quos denuntiabat, potentiâ plenis, tùm ex prodigiosis et admirandis operibus, quæ vel quemlibet ex se perterrere poterant; et dicunt : Si Moysi habita fuit fides sermonis virtutisque gratiâ, nullis præviis testibus qui ipsum annuntiarent egenti, atque etiam Prophetarum unusquisque receptus à populo fuit, veluti à Deo missus, quomodò Moyse atque Prophetis præstantior non poterit absque Prophetis de seipso testificantibus faciliùs quod velit perficere, et hominum generi adjumento esse? Superfluum ergò esse aiunt existimare à Prophetis eum prænuntiatum fuisse, qui de hoc anxii fuissent, si (ut illi dicerent) noluissent divinitatis novitatem admitti à credentibus in Christum, sed eos pervenire ad ipsum Deum, quem etiam ante Jesum Moyses et Prophetæ docuissent. Quamobrem respondendum est illis quòd multæ causæ esse cùm possent, quæ ad credendum invitarent, et interdùm aliquos, qui ab unâ miraculorum demonstratione non percellerentur, ab aliâ demonstratione permoveri, posse Deum complures causas hominibus præbere, ut admittant Deum, qui est super omnia genita, humanam assumpsisse naturam. Undè etiam evidenter cernere est nonnullos ex propheticis vaticiniis in admirationem Christi venire, tot Prophetarum qui ante ipsum fuerunt, perculsos voce stabiliente quidquid ad locum pertinet in quo genitus fuit, et eam etiam regionem in quâ enutritus fuit, et vim ipsius doctrinæ, et rerum admirabilium operationem, ac deniquè passionem humanam à resurrectione destructam. Quin hoc quoque considerandum est, quòd prodigiosæ et admirandæ potentiæ, eos quidem qui Domini ætate exstitissent, invitare poterant ad credendum, at non servâssent post multa tempora evidentem demonstrationem, cùm eæ quoque jàm pro fabulis penè habeantur. Plùs enim potentiis ac miraculis illius temporis potuit ad persuadendum prophetia, quæ nunc cum potentiis ipsis et miraculis expenditur et comparatur, confirmans prophetiæ indagatores, ut fidem habeant illis potentiis prodigiosis et admirandis. Fortassè verò prophetica testimonia non tantùm prædicant Christum venturum, hoc nos docentes, et nihil prætereà, sed multam theologiam, et quomodò sese habeat Pater ad Filium, Filiusque ad Patrem, discere licet non minùs ex his quæ Prophetæ de ipso annuntiârunt, quàm ab Apostolis magnificentiam Filii Dei narrantibus. Jàm verò etiam qui ausus fuerit, tale quiddam potest præter hæc dicere, nempè aliquos Christi μάρτυρας [hoc est, testes], eo quòd testificentur de illo, honore honestari, cui tamen nihil prorsùs gratificentur propter ipsam testificationem de Filio Dei, ut omnes fassuri sunt de his qui propriè Christi nominantur martyres. Quid mirum igitur, si quemadmodùm multi, Christi germani discipuli, cohonestati fuere, eo quòd essent Christi μάρτυρες [hoc est, testes], ità etiam Prophetæ agnoscentes ipsum, id muneris à Deo acceperint, ut eum præcinerent, docentes non solùm quid illis, qui post Christi adventum futuri erant, sentiendum foret de Filio Dei, verùm etiam quid illis qui superioribus sæculis erant? Quemadmodùm enim *qui non agnovit* nunc *Filium, neque Patrem habet* [2], sic etiam de superioribus sæculis considerandum est. Quamobrem *Abraham exsultavit ut videret diem* Christi, *et vidit, et gavisus est* [3]. Chorum ergò Prophetarum maximâ vult gratiâ privare, quisquis noluerit oportere eos de Christo testari. Quid enim aliud æquè excellens habebit prophetia ex inspiratione Spiritûs sancti, si ab eâ detrahantur quæ ad Domini nostri dispensationem attinent? Ut enim eorum qui peritè ad Deum universorum per Mediatorem, et summum Sacerdotem, et Paracletum accesserint, pietas benè ordinata est, declinatura alioqui, nisi per ostium quis ingressus fuerit ad Patrem; sic etiam cultus antiquorum patrum divinus, tùm intelligentiâ, tùm fide, tùm deniquè Christi exspectatione sacer erat et apud Deum charus; quandoquidem observavimus etiam Deum se μάρτυρα [hoc est, testem] fateri, obsecrans omnes, ut idipsum de Christo etiam enuntient, nempè ut sint suì et Christi imitatores, dùm testimonium de eo præbent, quibus testatione est opus; inquit enim : *Estote mihi testes; et ego testis, dicit Dominus Deus; et servus quem elegi* [4]. [a] Quisquis autem testificatur de veritate, tùm verbis, tùm operibus, quomodocumquè favens illi, is jure testis dicendus est; sed jàm propriè apud fratres

[1] *Rom.* VI, 5. — [2] I *Joan.* II, 23. — [3] *Joan.* VIII, 56. — [5] *Isai.* XLIII, 10.

[a] Hâc notatione vocabulum *martyr* à Tertulliano et Cypriano frequenter usurpatur. Donatistæ verò violentam mortem ac voluntariam *martyrium* appellabant; et postquàm saginati vel sibi latus ense peregerant, vel laqueo gulam fregerant, vel se ex alto deorsùm præcipitaverant, tùm verò sibi coronam martyrii impositum iri arbitrabantur. Auctor est Theodoretus, Lib. 4 Hæret. Fabularum, cap. 6. HUETIUS.

eorum affectu perculsos, qui ad mortem usquè pro veritate et fortitudine decertârunt, consuetudo invaluit, ut solos eos martyres appellarent, qui sanguinis sui effusione pietatis mysterio testimonium perhiberent. Servator enim etiam nominat omnes testimonium præbentes iis quæ de se annuntiantur, μάρτυρας [hoc est, testes], cùm in cœlum reciperetur, dicendo Apostolis : *Eritis mihi testes tùm in Jerusalem, tùm in omni Judæâ, et Samariâ, et usquè ad ultimum terræ*[1]. Ut autem leprosus ille mundatus munus offert à Moyse præceptum[2], ad testimonium hoc faciens iis qui in Christum nondùm crediderunt; sic ad testimonium afferendum infidelibus, tùm martyres, tùm sancti cæteri testificantur, quorum opera coram hominibus lucent[3]. Vitam enim degunt, in Christi cruce summam fiduciam habentes, et testificantes de verâ luce.

29. Et Joannes ergò venit, ut testificaretur de luce illâ, qui testificans clamavit, dicens : *Qui post me venit, ante me factus est, quia me erat honoratior, quoniam ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ; quoniam lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit umquàm : Unigenitus qui est in sinu Patris, ille enarravit*[4]. Tota ergò hæc oratio ex Baptistæ personâ testantis de Christo dicta est, id quod multos latet, opinantes ab illis verbis : *Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus*, usquè ad illa : *Ille enarravit*, ex Joannis Apostoli personâ dicta fuisse. Præter antè dictum verò Baptistæ testimonium (quod incipit ab illis verbis : *Qui post me venit, ante me factus est*, et desinit in illa verba : *Ille enarravit*), etiam hoc est testimonium Joannis post illud secundum, quandò ad eos qui miserunt ex Jerosolymis Sacerdotes et Levitas (Judæi nempè miserunt illos), fatetur, non negans verum, quòd ipse non esset ille Christus, neque Elias, neque Propheta ille, sed *Vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta*[5]. Post hæc verò aliud ipsius Baptistæ de Christo testimonium est, [a] quod docet etiam ipsius præcipuam hypostasim pervadentem in omnem mundum propter animas rationis capaces, cùm inquit : *In medio vestrî stat, quem vos nescitis, qui post me venit, cujus non sum ego dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus*[6]. At considera nùm quia cor in medio totius sit corporis, [b] inque corde animæ principatus, illud quod ait : *In medio vestrî stat, quem vos nescitis*, intelligi possit ratio, quæ in unoquoque est. Quartum verò Joannis de Christo est testimonium humanam ipsius etiam passionem jàm describens, cùm dicit : *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dicebam : Post me venit vir, qui ante me exstitit, quia honoratior me erat; et ego nesciebam eum; sed ut manifestus fieret Israeli, propterea veni ego, in aquâ baptizans*[7]. Jàm quintum testimonium inscriptum est in verbis illis : *Vidi Spiritum descendentem sicut columbam è cœlo, et mansit super eum. Et ego non noveram eum; sed qui misit me ad baptizandum in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, et testificatus sum hunc esse Filium Dei*[8]. Porrò sextâ jàm vice testimonium perhibet Christo in duobus discipulis Joannes, cùm *intuitus Jesum ambulantem, inquit : Ecce Agnus ille Dei*[9]. Post quod testimonium cùm audissent duo discipuli Joannem, secutique fuissent Jesum, *conversus Jesus et conspicatus duos sequentes, respondet dicens : Quid quæritis*[10]? Et fortassìs non frustrà post sex testimonia cessat Joannes testificari, et Jesus profert in septimo : *Quid quæritis*? His insuper, qui Joannis testimonio adjuti fuerint, vox est illa decens quæ prædicat Christum magistrum, et fatetur Filii Dei domunculam cupere se intueri. Nam dicunt illi : *Rabbi, quod dicitur ex interpretatione, Magister, ubi manes*[11]? Et quoniam *omnis qui quærit, invenit*[12], quærentibus Joannis discipulis Jesu mansionem, eam ostendit ipsis Jesus, dicens : *Venite et videte*[13], fortassìs per vocem, *Venite*, invitans eos ad eam philosophiæ partem, quæ in rerum actione versatur; per vocem verò, *Videte*, contemplationem præclarè facta sequentem, omninò his futuram qui voluerint, designans, existentem in Jesu mansione. At qui quæsierant ubi maneret Jesus, quique secuti ac conspicati magistrum fuerant, deliberaverunt apud Jesum permanere totam illam diem, cumque Filio Dei morari. Verumenimverò cùm decennarius numerus observatus sit ut sanctus, cùm mysteria non parva fuisse facta in decennario numero inscribantur, intelligendum est non frustrà in Evangelio decimam inscribi horam, cùm discipuli Joannis apud Jesum divertunt[14], ex quorum numero erat Andreas, frater Simonis Petri[15], qui dùm maneret apud Jesum, adjutus, invento fratre suo Simone (fortè enim anteà non invenerat), Messiam se invenisse inquit : *quod*

[1] *Act.* I, 8. — [2] *Matth.* VIII, 4. — [3] *Id.* V, 16. — [4] *Joan.* I, 15-18. — [5] *Ibid.* 23. — [6] *Ibid.* 26 *et* 27. — [7] *Ibid.* 29-31. — [8] *Ibid.* 32-34.—[9] *Ibid.* 35 *et* 36.— [10] *Ibid.* 37 *et* 38.— [11] *Ibid.* 38. — [12] *Luc.* XI, 10. — [13] *Joan.* I, 39. — [14] *Ibid.* — [15] *Ibid.* 40.

[a] Vide Notam *b* suprà, pp. 506-507.

[b] Hæc è Stoicâ scholâ arripuit Origenes. Laertius in Zenone : « Principatum autem esse dicunt præcipuam animæ partem, in quâ imaginationes et appetitus formantur, et undè ratio proficiscitur, eumque esse in corde. »

est, si interpreteris, Christus [1]. Quoniam enim *qui quærit, invenit* [2], quæsierat autem ubi maneret Jesus; et secutus, cùm perspexisset ejus mansionem, manet apud Dominum *decimâ horâ* [3], et invenit Dei Filium, Sermonem scilicet, et Sapientiam, et regitur ab ipso, hanc ob causam inquit : *Invenimus Messiam* [4] *:* quæ vox à quovis dici poterit, qui invenerit Dei Sermonem, et qui ab ipsius divinitate regitur. Fructum verò mox offert Christo fratrem Simonem : quem ut munere Jesus singulari renumeraretur, in ipsum intuitus est [5]; per illum intuitum declarans se Simonis curam gerere, animæ illius parte præstantissimâ illustratâ ; potuitque Simon, eo quòd Jesus in ipsum intuitus est, eousquè stabiliri, ut ab opere stabili firmoque cognomen traheret, et vocaretur Petrus [6].

30. Sed dicturus est aliquis, cur tandem propositâ nobis interpretatione verborum eorum : *Hic venit ad testificandum, ut testificaretur de luce illâ*, omnia hæc transcurrimus. At dicendum necesse fuisse Joannis testimonia de luce illâ demonstrare, ordinemque eorum exponere, atque utilitatem quæ insecuta fuerit eos, apud quos testatus fuisset, factam post Joannis testimonium à Jesu, ut perfectio testimonii Joannis declararetur. Quin ante hæc testimonia Baptistæ exsultatio præ gaudio in utero Elisabethæ propter Mariæ salutationem [7], testimonium fuit de Christo, testificante Baptistâ de divinitate conceptionis et ortûs Christi. Quid plura? Vel ubique testis et præcursor Jesu est Joannes, participans illius ortum, et paulò ante mortem Filii Dei moriens, ut non solùm ad vivos, verùm et ad exspectantes libertatem à morte per Chistum futuram, ante Christum adveniens, ubique Domino pararet populum instructum [8]; pertingit autem usquè ad secundum, eumque diviniorem, Christi adventum Joannis testimonium : *Si enim vultis*, inquit, *recipere eum, ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat* [9]. Cæterùm cùm sit principium in quo est Sermo (quod Sapientiam esse ex Proverbiorum Libro ostendimus), cùmque etiam sit Sermo, atque vita in hoc facta, ac deindè vita etiam sit lux hominum, quæro cur tandem, cùm *homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes*, venerit *ad testificandum, ut testificaretur de luce*, non etiam venerit, ut testificaretur de vitâ, vel ut testificaretur de Sermone, vel de principio, vel de quâcumque aliâ consideratione Christi? Proindè considera an, quoniam *populus qui sedebat in tenebris* [10], viderit *lucem magnam* [11], et quoniam *lux in tenebris lucet*, non deprehensa ab ipsis tenebris, illi qui sunt in tenebris (nempè homines), luce indigeant. Nam si lux hominum in tenebris lucet, quandò nulla omninò tenebrarum operatio erit, tunc alias Christi considerationes participabimus, cùm minimè ipsas propriè nunc et certò participemus. Nam quomodò vitæ participes sumus, qui adhuc corpore hoc mortali circumdamur? *Quorum vita abscondita est cum Christo in Deo? Cùm enim Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos cum ipso apparebimus in gloriâ* [12]. Homo ergò nullus qui venisset, testificari poterat de vitâ etiamnùm cum Christo absconditâ in Deo. Sed neque venit ad testificandum, ut testificaretur de Sermone, Sermonem considerantibus nobis in principio apud Deum, et Deum Sermonem; super terram enim *Sermo factus est caro*. Et fuisset testimonium (quamvis quibusdam videretur esse de Sermone) propriè dicendum de Sermone, qui factus est caro, non autem de Sermone Dèi, quarè non venit, ut testificaretur de Sermone. Quomodò fieri verò poterat testimonium de Sapientiâ purè lucidèque verum non dispicientibus, etiamsi existimarent se agnoscere, sed cernentibus per speculum et in ænigmate [13]? Proindè probabile est futurum, ut ante secundum et diviniorem Christi adventum veniat Joannes aut Elia sad testificandum de vitâ, paulò antequàm Christus manifestandus sit vita nostra; ac tùm de Sermone testificaturi sint, ostensurique testimonium de Sapientiâ. Indagatione autem eget, an in unaquâque consideratione de Christo testificatio Joannis sit veluti præcursor. Hæc quidem in illud : *Hic venit ad testificandum, ut testificaretur de luce*. Deinceps verò considerandum est quid commentari debeamus in illud : *Ut omnes crederent per illum* [a].

EJUSDEM HOMILIA III [b].

Num. 1. Joannes ea quæ superant omnem intellectum supervehitur. — 2. Petrus actionis, Joannes contemplationis, ille fidei, hic intellectûs symbolum. — 3. Diverso modo Petrus et Joannes Filium Dei conspicantur. — 4. Contemplatio Joannis sublimior raptu Pauli. — 5. Joannes plùs quàm homo. — 6. Vox *erat* non temporis, sed

[1] *Joan.* I, 41. — [2] *Matth.* VII, 8.— [3] *Joan.* I, 39.— [4] *Ibid.* 41. — [5] *Ibid.* 42. — [6] *Ibid.* — [7] *Luc.* I, 44. — [8] *Ibid.* 17. — [9] *Matth.* XI, 14 *et* 15. — [10] *Isai*, IX, 2. — [11] *Matth.* IV, 16. — [12] *Coloss.* III, 3 *et* 4. — [13] I *Cor.* XIII, 12.

[a] Hoc nobis interiit, sicut multa alia de Origene.

[b] In editione Genebrardi (Paris, 1754), è quâ desumitur, est Homilia 2 *in diversos*, « falsò, *inquit* Combefisius, Origeni « adscripta. » « Etenim, *addit* Huetius, Libro 3 Origenianorum « (qui Liber continetur in Tomo quarto et ultimo editionis « Operum Origenis curâ Caroli et Vincentii Delarue, Pa-

substantiæ significationem insinuat. — 7. Per voces, *Et Verbum erat apud Deum*, indicatur Filium subsistere cum Patre in unitate essentiæ et personali distinctione. — 8. Verbum quod Deus est, ipsum est apud Deum quod erat in principio. — 9. Principium *ex quo* omnia, Pater est: principium *per quod* omnia, Filius est. — 10. Tria credenda, scilicet, Pater loquens, Filius genitus, et ea quæ efficiuntur per Verbum. — 11. Voces illæ, *Quod factum est in ipso vita erat*, duplici sensu intelligi possunt. — 12. Quomodò et quâ ratione omnia quæ per ipsum Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, et uniformiter, et causaliter subsistunt? — 13. Filius Dei lux est et vita omnium quæ per ipsum facta sunt. — 14. Lux in tenebris lucens morali et physico sensu. — 15. Joannes præcursor et testis Christi, distinguitur ab eo cui testimonium perhibet. — 16. Quodnam testimonium ab eo de Christo perhibitum est? — 17. Erat lucerna, divino lucens lumine, non ipsa suo. — 18. Verbum illuminat per baptismum venientes in mundum spiritalem. — 19. Quid per mundum intelligendum est? — 20. Quibus Deus dedit potestatem filios Dei fieri? — 21. De generatione spiritali. — 22. Verbum in carnem descendit, ut in ipsum caro ascenderet. — 23. Quomodò Joannes vidit gloriam Christi? — 24. *Plenitudo gratiæ* referri potest ad humanitatem, et *plenitudo veritatis* ad divinitatem.

1. Vox spiritalis aquilæ auditum pulsat Ecclesiæ. Exterior sensus transeuntem accipiat sonitum : interior animus manentem penetret intellectum. Vox altividi volatilis non aerem solùm corporeum, vel æthera, vel totius sensibilis mundi ambitum supervolitantis, sed et omnem theoriam ultra omnia *quæ sunt*, et *quæ non sunt*, citivolis intimæ theologiæ pennis clarissimæ supernæque contemplationis obtutibus transcendentis. Dico enim *quæ sunt*, quæ sive humanum sive Angelicum non omninò fugiunt sensum. *Quæ* verò *non sunt*, quæ profectò omnes intelligentiæ vires relinquunt, cùm post Deum sint, ut eorum numerum quæ ab unà omnium causà condita sunt, non excedant. Supervolat itaque beatus Joannes Theologus non solùm quæ intelligi ac dici possunt, verùm etiam ea quæ superant omnem intellectum et significationem supervehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur, incomprehensibilemque ipsius principii et Verbi, hoc est, Patris et Filii unicam supersubstantialitatem purè dignoscens, Evangelium inchoat dicens : *In principio erat Verbum.*

2. O beate Joannes, non immeritò vocaris *Joannes!* Hebræum nomen est[a]; Latinè verò : *Cui donatum est.* Cui enim theologorum donatum est, quod tibi donatum est, abdita videlicet summi boni penetrare mysteria, et ea quæ tibi revelata et declarata sunt, humanis mentibus ac sensibus intimare? Dic, quæso, cui talis ac tanta donata est gratia? Fortassis quis dicet : Summo Vertici Apostolorum, Petro, dico, qui Deo interroganti quem se existimaret esse, respondit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*[1]. Sed non temerè, ut opinor, quis dixerit plùs in typo fidei et actionis, quàm scientiæ et contemplationis Petrum talia dixisse. Quarè? Eâ scilicet ratione quâ Petrus in formâ actionis ac fidei ponitur, Joannes autem contemplationis atque scientiæ typum imitatur; unus siquidem recumbebat super pectus Dominicum[2], quod est contemplationis sacramentum : alter sæpè titubabat, quasi trepidæ actionis symbolum. Actio namque mandatorum divinorum priusquàm perveniat in habitum, puras aliquandò discernit species virtutum : aliquandò fallitur ejus judicium, carnalium cogitationum nebulis obumbratum. Intimæ verò theoriæ acies, postquàm semel veritatis perspexerit vultum, nequaquàm repercutitur, numquàm fallitur, nullâ caligine obcæcatur in perpetuum. Ambo tamen currunt ad monumentum[3]. Monumentum Christi est divina Scriptura, in quâ divinitatis et humanitatis ejus mysteria densitate litteræ veluti quâdam muniuntur petrâ. Sed Joannes præcurrit citiùs Petro[4]; acutiùs namque atque velociùs intima divinorum apicum penetrat secreta virtus contemplationis penitùs purificatæ, quàm actionis adhuc purificandæ. Verumtamen primò intrat Petrus in monumentum, deindè Joannes[5]; ac sic ambo currunt, ambo intrant; Petrus siquidem fidei est symbolum, Joannes signat intellectum. Ac per hoc quoniam scriptum est : *Nisi credideritis, non intelligetis*, necessariò præcedit fides in monumentum sanctæ Scripturæ : deindè sequens intrat intellectus, cui per fidem præparatur aditus. Petrus quidem Christum Deum et hominem jàm factum in temporibus cognoscens, et dicens : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, altissimè volavit ; sed Joannes altiùs illo, qui eumdem Christum Deum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit, dicens : *In principio erat Verbum.*

3. Nemo nos existimet Petro Joannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis esset altior Apostolorum illo

[1] *Matth.* XVI, 16. — [2] *Joan.* XIII, 23. — [3] *Id.* XX, 3. — [4] *Ibid.* 4. — [5] *Ibid.* 6 et 8.

« ris, 1759), mirabilis est eorum stupor qui hanc secundam « Homiliam Origeni adjudicârunt ; nam , præter stylum ab « Origeniano genio abhorrentem, et clausulam ab Origenianis « diversam, Manichæos et Arianos Origenis temporibus posteriores nominatim appellat : Filium Patri ὁμοούσιον esse dicit : Dionysii Areopagitæ Opera citat, cùm Origenis ætas hos « Libros nondùm vidisset. Habetur hæc Homilia in manu- « scripto Bibliothecæ regiæ Codice inter multa Augustini « opuscula. De Auctore certum nihil definire possum. » Vide suprà Notam *a*, p. 23.

[a] Vide suprà Notam *b*, p. 547.

qui est et dicitur Vertex eorum? Non præferimus Petro Joannem, sed conferimus actioni contemplationem, purgandum adhuc animum perfectè purgato, ascendenti adhuc virtuti, ad incommutabilem habitum pervenientem jàm virtutem. Non enim nunc consideramus Apostolicarum personarum dignitatem, sed investigamus pulcherrimam divinorum mysteriorum differentiam. Petrus itaque (hoc est, actio virtutum) Dei Filium mirabili et ineffabili modo carne circumscriptum per virtutem fidei et actionis conspicatur; Joannes verò, hoc est, altissima veritatis contemplatio, Dei Verbum per se ante carnem absolutum et infinitum in principio suo, hoc est, in Patre, miratur. Petrus æterna simul ac temporalia in Christo unum facta divinâ revelatione introductus inspicit; Joannes sola ejus æterna in notitiam fidelium animarum introducit. Spiritale igitur petaurum, citivolum, deividum, [Joannem dico theologum], omnem visibilem et invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, et deificatus in Deum intrat se deificantem.

4. O beate Paule, raptus es (ut tu ipse asseris) in tertium cœlum et paradisum[1]; sed non es raptus super omne cœlum et paradisum. Joannes omne cœlum conditum omnemque creatum paradisum, hoc est, omnem humanam Angelicamque transgreditur naturam. In tertium cœlum raptus, ô Vas electionis et Magister Gentium, audisti *verba quæ non licet homini loqui*[2]. Joannes, intimæ veritatis inspector, ultra omnem cœlum, in paradiso paradisorum, hoc est, in causâ omnium, audivit unum Verbum per quod facta sunt omnia, et licuit ei illud Verbum dicere, hominibusque prædicare quantùm hominibus prædicari potest; ac fiducialiter clamat: *In principio erat Verbum.*

5. Non ergò Joannes erat homo, sed plùs quàm homo, quandò et seipsum et omnia quæ sunt superavit, et ineffabili sapientiæ virtute purissimoque mentis acumine subvectus, in ea quæ superiora sunt secreta, videlicet unius essentiæ in tribus substantiis[a], et trium substantiarum in unâ essentiâ ingressus est; non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi priùs fieret Deus. Ut enim radius oculorum nostrorum species rerum sensibilium coloresque non priùs potest sentire, quàm se solaribus radiis immisceat, unumque cum ipsis et in ipsis fiat; ità animus Sanctorum puram rerum spiritalium omnemque intellectum superantium cognitionem non sufficit accipere, nisi priùs incomprehensibilem veritatis participationem dignus efficiatur habere.

6. Sanctus itaque Theologus in Deum transmutatus, veritatis particeps, Domini Verbum subsistere in Deo principio, hoc est, Deum Filium in Deo Patre pronuntiat: *In principio*, inquit, *erat Verbum.* Intuere cœlum apertum, hoc est, summæ ac sanctæ Trinitatis et Unitatis revelatum mundo mysterium: animadverte Angelum divinum super Filium hominis ascendentem, nobis videlicet annuntiantem ipsum esse ante omnia in principio Verbum, ac mox descendentem super eumdem Filium hominis[3] clamantemque: *Et Verbum caro factum est.* Descendit evangelizans Deum verum hominem factum supernaturaliter inter omnia ex Virgine: ascendit proclamans Joannes Verbum superessentialiter genitum ex Patre, ante et ultra omnia: *In principio*, inquit, *erat Verbum.* Et notandum quòd in hoc loco non temporis, sed substantiæ significationem beatus Evangelista insinuat per hanc vocem quæ est, *Erat;* nam et positivum ejus, id est, *sum*, inæqualiter duplicem continet intellectum: aliquandò temporales motus secundùm aliorum verborum analogiam declarat: aliquandò substantiam uniuscujusque rei de quâ prædicatur, sine temporali motu ullo designat; ideò et *substantivum* vocatur. Tale est ergò quod ait: *In principio erat Verbum*, ac si apertè diceret: In Patre subsistit Filius. Quis enim sapiens dixerit Filium in Patre temporaliter umquàm substitisse? Illic enim sola cogitatur æternitas, ubi sola intelligitur immutabilis unitas.

7. Et ne quis existimaret ità in principio Verbum subsistere, ut nulla substantiarum differentia intelligatur inesse, continuò subjunxit: *Et Verbum erat apud Deum*, hoc est: Et Filius subsistit cum Patre in unitate essentiæ et substantiali distinctione. Et iterùm ne talis serperet venenosa contagio in quemquam, Verbum solummodò inquit cum Patre esse et in Deo esse; non autem ipsum Verbum substantialiter et coæternaliter subsistere cum Deo Patre; hic namque error per Verbum[b] perfidos invasit Arianos. Ideò protinùs adjecit: *Et Deus erat Verbum.*

8. Videns item quòd non defuturi essent qui dicerent non de uno eodemque Verbo Evangelistam scripsisse: *In principio erat Verbum*, sed quòd aliud Verbum in principio voluit, aliud Deus erat Verbum; hæreticam[c] opinionem destituens, consequenter adjungit: *Hoc erat in principio apud Deum*, ac si diceret: Hoc Verbum quod Deus est, apud Deum ipsum est, et non aliud quod erat in principio. Sed significantiùs ex Græcorum exemplaribus potest intelligi; in eis enim, οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν, scribitur, et potest re-

[1] II *Cor.* XII, 2. — [2] *Ibid.* 4. — [3] *Joan.* I, 51.

[a] Personas intelligit per vocem *substantiarum.*

[b] *Per Verbum*, id est, *de Verbo.*

[c] Hic agitur de hæresi Eunomii à Cyrillo refutatâ; ideòque non solùm Ario, sed et Eunomio posterior esse videtur Auctor hujus Homiliæ.

ferri ad utrumque, ad Verbum videlicet, et Deum; hæc quippè duo nomina Θεός et Λόγος, *Deus* et *Verbum*, apud Græcos masculini sunt generis; ac per hoc ità potest intelligi: Et Deus erat Verbum, hic erat in principio apud Deum; tamquàm si luce clariùs dixerit: Hic Deus Verbum apud Deum, hic est de quo dixi: *In principio erat Verbum.*

9. *Omnia per ipsum facta sunt, per ipsum* Deum Verbum; vel *per ipsum* Deum *omnia facta sunt.* Et quid est, *Per ipsum omnia facta sunt*, nisi eo nascente ante omnia ex Patre, *omnia* cum ipso, et *per ipsum omnia facta sunt?* Nam ipsius ex Patre generatio ipsa est causarum omnium conditio, omniumque, quæ ex causis in genera et species procedunt, operatio et effectus; per generationem quippè Dei Verbi ex Deo principio facta sunt omnia. Audi divinum et ineffabile paradoxum, irreserabile secretum, invisibile profundum, incomprehensibile mysterium. Per non factum, sed genitum, omnia facta, sed non genita. Principium *ex quo* omnia, Pater est: principium *per quod* omnia, Filius est: Patre loquente Verbum suum, hoc est, Patre gignente suam Sapientiam, omnia fiunt. Propheta ait: *Omnia in sapientiâ fecisti* [1]; et alibi personam Patris introducens: *Eructavit cor meum.* Et quid eructavit cor suum? Ipse exponit: *Verbum bonum* dico, *Verbum bonum* [2] loquor, Filium bonum gigno. Cor Patris est sua propria substantia, de quâ genita est Filii propria substantia. Præcedit Pater Verbum non naturâ, sed causâ [a]. Audi ipsum Filium dicentem: *Pater major me est* [3]. Substantia ejus causa est meæ substantiæ. Pater, inquit, præcedit Filium causaliter, præcedit Filius omnia quæ per ipsum facta sunt naturaliter; et inchoavit in ipso esse ante tempora, non in tempore, sed cum temporibus; tempus siquidem inter cætera quæ facta sunt, factum est, non antè factum, non prælatum, sed concreatum. Et quæ est consequentia Verbi quod locutum est os Altissimi? Non enim in vanum locutus est Pater, non infructuosè, non sine magno effectu. Nam et homines inter, ipsos loquentes in auribus audientium efficiunt.

10. Tria itaque credere et intelligere debemus, Patrem loquentem, Filium genitum, et ea quæ efficiuntur per Verbum. Pater loquitur, Verbum gignitur, omnia efficiuntur. Audi Prophetam, *Quia ipse dixit, et facta sunt* [4], hoc est, Verbum suum genuit, per quod facta sunt omnia. Et ne fortè existimares, eorum quæ sunt, quædam quidem per ipsum Dei Verbum facta esse, quædam verò extra ipsum facta esse, aut existentia per seipsa, ita ut non omnia quæ sunt, ad unum principium referantur, conclusione totius prædictæ theologiæ subdit: *Et sine ipso factum est nihil*, hoc est: Nihil extra ipsum est factum, quia ipse ambit omnia intra se, comprehendens omnia; et nihil ei coæternum, vel consubstantiale intelligitur, vel coessentiale, præter suum Patrem et suum Spiritum, à Patre per ipsum procedentem. Et hoc faciliùs in Græco datur intelligi; ubi enim Latini ponunt *sine ipso*, ibi Græci χωρὶς αὐτοῦ, hoc est, *extra ipsum.* Similiter et ipse Dominus discipulis suis dixit: *Extra me nihil potestis facere* [5]. Qui per vos, inquit, extra me non potuistis fieri, quid extra me facere potestis? nam et ibi χωρίς, hoc est, non *sine*, sed *extra*, Græci scribunt. Faciliùs propterea dixi, quia, dùm quis audivit *sine ipso*, potest putare *sine ipsius consilio vel adjutorio*, ac per hoc non totum, non omnia illi distribuit; audiens verò *extra*, nihil omninò relinquit quod in ipso et per ipsum factum non sit.

11. *Quod factum est in ipso vita erat.* Postquàm remotissimâ oratione et intellectu beatissimus Evangelista divina revelavit mysteria, Deum Verbum videlicet in Deo loquentem, et in ambobus intelligentiam sancti Spiritûs divinæ Scripturæ contemplatoribus relinquens; ut enim qui loquitur, in verbo quod loquitur necessariò spiritum proflat, ità Deus Pater et Filium suum gignit, et Spiritum suum per genitum Filium producit; et postquàm per Dei Filium omnia facta esse, et nihil extra ipsum subsistere adstruxit, veluti ab altero primordio suæ theologiæ seriem direxit, dicens: *Quod factum est in ipso vita erat.* Prædixit enim, *Omnia per ipsum facta sunt*; ac veluti à quopiam interrogatus de iis quæ per Deum Verbum facta sunt, quomodò et in ipso, quæ per ipsum facta sunt, respondet, et ait: *Quod factum est in ipso vita erat.* Quæ sententia dupliciter pronuntiatur. Potest enim subdistingui: *Quod factum est*, ac deindè subjungi: *In ipso vita erat.* Potest etiam sic: *Quod factum est in ipso*, ac deindè subinferri: *Vita erat.* Ac per hoc in duabus pronuntiationibus duos speculamur intellectus. Non enim eadem theoria est quæ dicit: *Quod factum est*, locis temporibusque discretum, generibus, formis, numeris distinctum, sensibilibus intelligibilibusque substantiis seu compactum, seu segregatum, hoc totum *in ipso vita erat*; et ea quæ declarat: *Quod factum est in ipso*, non aliud erat nisi vita, ut sit sensus: Omnia quæ per ipsum facta sunt, in ipso vita sunt, et unum sunt. Erant enim, hoc est, in ipso subsistunt causaliter, priusquàm sint in semetipsis effectivè. Aliter enim sub ipso sunt ea quæ per ipsum facta sunt, et in ipso vivunt incommutabiliter, et vita

[1] *Psalm.* CIII, 24. — [2] *Id.* XLIV, 2. — [3] *Joan.* XIV, 28. — [4] *Psalm.* CXLVIII, 5. — [5] *Joan.* XV, 5.

[a] Vide suprà Notam *a*, pp. 523-524. Sic etiam Latini nostri, ac in illis Hilarius, Patrem majorem agnoscunt auctoritate principii.

sunt, in quo neque fuerunt omnia temporalibus intervallis, seu localibus, nec futura sunt; sed solummodò super omnia tempora et loca unum sunt in ipso, et invisibiliter subsistunt visibilia, invisibilia, corporalia, incorporalia, rationabilia, irrationabilia; et simpliciter cœlum, terra, abyssus, et quæcumque in eis sunt, in ipso vivunt, et vita sunt, et æternaliter subsistunt; et quæ nobis omni motu vitali carere videntur, et in Verbo vivunt.

12. Sed si quæris quomodò et quâ ratione omnia quæ per ipsum Verbum facta sunt, in ipso vitaliter, et uniformiter, et causaliter subsistunt, accipe paradigmata ex creaturarum naturâ, disce factorem in iis quæ in ipso et per ipsum facta sunt : *Invisibilia enim ejus* (ut ait Apostolus), *per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*[1]. Conspicare quomodò omnium rerum quas mundi hujus sensibilis globositas comprehendit, causæ simul et uniformiter in isto sole, qui maximum mundi luminare vocitatur, subsistunt; indè namque formæ omnium corporum procedunt : indè distantia colorum, pulchritudo, et cætera quæ sensibili naturâ prædicari possunt. Considera multiplicem et infinitam seminum virtutem, quomodò numerositas herbarum, fructuum, animarum in singulis seminibus simul continentur, quomodò ex eis surgit formarum pulchra et innumerabilis multiplicitas. Intuere interioribus oculis quomodò multiplices regulæ in arte artificis unum sunt, et in animo disponentis vivunt, quomodò infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit; et hujusmodi naturalia perspice exempla, ex quibus, veluti physicæ theoriæ pennis ultra omnia subvectus, divinâ gratiâ adjutus et illuminatus, poteris arcana Verbi mentis acie inspicere, et, quantùm datur humanis argumentationibus, Deum suum quærentibus, videre quomodò omnia quæ per Verbum sunt facta, in ipso vivunt, et vita sunt ; *in ipso enim*, ut os loquitur divinum, *vivimus, movemur, et sumus*[2]; et, ut ait magnus Dionysius Areopagita[a], esse omnium est superessentia et divinitas[b].

13. *Et vita erat lux hominum.* Dei Filium quem, ô beate Theologe, priùs vocâsti *Verbum*, nunc *vitam* nominas et *lucem;* nec immeritò mutâsti appellationes, ut distantes nobis insinuares significationes; *Verbum* siquidem Dei Filium nominâsti, quia per ipsum locutus est Pater omnia : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt*[3]; *lucem* verò et *vitam*, quoniam idem Filius lux est et vita omnium quæ per ipsum facta. Et quid illuminat? Non aliud nisi seipsum et Patrem suum. Lux itaque est, et seipsum illuminat, seipsum mundo declarat, seipsum se ignorantibus manifestat. Lux divinæ cognitionis de mundo recessit, cùm homo Deum deseruit. Dupliciter ergò lux æterna seipsam mundo declarat, per Scripturam videlicet et creaturam. Non enim aliter in nobis divina cognitio renovatur, nisi per divinæ Scripturæ apices et creaturæ species. Eloquia disce divina, et in animo tuo eorum concipe intellectum, in quo cognosces Verbum sensu corporeo. Formas ac pulchritudines perspice sensibilium, et in eis intelliges Dei Verbum. Et his omnibus, nihil aliud tibi veritas declarabit præter ipsum qui cuncta fecit, extra quem nihil contemplaturus es, quia ipse est omnia in omnibus quæ sunt, ipse est quidquid est. Ut enim nullum bonum substantiale, ità nulla essentia præter ipsum est vel substantia. [[c]*Et vita erat lux hominum.* Quasi specialiter ac propriè lux hominum dicitur, quia in homine non solùm hominibus, verùm etiam Angelis omnique creaturæ, divinæ cognitionis participem fieri valenti, seipsum declaravit. Non enim per Angelum Angelis, neque per Angelum hominibus, sed per hominem hominibus et Angelis, non in phantasiâ, sed in ipsâ verâ humanitate, quam totam sibi in unitatem substantiæ suscepit, apparuit, suamque cognitionem omnibus cognoscentibus se præstitit. Lux itaque hominum est Dominus noster Jesus Christus, qui in humanâ naturâ omni rationali et intellectuali creaturæ seipsum manifestavit, suæque divinitatis, quâ Patri est æqualis, abdita reseravit mysteria.]

14. *Et lux in tenebris lucet.* Audi Apostolum : *Fuistis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino*[4]. Audi Isaiam : *Sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*[5]. *Lux in tenebris lucet.* Totum genus humanum merito originalis peccati in tenebris erat, non exteriorum oculorum quibus sensibilium formæ coloresque sciuntur, sed interiorum quibus intelligibilium species et pulchritudines discernuntur; non in tenebris hujus caliginosi aeris, sed in tenebris ignorantiæ veritatis; non in absentiâ lucis quæ mundum corporeum illuminat[d]. Post cujus ortum ex Virgine, *lux in te-*

[1] *Rom.* I, 20. — [2] *Act.* XVII, 28. — [3] *Psalm.* CXLVIII, 5. — [4] *Ephes.* V, 8. — [5] *Isai.* IX, 2.

[a] Ante S. Gregorium Romanum, ait Bellarminus Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, nemo Operum nomine S. Dionysii Areopagitæ meminit : causa videtur esse quòd alicubi latuerint, ut multa alia sæpè longo tempore delitescunt, et circa tempora S. Gregorii reperta fuerint. Itaque citatio in hâc Homiliâ Dionysii Areopagitæ arguit, inquit Combefisius, medii ævi Auctorem.

[b] Aliquid conforme habet hic numerus 12 cum num. 17 Tractatûs 1 S. Augustini in hoc Evangelium, ut videre est infrà.

[c] Verba uncis inclusa, saltem quoad sensum, mutuatus est Auctor à vero Origene. Sic enim perorat iste Homiliâ 23 in Luc. : « Docet Salvator noster..... non solùm homines, sed etiam Angelos et Virtutes invisibiles. » Vide hanc Homiliam, et Num. 18 Libri 2 Origenian. ab Huetio, Quæst. 5, deniquè Notam *b* suprà, pp. 511-515.

[d] Hic evidenter deest alterum phrasis membrum, quod sic

nebris lucet, in cordibus scilicet se cognoscentium. Quoniam verò totum genus humanum in suas veluti partes dividitur, in eos videlicet quorum corda cognitione veritatis illuminata sunt, et in eos qui adhuc in obscurissimis impietatis atque perfidiæ tenebris permanent, Evangelista subjunxit : *Et tenebræ eam non comprehenderunt*, ac si evidenter diceret : Lux in tenebris fidelium animarum lucet, et magis ac magis lucet, à fide inchoans, ad spem trahens; imperitorum verò cordium perfidia et ignorantia lucem Verbi Dei in carne fulgentis non comprehenderunt : *Obscuratum est enim*, ut ait Apostolus, *insipiens cor eorum; et sapientes se esse dicentes, stulti facti sunt* [1]. Sed iste sensus moralis est. Physica verò horum verborum theoria talis est : Humana natura, etsi non peccaret, suis propriis viribus lucere non posset; non enim naturaliter lux est, sed particeps lucis; capax siquidem sapientiæ est, non ipsa sapientia, cujus participatione sapiens fieri potest. Sicut ergò aer iste per semetipsum non lucet, sed *tenebrarum* vocabulo nuncupatur, capax tamen solaris luminis est; ità nostra natura, dùm per seipsam consideratur, quædam tenebrosa substantia est, capax ac particeps lucis sapientiæ : et, quemadmodùm præfatus aer, dùm solares radios participat, non dicitur per se lucere, sed solis splendor dicitur in eo apparere, ità ut naturalem suam obscuritatem non perdat, et lucem supervenientem in se recipiat; sic rationabilis nostræ naturæ pars, dùm præsentiam Dei Verbi possidet, non per se res intelligibiles et Deum suum, sed per insitum sibi divinum lumen cognoscit. Audi ipsum Verbum : *Non vos*, inquit, *estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* [2]. Hàc unà sententià voluit nos docere idipsum in cæteris intelligere, hàc semper in aure cordis nostri ineffabili modo sonare : *Non vos estis qui lucetis, sed Spiritus Patris vestri qui lucet in vobis*. Hoc enim meum in vobis lucere, vobis manifestat quòd ego sum lux intelligibilis mundi, hoc est, rationalis et intellectualis naturæ. Non vos estis qui intelligitis me, sed ego ipse in vobis per Spiritum meum meipsum intelligo, quia vos non estis substantialis lux, sed participatio per se subsistentis luminis. *Lux* itaque *in tenebris lucet*, quia Dei Verbum, vita et lux hominum, in nostrà naturà, quæ, per se investigata et considerata, informis quædam tenebrositas reperitur, lucere non desinit, nec eam quamvis delinquentem deserere voluit, nec umquàm deseruit formans eam per naturam continendo, reformansque per gratiam deificando; et quoniam ipsa lux est omni creaturæ incomprehensibilis, *tenebræ eam non comprehenderunt*. Superat itaque Deus omnem sensum et intellectum, et *solus habet immortalitatem* [3], cujus lux per excellentiam *tenebræ* nominatur, quoniam à nullà creaturà quid vel quale sit comprehenditur.

15. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes*. Ecce aquilam de sublimissimo vertice montis theologiæ levi volatu descendentem in profundissimam vallem historiæ, de cœlo utiquè spiritalis mundi pennas altissimæ contemplationis relaxantem. Divina siquidem Scriptura mundus quidam est intelligibilis, suis quatuor partibus veluti quatuor elementis constitutus, cujus terra est veluti in medio, imòque instar centri, historia; circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiæ, quæ à Græcis Ethica solet appellari; circa quas, historiam dico et Ethicam, veluti duas præfati mundi inferiores partes, aer ille naturalis scientiæ circumvolvitur. Quam naturalem dico scientiam, Græci vocant physicam. Extra autem omnia et ultra, æthereus ille igneus ardor Empyrei cœli, hoc est, supernæ contemplationis divinæ naturæ, quam Græci theologiam nominant, circumglobatur; ultra quam nullus ingreditur intellectus. Magnus itaque theologus (Joannem dico) in primordio Evangelii sui excellentissima theologiæ cacumina tangens, cœlique cœlorum spiritualium secreta penetrans, ultra omnem historiam, et ethicam ascendens, et physicam, ad ea quæ paulò ante Incarnationem Verbi facta sunt, scilicet ad historiam narrandam veluti in quamdam terram suum intelligibilem deflectit volatum, et ait : *Fuit homo missus à Deo, cui nomen Joannes*. Joannem consequenter in suam introducit theologiam. *Abyssus abyssum invocat* [4] *:* divinorum mysteriorum Evangelista Præcursoris narrat historiam : ille cui donatum est Verbum in principio cognoscere, illum cui donatum est Verbum incarnatum præire, commemorat : *Fuit*, inquit, *homo*. Non dixit simpliciter : Fuit missus à Deo, sed : *Fuit homo*, ut discerneret hominem solius humanitatis participem qui præcucurrit, ab homine divinitate et humanitate coadunato et compacto qui post me venit [a]; ut segregaret vocem transeuntem à Verbo semper et incommutabiliter manente; ut insinuaret matutinam stellam in ortu Regis cœlorum apparentem, et declararet Solem justitiæ permanentem. Testem ab eo discernit, de quo testimonium perhibet missum ab eo qui mittit, lucernam lucubrantem à luce clarissimà mundum implente, totius generis humani

[1] *Rom*. I, 21 *et* 22. — [2] *Matth*. X, 20. — [3] I *Tim*. VI, 16.— [4] *Psalm*. XLI, 8.

reddi posset : «Sed in absentiâ lucis quæ mundum spiritalem « illustrat. »

[a] Videtur hîc aliquid deesse, quod sic reddi posset : «*Fuit* « *homo*, ut discerneret hominem... ab homine divinitate et hu- « manitate coadunato et compacto, de quo dixit : *Qui post me* « *venit, ante me factus est;* ut segregaret, *etc*. »

tenebras mortis et delictorum demoliente. Præcursor itaque Domini fuit homo, non Deus. Dominus autem cujus præcursor erat, homo similiter et Deus fuit. præcursor homo fuit transiturus in Deum per gratiam quâ præcucurrit : Deus erat per naturam, accepturus hominem per humilitatem et nostræ salutis et redemptionis voluntatem. Homo erat missus. A quo? *A Deo* Verbo. Quæ præcucurrit missio ejus? Præcursor clamans præmittit vocem : *Vox clamantis in deserto*[1] : novum præparat Domini adventum. *Cui nomen erat Joannes :* cui donatum est ut Regi regum fiat præcursor, incarnati Verbi manifestator, et in spiritalem felicitatem baptizator, æterni luminis voce et martyrio testator.

16. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet*, Christi videlicet. Audi testimonium : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*[2]. Et iterùm : *Qui post me venit, ante me factus est*[3] : quod evidentiùs in Græco legitur : Ἔμπροσθέν μου γέγονεν, hoc est : *Coram me ante conspectum meum factus est*, ac si apertè diceret : Qui in ordine temporum post nativitatem meam natus est in carne, ante conspectum meum, dùm adhuc essem in visceribus meæ matris sterilis, prophetico visu vidi illum coram me conceptum, et hominem factum in utero Virginis.

17. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* A superioribus subaudi, ac sic intellige : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Præcursor luminis, *non erat ille lux.* Quarè ergò lucerna ardens [4] astrumque vocitatur matutinum? Lucerna ardens erat, sed non proprio igne ardebat succensus, non propriâ luce lucebat. Stella erat matutina, sed non à seipso proprium lumen accepit : gratia ipsius quem præcurrebat, in eo ardebat et splendebat. *Non erat ille lux*, sed ut particeps luminis : suum non erat quod in se et per se fulgebat. Ut enim superiùs diximus, nulla rationalis et intellectualis creatura per seipsam substantialiter lux est, sed participatio unius ac veri luminis substantialis, quod ubicumquè in omnibusque intelligibiliter lucet. Propterea subditur :

18. *Erat autem lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Veram lucem dicit Dei Filium per se subsistentem, ante omnia sæcula genitum : veram lucem dicit eumdem Filium, hominem ex homine propter homines factum. Ipse est lux vera, qui de seipso ait : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*[5] æternæ. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quid est, *Venientem in mundum?* Et quis est omnis homo veniens in hunc mundum? Et undè venit in mundum? Et in quem mundum venit? Si de his quæ de occultis naturæ finibus in hunc mundum per generationem locis temporibusque veniunt, acceperis, qualis illuminatio est in hâc vitâ nascentibus ut moriantur, crescentibus ut corrumpantur, compositis ut solvantur, de quietudine silentis naturæ in inquietudinem tumultuantis miseriæ cadentibus? Dic, quæso, qualis lux est spiritalis et vera procreatis in vitâ transitoriâ et falsâ? Numquid mundus iste, alienatus à vero lumine, conveniens habitationi? Numquid non regio umbræ mortis[6], et lacrymarum vallis[7], et ignorantiæ profundum, et terrena habitatio humanum animum gravans[8], et ex veri luminis contuitu interiores oculos eliminans, non immeritò dicitur? Non ergò de his qui de occultis seminum causis in species corporeas procedunt, debemus intelligere quòd *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* sed de his qui spiritaliter per regenerationem gratiæ, quæ datur in baptismate, in mundum veniunt invisibilem : qui nativitatem quæ secundùm corruptibile corpus est spernentes, nativitatem quæ est secundùm spiritum eligunt : mundum qui deorsùm est calcantes, umbras ignorantiæ et mortis deserentes, lucem sapientiæ et vitæ appetentes : filii hominum esse desinentes, filii Dei fieri inchoantes : mundum vitiorum postponentes, et in semetipsis destruentes, mundum virtutum ante oculos mentis constituentes, et in eum totis viribus ascendere inhiantes. Eos itaque vera lux illuminat qui in mundum virtutum veniunt, non eos qui in mundum vitiorum ruunt.

19. *In mundo erat.* In hoc loco mundum appellat non solùm generaliter sensibilem naturam, verùm etiam specialiter rationalis creaturæ, quæ in homine est, substantiam; in his siquidem omnibus, et, ut simpliciter dicam, in universitate conditum Verbum lux vera erat : idem subsistit, et semper erat, quia numquàm in omnibus subsistere desistit. Ut enim qui loquitur, dùm loqui cessat, vox ejus esse desinit et evanescit; sic cœlestis Pater : si Verbum suum loqui cessaverit, effectus Verbi, hoc est, Verbo universitas condita non subsistet; universitatis namque conditæ substitutio est et permansio, Dei Patris locutio, hoc est, æterna et incommutabilis sui Verbi generatio. Potest etiam non irrationabiliter de hoc mundo solummodò sensibili hæc sententia intelligi, quæ ait : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est.* Ne fortè quis putaret Manichææ hæresis consors, mundum corporeis sensibus succumbentem à diabolo fuisse creatum, et

[1] *Matth.* III, 3. — [2] *Joan.* I, 29. — [3] *Ibid.*, 30. — [4] *Id.* V, 35. — [5] *Id.* VIII, 12. — [6] *Isai.* IX, 12. — [7] *Psalm.* LXXXIII, 7.— [8] *Sap.* IX, 15.

* Manichæorum hæresis etiam Origene recentior Auctorem ab eo diversum indicat.

non à Creatore omnium visibilium et invisibilium, Theologus subnectit: *In mundo erat*, hoc est: In mundo subsistit, ille qui continet omnia. *Et mundus per ipsum factus est;* non enim in alienis operibus universitatis Conditor habitabat, sed in suis quæ fecit. Animadvertere debemus beatum Evangelistam quater mundum nominâsse; tres tamen mundos oportet nos intelligere. Quorum primus, qui absolutè solis invisibilibus et spiritalibus Virtutum impletur substantiis, in quem quicumque venerit, plenam veræ lucis possidet participationem. Secundus, qui præfato ponitur è diverso, quoniam absolutè ex visibilibus et corporalibus constituitur naturis; et quamvis universitatis infimam obtineat proportionem, in eo tamen erat Verbum, et per Verbum factus est, et est primus gradus ad cognitionem veritatis ascendere per sensum volentibus; species namque visibilium ratiocinantem attrahit animam. Tertius mundus est, qui ratione medietatis, et superiorem spiritalium, et inferiorem corporalium in seipso copulat, et de duobus unum facit; et in homine solo intelligitur, in quo omnis creatura adunatur; corpore enim constat et animâ. Corpus de hoc mundo, et animam de altero mundo colligens, unum facit ornatum et corpus. Quæ de compagine unâ conglobantur, omnem mundanum hominis conficiunt ornatum, ideòque homo dicitur omnis creatura; omnis namque creatura in ipso velut in officinâ quâdam conflatur [a]. Hinc et ipse Dominus prædicaturis discipulis præcepit: *Prædicate Evangelium omni creaturæ* [1]. Iste igitur mundus, hoc est, homo, Creatorem suum non cognovit: neque per legis scriptæ symbola, neque per visibilis creaturæ paradigmata Deum suum voluit cognoscere, carnalium cogitationum vinculis detentus. *Et mundus eum non cognovit.* Non cognovit Deum Verbum, neque ante inhumanationem ejus, per se solâ divinitate nudum, nec post inhumanationem, solâ incarnatione vestitum [b]: invisibilem ignorabat, visibilem negabat: noluit quærentem sequi, noluit audire vocantem, noluit colere deificantem, noluit recipere recipientem.

20. *In propria venit.* In ea videlicet quæ per ipsum facta sunt, ac per hoc propria illius sunt non immeritò. *Et sui eum non receperunt. Sui* sunt omnes homines, quos voluit redimere, et redemit. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus.* Non dividitur humanitas rationabilis mundi, sed voluntas: segregantur receptores incarnationis à respuentibus eam: fideles credunt adventum Verbi, et libenter recipiunt Deum suum: impii negant, et contumaciter renuunt, Judæi per invidiam, Pagani per ignorantiam. *Recipientibus dedit eis potestatem filios Dei fieri:* non recipientibus dat adhuc spatium recipiendi. A nullo enim aufertur possibilitas credendi Dei Filium, et possibilitas essendi Dei filius. Hoc enim in arbitrio hominis et cooperatione gratiæ constitutum est. Quibus dedit potestatem filios Dei fieri? Recipientibus se videlicet, et credentibus in nomine ejus. Multi recipiunt Christum, sed non in nomine ejus: non credunt in nomine Unigeniti, qui Filium Deo Patri consubstantialem, id est, ὁμοούσιον negant, hoc est, Patri consubstantialem: ὁμοπάτερα eum affirmant, hoc est, essentiam quæ Pater est; ac per hoc non prodest eis Christum recipere, dùm conantur ejus veritatem negare. Qui verò recipiunt Christum verum Deum et verum hominem, et hoc firmissimè credunt, eis possibilitas data est filios Dei fieri.

21. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Neque ex sanguinibus,* inquit, hoc est: Non corporalibus procreationibus, qui adoptionem filiorum Dei merito fidei adipiscuntur, sed à Deo Patre per Spiritum sanctum in cohæreditatem Christi, hoc est, in confelicitatem Unigeniti Dei Filii, nati sunt. *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.* Duplex introducitur sexus, ex quo in carne nascentium carnaliter numerositas propagatur. *Carnis* quidem nomine femineum, *viri* verò Evangelista masculinum significavit habitum. Et ne fortè dicas: Impossibile videtur mortales fieri immortales, corruptibiles corruptione carere, puros homines filios Dei esse, temporales æternitates possidere, ex his quæ majora sunt accipe argumentum, quo rei de quâ dubitas possis fidem accommodare.

22. *Et Verbum caro factum est.* Si itaque quod plùs est, procul dubio præcessit, cur incredibile videtur quod minùs est posse consequi? Si Filius Dei factus est homo, quod nemo eorum qui eum recipiunt, ambigit, quid mirum, si homo credens in Filium Dei, filius Dei futurus sit? Ad hoc siquidem Verbum in carnem descendit, ut in ipsum caro, id est, homo credens per carnem in Verbum ascendat, ut per naturalem Filium unigenitum multi filii efficiantur adoptivi. Non propter seipsum Verbum caro factum est, sed propter nos, qui nonnisi per Verbi carnem potuissemus in Dei filios transmutari. Solus descendit, ut cum multis ascenderet: de hominibus facit deos, qui de Deo facit hominem. *Et habitavit in nobis*, id est, naturam nostram possedit, ut suæ naturæ participes faceret nos [c].

[1] *Marc.* XVI, 15.

[a] Homo microcosmus.

[b] Vide Chrysostomum, Homiliâ 6, infrà, ad medium num. 1, his verbis: *Et mundus eum non cognovit*, usquè ad medium num. 2, his verbis: «Nihil enim ità mentem turbat, *etc.*»

[c] Similia Chrysostomus his verbis: *Et Verbum caro factum est*, ut videre est infrà, Homiliâ 10, ad finem num. 1. Undè Com-

23. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Ubi vidisti, beate theologe, gloriam incarnati Verbi? Gloriam inhumanatam Filii Dei quomodò vidisti ? Qualibus oculis perspexisti? Corporalibus, ut opinor, in monte, transformationis tempore; tunc enim tertius aderas testis divinæ glorificationis [1]. Præsens eras, ut existimo, in Jerusalem, et audîsti vocem Patris Filium suum glorificantem et dicentem : *Et clarificavi, et iterùm clarificabo* [2]. Audîsti turbas infantium glorificantium, et *Hosanna filio David* [3] dicentium. Quid dicam de glorià resurrectionis? Vidisti eum resurgentem à mortuis, dùm ad te cæterosque tuos condiscipulos clausis intravit januis [4]. Vidisti gloriam ejus ascendentis ad Patrem, quomodò ab Angelis est assumptus in cœlum [5] ; et super hæc omnia, altissimo mentis contuitu contemplatus es illud, dico, Verbum in principio suo apud Patrem suum, ubi gloriam ejus vidisti.

24. *Quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Duplex hujus periodi intellectus est; potest enim de humanitate ac divinitate incarnati Verbi accipi, ità ut *plenitudo gratiæ* referatur ad humanitatem, *plenitudo* verò *veritatis,* ad divinitatem. Verbum quippè incarnatum, Dominus noster Jesus Christus, plenitudinem gratiæ secundùm humanitatem accepit, quoniam caput est Ecclesiæ, et primogenitus est creaturæ universæ, hoc est, totius universaliter humanitatis, quæ *in ipso* et *per ipsum* sanata et restituta est. *In Christo* dico, quoniam maximum et principale exemplum gratiæ, quà, nullis præcedentibus meritis, homo efficitur Deus, ipse est, et in ipso primordialiter manifestatum est. *Per ipsum* verò, quoniam de plenitudine divinitatis ejus nos omnes accepimus gratiam deificationis, per gratiam fidei quà in eum credimus, et actionem quà mandata ejus custodimus. Potest etiam *plenitudo gratiæ* Christi de Spiritu sancto intelligi ; Spiritus namque sanctus, quoniam distributor est et operator donationum gratiæ, *gratia* solet appellari : cujus Spiritûs septiformis operatio humanitatem Christi implevit, et in quo requievit, sicut ait Propheta : *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini* [6]. Si ergò de Christo per seipsum vis accipere quod dictum est, *Plenum gratiæ,* de plenitudine *deificationis* et *sanctificationis* secundùm humanitatem cognosce : *deificationis* dico, quia homo et Deus in unitatem unius substantiæ adunati sunt; *sanctificationis* verò, quia non solùm de Spiritu sancto conceptus, verùm etiam plenitudine donationum ejus repletus est, ac veluti in summitate mystici Ecclesiæ candelabri gratiarum lampades in ipso et de ipso fulsere. Si verò *plenitudinem gratiæ et veritatis* Incarnationem Verbi de Novo Testamento mavis intelligere, sicut idem Evangelista paulò pòst videtur sensisse (ait enim : *Lex per Moysen data est; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* [7]), non incongruè pronuntiabis plenitudinem gratiæ Novi Testamenti esse per Christum donatam, et legalium symbolorum veritatem in ipso esse impletam, sicut ait Apostolus, *in quo plenitudo divinitatis corporaliter habitat* [8], plenitudinem videlicet divinitatis mysticos legalium umbrarum intellectus appellans, quos Christus in carnem veniens, in seipso corporaliter, hoc est, veraciter, habitàsse et docuit et manifestavit, quoniam ipse est fons et plenitudo gratiarum, veritas symbolorum legalium et finis propheticarum visionum. Cui gloria cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. BASILIUS,

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ ARCHIEPISCOPUS ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

NUM. I. Joannis Evangelii præ cæteris Scripturis excellentia. Platonici prima Evangelii Joannis verba mutuati vel furati sunt. — 2. Arianorum blasphemiæ his verbis refelluntur. — 3. *Principii* vox multa significat. — 4. Vox *erat*, blasphemiæ aditum præcludit. — 5. *Verbi* vox plurimas habet significationes. — 6. Unigenitus cur *Verbum* appellatus ? — 7. Aliqua est similitudo inter Verbum divinum et verbum humanum ; hæc autem similitudo imperfectissima est. — 8. Verbum erat non in loco, sed *apud Deum,* non in Deo, sed *apud Deum.* — 9. Illa propositio : *Hoc erat in principio apud Deum,* in summum redigit præcedentia Evangelii verba. — 10. Sufficiet hanc brevem explicationem veluti murum opponere adversùs hæreticorum insidias.

1. Omnis quidem Evangeliorum vox reliquis documentis à Spiritu traditis magnificentior est et præstantior, quòd in his per servos Prophetas locutus sit ad nos, in Evangeliis verò Dominus ipse

[1] *Matth.* XVII, 1 et 2. — [2] *Joan.* XII, 28. — [3] *Matth.* XXI, 9. — [4] *Joan.* XX, 19. — [5] *Act.* I, 11. — [6] *Isai.* XI, 2 et 3. — [7] *Joan.* I, 17. — [8] *Coloss.* II, 9.

befisius annotat Chrysostomum fortè hujus Homiliæ Auctorem esse. Mirum, cùm suprà, p. 554, Notà *a*, citationem Dionysii Areopagitæ medii ævi Auctorem arguere asseruerit.

[a] Ex editione D. Garnier, Monachi Benedictini, Paris. 1722, Tom. 2, ubi Homilia hæc est num. 16, cum hoc titulo : « In « illud : *In principio erat Verbum.* »

per se nos allocutus sit. Sed qui inter ipsos Evangelicos præcones vocalissimus est, quique auditu omni majora et intelligentiâ omni altiora locutus est, Joannes est, ille tonitrui filius [1], cujus audivimus exordium, quod ex Evangelii libro modò lectum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Novi multos [a] ex iis etiam qui à veritatis doctrinâ alieni sunt, quique de sapientiâ mundanâ gloriantur, hæc et admiratos esse, et scriptis suis inserere ausos fuisse. Fur est enim diabolus; ac nostra, cùm fabularum enarrator sit, ad suos vates effert. Quòd si carnalis sapientia verborum vim tantoperè est admirata, quid nos, Spiritûs discipuli, faciemus? Obiterne audiemus, et exiguam quamdam vim in eis inesse existimabimus? Ecquis ità stupidus fuerit, qui tantam sententiæ pulchritudinem, tàmque incomprehensibilem dogmatum altitudinem non miretur, nec veram eorum comprehensionem concupiscat? At enim admirari pulchra difficile non est; sed ea quæ admirationi fuere perfectè intelligere, hoc arduum est atque perdifficile. Nam et solem hunc sensibilem nemo est qui non laudet ; quandoquidem ejus magnitudine, et pulchritudine, et radiorum æqualitate, et splendidâ luce magnoperè delectatur [b]; attamen si in ipsius orbem oculorum obtutus figere vehementiùs contenderit, non solùm exoptata visurus non est, sed visûs etiam integritatem corrumpet. Tale aliquid arbitror accidere menti ei, quæ accuratiùs scrutari conatur hæc verba : *In principio erat Verbum.*

2. Quis quæ ad principium spectant, ut par est, intelliget? Quænam verborum vis inveniatur, quæ pro rei dignitate possit cogitata exprimere? Traditurus nobis Joannes quæ ad theologiam Filii Dei attinent, nullum aliud orationis exordium, nisi principium universorum prætulit. Spiritus sanctus noverat qui essent adorturi Unigeniti gloriam : præviderat qui essent nobis objecturi sophismata, quæ ipsi ad subvertendos auditores excogitâssent, nimirùm : *Si genitus est, non erat;* et : *Antequàm gigneretur, non erat;* item: *Ex non existentibus subsistentiam accepit.* Linguæ enim per verba suasoria exacutæ magis quàm anceps quivis gladius, loquuntur talia. Ne igitur similia cuiquam dicere liceat, Spiritus sanctus hæc in Evangelio occupans, dixit : *In principio,* inquit, *erat Verbum.* Hanc vocem si tenueris, nihil à maleficis illis patieris mali. Nam si ille dixerit : *Si genitus est, non erat ;* tu dicito : *In principio erat.* Sed, inquit, *priusquam genitus esset, quomodò erat?* Tu ne dimittas illud, *Erat :* ne dereliqueris illud, *In principio.* Principii summitas non apprehenditur : quod extra et ultra principium sit, non invenitur.

3. Ne quis te decipiat variâ vocis significatione; nam rerum multarum multa sunt principia in hâc vitâ; sed unum est principium supra omnia, quod ultrà est. Nam inquit Parœmia : *Principium viæ bonæ* [2] [c]. Sed viæ principium est primus motus, undè iter ordimur, cujus prior pars potest reperiri. Et : *Principium sapientiæ timor Domini* [3]. Præjacet autem et huic principio aliud quoddam, cùm perceptionis artium principium sit prima elementorum institutio. Elementum igitur sapientiæ timor Domini est; sed hoc principio est aliquod antiquius, animæ scilicet status ejus qui nondùm sapientiam edoctus est, nec Dei timorem adeptus. Principia [d] dicuntur etiam civiles potentatus, videlicet præcelsæ dignitates ; sed hæc principia aliquorum sunt principia, et unumquodque eorum aliquò refertur. Etenim lineæ principium punctum est, et superficiei principium linea, et corporis principium superficies, et orationis compositæ principia, elementa. Non certè ejusmodi est illud principium. Nulli enim alligatum est, servit nulli, cum nullo conspicitur, sed liberum est, dominum non habet, exsolutum est omni ad aliud relatione, menti insuperabile [e], quod cogitationibus transcendere non est, ultra quod nihil quidquam reperiri potest. Nam, si mentis cogitatione contenderis principium prævertere, comperies id tibi præire, et priùs cogitatis occurrere. Sine mentem tuam, quantùm velit, excurrere, et extendere se ad superiora : deindè, post innumeros errores ac multos inanes conatus, eam ad se iterùm reversam invenies, quòd principium se posterius ac inferius reddere non possit. Principium

[1] *Marc.* III, 17. — [2] *Prov.* XVI, 5. — [3] *Psalm.* CX, 10.

[a] Platonicos designat.

[b] *Magnoperè delectatur*, græcè, κατασπαζόμενος : quæ vox à verbo ἀσπάζεσθαι deducitur, *amore teneri*, *delectari.* Id cùm non animadverteret Combefisius, cùmque sibi visus esset legere κατασκεψάμενος, sic interpretatus est : *Splendorem suspiciens.* Vetus interpres verterat : *Splendorem admiratus.*

[c] Perperàm anteà legebatur, *bonæ vitæ*, errore typographi potiùs quàm interpretis. Locus est Proverbiorum, XVI, 5, ubi Vulgata latina : *Initium viæ bonæ facere justitiam.* Post illa verba Psalmi CX, 10 : *Initium sapientiæ*, membrum addidimus quod Volaterranus omiserat : « Præjacet autem et huic principio aliud quoddam. » FRONTO DUCÆUS.

[d] Ejus loci consonantiam videre si quis cupit, ei auctores sumus ut græca legat. Quæ enim hîc scribuntur, optimè quidem dici possunt græcè ob multiplicem intelligentiam vocis ἀρχή, quæ modò principium, modò principatum ditionemque significat; sed malè sonant, si exprimantur latinè, eo quòd voci *principium* multiplex notio apud Latinos subjecta non sit.

[e] *Menti insuperabile*, græcè, ἀνυπέρτατος διανοίᾳ. Antiqui duo libri et utraque editio Parisiensis et Basileensis, ἀνυπέρθετος διανοίᾳ : quam falsam scripturam secutus Combefisius, sic verterat in suo Ecclesiaste græco : « Subitaneus primusque « mentis conceptus. » At Colbertini primus et tertius cum Regio secundo, ἀνυπέρτατος διανοίᾳ, « menti insuperabilis, » seu « ad quod mens pertingere non potest, » emendatè.

enim semper cogitato ulterius superiusque esse deprehenditur.

4. *In principio* igitur *erat Verbum.* O rem miram! Ut ex æquo inter se conjunctæ sunt voces omnes! Illud, *Erat*, idem valet quod illud, *In principio*. Ubi est blasphemus? Ubi adversùs Christum pugnans lingua, quæ dicit: *Erat aliquandò, cùm non esset* [a]? Audi Evangelium: *In principio erat Verbum.* Quòd si *in principio erat*, quandò non erat? Ipsorumne lugebo impietatem, an inscitiam exsecrabor? At *antequàm gigneretur, non erat.* Nôsti scilicet quandò genitum sit, quò quid prius possis tempori [b] attexere? Etenim illud, *Antequàm*, vox est temporis, alterum alteri antiquitate præponens. Quomodò autem par fuerit temporis Conditorem generationem habere temporis vocibus subjectam? *Erat* igitur *in principio.* Quòd si ab hâc voce, *Erat*, non discesseris, blasphemiæ malignæ aditum nullum dabis. Ut enim qui in mari versantur, cùm inter duas anchoras fluctuant, tempestatem aspernantur; ità et tu hanc pravam turbationem, quæ vitam hominum per nequitiæ spiritus invasit, quæque multorum fidem exagitat, deridebis, si modò in horum verborum propugnaculo, tamquàm in portu ac statione, animam tuam tenueris.

5. Jàm inquirit mens nostra: Quis erat in principio? *Verbum*, inquit. Quale verbum? Humanumne verbum, an verbum Angelorum? Enimverò indicat nobis Apostolus Angelis quoque suam esse linguam, cùm ait: *Si linguis hominum loquar et Angelorum* [1]. Jam verò *verbi* duplex est intelligentia; alterum enim voce profertur, quod posteaquàm prolatum est, in aere perit; alterum verò internum est, inque animis nostris insitum, verbum scilicet mentis. Est et aliud verbum, oratio artificiosa. Vide ne te decipiat vox ambigua. Quomodò enim erat in principio verbum humanum, cùm homo principium ortûs atque originem posteriùs acceperit? Ante hominem bestiæ, ante hominem pecora, reptilia omnia tùm terrestria, tùm aquatica, volucres cœli, stellæ, sol, luna, herbæ, semina, terra, mare, cœlum. Non igitur in principio erat verbum humanum. Sed ne Angelorum quidem; nam creatura omnis posterior sæculis est, accepto à Conditore existendi principio. Verbum autem quod insitum in animo est, et ipsum singulis quæ intellecta sunt, recentius est.

6. Sed Verbum, prout Deo convenit, interpretare; nam cùm de Unigenito ad te loqueretur, *Verbum ipsum* dixit. Quemadmodùm igitur et *lucem* paulò pòst dicet, et *vitam*, et *resurrectionem*; neque tamen, cùm audis *lucem*, ad sensibilem hanc et oculis visibilem lucem recurris, neque cùm *vitam* audis, communem hanc intelligis, quam bruta etiam animalia vivunt; ità quoque cùm *Verbum* audis, cave ne incidas mentis imbecillitate in terrenas humilesque cogitationes, sed vocis significationem perscrutare. Cur *Verbum?* Ut perspicuum sit processisse ex mente. Cur *Verbum?* Quia citra passionem genitum est. Cur *Verbum?* Quia imago est Genitoris, totum in seipso Genitorem ostendens, nihil indè separans, et per se perfectum existens, quemadmodùm et verbum nostrum totius nostræ cogitationis refert imaginem. Etenim quæ in corde cogitavimus, ea verbo proferimus, idque quod loquimur, reconditi in corde conceptûs imago est et simulacrum. Nam ex cordis abundantiâ promitur verbum [2]. Ac quidem cor nostrum est veluti fons quidam; prolatum verò verbum, est veluti rivulus aliquis, qui ex hoc fonte emanat. Tantùm igitur est id quod profluit, quantùm id quod primum emergit; et quale est id quod occultum est, tale est quoque quod apparet.

7. *Verbum* igitur dixit, tibi ut ostendat Patris generationem passioni non subjici [c], teque do-

[1] 1 *Cor.* XIII, 1. — [2] *Matth.* XII, 34.

[a] Illa, *Erat aliquandò, quandò non erat*, quæ græcis planè respondent, videri posse obscura scribit vir eruditissimus Ducæus, aitque hæc clariùs exprimi apud Hieronymum, Epist. 58, in Dialogo adversùs Luciferianos, hoc modo: « Si quis « dixerit: Erat tempus, quandò non erat Filius, anathema « sit. » Sed Combefisius monet se non videre, cur illa loquendi ratio: *Erat aliquandò*, sit subobscurior; hæc verò: *Erat tempus*, clara sit atque perspicua. — Clariùs quoque effertur blasphemum illud Arianorum dictum apud Hilarium, Libro de Synodis adversùs Arianos: « Eos autem qui dicunt: *De « nullis exstantibus est Filius;* vel: *De alterâ substantiâ*, et « non ex Deo; et: *Quòd erat tempus vel sæculum quandò non « erat*, alienos scit sancta et catholica Ecclesia. » Idem Libro 12 de Trinitate: « Non reliquit in verbis, ut non fuerit, antequàm « nasceretur. » Interpres Athanasii, Disput. 1 contra Arianos: « Et cùm omnia priùs non essent, sed posteà exstiterint, fuit « profectò cùm Verbum non erat; et quia non erat ante- « quàm fieret, principium existendi habuit. » Ubi commodiùs dixisset: « Et quia non erat antequàm nasceretur; » non enim est πρὶν γενηθῆναι, sed πρὶν γεννηθῆναι. Sic demùm vetus interpres Symboli Nicæni: « Eos autem qui dicunt: « *Erat aliquandò, quandò non erat;* et: *Antequàm nasceretur « non erat;* et: *Quia ex iis quæ non sunt factus est.* » Postremò apud Gregorium Nazianzenum similem de Patre sententiam habemus à doctissimo Billio pariter expressam, Orat. 37: « Si fuit tempus cùm non esset Pater, fuit quoque cùm non « esset Filius. »

[b] *Tempori*, græcè, τῷ χρόνῳ, Colbertus tertius, τῷ ἀχρόνῳ, alii Mss. et editi, τῷ χρόνῳ. Illud, ἀχρόνῳ, scriptum fuisse arbitror ab aliquo, qui ejus loci sententiam non satis perspiceret, nec animadverteret dici hæc ironicè: « Nôsti scilicet « quandò genitum sit Verbum, cùm potueris aliquod tempus « excogitare, quod ejus generationem præcesserit. »

[c] *Passioni non subjici*, græcè, ἀπαθῆ, non ut interpres, « sine motu genitum est. » Imò aptiùs etiam hic scriberetur: Citra passionem genitus est, Filius nimirùm, ut Cornarius dixit, quia citra affectionem natus est. Gregorius Nazianzenus, Oratione 36, quæ est secunda de Filio, Filium dici Verbum pariter docet, « quia ità se habet ad Patrem, ut sermo « ad mentem, non modò propter generationem passionis exper-

ceat [a] divinam Filii substantiam perfectam esse, denique ut per hæc æternam Filii cum Patre conjunctionem commonstret. Nam et verbum nostrum, mentis fetus, citra passionem generatur; neque enim secatur, neque dividitur, neque fluit ; sed mens tota in suâ naturâ [b] permanens, verbum totum et absolutum producit; atque id verbum quod procedit, omnem mentis generantis virtutem in se complectitur. Postquàm igitur tantùm ad Unigeniti theologiam ex *Verbi* voce desumpseris, quantùm pium fuerit, tùm quidquid alienum esse ac dissentaneum repereris, id devita, omnique studio prætergredere. *In principio erat Verbum.* Quòd si dixisset : *In principio erat Filius*, tibi in mentem unà cum Filii appellatione venisset quædam passionis cogitatio. Quoniam enim quæ apud nos generant, tempore generant, et cum passione generant, idcircò hæc occupaturus, *Verbum* dixit, suspiciones absonas in antecessum corrigens, ut animam tuam illæsam servaret.

8. *Et Verbum erat apud Deum.* Rursùs *erat*, ob eos qui impiè dicunt quòd *non erat.* Ubi *erat Verbum?* Non in loco, quandoquidem in loco non continentur quæ circumscribi non possunt. Sed ubi *erat? Apud Deum.* Neque Pater in loco, neque Filius in ambitu ullo, aut certâ circumscriptione comprehenditur ; sed infinitus Pater, infinitus est Filius. Quidquid cogitaveris, et quocumquè spiritu tuo perrexeris, omne in Deo plenum invenies : ubique offendes pariter coextensam Filii hypostasim. *Et Verbum erat apud Deum.* Admirare cujuscumque vocis accuratum delectum. Non dixit : In Deo *erat Verbum*; sed : *Apud Deum*, ut hypostaseos proprietatem declararet. Non dixit : In Deo, ut ne confundendæ hypostaseos daret occasionem. Nam prava illa est blasphemia eorum qui commiscere omnia conantur [c], dicuntque Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum esse subjectum [d], atque rei uni nominà diversa adscribi. Impietas pessima, nec minùs fugienda quàm eorum qui ore blasphemo affirmant Filium Dei Deo et Patri secundùm substantiam dissimilem esse. *Et Verbum erat apud Deum.* Deindè posteaquàm *Verbi* vocem ad ostendendam generationis apathiam adhibuit, statim et noxam eam quæ ex *Verbi* nomine accedere poterat, curavit. Atque semet quasi ex blasphemantium calumniâ eximens : Quid, inquit, est Verbum? *Deus erat Verbum.* Ne mihi artificiosè comminiscare quasdam verborum distinctiones, neve maligno tuo artificio convitium ullum doctrinæ Spiritûs aspergas. Habes sententiam. Subditus esto Domino. *Deus erat Verbum.*

9. *Hoc erat in principio apud Deum.* Rursùs Evangelista omnem suam theologiam, quam de Unigenito nobis tradidit, paucis verbis in summam redigit. Quodnam *hoc? Hoc*, Verbum Deus. Postquàm enim ejus tibi conceptum distinctè expressit, in tuoque animo per doctrinam quasi insculpsit quæ ignorabas, ac Verbum Christum in tuum cor, velut in domum, introduxit, ità demùm hanc vocem profert : *Hoc*. Quale *hoc?* Foràs ne respice, eum qui per demonstrantem vocem tibi ostenditur, circumspecturus; sed in occultos animæ tuæ recessus ingredere; et quem didicisti Deum in principio existere, procedere velut Verbum, apud Deum versari, hunc cognoscens admiransque, et tuum Dominum in te per doctrinam residentem adorans, scito quòd hic erat *in principio*, hoc est, semper apud Deum Patrem suum.

10. Has mihi paucas voces servate, illas quasi sigillum in vestrâ memoriâ imprimentes. Hæc futuræ sunt murus firmissimus adversùs insidiantium incursus : hæ animarum sunt salutare munimentum iis qui ipsas prætendent ac opponent. Si quis te adorsus dixerit : *Cùm non esset, genitus est ; si enim erat, quomodò genitus est?* Hanc istam adversùs gloriam Unigeniti calumniam dæmonum quasi vocem aversare. Tu autem reversus confugito ad Evangeliorum voces : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat*

[1] *Matth.* XII, 34.

« tem, verùm etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, « vimque enuntiatricem. » Chrysostomus, Homiliâ 1 in Joannem : « Ne passibilem quispiam nativitatem suspicaretur, « præoccupatâ *Verbi* appellatione omnem aufert suspicionem, « cùm et ex ipso Filium esse, et sine passione significet. » Idem in Homiliâ 3 in Joannem : « Hoc autem Verbum substan« tia quædam est in personâ ex ipso Patre sine passione prove« niens: hoc, ut jàm dixi, per *Verbi* appellationem manifestavit. » FRONTO DUCÆUS.

[a] *Doceat*, græcè, θεολογήσῃ. In illo verbo, θεολογήσῃ, videtur inesse vis aliqua propria, quasi Basilius dicat : Joannes Apostolus substantiam Filii tàm divinam exhibet, ut cæcutiat necesse sit qui non videt eam cum perfectâ divinitate conjunctam esse, sicut Filii divinitas Patris divinitati par sit omninò et æqualis.

[b] *In suâ naturâ*, græcè, ἐν τῇ ἰδίᾳ συστάσει, sic interpretari licet : *In suâ substantiâ*, aut : *In suâ naturali constitutione*, aut : *In suâ naturâ*, hoc est, *in se.*

[c] Scilicet Sabellianorum.

[d] *Unum esse subjectum*, græcè, ἓν τὸ ὑποκείμενον : ità Libri Vulgati, quibus fortassè Regius primus addi potest. Regius tertius et Colbertinus itidem tertius cum Coisliniano, ἐν τῷ ὑποκειμένῳ, *in subjecto esse :* ubi ἐν, *in*, depravatè positum videtur pro ἓν, *unum.* Colbertinus primus et alii duo Mss., ἓν τῷ ὑποκειμένῳ, *dicentium Patrem et Spiritum sanctum esse aliquid unum subjecto.* Facilè quidem intelligitur voculam εν, quam alii aliter acceperunt, locum his variis lectionibus dedisse; sed quomodò legi debeat, non ità liquet. Puto autem parùm referre utrùm legatur, *unum subjectum esse*, an, *unum esse subjecto*, cùm sensus eòdem semper recidat. Hactenùs de scribendi ratione. Quod autem ad ipsam sententiam attinet, mihi dubium non est quin hìc confutentur Sabelliani : quod in causâ est cur suspicer hâc voce, ὑποκείμενον, nihil aliud nisi ὑπόστασιν significari, hoc est, *personam.*

Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Dic quater : *Erat*, atque hoc eorum convitium, *non erat*, facies irritum. Hæc fidei fundamenta maneant inconcussa. Super hæc, Deo dante, ædificabimus et reliqua. Neque enim possumus omnia vobis simul explanare, ne fortè quæ diligenter à vobis collecta sunt, oratione prolixiore irrita reddamus ; mens enim quæ apprehendendis simul omnibus impar est, haud aliter se habet ac venter, qui ob nimiam saturitatem sumptos cibos concoquere non potest. Opto igitur ut hæc et gustando dulcescant, et concoquendo prosint. Ego autem vobis ea quæ supersunt [a], paratus sum ministrare : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, ARCHIEPISC. CONSTANTINOP., ET ECCLESIÆ DOCTORIS, HOMILIA I [b].

MONITUM CIRCA EJUS HOMILIAS

IN EVANGELIUM S. JOANNIS.

In hisce Homiliis, quæ Antiochiæ ab anno 390 ad annum 395 habitæ fuerunt, multa præter morem fieri deprehendimus : 1° quòd longè breviores sint cæteris omnibus : 2° quòd illucescente aurorâ habitæ : 3° quòd adhortationes morales contra consuetudinem brevissimæ sint : 4° quòd præcipuus scopus videatur esse, in plerisque saltem Homiliis, ut auditores contra hæreticos, Joannis Evangelio abutentes, ad pugnam instruat.

Sed cur, illucescente aurorâ, has Conciones habuit, cur tàm breves, cur moralem disciplinam, quam cum tantâ ubertate in aliis Concionibus frequentat, hìc parciùs attingit? Quantùm conjecturâ augurari licet, ne cæterarum Homiliarum interpellaret cursum, quas assiduè per totum annum habebat, et quibus intererant Catholici omnes cujusvis ætatis, sexûs atque conditionis. Hasce præthereà, illucescente aurorâ, non universo populo dicebat, sed iis tantùm viris ac mulieribus qui ferventiores essent, quique ingenio valerent, possentque in quotidianis cum hæreticis velitationibus, lucifugarum argumenta ex Evangelio Joannis utplurimùm petita, Chrysostomi monitis instituti, confutare. Hæc verò illucescente aurorâ concionabatur, ni fallimur, quòd aliud diei tempus reservaret ad majores illas Conciones, queis ad vitia propulsanda et virtutem omnem inculcandam uberiorem dabat operam.

Qui sunt verò hi hæretici? Certè Anomœi sunt, quibuscum tamdiù concertavit Chrysostomus. Isti autem decantabant : Filium non esse Patri consubstantialem : esse rem factam : non habere parem Patri judicandi potestatem : non posse Patri æqualem esse, qui Patrem precaretur : non esse Patri ὅμοιον, *similem*; indèque Ἀνόμοιοι, *Anomœi*, quasi dicas *dissimiles*, appellati sunt. Alia etiam amentiæ plena addebant, scilicet : Se omnimodam scientiam adeptos esse : se perindè Deum nôsse ut Deus ipsos noverat, atque etiam ut Deus seipsum noverat. Porrò præsertim in Evangelio Joannis tela adversùs Catholicos mutuabantur. Dicebant illud : *In principio erat Verbum*, non æternitatem significare, quandoquidem de rebus creatis etiam dicitur : *In principio fecit Deus cœlum et terram*. Chrysostomus eos imitatur : in Evangelio Joannis maximè arma contra hos hæreticos apprehendit, hisque sophisma citatum confutat : quod facit in tribus primis Homiliis, et præsertim in tertiâ.

Neque solos Anomœos aggreditur, verùm etiam, neque raro, Paulum Samosatenum, Sabellianos, Marcionistas et Manichæos, necnon eos qui dicebant Filium δοκήσει tantùm carnem assumpsisse, id est, Incarnationem esse phantasiam atque figmentum. Quæ hæresis primis Ecclesiæ sæculis suborta, Chrysostomi ævo adhuc vigebat, ut ipse testificatur in Homiliâ undecimâ.

Num. 1. Joannes, quamvis pauper et illitteratus, cœlestem philosophiam docet. — 2. Philosophi gentiles, inter quos Plato et Pythagoras, deliras opiniones somniaverunt, quæ oblivione obrutæ sunt ; Joannis verò doctrina magis ac magis apud gentes etiam barbaras viget. — 3. Non verborum strepitu, neque fucatâ dictione docet Joannes, more

[a] Ex his verbis liquet Basilium sic brevibus tractatibus Joannis Evangelium enarrâsse ; sed ii nobis interiere.

[b] E Commentario in Joannem. Est Homilia 2 in editione Montfauconianâ.

veterum philosophorum. — 4. Cur Joannes, relicto Patre, de Filio disserit? Filium appellat *Verbum*, *vitam* et *lucem*: deindè è supernâ visione ad terrestrem descendit. — 5. Legendus est Joannes summâ attentione, et animo curis sæcularibus cupiditatibusque vacuo.

1. *In principio erat Verbum.* Si Joannes nos allocuturus esset, et sua narraturus, è re foret ejus genus, patriam et educationem recensere. Quia verò non ipse, sed per illum Deus humanam alloquitur naturam, superfluum mihi videtur hæc disquirere; imò verò id non supervacaneum fuerit, sed valdè necessarium. Cùm enim didiceris quis, undè, à quibus ortus, qualis vir fuerit, deindèque audieris ejus vocem philosophiamque totam, tunc probè scies hæc verba non ejus esse, sed divinæ virtutis, ejus animam moventis. Quà ergò fuit patriâ? Nullâ quidem patriâ, sed ex vico [a] prodiit, et regione abjectâ, quæ nihil alicujus pretii ferret. Galilæam enim contemnunt Scribæ, cùm aiunt: *Interroga, et vide quòd ex Galilæâ non surgit Propheta* [1]. Nihili facit eam ille quoque verè Israelita dicens: *Ex Nazareth potest aliquid boni esse* [2]? Neque igitur ex insigni quopiam ejus regionis loco erat. Sed neque nomen ejus ibi notum, patre piscatore paupere, quin ità paupere, ut filios eàdem in arte exerceret. Scitis porrò omnes nullum artificem cupere filium suæ artis hæredem relinquere, nisi summâ paupertate coactum; maximè verò si ars sit vilis. Piscatoribus verò nihil pauperius, nihil abjectius, imò nihil indoctius; attamen inter eos, alii majores, alii minores sunt. Apostolus verò inter minores computabatur; neque enim in mari piscabatur, sed in modico stagno; ibique versantem cum patre et Jacobo fratre, quibuscum retia reficiebat (quod erat extremæ paupertatis indicium), Christus vocavit. Hinc intelligitur quàm expers fuerit externæ disciplinæ [3]. Alioquin verò Lucas testificatur ipsum non modò idiotam, sed etiam illitteratum fuisse; et jure quidem. Nam qui ità pauper erat, ut neque forum adiret, neque cum honestis civibus versaretur, sed cum solis piscium cauponibus et coquis, quâ in re feris et brutis præferri potuerit? Quomodò non piscium instar mutus fuerit? Hic tamen piscator, qui circa stagna, retia et pisces versabatur, ex Bethsaidâ Galilææ, patre piscatore paupere, extremâ inopiâ laborante, qui rudis erat et summè imperitus, qui litteras nec antè, nec postquàm Christo hæsit, edidicit, videamus quid loquatur, et quibus de rebus edisserat. Nùm de agris, de fluminibus, de piscium commercio? talia enim fortassìs ex piscatore audire quis exspectet. Verùm ne timeatis; nihil quippè hujusmodi audiemus; sed cœlestia tantùm, et quæ nemo hactenus edidicit. Tàm sublimia enim dogmata, tàm præclarum vitæ institutum, tantamque philosophiam nobis afferet, quantam par est eum qui ex thesauris Spiritûs hausit, tamquàm modò ex cœlo descenderit; imò neque omnes qui in cœlo erant hæc scivisse verisimile est, ut jàm dixi [b]. Hæccine, quæso, piscatoris erant? An rhetoris? An sophistæ vel philosophi? An cujuspiam externâ illâ imbuti sapientiâ? Nequaquàm. Neque enim humanæ mentis prorsùs est de immortali illâ et beatâ naturâ ità philosophari, neque de potestatibus quæ post illam [c] sunt, vel de immortalitate et vitâ æternâ, vel de corporibus mortalibus, quæ immortalia posteà futura sunt, de supplicio, de futuro tribunali, de rationibus exigendis operum, verbòrum, cogitationum; scire quid sit homo, quid mundus; quid verè homo sit, quid illud quod videtur esse, cùm tamen non sit; quid nequitia, quid virtus.

2. Horum quædam Plato et Pythagoras rimati sunt; cæteri namque philosophi non memorandi, ità nempè ridiculi omnes fuerunt. Qui verò apud illos admirandi et disciplinæ principes habentur, hi maximè sunt qui de republicâ et de legibus quædam scripsere, et tamen in omnibus plùs quàm pueri ridiculi habiti sunt; quòd mulieres omnibus communes fecerint, vitam ipsam pessumdederint, et honorem connubii deturpârint, aliaque hujusmodi ridiculè statuerint, et in his totum vitæ tempus insumpserint. De animâ verò doctrinam omnium turpissimam statuerunt, dùm animas hominum, muscas, culices, frutices fieri, Deumque ipsum animam esse dicerent, et alia quædam turpissima assererent. Nec eâ solùm de causâ culpandi; sed et magnus est ipsorum verborum Euripus. Quemadmodùm enim in Euripo huc illuc jactati, sic numquàm in iisdem perstiterunt, utpotè qui ex incertâ et fluxâ mente loquerentur. Verùm non ità piscator hic, qui omnia certa pronuntiat, et quasi in petrâ stans, numquàm titubat. Cùm enim in ipsa adyta induci dignatus sit, et ipsum habeat Dominum in

[1] *Joan.* VII, 52. — [2] *Id.* I, 46. — [3] *Act.* IV, 13.

[a] *Nullâ quidem patriâ, sed ex vico*, πατρίδος μὲν οὐδεμιᾶς, κώμης δέ. Hìc notat post Boisium Savilius: « Post πατρίδος « οὐδεμιᾶς subintelligendum τῶν ἐπισήμων; nemo enim sine « patriâ est. » Meliùs autem legeretur, πόλεως μὲν οὐδεμιᾶς, κώμης δέ, *ex nullâ civitate, sed ex vico*. Verùm nullus Codex sic habet.

[b] Quod dicit Chrysostomus, ea quæ narrat Joannes Evangelista, non omnibus Angelis nota antè fuisse, jam dixerat in Proœmio hujus Commentarii. Vide insuper Notam *c*, p. 554.

[c] Interpres legisse videtur, *quæ cum illâ sunt*, μετ' ἐκείνης; sed omnes Mss. habent μετ' ἐκείνην, *post illam*. Utraque lectio quadrat; nam supernæ illæ potestates dici possunt et post Deum et cum Deo esse.

se loquentem, nihil humanum passus est; at illi haud secùs quàm ii qui ne per somnium quidem in regiam admissi sunt, sed in foro cum aliis permixtim hominibus versantur, dùm ex propriâ mente de invisibilibus conjectarent, in summos errores inciderunt, de ineffabilibus disserere aggressi, et quasi cæci vel ebrii in ipso errore contra se mutuò impegerunt; nec mutuò tantùm alii contra alios, sed etiam secum de iisdem rebus semper pugnant. Atqui hic illitteratus, rudis, ex Bethsaidâ, Zebedæi filius; etsi Græci nominum asperitatem admodùm rideant, nihilotamen minore, imò majore fiduciâ jàm loquar; quantò enim magis barbara ipsis videtur natio illa, et à Græco instituto aliena, tantò splendidiora nostra videbuntur. Cùm enim barbarus et indoctus ea loquatur, quæ nullus hominum umquàm noverat; nec loquatur modò, sed etiam suadeat (quòd si illud solum esset, magnum foret miraculum; nunc verò præter hoc, etiam aliud majus suppeditetur argumentum, quòd ea quæ dicuntur, divinitùs inspirata sint, quia nempè auditoribus omnibus semper doctrinam suam persuaserint), quis immanentem in eo virtutem non mirabitur? Illud enim, ut jàm dixi, maximo signo est ipsum non ex seipso doctrinam et leges proferre. Hic itaque barbarus Evangelio suo universum comprehendit orbem, corpore autem mediam tenuit Asiam, ubi olim philosophabantur omnes Græcæ disciplinæ homines; hincque dæmonibus est formidabilis, quòd in hostium medio fulgeat, illorum caliginem exstinguat, dæmonumque arcem diruat; animâ autem in eum secessit locum, qui talia operanti competeret. Ac Græcorum quidem opiniones exstinctæ deletæque sunt; hujus verò res quotidiè splendidiores evadunt. Ex quo enim hic et reliqui piscatores fuerunt, Pythagoræ Platonisque disciplinæ, quæ priùs obtinere videbantur, silentio missæ sunt, ac ne nomine quidem illos nôrunt plerique. Atqui Plato tyrannos adiit accitus, ut aiunt, amicos habuit multos, atque in Siciliam navigavit; Pythagoras verò magnam adiens Græciam [a], præstigias induxit innumeras; nam quòd cum bobus loqueretur (id enim de illo narratur), nonnisi magicâ arte præstari poterat. Hincque maximè palàm est quòd is qui bruta sic alloquebatur, nihil utilitatis hominibus præstaret, imò ipsis multùm noceret. Certè aptior ad philosophiam erat hominum natura; attamen ille cum aquilis et bobus, ut aiunt, per præstigias loquebatur. Non ille rationis expertem naturam rationalem effecit, id quod homo non potest; sed præstigiis stultos decipiebat. Non utili doctrinâ homines instituebat; sed docebat idem esse fabas edere et parentum capita devorare; auditoribusque persuadebat doctoris sui animam, modò fruticem, modò puellam, modò piscem effici. Annon jura illa exstincta penitùs deletaque sunt? Certè jure ac meritò, ut ratio postulabat. At non sic illa quæ ad rudem illum et illitteratum pertinent; verùm Syri, Ægyptii, Indi, Persæ, Æthiopes, innumeræque aliæ gentes, dogmata ab illo inducta in linguam suam transferentes, barbari licèt essent, philosophari didicerunt.

3. Non ergò frustrà dicebam totum orbem theatrum ipsi fuisse. Neque enim missis congeneribus, vanam brutis instituendis operam ponebat, quod supervacaneum studium et ingens insipientia fuisset; sed et hujus et aliorum expers vitiorum, id unum curabat, ut totus orbis utile quidpiam edisceret, quod posset illum à terrâ in cœlum transferre. Ideòque non caligine et tenebris doctrinam suam involvit, ut illi qui pravæ doctrinæ suæ obscuritatem ceu velum quodpiam obtendebant; sed hujus dogmata sunt radiis solaribus clariora : ideò omnibus per orbem hominibus patefacta sunt. Non enim quinque annorum silentium accedentibus imperabat, ut ille; nec sic docebat, ut insensilibus lapidibus assideret; neque numeris omnia definiri fabulabatur; sed abjectâ omni hujusmodi ingratâ doctrinâ et pernicie satanicâ, tantam verbis admiscuit facilitatem, ut non modò viris et sapientibus, sed etiam mulierculis et adolescentibus dicta omnia perspicua essent. Illa enim vera et utilia audituris esse confirmavit totum, quod posteà secutum est, tempus; nam totum ad se pertraxit orbem, et ab omni alienâ tragœdiâ vitam nostram liberavit, postquàm hæc audita fuere. Quapropter quotquot hæc audimus, animam effundere optamus, potiùs quàm à dogmatibus ab illo traditis absistamus. Hinc ergò et omni ex parte liquet nihil humanum ab ipso, sed divina et cœlestia esse dogmata, quæ à divinâ illâ animâ ad nos pervenerunt. Neque enim verborum strepitum, non dictionis fucum, neque nominum verborumque ornatum, et compositionem superfluam vel inutilem videbimus (hæc quippè procul sunt ab omni philosophiâ); sed vim invictam et divinam, et rectorum dogmatum immensam virtutem, innumerabiliumque bonorum largitionem. Nam in prædicatione nimia verborum curiositas superflua esset, et sophistis digna, imò non sophistis, sed pueris insipientibus; ità ut apud eos ipse philosophus induceret magistrum suum quem suæ artis pudebat, quique dicebat judicibus, ipsos audituros ab se esse verba sine artificio, et ut casus ferebat, prolata, non exquisitis ornata dictis, non verbis et nominibus selectis fucata. Neque enim par

[a] De Platonis in Siciliam appulsu multi narraverunt. De Pythagoræ cum bobus et aquilis collòquio nusquàm me legere memini, nisi fortè referatur ad id quod ait Diogenes Laertius in principio vitæ Pythagoræ, animam ejus in quas vellet arbores vel animantes commigràsse; cætera quæ de Pythagorà sequuntur, vide apud Diogenem Laertium.

est, inquiebat, ô viri, hujus ætatis virum, adolescentis proferre verba coram vobis judicibus. Ac vide quàm sit illud ridiculum. Quam enim rem tamquàm turpem, philosophià indignam, adolescentiumque opus, magistrum suum fugere dixit, huic maximè ipse operam dedit. Ità ubique ambitioni studebant illi; nihilque præter hoc in Platone admiratione dignum videtur. Ac quemadmodùm si sepulchra exteriùs dealbata aperueris, sanie, fetore corruptisque ossibus plena videbis ; ità si philosophi dogmata dictionis ornatu nudaveris, multa videbis abominatione plena; maximè si de animâ philosophetur, quam nimio honore ad blasphemiam usquè afficit. Hic enim diabolicus laqueus est, mensuram nusquàm servare, sed in utrumque extremorum illo captos per pravam doctrinam deducere. Nunc enim illam ex Dei substantiâ esse dicit; nunc illam præter modum et impiè elatam, per alteram hyperbolen deturpat, dùm illam in porcos, asinos, inque viliora animantia inducit[a]. Sed hæc satis sunto: imò ultra modum de his disseruimus. Si quid enim utile ab illis edisci posset, pluribus iis insistere oportuisset; sin verò tantùm quantùm ad eorum declarandam turpitudinem satis esset, dicendum oportuit, hæc plùs quàm satis sunt. Quarè missis illorum fabulis, jàm nostra attingamus dogmata, quæ nobis per hujusce piscatoris linguam de cœlo demissa sunt, quæque nihil habent humanum. Age ergò, hæc dicta in medium afferamus, et ut initio hortati sumus dictis esse attendendum, hoc nunc iterùm monemus. Quid ergò initio dicit Evangelista? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Vidistisne fiduciam et vim verborum maximam? quomodò nihil dubitans, nihil conjiciens, sed omnia affirmantis more loquatur? Hoc est enim doctoris, non vacillare in iis quæ profert. Nam si is qui alios instituit, altero opus habeat, qui dicta sua confirmare possit, non doctorum, sed discipulorum ordinem jure obtineat. Si quis verò dixerit : Cur primâ omissâ causâ, statim nobis de secundâ disserit? Primum et secundum hîc dicere recusabimus ; divinitas enim et numero et temporum consequentiâ superior est; ideòque his repudiatis, Patrem confitemur ex nullo esse, Filiumque ex Patre natum.

4. Rectè, inquies ; verùm cur relicto Patre, de Filio disserit? Quia ille cognitus omnibus erat, si non ut Pater, saltem ut Deus ; Unigenitus verò ignorabatur ; ideòque jure à principio statim ejus notitiam indere festinat iis qui ipsum non noverant ; alioquin verò Patrem in hoc sermone non tacuit. Ac vide mihi spiritualem prudentiam. Novit homines jàm olim et ante omnia *Deum* præ omnibus colere et asserere. Ideò indè principium fecit, et progressus Deum esse dicit. Non sicut Plato alterum *mentem*, alterum *animam* esse dicit ; hæc enim procul sunt à divinâ illâ et immortali naturâ. Neque enim commune quidpiam nobiscum habet; sed longè est à communicatione cum creaturis : secundùm substantiam dico, non secundùm habitum. Ideò *Verbum* illum appellavit. Cùm enim docturus esset hoc Verbum esse unigenitum Filium Dei, ne quis generationem passibilem suspicaretur, præmissâ *Verbi* appellatione omnem tollit malam suspicionem, dùm et Filium ex ipso esse, et impassibiliter Filium esse declarat. Videsne quomodò, ut jàm dixi, cùm de Filio loqueretur, Patrem non tacuit? Quòd si hæc non satis sint ad totam rem declarandam, ne mireris. De Deo namque nobis est sermo, quem pro dignitate neque dicere, neque cogitare possumus. Ideò hîc *substantiæ* nomen nusquàm ponit, quia nemo potest dicere quid Deus sit secundùm substantiam ; ubique autem illum nobis ex operibus demonstrat; siquidem hoc Verbum videre est posteà *lucem* dictum, et lucem rursùs appellari *vitam*. Neque hâc solùm de causâ sic illum vocavit ; sed hæc prima causa est secunda, quia quæ Patris erant nobis erat nuntiaturus; nam ait : *Omnia quæ audivi à Patre, annuntiavi vobis*[1]. Vocat autem illum et *vitam* et *lucem* ; nam cognitionis lucem nobis dedit, et ex luce vitam. In summâ non unum nomen, non duo, non tria, non plura satis sunt ad ea quæ Deum spectant edocenda ; sed optandum est, ut etiam per multa vel obscurè possimus ea quæ ad Deum spectant complecti. Non autem simpliciter *Verbum* appellavit ; sed *cum articuli adjectione* à reliquis ipsum distinxit. Videsne me non frustrà dixisse hunc Evangelistam nobis de cœlo loqui? Animadverte enim quò sublimitatis statim à principio auditorum mentem et animam evexerit. Postquàm enim illam supra omnia quæ sub sensum cadunt, supra terram, mare, cœlum evexit, etiam supra Cherubim, Seraphim, Thronos, Principatus, Potestates, supra omnem deniquè creaturam incedere suasit. Quid igitur? An postquàm nos ad tantam sublimitatem deduxit, ibi nos sistere potuit? Nequaquàm; sed perindè ac si quis stantem ad littus maris, ac respicientem urbes, oras, portus, postquàm in medium pelagus adduxerit, à prioribus quidem amovit, at aspectui ejus terminos non posuit, sed immensum ipsi spectaculum dedit ; sic et Evangelista, postquàm nos supra omnem creaturam induxit, et ad superiora creaturis sæcula misit, sublimem oculum mentis relinquit, qui nullum finem in supernis attingere possit, eo quòd nullus sit. Nam ubi ad principium ascendit ratio, quærit quid sit illud principium : deindè ubi illud, *Erat*, reperit, semper ulteriùs mente procedens, ubi cogitationem sistat non habet ; sed intentè respiciens

[1] *Joan.* XV, 15. — [a] Contra metempsychosin.

cùm terminum non reperiat, defessus rursùm ad inferiora descendit. Illud enim, *In principio erat*, nihil aliud significat quàm quod semper fuerit, et æternum sit. Videsne veram philosophiam, et divina dogmata, non qualia Græcorum, qui tempora constituunt, et deos alios seniores, alios juniores dicunt? At nihil apud nos simile. Si enim Deus est, ut reverà est, nihil est ante illum : si Creator omnium, ipse primus est : si Dominus et Dominator omnium, omnia post ipsum sunt, et opificia et sæcula. Volebam in alia certamina descendere ; sed fortassè fatiscit vobis animus. Quarè post quædam monita, quæ vobis ad dictorum et dicendorum captum erunt utilia, finem dicendi faciam. Quænam igitur ea sunt? Scio multos dictorum longitudinem fastidire. Hoc verò tunc fit, cùm anima multis sæcularibus curis sarcinisque obruitur. Sicut enim visus, dùm purus lucidusque est, acutè videt, neque laborat cùm vel tenuissima corpora perspicit ; quandò autem de capite malus humor aliquis defluit, vel densa quædam nebula, ex infimis partibus ascendens, ante pupillam sistitur, ne crassiora quidem clarè perspicere potest ; sic et in animâ contingit. Cùm enim expurgata, nullo animi morbo turbatur, acutè intuetur ea quæ videre opus est; cùm porrò multis fœdata affectibus, virtutem pristinam amiserit, non facilè potest sublimia attingere ; sed statim fatiscit et decidit, et ad somnum ignaviamque declinat, atque ea quæ ad virtutem et vitam probam pertinent, prætermittit, neque illa diligenter adit.

5. Quod ne vobis accidat (neque enim hæc dicendi finem faciam), vestrum roborate animum, ut ne eadem audiatis, quæ fidelibus Hebræis à Paulo dicta sunt. Nam illis grandem dicit esse sermonem et interpretatu difficilem ; non quòd naturâ suâ talis esset, sed quia, inquit, *imbecilles facti estis ad audiendum* [1]. Nam qui imbecillus est et infirmus, perindè brevi atque longâ oratione turbatur, et quæ clara expeditaque sunt, captu difficilia arbitratur. Verùm nullus hîc talis esto ; sed omni depulsâ sæculi curâ, quisque hanc doctrinam audiat. Cùm enim auditor pecuniarum cupiditate tenetur, non potest certè cupidè audire ; neque enim potest anima una multis sufficere cupiditatibus; sed alia aliam cupiditatem pellit, et discissa anima infirmior evadit, dùm altera prævalens cupiditas, totum ad se trahit. Quod etiam in liberis contingere solet. Nam cùm unum tantùm quis habet, eum supra modum amat; cùm multos, divisus amor minor ad singulos efficitur. Quòd si ubi illa vis et ceu tyrannis est, atque ejusdem generis sunt ii qui diliguntur, ità contingit, quid dixerimus de amore qui ex voluntate et affectu prodit, maximè verò cùm amores illi sese mutuò impugnant? Contrarius enim est pecuniarum amor doctrinæ hujus amori. In cœlum intramus, cùm huc ingredimur. Non de loco, sed de affectu loquor ; potest enim qui in terrâ degit, in cœlo stare, et cœlestia cogitare, imò audire. Nemo igitur in cœlum terrena inducat : nemo dùm hîc versatur, de re domesticâ sollicitus sit. Oporteret enim lucra hinc hausta domum et in forum deferri, non autem Ecclesiam domesticis et forensibus sarcinis gravari. Ideò namque ad doctrinæ thronum ingredimur, ut hinc externas illas sordes deponamus. Quòd si debeamus hoc tantillum otii externis illis dictis et gestis labefactare, melius esset ab ingressu prorsùs abstinuisse. Nemo igitur in Ecclesiâ res domesticas animo verset; sed domi res Ecclesiæ cogitet. Hæc cæteris omnibus nobis sint pretiosiora. Hæc enim ad animam, illa ad corpus pertinent; imò quæ hîc dicuntur, et corpori et animæ competunt. Ideò hæc quasi præcipua tractentur, alia omnia perfunctoriè. Hæc quippè et futuræ et præsentis vitæ sunt; illa ad neutram pertinent, nisi secundùm legem de his positam tractentur. Non enim solùm qui post hæc futuri simus, et quomodò illic vivemus, hîc ediscimus ; sed etiam quâ ratione hîc nobis sit vivendum. Nam medicamentorum officina spiritualis domus hæc est, ut quæ vulnera foris accipimus, hîc curemus; non autem ut hinc aliis acceptis vulneribus recedamus. Nam si Spiritui sancto nos alloquenti non animum adhibeamus, non modò priora peccata non abluemus, sed etiam alia admittemus. Huic igitur Libro nobis per revelationem tradito magnâ cum diligentiâ attendamus. Non enim multo posteà studio egebimus, si principia et argumenta didicerimus; sed si tantillum initio laboris susceperimus, alios deindè secundùm Paulum monere poterimus. Hîc namque Apostolus admodùm sublimis est, multisque plenus dogmatibus, in quibus magis versatur, quàm in aliis. Ne, quæso, perfunctoriè audiamus. Ideò enim nos paulatim hæc explicamus, ut vobis captu facilia omnia sint, nec ex memoriâ effluant. Timeamus ergò, ne ex sententiâ illâ culpandi simus, quâ dicit : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent* [2]. Quid plùs habebimus, quàm ii qui nihil audierunt, quandò post concionem nihil domum referemus, sed verba tantùm mirati fuerimus? Date nobis igitur ut in bonam terram semen jaciamus : date ut nos magis attrahatis. Et si quis spinas habeat, ignem Spiritûs injiciat : si quis cor durum et contumax, eodem igne molle illud et tractabile reddat. Si quis per viam à turbâ cogitationum invadatur, interiora petat, nec attendat iis quæ ad rapiendum intrare vellent, ut comantes segetes vestras videamus. Nam si eam de nobis

[1] *Hebr.* V, 11. — [2] *Joan.* XV, 22.

curam exhibeamus, et si magno studio spirituali concioni attendamus; si non confestim, saltem paulatim à sæcularibus omnibus rebus nos expediemus. Ideò animum adhibeamus, ne de nobis dicatur: *Aspidis surdæ aures eorum* [1]. Quâ in re, quæso, à ferâ differt hujusmodi auditor? Quomodò non sit irrationabili quovis irrationabilior, qui Deo loquente non attendit? Nam si placere Deo, illud est homo esse, qui ut hoc adipiscatur, audire non vult, nihil aliud quàm fera esse dicatur. Cogita ergò quantum sit malum, cùm Christus nos velit ex hominibus Angelis æquales facere, si nos ex hominibus in feras transmutemus. Nam ventri servire, pecuniarum cupiditate teneri, irasci, mordere, calcitrare, non hominum, sed ferarum est. Atqui feræ singulæ suum habent affectum, idque secundùm naturam; at homo qui principium cogitationum, et vitam secundùm Deum instituendam abjecit, omnibus sese animi morbis addicit; nec modò fera efficitur, sed et multiforme monstrum, neque secundùm naturam veniam meretur. Nequitia quippè omnis ex arbitrio et voluntate est. Sed absit ut hoc umquàm de Ecclesiâ Christi suspicemur; de vobis enim meliora, quæque ad salutem ducant, sentimus. Verùm quantò magis hoc ità esse confidimus, tantò majorem cautelam in concionibus adhibere non cessabimus; ut postquàm ad ipsum virtutum culmen pervenerimus, nobis promissa bona consequamur: quæ utinàm adipiscamur gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA II [a].

NUM. 1. Orator fideles hortatur ut domi filios edoceant ea quæ in Ecclesiâ dicta sunt. Quomodò juvenes instituendi? Mens quæ divina meditatur, diabolo formidabilis est. — 2. Hæreticorum confutatio qui illud, *In principio erat Verbum*, malè intelligentes, æternitatem Verbi negant. — 3. Æternitas Filii probatur. — 4. Cur Christus humilia de se verba aliquandò proferat? — 5. Inanis gloriæ malum: gloria popularis non est verè gloria. — 6. Deum unum laudatorem quærere oportet.

1. *In principio erat Verbum.* Supervacaneum jàm esset vos de attentione concioni adhibendâ monere; tàm citò nempè admonitionis fructum re et opere exhibuistis. Concursus enim, diligens attentio, præpropera cum impulsu festinatio ad interiorem occupandum locum, undè faciliùs vocem nostram audire possitis; perseverantia, quâ vel in angustiâ positi recedere non vultis, donec spirituale theatrum solutum fuerit; plausus, strepitus, cæteraque similia, et fervorem animi et intentam concioni mentem indicant. Quapropter superfluum esset hâc de re monere; sed illud dicere et monere operæ pretium fuerit, ut hoc animo esse perseveretis; nec modò hìc idem studium exhibeatis, sed etiam domi vir uxorem, pater filium de his alloquantur: sua hi dicant, et paria ab illis exigant, omnesque hoc mutuum pignus in medium afferant. Ne quis mihi dixerit pueros in hoc occupari non oportere; opus esset enim non modò his incumbere, sed hanc solam habere curam. Attamen infirmitatis vestræ causâ id non dico, neque pueros ab externo illo studio avoco, ut neque vos à civilibus negotiis. Verùm ex septem his diebus unum rogo communi Domino nostro consecretis. Annon absurdum fuerit, si, cùm servos nostros obsequia sua nobis semper præstare jubeamus, nos ne minimum quidem otii nostri Deo addicamus; præsertim cùm hæc servitus Deo nihil conferat (Deus enim nullâ re eget), sed ad nostram redundet utilitatem? Verùm cùm ad theatra filios adducitis, neque disciplinas, neque aliud quidpiam obtenditis; si verò quidpiam spiritualis lucri sit colligendum, vacationem illud esse dicitis. Et quomodò iram Dei non provocabitis, dùm cæteris omnibus suo tempore operam dantes, divinis operam dare, molestum et importunum filiis existimatis? Ne ità, ne ità, fratres mei, agatis. Etenim hæc maximè ætas istâ eget disciplinâ; tenera enim cùm sit, citò illa quæ dicuntur, imbibit, doctrinaque ibi ceu sigillum in cerâ imprimitur. Alioquin autem hâc primævâ ætate vel ad vitium vel ad virtutem declinatur. Si quis igitur à principio et quasi à vestibulo illos à vitiis abduxerit, et ad optimam viam direxerit, ceu in quemdam habitum et rectam vitæ rationem eos constituet; neque sponte suâ facilè ad malum declinabunt, consuetudine illos ad bona opera trahente. Ità nobis vel ipsis senibus venerabiliores erunt, et urbanis negotiis gerendis aptiores, dùm in juventute senilem ætatem exprimunt. Neque enim fieri potest, ut jàm dixi, ut qui hujusmodi concione fruuntur, et tantum Apostolum

[1] *Psalm.* LVII, 5.
[a] Est Homilia 3 in edit. Montfauconianâ.

frequentant, non ingens quodpiam bonum secum referant; sive tandem vir, sive mulier, sive juvenis sit is qui hujus mensæ particeps efficitur. Nam si feras verbo domitas cicuramus, quantò magis homines hâc spirituali doctrinâ ad frugem deducemus, cùm inter medicinam et eum qui curatur tantum sit discrimen? Neque enim tanta nobis inest feritas, quanta belluis; nam hæc ex naturâ, illa ex arbitrio proficiscitur: neque verborum eadem vis est; illa enim ex humanâ mente prodit, hæc ex Spiritûs virtute et gratiâ. Si quis igitur de se desperet, mansuetas illas feras cogitet, et numquàm in desperationem incidet: sæpè hanc medicamentorum officinam adeat, divinas leges omni tempore audiat, et domum reversus, quæ audivit, in mente describat; sicque in bonâ spe et securitate constituetur, et experientiâ profectum sentiet. Cùm enim diabolus legem Dei in animâ descriptam videbit, et tabulas esse cor illius, non accedet ulteriùs. Ubi enim litteræ regiæ, non in æreo cippo sculptæ, sed in religioso animo à Spiritu sancto efformatæ multâ fulgent gratiâ, nec contrà respicere ille poterit, sed procul nobis terga vertet. Nihil enim itâ formidabile est et illi et cogitationibus ab illo immissis, ut mens quæ divina meditatur, et huic semper hæret fonti. Hanc nulla rerum præsentium turbabit, quantumvis molesta sit, nulla inflabit et extollet, quantumvis prospera fuerit; sed in tantâ procellâ et tempestate, tranquillitate magnâ fruetur.

2. Neque enim ex rerum naturâ turbamur, sed ex animi nostri infirmitate. Nam si ex rebus quæ accidunt turbaremur, omnes homines turbari necesse esset. Omnes enim idem navigamus pelagus, neque fieri potest ut extra fluctus et tempestates versemur. Quòd si quidam extra tempestatem et furibundum mare degant, palàm est tempestatem non à negotiis oriri, sed à statu mentis nostræ. Si hanc igitur itâ comparemus, ut omnia facilè ferat, nulli fluctus, nulla tempestas, sed tranquillitas nobis semper aderit. Verùm nescio quo pacto, cùm nihil horum dicere in proposito haberem, in tantam admonitionem devenerim. Ignoscite, quæso, longitudinem. Etenim vereor, et admodùm vereor, ut hoc studium meum felicem exitum habeat; nam si fisus essem, neutiquàm vos his de rebus allocutus essem. Satis certè sunt quæ diximus, ut omnia vobis facilia reddantur. Tempus autem est ut ad rem propositam veniamus, ne vos defessi hæc certamina adeatis. Certamina quippè nobis prostant contra veritatis hostes, contra eos qui nihil non agunt, ut Filii Dei gloriam, imò potiùs suam dejiciant. Illa quippè semper manet ut est, nihil per maledicam linguam imminuta; illi verò, dùm eum quem se adorare dicunt, prosternere student, vultum suum infamiâ replent, et animam supplicio addicunt. Quænam ergò dicunt illi, dùm nos hæc proferimus? Illud: *In principio erat Verbum,* non æternitatem simpliciter indicare; nam hoc de cœlo etiam et de terrâ dictum fuit. O impudentiam et impietatem ingentem! De Deo te alloquor, et tu mihi terram et homines terrâ ortos affers in medium! Ergò quia Christus Filius Dei dicitur et Deus, et homo similiter filius Dei et deus prædicatur (nam: *Ego dixi*, inquit, *dii estis, et filii Excelsi omnes*[1]), cum Unigenito contendes de filiatione, et dices ipsum nihil plùs habere, quàm tu habeas! Nequaquàm, ait. Atqui illud ipsum agis, etsi non dicas. Quomodò? Quia dicis te per gratiam adoptionem percepisse, ipsumque similiter; cùm autem dicis ipsum non naturâ Filium esse, nihil aliud probas, quàm per gratiam filium esse. Cæterùm videamus ea quæ nobis afferunt testimonia: *In principio fecit Deus cœlum et terram; terra autem erat invisibilis et incomposita*[2]; et: *Erat homo ex Armathaim Sipha*[3]. Hæc ipsis firma videntur. Et verè firma sunt, sed ad demonstrandam doctrinæ nostræ veritatem; nam ad illorum blasphemiam comprobandam omnium debilissima sunt. Quid enim, quæso, commune habet illud, *Fecit,* cum illo, *Erat?* Quid Deus cum homine? Cur ea misces quæ misceri non possunt? Cur confundis ea quæ divisa sunt, et quæ sursùm, deorsùm ponis? Hic enim illud, *Erat*, non æternitatem ostendit, si solum spectetur; sed si addatur cum illis: *In principio erat;* et: *Verbum erat.* Quemadmodùm ergò illud, *Esse*, cùm de homine dicitur, præsens tantùm indicat tempus; cùm autem de Deo, æternitatem demonstrat; sic et illud, *Erat,* de nostrâ dictum naturâ, præteritum tempus significat, ipsumque finitum; cùm autem de Deo, æternitatem indicat. Satis ergò erat ei, qui audiret *Terram* et *Hominem,* nihil ampliùs de illis cogitare, quàm naturæ creatæ conveniat. Nam quod factum est, quidquid tandem sit, in tempore vel sæculo factum est; at Filius Dei, non temporibus tantùm, sed sæculis omnibus superior est; nam illorum et Creator et Opifex est; dicitur enim: *Per quem fecit et sæcula*[4]. Qui autem opifex est, ante opificia haud dubiè fuit. Quoniam verò quidam itâ insensati sunt, ut posteà majus quidpiam de suâ dignitate suspicentur; illo verbo, *Fecit*, et illo, *Homo erat*, auditoris mentem præoccupat, et omnem impudentiam exscindit. Nam quæ facta sunt omnia, cœlum, terra, tempore facta sunt, temporale principium habent, eorumque nihil sine principio est, quia facta sunt. Itaque cùm audis ipsum fecisse terram, et hominem esse, superfluè nugaris, et inutilia effutis. Ego enim aliam hyperbolen afferre possum. Quænam illa est? Si de terrâ dictum esset: In

[1] *Psalm.* LXXXI, 6. — [2] *Gen.* I, 1 *et* 2. — [3] I *Reg.* I, 1. — [4] *Hebr.* I, 2.

principio terra erat; et de homine : In principio erat homo, neque ità quid majus de illis suspicandum fore, quàm illa quæ nunc cognoscimus. Nam præmissâ terræ et hominis appellatione, quidquid de illis dicatur, non potest animus majus quidpiam de illis imaginari, quàm ea quæ scimus : ut contrà Verbum, etiamsi tenue quidpiam de illo dictum fuerit, non permittit tamen aliquid abjectum et vile de se existimari. Enimverò de terrâ sic posteà dicitur : *Terra autem erat invisibilis et incomposita* [1]. Cùm dixisset enim ipsum fecisse terram, et ipsi proprium terminum posuisset, securè jàm quæ sequuntur enarrat, gnarus neminem ità stultum esse, ut illam sine principio et non factam esse suspicetur. Terræ quippè nomen, et illud, *Fecit,* satis sunt ut vel admodùm stulto suadeant ipsam nec æternam, nec non factam esse, sed ex eorum numero quæ in tempore condita sunt.

3. Præthereà autem illud, *Erat*, de terrâ et de homine dictum, non simpliciter existentiam significat; sed de homine dictum, indicat ipsum ex tali esse loco ; de terrâ autem, illam tali esse modo. Neque enim simpliciter dixit: *Terra erat,* et posteà tacuit; sed qualis post creationem esset addidit, nempè: *Invisibilis erat et incomposita*, adhuc aquis operta et admixta. Et de Elcanâ non dixit solùm quòd esset homo; sed adjecit undè esset: *De Armathaim Sipha.* De Verbo autem non sic. Et me pudet profectò hæc simul indagare. Si enim reprehendimus eos qui circa homines hoc agunt, quandò multum est inter eos qui comparantur virtutis discrimen, licèt illi ex unâ eâdemque substantiâ sint ; quandò et circa naturam et circa alia infinitum est interstitium, quomodò non extremæ dementiæ fuerit has quæstiones movere? Sed nobis ille propitius sit, quem ipsi blasphemiis impetunt. Hujusmodi namque dictorum adhibendorum necessitatem non nos induximus; sed illi nobis obtulere, qui salutem impugnant suam. Quid ergò dico? Illud, *Erat,* de Verbo dictum, significare ipsum æternum esse; nam ait : *In principio erat Verbum;* consequens autem erat, ut apud aliquem esset. Cùm enim maximè illud Dei sit proprium, ut sit æternus et sine principio, hoc primò posuit. Deindè, ne quis audiens illud : *In principio erat*, etiam ingenitum diceret, statim ipsi occurrit, antequàm diceret quid erat, dicendo: *Erat apud Deum.* Et ne quis ipsum Verbum prolatitium aut internum [a] esse putaret, per articulum præmissum, et per secundam additionem, hanc amovet suspicionem. Non enim dixit: In Deo erat; sed: *Apud Deum*, ejus nobis secundùm hypostasim æternitatem declarans. Deindè illud clariùs significavit, adjiciens Verbum istud fuisse Deum. Sed, inquies, *factum:* quid ergò obfuit quin diceret: In principio *fecit* Deus Verbum? nam cùm de terrâ loqueretur Moyses, non dixit : In principio erat terra; sed : *Fecit* eam, et tunc fuit: quid igitur prohibuit quominùs Joannes ità diceret : In principio *fecit* Deus Verbum? Si enim ità dixit Moyses, timens ne quis terram *non factam* diceret, multò magis de Filio metuere oportebat Joannem, *si creatus fuisset;* mundus enim cùm sit visibilis, hoc ipso Conditorem prædicat (nam *cœli,* inquit, *enarrant gloriam Dei* [2]) ; Filius autem invisibilis est, et creaturam infinito medio excedit. Si itaque ubi neque verbo, neque doctrinâ opus erat, ut disceremus *mundum esse factum*, tamen clarè illud et ante omnia ponit Propheta, multò magis id de Filio Joannem dicere oportebat, *si creatus fuisset.* Etiam, dices; sed Petrus id clarè dixit et perspicuè. Ubinam et quandò? Cùm Judæos alloquens diceret : *Ipsum Dominum et Christum Deus fecit* [3]. Cur ergò id quod sequitur non adjecisti: *Hunc Jesum quem vos crucifixistis?* An ignoras ex dictis alia ad immortalem naturam, alia ad Incarnationem pertinere? Si autem non ità se res habet, sed omnia de deitate accipias, Deum passibilem induces ; si verò non passibilis, non factus utiquè est. Nam si ex divinâ et ineffabili naturâ sanguis effluxerit [b], et si vice carnis ipsa in cruce clavis transfixa et dissecta sit, ratione nixum est sophisma tuum. Quòd si ne diabolus quidem ità blasphemaverit, cur inexpiabilem ignorantiam simulas, quali ne dæmones quidem umquàm usi sunt? Præthereà hæc, Dominus et Christus, non sunt substantiæ, sed dignitatis; alterum enim est potentiæ, alterum unctionis. Quid ergò dixeris de Filio Dei? nam si creatus sit, ut vos dicitis, nullum hoc haberet locum. Non enim priùs factus est, et tunc Deus ipsum ordinavit ; neque abjectum habet principium, sed ex naturâ atque substantiâ. Interrogatus enim nùm rex esset : *Ego in hoc natus sum* [4], inquit. Petrus autem quasi de quodam qui ordinatus sit loquitur ; nam de œconomiâ, sive de humanitate ipsi sermo est.

4. Ecquid miraris, si Petrus id dicat? nam Paulus Athenienses alloquens, virum ipsum tantùm appellat dicens: *In viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis* [5] ; nihilque de

[1] *Gen.* I, 1. — [2] *Psalm.* XVIII, 2. — [3] *Act.* II, 36. — [4] *Joan.* XVIII, 37. — [5] *Act.* XVII, 31.

[a] *Prolatitium*, προφορικὸν, Verbum dixit Theophilus Antiochenus, p. 104 ; *internum*, ἐνδιάθετον Λόγον, memorat Irenæus, Lib. 2, c. 12 ; et subindè hæ voces ab hæreticis maximè frequentatæ, ideòque proscriptæ sunt. Erant qui dicerent Patrem ante mundi creationem habuisse Verbum ἐνδιάθετον, *internum ;* et quandò mundum creavit, protulisse Verbum suum, et tunc fuisse προφορικόν, *prolatitium.* Λόγον προφορικὸν καὶ ἐνδιάθετον, prout in hominibus est, memorat Plutarchus, Libro quòd Philosophus debeat maximè principes alloqui.

[b] Contra Theopaschitas.

formâ Dei loquitur, neque Deo æqualem dicit, neque quòd sit splendor gloriæ ejus; idque meritò. Nondùm enim tempus hæc dicendi venerat; sed satis adhuc erat, ut ipsum hominem esse et resurrexisse admitterent. Sic et ipse Christus fecit, à quo edoctus Paulus ità res dispensabat. Non enim statim nobis deitatem suam revelavit; sed priùs Propheta et Christus simplex homo putabatur: deindè et verbis et operibus id quod verè erat ostendit. Ideò Petrus in principio hoc utitur modo; nam hanc priorem ad Judæos concionem habuit. Quia enim de divinitate ejus nihil hactenùs ediscere poterant, ideò de Christi humanâ naturâ verba facit, ut his exercitatus auditus, ad reliquam percipiendam doctrinam aptaretur. Quòd si quis voluerit totam concionem altiùs repetere, id quod dico, conspicuum esse inveniet. Nam et virum illum vocat, deque passione, resurrectione et generatione secundùm carnem pluribus agit. Paulus verò cum dicit: *Qui factus est ex semine David secundùm carnem* [1], nihil aliud nos docet, quàm quod illud, *Fecit*, de œconomiâ dictum sit: id quod etiam nos confitemur. Verùm filius tonitrui de ineffabili et ante sæcula existentiâ nunc nos alloquitur. Ideò illo, *Fecit*, relicto, *Erat* dixit. Oportebat enim, si creatum fuisset, id maximè definire. Si enim Paulus timuit ne quis ex insipientibus suspicaretur Filium Patre majorem fore, et Genitorem sibi subjectum habiturum esse; nam ideò Corinthiis scribens dicebat: *Cùm autem dicit: Subjecta sunt, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia* [2]; atqui quis suspicaretur Patrem cum omnibus subjectum fore Filio? Et tamen si has absurdas suspiciones timuit, et dicit: *Præter eum qui subjecit ei omnia*, multò magis Joannem, si Filius Dei creatus fuisset, timere oportebat, ne quis ipsum increatum putaret, illudque præ omnibus docere. Cùm autem genitus sit, jure neque ipse, neque alius quispiam, vel Apostolus vel Propheta, creâtum ipsum fuisse dicit. Imò neque ipse Unigenitus id prætermisisset, si creatus verè fuisset. Qui enim tàm humilia sese demittendo loquitur, multò minùs id tacuisset. Nam verisimilius puto ipsum quàm haberet præstantiam potiùs tacuisse, quàm, si non haberet, id prætermisisse, nec significâsse id se non habere. Illic consentanea tacendi causa erat, quòd vellet docere homines humilitatem, ideòque præstantiam suam obtegeret; hìc autem ne minimam quidem probabilem tacendi causam dicere possis. Cur enim, si creatus erat, se factum esse tacuisset, qui multa sibi congruentia prætermittebat? Itaque is qui ad docendam humilitatem, abjecta, sibi non competentia, sæpè dixit, multò magis, si creatus fuisset, id non prætermissurus erat. Nonne vides ipsum, ne quis ingenitum suspicaretur, nihil non agentem et dicentem, imò indigna loquentem suâ dignitate et substantiâ, atque in Prophetæ humilitatem sese demittentem? Illud enim, *Sicut audio, judico* [3]: et illud, *Ille mihi dixit quid dicam et quid loquar* [4], et similia, Prophetarum tantùm verba sunt. Si ergò ut hanc tolleret suspicionem, tàm humilia proferre verba non dedignatus est, multò magis, si creatus esset, ne quis increatum illum suspicaretur, multa similia dixisset; verbi causâ: Nolite putare me genitum esse à Patre; nam factus, non genitus sum, neque ex eâdem ex quâ ille substantiâ. Nunc autem omninò contrà facit; nam ea loquitur, quæ vel invitos cogant ad contrariam amplectendam sententiam, ut nempè: *Ego in Patre et Pater in me* [5]; et: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem* [6]; et: *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat. Pater meus usquè modò operatur, et ego operor* [7]. *Sicut novit me Pater, et ego nosco Patrem. Ego et Pater unum sumus* [8]. Et ubique *Sicut* et *Ità* ponit, dicitque se et Patrem unum esse, nullamque esse differentiam declarat. Auctoritatem verò et per hæc et per alia plura demonstrat, ut cùm dicit: *Tace, obmutesce* [9]. *Volo, mundare* [10]. *Tibi dico: Surde et mute dæmon, exi ab eo* [11]: illudque: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis: Qui irascitur fratri suo frustrà, reus erit* [12], similiaque statuit, et miracula edit, quæ possint ejus potentiam demonstrare, imò vel minima quidem illorum pars eos qui non omni prorsùs sensu carent, adducere et persuadere possit.

5. Verùm ea est inanis gloriæ vis, ut vel in rebus manifestissimis possit eorum qui illâ capti sunt mentem excæcare, atque illis suadere ut etiam adversùs ea quæ in confesso sunt contendant, aliosque, quibus nota veritas est, ad simulandum et contrà nitendum incitet: quod etiam Judæis accidit. Non enim per ignorantiam Filium Dei negabant, sed ut apud vulgus honorem sibi conciliarent. Nam *credebant in eum* [13], inquit; sed timebant ne extra synagogam fierent, in aliorumque gratiam salutem suam prodebant [a]. Non potest enim, non potest utiquè is qui præsentem gloriam ità captat, illam quæ à Deo est assequi. Quapropter increpavit

[1] *Rom.* I, 3. — [2] I *Cor.* XV, 26 *et* 27. — [3] *Joan.* V, 30. — [4] *Id.* XII, 49.— [5] *Id.* XIV, 10.— [6] *Ibid.* 9.— [7] *Id.* V, 23, 21 *et* 17.— [8] *Id.* X, 15 *et* 30.— [9] *Marc.* IV, 39.— [10] *Matth.* VIII,3.— [11] *Marc.* IX, 24. — [12] *Matth.* V, 21 *et* 22. — [13] *Joan.* XII, 42.

[a] *In aliorumque gratiam salutem suam prodebant*, καὶ τὴν αὐτῶν προέτειναν σωτηρίαν ἑτέροις. De quo ità Savilius: « Puto locum esse corruptum; neque enim ex his verbis commodum sensum elicio. » Fortè, προέπιον, propinàrunt. Ego verò existimo locum, ut in omnibus exemplaribus legitur, optimè habere. Postquàm enim dixit multos ex Judæis, qui

eos his verbis : *Quomodò potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis, et illam quæ à Deo est non quæritis*[1] ? Ea quippè profunda quædam ebrietas est ; ideòque is qui illo animi morbo captus est, difficilè resipiscit. Hæc labes captivorum animam à cœlo abscindens, terræ affigit, nec sinit veram intueri lucem, sed in cœno semper volutari curat, dominos ipsis parans ità potentes, ut sine jussu aliquo ipsis imperent. Nam is qui hujusmodi morbo laborat, etiam nemine jubente, sponte illa omnia efficit, quæ putat dominis illis placere posse. Illorum quippè gratiâ pulchris induitur vestibus, faciem ornat, non sibi, sed aliis : famulorum turbam in foro circumducit, ut aliis sit admirationi : quidquid deniquè facit, ut aliis placeat, exhibet. Nùm hoc animi morbo quidquam deterius esse possit? Ut aliis sit admirationi, sæpè se præcipitem dat. Satis certè essent ea quæ à Christo dicta sunt ad hujus morbi tyrannidem demonstrandam ; verùm hinc etiam illa cognoscatur. Nam si quempiam ex illis civibus qui sumptus profundunt maximos interroges, cur tantùm auri impendant, quid sibi volunt hujusmodi sumptus, nihil aliud respondebunt, quàm ut populo placeant. Si rursùm sciscitèris quid sit populus : Quidpiam, inquient, tumultu plenum et perturbatione, ex insipientiâ plerumquè constans, quod temerè sæpè ultrò citròque fertur, instar marinorum fluctuum, et secum pugnante sententiâ plerumquè jactatum. Qui talem habet dominum, quo non miserabilior fuerit? Sed quòd sæculares homines his inhient, non ità grave est, etsi grave reverà sit ; quòd autem qui se mundo renuntiâsse dicunt, hoc morbo laborent, imò majore, id certè gravissimum. Illis enim pecuniarum tantùm est jactura ; his verò animæ periculum. Nam cùm gloriæ causâ à rectâ fide desciscunt, et ut sibi gloriam pariant, Deum dedecore afficiunt, quantùm, quæso, torporis, quantùm insaniæ res hæc præ se fert? Cætera porrò vitia, licèt multùm damni inferant, aliquam saltem afferunt voluptatem, etsi temporaneam, et brevem. Nam avarus, ebriosus, mulierumque amans, aliquam damno admixtam, etsi brevem, voluptatem habent ; qui autem hoc morbo capti sunt, acerbam semper et voluptate vacuam agunt vitam. Neque enim id quod maximè amant, assequuntur, gloriam nempè et auram popularem, sed videntur quidem illâ frui ; neque tamen fruuntur, quòd illud minimè sit gloria, ideòque vitium illud, non gloria, sed res gloriâ vacua dicitur, vanamque gloriam veteres omnes id jure vocârunt ; vacua namque est, nihil intùs habens splendidum vel gloriosum. Sed, quemadmodùm larvæ videntur quidem decoræ et amabiles, sed vacuæ intùs sunt, ideò, licèt formosiores sint cæteris corporibus, neminem umquàm ad suì amorem allexerunt ; sic illa apud vulgus gloria : imò longè miserabiliùs hunc morbum curatu difficilem et tyrannicum nobis efformat. Conspectum quippè solum splendidum habet ; interiora verò, non vacua modò, sed etiam dedecore et crudeli tyrannide plena sunt. Undè ergò nascitur, inquies, morbus tàm absurdus, nullâque afficiens voluptate? Undè? Non aliundè quàm à vili et abjecto animo. Non potest enim is qui gloriæ amore captus est, magnum aut generosum quidpiam facilè cogitare ; sed necesse est ut turpis, vilis, inglorius et exiguus sit. Qui enim pro virtute nihil, sed ut hominibus nullius pretii placeat, omnia facit, quique illorum sententiam erroneam et fallacem ubivis sequitur, quomodò gloriâ dignus esse possit? Animadverte autem. Si quis illum interroget : Quid tu vulgus esse arbitraris ? Ignavam haud dubiè et desidem multitudinem esse dicet. Quid verò ? Nùm illis similis esse optaveris? Si quis autem illum denuò sic percontetur, non puto ipsum se talem esse optaturum. Quomodò igitur non admodùm ridiculum fuerit, illorum auram aucupari, quibus numquàm similis esse velis?

6. Sin dixeris multos esse et in unum coactos, ideò maximè contemnendi. Nam si singuli contemptu digni, plurimi coacti longè magis despiciendi erunt. Multorum enim insipientia, collectâ multitudine, magis augetur. Quapropter, si singulos seorsìm quis duxerit, emendare poterit, simul coactos, non facilè, eo quòd insipientia sit major, et illi instar pecorum agantur, mutuamque sequantur sententiam. Talemne, quæso, multitudinis auram sectabimini? Ne, quæso et obsecro. Id enim omnia sùs deque vertit : id avaritiam peperit, invidiam, criminationes, insidias : illud eos qui nullam passi sunt injuriam, contra eos qui nullam intulerunt, armat et efferat. Qui hoc laborat morbo, non amicitiam novit, non consuetudinem, neminem prorsùs reveretur ; sed bonis omnibus ex animo rejectis, cum omnibus bellum gerit, inconstans et inhumanus. Iræ certè morbus, etsi tyrannicus sit et intolerabilis, non semper exagitare solet, sed cùm ab aliquibus irritatur ; at vanæ gloriæ amor semper viget : nullum tempus, ut ità dicam, est quo desinere possit, nisi ratio illam cohibeat et comprimat ; sed semper adest, non modò ad peccandum incitans, sed etiam si quid rectè egerimus, è manibus præripiens ; aliquandò verò non sinit rectè operari.

[1] *Joan.* V, 44.

credebant in Christum, non confessos ipsum esse, ne extra Synagogam ejiceretur, addit : Καὶ τὴν αὐτῶν προέτειναν σωτηρίαν ἑτέροις, id est, ad litteram, *et salutem suam aliis protenderunt*, sive *propinârunt*, id est, ut nemo non videt : *Et in aliorum gratiam salutem suam prodiderunt.*

Quòd si Paulus avaritiam idolorum servitutem vocet [1], ejus matrem, radicem et fontem, vanam gloriam scilicet, quo nomine vocabimus? Neque enim illud tantâ nequitiâ dignum inveniemus. Resipiscamus igitur, dilecti, et hoc perniciosum exuamus vestimentum : ipsum discindamus et dissecemus, veràque libertate tandem liberi efficiamur, atque in sensum nobis à Deo concessæ nobilitatis veniamus : multitudinis auram despiciamus. Nihil enim magis hoc morbo ridiculum et indecorum : nihil tantâ turpitudine et infamiâ plenum. Hocque multis ex rationibus videre est ; quòd nempè gloriam concupiscere, ignominia; illam autem despicere et nihil reputare, verè gloria sit; sed omnia ad Dei placitum et dicenda et agenda sunt. Sic enim poterimus mercedem accipere ab eo qui nostra accuratè respicit, quandò illo solo contenti erimus spectatore. Quid enim nobis aliis oculis opus, cùm is qui nobis honorem et præmium largiturus est, gesta nostra semper videat? Quomodò non absurdum sit, servum quidem ad heri sui placitum omnia facere, nihilque aliud quærere, quàm ut ab ipso videatur, neque alios ad gesta sua oculos exquirere, quamtumvis magni sint alii spectatores, sed unum scopum habere ut ab hero suo videatur; nos autem talem habentes Dominum, alios quærere spectatores, qui nos nihil juvare, sed aspiciendo nocere possunt, totumque laborem nostrum fructu vacuum reddere? Ne, quæso, id agamus ; sed à quo mercedem accepturi sumus, eum gestorum laudatorem advocemus et spectatorem. Nihil nobis commune cum humanis oculis sit. Si enim hanc gloriam assequi voluerimus, eam profectò consequemur, cùm solam Dei quæremus gloriam ; *nam glorificantes me glorificabo* [2], inquit. Ac quemadmodùm tunc maximè divitiis affluimus, cùm illas spernimus, et à Deo tantùm divitias quærimus (nam ait : *Quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* [3]); sic et de gloriâ dicendum. Cùm largitio sive pecuniarum, sive gloriæ periculo vacat, tunc illam Deus abundanter impertit. Tunc autem hæc sine periculo sunt, cùm nobis non imperant, nec dominantur, nec nobis tanquàm servis utuntur, sed ut heris et liberis adsunt. Ideò non vult nos illas amare, ne iis subjiciamur. Quod si assequamur, illas nobis cum abundantiâ multâ largitur. Quid enim Paulo clarius, quæso, qui ait : *Non quærimus ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis* [4]? Quid locupletius illo qui nihil habet, et omnia possidet? Cùm enim, ut dixi, non subjiciemur eis, tunc illas tenebimus, tunc accipiemus. Si itaque gloriam assequi cupiamus, gloriam fugiamus; sic enim poterimus, servatis Dei præceptis, et præsentia et futura consequi bona per gratiam Christi, quîcum Patri gloria, unàque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA III [a].

NUM. 1. Cur alii Evangelistæ ab Incarnatione orsi sint, Joannes verò secùs? Quid sit Verbum? — 2. Filius Patri coæternus. — 3. Refutatur objectio illa hæreticorum : Filius Θεός dicitur *sine articulo*. — 4. Glorificandus est Deus et fide et operibus : absit omnis injustitia, avaritia, iracundia. Iracundia celeriter exstinguenda. — 5. Iracundi imago : quomodò ira coercenda est?

1. *In principio erat Verbum, et Verbum erât apud Deum.* Traditis ad disciplinas pueris non gravia magistri statim imponunt onera, neque confertim hoc faciunt, sed paulatim ; et eadem ipsis sæpè repetunt, ut ea faciliùs in mente imprimant, ne à principio deterriti multitudine eorum quæ vix memoria retinere valeat, segniores evadant ad ea quæ sibi tradita sunt colligenda, desidiâ tandem ex difficultatibus partâ. Hunc ego morem sequar, levemque vobis laborem reddam ; ac paulatim et per partes acceptis iis quæ in hâc sacrâ mensâ proponuntur, sic ea in animos vestros immittam. Ideòque ipsa iterùm verba proponam, non ut idem repetam, sed ut addam omissa. Age ergò, verba rursùs ab initio adducamus : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Cur, cùm alii Evangelistæ ab Incarnatione Christi orsi sunt (nam Matthæus sic orditur : *Liber generationis Jesu Christi, filii David* [5]; Lucas nobis ea quæ Mariam spectant in principio enarrat [6] ; Marcus verò similia ferè profert, ex Baptistæ historiâ orsus [7]), Joannes id paucis et post illa priora subindicavit his verbis : *Et Verbum caro factum est*, cæterisque omnibus prætermissis, conceptione, partu, educatione, incremento, æternam statim generationem nobis enarrat? Quænam horum causa sit, jàm vobis dicam. Cùm cæteri

[1] *Ephes.* v, 5. — [2] I *Reg.* II, 30. — [3] *Matth.* VI, 33. — [4] 1 *Thess.* II, 6. — [5] *Matth.* I, 1. — [6] *Luc.* I, 25-26. — [7] *Marc.* I, 1-11.

[a] Est Homilia 4 in edit. Montfauconianâ. Explicantur versus 1 et 2 cap. 1 Evangelii S. Joannis.

Evangelistæ de iis quæ carnem spectant ut plurimùm verba fecissent, timendum erat ne quipiam humi repentes in hisce dogmatibus consisterent; quod et Paulo Samosatensi contigit. Ex hàc igitur abjectâ opinione reducens eos qui lapsuri erant, et ad cœlos erigens, jure ex supernâ æternàque existentiâ narrandi principium ducit. Nam cùm Matthæus ab Herode rege, Lucas à Tiberio Cæsare, Marcus à baptismate Joannis narrationem cœpissent, istis omnibus ille omissis, statim supra tempus et sæculum omne conscendit, illucque auditorum mentem quasi jaculatur, cùm ait : *In principio erat;* neque consistendi locum relinquit, neque terminum ponit, ut illi, Herodem nempè, Tiberium et Joannem. Ad hæc, quod summoperè mirandum, neque hic sublimiorem aggressus sermonem, œconomiam sive incarnationem neglexit; neque, qui eam narraverunt, illius ante sæcula existentiam tacuerunt; idque jure meritòque. Unus quippè Spiritus erat qui omnes movebat; ideòque magnum in narratione consensum exhibuerunt. Tu verò, dilecte, cùm Verbum audis, ne feras eos qui dicunt ipsum opificium esse, neque eos qui putant ipsum simpliciter verbum esse. Multa nempè sunt Dei verba, quæ et Angeli faciunt; sed nullum horumce verborum Deus est; verùm illa omnia sunt prophetiæ et præcepta (sic enim solet Scriptura vocare leges Dei, præcepta et prophetias ; ideòque de Angelis adjicit : *Potentes virtute, facientes verbum illius*[1]); hoc autem Verbum substantia est in hypostasi, quæ à Patre sine passione procedit. Illud enim, ut dixi, per *Verbi* appellationem significavit. Quemadmodùm igitur illud, *In principio erat Verbum*, æternitatem denotat ; ità et illud, *Hoc erat in principio apud Deum*, coæternitatem nobis significat. Etenim ne audiens, *In principio erat Verbum*, æternum quidem existimares, sed Patrem aliquo vitæ interstitio seniorem, et majoris ævi crederes, neve principium Unigenito dares, adjecit : *Erat in principio apud Deum :* ità æternus ut Pater ; numquàm enim Verbo vacuus fuit ; sed semper Deus apud Deum fuit in propriâ sibi hypostasi. Quomodò ergò, inquies, adjecit : *In mundo erat*, si erat apud Deum? Quia et apud Deum Deus erat, et in mundo erat ; nullo quippè clauditur termino sive Pater, sive Filius. Nam si *magnitudinis ejus non est finis*[2], *et sapientiæ ejus non est numerus*[3], liquet neque substantiæ illius esse initium temporale. Audìsti : *In principio fecit Deus cœlum et terram*[4]? Quid cogitas de hoc principio? Certè quòd hæc ante omnia visibilia facta sint. Sic et cùm de Unigenito audis : *In principio erat*, ante intelligibilia omnia et ante sæcula ipsum esse intelligas oportet. Quòd si quis dixerit : Et quomodò fieri potest, ut Filius cùm sit, non sit junior Patre; nam qui ex aliquo est, necessariò posterior est illo à quo est. Respondebimus hæc ex humanis cogitationibus proficisci, et eum qui hæc quærit, absurdiora etiam quæsiturum esse; nec esse illa vel auribus percipienda. De Deo quippè nobis est sermo, non de hominum naturâ, hujusmodi ratiociniorum consequentiæ et necessitati subjectâ. Verumtamen ad infirmiores roborandos respondebimus.

2. Dic ergò mihi : Radius solis ex naturâne solis exsilit, an aliundè? Necessariò fatendum, nisi sensibus vacui simus, ex ejus naturâ prodire. Et tamen licèt ex sole radius prodeat, numquàm dicemus ipsum esse solari naturâ posteriorem, quandoquidem numquàm sol sine radio visus est. Quòd si in his visibilibus et sensibilibus quidpiam sit quod sit ex aliquo, neque posterius sit illo, cur id non credis de invisibili et ineffabili naturâ? Certè hoc ipsum ità se habet, ut illam substantiam decet. Ideòque Paulus eo ipsum vocavit nomine, simul declarans et ex ipso et coæternum ipsi esse[5]. Quid igitur? Dic mihi : Annon sæcula omnia et spatium omne per ipsum facta sunt? Hoc confiteatur necesse est, is qui mente captus non sit. Ergò nihil medium est inter Filium et Patrem. Si nihil, ergò non posterior, sed coæternus est. Nam *antè* et *pòst* tempora significant. Hæ quippè voces non possunt sine sæculo vel tempore cogitari. Deus verò superior est temporibus et sæculis. Quòd si omninò dixeris Filio principium esse, cave ne Patrem quoque sub principio eàdem ratione constituere cogaris, antiquiore quidem, sed tamen principio. Dic enim mihi : Annon terminum atque principium Filio adscribens, atque ab illo principio altiùs prodiens, Patrem priùs existere dicis? Id certè manifestum. Dic ergò mihi : Quanto spatio præexistit Pater? Sive enim parvum, sive magnum dixeris spatium, sub principio Patrem posuisti. Nam postquàm mensuram spatii illius duxeris, sic dices vel parvum vel magnum esse ; mensura verò duci non potest, nisi utrinque principium sit. Itaque Patri, quantùm in te fuit, principium dedisti ; sicque secundùm te ne Pater quidem sine principio erit. Videsne verum esse id quod à Servatore dictum est, et dictum illud virtutis ejus ubique argumentum esse? Quodnam illud est? *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem*[6]. Novi multis hæc incomprehensibilia esse ; ideòque ratiocinia hujusmodi movere sæpè cunctamur, quòd vulgus illa assequi nequeat; vel si assequatur, illa non firma et certa maneant; *ratiocinia* quippè *hominum ti-*

[1] *Psalm.* CII, 20. — [2] *Id.* CXLIV, 3. — [3] *Id.* CXLVI, 5. — [4] *Gen.* I, 1. — [5] *Hebr.* I, 3. — [6] *Joan.* V, 23.

mida sunt, et fallaces cogitationes eorum[1]. Libenter autem adversarios interrogaverim quid sit illud à Prophetâ dictum : *Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit*[2]? Nam si junior est Patre Filius, quomodò dicit : *Post me non erit?* Nùm ergò Unigeniti substantiam tolletis? Necesse enim est aut eò audaciæ procedere, aut unam admittere divinitatem in propriâ hypostasi Patris et Filii. Quomodò autem illud : *Omnia per ipsum facta sunt*, verum est? Nam si ævum est illo antiquius, quomodò id quod ante illum est, per ipsum factum fuerit? Videtisne in quantam temeritatem semel abjectâ veritate processerint? Cur non dixit Evangelista ipsum *ex non exstantibus* factum esse, ut de omnibus Paulus his verbis asserit : *Qui vocavit ea quæ non sunt, tamquàm ea quæ sunt*[3]; sed dicit : *In principio erat?* hoc enim contrarium est illi; ac jure meritòque. Deus enim neque fit, neque quid se antiquius habet; verùm hæc Gentilium verba sunt. Dic et illud mihi : Annon dixeris Creatorem creatis operibus incomparabiliter excellentiorem esse? Cùm ergò ipsis simile foret id quod ex non exstantibus esset, ubi esset illa incomparabilis excellentia? Quid autem est illud : *Ego primus, et ego post hæc*[4]; et : *Ante me non fuit alius Deus*[5]? Nam si Filius non sit ex eâdem substantiâ, alius est Deus : si non coæternus, est post illum ; ac si non ex substantiâ prodiit, palàm est ipsum factum esse. Quòd si dixerint hæc ad differentiam idolorum dicta fuisse, quomodò non concedent ad differentiam idolorum solum verum Deum dici? Quòd si hoc etiam ad differentiam idolorum dictum sit, quomodò totam sententiam interpretaberis? *Post me* enim, inquit, *non est alius Deus.* Non ejiciens Filium hoc dicit, sed significat : Deus idolicus post me non est; non quòd Filius non sit. Etiam, inquies. Quid igitur? Illud : *Ante me non fuit alius Deus*, ità accipies, quòd nempè idolicus deus non fuerit; at fuerit saltem ante eum Filius? Ecquis dæmon hæc dixerit? Ne ipsum quidem diabolum id puto dicturum esse. Alioquin autem, si non est coæternus Patri, quomodò infinitam ejus vitam dixeris? Nam si principium anteriùs habet, etiamsi infinitus sit, non tamen immensus erit ; immensum enim utrinque immensum esse oportet : id quod etiam Paulus declarans dicebat : *Neque principium dierum, neque finem vitæ habens*[6], et principio et fine carere declarans. Quemadmodùm enim hoc, sic neque illud finem habet, cùm neque hîc finis sit, neque illic initium.

3. Quomodò autem, cùm vita sit, fuerit tempus cùm non esset? Vitam enim semper, ac sine principio et fine esse nemo non fateatur, si ille verè vita sit, ut reverà est. Si verò fuit aliquandò cùm non esset, quomodò vita aliorum sit, quæ aliquandò non fuit? Quomodò igitur, inquit, Joannes principium posuit dicens : *In principio erat?* Illine voci, quæso, *In principio*, et illi, *Erat*, attendis; et illam, *Verbum erat*, non cogitas? Quid verò, quandò de Patre dicit Propheta : *A sæculo et usquè in sæculum tu es*[7], an his verbis terminos ipsi ponit? Nequaquàm ; sed æternitatem significat. Idipsum hîc cogita. Non terminos ponens ità locutus est ; neque enim dixit : Principium habuit ; sed : *In principio erat ;* hâc voce, *Erat*, te deducens ut Filium sine principio esse cogitares. At, inquies, Pater *cum articulo* dicitur, Filius verò *sine articulo*[a]. Quid ergò cùm Apostolus dicit : *Magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*[8] ; et rursùm : *Qui est super omnia Deus*[9]? ecce namque hîc *sine articulo* Filium memoravit. Idipsum de Patre observes. Nam ad Philippenses scribens, sic ait : *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*[10] ; et ad Romanos : *Gratia vobis et pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo*[11]. Alioquin verò supervacaneum fuisset hîc *articulum* præponere, cùm suprà frequenter appositus fuerit. Quemadmodùm enim cùm de Patre dicit : *Spiritus est Deus*[12] ; quia *articulus* Spiritui non præpositus est, non ideò incorporeum esse Deum negamus ; sic et hoc loco, etiamsi Filio *articulus* non præponatur, non minùs tamen Deus est Filius. Quâ verò de causâ? Cùm enim Deum et Deum dixit, nullum indicat nobis divinitatis discrimen ; imò prorsùs contrà. Cùm enim priùs dixisset : *Et Deus erat Verbum*, ne quis putaret minorem esse Filii divinitatem, statim veræ divinitatis ejus documenta profert ; æternitatem nempè sic resumens : *Hic erat à principio apud Deum ;* creandi vim, cùm addit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est :* id quod maximè Pater ejus per Prophetas ubique substantiæ ejus argumentum esse dicit. Ac frequenter hoc demonstrationis genus Prophetæ versant, neque ad hoc solùm, sed ut etiam idolorum cultum tollant. Nam *dii*, inquit, *qui cœlum et terram non fecerunt, pereant*[13] ; ac rursùm : *Ego manu meâ extendi cœlum*[14] ; ostendensque illud

[1] *Sap.* IX, 14. — [2] *Isai.* XLIII, 10. — [3] *Rom.* IV, 17. — [4] *Isai.* XLI, 4. — [5] *Id.* XLIII, 10. — [6] *Hebr.* VII, 3. — [7] *Psalm.* LXXXIX, 2. — [8] *Tit.* II, 13. — [9] *Rom.* IX, 5. — [10] *Philipp.* II, 6. — [11] *Rom.* I, 7. — [12] *Joan.* IV, 24. — [13] *Jerem.* X, 11. — [14] *Isai.* XLIV, 24.

[a] *Pater* cum articulo *dicitur ; Filius verò* sine articulo. Hoc respicit illud Evangelii : Καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ubi τὸν Θεόν *cum articulo* dicitur de Patre, καὶ Θεὸς ἦν *sine articulo* de Filio. Undè arguebant impiè Ariani et Anomœi Filium non esse Deum sicut Patrem, sed minorem, nec propriè Deum quod contrariis exemplis confutat Chrysostomus.

esse divinitatis argumentum, id ubique ponit. Ipse autem Evangelista, his non contentus verbis, *vitam* ipsum vocavit et *lucem*. Si itaque semper cum Patre erat, si omnia ipse condidit, produxit et continet (hoc enim per vitam significavit), si omnia illuminat, quis ità stultus erit ut dicat Evangelistam hæc verba, ut divinitatem ejus minueret, induxisse, quibus æqualitas paritasque demonstrari poterat? Ne, quæso, confundamus creaturam cum Creatore, ne nos quoque audiamus: *Coluerunt creaturam præ Creatore* [1]. Etiamsi enim de cœlis hæc intelligenda dicant, attamen de his loquens omninò prohibuit ne creatura colatur: qui Gentilium error est.

4. Ne itaque hujusmodi maledictioni nos subjiciamus. Ideò venit Filius Dei, ut nos ab hoc cultu erueret: ideò servi formam accepit, ut nos ab illà servitute liberaret: ideò sputis et colaphis dehonestatus: ideò mortem turpissimam passus est. Ne, quæso, hæc omnia inutilia reddamus, neque rursùm ad pristinam redeamus impietatem, imò in longè graviorem; non enim æquale est creaturam colere, et ipsum Creatorem ad creaturarum vilitatem, quantùm in nobis est, deprimere. Nam ipse manet qualis est: *Tu autem idem ipse es*, inquit, *et anni tui non deficient* [2]. Glorificemus igitur eum, sicut accepimus à patribus: glorificemus eum et fide et operibus. Nihil enim nobis ad salutem prosunt dogmata pia, si vita sit corrupta. Quamobrem illam concinnemus ad Dei placitum, omni turpitudine, injustitià, avaritià longè abactà, tamquàm hospites et advenæ, et à præsentibus longè alieni. Si divitias quis multas habeat et prædia, sic iis utatur, ut peregrinus qui paulò pòst, velit nolit, discessurus est. Si quis ab alio injurià læsus sit, ne immortaliter irascatur, imò ne aliquo quidem tempore; non plùs enim uno die nobis ad iram concessit Apostolus: *Sol*, inquit, *non occidat super iracundiam vestram* [3]. Et jure quidem; optandum quippè est, et vix caveri potest, ut ne in tàm modico spatio quid molestum accidat. Si autem nox nos apprehendat, res graviores evadunt, memorià ingentem nobis ignem colligente, nobisque per temporis spatium hæc acerbiùs scrutantibus. Antequàm ergò otium hujusmodi occupemus, et vehementiorem accendamus rogum, jubet malum prævertere et exstinguere. Vehemens quippè est iræ motus omnique flammâ acutius. Ideò celeritate multà nobis est opus, ut flammam prævertamus, nec sinamus assurgere. Hic quippè morbus multorum causa malorum efficitur. Domos enim totas evertit, veteres solvit consuetudines, non consolabiles tragœdias brevi tempore ac momento parit. Nam *momentum furoris ejus, ruina ejus* [4], inquit. Ne itaque feram hanc sine freno sinamus, sed camum ipsi undiquè fortissimum, futuri judicii metum, injiciamus. Cùm te amicus læserit, aut familiaris concitaverit, cogita quanta erga Deum peccaveris, et perpende te, si moderatiùs cum illo agas, mitius tibi judicium illud constituere. Nam ait: *Dimittite, et dimittetur vobis* [5]; statimque morbus aufugiet. Ad hæc, consideres velim nùm aliquandò in furorem actus, te continueris, et nùm aliquandò etiam ab irà abreptus fueris: utrorumque comparatione temporum, ad emendationem valdè juvaberis. Dic enim mihi: Quandonàm teipsum laudàsti, cùm ab irà superatus es, an cùm superàsti? Annon cùm primùm accidit, nos vehementer incusamus, erubescimus, etiam nemine arguente, ac multa nos et verborum et gestorum subit pœnitentia? Cùm autem superamus, gaudemus, et quasi victores exsultamus? Victoria enim contra iram est, non cùm par pari referimus (hæc quippè extrema clades est), sed cùm æquo animo omnia patimur et audimus. Hoc quippè est superiorem esse, non mala inferre, sed mala pati. Cùm irasceris igitur, ne dicas: Prorsùs obsistam ego, prorsùs irruam in illum. Neque monentibus ut iram cohibeas dixeris: Non patiar ut, postquàm ille mihi illuserit, impunè abeat. Neque enim te umquàm irridebit, nisi quandò ad vindictam te contuleris: sin te quiescente irriserit, ut stultus id aget. Tu verò cùm viceris, ne quæras gloriam à stultis; sed eà contentus esto, quam à sapientibus assequeris. Imò verò cur tibi parvum illud ac vile theatrum hominum constituo? Ad Deum statim respice, et ipse te laudabit: quo laudante, nemo debet ab hominibus gloriam quærere. Hominum quippè laudes plerumquè vel ex gratià prodeunt, vel ex odio negantur, nihilque lucri afferunt; Dei verò judicium hàc inæquabilitate vacat, multamque laudato affert utilitatem. Hanc igitur laudem sequamur.

5. Visne discere quantum sit malum ira? Præsens esto, dùm alii rixantur in foro. Neque enim in teipso turpitudinem illam tàm facilè deprehendes, animo nempè tunc tenebris et ebrietate obvoluto; sed cùm irà vacuus es, tunc in aliis tua contemplare, quandò judicium tuum corruptum non est. Vide mihi turbam circumfluentem, et iratos, ac si furerent, in medio turpiter agentes. Cùm enim ira in pectore effervescit et efferatur, os ignem spirat, oculi ignem emittunt, inflatur undiquè vultus, incompositè manus jactantur, ridiculè pedes exsiliunt, et insultant litem dirimere conantibus: nihil irati differunt à furentibus, cùm hæc omnia nullo præditi sensu peragunt, imò ne ab asinis agrestibus, calcitrantes, mordentes. Sanè vir iracundus modestè agere nescit. Deindè post tantum excitatum risum, ubi domum redierint, ad se reversi, dolore simul ac metu agitantur, animo volventes quinam rixæ præsen-

[1] *Rom.* I, 25. — [2] *Psalm.* CI, 28. — [3] *Ephes.* IV, 26. — [4] *Eccli.* I, 22. — [5] *Luc.* VI 37.

-tes fuerint. Postquàm enim ceu furentes de spectantibus nihil cogitaverant, resipiscentes posteà secum reputant nùm amici, nùm inimici spectatores fuerint; nam perindè utrosque metuunt : illos, ut se improbantes majoremque inferentes pudorem: hos, ut de suâ turpitudine gaudentes. Quòd si ad plagas usquè mutuas rixa proruperit, tùm metus gravior, ne quid deterius verberato accidat, ne subsequens febris mortem inferat, vel tumor curatu difficilis in extremum periculum conjiciat. Quid enim mihi pugnâ opus erat? Quid contumeliis et rixis? Pereant et hæc et illa. Tuncque omnibus hisce fluxis rebus maledicunt, quæ rixandi causa fuere. Insipientiores verò et malignos dæmonas, et horam, tempusque criminantur. Verùm non hora mala in causâ est; nulla quippè hora mala: neque hæc à maligno dæmone proficiscuntur, sed ex nequitiâ rixantium. Hi namque et dæmonas attrahunt, et sibi ipsis mala inferunt. Sed cor intumescit, inquies, et à contumeliis mordetur! Id et ego novi ; ideòque miror eos qui malam hanc feram coercent. Si enim velimus, possumus morbum depellere. Cur enim, cùm principes viri nos contumeliâ afficiunt, id non agimus? Nonne quia timor, non minor quàm ira, nos deterret, nec vel à principio iram erumpere sinit? Cur porrò servi à nobis mille contumeliis onerati, omnia taciti ferunt? Nonne quia et ipsi eodem vinculo ligantur? Tu verò ne solùm Dei timorem cogites, sed etiam te tunc à Deo contumeliis affici, qui jubet te tacere; et omnia patienter feres. Dic te lacessenti : Quid faciam tibi? Alius mihi et manum et linguam cohibet. Eritque dictum illud et tibi et ipsi philosophiæ materia. Nunc autem hominum gratiâ etiam intolerabilia ferimus, et iis qui nos lacessunt sæpè dicimus : Ille me lacessivit, non tu. Deo autem ne parem quidem reverentiam exhibebimus? Ecqua nobis erit venia? Animæ nostræ dicamus : Deus nos nunc lacessit, qui manus nostras cohibet : ne insiliamus, nec minore Deum quàm homines obsequentiâ prosequamur. Ad hoc verbum exhorruistis? Sed non tantùm ad verba, sed etiam ad opus vos exhorrescere cupio. Jussit Deus nos colaphis cæsos, non modò ferre, sed etiam ad pejus quidpiam patiendum nos offerre. Nos autem cum tantâ violentiâ obsistimus, ut non modò nos ad malè patiendum non offeramus, sed etiam nos ulciscamur; imò sæpè priores manus inferamus, nosque vinci putemus, nisi paribus afficiamus. Nam illud gravius est quòd nos vincere existimemus, quandò extremâ clade afficimur, et humi prostrati jacemus, ac mille acceptis à diabolo vulneribus, de illo victoriam reportâsse credamus. Quamobrem, rogo, discamus qui sit hujus victoriæ modus, et hanc morum speciem adeamus. Siquidem malè pati, idipsum est quod coronari. Si ergò volumus nos à Deo victores proclamari, in his certaminibus ne legem sæcularium agonum servemus, sed legem à Deo pro his certaminibus positam, ut omnia æquo animo feramus. Ità enim et adversarios et præsentia omnia superabimus, et promissa consequemur bona gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA IV[a].

Num. 1. Confutantur hæretici qui punctum apponebant post illud : *Sine ipso factum est nihil.* — 2. Absurditates hæreticorum tolluntur, si, sublato puncto, uno tenore legatur : *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Joannis doctrina cum doctrinâ S. Pauli concordat. — 3. *Vita* quæ *in ipso erat,* non ad creationem solùm, sed et ad providentiam et ad resurrectionem spectat. Neque Pater, neque Filius compositus est. Quo sensu dicitur vita esse lucem hominum, et lucem in tenebris lucere? — 4. Huic ergò luci oculos animæ aperiamus, id est, animum omni peccato purgemus, siquidem peccatum tenebrosum est.

1. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Moyses historiam Veteris Testamenti à sensilibus nobis orditur, et ea pluribus enumerat ; nam ait : *In principio fecit Deus cœlum et terram*[1] *:* deindè adjicit lucem factam, secundum cœlum [b], stellarum naturam, omnigena animalium genera, ne singula prosequentes longiores simus. Hic autem Evangelista uno verbo complectitur omnia, et illa nempè et illis superiora. Et jure certè, quia illa auditoribus nota sunt, et ipse ad præstantius argumentum properat, ac totum opus aggreditur, non de operibus, sed de Opifice et Creatore dicturus. Ideò Moyses quidem, etsi minorem creationis partem aggrediatur (nihil

[1] *Gen.* I, 1.

[a] Est Homilia 5 in edit. Montfauconianâ. Explicantur hîc versus 3, 4 et 5 cap. 1 Evangelii S. Joannis.

[b] *Secundum cœlum*, id est, firmamentum.

enim nobis de invisibilibus potestatibus narravit), in illis versatur ; hic verò, qui ad ipsum Creatorem ascendere festinat, jure omnia prætercurrit, et hæc quæ ille dixit, et ea quæ ipse tacuit, paucis complectitur : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ne verò putes ipsum ea tantùm memorare quæ Moyses narravit, subjungit : *Et sine ipso factum est nihil quod factum*, hoc est : Ex rebus factis, sive sub aspectum, sive sub intellectum tantùm cadant, nihil sine Filii virtute productum est. Neque enim punctum apponemus post illud, *Nihil*, ut hæretici faciunt [a]. Illi enim cùm velint Spiritum creatum esse, ità legunt : *Quod factum est, in ipso vita erat.* At sic hæc nullo modo intelligi poterunt. Primò enim hìc non opportuna Spiritûs mentio esset : quòd si tandem id voluisset, cur tàm obscurè locutus esset? Undè enim constat hoc de Spiritu dictum esse? Alioquin autem secundùm hanc seriem comperiemus, non Spiritum, sed ipsum Filium per seipsum factum esse. Verùm attendite, ne vos hoc dictum effugiat; et age interim, ad illorum morem legamus ; hoc pacto enim manifestior erit absurditas. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Vitam hìc Spiritum significare dicunt. Sed vita etiam lux appellata hìc occurrit; subjicit enim : *Et vita erat lux hominum.* Secundùm illos ergò lucem hominum hìc Spiritum dicit. Quid igitur? Cùm subdit : *Fuit homo missus à Deo, ut testimonium perhiberet de lumine*, necesse est ut dicant hoc etiam de Spiritu proferri. Eum enim quem suprà Verbum dixit, in sequentibus Deum, vitam, et lucem nominat. *Vita erat*, inquit, hoc Verbum, et hæc ipsa vita lux erat. Si itaque Verbum vita erat, Verbum autem, quod est vita, caro factum est : vita caro facta est, hoc est, Verbum; et ejus gloriam vidimus, quasi Unigeniti à Patre. Si ergò dicant Spiritum hìc vitam vocari, vide quanta absurda sequantur. Spiritus enim incarnatus fuerit, non Filius : Spiritus erit unigenitus Filius. Si non ità res fuerit, dùm hoc effugient, in aliud longè absurdius incident ità legentes. Nam si confiteantur illud de Filio dictum esse, neque interpungant, nec legant ut nos legimus, ipsum Filium à seipso factum esse dicant oportet. Si enim Verbum vita erat, si quod factum est, in ipso vita erat, ipsum in seipso et per seipsum factum est secundùm hanc lectionem. Deindè, quibusdam interpositis, adjicit : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Ecce secundùm illorum qui ità loquuntur lectionem, Spiritus sanctus, unigenitus esse Filius deprehenditur. De illo enim hæc omnis narratio instituitur. Videtisne quandò à veritate sermo aberrat, in quæ præcipitia abeat, et quot absurda pariat? Quid igitur? Spiritus, inquies, non est lux? Est quidem lux; verùm hìc non de illo agitur, quandoquidem et Deus Spiritus, hoc est, incorporeus; sed non ubicumque Spiritus dicitur, Deum esse declaratur. Et quid miraris, si id de Patre dicamus? Neque enim de Paracleto quoque id dixerimus, quòd ubicumque Spiritus dicitur, id de Paracleto intelligatur : quamvis hoc nomen ipsi maximè competat, attamen ubi Spiritus legitur, non semper Paracletus est intelligendus. Nam et Christus Dei virtus et Dei sapientia vocatur [1]; at non semper ubi Dei virtus et Dei sapientia dicitur, Christus indicatur. Sic et hoc loco : licèt Spiritus illuminet, non tamen de ipso nunc loquitur Evangelista. Attamen, his exclusis absurdis ratiociniis, illi qui semper veritati repugnant, dicere non desistunt : *Quod factum est, in ipso vita erat*, id est : Quod factum est, vita erat. Quid igitur? An Sodomorum supplicium, diluvium, gehenna et mille res hujusmodi vita erant? Sed de creatione nobis est sermo, inquiunt. Certè illa quoque ad creationem pertinent. Verùm ut aliundè etiam illorum sententiam validiùs confutemus, interrogabimus illos : Nùm, quæso, lignum vita est? Nùm lapis, inanima hæc et immobilia? An homo omninò vita est? Ecquis hoc dixerit? Non enim ipsa vita homo, sed vitæ capax homo est.

2. Vide rursùm hìc absurditatem ; nam hanc sequemur dicendi seriem, ut hinc eorum insipientiam discamus. Sic nihil usquàm illi dicunt quod Spiritui competere possit. Postquàm enim indè exciderunt, hominibus illa adscribunt, quæ de Spiritu dignè dicta fuisse putabant. Cæterùm jàm lectionem examinemus. Creatura nunc vita dicitur : ergò lux etiam est; deque illâ testificaturus venit Joannes. Cur ergò non et ipse lux est? Nam *non erat ille lux*, inquit. Atqui ex creaturarum numero erat. Quomodò ergò non est lux? Quomodò *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est?* Creaturane erat in creaturâ, et creatura per creaturam facta est? Quomodò *mundus eum non cognovit?* An creatura creaturam non novit? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed sat risui datum est. Hæc monstra verborum vobis deinceps confutanda relinquo, ne nos hæc risum movendi causâ præmisisse videamur, tempusque frustrà teramus. Nam, si hæc de Spiritu non dicta sunt, ut jàm demonstratum est, neque de creaturâ, et eamdem tamen illi lectionem tueantur, illud omnium absurdissimum sequetur, ut diximus, quòd Filius per seipsum factus sit. Si enim lux vera Filius est, lux autem hæc vita erat, vitaque in ipso facta est, necessariò illud consequitur secundùm eorum lectionem. Ideò hâc omissâ, ad legitimam

[1] I *Cor.* I, 24.

[a] Ista hæreticorum lectio quæ hìc confutatur, lectio etiam est quorumdam Catholicorum.

veniamus lectionem et interpretationem. Quænam illa est? Ut in hæc verba: *Quod factum est*, terminemus sententiam, deindè ab hoc dicto incipiamus: *In ipso vita erat.* Hoc autem ille vult significare: *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Si quid, inquit, factum est, sine ipso factum non est. Videsne quomodò per breve hoc additamentum absurda omnia quæ suboriri poterant, eliminavit? Per id enim quod intulit: *Sine ipso factum est nihil*, et per illud additum: *Quod factum est*, intellectualia, simul comprehendit, Spiritumque subtraxit. Cùm enim dixisset: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, ne quis diceret: Si omnia, ergò Spiritus per ipsum factus est, hoc additamento opus fuit. Ego, inquit, si quid factum est, hoc per ipsum factum esse dixi; sive invisibile, sive incorporeum, sive in cœlo factum sit. Ideò non simpliciter *omnia* dixi; sed *si quid factum est*, hoc est, *quæ facta sunt.* Spiritus verò factus non est. Videsne accuratam doctrinam? Rerum sensilium creationem memoravit, quam anteà Moyses docuerat: deindè jàm imbutos ad sublimiora ducens, incorporea nempè et invisibilia, Spiritum sanctum ab omni creaturà sejunxit. Sic et Paulus hàc gratià inspiratus dicebat: *Quoniam in ipso creata sunt omnia* [1]. Hìc verò rursùm eamdem accurationem observes velim. Idem namque Spiritus hanc quoque movebat animam. Ne quis enim rem factam quampiam à Dei creatione removeret, eo quòd ipsa invisibilia essent, neve his Paracletum admisceret, prætermissis sensilibus quæ omnibus nota erant, cœlestia enumerat his verbis: *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates* [2]. Illud enim, *Sive*, singulis appositum, nihil aliud nobis significat quàm hoc: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Quòd si illud, *Per*, diminutionem significare putes, audi Prophetam dicentem: *Initio tu, Domine, terram fundàsti, et opera manuum tuarum sunt cœli* [3]. Quod de Patre ut Creatore dictum est, id de Filio dicit, non dicturus, nisi Creator, nec tantùm minister existimatus esset. Quòd si hìc *Per ipsum* dicatur, non alià de causà dicitur, quàm ne quis Filium non genitum esse suspicetur. Quandoquidem quòd secundùm creationis dignitatem nihil minùs habeat quàm Pater, audi ipsum dicentem: *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* [4]. Si itaque de Filio dicatur in Veteri Testamento: *Initio tu, Domine, terram fundàsti*, manifesta est creationis dignitas: sin de Patre Prophetam id locutum dixeris, Paulum autem Filio adscripsisse id quod de Patre dictum erat, idipsum tamen sequetur. Neque enim id Paulus Filio competere statuisset, nisi admodùm certus parem esse dignitatem. Extremæ namque audaciæ esset, ea quæ incomparabili naturæ competerent, minori et inferiori adscribere.

3. At neque minor, neque inferior Patris substantià est Filius. Quapropter non hoc solùm de Filio ausus est Paulus dicere, sed etiam alia similia. Nam illud, *Ex quo*, quod tu solius Patris dignitati adscribis, ille de Filio dicit his verbis: *Ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei* [5]. Neque hoc solo contentus est, sed et aliundè vobis obstruxit ora, cùm illud, *Per quem*, quod minorem significare dicis, Patri adscribit: *Fidelis* enim *Deus*, inquit, *per quem vocati estis in societatem Filii ejus* [6]; et rursùm: *Per voluntatem ejus* [7]; et alibi: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipsum omnia* [8]? Itaque non uni Filio illud, *Ex quo*, sed etiam Spiritui tribuitur; etenim Josepho Angelus dicebat: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eà natum est, ex Spiritu sancto est* [9]; quemadmodùm et illud, *In quo*, quod Spiritûs est, non recusat Propheta Deo tribuere, dùm ait: *In Deo faciemus virtutem* [10]; et Paulus: *Obsecrans*, ait, *si quomodò tandem aliquandò prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos* [11]; et iterùm id de Christo dicit: *In Christo Jesu* [12]. Hujuscemodi certè verba indiscriminatim accepta frequenter reperiemus: quod minimè fieret, nisi ubique eadem substantia esset. Ne autem illud, *Omnia per ipsum facta sunt*, de signis putes nunc esse dictum; de iis enim reliqui Evangelistæ verba fecerunt. Post hæc subdit: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est*; non autem Spiritus, qui non ex numero opificiorum est, sed supra omnes omninò creaturas. Verùm jàm reliqua prosequamur. Cùm de creatione loquens Joannes dixisset: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*, de providentià sermonem adjicit his verbis: *In ipso vita erat.* Ne quis enim incredulus dubitaret quomodò tot tantaque per ipsum facta sint, subdidit: *In ipso vita erat.* Quemadmodùm si ex fonte abyssos emittente aquam hauseris, quantumcumquè haurias, fontem nihil minues; ità de Unigeniti vi operandi putandum: quantacumque per ipsam facta credideris, numquàm illa minuitur, imò verò, ut magis proprio utar exemplo, nempè lucis, de quà ille mox adjicit: *Et vita erat lux.* Quemadmodùm ergò lux, quantacumque hominum millia illuminet, nihil splendoris amittit; sic quoque Deus; et antequàm operetur,

[1] *Coloss.* I, 16. — [2] *Ibid.* — [3] *Psalm.* CI, 26. — [4] *Joan.* V, 21. — [5] *Coloss.* II, 19. — [6] I *Cor.* I, 9. — [7] *Ephes.* I, 1. — [8] *Rom.* XI, 36. — [9] *Matth.* I, 20. — [10] *Psalm.* LIX, 14. — [11] *Rom.* I, 10. — [12] *Id.* III, 24 *et alibi.*

et post emissa opera, perindè integer manet, nec minuitur, neque ex operatione multà fatigatur; sed, etiamsi mille mundos similes creare oporteret, etiamsi infinitos, illis omnibus sufficeret, nec creandis modò, sed etiam post creationem servandis. Vitæ quippè nomen hîc non ad creationem solùm pertinet, sed et ad providentiam, quà res creatæ servantur et permanent. Etiamque resurrectionis doctrinam jàm nobis fundare incipit, et ab admirandis hisce Evangeliis orditur. Vità namque ad nos adveniente, solutum est mortis imperium, luceque nos illuminante, tenebræ non ultrà manent; sed manet semper in nobis vita, et mors ei dominari non potest. Itaque quod de Patre dictum est, de hoc quoque propriè dicatur : *In ipso vivimus, movemur, et sumus*[1]: id quod etiam Paulus declarat his verbis : *Quoniam in ipso creata sunt omnia, et omnia in ipso constant*[2]. Quapropter et radix dicitur et fundamentum. Cùm autem audis : *In ipso vita erat,* ne compositum suspiceris ; nam posteà de Patre dicit : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam*[3]. Sed sicut Patrem non ideò compositum dixeris, sic nec Filium dicas. Etenim alibi quoque dicit : *Lux est Deus*[4]; et rursùs : *Lucem habitat inaccessibilem*[5]. Hæc porrò omnia dicta sunt, non ut compositionem suspicemur, sed ut paulatim ad doctrinæ culmen evehamur. Cùm enim non facilè à vulgo intelligi possit quà ratione vita in ipso existat, primò id quod humilius est dicit; eruditos verò posteà altiùs erigit. Qui enim dixit : *Dedit ei vitam habere*[6], is ipse ait : *Ego sum vita*[7]; et rursùs : *Ego sum lux*[8]. Et qualis, quæso, hæc lux est? Non sensilis, sed spiritualis, quæ illuminat animam. Quia enim Christus dicturus erat : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*[9], ideò præveniens Evangelista dixit ipsum esse qui illuminat, ut si de Patre quid simile audias, ne id solius Patris, sed Filii quoque esse profitearis; nam *omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater meus, mea sunt*[10]. Primò igitur creationem nos docuit : deindè animæ bona quæ veniens nobis largitus est, uno verbo subindicavit Evangelista dicens : *Et vita erat lux hominum.* Nec dixit : Erat lux Judæorum, sed : Universorum hominum. Neque enim Judæi tantùm, sed etiam Gentiles ad hanc cognitionem devenerunt, et hæc lux communis omnibus proposita erat. Cur autem non *Angelos* addidit, sed *homines* solùm dixit? Quia nunc ipsi de humanà naturà sermo est, et hominibus bona nuntiaturus venit. *Et lux in tenebris lucet.* Tenebras hîc vocat mortem et errorem. Hæc quippè lux sensilis non in tenebris lucet, sed sine tenebris est. Prædicatio autem inter eum, qui omnia occupaverat, errorem effulsit, eumque sustulit. Et in ipsam mortem veniens ipse, sic illam superavit, ut eos qui morte jàm detinebantur, erueret. Quoniam igitur neque mors, neque error lucem illam superàrunt, sed est ubique splendida et proprià vi fulget, ideò ait : *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Est enim inexpugnabilis, nec libenter in animis habitat, qui nolunt illuminari.

4. Quòd si non omnes ceperit, ne id te conturbet; non enim ex necessitate aut vi, sed ex voluntate et arbitrio ad nos accedit Deus. Ne luci huic ostium claudas, et multà voluptate frueris. Hæc porrò lux per fidem accedit, et cùm semel advenit, excipientem se admodùm illuminat; et si puram exhibeas vitam, perpetuò intùs manebit ; nam *qui diligit me, mandata mea servabit; et veniemus ad eum ego et Pater meus, et mansionem apud eum faciemus*[11]. Quemadmodùm enim non potest quis radio solari probè frui, nisi oculos aperiat; ità neque hujus splendoris abundè consors esse, nisi animæ oculos aperiat, eorumque aciem undiquè paret. Quomodò autem id fieri possit? Si animum omni vitio purgemus. Peccatum enim tenebrosum est, densàque caligine offusum ; idque indè palàm est quòd inconsideratè et sine arbitris admittatur. Nam *omnis qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem*[12]; et : *quæ in occulto fiunt, turpe est et dicere*[13]. Sicut enim in tenebris nec amicum, nec inimicum agnoscimus, rerumque omnium naturam ignoramus; sic et in peccato accidit. Nam qui avaritiæ studet, non distinguit amicum ab inimico ; invidusque necessitudine sibi junctum ut inimicum habet; ac qui insidiatur, contra omnes bellum gerit: uno verbo, quisquis peccato obnoxius est, nihil differt ab ebriis et furentibus, neque rerum naturam novit. Ac quemadmodùm noctu lignum, plumbum, ferrum, argentum, aurum, lapidem pretiosum, omniaque pari modo cernimus, cùm lux ad hæc discernenda non adsit; sic qui vità impurus est, temperantiæ virtutem non novit, neque philosophiæ pulchritudinem. In tenebris enim, ut jàm dixi, ne lapides quidem pretiosi pulchritudinem suam exhibent, non naturæ suæ vitio, sed spectantium ignorantià. Neque hoc unum nobis damnum in peccato degentibus accidit, sed et in perpetuo metu versamur ; ac quemadmodùm ii qui per noctem illunem iter agunt, semper tremunt, licèt nemo adsit qui metum incutiat ; sic ii qui peccatis dediti sunt, fidere nequeunt, etiamsi nullus adsit qui redarguat; sed omnia formidant et suspecta habent, conscientià stimulante, omniaque ipsis terrore et

[1] *Act.* XVII, 28. — [2] *Coloss.* I, 16. — [3] *Joan.* V, 26. — [4] I *Joan.* I, 5. — [5] I *Tim.* VI, 12. — [6] *Joan.* V, 26. — [7] *Id.* XIV, 6. — [8] *Id.* VIII, 12. — [9] *Id.* VI, 44. — [10] *Id.* XVI, 15. — [11] *Id.* XIV, 23. — [12] *Id.* III, 20. — [13] *Ephes.* V, 12.

formidine plena sunt, omnia anxii circumspiciunt. Tàm molestam ergò vitam fugiamus. Nam post angorem hujusmodi, mors sequetur, mors immortalis; illìc enim nullus supplicii finis erit; hìc verò ab insanientibus nihil differunt ii qui res sibi fingunt, quæ ne quidem existunt. Videntur enim sibi divites esse, cùm non sint: se deliciari putant, et nullæ deliciæ; nec priùs fallaciam, ut par esset, sentiunt, quàm ab hàc insaniâ liberentur, et donec somnum excutiant. Ideòque ut sobrii simus et vigilemus Paulus omnibus præcipit[1]; et idipsum quoque Christus. Qui sobrius est et vigilat, si à peccato capiatur, citò ipsum excutit; qui verò dormit aut insanit, ne quidem sentit quomodò à peccato teneatur. Ne itaque dormiamus. Neque enim noctis tempus est, sed diei. Itaque *sicut in die honestè ambulemus*[2]. Nihil enim peccato turpius. Minus est malum, secundùm turpitudinis rationem, nudos, quàm peccatis et sceleribus onustos obambulare. Illud enim non tantum crimen esset; sæpè namque ex paupertate oritur: peccatore autem nihil turpius, nihil contemptu dignius. Cogitemus ergò eos qui rapinæ et usuræ causâ in judicium raptantur, quàm turpes, quàm ridiculi videantur, ut qui omnia impudenter, fallaciter et cum violentiâ egerint. Nos autem ità miseri infelicesque sumus, ut, dùm pallium negligenter vel transversè positum gestare non patimur, imò idipsum in alio emendamus; cùm autem et nos et proximi nostri inverso capite ambulemus, id ne quidem sentiamus. Quid enim, quæso, turpius viro, qui meretricem adit? Quid contumelioso, quid maledico, quid invido risu dignius? Quî fieri potest ut hæc non tàm turpia habeantur, quàm nudos ambulare? A consuetudine tantùm. Illud enim nemo umquàm sponte suà passus est; hoc verò omnes confidenter audent. Certè, si quis Angelorum cœtum adiret, in quo nihil umquàm hujusmodi gestum est, statim videret quàm ridicula res esset. Ecquid Angelorum cœtum memoro? Nam in imperatoriis apud nos ædibus, si quis inductâ meretrice utatur, vel si ebrietate capiatur, vel turpe aliud quidpiam admittat, extremas dat pœnas. Quòd si in imperatoriis ædibus talia audere non licet, multò magis, ubique præsente universorum Rege, omniaque circumspiciente, si similia aggrediamur, extremum luemus supplicium. Quapropter, rogo, multam in hâc vitâ quietem et modestiam, multam munditiem exhibeamus. Regem quippè habemus, qui nostra omnia perpetuò intuetur. Ut itaque semper lux illa nos illuminet, hunc nobis radium attrahamus. Ità enim et præsentibus et futuris fruemur bonis gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unàque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA V[a].

NUM. 1. Joannes à Deo missus. — 2. Cur et quomodò Christus testimonium accipit ab homine? — 3. Major est ille de quo perhibetur testimonium, quàm is qui testificatur. Nihil prodest doctrina sine bonis operibus.

1. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* In exordio de Deo Verbo quæ præcipua et magis necessaria erant locutus Evangelista, ordine procedens, ad Verbi præconem sibi cognominem Joannem posteà venit. Tu verò cùm audis ipsum à Deo missum fuisse, nihil humanum ab eo dici putes. Non enim sua, sed mittentis se dicta profert. Ideòque Angelus appellatus est; Angeli verò sive nuntii officium est nihil ex se dicere. Illud autem, *Fuit,* non hìc ad existentiam transitum significat, sed missionem ipsam. Nam illud, *Fuit missus à Deo,* idipsum est quod : Missus est à Deo. Quomodò igitur illud, *Qui cùm in formâ Dei esset*[3], dicunt non intelligi de æqualitate Filii cum Patre, eo quòd *articulus* non apponatur? Ecce enim hìc quoque nullus adest articulus. An igitur hìc de Patre non est sermo? Quid ergò dicemus de Prophetâ qui ait: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam*[4]? Illud *meum* et *tuam*, duas personas significat.

2. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Quid hoc, dicet fortassè quispiam, servus de domino testimonium perhibet? Cùm ergò non modò illum servi testimonio perhiberi videbis, sed etiam ad servum venire, ac cum Judæis ab illo baptizari, annon magis obstupesces et dubitabis? Sed non oportet turbari vel commoveri, at potiùs ejus ineffabilem benignitatem mirari. Si verò quis dubius in perturbatione maneat, id illi dicet quod Joanni : *Sine modò ; sic enim decet nos implere omnem justitiam*[5]. Quòd si magis adhuc turbetur, dicet illi rursùm id quod Judæis dicebat : *Non ab homine testimonium accipio*[6]. Si ergò hoc testimonio non eget, cur Joannes missus

[1] I *Thess.* v, 6. — [2] *Rom.* XIII, 13. — [3] *Philipp.* II, 6. — [4] *Malach.* III, 1. — [5] *Matth.* III, 15. — [6] *Joan.* v, 34.

[a] Est Homilia 6 in edit. Montfauconianâ. Ibi explicantur versus 6 et 8 cap. 1 Evangelii S. Joannis.

est à Deo? Non quòd ejus testimonio egeret (id enim dicere, extremæ impietatis esset), sed cur tandem? Illud ipse Joannes docet, cùm ait : *Ut omnes crederent per illum.* Ipse verò Christus cùm dixisset: *Non ab homine testimonium accipio*, ne apud insipientiores sibi ipsi repugnare videretur, cùm nunc dicat : *Alius est qui testimonium perhibet de me; et scio quia verum est testimonium ejus*[1], de Joanne loquens; nunc verò: *Non ab homine testimonium accipio,* solutionem mox adjicit, dicens : *Sed hæc dico propter vos, ut salvi sitis*[2], ac si diceret : Deus sum, et Dei verus Filius, ex substantiâ illâ immortali et beatâ, nulliusque testimonio egeo. Etsi enim nemo id testificari vellet, in nullo secundùm naturam minor essem. Quia verò multorum salus mihi curæ est, ideò in hanc me demisi humilitatem, ut homini testimonium de me ferendum committerem. Nam perspectâ Judæorum imbecillitate, sic facilior fides in eum futura videbatur. Sicut igitur carnem induit, ne cum nudâ divinitate congressus, omnes perderet; sic et præconem misit hominem, ut congenerem sibi vocem audientes, faciliùs ii qui tunc audiebant accederent. Nam quòd non illius testimonio opus haberet, hoc solùm modo ostendi poterat, si nempè se nudâ substantiâ exhibuisset, omnesque in stuporem conjecisset. Verùm id non fecit, quoniam, ut jamjàm dixi, omnes perdidisset, quòd nemo posset inaccessam illam lucis vim ferre. Ideò carnem induit, et testimonium de se ferendi officium uni conservorum nostrorum tradit, quia omnia ad salutem hominum operatus est; neque suæ dignitati tantùm, sed etiam auditorum captui et utilitati consuluit : quod et ipse subindicans dicebat : *Hæc dico propter vos, ut salvemini.* Et Evangelista, qui ea ipsa quæ Dominus, loquitur, postquàm dixerat : *Ut testimonium perhiberet de lumine,* subjunxit : *Ut omnes crederent per eum*, ac si diceret : Ne putes ideò testificaturum venisse Joannem Baptistam, ut aliquid fidei verbis Domini adderet, non propтereà venit, sed ut contribules sui per ipsum crederent. Quòd autem ad eam tollendam suspicionem hæc dixerit, ex sequentibus constat; addit enim :

3. *Non erat ille lux.* Nisi enim hujus abigendæ suspicionis gratiâ hæç dixisset, superfluum hoc esset, et magis repetio quàm explicatio doctrinæ. Cùm dixisset enim : Missus est *ut testimonium perhiberet de lumine*, cur iterùm dicit : *Non erat ille lux?* Non frustrà, nec sine causâ ; sed quia frequenter apud nos major est is qui testificatur, quàm ille de quo testimonium fertur, fideque dignior plerumquè videtur esse, ne quis de Joanne id suspicaretur, statim à principio hanc malam suspicionem tollit, eâque radicitùs evulsâ, ostendit quis sit is qui testificatur, et quis ille de quo testimonium fertur, et quantum sit inter utrumque discrimen. Ac postquàm hoc fecit, ostenditque illius incomparabilem excellentiam, fidenter jàm cætera prosequitur ; et si quid absurdi insipientiorum animos subiret, hoc diligenter sublato, facilè deinceps et sine obice doctrinæ verbum immittit. Precemur itaque, ut cum tantarum revelatione rerum, cumque sanâ rectâque doctrinâ vitam quoque puram sanctamque ducamus. Doctrina quippè nihil nobis prodest sine bonis operibus. Licèt enim fidem integram Scripturarumque intelligentiam teneamus, si bonæ vitæ patrocinio nudi et vacui simus, nihil impediet quominùs in gehennæ ignem dejiciamur, et in infinitum inexstinguibili flammâ comburamur. Sicut enim ii qui bona egerunt, resurgent in vitam æternam ; sic illi qui contraria ausi sunt, in æternum et numquàm finem habiturum supplicium[3]. Quamobrem omne adhibeamus studium, ut ne lucrum nobis ex rectâ fide partum, operum pravitate labefactemus; sed cùm hìc piè vixerimus, Christum cum fiduciâ videamus, cui beatitudini par nihil umquàm fuerit. Utinàm nos suprà dicta consecuti, ad gloriam Dei omnia faciamus, cui gloria unà cum unigenito Filio et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA VI[a].

NUM. 1. Incomprehensibilia Dei non scrutanda. — 2. Vera de Patre et de Filio doctrina. Sabellianorum et Marcellianorum insania. — 3. Peccata quomodò abluantur?

1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ideò, dilectissimi filii, vos minutatim et per partes Scripturarum doctrinâ pascimus, neque simul omnia effundimus, ut facilior vobis sit emissi verbi custodia. Nam in ædificiis, qui antequàm priores lapides conjuncti sint, alios superimponit, non firmum, sed facilè ruiturum struit parietem; qui autem exspectat donec

[1] *Joan.* V, 32. — [2] *Ibid.* 34. — [3] *Ibid.* 29.

[a] Est Homilia 7 in edit. Montfauconianâ.

calce firmentur, et sic paulatim cætera adjicit, tutam, firmam diuque duraturam domum excitat. Hos ædium structores et nos imitemur, eodemque modo vestras ædificemus animas. Timemus enim ne, recens cùm sit prior structura, secundæ additæ speculationes priores pessumdent, cùm mens nequeat omnia simul continere. Quid igitur hodiè lectum est? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Qui enim suprà de Joanne disserens, dicebat eum venisse, *ut testimonium perhiberet de lumine*, et nunc missum esse, ne quis hæc audiens, ob nuperum testificantis adventum, de eo cui testimonium ferebatur aliquam suspicionem admitteret, mentes erexit, et ad omni principio superiorem existentiam transmisit, quæ nullum habitura finem est. Et quomodò possunt hæc esse, inquies, cùm sit Filius? De Deo loquimur, et tu interrogas quomodò? Neque times vel horrescis? Ad hæc, si quis quærat à te quomodò animæ et corpora immortali vitâ fruitura sint, interrogationem illam ridebis, quasi non sit humanæ mentis quærere, sed credere tantùm oporteat, neque dictum illud scrutari, cujus sufficiens sit demonstratio dicentis potentia; sin autem illum qui et animas et corpora creavit, et nullâ comparatione creaturam universam exsuperat, sine principio esse dicamus, tu interrogabis quomodò id factum sit? Ecquis sanæ mentis hæc esse dixerit? Quis benè valentis animi et ratiocinii? Audîstis illud: *Erat lux vera.* Quid frustrà contendis, ut infinitam illam vitam ratiocinio assequaris, quæ non potest attingi? Quid quæris ea quæ exquiri nequeunt? Cur incomprehensibilia scrutaris? Cur examinas ea quæ examini non subjacent? Solarium radiorum perquire radicem, non poteris assequi; neque tamen indignaris, neque ægrè fers imbecillitatem tuam. Cur ergò in majoribus audax es et temerarius? Joannes filius tonitrui, qui spirituali tubâ canit, ubi illud, *Erat*, à Spiritu audivit, nihil ultrà quæsivit; et tu non pari gratiâ donatus, qui ex infirmis ratiociniis tuis loqueris, cognitionis illius terminum transcendere conaris? Ideòque non parem ei, quam ille habuit, notitiam umquàm assequeris. Hujusmodi namque est diaboli calliditas: eos qui illi obsequuntur, extra terminos à Deo nobis positos transfert, quasi longè ulteriora attingere possimus; postquàm autem hâc spe inescatos à divinâ gratiâ extrusit, tunc demùm non modò nihil ultrà addit; quomodò enim id faceret, diabolus cùm sit? sed nec sinit ut ad priora, in queis tutò versabamur, redeamus; verùm circumquaquè agit errantes, qui nusquàm consistere possimus. Sic primum parentem ex paradiso excidere curavit. Cùm enim illum spe majoris scientiæ et honoris inflasset, etiam illum ab iis quibus tranquillè fruebatur ejecit. Non modò enim non factus est æqualis Deo, ut ipsi pollicebatur, sed sub mortis tyrannidem detrusit; nec solùm à ligni esu nihil accepit, sed etiam ex illâ quam habebat scientiâ non parùm amisit, idque spe majoris adipiscendæ. Nam tunc primùm de nuditate erubescere cœpit, cùm anteà omni pudore et rubore superior fuisset. Illud etiam quòd se nudum esse adverteret, quòd vestibus exindè egeret, illud, inquam, et alia plurima tristia acciderunt. Quod ne nobis quoque contingat, Deo obtemperemus, ejus præcepta observemus, et nihil ulteriùs curiosè perquiramus, ut ne ex nobis concessis excidamus donis, quod et illis accidit. Dùm enim vitæ principio carentis principium perquirunt, etiam illa quæ habere poterant amiserunt. Neque enim id quod quærebant invenerunt; non enim poterant; atque à sanâ circa Unigenitum fide exciderunt. At nos ne transferamus terminos antiquos, quos posuerunt patres nostri, et ubique Spiritûs sancti legibus cedamus; et cùm audimus: *Erat lux vera*, nihil ulteriùs inquiramus; neque enim ultrà possumus pertingere. Nam si Deus ut homo genuisset, necessariò interstitii quidpiam fuisset Genitorem inter et Genitum; sed quia ineffabili modo et ut Deum decet genuit, abstine ab his vocibus, *antè* et *pòst*; hæc quippè temporum nomina sunt; Filius verò etiam sæculorum omnium conditor est.

2. Ergò non pater, ait, sed frater est. Quæ necessitas, quæso? Nam si Patrem et Filium ex aliâ et diversâ radice ortos diceremus, hæc jure dicere posses; sin hanc vitamus impietatem, dicimusque Patrem sine principio esse, nec genitum fuisse; Filium verò sine principio quidem esse, sed genitum à Patre, quæ necessitas ex hâc cogitatione impium illum inferre sermonem? Nulla sanè. Etenim splendor est; splendor autem simul intelligitur cum naturâ illâ, cujus est splendor. Ideò enim Paulus illum sic vocavit, ut nihil medium suspicareris inter Patrem et Filium; id enim hoc nomine significatur. Post hoc exemplum, eam quæ hinc apud insanos suboriri poterat absurditatem corrigit. Ne, inquit, quoniam splendorem audîsti, ipsum propriâ hypostasi privari putes. Nam impium hoc esset, et Sabellianorum Marcellianorumque insania. Nos autem non ità sentimus; sed ipsum in propriâ sibi hypostasi esse dicimus: ideò, postquàm illum splendorem appellaverat, intulit: *Et character substantiæ illius* [1], ut propriam hypostasim significaret, ostenderetque ipsum ex eâdem esse substantiâ, cujus character est. Neque enim satis est verbum unum, ut jàm dixi, ad illa de Deo dogmata hominibus significanda; sed optandum ut multis simul

[1] *Hebr.* I, 3.

allatis, ex singulis quod conveniat seligamus. Ità enim poterimus dignè gloriam Dei celebrare, dignè scilicet secundùm facultatem nostram. Si quis enim de illâ dignè se loqui posse putet, atque asseveret se ità Deum nosse, ut ipse se novit[a], is maximè Deum ignorat. Hæc cùm sciamus, diligenter retineamus ea quæ tradidere nobis ii qui ab initio ipsis oculis viderunt, et ministri fuere Verbi, neque ultrà curiosè scrutemur. Duo namque damna hoc morbo laborantes invadent : quòd temerè laborent illa quærendo, quæ invenire nequeunt; et quòd Deum in iram provocent, dùm ab ipso positos terminos evertere conantur. Quod quantoperè iram Dei concitet, non opus est vobis dicere, cùm id omnes sciatis.

3. Quamobrem missâ illorum arrogantiâ, Dei verba cum tremore audiamus, ut ille perpetuò nos tueatur ; nam ait : *Ad quem respiciam, nisi ad mansuetum, et humilem, et quietum, et trementem verba mea*[1]*?* Hâc igitur missâ curiositate, conteramus corda, peccata lugeamus, ut Christus jussit, de sceleribus nostris compungamur, ac diligenter animo repetamus ea quæ hactenùs admisimus delicta : studeamus illa omninò abluere. Ad hanc quippè rem multas Deus nobis aperuit vias : *Dic tu prior,* inquit, *iniquitates tuas, ut justificeris*[2]*;* et rursùs : *Dixi : Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti impietatem cordis mei*[3]. Neque enim parùm nobis confert ad minuendam peccatorum molem frequens eorum memoria et accusatio. Est et alia efficacior via : si nemini eorum qui in nos peccàrunt, succenseamus : si omnibus iis qui in nos deliquerunt, delicta condonemus. Vis et tertiam ediscere viam? Audi Danielem dicentem : *Quamobrem peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiâ erga pauperes*[4]. Est et alia, nempè : orationum frequentia, et in precibus ad Deum emissis perseverantia. Affert etiam nobis consolationem non modicam et remissionem peccatorum jejunium, quandò cum benignitate erga alios conjunctum est, atque iræ Dei vehementiam exstinguit ; *ignem* enim *flammantem aqua exstinguet, et eleemosynis peccata purgantur*[5]. In his ergò viis omnibus gradiamur. Si enim in iis semper versemur, si in iis omne studium insumamus, non modò præterita peccata abluemus, sed etiam in futuro maxima lucrabimur. Neque enim diabolo locum offeremus nos invadendi, neque in segnitiem vel in perniciosam curiositatem incidemus. Per hæc enim atque alia, insanas illas quæstiones, noxiasque disputationes inducit, quòd otiosos desidesque videat, et nullam vitæ probæ curam gerentes. At nos hunc illi aditum obstruamus, vigilemus, sobrii simus, ut postquàm hoc brevi tempore modicùm laboraverimus, immortalibus per infinita sæcula fruamur bonis gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri et unà Spiritui sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA VII[b].

NUM. 1. Christus lux cur non omnes illuminet? Quomodò Prophetæ Christum noverunt? — 2. Qui mundo adhærent et ea quæ mundi sunt sapiunt, ii Christum non noverunt. Quantum discrimen inter servos Christi et servos mammonæ?

1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nihil enim prohibet quominùs hodiè eadem verba expendamus, quia nuper dogmatum expositio impedimento fuit, quominùs omnia quæ lecta fuerant explicaremus. Ubi sunt igitur illi qui dicunt ipsum verum Deum non esse? Hìc enim lux vera appellatur; alibi verò ipsa veritas, ipsa vita. Verùm illud, cum eò pervenerimus, apertiùs indagabimus ; in præsenti autem necesse est id interim charitati vestræ recensere. Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodò tot homines non illuminati manent? Non enim omnes Christi cultum agnoscunt. Quomodò ergò illuminat omnem hominem? Quantùm in ipso est. Si qui verò sponte suâ mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint, non ex naturâ lucis evenit quòd in tenebris maneant, sed ex nequitiâ eorum qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippè in omnes effusa est : non Judæum, non Græcum, non barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem aversatur; sed omnes similiter admittit, et cum pari vocat honore. Qui verò nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis cæ-

[1] *Isai.* LXVI, 2. — [2] *Id.* XLIII, 26. — [3] *Psalm.* XXXI, 5. — [4] *Dan.* IV, 24. — [5] *Eccli.* III, 33.
[a] Contra Anomœos. Vide suprà Monitum circa Homilias Chrysostomi in Joannem, p. 562.
[b] Est Homilia 8 in edit. Montfauconianâ. Ibi explicantur versus 9 et 10 cap. 1 Evangelii S. Joannis.

citatem imputent oportet. Cùm enim aditu omnibus patente et à nemine intercluso, quidam ex voluntariâ nequitiâ extrà manent, ii suo tantùm vitio pereunt. *In mundo erat ;* at non tamquàm mundo coætaneus: absit. Ideò intulit : *Et mundus per ipsum factus est :* per hæc rursùm te inducit ad illam Unigeniti ante sæcula existentiam. Nam qui audivit hunc universum mundum illius esse opus, etiamsi sensu prorsùs careat, etiamsi inimicus et adversarius gloriæ Dei sit, attamen, velit nolit, Conditorem ante opificia fuisse confiteri cogetur. Quamobrem mirari semper subit Pauli Samosateni insaniam, quomodò tàm manifestæ veritati obsistere potuerit, seseque sponte præcipitem dederit. Neque enim ex ignorantiâ, sed rei admodùm gnarus erravit, non secùs ac Judæi. Quemadmodùm enim illi, ut hominibus assentarentur, sanam prodidere fidem, gnari ipsum Unigenitum Dei esse, principum verò metu id non confitentes, ne ex synagogâ ejicerentur ; ità et illum in mulieris cujuspiam gratiam, salutem suam inquiunt prodidisse [a]. Gravis enim, gravis certè et inanis gloriæ tyrannis, quæ possit etiam sapientium oculos excæcare, nisi vigilent. Nam si munera id possunt, multò magis hic affectus longè violentior. Idcircò Judæis dicebat Christus : *Quomodò potestis credere, qui gloriam ab hominibus accipitis, et gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis* [1]*? Et mundus eum non cognovit.* Hìc mundum vocat multitudinem corruptam et terrenis rebus inhiantem, turbam, vulgus, insipientem populum. Nam Dei amici et admirabiles viri omnes ipsum, etiam ante Incarnationem, noverant. De Patriarchâ quippè nominatim dicit Christus : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum ; et vidit, et gavisus est* [2]. De Davide autem Judæos confutans : *Quomodò ergò David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis* [3]*?* Ac sæpè illis obsistens, Moysem memorat. De reliquis verò Prophetis Apostolus. Omnes enim Prophetas à Samuele illum cognovisse, et adventum ejus diù antè prænuntiâsse dicit Petrus his verbis : *Et omnes Prophetæ à Samuele et deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos* [4]. Jacobo autem et patri, necnon et avo ejus, et visus et locutus est, iisque multa et magna se daturum est pollicitus, quæ etiam executus est. Quomodò ergò, inquies, ipse dixit : *Multi Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* [5]*?* Annon fuerunt ejus cognitionis participes? Fuerunt certè ; idque ex hoc loco, undè putant quidam ipsos hâc cognitione privatos, demonstrare tentabo : *Multi* enim, inquit, *voluerunt videre quæ videtis.* Itaque viderunt eum ad homines venturum esse, et ea dispensaturum quæ verè dispensavit. Neque enim, nisi novissent, videre concupivissent. Nemo enim eorum quorum notitiam non habet, desiderio capi potest. Itaque cognoverunt Filium Dei, et venturum eum ad homines esse noverunt. Quænam ergò sunt quæ nescierunt, et quænam quæ non audierunt? Hæc quæ nunc vos videtis et auditis. Quòd si illi et vocem ejus audierunt, et viderunt eum, at non in carne, neque ità cum hominibus versantem, neque tàm liberè cum ipsis loquentem. Hoc igitur et ipse significans non simpliciter dixit : Cupierunt videre me; sed quid? *Quæ vos videtis ;* neque audire me; sed quid? *Quæ vos auditis.* Itaque licèt ejus in carne adventum non viderint, futurum tamen esse noverunt, quem videre cupiebant; in eumque credebant, licèt illum in carne non vidissent. Cùm itaque nos Gentiles accusaverint dicentes : Quid priori illo tempore faciebat Christus, cùm nondùm humano generi prospiceret ? Et cur extremo tempore venit, ut nostræ saluti provideret, postquàm tanto tempore nos neglexerat? Respondebimus ipsum etiam ante adventum illum in mundo fuisse, de operibus ab se edendis priùs cogitâsse, atque illis omnibus cognitum fuisse, qui hâc cognitione digni erant. Quòd si, quia non omnibus tunc notus fuit, sed probis tantùm et virtute præditis, ideò dicitis illum incognitum fuisse, eâdem ratione ipsum nunc quoque non adorari ab hominibus dixeritis, quia etiam nunc non omnes ipsum noverunt. Sed, quemadmodùm in præsenti nemo, quia à multis ignoratur, ipsum à multis cognosci negaverit; sic neque dubitandum est ipsum superioribus illis temporibus, à multis, imò etiam probis illis et admirandis viris omnibus, cognitum fuisse.

2. Quòd si quis dixerit : Cur non omnes tunc ipsi adhæserunt, neque omnes ipsum coluerunt, sed soli justi? Sciscitabor et ego : Cur etiam nunc non omnes ipsum noverunt? Ecquid de Christo loquor? Nam Patrem quoque ejus cur non omnes et tunc et hodiè noverunt? Verùm alii omnia temerè ferri dicunt : alii dæmonibus universi providentiam tribuunt : sunt etiam alii, qui præter hunc Deum, alium sibi comminiscuntur : ex iis quidam adversariam Deo potestatem esse blasphemant, et leges ejus maligni dæmonis esse putant. Quid igitur?

[1] *Joan.* V, 44. — [2] *Id.* VIII, 56. — [3] *Matth.* XXII, 43 et 44. — [4] *Act.* III, 24. — [5] *Luc.* X, 24.

[a] Quod dicit Chrysostomus, Paulum Samosatenum in mulieris cujusdam gratiam, γυναικί τινι χαριζόμενον, salutem suam prodidisse, de Zenobiâ, Palmyrenorum reginâ, intelligi debet, quæ Paulum Samosatenum aliquamdiù protexit. Quod autem dicit Paulum, in mulieris illius gratiam, et contrà quàm ipse sentiebat hæresim illam protulisse, nescio an alius umquàm dixerit. Inter alia autem dicebat Paulus Samosatenus Filium in Patre quidem esse ; sed non ἐνυπόστατον, non hypostasim habere suam : quod ad Sabellii hæresim accedebat.

Nùm ideò dicemus Deum non esse, quia quidam hoc dicunt? Nùm et ipsum malum esse confitebimur, quia quidam id impiè profitentur? Apage stultitiam extremamque dementiam. Nam si ex furentium judicio dogmata statueremus, nihil obesset quominùs et ipsi furore gravissimo duceremur. Certè nemo solem naturâ suâ oculis perniciosum esse dixerit, quia nonnulli oculis laborant; sed lucidus dicitur ex eorum qui sanos oculos habent judicio : mel quoque nemo amarum dixerit, quia infirmis quibusdam tale videtur esse; et Deum tamen ex infirmorum opinione vel non esse, vel malum esse, vel modò providere, modò non providere, quidam pronuntiabunt! Ecquis illos sanæ mentis esse dicat ? Quis non furiosos et extremâ dementiâ captos dixerit? *Mundus eum non cognovit,* inquies. Sed ii quibus dignus non erat mundus, ipsum noverunt. Cùm autem memorat eos qui ipsum non noverunt, carptìm ignorantiæ causam indicat. Neque enim simpliciter dixit: Nemo ipsum novit; sed : *Mundus eum non cognovit*, id est, ii homines qui mundo tantùm hærent, et ea quæ mundi sunt sapiunt. Sic enim solet Christus ipsos appellare, ut cùm dicit : *Pater sancte, et mundus te non cognovit* [1]. Non igitur Filium tantùm, sed etiam Patrem ejus mundus ignoravit, ut dicebamus. Nihil enim ità mentem turbat, ut rebus præsentibus inhiare. Hæc cùm sciatis, à mundo vos segregate, et à carnalibus rebus abscedite, quantùm fieri poterit ; neque enim in re nullius pretii hinc damnum oritur, sed in capite bonorum. Neque enim potest homo, qui præsentis ævi rebus admodùm hæret, cœlestia rectè percipere ; sed necesse est eum qui his addictus est, ab illis excidere : *Non potestis* enim, inquit, *Deo servire et mammonæ* [2]*:* ut uni hæreamus, alterum odisse oportet. Hæc ipsa rerum experientia clamat. Qui enim pecuniarum concupiscentiam derident, ii maximè sunt qui Deum, ut decet, amant ; quemadmodùm et qui à principio illas mirantur, ii præsertim sunt qui Deum remissiùs diligunt. Anima enim divitiarum amore semel capta, non facilè absistet ab iis agendis quæ Deum ad iram provocant, utpotè quæ alteri serviat domino, qui in omnibus contra Dei mandata præcipiat. Vigilate itaque et expergiscimini, ac cogitantes cujusnam domini simus servi, ejus tantummodò regnum diligamus : lugeamus et præterita deploremus tempora, quibus mammonæ servivimus : abjiciamus semel jugum ejus grave et intolerabile, et jugum Christi leve et suave cum perseverantiâ feramus, qui nihil tale præcipit, quale mammona. Hic enim jubet nos omnibus inimicos esse ; contrà verò Christus, omnes amplecti et amare. Ille nos luto et lateribus affigens, hoc est, auro, ne noctu quidem sinit nos vel paululùm respirare: hic à superfluâ illâ et insanâ curâ nos liberat; sed jubet thesauros in cœlo parare, non ex injuriâ aliis illatâ, sed ex propriâ justitiâ. Ille pos, multos sudores nostros et miserias non poterit adesse nobis, cùm extremo supplicio puniemur, et ob leges ejus servatas mala patiemur ; imò flammam accendet : hic si præcipiat poculum aquæ frigidæ dare, ne hujus quidem facti mercedem amitti sinet; sed largè nos præmio donabit [3]. Annon extremæ dementiæ fuerit, tàm placidâ et tot bonis refertâ servitute neglectâ, ingrato servire tyranno, qui neque hîc, neque illic potest eos qui sibi obsequentes sunt juvare ? Neque id solùm mali et damni est, quòd supplicio traditos non eruat; sed quòd, ut dixi, sequaces suos innumeris obruat malis. Plurimos enim ex iis qui ibi cruciantur, videre est ideò supplicio traditos, quòd pecuniis servierint et aurum amârint, egenisque non erogârint. Quæ ne nos quoque patiamur, dispergamus, demus pauperibus, animam nostram eruamus et à noxiis hujus vitæ curis, et à supplicio illic nobis parato : deponamus justitiam in cœlis : loco terrenarum opum colligamus thesauros qui absumi nequeant, thesauros qui possint nobiscum in cœlum pervenire, qui possint nobis periclitantibus patrocinari et judicem reddere propitium: quem utinàm et nunc et in illâ die propitium habentes, cum libertate bonis illis in cœlo paratis iis qui rectè diligunt eum, fruamur gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quîcum Patri gloria unàque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA VIII [a].

NUM. 1. Judæorum cæcitas, qui Christum non receperunt. Gentilium errores et nequitiæ. — 2. Judæi carpuntur à populo. Judæi Gentium saluti invidebant. Superbia virtutes omnes efficit inutiles.

1. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Si priorum reminiscamini, quæ sequuntur cum majori alacritate adjiciemus, utpotè qui magnum impendere lucrum videamus. Ità enim vobis captu

[1] *Joan.* XVII, 25. — [2] *Luc.* XVI, 13. — [3] *Marc.* IX, 40.

[a] Est Homilia 9 in edit. Montfauconianâ, cum hoc titulo : « *In propria venit, et sui eum non receperunt.* »

facilior sermo erit, si jàm dictorum memineritis; nobisque non multo opus erit labore, cùm vos ex discendi cupiditate acutiùs cætera dispicietis. Qui enim ea quæ tradita sunt semper amittit, doctore semper egebit, nec umquàm sciet quidpiam; qui autem accepta custodit, et reliqua superaddit, citò ex discipulo magister erit, nec sibi solùm, sed aliis quoque utilis. Hujusmodi spero fore hanc concionem, idque ex tanto vestro audiendi studio auguror. Age ergò, in vestris animis, quasi in tutissimo thesauro, argentum Domini deponamus, et quæ nobis hodiè proposita sunt, quantùm nobis Spiritûs gratia suppeditabit, explicemus. Dixerat : *Mundus eum non cognovit*, de antiquioribus illis temporibus loquens. Descendit deindè ad tempus prædicationis, et ait : *In propria venit, et sui eum non receperunt. Suos* hîc Judæos vocat, ut populum peculiarem, vel etiam omnes homines, tamquàm ab ipso creatos. Ac quemadmodùm suprà, de multorum amentiâ stupens, et de communi naturâ erubescens, dicebat mundum ab illo conditum, Creatorem suum non cognovisse ; sic et hoc loco Judæorum aliorumque multorum ingratum animum ægrè ferens, in graviorem prorumpit accusationem, dicens : *Sui eum non receperunt*, etsi ipse ad illos venerit. Neque ipse solùm, sed etiam Prophetæ idipsum mirabundi dixerunt : necnon Paulus his de rebus obstupescens. Et Prophetæ quidem ex personâ Christi clamantes, dixerunt : *Populus, quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt à semitis suis* [1]; et rursùm : *Quibus non est narratum de eo, videbunt ; et qui non audierunt, intelligent* [2]; et : *Inventus sum à non quærentibus me : palàm apparui iis qui me non interrogabant* [3]. Paulus autem ad Romanos scribens, dicebat : *Quid ergò? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus ; electio autem consecuta est* [4]*;* et iterùm : *Quid ergò dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam. Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit* [5]. Res est enim admiratione digna, quomodò ii qui in Propheticis libris educati sunt, quique quotidiè audiunt Moysen, innumera de Christi adventu loquentem, necnon sequentium temporum Prophetas, atque ipsum Christum quotidiè miracula patrantem, cumque ipsis solis versantem, necdùm permittentem discipulis ut in viam Gentium abirent, aut in civitatem Samaritanorum ingrederentur, quod neque ipse faciebat, sed frequenter dicebat se missum esse *ad oves quæ perierant domûs Israel* [6]*;* attamen illi post tot signa in gratiam suî edita, cùm Prophetas quotidiè audirent, ipsumque Christum assiduè monentem, usquè adeò cæcos atque surdos se præstiterint, ut nullo eorum ad fidem in Christum induci potuerint. Gentiles autem nihil horum consecuti, divina oracula ne in somnis quidem audierant ; sed in fabulis insanientium versati (sic enim voco externam illam philosophiam), et poetarum deliramenta tractantes, lignis et lapidibus addicti erant, nec vel in doctrinâ, vel in morum disciplinâ quidpiam sanum, vel utile noverant; vita quippè illorum impurior quàm doctrina scelestiorque erat. Quid autem aliud sperandum erat, cùm deos suos viderent nullis non flagitiis gaudentes, atque obscœnis verbis obscœnioribusque rebus cultos : hæc pro festis diebus et pro honore habentes : ad hæc, etiam nefandis cædibus puerorumque mactationibus honoratos, quâ in re deos ipsi suos imitabantur. Attamen in ipsum nequitiæ profundum lapsi, repentè quasi per quamdam machinam sublimes acti, ex ipso cœlorum vertice sublimes nobis apparuerunt. Id verò quomodò et undè evenit? Audi Paulum narrantem. Beatus quippè ille, dùm hæc diligenter inquireret, non cessavit, donec causam invenisset, ut omnibus aperiret. Quænam illa est, et undè tanta cæcitas ipsis obvenerat? Audi illum cui hoc ministerium creditum fuerat. Quid ergò dicit, ut dubitationem multorum solvat? *Ignorantes justitiam Dei, et quærentes propriam justitiam statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti* [7]. Preptereà ergò id passi sunt. Ac rursùs idipsum aliter explicans, dicit : *Quid ergò dicemus? Quòd Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam ; justitiam autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Dic quâ de causâ? Quia non ex fide ; impegerunt enim in lapidem offensionis* [8], hoc est, incredulitas illis causa malorum fuit ; hanc verò peperit arrogantia. Quia enim anteà plùs quàm Gentiles habentes, quòd nempè legem accepissent, Deum nôssent, et alia quæ Paulus memorat, post Christi adventum Gentiles viderunt per fidem cum pari secum honore vocatos, ac post fidem nihil plùs habere eum qui ex circumcisione esset, quàm eum qui ex Gentibus accessisset, ex superbiâ in invidiam delapsi sunt, atque ineffabilem illam immensamque Domini benignitatem non tulerunt : quod non aliundè processit, quàm ex arrogantiâ, nequitiâ et odio.

2. Quid enim, omnium stultissimi, illa in alios effusa providentia vobis damni affert? Nùm bona vestra ex aliorum consortio minuebantur? Verùm cæca profectò malitia est, quæ quid deceat perci-

[1] *Psalm.* XVII, 45 *et* 46. — [2] *Isai.* LII, 15. — [3] *Id.* LXV, 1. — [4] *Rom.* XI, 7. — [5] *Id.* IX, 30. — [6] *Matth.* XV, 24. — [7] *Rom.* X, 3. — [8] *Id.* IX, 30-32.

pere nequit. Exulcerati ergò quòd in eàdem libertate consortes haberent, in se gladium impulerunt, seque à divinâ benignitate ejecerunt; et jure quidem. Nam ait : *Amice, non facio tibi injuriam : volo autem et his dare sicut et tibi* [1]. Imò ne quidem hâc responsione digni sunt. Ille namque, etsi ægrè ferebat, poterat tamen diei totius labores, ærumnas, æstum et sudorem proferre ; hi verò quid dicere possint? Nihil quidem tale ; sed desidiam, intemperantiam et mille vitia, quæ Prophetæ omnes incusantes illis perpetuò objiciebant , per quæ vitia illi perindè atque Gentiles Deum offenderent. Id quod declarans Paulus dicebat : *Non enim est distinctio* Judæi atque Græci ; *omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei, justificati gratis per gratiam ipsius* [2]. Hoc verò caput totum utiliter et admodùm prudenter in Epistolâ illâ pertractat. Superiùs autem illos majori supplicio dignos ostendit : *Quicumque enim in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* [3], id est, graviùs, quia præter naturam, legem quoque accusantem habebunt. Neque hinc tantùm, sed et quòd in causâ fuerint cur Gentes Deum blasphemarent : *Nomen enim meum*, inquit, *per vos blasphematur in Gentibus* [4]. Cùm igitur hoc maximè morderet illos; etenim credentibus quoque ex circumcisione res stupenda videbatur esse; quamobrem Petrum incusabant Cæsareâ ad se redeuntem, quòd ad viros præputium habentes ingressus esset, et cum illis comedisset ; et postquàm Dei œconomiam intellexerant, adhuc mirabantur quo pacto donum sancti Spiritûs in Gentes effusum esset, ex stupore significantes se numquàm rem tàm inopinatam exspectavisse. Quia ergò sciebat illos hoc potissimùm ægrè ferre, nihil non agit ut eorum tumorem deprimat, et arrogantiâ inflatos dejiciat. Et vide quomodò id agat. Postquàm de Gentibus disputaverat, ostenderatque illos nullam prorsùs defensionem habere, nullamque spem salutis, acriterque illos incusaverat de perversitate doctrinæ deque vitæ impuritate, ad Judæos sermonem transfert ; ac recensitis iis omnibus quæ Propheta de illis dixerat, quòd scelesti essent, dolosi, callidi, quòd omnes inutiles facti, ac nullus in iis esset qui Deum requireret, sed omnes declinâssent, et similia, subdidit : *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur; ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo ; omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei* [5]. Quid ergò te effers, Judæe? Cur altum sapis? Nam os quoque tuum obstructum est, et confidentia tua sublata, ac cum universo mundo tu factus es subditus, et perindè atque alii opus habes ut gratis justificeris. Oportebat certè, etiamsi probè vixisses et fiduciam multam apud Deum habuisses, illis non invidere, qui per benignitatem Dei misericordiam et salutem consecuturi erant. Nam extremæ nequitiæ est, aliorum bona iniquè ferre, cùm maximè sine ullo tuo detrimento id futurum est. Si enim aliorum salus bona tua pessumdaret, jure doluisses, etiamsi id non accedat iis qui philosophari didicerunt. Si autem alterius supplicium mercedem tuam non auget, neque illius felicitas ipsam minuit, cur tu doles quòd alius gratis salute donetur? Oportebat igitur, ut dixi, etiamsi te probè gessisses, non morderi de salute in Gentes effusâ ; cùm autem iisdem obnoxius peccatis sis, Dominumque offenderis, aliorum bona ægrè fers, et altum sapis, quasi solus debeas gratiæ consors esse, non invidiæ solùm et arrogantiæ, sed etiam tantæ dementiæ causâ omnium gravissimis dignus fueris suppliciis ; omnium quippè malorum radicem superbiam in te inseruisti. Ideò sapiens quispiam dicebat : *Principium peccati superbia* [6], hoc est, radix, fons, mater. Sic per eam primus homo à beato illo statu dejectus est: sic diabolus qui illum decepit, ab illâ dignitatis sublimitate excidit. Quarè cùm nôsset scelestus ille hujus peccati naturam posse ex ipsis cœlis dejicere, hanc ingressus viam est, cùm Adamum ex tanto honore deturbare curavit. Cùm enim illum spe æqualitatis cum Deo adipiscendæ inflatum reddidisset, sic illum dejecit, et in profundum inferni præcipitavit. Nihil enim ità à Dei benignitate avertit, et gehennæ ignis supplicio tradit, ut superbiæ tyrannis. Hâc nos occupante, tota vita nostra impura efficitur, etiamsi castitatem, virginitatem, jejunium, precationem, eleemosynam, cæterasque virtutes exerceamus: *Immundus*, inquit, *apud Dominum omnis superbus* [7]. Hunc ergò animi tumorem comprimamus, hunc fastum de medio tollamus, si mundi velimus esse, et ab eo, quod diabolo paratum est, supplicio liberari. Nam quòd arrogans eodem quo diabolus sit supplicio puniendus, audi Paulum dicentem : *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat* et in laqueum *diaboli* [8]. Quid est judicium? In eamdem, inquit, damnationem, in idem supplicium. Quomodò igitur hoc malum effugeris? Si tecum repntes naturam tuam, si peccatorum multitudinem, si magnitudinem cruciatuum : si cogitaveris quàm fluxa sint ea quæ in hoc mundo splendida videntur esse, quæque faciliùs marcescunt quàm verni flores. Si has frequenter cogitationes animo versemus, si memoriâ repetamus eos qui in virtute maximè floruerunt, non facilè diabolus nos efferre poterit, quantumvis contendat, neque inire viam quâ nos supplantet.

[1] *Matth.* XX, 13 *et* 14. — [2] *Rom.* III, 22-24. — [3] *Id.* II, 12. — [4] *Ibid.* 24. — [5] *Id.* III, 19 *et* 23. — [6] *Eccli.* X, 15. — [7] *Prov.* XVI, 5. — [8] I *Tim.* III, 6.

Deus autem humilium, benignus ille et mansuetus, et vobis et nobis cor contritum et humiliatum tribuat. Sic enim poterimus cætera quoque facilè præstare, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri unàque Spiritui sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA IX[a].

NUM. I. Deus arbitrio nostro nullam infert necessitatem. — 2. Dei benignitas erga eos qui ipsum recipiunt. Quantum sit bonum filios Dei fieri ! — 3. Vitam exhibeamus dignam nativitate nostrâ spiritali. Vocatos ad nuptias quibus indui vestibus oporteat ?

1. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Deus, utpotè clemens ac beneficus, dilecte[b], nihil non agit et operatur, ut nos virtute splendidi simus, quòd nos velit acceptos probatosque esse; idque, non vi aut necessitate, sed suasione et beneficiis suis volentes omnes allicit et ad se trahit. Quamobrem venientem illum alii receperunt, alii secùs. Nullum enim vult invitum vel necessitate coactum servum habere; sed omnes libenter et ex voluntatis proposito venire, ac de tali servitute gratiam ipsi habere. Homines enim servorum ministerio opus habentes, ipsos vel invitos servitutis legi subjiciunt ; Deus autem cùm nullo indigeat, nullique necessitati, quâ homines premuntur, sit subjectus, nostræ salutis causâ tantùm omnia facit, hocque nostro arbitrio et voluntati permittit; ideòque nolentibus nullam vim aut necessitatem infert. Ad nostram enim solùm spectat utilitatem. Nam invitos ad hanc trahi necessitatem, idem esset ac nullo modo servire. Cur ergò, inquies, punit eos qui nolunt ipsi obsequi? Et cur gehennam comminatus est iis qui ejus præcepta non audiunt? Quia etiam nobis non obtemperantibus, magnam nostrî curam gerit, utpotè bonus; imò nobis resilientibus et fugientibus, non abscedit. Quia igitur priorem illam beneficii viam adire noluimus, nec suasioni beneficiisque cessimus, alteram induxit per supplicia et cruciatus, quæ acerbissima quidem est, sed tamen necessaria. Priore namque contemptâ, secunda necessariò inducitur. Nam et legum latores magnas gravesque contra peccantes constituunt pœnas; neque tamen ideò illos aversamur, imò magis honoramus constituti supplicii causâ, et quòd nullâ nostrâ re indigentes, imò sæpè nescii quinam legum suarum ope juvandi sint, attamen bono vitæ nostræ et reipublicæ ordini advigilârunt, virtute præditos honore afficientes, improbos autem et protervos, qui reliquorum quietem turbant, per supplicia coercentes. Quòd si hos admiramur et diligimus, nonne multò magis Deus ob tantam hominum curam et admirandus et amandus est? Immensum quippè discrimen est inter illorum et Dei erga nos providentiam: ineffabiles profectò et supra mentem omnem sunt divitiæ bonitatis illius. Hîc animum adhibe. *In propria venit,* non necessitatis suæ causâ (Deus quippè, ut dixi, nullo indiget); sed ad beneficia suis præstanda. Sed neque sic illi qui sui erant, in propria pro ipsorum utilitate venientem, receperunt eum, imò repulerunt; neque hoc satis ipsis fuit, sed extra vineam ejectum occiderunt[1]. Neque tamen sic ipsos à pœnitentiâ exclusit, sed concessit illis ut, si post tantum facinus scelera sua abluere vellent per fidem in ipsum, iis qui nihil tale admisissent, imò amicissimis sibi pares forent. Quòd autem non gratis vel animi causâ id dicam, hæc clarâ voce testificantur illa omnia quæ beato Paulo contigerunt: qui postquàm Christum post ejus mortem persecutus fuerat, ejusque martyrem Stephanum multorum manibus[c] lapidaverat[2], quia pœnitentiam egit, et errata priora damnavit, atque ad eum quem persecutus fuerat protinùs accessit, statim inter amicos, et quidem primarios allectus est à Christo, qui ipsum præconem totiusque orbis doctorem constituit, qui priùs blasphemus, persecutor et contumeliosus fuerat, ut et ipse de Dei benignitate exsultans, sine rubore testificatus est. Imò et ipse priora facinora sua in scriptis suis quasi in cippo exarata, omnibus declaravit, melius putans fore, si prior vita sua apud omnes traduceretur, ut divini doni magnitudo effulgeret, quàm si ipse, ne errata sua omnibus declararet, ineffabilem Dei benignitatem obtegeret.

[1] *Matth.* XXI, 39. — [2] *Act.* VII, 57.

[a] Est Homilia 10 in edit. Montfauconianâ. Ibi explicantur versus 11, 12 et 13 cap. 1 Evangelii S. Joannis.

[b] *Dilecte :* Savilius in margine scribit, ἀγαπητοί, *dilecti.*

[c] Paulus multorum manibus Stephanum lapidaverat, dùm eorum vestimenta servaret.

Propterea, persecutiones, insidias, bella contra Ecclesiam excitata sæpè sæpiùs commemorat, modò dicens : *Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* [1]; modò autem : *Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* [2]; ac rursùm : *Audistis conversationem meam aliquandò in judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam* [3].

2. Velut enim quamdam vicem Christo reddens ob patientiam quam secum exhibuerat, ut ostenderet qualem, et quomodò hostem et inimicum salute donâsset, sic liberè bellum illud prædicat, quo Christum in principio ardenter impugnabat. Hinc autem desperantibus spem bonam indit. Nam ait ideò Christum se resipiscentem admisisse, ut in se primo ostenderet omnem patientiam et immensas bonitatis suæ divitias, in exemplum eorum qui posteà in ipsum crediturì erant in vitam æternam [4]. Graviora quippè ab ipsis admissa fuerant, quàm quæ veniam mererentur : quæ declarans Evangelista dicebat : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Undè venit is qui omnia implet, qui ubique præsens est? Quem locum reliquit, qui omnia manu tenet et continet? Locum quidem nullum reliquit (quomodò posset enim?); suo autem ad nos descensu id fecit. Quia enim in mundo cùm esset, non videbatur adesse, quòd nondùm cognosceretur; posteà verò seipsum ostendit, cùm nostram induere carnem dignatus est, hanc manifestationem et descensum, *adventum* appellat. Mirum est discipulum non erubescere de magistri contumeliâ, sed eam ipsam contumeliam fidenter litteris mandare. Id verò non parùm demonstrat quàm amans veritatis esset. Alioquin autem is, quem pudet conviciantium, non pudet ejus qui conviciis oneratus est. Hic quippè hâc ratione clarior fuit, qui post contumeliam contumeliosorum providentiam gessit; illi verò ingrati et scelesti apud omnes visi sunt, qui eum qui tot bona allaturus venerat, quasi inimicum et hostem expulerunt. Neque illud nocumenti tantùm acceperunt, sed etiam quòd ea non obtinuerint, quæ consecuti sunt ii qui ipsum acceperunt. Quænam hi consecuti sunt? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, inquit. Cur non narras nobis, ô beate, eorum supplicium, qui non receperunt illum; sed eos dicis suos fuisse, et in propria venientem non recepisse; et quid hâc de causâ passuri, quodque supplicium subituri sint non adjecisti? Atqui magis illos ità terruisses, et per comminationem illam, arrogantiæ duritiem emollivisses. Cur ergò id tacuisti? Ecquod, inquiet, majus hoc supplicio fuerit, quandò potestate ipsis datâ ut filii Dei fierent, ipsi fieri noluere, sed tantâ se nobilitate, tanto se honore suâ sponte privârunt? Verùm non hoc tantùm supplicio afficientur, quòd hoc bonum non acceperint; sed eos etiam inexstinguibilis ignis excipiet : id quod posteà clariùs aperuit. Interim verò ineffabilia bona enarrat, queis donandi sunt illi qui eum receperunt ; idque brevì profert his ipsis verbis : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sive servi sive liberi, sive Græci sive barbari vel Scythæ, sive insipientes sive sapientes, sive viri sive mulieres, sive pueri sive seniores, sive nobiles sive ignobiles, sive divites sive pauperes, sive principes sive privati, inquit, eodem omnes dignantur honore. Fides enim et Spiritûs gratia, conditionum humanarum inæqualitatem tollens, in unam omnes redigit formam, et uno regio charactere notat. Quid huic benignitati par fuerit? Rex quidem ex eodem quo nos luto formatus, conservos suos qui eamdem naturam participant, ac sæpè melioribus præditos moribus, non dignatur in exercitum regium adscribere, si servi quidem illi fuerint; Unigenitus autem Dei Filius publicanos non dedignatur, magos, servos, omniumque ignobilissimos, multos etiam corpore mutilos, vel magnâ affectos labe, in filiorum numerum adscribere. Tanta est fidei in Christum virtus, tanta gratiæ magnitudo! Ac quemadmodùm ignis natura, si metallorum terram attigerit, illam citò aurum reddit; sic, imò longè magis, baptisma quos abluit, aureos ex luteis reddit, Spiritu ignis instar illo tempore in animas nostras incidente, et luteâ absumptâ imagine, cœlestem, novam et splendidam imaginem, quasi ex conflaturâ splendentem referente. Et cur non dixit : Fecit illos filios Dei; sed : *Dedit illis potestatem filios Dei fieri?* Ut ostenderet multâ nobis opus esse diligentiâ, ut adoptionis imaginem in baptismate nobis impressam, immaculatam semper et intactam servemus; simulque declararet hanc potestatem à nemine nobis auferri posse, nisi priùs ipsi illam nobis abstulerimus. Si enim ii qui ab hominibus auctoritatem quamdam acceperunt, tantùm illam ferè servant, quantùm qui dederunt, multò magis nos qui à Deo hunc consecuti sumus honorem, si nihil hâc indignum potestate fecerimus, omnium potentissimi erimus, eo quòd omnium maximus optimusque sit, is qui nos hoc honore dignatus est. Simul autem vult declarare gratiam, non in quemlibet temerè infundi, sed in eos qui voluntatis propositum et diligentiam adhibent ; in horum enim potestate situm est ut filii Dei fiant. Nisi enim voluerint, donum non advenit, nec operatur quidpiam.

3. Ubique igitur necessitatem tollit, et voluntatis arbitrium effert : id quod nunc dixit. In his enim

[1] I *Cor.* XV, 9. — [2] I *Tim.* I, 15. — [3] *Galat.* I, 13. — [4] I *Tim.* 16.

arcanis, aliud Dei est, nempè dare gratiam: aliud hominis, scilicet fidem exhibere. In subsequenti verò tempore multâ opus est diligentiâ. Non enim sufficit ad puritatis custodiam baptizari solùm et credere; sed, si velimus semper læto munere frui, illo dignam oportet exhibere vitam. Hoc autem voluit Deus in nostrâ situm esse potestate. Ut mysticâ enim generatione nascamur, et peccata antè admissa abluamus, id per baptismum efficitur; ut verò deinceps puri maneamus, et nullam ultrà admittamus maculam, id in nostrâ situm est potestate ac diligentiâ. Idcircò et generationis modum memorat, et factâ cum carnali partu comparatione, ejus excellentiam demonstrat his verbis : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hoc autem fecit ut prioris partûs ex sanguinibus et ex voluntate carnis vilitatem edocti, ac secundi qui per gratiam fit sublimitate nobilitateque perceptâ, hinc magnam hujus et generantis dono dignam opinionem concipiamus, multamque posteà diligentiam exhibeamus. Magnoperè enim timendum est ne, hâc pulchrâ fœdatâ stolâ, ob ignaviam et scelera nostra ex thalamo ejiciamur , perindè atque quinque illæ virgines fatuæ[1], ut etiam ille non habens vestem nuptialem. Nam et ille ex convivis erat, invitatusque fuerat ; quia verò post vocationem et tantum honorem, se invitantem contumeliâ affecit, audi quas pœnas dederit, quàm luctuosas et lacrymis dignas. Ad tàm splendidam enim et tàm lautam mensam admissus, non solùm convivio excluditur, sed et ligatis manibus et pedibus in tenebras exteriores mittitur, ubi perpetuus est fletus et stridor dentium[2]. Ne itaque, dilecti, fidem ad salutem nobis satis esse existimemus. Nisi enim vitam puram exhibuerimus, sed vestibus hâc beatâ indignis vocatione induti accesserimus, nihil impediet quominùs eadem ipsa patiamur, quæ miser ille passus est. Absurdum enim est, dùm ille qui Deus et Rex est, homines viles et nullius pretii vocare non erubescit, sed è trivio illos ad mensam suam invitat, nos tantam ignaviam exhibere, ut ne quidem post tantum honorem meliores evadamus, sed et post vocationem in eâdem nequitiâ perseveremus, ineffabilemque vocantis benignitatem pessumdemus. Non enim nos ad spiritualem hanc et horrendam mysteriorum participationem vocavit, ut cum priore nequitiâ ingrediamur, sed ut, abjectâ illâ turpitudine, iis vestibus induamur, quæ ad regium vocatos convivium deceant. Sin nolimus digna tali vocatione præstare, id non ei qui nos sic honoravit, sed nobis imputandum. Non enim ille nos ex admirando illo convivarum choro ejicit, sed nos ipsos ejicimus. Ille quod suum erat præstitit : nuptias fecit, mensam paravit, qui vocarent misit[3], venientes excepit et nullo non honore affecit ; nos autem ipsum, convivas, nuptias, sordidarum vestium, hoc est, pravorum operum contumeliâ afficientes, jure demùm ejicimur. Hoc enim pacto et nuptias et invitatos honorans, petulantes et impudentes illos ejicit. Nam si hujusmodi veste indutos relinqueret, alios videretur contumeliâ afficere. Verùm faxit Deus, ut nemo vel nostrûm vel aliorum talem experiatur vocationem. Ideò hæc, antequàm fierent, litteris mandata sunt, ut Scripturæ minis ad bonam frugem reducti, numquàm in tantam ignominiam in tantumque supplicium incidamus, sed verbo tantùm tenùs hæc experiamur; ac splendidâ singuli veste induti, ad locum, quò vocati sumus, proficiscamur : quo nos omnes frui contingat gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri simul et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, et nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA X[a].

NUM. 1. Evangelium domi lectitare et meditari oportet, quò major fructus à Concione percipiatur. Servi forma Filii Dei dignitatem non minuit. — 2. Contra hæreticos qui Incarnationem figmentum esse dicebant. Deo gratos animos exhibebimus, si magnam animarum curam habeamus.

1. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Unam à vobis gratiam petam, antequàm ad verba veniam Evangelica; sed rogo ne postulatum negetis. Neque enim grave quidpiam vel onerosum requiro, neque accipienti mihi solùm utile erit, sed et præbentibus vobis; imò fortè vobis longè utilius. Quid igitur à vobis postulo? Ut unâ sabbatorum[b], vel in ipso sabbato, illam Evangeliorum partem, quæ vobis in Concione legenda est, præ manibus singuli accipientes, domi sedentes frequenter

[1] *Matth.* XXV, 1. — [2] *Id.* XXII, 12. — [3] *Luc.* XIV, 17.
[a] Est Homilia 11 in edit. Montfauconianâ.

[b] *Unâ sabbatorum*, κατὰ μίαν σαββάτων; potest etiam significare, *primâ hebdomadæ die*.

legatis, ac dicta sæpè exploretis et examinetis; ac quid clarum, quid obscurum sit annotetis, quid in verbis pugnare videatur, licèt non pugnet; sicque omnibus frequenter expensis [a], ad Concionem accedatis. Neque enim modicum ex tali studio et nobis et vobis lucrum accedet. Nobis enim non multo opus erit labore ad vim sententiarum vobis explanandam, mente jàm vobis ad dictorum notitiam assuetà; vos autem acutiores et perspicaciores hoc modo efficiemini, non modò ut audiatis et discatis, sed etiam ut cæteros doceatis. Siquidem illo quo nunc agitis modo, multi præsentium verba Scripturæ simul et explicationes nostras ediscere coacti, ne quidem si annum integrum his insumamus, magnum quidpiam lucri referent. Quomodò possent enim, cùm obiter tantùm et brevi tempore dictis attendant? Quòd si qui negotia prætendant et sollicitudines, si multam in publicis privatisque rebus operam, primò quidem non levis culpa hæc est, sese tantà negotiorum turbà obruere, et sæcularibus rebus ità semper affigi, ut ne minimum quidem studii impendatur iis quæ maximè necessaria sunt. Deindè quòd hæc sint obtentus et simulationes, arguunt colloquia cum amicis, theatrorum frequentationes, consessus ad equorum certantium spectacula, in quibus sæpè dies integros consumunt, neque tamen in his negotiorum moles umquàm obtenditur. In vilibus igitur hujusmodi rebus nullam obtenditis occupationem; si autem divinis rebus sit incumbendum, hæc adeò vobis superflua et nullius pretii videntur esse, ut ne minimum quidem studium in his adhibendum esse ducatis. An merentur qui sic affecti sunt vel respirare, vel hunc solem aspicere? Est et alia tàm ignavis hominibus ineptissima excusatio, librorum scilicet inopia. Ac divitibus quidem ridiculum esset eà de re verba facere; verùm quia multos pauperes hàc frequenter excusatione uti puto, hoc ab illis placidè sciscitari velim, annon singuli artis suæ, quam exercent, instrumenta sana et integra habeant, etsi extremà inopià premantur. Quomodò ergò non absurdum fuerit, illic paupertatem non obtendere, ac nihil non agere ad omnes removendos obices; ubi autem tanta decerpenda est utilitas, occupationes et inopiam deflere? Cæterùm si qui ità pauperes essent, possent ex assiduà hìc fieri solità lectione, nihil ex iis quæ divinæ Scripturæ continent ignorare. Quòd si id impossibile vobis videatur esse, non immeritò videtur. Multi enim non magnam lectioni attentionem adhibent, sed lectione perfunctoriè auditâ, statim domum se recipiunt. Quòd si qui manserint, ii non meliore sunt conditione, quàm qui recesserunt, corpore solùm præsentes. Sed ne ampliùs querimoniis vos tædio afficiamus, neve in reprehensionibus totum tempus teramus, Evangelii verba aggrediamur; tempus enim est ut rem propositam attingamus. Sed animum adhibete, ne quid vos dictorum effugiat. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Postquàm dixerat illos qui eum receperunt, ex Deo natos et Dei filios esse, ineffabilis hujus honoris causam affert, hanc nempè, quòd Verbum caro factum sit, et Dominus servi formam acceperit. Filius enim hominis effectus est, cùm verus Dei Filius esset, ut homines Dei filios efficeret. Sublime namque cum humili versans, nihil in glorià suâ læditur; illud verò ex multà erigit humilitate: quod et in Christo factum est. Naturam quippè suam tali descensu non minuit; nosque qui in ignominià et in tenebris semper versabamur, ad gloriam erexit ineffabilem. Sic et rex cùm pauperem et mendicum alloquitur cum studio et benevolentià, nihil turpe facit, illum verò apud omnes illustrem ac splendidum reddit. Quòd si in illà adventitià prorsùs hominum dignitate honoratiorem cum viliori consuetudo nihil lædit, multò minùs immortalem ac beatam illam substantiam, quæ nihil adventitium habet, nihil quod modò adsit, modò absit, sed omnia bona immota et ad finem usquè manentia. Itaque cùm audieris: *Verbum caro factum est*, ne turberis, ne concidas. Neque enim substantia decidit in carnem (impium enim esset id vel cogitare); sed manens quod erat, sic formam servi accepit.

2. Cur autem illo verbo, *Factum est*, usus est? Ut hæreticorum ora obstrueret. Quia enim sunt qui dicant ea quæ Incarnationem spectarent, phantasiam et figmentum esse [b], ut eorum blasphemiam de medio tollere præverteret, illud verbum, *Factum est*, posuit, non ut mutationem substantiæ, absit, sed ut veræ carnis assumptionem declararet. Quemadmodùm enim cùm dicit: *Christus nos liberavit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* [1], non significat substantiam suam à glorià abscedentem, in maledictum versam esse (illud enim ne dæmones quidem, neque vel stultissimi et amentes cogitaverint; tantam nempè sapit illud cum impietate conjunctam stultitiam): non igitur

[1] *Galat.* III, 13.

[a] *Omnibus frequenter expensis*, græcè, διακωδωνίσαντες, *frequenter tractantes*, *insonantes*, ex tintinnabuli tinnitu desumpta metaphora. Hæc vox non insolens est apud Scriptores.

[b] Illos insectatur hæreticos qui putabant simulatam esse Incarnationem, ὑπόκρισιν nempè et ὑπόνοιαν, simulatione e opinione tantùm in carne advenisse Verbum effutientes, δοκήσει scilicet, quæ vox initio nascentis Ecclesiæ à novatoribus inducta fuit, ut videas apud Ignatium, Epistolà ad Trullianos, itemque Epistolà ad Smyrnæos. Illam autem vocem latinè conversam habes apud Irenæum, ubi δοκήσει, *putativè* exprimitur, Libro 1 et seqq. Subindèque alii SS. Patres hanc hæresim commemorârunt.

hoc dicit, sed ipsum, accepto illo quod contra nos erat maledicto, non sinere nos ampliùs maledictos esse; sic et hoc loco dicit ipsum carnem factum esse, non mutatâ in carnem substantiâ, sed post acceptam carnem illâ intactâ manente. Quòd si dixerint Deum, ut qui omnia possit, in carnem decidere potuisse, respondebimus illis eum omnia posse, donec manet Deus; sed si mutationem admiserit, imò mutationem in pejus, quomodò Deus fuerit? Nam mutari longè est ab immortali illâ naturâ. Quapropter Propheta dicebat : *Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* [1]. Hæc quippè substantia omni mutatione superior est. Neque aliud quidpiam illo melius est, ut proficiendo possit ad illud pervenire. Quid dico, melius? Nihil ei par est, vel tantillùm ad illum accedit. Sequitur ergò ipsum in pejus mutatum esse, si mutatus sit. Hoc autem non potest Deus esse. Sed blasphemia in caput eorum qui hæc proferunt, vertatur. Quòd enim illud, *Factum est*, ideò dictum sit, ut ne phantasiam esse suspiceris, animadverte ex iis quæ sequuntur, quomodò et dictum illud, et pravam hanc suspicionem expurget. Subdit enim : *Et habitavit in nobis*, ac si diceret : Nihil absurdum suspiceris ex hoc dicto, *Factum est*. Non enim immutabilis naturæ mutationem, sed habitationem dixi. Habitatio autem non idipsum est quod habitaculum, sed aliud. Aliud enim in alio habitat; aliàs enim non esset habitatio; nihil enim in seipso habitat. Aliud verò dixi secundùm substantiam; nam unitate et conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt, sine ullâ confusione, vel substantiarum ablatione, sed per unionem ineffabilem inexplicabilemque. Quomodò autem id fiat ne quæras; factum est enim ut ipse novit. Quodnam ergò fuit habitaculum, in quo habitavit? Audi Prophetam dicentem : *Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit* [2]. Verè namque cecidit, cecidit natura nostra casu incurabili, et potenti illâ manu solâ egebat. Neque enim poterat alio modo resurgere, nisi is qui in principio illam efformaverat, ipsi manum porrexisset, et supernè illam reformâsset per aquæ regenerationem et Spiritûs. Et vide mihi horrendum et arcanum mysterium. Semper habitat in hoc tabernaculo; carnem quippè nostram induit, non ut posteà relinqueret, sed illam semper secum habiturus. Nisi enim hoc esset, non illam regio solio dignatus esset, neque ipsam ferens adoraretur ab omni cœlesti exercitu, ab Angelis, Archangelis, Thronis, Dominationibus, Principatibus, Potestatibus. Quis sermo, quæ mens tantum illum honorem generi nostro collatum, supernaturalem illum et horrendum explicare poterit? Quis Angelus? Quis Archangelus? Nullus usquàm vel in cœlo vel in terrâ. Talia quippè sunt Dei opera, tanta tàmque supernaturalia ejus beneficia, ut non modò humanam linguam, sed et Angelicam virtutem superet eorum accurata narratio. Quamobrem nos Concionem hanc silentio claudemus, cùm vos monuerimus, ut benefactori tanto vicem rependatis, cujus rei lucrum totum nobis posteà rependetur. Vicem autem rependimus, si magnam animæ nostræ curam habeamus. Nam et hoc benignitatis illius opus est, ut cùm nullo nostrùm egeat, sibi vicem rependi dicat, cùm nos animam nostram non negligimus. Quamobrem extremæ amentiæ esset, et innumeris dignum suppliciis, tantum consecutos honorem, non ea quæ penes nos sunt referre, cùm maximè tota rei utilitas in nos redundet, et innumera nobis in hujus rei mercedem reposita bona sint. Pro his verò omnibus gloriam referamus benignissimo Deo, non verbis tantùm, sed multò magis operibus, ut futura consequamur bona : quæ utinàm omnes adipiscamur gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque Spiritui sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA XI[a].

Num. 1. Gloria Unigeniti quid sit? — 2. Christi adventum nuntiat omnis creatura : corporum et animarum morbi, eo adveniente, sanantur. — 3. Etiam per miracula quæ in ipsius morte facta sunt Christus prædicatur. Gloriam Unigeniti olim post resurrectionem videbimus.

1. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Fortè plùs quàm par erat vobis, nuper onerosi et molesti fuimus, acriori usi sermone, et longâ contra multorum desidiam oratione habitâ. Verùm si id mordendi solum causâ fecissemus, jure nobis singuli succenserent; si verò utilitatem vestram spectantes, auditorum gratiam inire non curavimus, etiamsi illam profectûs vestri curam, quam gessimus, acceptam habere nolitis, amori saltem nostro

[1] *Psalm.* CI, 27 *et* 28. — [2] *Amos*, IX, 11 *et* 28 *et* 28.

[a] Est Homilia 12 in edit. Montfauconianâ.

veniam concedatis oportet. Admodùm enim timemus, ne nobis cum studio multo concionantibus, vobis autem dictis attendere negligentibus, graviores vobis rationes reddendæ sint. Ideò cogor vos frequenter excitare et expergefacere, ne dictorum quidpiam inutiliter effluat. Hoc enim pacto licebit vobis fidenter et hìc vivere, et in illo die ante tribunal Christi adstare. Quia igitur vos nuper satis perstrinximus, age, hodiè statim ipsa verba proponamus. *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus*, *gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Postquàm dixerat nos filios Dei effectos esse, et ostenderat non alio modo id evenisse, quàm quòd Verbum caro factum esset, aliud hinc emolumentum provenisse dicit. Quodnam illud est? *Vidimus gloriam ejus*, *gloriam quasi Unigeniti à Patre*, non utiquè visuri, nisi per socium sibi corpus nobis apparuisset. Nam si Moysis, naturæ nostræ hominis, vultum ferre non poterant illius temporis homines, quòd glorià illustraretur, sed velo opus habuit vir justus, quod gloriam illam ingentem obumbraret, ac mitem blandamque Prophetæ faciem ostenderet, quomodò nudam divinitatem, ipsis supernis virtutibus inaccessam, nos lutei et terreni ferre potuissemus? Ideò habitavit in nobis, ut ipsum adire, alloqui, cum ipso versari liberè possemus. Quid autem sibi vult illud : *Gloriam quasi Unigeniti à Patre?* Quia multi Prophetarum glorià clari fuerunt, ut ipse Moyses, Elias, Eliseus [a]: ille igneo curru vectus, hic receptus; et post illos Daniel et tres pueri, aliique plurimi, quotquot miracula patrârunt, glorià splendidi fuere : Angeli quoque, qui hominibus apparuerunt, et naturæ suæ fulgorem hominibus exhibuerunt : neque Angeli solùm, sed etiam Cherubini et Seraphini cum glorià magnà prophetæ apparuere : ab hisce porrò omnibus nos avertens Evangelista, atque à creaturarum conservorumque nostrorum splendore mentem adducens nostram, in ipso nos bonorum culmine constituit. Non enim Prophetæ, non Angeli, non Archangeli, non supernarum Virtutum, non alterius creatæ naturæ, si qua sit alia; sed ipsius Domini, ipsius Regis, ipsius verè unigeniti Filii, omnium nostrûm Domini gloriam vidimus. Illud autem, *Quasi*, non similitudinis est, neque parabolæ, sed confirmationis et definitionis nulli dubio obnoxiæ, ac si diceret : Vidimus gloriam, qualem decebat habere unigenitum et germanum Filium Dei, universorum Regis. Id in more est plurimis; neque enim recusabo à communi consuetudine id asserere. Etenim non ad verborum speciem, neque ad seriei ornatum loqui in proposito habemus, sed ad vestram solùm utilitatem : quapropter nihil officit quominùs à communi consuetudine id confirmetur. Quænam est illa multorum consuetudo? Quidam regem ornatissimum videntes, et pretiosis undiquè fulgentem lapidibus, si quandò illam pulchritudinem, illum ornatum, gloriam illam aliis enarrare velint, pro modo suo depingunt purpuræ florem, gemmarum magnitudinem, mularum alborem, jugum aureum, strati fulgorem; posteà verò his aliisque multis recensitis, cùm non possunt totum splendorem verbis repræsentare, continuò addunt : Quid multis opus est? Uno verbo dicam: Quasi rex : perque illud, *Quasi*, non regi similem describere volunt, sed ipsum verè regem. Sic igitur Evangelista illud, *Quasi*, posuit ut incomparabilem illam et præcellentem gloriam exhiberet. Alii quippè omnes, Angeli, Archangeli, Prophetæ, jussi omnia faciebant; ipse verò cum potestate quæ regem et dominum deceret : id quod etiam turbæ mirabantur, quòd doceret tamquàm potestatem habens [1].

2. Apparuerunt itaque, ut dixi, Angeli in terrâ cum gloriâ multâ, ut Danieli, Davidi, Moysi, sed ut servi et domino obsequentes omnia faciebant; ipse verò ut dominus et omnium imperator, etsi sub vili formâ et habitu apparuerit, attamen sic quoque creatura Dominum suum agnovit. Quomodò? Stella de cœlo Magos vocavit, ipsum adoraturos: Angelorum cœtus magnus undiquè effusus Domino suo ministrabant ipsumque hymnis celebrabant; et alii repentè præcones insurgebant, omnesque simul sibi invicem occurrentes, arcanum hoc mysterium nuntiabant, pastoribus Angeli, civibus pastores, Gabriel Mariæ et Elisabethæ, iis qui in templo erant Anna et Simeon. Nec viri mulieresque solùm lætitiâ magnâ sunt affecti; sed etiam puerulus nondùm ex vulvâ egressus, ille, inquam, deserti cultor, Evangelistæ cognominis, exsultavit in utero matris [2]; omnesque spe ad futurum partum inhiabant. Et hæc quidem circa partûs tempus; quandò autem seipsum magis exhibuit, rursùs alia miracula prioribus majora splenduerunt. Non ultrà enim stella et cœlum, non Angeli et Archangeli, non Gabriel et Michael, sed ipse Pater supernè et ex cœlo prædicabat illum, et cum Patre Paracletus advolans ad illum cum voce, manensque supra ipsum [3]. Verè propterea dixit : *Vidimus gloriam ejus*, *gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Neque propter illa solùm, sed propter ea etiam quæ secuta sunt. Non ultrà enim pastores tantùm, vel viduæ, vel senes nobis illum annuntiant; sed etiam ipsa rerum natura tubâ clariùs clamans, et tàm altâ voce, ut ejus sonus statim hucusquè pervenerit. Pervenit enim, inquit, usquè in Syriam fama ejus, quæ ipsum omnibus revelavit [4] : omnia undiquè clamabant Regem cœlorum adventâsse. Nam dæmones undiquè fugiebant et resiliebant, diabolus obvolutus recedebat : ipsa mors repulsa interim, posteà penitùs abolita est :

[1] *Matth.* VII, 29. — [2] *Luc.* I, 41. — [3] *Marc.* I, 10. — [4] *Matth.* IV, 24.

[a] Pro Eliseo omninò legendum Henoch, qui ità receptus fuit.

omne infirmitatis genus solutum est: monumenta mortuos emittebant, insanos dæmonia relinquebant, morbi infirmos deserebant; videreque erat res stupendas et mirabiles, quæ jure Prophetæ desiderabant videre, et non viderunt [1]. Videre erat formatos oculos, et illud tàm optabile, cujus omnes spectatores esse cupiebant, quomodò Adamum de terrâ formâsset Deus, id brevi et in præstantiore corporis parte ostendentem Christum: membra insuper paralysi soluta et dissoluta, jàm restituta et cæteris copulata, manus emortuas motu gaudentes, pedes solutos repentè exsilientes, aures obstructas jàm apertas, et linguam magno sonitu loquentem, quæ priùs muta erat. Quemadmodùm enim optimus architectus, domum vetustate labantem, sic ille humanam naturam restituit, partes fractas resarsit, disjunctas et dissolutas copulavit, penitùs lapsas erexit. Quid dixerimus de animæ reformatione, corporeis curationibus longè præstantiore? Magna res certè est corporis valetudo, sed multò major animæ, tantòque major, quantò anima præstantior est corpore; neque hâc tantùm ratione, sed quia corporum natura, quocumquè illam velit Creator agere, sequitur, nec resistit; anima verò quæ sui arbitrii est, et in actibus libertatem habet, non in omnibus obtemperat Deo, si quidem nolit. Illam enim invitam non vult Deus per vim et necessitatem, pulchram et virtute præditam reddere, quandoquidem illud virtus non esset; sed illi volenti et lubenti suadendum, ut talis efficiatur: id quod longè difficilius est quàm illa alia curatio. Id tamen fecit ille, atque nequitiæ genus omne depulsum est. Ac sicut corpora benè curata non ad valetudinem modò, sed ad supremum sanitatis statum reduxit; sic et animas non modò ab extremâ nequitiâ eripuit, sed ad ipsum virtutis culmen erexit. Publicanus factus est Apostolus: persecutor, blasphemus et contumeliosus, orbis prædicator fuit: Magi, Judæorum doctores: latro, paradisi civis: meretrix fide magnâ refulsit: Chananæa et Samaritana mulieres, quarum postrema meretrix erat, ex his, inquam, mulieribus, altera prædicationem apud contribules suos suscepit, totamque civitatem quasi sagenâ captam ad Christum adduxit; altera autem fide et assiduitate id effecit, ut dæmon malignus ex filiæ suæ animâ pelleretur. Alii quoque longè his pejores in discipulorum numerum statim admittebantur. Omnia simul transmutabantur, corporum ægritudines, morbi animarum, quæ ad sanitatem perfectamque virtutem reducebantur. Nec duo tantùm homines, aut tres, aut quinque, vel decem, vel viginti, vel centum solummodò, sed integræ civitates et gentes facillimè transmutabantur. Quis verò præceptorum sapientiam, cœlestium legum virtutem, Angelicæ vitæ ordinem dignè descripserit? Tale quippè induxit vitæ genus, tales nobis constituit leges, talem morum formam, ut qui iis utuntur, Angeli statim efficiantur, et quantùm homini licet, Deo similes, etsi omnium hominum nequissimi fuerint.

3. Hæc itaque omnia miracula colligens Evangelista, quæ in corporibus, quæ in animis, quæ in elementis, necnon præcepta, dona illa arcana ipsis cœlis sublimiora, leges, vitæ institutum, obsequentiam, futurorum promissiones, ejusque cruciatus, hanc mirabilem et sublimi doctrinâ plenam emisit vocem: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Non enim propter miracula tantùm ipsum miramur, sed etiam propter cruciatus; ut cùm affixus fuit cruci, flagellatus, alapis cæsus, consputus, et cùm in maxillis plagas accepit ab iis quos beneficiis affecerat. At enim in his quoque quæ ignominiosa videntur, idem ipsum dictum appositè proferatur, quandoquidem et ipse rem illam *gloriam* appellavit. Non enim providentiæ tantùm et charitatis illa erant, sed etiam immensæ potestatis. Tunc enim et mors destruebatur, et maledictio solvebatur, dæmones confundebantur, deque ipsis triumphabatur, et chirographum peccatorum cruci affigebatur. Deindè, quia hæc miracula invisibiliter patrabantur, quædam visibiliter peracta sunt, quæ demonstrarent ipsum esse unigenitum Filium Dei totiusque naturæ Dominum. Nam cùm beatum corpus adhuc in cruce penderet, sol radios avertit [2], terra tremuit [3] et tenebris oppleta est, sepulchra aperta, terræ solum concussum est, mortuorum innumera multitudo exsiliit, et in civitatem ingressa est [4]; ac dùm monumenti ipsius lapides loculis aptati manerent, et signacula starent, surrexit mortuus ille qui cruci clavis affixus fuerat, ac virtute quâdam magnâ repletos undecim discipulos misit omnibus per orbem hominibus, communes naturæ totius medicos futuros, qui vitam hominum emendarent, cœlestiumque dogmatum notitiam ubique disseminarent, dæmonum tyrannidem solverent, magnaque et arcana bona homines docerent, animæ immortalitatem nobis prædicarent, corporisque vitam æternam, præmia mentem exsuperantia et numquàm finem habitura. Hæc secum reputans beatus ille, et alia plura quæ ipse quidem noverat, sed scribere noluit, quòd ea mundus non caperet (nam *omnia*, inquit, *si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros* [5]), hæc, inquam, omnia cogitans exclamavit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Qui ergò tot spectaculis, hujusmodi doctrinâ, tanto munere dignati sunt, vitam dogmatibus di-

[1] *Matth.* XIII, 17. — [2] *Id.* XXVII, 45. — [3] *Ibid.* 51. — [4] *Ibid.* 52 *et* 53. — [5] *Joan.* XXI, 25.

gnam exhibeant oportet, ut illis fruantur bonis. Ideò namque advenit Dominus noster Jesus Christus, non solùm ut hìc ejus gloriam, sed etiam ut futuram videamus. Propterea dixit : *Volo ut ubi sum ego, et ipsi sint, ut videant gloriam meam*[1]. Quòd si hæc gloria tàm splendida, tàm conspicua fuit, quid de illâ dixerimus? Non enim in terrâ corruptioni obnoxiâ videbitur, non nobis in fluxo corpore manentibus; sed in immortali et perpetuâ creaturâ, et cum tanto splendore, ut nullo possit explicari sermone. O beati, ter beati, sæpiùsque beati, qui gloriæ illius spectatores esse dignabuntur! De hâc Propheta dicit : *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini*[2]. Sed absit ut aliquis nostrùm tollatur, ne illam umquàm videat. Nisi enim illam consecuturi essemus, opportunè à nobis diceretur : Bonum erat nobis, si nati non fuissemus. Nam cur vivimus, cur respiramus, quid sumus, si illo privemur aspectu, si Dominum nostrum nemo concedat umquàm videre? Nam si qui solarem lucem non vident, morte miseriorem vitam degunt, quid eos perpeti credas, qui tali luce privantur? Hìc enim damnum in hoc uno constat, illic verò non item, quamvis si illud solùm adesset mali, non par cruciatus esset, sed tantò gravior, quantò Sol ille hoc nostro præstantior est; verùm aliud quoque supplicium exspectandum est; nam qui lucem illam non aspicit, non in tenebras abducendus tantùm est, sed perpetuò comburendus, ità ut tabescat, dentibus strideat, innumerisque aliis tormentis excrucietur. Ne itaque salutem nostram ità contemnamus, ut per brevissimi temporis negligentiam atque desidiam, in æternum conjiciamur supplicium; sed vigilemus, sobrii simus, nihil non agamus et operemur, ut illis fruamur bonis, ac procul simus ab illo fluvio igneo, qui cum multo fragore fluet ante tribunal horrendum. Qui semel illò inciderit, ibi perpetuò maneat oportet: nemo erit qui à supplicio eripiat, non pater, non mater, non frater. Hoc Prophetæ clamant. Alius dicit : *Frater non redimit, redimet homo*[3]? Ezechiel verò quidpiam ampliùs effert, his verbis : *Si steterit Noe, et Job, et Daniel, filios suos et filias non eripient*[4]. Unum enim ibi tantùm juvat, nempè operum patrocinium, quo qui caruerit, alio modo servari non poterit. Hæc itaque perpetuò versantes et nobiscum reputantes, vitam expurgemus, et conspicuam reddamus, ut cum fiduciâ videamus Dominum, et promissa consequamur bona gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, unà cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA XII[a].

✠ MONITUM.

Quem habeat auctorem hæc Concio non facilè percipitur, necnon quo tempore, quâ in civitate habita fuerit. Dictam fuisse planum est contra Pneumatomachos et Anomœos Eunomiique sectatores, qui non ità pridem in civitate istà primas obtinuerant et Catholicos oppresserant. Quam rem ità describit Orator hic circa medium Concionis : « Cùm enim floreret impietas, cùm hanc urbem devastaret hæresis, ab-« sumpti erant Ecclesiæ filii..... Verùm hodiè, dilecti, ejecta est pestifera illa doctrina, et ingressa est « salutaris gratia. » Hic omninò videtur agi de pulsis à Theodosio Magno Anomœis et Arianis, qui Ecclesias multas Constantinopoli occupabant. Illud accidit anno Christi 380, atque adeò dicta fuerit hæc Homilia anno circiter 381 : quæ item fuit Tillemontii sententia in vitâ Chrysostomi, p. 392 et 587. Ad hanc verò opinionem omnia quadrant. Nam Constantinopoli, ubi habita fuisse putatur Homilia, plurimi erant Pneumatomachi et Anomœi multi, quos exagitat hic, quisquis sit, Scriptor : hi ab Ecclesiis ejecti sunt; contra Catholicos tamen digladiabantur ; quod etiam ad usquè Chrysostomi tempora perseveravit, ut videre est in ejus contra Anomœos Homiliâ Constantinopoli habitâ, Tom. 1 Operum ejus. In fine autem Homiliæ Concionator totum cœtum communis Patris et Doctoris precibus commendat. Ille verò adhuc fortassis erat S. Gregorius Nazianzenus, qui eodem anno Episcopatum Constantinopolitanum pacis servandæ causà abdicavit.

Stylus omninò perplexus et ferreus : undè quidam illam Severiano, Gabalorum Episcopo, ob dicendi affinitatem adscripserunt; verùm hæc Severiani concionantis ætatem præcedunt; neque ipse solus hoc

[1] *Joan.* XVII, 24. — [2] *Isai.* XVI, 10 *in græco.* — [3] *Psalm.* XLVIII, 8. — [4] *Ezech.* XIV, 14 *et* 16.

[a] In Operibus Chrysostomi, Tom. 12 edit. Montfauconianæ, inscribitur : « In illud : *In principio erat Verbum*, etc. « et quòd Spiritus scrutetur profunda Dei ; et in recèns illuminatos; et contra hæreticos. »

styli vitio laborabat. Wastelius hanc tribuit Joanni Nepoti Silvano, Jerosolymitano Episcopo : « quo momento, inquit Combefisius, ipse videat. » Juxta eumdem, ex fine liquet dictam esse hanc Homiliam à Presbytero.

Interpretationem latinam Joannis Jacobi Beureri, quòd ea παραφραστικῶς esset concinnata, rejecit, novamque paravit B. de Montfaucon, quam sequimur.

NUM. 1. Vox Joannis tonitru vehementior. — 2. Verbi generatio sine passione. — 3. Creatoris dignitas et potentia. — 4. Unus est Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. — 5. Baptismi pacta. — 6. Christus è cœlis descendit, ut terras ad cœlos deduceret. Purgatur terra sacris canticis. — 7. Hæretici baptismum habent, non illuminationem. Capti heri piscando, piscantur hodiè. Hæreticorum ac Judæorum affinia studia fidelium studiis adversa. — 8. Christus Filius Dei. Petri est aperire et claudere Ecclesiæ fores. — 9. Oportet confiteri non solùm Patrem, sed etiam Filium; non solùm Patrem et Filium, sed etiam Spiritum sanctum.

1. Hesternâ die nobis sermo in magnæ aquilæ speculationem desiit, aquilæ, inquam, illius magnæ, quæ spiritu cœlum et cœlestes potestates transcendit, et à rerum omnium apice orditur. Joannes enim nobis primò prædicavit illud : *In principio erat Verbum*, et de increatâ naturâ philosophatus est, qui rem creatam omnem plùs quàm aquila prætergressus est, tonitruque sonum superavit, solus æternam et cœlestem philosophiam prædicans. Tonitru namque, fratres, et terret et irrigat : irrigat nubium imbre, terret et percellit sono. Diversas ergò partes assumit vox Joannis : irrigat Ecclesiam, et hæreticorum agmen perterrefacit. Cùm enim vana loquuntur, cùm contrà quàm ipsi sciunt quædam esse negant, cùm humanâ linguâ contra divinam Scripturam decertant, tunc clamat Joannes : *Erat*, ante illud : Non erat[a]. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, voce suâ terrens adversarios, Davide testificante ac dicente : *Ab increpatione tuâ fugient : à voce tonitrui tui formidabunt*[1].

2. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quia enim passionis expers est Verbi generatio, *Verbum* appellat, ut per ea quæ in te sunt, ea quæ supra te sunt te doceat. Nam sicut mens verbum gignens, sine passione gignit, non secatur, non effluit, non corporeum quidpiam patitur ; sic divina et passionis expers generatio ineffabilis et incomprehensibilis est, non secatur, non dividitur ; sed dùm ab impiis et incredulis hæreticis malè secatur, à piis sine divisione rectè servatur. Cur noluit Evangelista dicere : In principio erat Filius ? Ne *Filii* nomen passioni obnoxiam generationem induceret ; sed illum dicit *Verbum*, ut generationem sine passione declaret. Ac ne *prolatitium* esse Verbum putares, subjunxit : *Et Deus erat Verbum*, ut Verbi nomine impassibilitatem, Dei verò nomine dignitatem intelligeres.

3. Deindè ejus expositâ generatione, Creatoris dignitatem et potentiam inducit : *Omnia per ipsum facta sunt ;* omnia nempè facta, non ut hæretici effutiunt, qui in hoc dicto adorandum Spiritum comprehendere audent, et dicunt : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso.* Verùm si quid in ipso factum est, at non increata natura Spiritûs[b]. Sed, ait ille, dictum est : *Omnia ;* atqui hæc vox, *Omnia*, non cum creatâ increatam naturam comprehendit. Quòd si huic voci, *Omnia*, attendens, ausus es sacram naturam temerare, si audieris Dominum dicentem : *Omnes quotquot venerunt ante me, fures erant et latrones*[2], quid dixeris ? An Moysem latronem dices ? An Prophetas fures ? Nam ait ille : *Omnes quotquot ante me venerunt, fures erant et latrones.* Sed sensus distinguit de quibus sermo sit, et ad quos pertineat. Nunc de creatione sermo est : creationem ab eo factam dicit, non autem substantiam Spiritûs, quæ ità cognoscit ea quæ Dei sunt, ut spiritus hominis quæ in se sunt, ut ait Paulus : *Nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso habitat*[3]. Si ergò spiritus meus alienus est à meâ naturâ, Spiritus quoque Dei alienus erit à naturâ Dei ; nam ait : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*[4]. Verùm hæreticus illud *scrutatur* audit : sensum autem pravè detorquet. Si enim nôsset, inquit, Spiritus ea quæ in Deo sunt, non utiquè scrutaretur ; ipsa namque perscrutatio ignorantiam arguit. Si ergò quòd Spiritus sanctus profunda Dei scrutetur, id ejus ignorantiam arguat, cùm videris Deum corda hominum scrutantem, ipsum ignorantiæ accusabis ? Audi enim Paulum dicentem, ut de Spiritu dixerat : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei ;* sic etiam de Deo philosophatur : *Qui verò scrutatur corda, novit sensum Spiritûs*[5]. Si ergò Deus ignorans scrutatur, etiam Spiritus scrutatur ignorans.

[1] *Psalm.* CIII, 7. — [2] *Joan.* X, 8. — [3] I *Cor.* II, 11. — [4] *Ibid.*, 10. — [5] *Rom.* VIII, 27.

[a] Hoc est, ni fallor, priùs dixit de Verbo : *Erat Verbum*, quàm diceret de Joanne Baptistâ : *Non erat ille lux*. Nec video quid aliud hic possit significari, nisi fortè sit mendum.

[b] Macedonianos suggillat.

4. Verùm ut scias, scrutari non ignorantis esse, sed ejus qui sciat, intulit : *Sic et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei*[1]; et cognitionem Spiritui adscribit, non comprehensionem ex naturâ, sed ex naturâ cognitionem. Itaque ne dividas indivisibilem naturam, ne disseces substantiam quæ secari nequit, imò ejus potentiam accuratè cognosce. Unus est, qui vocatur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus[a]; de Patre namque dicit Filius : *Cùm videritis Filium hominis sedentem à dextris virtutis*[2]. Cùm *virtutem* dixit, gloriam constituit, ut sententiam mireris. Quapropter ipsum Patrem et Deum vocans *virtutem*, Caiphæ dicebat : *Cùm videritis Filium hominis sedentem à dextris virtutis:* virtus ergò Pater. Virtus verò etiam Filius, ut ait Paulus : *Christus Dei virtus et Dei sapientia*[3]. Virtus etiam Spiritus sanctus; dicit enim Servator discipulis : *Manete in Jerusalem, donec induamini virtute ex alto*[4].

5. Cùm ergò scias, dilecte, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto parem esse virtutem, fidem teneas inconcussam : ne dividas gloriam incomprehensibilem, sed nosce baptismi pacta : aspice filios gratiæ per magnum Sacerdotem florentes, aspice lucis filios currentes ad præcones lucis; oportet enim eos qui ab illuminatione seu baptismo regenerati sunt, ad illos qui orbem regenerârunt, accurrere. Dicamus et nos cum Prophetâ et Apostolis : *Respice oculis, et vide filios tuos congregatos*[5]; et rursùm : *Vivo ego*, dicit Dominus, *quia illis omnibus vestieris, velut ornamento sponsæ*[6]. Stat ergò Isaias hodiè alloquens cœtum illuminatorum, qui nati sunt ex Spiritu sancto, qui repentè renovati sunt, qui in momento sunt transmutati, qui à terrêno statu in cœlestem imaginem reformati sunt : stupore perculsus Isaias dicit : *Quis vidit, quis audivit talia, quia peperit terra filios suos in die unâ, et nata est gens simul*[7]? Velox quippè est Spiritûs regeneratio : non servit temporibus nec generationibus; sed simul atque vult, nascitur quod regeneratur[b].

6. Decebat filios lucis ubique in foro prædicare et celebrare eum qui propter ipsos descendit, ut totum orbem sursùm deducat. Christus descendit de cœlis : descendit, non discedens de cœlis : ascendit, non discedens de terrâ. Neque enim cùm descendit, cœlos se vacuos reliquit; neque cùm ascendit, terram gubernatione suâ destitutam reliquit. Decebat filios lucis lucernam Verbi in foro ubique circumferre : mysterium non contumeliâ afficiebatur, character veritatis recèns illuminatorum non dehonestabatur. Decebat eos quoque in plateis cantare : *Sapientia* enim *in exitibus prædicatur, et in plateis fidenter agit*[8], in summis muris prædicatur. Purgemus aerem, quem cantilenæ meretriciæ inquinârunt, quem infecerunt olim impiorum clamores, et ululatus eorum qui fœda dæmonum mysteria celebrabant. Verbo lucis aer, terra, cœlum purgata sunt. Quemadmodùm enim cœlum et terra de malitiâ impiorum ingemiscunt, sic lætantur de justitiâ proborum; cùm enim homo peccat, indignatur cœlum, indignatur terra, ut ait Jeremias : *Obstupuit cœlum super hoc, et inhorruit terra, quia duo mala fecit populus*[9]. Videsne quomodò exhorrescat cœlum et terra, peccantibus hominibus? Cùm autem ad pietatem convertuntur, audi Prophetam dicentem : *Lætentur cœli, et exsultet terra : erumpant montes in lætitiam, et colles in exsultationem, quia misertus est Dominus populi sui*[10]. Dicat et Ecclesia quæ tanto cœtu floret : *Ego quondàm relicta sum sola; hi verò mei ubi erant? Ego absque liberis et vidua; hos verò quis mihi genuit*[11]? Dicant et filii Ecclesiæ qui multitudine redundant, Prophetarum voce Deo loquentes : *Angustus mihi locus : fac mihi locum ut habitem*[12].

7. Cùm enim floreret impietas, cùm hanc urbem devastaret hæresis, absumpti erant Ecclesiæ filii; ac sicut locusta terram invadens, ejus fructus consumit; sic perniciosa illa doctrina fructus veræ doctrinæ et pietatis consumpsit. Verùm hodiè, dilecti, ejecta est pestifera illa doctrina, et ingressa est salutaris gratia, quæ populum regenerat, et sic alloquitur : *Nunc retribuam pro fetibus, quos consumpsit eruca, et locusta, et rubigo*[13][c].

8. Quid contendis, hæretice, cum Judæis gloriam Unigeniti occultare[d]? Illi resurrectionem, quantùm in ipsis fuit, occultârunt : tu divinitatem, quantùm potes, occultas. At neque illi veritatem sibi vindicare possunt; neque tu pietatem perspectam habes. Audi ergò Prophetam dicentem : *Operuit cœlos virtus ejus, et laude ejus plena est terra*[14]; laude, non comprehensione; fide, non perscrutatione; charitate, non perquisitione. Non ad perquirendum, sed ad credendum instituti sumus :

[1] I *Cor.* II, 11. — [2] *Matth.* XXVI, 64. — [3] I *Cor.* I, 24. — [4] *Luc.* XXIV, 49. — [5] *Isai.* LX, 4. — [6] *Id.* XLIX, 18. — [7] *Id.* LXVI, 8. — [8] *Prov.* I, 20. — [9] *Jerem.* II, 12 *et* 13. — [10] *Isai.* XLIX, 13. — [11] *Ibid.* 21. — [12] *Ibid.* 20. — [13] *Joel*, II, 25. — [14] *Habac.* III, 3.

[a] Isthæc, nisi piè exponas, Sabellianum sonant : essent consona omnia si scriptum esset εἷς Θεός, quod et fortè scripsit Auctor : *Unus est Deus*.

[b] Ista de baptismo, eo quòd Græci Evangelium hoc legant in Paschate[a], quandò est solennis baptismus more antiquo.

[c] Possunt hæc cadere perindè in plerasque Orientis Ecclesias, repressis sub Theodosio Magno Anomœis et Arianis.

[d] Contra Anomœos.

[a] Non solùm Græci, sed etiam Latini Evangelium hoc legebant in Paschate, ut videre est infrà apud S. Augustinum qui hoc Evangelium in festis Paschalibus exponit.

credentes illuminamur, non curiosè perquirentes baptizamur. Ne te decipiant cœtus hæreticorum; baptismum quippè habent, sed non illuminationem; et baptizantur corpore, sed animâ non illuminantur. Sicut enim Simon baptizatus, non illuminatus est, et isti pari modo deprehenduntur. Exsultent ergò spiritus Apostolorum, qui spirituali sagenâ tantum hunc populum ceperunt per Spiritum sanctum. Nunc impleta est in oculis nostris Prophetica vox : *In novissimis diebus, dicit Deus, non ultrà dicent : Ecce arca testamenti sancti Israel*, id est, cultus antiquus; *neque ascendet in cor eorum testamentum arcæ* [1]. Quarè? *Quia ecce ego mittam multos venatores et piscatores* [2]. Circumscripsit arcam illam veterem, et induxit arcam Ecclesiæ, quæ numquàm perit : *Mittam multos venatores et piscatores.* O novam piscationem! Qui heri captus est, hodiè piscatur; repleta enim est terra gloriâ Christi, et impleti sunt fide orbis fines. Ne itaque propter carnis œconomiam contumeliis afficias dignitatem. A Judæis exiit rumor venditam fuisse resurrectionem, et fama percrebuit discipulos illum furatos esse. Illi contra corpus ejus sententiam mortis tulerunt, hi theologiam ejus pro virili annuntiant. Verùm illorum operâ error hodiè diffunditur; ab Ecclesiâ verò vita æterna prædicatur. Et, si vis, habes veterem imaginem; ut enim cùm Josephi fratres ipsi insidiati sunt, Jacob et ejus familia ipsum valdè lugebat; sed Ægyptus illum habebat viventem ac regnantem : hic apud Jacobum ut mortuus lugebatur; in Ægypto autem vivus regnabat; sic et nunc apud Judæos et furentes hæreticos mortuus ille putatur; theologiam enim perimunt qui fidem tollunt et quæstiones movent; apud nos autem regnat vivus, et ut decet adoratur. At verè firmum validumque est Dei Verbum, invicta Apostolorum doctrina.

9. Itaque non frustrà laborat Pauli vox, veritatis causam agens. Age, beate Paule, pro veritate concitatus, indignare pro fide, iratusque dic hæreticis : Undenàm Aristotelica edocti estis? Quis Platonem Evangeliis prætulit [a]? Quis fidei prædicationem ejecit, et incredulam quæstionem induxit? Ubinàm illud, *ingenitus*, et *genitus*, didicisti? Reliquisti Patrem, respuisti Filii nomen, indignam putàsti Spiritûs dignitatem, ad humana verba te convertis. Probè dixit Jeremias : *Periit fides ex ore eorum* [3]. Quid dixit Petrus, et beatus prædicatus est? *Tu es Christus, Filius Dei* [4]. Non dixit : Tu es proles ingeniti; sed : *Tu es Christus, Filius Dei.* Cùm ipsi Pater sapientiam revelavit, annon illam capere potuit? Annon poterat Christus Apostolis dicere, cùm illos jussit baptizare : Euntes baptizate Gentes in nomine geniti et ingeniti? Sed mysticarum traditionum sapientius nomen invenit. Divina circumscribis, fidem tollis, et quæstionem inducis. Sed time, ô inimice : Petrus claves tenet; quia enim dixit : *Tu es Christus, Filius Dei*, claves accepit. Quos viderit Petrus Filium dicentes, iis portam regni aperit; quotquot autem viderit ipsum rem esse creatam dicentes et blasphemantes, iis portam Ecclesiæ occludit. Non priùs enim claves accepit, quàm diceret : *Tu es Filius Dei;* tunc et ille audit ab ipso : *Beatus es, Simon Barjona : tibi dabo claves regni cœlorum* [5]. Post confessionem potestas : post fidem traditur Ecclesia et regnum.

10. Verùm alii contra Filium pugnant, alii contra Spiritum sanctum aciem instruunt. Verùm nihil prodest quòd Christum confiteantur, dùm Spiritum sanctum negant; sicut nihil prodest iis qui Patrem confitentur, et Filium negant. Nam et Judæi Patrem confitentur, qui negant Filium; neque habent vitam æternam. Qui Christi gloriam despicit, non acceptabilis est apud Patrem. Attende diligenter. Nam et amici Jobi cum Deo conveniebant, sed Jobum condemnàrunt; Deus verò, licèt illi causam suam defenderent, non probavit eos, sed dixit : *Cur locuti estis contra servum meum Job* [6]? Si Deus amicos qui contra Jobum locuti fuerant et se gloriâ affecerant, non approbavit, an eos qui Filium negant, licèt se confiteantur, probaturus est? Minimè sanè; nam *qui odit me*, inquit, et *Patrem meum odit* [7]. Similiterque sicut Pater oblatum sibi honorem non recipit, si Filius non honoretur; sic nec Pater, nec Filius, si Spiritus sanctus contemnatur. Paulus certè hæretica zizania pullulantia invenit, sed quæ numquàm apertè eruperunt. Nam Ephesi in Asiâ cùm quosdam reperisset qui baptizati fuerant, dixit eis : *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? Responderunt illi : Neque si Spiritus sanctus est audivimus.* Hinc præclara illa vox : *In quo ergò baptizati estis* [8]? Petrus itemque Paulus Ecclesiam doceant non nectendas esse illas hæreticas quæstiones. Undè nefaria illa Eunomii appellatio? Undè hæretica semina? Sanè periit veritas apud impios, et Aristotelica doctrina obtinuit. Humanæ naturæ terminos usurpas circa divinam et non genitam naturam, et genitam dicis? Tu verò, inquit, quid esse Patrem dicis? Ingenitum dico, sed non sicut tu asseris : ingenitum dico Patrem, quia non fuit genitus. Sed et ego Adamum ingenitum dico, quia non genitus, sed formatus est. Ne auditores alienis percellas dictis : hæc figmenta sunt. Ingenitus est Pater; multa quoque alia inge-

[1] *Jerem.* III, 16. — [2] *Id.* XVI, 16. — [3] *Id.* VII, 28. — [4] *Matth.* XVI, 16. — [5] *Ibid.* 17. — [6] *Job*, XLII, 7. — [7] *Joan.* XV, 23. — [8] *Act.* XIX, 2 *et* 3.

[a] Hæretici Aristotelis et Platonis scriptis nitebantur; sed Auctor hujus Homiliæ et Patres alii passim in Arianos argumentationibus quæ sequuntur invehebantur.

nita sunt. Ingenitum quippè est quodcumque non genitum fuit : ingenitum quoque dicitur quod quidem fit, sed nondùm factum est. Resurrectio mortuorum nunc ingenita est ; fiet enim, sed nondùm facta est ; estque incondita, cùm nondùm sit genita. Dicitur quoque ingenitum quod nec factum neque umquàm faciendum est, eoque pactò multa sunt ingenita, ut cùm Prophetæ dicunt, speciatimque Daniel : *Aspiciebam quatuor bestias exeuntes de mari; et erat prima bestia quasi leæna, et alæ ejus sicut aquilæ* [1]. Et ubi, quæso, vidisti leænam feram illà formà? Ubi vidisti feram quæ habeat ungues ferreos et dentes æreos? Hæc certè secundùm visionem descripsit Propheta, sed numquàm fuere, nec futura sunt ; sed est bestia illa ingenita, neque umquàm facta, sed tantùm nominata. Quæ umquàm mulieres fuerunt alis instructæ, quales vidit Zacharias [2] ? Ubi vidisti pardalim alas habentem [3] ? Hæc porrò omnia enarravit beatus Daniel. Aut ubi vidisti statuam ex auro, argento, ære, ferro, testà factam, qualem vidit Daniel [4] ? Unumquodque horum est ingenitum ; neque enim umquàm factum est, sed descriptum est ut fictio et visio. Ne itaque putes te magnum quidpiam Patri tribuere, cùm dicis illum ingenitum, quandoquidem multa alia, quæ numquàm fuere, ingenita dicuntur. Novi profundum esse sermonem ; sed ut hæreticam nequitiam confutarem, eò deductus sum. Dicitur quoque homo non genitus, qui natus non sit. Atqui, si natus non est, inquies, quomodò id dicitur? Hominem tibi monstrabo non genitum ; Servator enim ait de Judà proditore : *Væ homini illi per quem Filius hominis tradetur! Bonum ei erat, si natus non fuisset* [5]. Et quomodò bonum ei erat? Ei namque qui non existit nihil bonum, nihil damnosum. Salomon quoque beatum prædicat hominem, qui natus non fuerit, his verbis : *Beatus qui mortuus est, et magis quàm qui vivit, et plùs quàm ambo qui natus non est* [6]. Sed si natus non est, quomodò beatus? Vide nomina ingenitæ naturæ. Dixit beatum hominem, qui nec natus, nec formatus fuerit. Itaque ingeniti nomen naturam divinam non explicat, neque, ut tu dicis, ingenitam substantiam significat, neque Patri fert honorem, cùm apud Prophetam alia nomina sint ingenitorum et genitorum, ut suprà demonstravimus, sed quæ rem non factam esse tantùm declarent. Verùm dicamus illis cum Davide : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine* [7]. Petri vocem, Pauli doctrinam accipe : *Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* [8]. Spiritus sanctus adoretur, celebretur, glorificetur. Ex divinis Scripturis de Deo loquimur, velint nolint inimici. Testis erit mihi Paulus dicens : *Nescitis quia templum Dei estis?* Et quis sit qui inhabitet ? *Et Spiritus Dei habitat in vobis* [9]. Aliud est ergò templum, et alius qui inhabitat. Non audìsti Petrum dicentem : *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et intulit : *Non mentitus es hominibus, sed Deo* [10]. Sed dicunt hæretici : Non Spiritum vocavit Deum, sed id dicit, quia Spiritus à Deo missus est. Qui contumelià afficit, inquit, Spiritum, Deum mittentem contumelià afficit. At, stulte et inconsiderate (atheo enim non alia appellatio competat quàm stulti ; nam : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* [11]), non dixit ut tu cogitàsti. Nam, si contumelia in Spiritum referretur in Deum ut mittentem, dicere oportuisset : Non mentitus es Spiritui, sed Deo. Verùm hæc hactenùs ; oportet enim sanctam Trinitatem Apostolico choro concedere, quam Pater annuntiat. Trinitas Apostolorum testis est cœlestis Trinitatis. Choreas ergò sincerè agamus, et dicamus : *Multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum* [12], sive quàm omnis hæresis, quæ hominem doctorem habet, non Deum. Utinàm verò precibus et orationibus communis Patris et Doctoris, cum Apostolis et Martyribus nos omnes in rectà fide versemur, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

THEODORUS, MOPSUESTÆ EPISCOPUS [a].

NUM. 1. Principium quid juxta Philosophos? Variæ illorum de rerum principio opiniones. — 2. Moyses cur dixit : *In principio fecit Deus cœlum et terram?* — 3. Cur Joannes ait : *In principio erat Verbum?* — 4. Principium idem quod primus terminus. — 5. Quod erat in principio, non habet principium temporaneum. — 6. Res creatæ non sunt in principio. — 7. Verbum quo sensu primus terminus? Verbi nomen cur hic usurpatum,

[1] *Dan.* VII, 3 *et* 4. — [2] *Zach.* V, 9. — [3] *Dan.* VII, 6. — [4] *Id.* II, 31-35. — [5] *Matth.* XXVI, 24. — [6] *Eccle.* IV, 2 *et* 3. — [7] *Psalm.* CXVIII, 85. — [8] *Rom.* IX, 5. — [9] I *Cor.* III, 16. — [10] *Act.* V, 3 *et* 4. — [11] *Psalm.* XIII, 1. — [12] *Isai.* LIV, 1.

[a] Ex Corderii Catenâ Patrum græcorum in S. Joannem. Antuerpiæ, 1630.

non Filii? — 8. Differentia quæ existit inter has voces, *Verbum Dei*, et *Verbum* simpliciter. Verbum est *in principio*, non ut carens origine, sed ut carenti origine coæternum. Dignitas Verbi. — 9. Verba *Est* et *Erat*, aliud connotant, dicta de Deo, vel de rebus creatis. Coexistentia Verbi cum Patre, ac cum eo omnium opifex Verbum. — 10. Verbum vita et lux est hominum. — 11. Hæc vox, *Venientem*, dicta est propter carnis Christi manifestationem. — 12. *Quotquot receperunt eum*, filiationis munere donat. Quomodò hoc facit? — 13. *Caro* totum hominem significat.

1. *In principio erat Verbum.* Qui circa nominum usurpationem philosophantur, cùm etiam à naturâ petitis rationibus de hoc argumento disserant, pulcherrimam sanè principii definitionem tradiderunt, dicentes principium esse primum terminum eorum quæ post ipsum sunt, vel absolutè primum terminum; sic enim id quod ante omnia existit, rectè se explanare existimabant. Eodem modo principium, id quod semper est, appellare frequenter consueverunt. Et alii quidem rerum ipsarum existentium principium asserebant Deum, utpotè qui omnibus præexistat, nec quidquam ante se habeat; alii verò, aliquod eorum quæ videntur elementorum, vel terram, vel aerem, vel aquam, vel ignem, vel etiam omnia quatuor, prout quisque opinabatur, illa esse sempiterna, reliquaque ex ipsis posteà confecta esse; omnes autem tàm usu nominum, quàm explicatione sententiarum, declarârunt se principium asserere illud quod ante omnia est.

2. Neque verò Scripturam ab hâc sententiâ diversa dicere reperies, quinimò eo ipso sensu nomen hoc usurpare. Et ut, multis omissis, strictìm edisseram, Moyses ille beatus populum Israeliticum tàm de Deo quàm de rebus creatis instituens erudire, ut nimirùm ille quidem solus erat, hæ verò effectæ sint, volens insuper et ordinem nobis creationis earum explicare, ità ait : *In principio Deus fecit cœlum et terram* [1]. Quòd autem in principio erant, nequaquàm dixit; existimabat enim vocem illam rebus per se non existentibus et procreatis minimè convenire, quarum effectorem Deum præexstitisse non ignorabat. Neque verò quòd in principio factæ sint dicere ausus fuit, ratus Conditoris earum primo loco mentionem fieri oportere: quapropter ait: *In principio fecit.* Primùm enim Creatoris illarum, Dei mentione factâ, ut ad ipsum, utpotè sublimem, maximè mentem priùs sublevaret, deindè res procreatas commemoravit, siquidem in principio illa condita fuisse dicit, quæ sequentibus usquè ad hominis creationem diebus producta sunt, clarè per hæc nos docens principium in divinâ Scripturâ id dici quod primum est, vel planiùs loquendò, id quod præexistit. Hoc modo igitur in principio ea facta ait, quæ priora exstiterunt, cæteris nondùm procreatis. Neque verò in principio illa facta dixisset, si ante ea quæ posteà condita sunt, exstitissent.

3. Beatus etiam Joannes hanc eamdem vocem æmulatus est, cùm de Unigeniti divinitate verba facienda, et quis qualisve esset edocendum existimavit, dicens : *In principio erat Verbum.* Cùm enim Moyses, rerum recensens principium creatarum, earumdem Conditorem iisdem præexstitisse in suis de creatione Scriptis perspicuè demonstrârit, sanctus Joannes supervacaneum censens de rerum factarum initio verba facere, ipsarummet rerum existentium principium declarat Filium. In principio enim erat, quoniam semper erat. Qui itaque res existentes inquirunt, cùm de rebus quidem procreatis est quæstio, necessarium est ut non dicant illas fuisse in principio (nam quæ facta sunt, priùs non erant; sed neque facta essent, si fuissent); sed cùm illas, utpotè quæ aliquandò non exstiterint, transcenderimus, si quid iis præexstitisse repererimus, de eo verè dicetur quoniam erat in principio. Si itaque non existens aliquandò Verbum, ut vesani asserunt Ariani, posteà esse cœpit, utiquè non erat in principio, sed cùm demùm est, quia usquedùm non erat. Non enim relinquens quod prius est, principium dixero quod posterius est.

4. Atque illud est quod in Evangelio Joannis *Verbum* significat, quoniam primus est terminus eorum quæ sunt; si autem primus terminus, numquàm non erat, siquidem semper erat: quarè neque ipso quidquam prius umquàm exstitisse concipi possit; nam Pater, licèt quidem, ut causa Filii, præconcipi animo poterit, tamquàm qui sit à seipso, tamen ut vel sic ipsi Filius coexistat. Quamobrem non definitè dixit: *In principio erat*, sicut: *In principio fecit ;* nam ibi verbum adjectivum *Fecit*, definivit rerum creatarum principium, ità ut indè tantùm esse cœpisse intelligantur; hìc autem simpliciter et absolutè : *In principio erat*, ità ut manifestum sit ipsum loqui de primo veroque principio, quo nihil præconcipi animo eorum quæ existunt, possit, Et subjunxit istis vocibus: *In principio*, verbum *Erat*, declarans quoniam rerum simpliciter principium asserat, ut quod primum sit, et semper existat, et numquàm non sit.

5. Quidam autem, quod mirandum est, hæc omnia relinquentes, obvio vocis hujus sensu plurimos inescantes: *In principio*, inquiunt, *erat*, ergò habet principium [a]; non intelligentes quanta inter *Erat* et *Habere* intercedat differentia; quin verò potiùs hinc prorsùs contrarium inferre liceat. Si enim habuit principium, non erat in principio; sin verò

[1] *Gen.* I, 1. — [a] Arianorum cavillatio.

non habuit, erat in principio, quia caruit principio. Illud enim, *In principio,* voci *Erat* conjunctum, nullo alio adjuncto, absolutum quoddam et infinitum denotat principium in quo erat: quod competit ei cujus vita termino caret. Terminum autem modò voco quod primum est, quod et principium appellamus. Quod verò principium habuit, utiquè et terminum habet suî esse. Nam terminus est, quod in rebus primum est, sive principium quo existant. Infinitum autem nemo edixerit principium, cui terminus sit. Ad illud autem quod dictum est elucidandum, aio: Si voces illas, *In principio,* idcircò dictas velint, eo quòd Verbum suî principium habeat, quantæ dictum hoc inscitiæ sit, non est cognitu difficile, quandoquidem nihil eorum quæ aliquandò non fuerunt et facta sunt, in principio suî esse dici possit. Quod tametsi dici potuisset, id commune etiam rebus omnibus creatis fuisset, et frustrà nobis ac sine causâ sanctus Joannes Evangelista, quasi novi quidpiam de Unigeniti divinitate philosophari videretur, illud *In principio erat,* protulisset. Quod, non dico Angelis vel excellentioribus dumtaxat naturis, sed etiam muribus ac ranis hoc sensu convenit; nam et illa, cùm non essent, producta sunt, atque esse cœperunt. Verùm illud non sic accipiendum; quin potiùs omninò necesse est dicere nihil eorum quæ, cùm non essent, creata sunt, dici posse in principio suo exstitisse, ità ut illud *In principio,* hoc sensu de Filio Dei intelligi minimè possit. Quis enim nesciat rem, quæ quandoquè non fuerit, cùm facta sit, dùm produceretur esse cœpisse? siquidem simul ut producebatur, etiam esse incipiebat; nec quisquam rerum similium diversum ab earumdem productione principium assignaverit. Quomodò igitur de similibus adhuc dici possit illud: *In principio erat?* nam si erant producta, priora erant; et manifestum est quòd non erant, nisi priùs producta. Si autem producta sint, dùm producebantur cœperunt esse, adeò ut singula eorum in suo exordio producantur cùm nondùm existerent, et esse principiumque accipiant dùm producuntur, quandoquidem Creator non opus habeat tempore, sed simul ac voluerit, opus existat.

6. Eamdem similiter et rationem et ordinem beatus Moyses in illo esse tenuisse cognoscitur, cùm primùm dixit: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, ac deindè subjunxit: *Terra autem erat invisibilis et incomposita*, ità ut primùm quidem iis competat fieri, deindè verò vox *Erat* accommodetur, dùm reliquum perficitur. Nihil autem eorum quæ, cùm nondùm essent, producta sunt, dicitur in exordio suo existere. Omnibus enim ejusmodi rebus initium existendi est ipsa productio, quâ esse accipiunt cùm necdùm essent, post quam etiam existere cognoscuntur: quarè multò minùs quoniam erant dici possunt. Nam vox *Erat,* dicitur de iis quæ jàm semel existunt; quæ verò jàm producta sunt, si facta sunt, cœperunt esse; et tunc demùm quoniam erant intelliguntur; sed quandò esse inchoant, quoniam erant non dicitur.

7. Verbum itaque est primus terminus eorum quæ sunt, non quòd præcedat Patrem, vel quòd, uti ipse, sit expers originis; sed quòd ab æterno ipsi coexistat, ex ipso quidem esse habens, non tamen indè posteriùs originem trahens[a]. Et idcircò Verbum, et non Filium, ipsum appellavit, ne pro humanâ consuetudine, præstituta nostræ generationi tempora offuscent divinæ generationis acumen, quod quidem effugit omnem oculorum aciem, omnem verò motum præcedit cogitationum; utque hoc modo immutabilem ipsum intelligamus, Filio nimirùm Patri coæterno semper coexistente, ex eoque originem habente.

8. Multâ autem accuratione usus Evangelista, non dixit Verbum Dei, sed *Verbum* simpliciter; noverat quippè verbum cum tali adjuncto in Scripturâ vocari *mandatum, vel* etiam *opus aliquod ex Dei voluntate factum.* Sicut apud Prophetas verbum Domini dicitur, quod ad talem vel talem factum est. Et Apostolus: *Verbum Dei est, quod per nos prædicatur*[1], sive nostra prædicatio; et: *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est*[2], hoc est, prædicatio de cruce. Ità beatus etiam David: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*[3], hoc est, quæ juxta mandatum ejusque voluntatem fiunt atque moventur. Cùm itaque divina Scriptura passim isto sensu verbi Dei mentionem faciat, non verò indefinitè (nam vel verbum Dei dicit, vel verbum Domini, vel verbum crucis, qui modus loquendi definientis est), sanctus Joannes hìc *Verbum* posuit absolutè, secundùm hypostasim, sine additione et definitione. Dicens igitur: *In principio erat Verbum,* sufficienter etiam sempiternam ejus substantiam declaravit; exemplo autem *Verbi* non incidentem dumtaxat solvit ambiguitatem, [[b] verùm etiam et quòd *in principio erat,* non tamen tamquàm ex-

[1] I *Cor.* I, 18. — [2] *Ibid.* — [3] *Psalm.* CXLVIII, 8.

[a] Suprà, pp. 530-531, Notâ *a,* dictum fuit Patrem esse Filio majorem, non quoad naturam, sed respectu *originis.* Hìc dissimilia non asseruntur; nam quandò dictum fuit Patrem esse Filio majorem respectu *originis,* per hanc vocem *originis,* intelligebatur *origo logica, idealis,* non *origo vera,* id est, *sensu procreationis humanæ intellecta.*

[b] Pro verbis uncis inclusis, hæc legis apud Combefisium: « Verùm etiam verbis illis: *In principio erat*, non seipsum « expers originis dicere ostenderat, sed ejusmodi ut æquâ « æternitate cum originis experte existat, illud ipsum pressiùs « urgens ac elucidans: *Et Verbum*, inquit, *erat apud* « *Deum*, etc. »

pers originis, sed ut quod origini suæ coæternum coexistat ostendit, illud ipsum explicando et elucidando: *Et Verbum*, inquit, *erat apud Deum*, quasi dicat: Apud ipsum, et cum ipso, et in ipso (hoc enim insinuat illud, *Erat apud Deum*), clarè demonstrans quòd in principio dixerit esse Verbum, non ut expers originis, sed ut quod propriè coexistat carenti principio. Et cùm dixit quoniam *erat apud Deum*, subjungit: *Et Deus erat Verbum*, non priùs dicens esse Deum, quàm asseruerit illud esse apud Deum: tùm subdit: *Et Deus erat*, tantùm non dicens non esse aliud, sed id ipsum quod ille apud quem erat. Non multùm hoc discrepat ab illo Apostoli, ubi et ipse Filium splendorem gloriæ vocans, subjunxit: *Et figura substantiæ ejus* [1], simul et omnem removens inæqualitatem, et similitudinem explanans. Attamen nondùm hìc substitit Evangelista, sed quasi posterioribus priora continuò enucleatiùs explicare volens, clariorem de Unigeniti æternitate sermonem instituit, et ex rerum creatarum collatione ejus excellentiam ostendit, ut non tantùm illas dignitate præcedere, sed ne quidem ullam cum iis communicationem habere videatur; nam subjungit: *Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt.* Demonstrativè quidem *Hoc* accipiens, opposuit illi *Omnia;* et dictioni *Erat in principio*, illud, *Facta sunt.* Ipsum siquidem non est factum, quia *erat in principio apud Deum;* hæc verò facta sunt, quoniam, cùm priùs non existerent, posteà esse cœperunt. *Hoc* ipsum etiam præcedentium est explicatio.

9. Illud autem, *In principio erat*, clarè demonstravit vocem *Erat*, cùm voluerimus, etiam æternitatem connotare. Quemadmodùm enim Verbum *Est*, de homine quidem dictum, tempus tantùm præsens denotat, de Deo verò pronuntiatum, æternitatem indicat; ità etiam *Erat*, de nostrâ quidem naturâ prolatum, præteritum tempus insinuat, idque determinatum; de Deo autem enuntiatum, ejusdem æternitatem nobis declarat. Et universìm, cùm divina Scriptura de rebus creatis verbum *Erat* enuntiat, simul etiam auditoris intellectum præoccupat, ne æterni quidpiam de iisdem mente concipiat (omne siquidem quod factum est, omnisque homo tempore concluditur, et principium habet, hoc ipso quòd factus est); quando verò id de Unigenito effertur, nihil humile vel abjectum de eo patitur cogitare. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Hoc Verbum Patri semper coexistebat, ut quod et naturam et operationem cum eo haberet communem, quod, inquam, ipsi quidem semper aderat; cooperabatur autem ipsi, quandò res omnes produci conveniebat. Manifestè autem ostendit illud, *Per ipsum*, non propter ejus ministerium appositum esse, sed propter cooperationem. Et ut nihil eorum quæ facta sunt, ab ipsius fabricatione eximeretur, subdit: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

10. *In ipso vita erat*, quoniam vim vivificam facit scaturire, ità ut non solùm vivat ipsum, verùm etiam aliis vitam præstet: undè sequitur: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Fecit enim, inquit, omnia, vitam suppeditans, ità ut non naturas dumtaxat simpliciter producat, sed etiam vivificet. *Et vita erat lux hominum*, quoniam eadem in ipso virtus non vivificandis solùm animabus hominum, verùm etiam omni cognitione illas imbuendis abundè sufficit. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Cæterùm ad Filii apparitionem transiens, aliud quoddam principium invenit, quàm sint illa secundùm Joannem. Undè liceat intelligere quis sit qui principium accepit.

11. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Post illa verba, *Venientem in hunc mundum*, de Domino ejus Christo rectè subjunxit: *In mundo erat*, ut declararet illud *Venientem*, dictum esse propter carnis manifestationem. Nam secundùm hypostasim, inquit, ac naturam suam, etiam anteà *in mundo erat*, ipso videlicet imperfecto: undè subjunxit: *Et mundus per ipsum factus est*, quasi dicat: Ecquid mirum, si in mundo erat, qui omninò non fuisset, nisi ipsum esse voluisset?

12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Uberem sanè se suscipientibus mercedem retribuit, primum siquidem maximumque bonum, honoris quodammodò sui illis largitus est æqualitatem, paulò scilicet suo minorem, qualis ipsi capaces erant, filiationis eos munere donando: quam gratiam adepti sunt, non secundùm naturalem generationis ordinem corporaliter renascendo, sed divinâ virtute, per similitudinem quamdam et affinitatem spiritualiter procreati.

13. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Sed et in hominibus, corpus *tabernaculum* appellat Apostolus, dicens: *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus* [2]; et iterùm: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur* [3]. Usitatum autem Scripturæ est *à carne* totum hominum nominare, ut in illo: *Ad te omnis caro veniet* [4]; et in eo: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* [5].

[1] *Hebr.* I, 3. — [2] II *Cor.* V, 4. — [3] *Ibid.* 1. — [4] *Psalm.* LXIV, 3. — [5] *Joel*, II, 28.

S. CYRILLUS, ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPUS,

ET ECCLESIÆ DOCTOR [a].

NUM. 1. Hæretici, negantes Christi deitatem, occasio sunt Joanni scribendi Evangelium. — 2. Principii non est principium. Divina Christi generatio inenarrabilis. — 3. Principium temporis non licet in Unigenito accipere. Filius in Patre tamquàm in fonte, aut splendor in sole. — 4. Nomine *principii*, potestas super omnia significatur. — 5. Confutatur error Cerinthi et Ebionitarum, qui Christum non esse Mariâ antiquiorem asserebant. — 6. Cùm et Deus et consubstantialis Patri sit Filius, in propriâ est hypostasi, sicut et Pater (contra errorem Sabellii, qui asserit unum esse Patrem et Filium). — 7. Undecim argumentis demonstrat Patrem et Filium in suâ quemque esse hypostasi. — 8. Deus secundùm naturam, nec ullo modo aut minor aut dissimilis Patri est Filius (adversùs Arianos negantes Filii cum Patre æqualitatem) : quod probat variis argumentis et syllogismis. — 9. Alia argumenta per reductionem ad absurdum, cum syllogismi complexione. — 10. Adversùs eos qui dicere audent aliud esse internum et naturale in Deo et Patre Verbum, et aliud quod Scripturæ divinæ appellant Filium. Istius est modi error Eunomianorum. — 11. Confutatur error Eunomii. — 12. Quomodò intelligenda sunt verba Dominica ex quibus Eunomianorum offensio. — 13. Loquitur Deus humano more in Scripturis. — 14. Quòd naturâ suâ creator sit Filius cum Patre, ut qui ex ejus est substantiâ, et non tamquàm minister ad id assumptus. — 15. Ex eo quòd per Filium *omnia facta sunt*, non idcircò censendus est iste servus et alienæ voluntatis minister. — 16. Filius Patri cooperatur ; sed nec hoc exemplis humanis potest declarari. — 17. Vox *per ipsum* etiam dicitur de Patre, ut nihil Filio noceat. — 18. Quòd vita secundùm naturam sit Filius, atque ideò non creatus, sed ex substantiâ Dei ac Patris. — 19. Argumenta, sive syllogismi pro Filii deitate, eo quòd sit vita. — 20. Quòd lux secundùm naturam sit Filius, et proindè non creatus, sed ex substantiâ Dei ac Patris, ut lux vera de luce verâ. — 21. Demonstrationes per syllogismos, quòd secundùm naturam alius sit Filius illuminans à creaturâ quæ illuminatur. — 22. Filius omnium lux, extra quam nulla sapientia et prudentia. Natura creata dicta *tenebræ*. — 23. Joannes Evangelista in testem secum adsciscit Joannem alterum. Joannes ut à Deo missus, ità et doctus : auctoritatem habet ex nomine cœlitùs indito. — 24. Joannes à nonnullis existimatus Christus. — 25. Quòd solus Dei Filius sit vera lux, creatura non item, cùm sit lucis particeps, utpotè creata. — 26. Rationum collectio ex quibus discere licet solum Filium lucem esse veram, creaturam non item, ideòque non ejusdem cum ipso naturæ. — 27. Simpliciora argumenta quibus probatur rerum creatarum naturam accepto à Filio lumine collustrari. — 28. Angeli et Doctores illuminant non ut ipsa sapientia, sed ut ministri. — 29. Quomodò Sanctos Christus vocet lucem mundi. — 30. Christus in mundum venit, et missus est ratione Incarnationis. — 31. Origenis error Platonem secuti in Timæo. — 32. Propositiones ex syllogismis connexis ad refellendam Origenis opinionem. — 33. Cur Evangelista rursùm declarat mundi opificem esse Filium ? — 34. Si mundus eum non cognovit, illud non imputari debet luci, sed vitio oculorum. — 35. Mundus, id est, Gentes Christum non cognoverunt : sui, id est, Judæi eum non receperunt. — 36. Christum à Judæis repulsum Gentes receperunt. — 37. Dat Filius ut simus virtute quod est ipse naturâ. — 38. Fidelium Christi potiora quàm Judæorum dona. — 39. De Spiritûs sancti divinitate. — 40. Verbum caro factum, eo quòd prima caro mortalitate damnata. — 41. Quomodò Verbum habitavit in nobis ? — 42. Verbum caro factum nullam divinitatis jacturam passum est. Sanctorum merita Christi meritis collata, videntur nulla.

1. Aiunt nonnulli viri, doctrinâ clarissimi, post Salvatoris nostri crucem et in cœlos ascensionem, falsos quosdam pastores et doctores, quasi truculentas feras, in Salvatoris ovilia irruentes, non parùm turbâsse, ex corde suo, non ex ore Domini loquentes, sicut scriptum est [1], imò verò non ex solo suo corde, sed ex patris sui doctrinâ, diabolo nimirùm : *Si enim nemo potest dicere anathema Jesu, nisi in Beelzebub* [2], quomodò verum non esse comperietur quod de his dicimus? Quænam sunt igitur quæ in suum illi caput eructârunt, qui unigenitum Dei Verbum, lumen illud æternum, in quo certè omnes et movemur et sumus [3], tùm primùm in rerum naturam prodiisse indoctè et impiè asserunt, quandò ex sanctâ Virgine homo natus est, et communi hâc formâ assumptâ *in terrâ visus est*, ut scriptum est, *et cum hominibus conversatus est* [4]? Quos ità sentientes, et ineffabilem ac æternam Filii generationem vellicare audentes, Prophetæ dictum sic urget : *Vos autem accedite huc, filii iniqui, semen adulterorum et fornicariæ. Super quem lusistis, et super quem aperuistis os vestrum, et super quem laxâstis linguam vestram* [5], quæ non ex corde bono scilicet profert bona, sed crudelis serpentis venenum exspuit, de quo Psalmista ad unum universi Deum orationem convertens ait : *Tu confregisti capita draconis* [6]? Cùm autem non parùm in his fidelium men-

[1] *Jerem.* XXIII, 16. — [2] *I Cor.* XII, 3. — [3] *Act.* XVII, 28. — [4] *Baruch*, III, 38. — [5] *Isai.* LVII, 3 *et* 4. — [6] *Psalm.* LXXIII, 14.

[a] Desumpta est hæc Homilia è Commentario in Evangelium Joannis, Tom. 4 edit. Joan. Aubert. Paris. 1638.

tes turbarentur, et simpliciorum animos, instar pestis, scandali lues depasceretur (putabant enim nonnulli, nugis illorum à verâ doctrinâ abducti, in rerum naturam tùm vix prodiisse Verbum, cùm homo factus est), qui inter eos sapientià præstabant, in unum congregati, venerunt ad Salvatoris discipulum, ipsum nempè Joannem, et morbum qui fratres invaserat nuntiârunt, atque hæreticorum nugas detexerunt, et sibi confestim adesse spiritalibus illustrationibus rogârunt, et jàm diabolicis retibus involutis salutarem manum porrigere. Eorum igitur qui perierant et mente corrupti erant, dolore tactus discipulus, absurdum item esse ratus nullam posterorum curam habere, ad hujus Libri scriptionem se contulit. Et quæcumque ad generationem carnalem et naturalem pertinent, reliquit aliis Evangelistis latiùs enarranda; ipse verò, ardore quodam animi in eorum qui talia in medium afferunt petulantiam invehitur, dicens :

2. *In principio erat Verbum.* Quid ad hæc dicitis, qui novum nobis ac recentem [a] inducitis, ut ne omninò quidem jàm ampliùs credatur Deus? *Non enim erit in te Deus recens*, ait Scriptura [1]. Quomodò autem non erit recens, si novissimis natus est temporibus? Quomodò verò non mentitus sit, ad Judæos dicens : *Amen, dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego sum* [2]. Neminem enim fugit multis post beatum Abraham sæculis Christum ex sanctâ Virgine genitum. Quomodò deniquè illud, *In principio erat,* manebit incolume, et rectè quadrabit, si in fine sæculorum natus est Unigenitus? Vide enim vel ex iis quæ sequuntur, quantæ sit absurditatis æternam Filii existentiam mutilare, et novissimis temporibus ipsum natum suspicari. Illud verò subtiliùs rursùs explicandum nobis venit, quod dixit beatus Evangelista : *In principio erat Verbum. Principio* nihil est antiquius, si *principii* definitionem in se retineat; principium enim principii nusquàm fuerit : aut si quiddam aliud ante ipsum intelligatur oriaturve, verè principium esse desinet. Alioqui, si fieri potest ut aliquid ante illud quod verè principium est, existat, in infinitum nostra de illo abitura est oratio, alio priùs semper exoriente, et post se rejiciente illud quod quæritur. Itaque principium quidem principii non erit, si verè et exactè ratiocinari volumus, sed in infinitum et incomprehensibile procedet id quod de ipso dicetur. Cùmque fine careat illa retrò acta perpetuò conversio, et sæcula percurrat, non existere in tempore Filius, sed ab æterno potiùs esse cum Patre comperietur. *Erat* enim *in principio* : quòd si erat in principio, quæ mens, amabo, poterit vim illius verbi, *Erat*, transvolare? Quandò deniquè illud, *Erat*, velut in fine consistet, cùm prosequentem cogitationem semper antecedat mentemque præcurrat? Quamobrem attonitus propheta Isaias inquit : *Generationem ejus quis enarrabit? Quia tollitur à terrâ vita ejus* [3]. Tollitur enim profectò à terrâ generationis Unigeniti ratio, hoc est, omnium mortalium mentem excedit, omnemque rationem superat, adeò ut enarrari nequeat. Quòd si mentem et rationem nostram excedit, quomodò creatus erit, cùm et tempore et ratione circumscribere res creatas, ingenii nostri vires non excedat?

3. *In principio,* inquit, *erat Verbum.* Principium utiquè illud quod in tempore intelligitur, nullatenùs capere licet de Unigenito; nam, cùm sit ante omne tempus, et sæculis priorem existentiam habeat, ac prætereà finem attingere natura divina nesciat (eodem enim modo se semper habebit, juxta illud Psalmistæ : *Tu autem ipse es, et anni tui non deficient* [4]), quonam à principio tempore et quantitate definito Filius prodibit, qui ad finem tendere nescit, utpotè secundùm naturam existens Deus, ac propter eà clamans : *Ego sum vita* [5]? Principium enim in se neutiquàm intelligitur esse, nec ad finem suum respicere, cùm principium respectu ad finem, rursùs autem finis respectu ad principium nuncupetur. Principium verò hìc rursùs temporis, sive quantitatem significamus. Cùm igitur ipsis etiam sæculis antiquior sit Filius, in tempore genitus esse non poterit, sed erat semper in Patre velut in fonte, sicuti ab ipso dictum est : *Ego ex Patre exivi, et veni* [6]. Cùm ergò Pater fons intelligatur, erat Verbum in ipso, sapientia, et virtus, et character, et splendor, et imago ejus existens. Et si tempus nullum erat quandò absque Verbo, et sapientià, et charactere, et splendore erat Pater, simul etiam fateri necesse est æternum esse Filium, qui eadem est cum æterno Patre. Quomodò enim, amabo, character est, aut quomodò exacta imago, nisi ad illam pulchritudinem expressus videatur, cujus etiam est imago? Nihil obstabit porrò, quòd Filium in Patre, tamquàm in fonte, esse intelligimus. Nomen fontis enim hìc solùm, *id ex quo*, significat; est autem Filius in Patre et ex Patre, non extrinsecùs, aut in tempore genitus, sed in Patris existens substantià, et ex ipsâ effulgens, velut ex sole splendor, aut tamquàm ab igne inna-

[1] *Psalm.* LXXX, 10. — [2] *Joan.* VIII, 58. — [3] *Isai.* LIII, 8. — [4] *Psalm.* CI, 28. — [5] *Joan.* XIV, 6. — [6] *Id.* XVI, 28.

[a] Inducitis, *subauditur*, Deum. Alludit procul dubio Cyrillus ad hæc Celsi verba : « Cùm hominem nuperrimè exortum su« pra modum colunt (Christiani), nihil tamen in Deum pec« care se putant, licèt ejus ministrum colant. » Si consulas ad hæc breve responsum Origenis, Tom. 1 Operum ejus, Lib. 8 contra Celsum, num. 12, p. 750, edit. Delarue, videbis quàm Cyrilli cum argumentationibus quadret. Vide etiam Tom. 4 eorumdem Operum, Lib. 2 Origenian., Quæst. 2, num. 3, p. 116, Notam *a* Delarue.

tus ei calor. In his enim exemplis unum quidem ex alio prognatum videre est, verumtamen semper coexistens, et inseparabiliter insitum, ità ut absque altero alterum per se nequeat esse, et veram suæ naturæ rationem retinere. Quomodò enim demùm sol erit, si splendore sit destitutus, aut quomodò splendor, si non sit sol à quo illustretur? Quomodò verò ignis, si calefaciendi virtute careat? Undè autem calor, nisi ex igne, aut ab aliâ quâdam re quæ à substantiali qualitate ignis haud procul absit? Quemadmodùm igitur in his, quòd simul existant ea quæ sunt ex ipsis, eorum coexistentia non tollitur, sed quòd semper concurrant cum productoribus suis, palàm fit esse producta, et unam cum ipsis habere naturam ; ità quoque in Filio. Licèt enim in Patre et ex Patre intelligatur ac dicatur, non alienus nobis, aut externus, aut tamquàm ab ipso secundus prodibit, sed existens in ipso, et semper coexistens, et ex ipso effulgens secundùm ineffabilem divinæ generationis modum. Quòd autem etiam à Sanctis Deus et Pater, tamquàm principium solùm *ex quo*, Filii, dicatur [a], audi Psalmistam secundùm nostri Salvatoris adventum prænuntiantem, et ad ipsum Filium dicentem : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendore sanctorum tuorum* [1]. Dies enim virtutis Filii ea est, quâ universum orbem judicaturus est, et unicuique mercedem secundùm opera sua redditurus. [b] Veniet autem omninò etiam ipse existens in Patre, et habens in seipso Patrem, suæ naturæ quodammodò principii expers, principium, scilicet, *ex quo* dumtaxat, propterea quòd ést ex Patre.

4. *In principio erat Verbum. Principii*, de quo hìc quærimus, multæ ac variæ significationes se nobis offerunt undiquè, quæ utiles sint investigantibus, et, canum instar, veram divinorum dogmatum comprehensionem et accuratam mysteriorum rationem indagantibus : *Scrutamini* enim *sanctas Scripturas*, alicubi Salvator ait, *quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere ; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* [2]. Videtur itaque beatus Evangelista, *principii* nomine, hìc potestatem supra omnia positam significare, Patrem nimirùm, ut et supra omnia collocata natura divina appareat, quæ quodcumque creatum est sub pedibus habet, et rebus à se in rerum naturam editis propemodùm insidet. In hoc igitur principio, quod est in omnes et supra omnes, erat Verbum, non cum omnibus sub pedibus ejus, sed extra omnia in ipso naturaliter, ceu fructus coæternus, locum, ut ità dicam, habens omnibus antiquiorem, Patris nimirùm naturam. Idcircò etiam liber libero Patre genitus, universi imperium unà cum ipso habet. Quænam ergò sit deinceps horum verborum structura, operæ pretium est animadvertere.

5. Nonnulli [c] audacter Dei Verbum tùm primùm in rerum naturam editum asserebant, cùm, assumpto ex sanctâ Virgine templo, propter nos factus est homo. Quid ergò demùm erit, si aut creatus, aut factus, et ejusdem cum aliis omnibus naturæ, de quibus et è nihilo creatio, et servitutis nomen, et res ipsa jure dicuntur? Quid enim creatum cunctipotenti Deo servire impunè detrectabit? Quid autem cunctipotenti principio, potestati, et dominationi non subjacebit, quam ipse alicubi quoque significat Salomon, dicens : *Cum justitiâ enim præparatur solium potestatis* [3]. Paratus enim est præclarè ad justitiam ille thronus ejus nimirùm quæ supra omnes est potestatis. Et quis ille thronus sit, de quo hìc loquimur, audi Deum per unum Sanctorum dicentem : *Cœlum mihi thronus* [4]. Itaque paratum est ad justitiam cœlum, hoc est, qui cœlos incolunt sancti spiritus. Quoniam ergò necesse erat confiteri unà cum aliis creaturis subjici Deo ac Patri Filium, tamquàm servili conditione præditum, et principii potestati, perindè ac alia, subditum, si, ut illi volunt, serò genitus, et eorum qui in tempore facti sunt unus est, necessariò beatus Evangelista acriùs insultat hæreticis, et ab omni quidem servitute Filium vindicat, et ab omnipotente substantiâ manare ostendit, in eâque naturaliter ipsum existere asserit, dicens : *In principio erat Verbum. Principii* autem vocabulo illud *Erat*, subjungit, ut non solùm gloriosus, verumetiam ante sæcula genitus intelligatur. Illud enim *Erat*, hìc positum est, quò contemplantis animus in profundam quamdam, et incomprehensibilem, et ineffabilem, quæ cuncta superat tempora, generationem, intendatur. *Erat* enim, indefinitè prolatum, quonam in loco nos sistet, cùm prosequentem mentem naturâ suâ semper antevertat, et quam illius quietem esse putaveris, hanc ulterioris cursûs faciat initium? *Erat* igitur *Verbum in principio*, hoc est, in potestate quæ est supra omnia, et ex ipsâ existens naturaliter, Dominique majestate præditum. Quod si ità est, quomodò creatus demùm aut factus erit? Ubi deniquè illud *Erat*, aliquo modo *non erat*, inibit, aut quem tandem locum habebit in Filio?

6. *Et Verbum erat apud Deum.* Cùm inanem

[1] *Psalm.* CIX, 3. — [2] *Joan.* V, 39. — [3] *Prov.* XVI, 12. — [4] *Isai.* LXVI, 1.

[a] Quòd autem... *id est*, quòd autem etiam à Sanctis Deus, Pater Filii, solummodò tamquàm principium *ex quo*, dicatur, audi Psalmistam quasi ad ipsummet Filium de secundo ipsius adventu dicentem : *Tecum principium*, etc.

[b] Veniet autem... *id est*, veniet etiam tùm ipse in Patre existens, et in semetipso habens Patrem, quasi principii expers, propriæ quodammodò naturæ principium, scilicet, *ex quo* duntaxat, ut qui ex Patre sit.

[c] Cerinthus et Ebionitæ.

et veritatis expertem illorum qui ista sentiunt ineruditam mentem satis superque jàm ostenderit, et his vocibus : *In principio erat Verbum*, omnem aditum præcluserit iis qui è nihilo Filium esse dicunt, omnemque eorum vanitatem paucis everterit, aliam vicinam ac admodùm perversam hæresim aggreditur ; et quemadmodùm bonus ac laboriosus hortulanus ligone et laboribus oblectatur, lumbosque præcinctus, et quo par est agresti habitu indutus, omnem suam curam in purgando horto et eradicandis spinis ponit, aliamque post aliam eruere non cessat, et circumeundo rastri dente versare si quid est noxium ; sic etiam beatus Joannes, vivens, et efficax, et acutissimum Dei verbum in mente gerens, et acutissimè atque sagacissimè malignitatis hæreticorum acerba germina circumspiciens, ad ea cursìm quodammodò fertur, ac statim omni ex parte succidit, lectoribusque suis tuendæ rectæ fidei modum suppeditat. Vide enim rursùs hominis sancto Spiritu afflati prudentiam. Docuit anteà Verbum esse in principio, hoc est, in Deo et Patre, ut diximus. Cùm autem mente perspicacissimus esset, nec ignoraret, ut credibile est, suborituros aliquos[a] qui præ multâ ignorantiâ dicerent unum et eumdem esse Patrem ac Filium, et nominibus dumtaxat sanctam Trinitatem distinguerent, nec in propriis hypostasibus esse concederent, ut Pater quidem reverà intelligatur Pater, non Filius ; Filius item esse propriè Filius, ac non Pater, ut ex rei veritate necessariò fatendum nobis est, adversùs hanc hæresim, quasi jàm tùm excitatam, aut olim futuram, armatur, ideòque ad illam evertendam, his verbis : *In principio erat Verbum*, statim adjungit : *Et Verbum erat apud Deum*, ubique illud *Erat*, necessariò inferens, propter generationem ipsius, quæ est ante secula. Ex eo verò quòd dicit : *Et Verbum erat apud Deum*, unum quiddam, idque per se subsistens, Filium ostendit ; alium autem rursùs esse Deum ac Patrem, apud quem erat Verbum. [b] Quomodò enim, amabo, id quod unum numero est, ipsum apud semetipsum vel in semetipso existere censebitur? Sed inscitiæ plena compertum iri quæ de his hæretici statuunt, posthæc inferiùs docebimus, ubi quæstio illa accuratè perpendetur.

7. Consubstantialis quidem est Filius Patri, et Pater Filio. Idcircò 1°. In similitudinem prorsùs eamdem coeunt, ità ut cernatur quidem in Filio Pater et in Patre Filius, et alter in altero fulgeat, quemadmodùm ipse quoque dicit alicubi : *Qui videt me, videt et Patrem* ; item : *Ego in Patre, et Pater in me est*[1]. At quamvis sit in Patre, habeatque vicissìm in seipso Patrem, rectè quidem ipse ut priùs jàm dictum est, et perfectè ad formam Patris expressus, idemque simplicissimè ex naturâ suâ ipse in seipso Patrem exprimens, non tamen idcircò propriæ existentiæ jacturam faciet, neque vicissìm Pater per se subsistere desinet. Sed nec summa illa similitudo confusionem ullam hypostasibus afferet, ità ut una res numero intelligatur Pater qui genuit et qui ex ipso genitus est Filius ; verùm identitatem naturæ in utroque confitebimur, et utrumque propriè subsistere utiquè sequitur, ut et Pater verè intelligatur Pater, et Filius verè Filius. Sic enim connumerato, et inter divinitatis personas simul collocato Spiritu, sancta et adoranda Trinitas plenitudinem suam obtinebit. Prætereà 2°. Si qui est Filius, ipse quoque Pater est, quam rationem habebit illa nominum distinctio? Nam si planè non genuit, quorsùm vocatur Pater? Quomodò verò Filius est, si non est à Patre genitus[2]? Habent enim in seipsis illa vocabula necessariò talem intellectum. Cùm autem genitum esse Filium divinæ Scripturæ prædicent, et ità res verè sit, subsistit utique in seipso. Et vicissìm quoque singulariter est Pater, siquidem alterum ex altero agnoscitur, id quod est genitum, relatione ad id quod genuit. Prætereà 3°. Beatus Paulus ad Philippenses scribens, ait de Filio : *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*[3]. Quis est igitur ille qui rapinam noluit arbitrari esse se æqualem Deo? Numquid enim necesse est dicere unum quemdam existere, qui sit in formâ Dei ; alium verò rursùs, illum cujus sit forma? Atqui patet illud, et in confesso est apud omnes. Non sunt ergò unum et idem numero Pater et Filius, sed propriam habent hypostasim, et alter in altero conspicitur secundùm identitatem substantiæ, licèt unus ex uno, ex Patre Filius videlicet. Prætereà 4°. *Ego et Pater unum sumus*, inquiebat Salvator[4], utpotè cùm sciret seipsum propriè quoque subsistere, et Patrem. Quòd si rei veritas ità se non habet, quidni, servato quod unitati convenit, aiebat : *Ego et Pater unum sum?* Cùm autem plurali numero id exponat, hæreticorum opinionem evertere manifestum est. Neque enim *sumus*, de uno rectè dixeris. Prætereà 5°. Cùm Deus condere vellet hominem, dixisse fertur : *Faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem*[5]. Si ergò ad unum quiddam numero sanctæ Trinitatis amplitudo, ut ità dicam, contrahitur, et impiè hæretici Patrem et Filium propriâ nudant hypostasi, quis est ille qui ad alium dicit : *Faciamus hominem ad imaginem nostram?* Dicere enim

[1] *Joan.* XIV, 9 *et* 10. — [2] *Psalm.* II, 7. — [3] *Philipp.* II, 6. — [4] *Joan.* X, 30. — [5] *Gen.* I, 26.

[a] Sabelliani.

[b] Quomodò enim... *id est*, quomodò enim, ubi numerus intercedit, idem integrè apud semetipsum vel in semetipso existere concipiatur?

oportebat, si itâ res esset ut illi nugantur : *Faciamus hominem ad imaginem meam et ad similitudinem*. Jàm autem cùm id non dicat, sed effectionem plurali numero tribuat, et *ad imaginem nostram* libri Scriptor adjiciat, clarâ quodammodò et magnâ voce clamat sanctæ Trinitatis personas plures numerari quàm unam. Prætereà 6°. Si splendor est Patris Filius [1], ceu lumen de lumine, quomodò non distinguitur ab ipso, quatenùs propriè subsistit? Certè enim id quod sicuti splendor emanat ab alio, nimirùm ab eo quod lucem edit, non à seipso id accipiet. Prætereà 7°. Filius ostendens se ex substantiâ Dei ac Patris esse, alicubi rursùs ait : *Ego ex Patre exivi, et venio: rursùs revertor ad Patrem* [2]. Quomodò igitur non alius erit ab ipso ratione hypostasis ac numeri, cùm omnis ratio nos doceat id quod ab aliquo prodiit, distinctum intelligi ab eo à quo prodiit? Itaque verum non est quod adversarii dicunt. Prætereà 8°. In Deum Patrem, et in Filium unigenitum, et in sanctum Spiritum credentes justificamur ; proindèque etiam Salvator ipse suis discipulis præcipit, dicens : *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti* [3]. Si ergò nihil nobis planè cogitandum inferat illa nominum diversitas, cùmque Patrem dixeris, significes Filium, et cùm Filium nominaveris, ipsius mentionem Patris facias, quid porrò necesse est in Trinitatem potiùs quàm in unitatem fideles jubere baptizari? Cùm autem in trium numerum excurrat quod de naturâ divinâ dicitur, omnibus utiquè manifestum est unumquemque eorum qui numerantur, in propriâ esse hypostasi ; quoniam autem nullatenùs secundùm naturam distinguitur, in unam conscendit deitatem, et adorationem habet eamdem. Prætereà 9°. Irâ Dei Sodomitarum urbes conflagrâsse divina Scriptura dicit. Enarrans autem quo pacto divinus eis furor ingruerit, et rationem interitûs clarè edocens : *Pluit*, inquit, *Dominus à Domino super Sodomam ignem et sulphur* [4], cùm hæc pars calicis talia perpetrare solitis apprimè congrueret. Quis ergò ille Dominus, et à quo Domino ignem immittit, atque Sodomitarum urbes incendit? Manifestum est Patrem qui per Filium operatur omnia, cùm sit ejus virtus et brachium, ipsum Sodomitis ignem immisisse. Cùm ergò Dominus à Domino ignem illis immittat, quomodò non distinguetur quod ad propriam hypostasim attinet, Pater à Filio, et vicissìm Filius à Patre? Unum enim velut ex uno hìc significatur. Prætereà 10°. Prophetico motus spiritu, et per ipsum res futuras antè cognoscens beatus Psalmista, non aliter servari posse genus humanum putabat, quàm per solum adventum Filii, qui facilè illud posset id quod vellet reformare. Quocircà mitti ad nos Filium rogabat, maximè cùm solus servare posset diaboli manui ac tyrannidi subditos ; ideòque velut ad Deum Patrem dicebat : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* [5]. Quænam igitur sit illa lux, et quænam veritas, ipsum audi Filium dicentem : *Ego sum lux* [6]. *Ego sum veritas* [7]. Quòd si ad nos mittitur lux et veritas Patris, hoc est, Filius, quomodò non est alius ab ipso, quod ad propriam hypostasim attinet, licèt unum sit cum ipso identitate substantiæ? Prætereà 11°. Per Filium Scripturæ divinæ omnia facta esse dicunt, visibilia et invisibilia, cœlestia et terrena [8] ; atque itâ credentes in rectitudine doctrinæ et pietatis dogmatum incidimus, quotquot veritatem colimus. Expendamus igitur illud, *Per Filium*, et qualem nobis sensum inferat, indagemus. Atqui manifestum est alium quidem censendum esse eum qui facit et operatur; alium verò eum, per quem universa operatur. Duas enim personas necessariò nobis exhibet illud, *Per Filium;* aut dicant quo pacto illud, *Per Filium*, propriè ac verè in re faciendâ unum numero et quantitate complectatur, si nihil aliud simul intelligatur, et ad operandum concurrat.

8. *Et Deus erat Verbum*. Non ignoravit divino afflatus Spiritu Evangelista postremis temporibus suborituros aliquos [a] qui substantiæ Unigeniti detraherent, et Dominum à quo redempti sunt negarent, eum secundùm naturam non esse Deum ex Deo et Patre genitum asserendo, sed spurium nobis veluti quemdam et falsi nominis invehendo, filiationis quidem ac deitatis nomine redimitum, sed itâ se reverâ non habentem. Simile quiddam faciunt, qui Judaicam Arii impietatem intimis præcordiis susceperunt, proindèque et de mortuo corde proferunt non vivificum piæ contemplationis verbum, sed quodcumque ad mortem tendit et respicit. Sagitta quippè est vulnerans lingua eorum : dolosa verba oris eorum [9]. Quasi ergò jam in veritatis verba exsurgeret aliquis, et sanctum Evangelistam itâ propemodùm compellaret : Erat quidem Verbum, ô bone, apud Deum : esto ; tibi enim ista scribenti credimus. Sit autem et subsistat Pater propriè, itemque Filius similiter, quodnam ergò secundùm naturam Verbum esse putandum est? Illud enim, *Esse apud Deum*, omninò substantiam non significat. Cùm autem unum Deum Scripturæ divinæ prædicent, Patri soli hoc tribuemus, apud quem erat Verbum. Quid ad hæc igitur ait præco veritatis? 1°. Non solùm, inquit, *erat Verbum apud Deum*, sed erat etiam Deus, ut ex eo

[1] *Hebr.* I, 3. — [2] *Joan.* XVI, 28. — [3] *Matth.* XXVIII, 19. — [4] *Gen.* XIX, 24 *et Psalm.* X, 7. — [5] *Psalm.* XLII, 3. — [6] *Joan.* VIII, 12. — [7] *Id.* XIV, 6. — [8] *Coloss.* I, 16. — [9] *Psalm.* LVI, 5.

[a] Ariani.

quòd est apud Deum, alius esse à Patre cognoscatur, et Filius propriè subsistere et per se credatur; ex eo verò quòd est Deus, consubstantialis, et ex ipso intelligatur esse secundùm naturam, utpotè Deus, et ex Deo existens. Fieri enim nequit ut, cùm una liquidò sit apud omnes divinitas, in identitatem substantiæ sancta Trinitas non coalescat, atque ità in unam deitatis rationem non referatur. Erat igitur, et Deus posteà non fuit; sed olim erat, maximè cùm Deum esse ab æterno quoque esse consequatur, quandoquidem id quod in tempore factum est, aut è nihilo in rerum naturam editum, naturà Deus non est. Cùm ergò Dei Verbum per illud *Erat*, æternitatem habeat, per illud autem, *Esse Deum*, cum Patre consubstantialitatem, quanti supplicii ac pœnæ reos inventum iri putandum est, qui minorem quodammodò, aut etiam dissimilem Patri ipsum esse arbitrantur, eòque impietatis progredi non horrent, ut palàm idipsum quoque proferre audeant? Præthereà 2°. Multis variisque nominibus Scripturæ Filium appellant. Sapientiam enim et virtutem Patris ipsum esse aiunt, juxta Pauli dictum: *Christus Dei virtus, et Dei sapientia* [1]. Dictus est rursùs lux ejus et veritas, juxta id quod à quodam Sanctorum in Psalmis canitur: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* [2]. Justitia quoque nominatus est, juxta illud: *In tuâ justitiâ vivifica me* [3]; vivificat enim Pater in Christo credentes in ipsum. Quin et consilium nuncupatus est Patris, juxta illud: *In consilio tuo deduxisti me;* et rursùs: *Consilium Domini manet in æternum* [4]. Cùm igitur hæc omnia Filius sit Deo ac Patri, dicant nobis, qui Arii errori assentantur, et qui illius dementià pleni sunt, quomodò sit minor ipso. Si enim ità res est, ut illi olunt, sequitur Patrem non esse perfectè sapientem, non perfectè lucem, non perfectè veritatem, non perfectè justum, nec perfecti consilii, si profectò, ex eo quòd minor sit, non videatur Filius perfectus, qui omnia hæc est ipsi. Atqui hoc dicere aut sentire est impium. Perfectus autem est Pater, propterea quòd habet omnia in seipso perfectè: perfectus igitur est quoque Filius, sapientia et virtus, lux et veritas, justitia et consilium Patris. Qui autem in suo Patre perfectionem implet, quomodò minor intelligatur? Præthereà 3°. Si minor cùm sit Deo ac Patre Filius, adoratur à nobis et sanctis Angelis, duos deos colere deprehendemur, siquidem in naturæ identitatem numquàm coalescet imperfectum cum perfecto. Maxima autem est differentia quæ res inter se naturâ diversas separat. Atqui fides nostra multitudinem deorum non admittit; sed unus est Deus Pater, in unitatem cum ipso ascendente Filio nimirùm, et sancto Spiritu. Nihil ergò deterius est in Filio. Præthereà 4°. Si plenitudo est Filius (*de plenitudine* enim *ejus omnes accepimus* [5]), quonam modo minùs capiet? Contraria enim in uno subjecto simul et eodem tempore consistere nequeunt. Præthereà 5°. Si cùm minùs habeat Filius, implet universa, ubinam major illa Patris capacitas collocabitur? licebit enim, exempli causâ, quasi de rebus corporeis ità loqui, cùm rerum incorporearum magnitudo et imminutio aliter intelligatur. Præthereà 6°. Si *quod est super omne nomen, Deus est* [6], et hujus hæres cùm sit Filius, perfectus esse non potest, quia minor, esse super omnia nihil magni est; hoc autem est Deus. Sed absurdum est ità sentire aut loqui. Perfectus igitur est Filius, utpotè super omne nomen, et Deus. Præthereà 7°. Si natura divina quantitatis est expers, et in rebus quantis minùs reperiri solet, quomodò minor intelligatur secundùm naturam Filius, Deus cùm sit? Non enim quantitatis expers erit, quamvis respectu Patris minùs habere ipsum dicant. Præthereà 8°. Beatus Joannes de Filio ait: *Non ad mensuram dare spiritum* [7], dignis nimirùm. Cùm ergò mensura non sit in Filio, immensus est igitur, et omnem quantitatis comprehensionem superat, utpotè Deus. Quomodò ergò minor est ille qui mensurà non capitur? Præthereà 9°. Si minor Filius, major autem Pater est, diversè nimirùm, nec simili ratione, pro suo quisque modo, sanctificationem nostram perficient; et magis quidem Pater sanctificabit, minùs autem ac pro modulo suo Filius. Erit igitur Spiritus quoque duplex, et minor quidem in Filio, sed in Patre major. Et perfectè quidem sanctificabitur qui à Patre, ac vicissìm non perfectè qui per Filium. Atqui multa est in his rationum absurditas. Unus enim sanctus Spiritus, una et perfecta sanctificatio, quæ à Patre per Filium naturaliter præbetur. Non ergò minor est qui eamdem habet cum perfecto Patre operationem, quique Patris Spiritum habet, naturæ suæ bonum, viventem ac subsistentem, quemadmodùm nempè et Pater. Præthereà 10°. Si in formâ et æqualitate Patris erat Filius, juxta Pauli sententiam [8], quomodò minor ipso est? Non enim certè Incarnationis ratio, et ea quæ dicitur humiliatio dignitate naturali Filium nudabit, cùm secundo adventu cessatura sit; *veniet* enim omninò, ut eum dicentem accepimus, *in gloriâ Patris sui* [9]. Quomodò igitur in gloriâ est Dei Patris, qui minor ipso sit? Præthereà 11°. Invenitur alicubi per unum Prophetam Deus ac Pater dicere: *Gloriam meam alteri non dabo* [10]. Interrogandi sunt igitur quicumque Filio impiè detrahunt, imò verò Patri per ipsum

[1] I *Cor.* I, 24. — [2] *Psalm.* XLII, 3. — [3] *Id.* CXLII, 1. — [4] *Id.* LXXII, 24 *et* XXXII, 11. — [5] *Joan.* I, 16. — [6] *Rom.* IX, 5. — [7] *Joan.* III, 34. — [8] *Philipp.* II, 6. — [9] *Marc.* VIII, 38. — [10] *Isai.* XLVIII, 11.

(qui enim Filium non honorat, is nec Patrem quidem honorat), utrùm tandem, sicuti existimant ipsi, Deo ac Patre minor existens Filius, consubstantialis sit ipsi, an non? Si consubstantialem esse dicunt, quid frustrà minùs ei tribuunt? Quæ enim ejusdem sunt substantiæ ac naturæ, minùs in se profectò non habent quoad rationem substantiæ. Hoc autem est quod quærimus. Sed non assentientur forsan, neque consubstantialem esse concedent Patri Filium, cùm minor sit, ut ipsi volunt. Igitur diversus erit omninò et alienus à Patre. Quomodò itaque gloriam ejus habet? *Ei* enim *datus est*, ut ait beatus Daniel, *honor et regnum* [1]. Vel enim mentietur Deus et Pater, dicens : *Gloriam meam non dabo* : vel, si verax est, suamque gloriam dedit Filio, non alius utiquè est ab ipso, cùm sit fructus substantiæ ipsius ac verum genimen. Ad hæc 12°. Si omnipotens est Pater, et similiter Filius omnipotens, quomodò minor est ipso? Non enim, si rectè philosophamur, perfecti conditionem imperfectum assequetur. Et, si Dominus est Pater, Dominusque similiter est Filius, quomodò ipso minor est? Erit enim non perfectè liber, siquidem in dominatione minor est, nec habet in seipso consummatam dignitatem. Et, si lux est Pater, lux item Filius, quomodo minor est ipso? Erit enim non perfectè lux, sed ex parte tenebris comprehendetur, mentieturque Evangelista dicens : *Et tenebræ eum non comprehenderunt*. Et, si vita est Pater, vita item Filius, quomodò minor ipso est? Non enim est perfectè in nobis vita, quamvis in interiori homine Christus habitet [2], sed quàdam ex parte mortui sunt credentes, siquidem non est vita perfectè, cùm minùs habeat Filius. Cùm autem absurditatem illam in his longissimè profligari oporteat, perfectum esse dicimus Filium, perfecto Patri æqualem, propter perfectam identitatem substantiæ. Prætereà 13°. Si minor est Patre Filius, ac propterea non consubstantialis, alius utiquè secundùm naturam, ac planè alienus. Igitur non Filius, sed neque prorsùs Deus. Quomodò enim vocetur Filius, qui non est ex Patre, aut quomodò tandem Deus, qui non est ex Deo secundùm naturam? At hoc absurdum. Non est igitur, quasi Deo ac Patre minor, alienus Filius, sed unum quid cum ipso, propterea quòd ex ipso est secundùm naturam, et ideò æqualis et perfectus. Præterea 14°. Si Filius verè est, is qui ex Deo Patre effulsit Deus Verbum, necesse omninò est adversarios vel nolentes confiteri ex substantià Patris ipsum existere ; hoc enim vera filiatio significat. At quomodò is minor est Patre Filius, siquidem sit substantiæ fructus, quæ nullatenùs in se minùs suscipit? cuncta enim perfectè sunt in Deo. Quòd si non est ex substantià Patris, neque Filius est igitur, sed spurius veluti quidam ac falsi nominis. Sed neque Pater ipse Pater justè ac verè vocetur ; si enim Filius non est secundùm naturam, propter quem sit Pater, quomodò Pater intelligatur? Sed hoc absurdum ; est autem Pater verus Deus (hoc enim ubique Scripturæ divinæ clamitant) : Filius ergò est planè qui ex ipso naturaliter. Quòd si Filius, non ergò minor ; consubstantialis enim est, utpotè Filius. Præterea 15°. Paternitatis nomen non habet Deus ex nobis, sed nos potiùs ab ipso accepisse videmur; fidelis quippè est sermo Pauli clamantis : *Ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrà nominatur* [3]. Cùm autem Deus sit res omnium antiquissima, imitatione quàdam et similitudine nos patres appellamur, quòd ad ejus imaginem facti sumus. At quomodò, quæso, ad ejus facti similitudinem, nostrorum filiorum patres sumus secundùm naturam, si exemplari, cujus imitatione id habemus, hoc non inest? Quomodò deniquè paternitatis nomen ad alios à Deo permanare concedetur, si Pater verè non est? Nam, si ità se res habet, eversa prorsùs videtur rei natura, et nos ei Patris appellationem ad similitudinem nostram potiùs tribuemus, quàm ipse nobis. Itaque mentitur testis ille veritatis, qui ex ipso paternitatem omnem esse dicit in cœlo et in terrà. At hoc dicere est absurdissimum. Igitur secundùm naturam est Pater Verbi ; sed genuit non dissimilem sibi, ità ut aliquid in hoc minus sit quàm in ipso. Nos enim ad imitationem ejus facti, minores illo sumus ; sed qui à nobis eduntur, æquales nobis sunt secundùm naturæ rationem. Præterea 16°. Ne veritatem vafer hæreticus ludificetur, neque Filium Dei Verbum fatendo nudum ei et verbis tenùs honorem tribuat, non esse ipsum ex substantià Patris asserens ; quomodò enim planè Filius est, si naturà ità non est? Aut ergò detractà hypocrisis personà palàm blasphement, nec Deum, nec Filium esse fatentes : aut si auctoritate Scripturarum convicti, et Sanctorum doctrinà tacti, veritatem reverentur, et Filium dicunt ac Deum, ne Patre minorem esse cogitent. Quomodò enim minùs accipiet respectu Patris Dei, cùm sit Deus Verbum? Nam et homo hominis dicitur et est filius, sed non erit idcircò patre minor, quatenùs est homo. Homo enim homine, in quantùm homo est, non est major aut minor, sed neque forsan Angelus Angelo, quatenùs Angelus, neque res ulla respectu alterius quæ sit ejusdem naturæ et ejusdem essentiæ rationem sortita. Itaque, si reverà est Filius, necesse est dicere ipsum esse ex Patris substantià, omnes ejus proprietates in seipso ferentem naturaliter. Et, si naturà Deus est Pater, Deus utiquè secundùm naturam etiam est Verbum ex ipso genitum. Quomodò ergò minor erit Deus

[1] *Dan.* VII, 14. — [2] *Ephes.* III, 17. — [3] *Ibid.* 15.

Deo, eà nempe ratione quà uterque Deus est? Præterea 17°. Undè vobis, quæso, tanta audacia, ut dicatis inferioris conditionis esse Filium quàm Patrem? Quomodò verò minùs accipiet? Existendi certè tempore, nemo vel maximè delirus putaverit. Est enim ante sæcula Filius, et ipse sæculorum est conditor : neque circumscribi tempore jure censebitur, qui tempore quovis generationem antiquiorem habet. Sed neque magnitudinis quantitate ipso erit inferior ; magnitudinis enim, et quantitatis, et corporis expers natura divina intelligitur et est. Quomodò ergò minoratio ostendetur in Filio? In gloriâ, fortè dicet aliquis, in virtute, in sapientiâ. Dicant ergò, quantus sit in his et quàm grandis Pater (ut ità dicam), ut minor demùm Filius intelligatur, ad illius mensuram comparatus : aut si incomprehensibilibus et immensis bonis est præditus, et nostræ mentis captum multùm excedentibus, undenàm minorem dicunt esse Filium, qui omnia temerè audent Ariani, ad evertendam quæ ei naturaliter inest dignitatem? Comparatione enim majoris minus innotescit ; Patris autem dignitatem non dimensi, quomodò diminutionem ostendetis in Filio? Præterea 18°. De exsecrabili impietate hæreticorum certè et ex rei veritate dicere possumus : Inimici nostri insani. Quomodò enim omni genere dementiæ non pleni sint, qui *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, intelligunt*, quemadmodùm Paulus ait [1]. Causa autem propter quam illos reprehendendos putamus, ea est : Si reverà Deum ex Deo Patre genitum esse dicunt Filium, atque ità credunt, quomodò minor est Patre? Hinc enim prodibit multa rationum absurditas, scatens ubique blasphemiis, et quas aures refugiant. Nam, si Deus, secundùm naturam cùm sit Filius, quadamtenùs in se minùs capiat, necesse est tandem cogitare aliquid esse majus Deo. Igitur non in perfectione omnimodâ substantia Patris intelligitur esse, quamvis naturâ sit Deus; sed ipse quoque in majus proficiet, in Filio sicuti in imagine ostendens se quoque esse substantiâ præditum quæ minùs suscipit. Hoc autem potentiâ feret, licèt adhuc non tulerit ; nam quæ alicujus sunt capacia, ea utiquè suscipient quorum sunt capacia, et tempore ad suscipiendum vocante, non recusabunt. Sed multa in his blasphemia cernitur. Neque enim in majus Pater utiquè progredietur, sed nec minùs suscipiet, propterea quòd secundùm naturam est Deus : ergò neque Filius in seipso minùs accipiet, Deus cùm sit ipse quoque secundùm naturam, ne supremam omnium essentiam lædere censeatur illa ex hæreticorum vecordiâ excogitata vocula. Præterea 19°. Si Filius secundùm naturam suam existens Dei ac Patris Verbum, minor est eo, sive divinæ majestatis ratione, sive quòd secundùm naturam suam non possit esse planè idem, aut certè alio quovis diminutionis modo, non tàm is læditur, quàm ea, ex quâ creditur esse, substantia ; siquidem rem seipso minorem aut deteriorem gignere videtur, licèt id creata et facta substantia non ferat ; gignit enim prorsùs sibi simile, quodcumque fructiferum est. Quòd si omni passione superiorem esse dicent divinam Patris naturam, expers utiquè illius labis erit ; cùmque primigenia sit omnium nobis bonorum essentia, non minorem gignet Filium, sed æqualem et consubstantialem, ne Deus qui tantoperè nos excedit, nobis quoque sit inferior.

9. Præterea 20°. Seipsum æqualem Deo ac Patri ostendens, ait Christus alicubi ad suos discipulos : *Qui vidit me, vidit Patrem meum* [2]. At quomodò is qui secundùm naturam talis est, qualem se verè asserit, imminutionem habiturus est, ut stultè nonnulli volunt? Nam si minor existens, in seipso Patrem ostendit nullo intercedente discrimine, ad Patrem imminutio pertinebit, qui in immutabili apparet imagine, Filio nimirùm. At hoc absurdum. Igitur non minor est Filius, in quo Pater perfectus existens exprimitur. Præterea 21°. Quomodò Filius minùs quàm Pater accipiat, qui citra culpam ait : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt* [3] ; et rursùs oratione ad Deum et Patrem conversâ : *Omnia mea tua sunt, et tua mea* [4]? Si enim, ut temerè nonnulli asserunt, reverà minor est Filius, quoniam verè loquitur dùm dicit ad Patrem : *Mea tua sunt, et tua mea*, minus in Patrem cadet, et majus similiter in Filium, promiscuo rerum ordine, siquidem in altero quæ alteri insunt reperiuntur, et quod Patris est, hoc etiam est Filii ; et rursùs, quodcumque Filii proprium esse videtur, istud est Patris. Nihil ergò dicere vetabit minorem esse Filio Patrem, et majorem Patre Filium. Sed vel cogitatu istud est absurdissimum. Æqualis igitur, et non minor est, qui communes habet cum Patre essentiæ prærogativas. Præterea 22°. Si quæcumque habet Pater, hæc omnia sunt Filii, est autem in Patre perfectio, perfectus erit et Filius, qui habet quæ Patris propria sunt et eximia. Igitur non est inferior, ut impiè hæretici sentiunt. Ad hæc 23°. Dicant nobis qui inexstinguibilem flammam in caput suum arcessunt, et rectam divinorum dogmatum rationem aversantur, ac variarum argutiarum versutias ad fraudem simpliciorum et subversionem excogitant, utrùm tandem melior sit Pater Filio, cùm major sit ipso, si Filius minor est, ut illi nugantur, an non? At, opinor, [non] meliorem esse fatebuntur. Dicant ergò quidnam eximii habere Pater videbitur in eo quod majus habet, nisi melior est? Nam si nihil planè, soluta demùm est omnis

[1] I *Tim*. I, 7. — [2] *Joan*. XVI, 9. — [3] *Id*. XIV, 15. — [4] *Id*. XVII, 10.

illa Filii reprehensio. Sin autem multùm præstat, melior igitur est, utpotè qui majus habet. Respondeant ergò, et nos doceant, si reverà sapiunt, quam ob causam Filium Pater cùm genuerit, non æqualem sibi genuit, sed minorem. Nam si melius videretur æqualem sibi per omnia genuisse Filium, quis facere istud prohiberet? Si enim aliquid prohibuerit, necessarium esse vel inviti fatebuntur, ut sit aliquid Patre majus. Quòd si nihil planè prohibuit, sed cùm potestate præditus esset, sciretque melius esse ut æqualem gigneret, minorem maluit, invidiâ ergò et livore ductus videtur; noluit enim æqualitatem dare Filio; aut ergò impotens erit in generatione Pater, aut invidus, ut ex argumentatione perspicuè colligitur, si minùs habeat Filius, ut illi asserunt. Sed hoc absurdum; omnis enim passionis est expers divina et immortalis natura. Igitur non est minor Filius, ne æqualitatem perdat, cùm nullo modo Pater viribus caruerit in generando sibi æquali Filio, neque livore prohibitus sit quominùs vellet id quod melius esset. Præthereà 24°. Ipse alicubi Salvator ait se esse in Patre, et Patrem similiter in ipso[1]. Sed patet omnibus non esse illud intelligendum, sicuti corpus in corpore, aut vas in vase, itâ Patrem in Filio contineri, aut vicissìm hunc quodammodò Patri imponi; sed hunc in illo, et illum in hoc esse videri, ceu in identitate substantiæ, per omnia simili, et naturali unitate ac similitudine; veluti si quis in imagine formam suam contemplans, et exquisitam vultûs sui similitudinem admirans, verè clamare dicatur : Ego in hâc tabellâ, et tabella in me est; aut quemadmodùm si dulcis qualitas mellis impressa linguæ de seipsâ dicat : Ego in melle, et mel in me est; aut si calor ex igne naturaliter prodiens emissâ voce dicat : Ego in igne, et ignis in me. Unumquodque enim eorum quæ dicta sunt separabile est intellectu, sed unum naturâ, et unum ex uno inseparabili quodam et continenti progressu prodit, quemadmodùm et ab eo in quo est separari videtur : verumtamen, licèt hunc concipiendi modum præ se ferant, alterum tamen in altero cernitur, et idem sunt utraque quoad substantiam. Si ergò propter perfectissimam identitatem substantiæ et characteris omnimodam similitudinem Pater est in Filio, quomodò major in minore, ut illi volunt, Filio continebitur ac cernetur? Cùm autem totus sit in ipso, perfectus utiquè prorsùs est Filius, qui perfectum capit, et character est magni Patris.

10. *Hoc erat in principio apud Deum.* Hic Evangelista summatìm quodammodò repetit quæ priùs dicta sunt. Cùm autem addit, *Hoc*, propemodùm clamare videtur : *Quod erat in principio*, illud apud Patrem Verbum, Deus existens ex Deo, hoc, inquam, et non aliud est de quo sermonem facere in hoc Libro proposuimus. Rursùs autem non videtur frustrà subjecisse illud : *Hoc erat in principio apud Deum.* Acceptâ enim à divino Spiritu rerum futurarum cognitione, non ignoravit, ut opinor ac verè affirmare possumus, quosdam prodituros perditionis artifices, diaboli aucupia, mortis laqueos, in cubicula et profundum inferni detrudentes eos qui præ imperitiâ attendunt iis quæ eructant de corde malo. Instabunt verò, et in suum ipsi caput invalescent, dicentes aliud quidem esse illud insitum in Deo Patre verbum, aliud insito longè simillimum Filium et verbum, per quod Deus omnia operatur, ut sic verbum Verbi, et imago imaginis, et splendor splendoris intelligatur. Quasi ergò jam illos impia ista prædicantes audiret, et adversùs immanem scriptorum ipsorum furorem meritò commotus beatus Evangelista, postquàm multis verbis jàm statuit, et, ut decebat, significavit unum ac solum et verum de Deo, et in Deo, et apud Deum esse Verbum, statim infert : *Hoc erat in principio apud Deum*, ut Filius nimirùm apud Patrem, ut insitum, ut ex ejus substantiâ, ut unigenitum; *hoc*, cùm non sit secundum. Sed quoniam operæ pretium nobis esse puto, qui impietatem istiusmodi palàm facere conamur, nudam eorum exponere blasphemiam ad simpliciorum securitatem (cavebit enim quisquis didicerit, ac tamquàm serpentem transiliet in medio latentem itinere), utiliter eorum doctrinam exponam oppositâ contrariâ; sic enim deinceps illa refutabitur iis modis quos nobis Deus concesserit, qui omnibus sapientiam largitur. Unigenitus, inquit[a], Dei Filius, non est ex se propriè Verbum ejus; sed internum illud verbum Dei ac Patris in ipso movetur et est semper; qui autem ex ipso genitus esse Filius dicitur, internum ejus verbum suscipiens, cuncta ab eo edoctus novit, et ad ejus similitudinem Verbum est et nuncupatur. Jàm ad confirmandam suam, ut existimat, impietatem et perversas sententias, istiusmodi nectit syllogismos, ut, quemadmodùm scriptum est, suorum peccatorum catenis miser constringatur[2]. Si Verbum, inquit, in Deo ac Patre naturale et internum est ipse Filius, et consubstantialis est Genitori, quid jàm prohibet quominùs Verbum sit et vocetur Pater, utpotè consubstantialis Verbo? Item : Si Verbum est Dei ac Patris Filius, et præter ipsum non est aliud, per quodnam Verbum, inquit, Pater ad ipsum dicere comperitur : *Filius meus es tu : ego hodiè genui te*[3]? Patet enim non absque Verbo Patrem ad Filium fuisse locutum, cùm id omne quod dicitur, in Verbo utiquè dicatur, non aliter :

[1] *Joan.* x, 38. — [2] *Prov.* v, 22. — [3] *Psalm.* ii, 7.
[a] Eunomius.

et ipse alicubi Salvator ait : *Quia novi Patrem, et verbum ejus servo* [1]; et rursùs : *Verbum quod auditis non est meum, sed ejus qui misit me* [2]. Cùm igitur in Verbo quidem Pater ad ipsum loquatur, simulque confiteatur ipse interdùm quidem se Patris servare verbum, interdùm verò Judæos non audire suum verbum, sed illud Patris, quomodò non liquidò constabit apud omnes alium esse Filium à verbo insito, aut in mente concepto, cujus cùm particeps et plenus sit Filius, Verbum enuntiativum appellatur, et substantiæ Patris expressivum. Hujusmodi mala sibi demens ille contexit, et omnibus simul Scripturis divinis reclamare non veretur, in seipso verum esse probans quod scriptum est : *Cùm venerit impius in profundum malorum, contemnit* [3]. Verissimè enim detrusus est in profundum malitiæ præ suâ dementiâ Dei hostis, nec erigi se veritate patitur, sed opinionum suarum carie ac situ labascit. Unigenitum enim Dei ac Patris Filium ex se propriè ejus esse Verbum, ex sequentibus agnoscemus.

11. Hebescit demens hæreticus. Quomodò enim in malignam animam introierit sapientia? Aut quid esse potest, quæso, his malignius qui, ut scriptum est, *à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem* cogitationum suarum statim *convertuntur* [4], ut et meritò audiant : *Væ qui prophetant de corde suo, et non ex ore Domini* [5]. Quis enim *ab ore Domini loquens, dicit anathema Jesu* [6]? quod nonnulli certè faciunt, pietatis dogmata impudenter conculcantes, et sicut Prophetarum sanctorum unus dixit, *omnia recta pervertentes* [7]. Aiunt enim aliud esse naturale et insitum Deo ac Patri verbum : aliud rursùs qui dicitur Filius et Verbum. Et ad asserendam suam, ut existimant, sententiam, imò verò effrenatam impietatem, afferunt Jesum Christum Dominum nostrum in suis ad Judæos sermonibus dicentem : *Quia scio Patrem, et verbum ejus servo* [8]; prætererà id quod ipsi à Patre dictum est : *Ex utero ante luciferum genui te* [9]. At, inquiunt, venenum à suo patre acceptum eructantes, si quis loquitur, alius est ab eo cui loquitur ; Pater autem Filio per Verbum loquitur : aliud ergò ab ipso erit insitum Verbum illud, in quo Pater loquebatur. Item : Si ipse alicubi Filius se Patris verbum servare asseruit, quomodò non aliud demùm erit id quod servat, ab eo quod servatur? Hæc refellere non erit forsan difficile : *Dabit enim Dominus verbum evangelizantibus; virtute multâ* [10]. Deceret autem eos qui tantâ laborant inscitiâ meminisse dicentis : *O qui dereliquistis vias rectas, ut ambularetis in viis tenebrarum* [11]. Nobis autem consentaneum est ad eum qui in cœlis est clamare Doctorem : *Averte oculos, ne videant vanitatem* [12]. Vanitas enim profectò, et nugæ, ac nihil aliud sunt illa quæ ex ignorantiâ suâ effutiunt. Non enim quasi verbum habeat ullum aliud in seipso Patris Filius, dixit se Patris servare verbum : neque ad nos venisse umquàm affirmavit, quasi pædagogum quemdam ferret, sed tamquàm solus inexistens Patri secundùm naturam, et in se vicissim Patrem habens similiter, intercedente nullo : *Ego*, inquit, *in Patre, et Pater in me* [13]. Non insitum illud, neque aliud quoddam verbum, sed Pater in me.

12. Quomodò igitur intelligendum est illud quod ad Judæos ab ipso dictum est, quæret aliquis, nec injuriâ. Cui ex rei veritate respondebimus quæ nobis in mentem venerint. Docebat Salvator obstinatissimum Judæorum populum, et paulatim à legali cultu auditores abstrahens, sæpiùs inclamabat : *Ego sum veritas* [14], propemodùm dicens : Excutite, quæso, vos, legale jugum : adorationem in spiritu suscipite : valeat tandem umbra, removeatur figura : veritas illuxit. Sed non omnibus rectè facere videbatur, quòd Mosaica præcepta everteret, imò verò ad veritatem adduceret, ità ut nonnulli palàm dicerent : *Si esset hic homo à Deo, non solveret sabbata* [15] : quod erat procul dubio condemnare peccati eum qui non novit illud. Istiusmodi Judæorum furores itaque diluens, omnem fastum quidem orationi subtrahit, et submissè, nec apertè edocere vult quòd nihil præter voluntatem Dei ac Patris fecerit, qui non novit peccatum Filius, ne si apertiùs diceret : Peccatum non novi, rursùs eos, ut in se lapidibus sævirent, acueret. Statim quippè irâ fervidi et æstuantes dixissent : Uni Deo proprium est non peccare ; tu autem homo cùm sis, noli ea proferre quæ soli Deo conveniunt : quod aliàs certè fecerunt, dicentes jure se eum lapidibus petere, quòd, cùm esset homo, seipsum faceret Deum [16]. Obscuriùs Salvator, præsertim cùm homo factus esset, et tamquàm legi subditus cum legi subditis, sermonem dixit servare se Patris, propemodùm inquiens : Nusquàm Patris voluntatem prætergrediar ; peccatum enim est in divinæ Legis transgressione. Ego verò non novi peccatum, cùm sim Deus secundùm naturam. Itaque cùm doceo, Patrem non offendo. Cæterùm nemo reprehendat eum qui Legislator quidem est naturâ suâ, sed propter similitudinem quam habet nobiscum, Legem observat. Ait autem se Patrem nôsse, non simpliciter, sicuti nos, ob istud solùm quòd Deus est, sed ex eo quòd ipse est, Patris naturam scire se confirmat. Quoniam verò mutationis

[1] *Joan.* VIII, 55. — [2] *Id.* XIV, 24. — [3] *Prov.* XVIII, 3. — [4] II *Tim.* IV, 4. — [5] *Ezech.* XIII, 17. — [6] I *Cor.* XII, 3. — [7] *Mich.* III, 9. — [8] *Joan.* VIII, 55. — [9] *Psalm.* CIX, 3. — [10] *Id.* LXVII, 12. — [11] *Eccli.* II, 16. — [12] *Psalm.* CXVIII, 37. — [13] *Joan.* X, 38. — [14] *Id.* XIV, 8. — [15] *Id.* IX, 16. — [16] *Id.* X, 33.

nescium Patrem esse novit, scit etiam nimirùm se immutabilem ex immutabili Patre. Quòd autem mutationem nescit, quomodò peccare dicetur, ac non potiùs in propriis naturæ dotibus firmum consistere? Vana est itaque Judæorum obtrectatio, qui à Patris voluntate dissentire Filium existimant. Servat enim ejus sermonem, ut ait, et naturâ suâ expers est peccandi. Scit enim istud in Patrem cadere non posse, cui consubstantialis est, in quantùm Filius verus.

13. Jàm verò cùm objectioni suæ attexant illud: *Ex utero ante luciferum genui te* [1], agedùm, pietatis doctrinam hìc rursùm explicemus. Non enim ex eo quòd Pater isthæc ad Filium dicit, idcircò putandum est innatum quidem ei esse verbum, sed aliud quiddam ab illo concipiendum esse Filium. Verùm illud primùm apud nos perpendamus, quòd, cùm Prophetæ propositum esset in spiritu loqui mysteria, personam nobis fingit Filii, ideòque inducit ipsum à Patre audientem: *Filius meus es tu*, et quæ sequuntur [2]. Neque verè humano more efficta locutio duo Verba intelligere nos adiget; sed ad nostram consuetudinem istiusmodi necessarium loquendi genus referentes, non injuriâ nostræ naturæ imbecillitatem accusabimus, cui desunt verba et contemplationes, quæ mysteriis ingenio nostro altioribus exactè explicandis inserviant, aut res deitati congruentes inculpatè interpretari valeant; sed naturam porrò divinam mente et oratione nostrâ superiorem esse fatebimur, non perindè atque dicuntur res divinas animo planè capientes, sed prout ipsi conveniunt easque vult, à nobis comprehendi. Alioqui, si perperàm nos istiusmodi abuti verbis hæretici quidam existimant, et loquendi genus ad nostram consuetudinem accommodari nolunt, jure audient: Censeatur nostro quoque more Pater gignere: uterus, et partûs dolores ei esse non negentur: *Ex utero* enim *genui te*, inquit Filio. Sed respondebunt forsan nostri similitudine verum in Filio gignendo partum significari Patris. Itaque piè illud intelligatur, tametsi humano more dicitur, atque ità solvetur acerba ipsorum et impia objectio [a].

14. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Eversis impiorum hæreticorum versutis objectionibus, et subtili atque accuratissimâ nobis de Unigenito doctrinâ contextâ, beatus Evangelista jàm ad dissolvendum alterum diaboli laqueum accedit, ex veteri fraude compactum, et errore multiplicium deorum qui nobis aculeum intentat, quo disjecti sunt multi vulnerati, et invento perditionis itinere, latâque et spatiosâ mortis apertâ januâ, hominum animas in infernum gregatim dejecit, lautasque velut epulas diabolo apposuit, eique cibos obtulit eximios. Nam, cùm Græcorum pueri, mundanæ addicti sapientiæ, et spiritum principis sæculi hujus tota veluti mente haurientes, ad cultum multorum deorum delati essent, et veritatis quidem pulchritudinem aversati, iisque similes qui in tenebris ambulant, in ignorantiæ suæ foveam decidissent, idola inanimata colentes, et *ligno* quidem *dicentes: Deus meus es tu, et lapidi: Tu genuisti me* [3]; aliique eadem peccantes, sed urbaniorem præ se ferentes errorem, creaturam colendam esse præ Creatore putarent [4], et soli naturæ divinæ gloriam convenientem creatis ab ipsâ elementis tribuerent; necessariò nobis Theologus opificem secundùm naturam suam esse persuadet Unigenitum, dicens omnia per ipsum facta esse, et sine ipso nihil ad esse productum, ut eorum fraudes retunderet, et rerum omnium Auctorem ignaris ostenderet, et per quæ factam esse creaturam ait, per hæc ipsa clarè doceret alium esse ab ipsâ, eum qui ad esse vocat et ineffabili virtute res è nihilo producit in ortum. Hoc enim pacto ex pulchritudine creaturarum opificem similitudine quâdam cernere licet, et reverà existentem Deum agnoscere, per quem omnia facta sunt, et creata conservantur. Adversùs Græcorum igitur idololatriam rectè hoc pacto sermonem Evangelicum velut in aciem eduxisse arbitror, eamque ob causam factorem et opificem assertum esse Sancti voce credimus Unigenitum. Quandoquidem verò consentaneum est hæreticorum perversa commenta etiam intelligere, opinor, ad illorum mores respiciendo, subjici pauca rursùs oportere. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Divinam hanc quoque dignitatem Filio tribuit, cùm ipsum omni ex parte consubstantialem esse Deo Patri ostendens, tùm omnia existere in genimine asserens quæcumque Patri insunt naturâ, ut Deus de Deo intelligatur esse reverà, non sicuti nos adventitiam habens appellationem, et per solam gratiam nobis additam, juxta illud: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* [5]. Si enim omnia facta sunt per ipsum, diversus erit ipse ab omnibus. Nam, cùm dicat: *Omnia*, nihil est quod *in omnibus* non comprehendatur, quemadmodùm nempè beatus quoque Paulus ità illud, *Omnia*, intellexisse comperitur. Nam cùm in quâdam Epistolâ de Salvatore nostro verba faceret, diceretque omnia subjecta esse sub pedibus ejus, benè utiquè subjungit: *Cùm autem dicat omnia, nihil dimisit non subjectum ei* [6]. Itaque, cùm omnia per Filium facta esse credamus, non tamen ipsum unum omnium esse putemus, sed extra omnia quidem positum censebimus, eumque à creaturarum naturâ et specie sejungentes, nihil aliud

[1] *Psalm.* CIX, 3. — [2] *Id.* II, 7. — [3] *Jerem.* II, 17. — [4] *Rom.* I, 25. — [5] *Psalm.* LXXXI, 6. — [6] *Hebr.* II, 8.

[a] Sequuntur plura adversùs Eunomium, non hìc visa admodùm opportuna.

quàm Deum de Deo naturâ suâ esse fatebimur. Quid enim inter Deum et creaturam intercedere concedemus, non dico ratione substantiæ (magna enim est intercapedo), sed quod tantummodò aliud esse cogitetur? Aut quem locum alium habiturus est Filius, qui creaturarum naturam superat, imò verò creaturarum est Opifex? Omnia quippè facta sunt per ipsum, tamquàm per virtutem et sapientiam Dei ac Patris, non quidem in naturâ Genitoris absconditam, cujusmodi existit in homine sapientia et virtus, sed propriè et per se subsistentem, verùm ineffabili generationis modo nihilominùs ex Patre prodeuntem, ut etiam intelligatur esse reverà Filius sapientia et virtus Patris.

15. [a] Sed tametsi omnia per ipsum beatus Evangelista facta esse dicat, nihil tamen ea quæ de ipso dicuntur, indè læsum iri puto. Non enim quia per ipsum res factæ dicuntur, idcircò servus et alienæ voluntatis minister censendus erit, ne et naturâ suâ Creator haberi desinat, aut ab alio quodam creandi potestatem accipere videatur, quinimò ipse solus, virtus cùm sit Dei ac Patris, in quantùm Filius ejus unigenitus, omnia operatur, cooperante nimirùm et coexistente ipsi Patre et sancto Spiritu; omnia quippè sunt ex Patre per Filium in sancto Spiritu. Patrem verò coexistere Filio intelligimus, non quasi ad aliquid creandum sit impotens, sed quòd totus sit in ipso propter omnimodam identitatem substantiæ, et summam illam conjunctionem, et immediatam propinquitatem ejus ad eum, qui ex ipso naturaliter procedit; quemadmodùm si quis dicat unà cum floris odore adesse ipsum utiquè florem ad efficiendam illam fragrantiam, quoniam ex ipso erumpit naturâ. Sed exigua vis exempli quidem est in hisce rebus, ideòque supra hoc posita est natura divina, tenues argumentorum notas quibus agnoscatur ex eo capiens. Nam quo pacto intelligemus illud : *Pater meus usquè modò operatur, et ego operor* [1]? Non enim seorsìm et solum aliquid operari circa res existentes Deum ac Patrem dicit Filius, et seipsum vicissìm operari sine Patre, et eâ quodammodò cessante substantiâ ex quâ procedit; sic enim duo erunt, non unus opifex, si vicissìm ac seorsìm operatur uterque; ac præthereà fieri poterit ut Pater Filium non semper habeat in seipso, et Filius similiter non semper in seipso Patrem habere videbitur, si omninò contingit circa res operari vicissìm ac seorsìm utrumque, sicuti jàm anteà diximus; mentieturque Filius dicens: *Ego in Patre, et Pater in me* [2]. Non enim secundùm solam similitudinem substantiæ tamquàm characterem Filium in Patre contemplabimur, aut vicissìm velut archetypum in Filio Patrem, sed Filium quidem ex Patris substantiâ per generationem effulgentem, et in ipsâ atque ex ipsâ hypostaticè existentem, subsistentemque Deum Verbum confitebimur; Patrem autem vicissìm in Filio, tamquàm in consubstantiali genimine, connaturaliter quidem, sed solâ ratione quâ Pater est et intelligitur, distinctum. Manet enim Pater id quod est, licèt connaturaliter existat in Filio, quemadmodùm esse dicimus in splendore solem. Rursùs autem Filius non aliud quiddam ab eo quod est censebitur, licèt existat naturaliter in Patre, quemadmodùm in sole splendor. Hoc pacto enim cùm Pater reverà intelligatur et sit Pater, Filiusque vicissìm intelligatur et sit Filius, unà videlicet cum sancto Spiritu, sanctæ Trinitatis numerus in unam et eamdem deitatem coalescit. Nam quomodò unus quoque Deus existere censebitur, si unaquæque Trinitatis persona ad peculiarem et perfectam proprietatem se recipiet, et à naturali atque substantiali conjunctione separata Deus nuncupabitur? Itaque quod ad rationem propriè ac per se subsistendi attinet, et Patrem, et Filium, et Spiritum intelligamus, non confundentes cum naturâ cujusque personarum aut nominum differentiam, sed tribuentes unicuique peculiariter id quod est ac dicitur, atque ità credentes; verumtamen in unam deitatem naturaliter ea referentes, nec in animum inducentes eos prorsùs inter se distingui, productà quòd Verbum, et sapientia, et splendor, et character, atque virtus Patris Filius appellatur. Verbum quippè et sapientia dicitur, propterеà quòd ex mente et in mente est proximè, et indivulsè, et propter mutuam, ut ità dicam, eorum immissionem. Mens enim in verbo et sapientiâ, et verbum in mente vicissìm cernuntur, nihilque interjacet, aut alterum ab altero separat. Virtus autem, quatenùs indivulsè inest iis quæ naturâ suâ eam habent, nec ullatenùs ab iis, instar accidentis absque subjecti, interitu separari potest. Character porrò, putà quòd simul semper existit naturâ, nec à substantiâ separari potest, cujus est character. Igitur, cùm alter in altero naturaliter ac necessariò insit, utiquè Patre operante, Filius operatur, tamquàm naturalis, et consubstantialis, ac subsistens virtus ejus.

[1] *Joan.* V, 17. — [2] *Id.* X, 38 *et* XIV, 11.

[a] Sed tametsi omnia... *id est* : Si *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum sit nihil*, ipsum etiam ab omnibus diversum erit. Nam, cùm dixit : *Omnia*, nihil est quod non *in omnibus* comprehendatur. Non tamen quia omnia per ipsum facta dicit, idcircò servum et alienæ voluntatis administrum cogitemus, ne naturâ suâ Conditor haberi desinat, *etc.* Hîc in margine ponit Combefisius hæc verba : « Adversùs Origenem, eumque secutos Arianos et Eusebianos. » Is profectò Arianæ hæresis incusandus esset, qui doceret Patrem omnia creâsse per Filium, tamquàm per servum et alienæ voluntatis ministrum; impietas autem hæc mentem Origenis ne per somnium quidem unquàm subiit, inquit Georgius Bullus. Vide suprà Notam *b*, pp. 501-502.

Similiter operante Filio, Pater etiam operatur, ut operantis Verbi fons, proprio genimini naturaliter inexistens, sicuti quoque ignis, calori quem ex se fundit.

16. Constat igitur vanam esse hæreticorum adversùs Unigenitum calumniam, qui disciplinâ quidem ipsum opificem, imò verò ministrum aiunt, ex eo quòd scripsit beatus Evangelista : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ego autem non possum satis illorum impudentiam admirari. Quæcumque enim ad suam mentem facere videntur, et dignitatem Unigeniti quoquomodò evertere, eumque infra Genitorem collocare, ea confestim arripiunt, et undiquè suæ improbitatis venena colligunt ; quæ verò rectè et sincerè scripta sunt, et ad Patris gloriam Filium deducunt, ea certè alto quodam obruunt silentio ; quippè qui unum hoc sibi propositum habent, ei detrahere, quem omnes collaudant creaturæ. Audientes enim ab ipso facta esse omnia, ministrationis nomen illicò subjiciunt, servum pro libero, et famulum potiùs quàm Dominum, Filium somniantes. Rursùs verò, cùm accipiunt nihil sine ipso factum esse, non ad magnum quiddam et admirabile de ipso cogitandum animum evehunt. Evangelista quippè nihil sine ipso factum esse ait, quoniam aliter creare non potest Deus ac Pater, quàm per suum Filium, qui sapientia et virtus est ejus. Idcircò enim gloria Dei ac Patris est Unigenitus ; glorificatur enim ut Creator Pater, per Filium universa operans, et ex nihilo ad esse res producens. Sed et illud : *Sine ipso factum est nihil*, de hominis fabricatione rectè accipies, apud te hæc perpendens : *Faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem* [1]. Hìc enim clarè contemplari licet nihil esse in Filio humile tamquàm in ministro, ut illi volunt ; non enim imperando loquitur Verbo Deus ac Pater : *Fac hominem ;* sed tamquàm qui coexistat secundùm naturam, et indivulsè insit cooperator, ut operationis sic et deliberationis vult esse participem, cogitatione quidem Filii cognitionem non præveniens, sed tamquàm mens indivulsè et ab æterno impresso et insito Verbo manifestata. Rursùs autem quæ de Deo dicuntur, longè supra exempla posita esse fatendum est. Cooperari tamen Filio Patrem dicimus, non seorsìm duos intelligentes, ne duo censeantur esse dii, nec unum utrumque simul, ne in Patrem Filius, et Pater in Filium contrahatur ; sed illo potiùs modo quo splendori luminis lumen inesse creditur ex quo splendor effulsit. In his enim cogitatione quidem separari quodammodò videtur id quod gignit, ab eo quod gignitur et indivisibiliter prodit ; sed unum est ac idem utrumque simul naturâ, nec alterum sine altero usquàm est. Sed hæc rursùs Deus superat, præsertim cùm sit supra substantiam, nec accurata ulla sit ac perfecta in rebus creatis similitudo, quâ ad exprimendam sanctæ Trinitatis imaginem uti possimus.

17. Quòd si existiment illud, *Per ipsum*, de Filio dictum, substantiam ejus de æqualitate et naturali similitudine cum Patre dejicere, ità ut minister sit potiùs quàm Creator, ad se redeant insani, et in medium prodeant, nobis responsuri, quidnam de ipso Patre tandem cogitaturi simus, et quemnam ipsum esse suspicaturi simus, cùm pateat verba illa, *Per ipsum*, ipsi etiam à Scripturâ divinâ accommodari? *Fidelis enim*, inquit, *Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus* [2]; et : *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei* [3]; item, Paulus ad nonnullos scribit : *Itaque jàm non est servus, sed filius : quòd si filius, et hæres per Deum* [4]. Omnia quippè hæc referuntur ad personam Dei ac Patris : neque sanè eò dementiæ quisquam venerit, nisi nostris hæreticis forsan adstipuletur, ut ministrationis nomen et rem etiam de ipsâ Dei ac Patris majestate consentaneè dici velit, ex eo quòd etiam illud, *Per ipsum*, de ipso dictum est. Interdùm enim Scriptura sacra sine discrimine voces usurpat; neque tamen rei propositæ quidquam nocet, sed abusivè quodammodò rebus significandis voces accommodat, et ea per quæ rectè demonstrari putet. Cæterùm de his illud dicere convenit, nimirùm, gloriam Domini abscondere sermonem. Valdè enim exilis est omnis illa sermonum vis et ratio ad explicandam accuratè ineffabilem ac divinam majestatem. Quapropter non debemus humilitate verborum turbari, sed credere oportet humanam quamcumque facundiam et mentis acumen divinâ et ineffabili naturâ superari. Hoc enim pacto non parùm pios nos præstabimus.

18. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Adhuc de Dei Verbo Evangelista beatus disserit, mihique videtur utiliter omnia percurrere quæcumque insunt ei naturâ, ut et hæreticorum furores confundat, et rectæ fidei cultores verâ doctrinâ confirmet, non ex sæculari sapientiâ fabulas sectantes, sed in demonstratione spiritûs admirantes pulchritudinem veritatis. Id ei autem propositum est. Creatorem et Opificem naturâ Filium existere paulò antè nobis ostendit, omnia per ipsum facta esse dicens, et sine ipso nihil in ortum eductum. Cùm autem creaturæ non solùm esse largiatur, sed eam quoque à se creatam contineat, seipsum immiscens quodammodò iis quæ naturâ æternam durationem non habent, et vita rebus existens ut creatæ maneant ac serventur in suæ naturæ quæque ratione, idcircò subjicit Evangelista : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Non solùm ait : *Per ipsum omnia*

[1] *Gen.* I, 26. — [2] I *Cor.* I, 9. — [3] *Ephes.* I, 1. — [4] *Galat.* IV, 7.

facta sunt, verùm etiam : Quidquid factum est, *in ipso vita erat,* ità ut unigenitum Dei Verbum, omnium sit principium ac fundamentum, visibilium et invisibilium, cœlestium, terrestrium, ac infernorum. Ipse enim vita cùm sit secundùm naturam, ortum, vitam, et motum diversimodè rebus largitur, non per divisionem aut immutationem quamdam singulas naturâ dissidentes permeando, sed creatura ineffabili sapientiâ et virtute Creatoris in seipsâ variatur. Una autem vita est omnium, singulis pro cujusque captu et facultate se communicans. Cùm autem id quòd è nihilo ad esse productum est necessariò corrumpatur, et quod principium habet, ad finem tendat (uni enim divinæ ac supremæ naturæ convenit initio et fine carere), infirmitati creaturarum consulit, et perpetuitatem quamdam eis artificiosè molitur. Rerum enim similium, quæque generis sunt ejusdem ac speciei successiones, et naturales vicissitudines, eumdem semper et continuum cursum tenentes, ut creatura perpetua videatur efficiunt, eamque Creatori Deo stabilem ac perpetuam conservant. Atque illud est nimirùm, quod ineffabili Creatoris voce pronuntiatum est, unamquamque rem seminare in seipsâ semen juxta genus suum, et secundùm similitudinem[1]. Erat igitur in omnibus vita; id enim impræsentiarùm quæritur. Sed, ô bone (rursùm hìc opponet quispiam veritatis oppugnatori hæretico), quid ad hoc, quæso, respondebis, cùm divinum Evangelistam dicentem audies quòd in omnibus creatis rebus erat Verbum, nempè *quòd erat in principio?* An audebis etiamnùm negare Filium ex Dei Patris substantiâ existere, ut creatus et factus intelligatur? Quomodò verò tuam inscitiam, ô quisquis es, non jure meritò incusabimus? Nam, si Verbum, ut per naturam vita, in creatis rebus erat, ipsis per participationem seipsum immiscens, aliud certè est ab aliis quibus inesse creditur. Quod autem naturâ suâ est à creaturâ diversum, quomodò, cùm eam excedat, non erit Deus? Quòd si impudenter loqui perseveras, nec putare desinis creatum esse Filium qui in creatis rebus existit ut vita, primùm quidem ipse aliquid in se existere censebitur, deindè ipse suî ipsius particeps et vita, si, cùm sit in creaturis, ipse etiam earum una censebitur. Sed ipsemet Dei hostis animadvertit demùm quantùm in eâ sententiâ sit absurditatis. Itaque si per participationem in creatis rebus est Verbum quod eas vivificat, non erit ipsum quoque inter ea quæ participant, sed aliud nimirùm ab illis. Quòd si hoc, non ergò creatum erit, sed, ut vita, per naturam in ipsis : quod ex subjectis rationibus rursùs patebit.

19. 1°. Si ex substantiâ Dei ac Patris Filius non est, sed extrinsecùs ipsum, ut illi volunt, produxit, creatus ergò est ac factus. Quomodò igitur qui in creaturarum numero est, omnia vivificat? Quid autem in naturâ divinâ reperiemus eximii, aut quomodò sapientissimus Paulus admirabile id de Deo naturali dicit, quòd vivificet omnia[2]? Si enim, creatus cùm sit, Filius omnia vivificat, seipsam creatura vivificat, Deo nihil ad hoc indigens opifice : nihil ergò plùs est in Deo quàm in creaturâ ; non enim minùs ad operandum quàm Deus habet facultatis. Sed hoc absurdum. Non ergò creatus est Filius, sed Deus potiùs, et idcircò vita quoque per naturam. Prætereà 2°. Divinam supra modum naturam Psalmista jure miratur, eique singularem ac pulcherrimam prærogativam tribuit, dicens : *Quoniam apud te est fons vitæ*[3]. At si Filium Pater produxit, nec ipsum habet ex suâ substantiâ, hic autem etiam talis cùm sit, creaturas vivificat, et vita est secundùm naturam, utpotè vivificans, cur Psalmista apud solum Deum esse fontem vitæ frustrà contendit? Id enim in rerum creatarum naturam quoque cadit, si Filius, cùm divinæ naturæ non sit, ut stultè nonnulli docent, vivificat. Sed hoc absurdum. Igitur vita est secundùm naturam Filius, ut Deus ex Deo, et vita ex vitâ. Prætereà 3°. Si vita existens secundùm naturam suam Filius, creatus et factus est, maximè cùm ex Dei et Patris substantiâ non sit, ut illi suspicantur, rerum creatarum natura erit, ac dicetur vita, eruntque omnia vita, potestate nimirùm, etsi nondùm actu id habeant. Quod enim naturâ suâ esse potest, erit utiquè illud, licèt nondùm existat ; habet enim in suâ naturâ existendi potentiam. Cùm ergò creaturæ commune sit esse vitam, nullius autem proprium ac singulare, cur apud se frustrà gloriatur Filius, dicens : *Ego sum vita*[4]? Dicere enim utiquè potiùs deberet : *Ego sum vobiscum vita;* hoc enim verius esset, siquidem reverà creatus est, ac vita. Cùm autem esse vitam, veluti proprium ac peculiare bonum sibi uni arroget, patet utiquè ipsum se non in rebus creatis, sed in divinâ substantiâ collocare, qui etiam ut sit vita naturaliter inest. Prætereà 4°. Quod vitam participat, ipsum non est propriè vita ; aliud enim quiddam in seipso videtur esse. Si ergò communicabilis est rebus creatis Filius, ut vita, aliud erit ab iis quæ ipsum participant, ac vitâ indigent. Igitur non creatus, neque ideò vivificari quærens ab alio : Deus itaque est vivificans : quòd si ità est, ex substantiâ quoque Patris esse concedetur, siquidem unum adoramus Deum, nec alium ab eo qui est, colimus. Prætereà 5°. Rerum naturam diligenter considerantes, Deum et creaturam, nihilque præter hæc aliud videmus. Quod enim Deus non est secundùm naturam, utiquè creatum istud est; et rursùs, quidquid creatura negatur esse, id

[1] *Gen.* I, 12. — [2] I *Tim.* VI, 13. — [3] *Psalm.* XXXV, 10. — [4] *Joan.* XI, 25 *et* XIV, 6.

certè Deus est. His igitur ità ritè perspectis, respondeant, quæso, qui à substantiâ Dei ac Patris Filium amovent, quomodò vivificare possit ut vita, cùm id naturæ divinæ proprium sit, nec ulli rei alteri tribuatur. Quòd si, creatus cùm sit, vita quoque esse potest, ad universas certè creaturas istius prærogativæ gratia pertinebit, eruntque omnia vita secundùm naturam. Quid ergò opus erit iis participatione Filii? Aut quid indè lucri capient? Ipsa enim quoque vita sunt secundùm naturam. Sed hoc falsum est ; participant quippè necessariò Filium, ut vitam quâ indigent. Solus ergò Unigenitus vita est secundùm naturam suam, nec proindè inter creaturas collocabitur, sed ad Genitoris sui evehetur naturam. Vita enim quoque est secundùm suam naturam Pater. Prætereà 6°. Vita cùm sit secundùm naturam Filius, alius est à creaturâ, nimirùm secundùm naturam, aut ejusdem cum eâ naturæ. Si ergò ejusdem naturæ est atque essentiæ, quomodò non mentietur, dicens: *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo*[1]? Habet enim ex se creatura, ut sit vita ; vita autem vitæ particeps esse non debet, ut vita conspiciatur. Sin autem ejusdem naturæ non est, etiam creatus esse non poterit, sibi simul arripiens quod proprium est creaturæ bonum. Creatura enim vita non erit secundùm suam naturam, sed vitæ potiùs indiga et particeps. Prætereà 7°. Si, vita cùm sit secundùm naturam Filius, ejusdem naturæ est cum rebus creatis, propterea quòd ex Dei ac Patris, ut isti volunt, substantiâ non existit, quid causæ est cur beatus Psalmista cœlos transituros canat, et sicut vestimentum inveteratum iri, ei autem velut eximium quiddam ac singulare tribuat, dicens : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*[2]. Aut enim ipse nobiscum interibit ac deficiet, utpotè ejusdem naturæ, nec ampliùs vita esse censebitur : aut nos in statum immutabilem et indeficientem annorum numerum, atque ut simus vita, conjunctio cum ipso naturalis nos simul pertrahet. Atqui in eodem semper ipse permanebit statu ; nos autem deficiemus. Non ergò sicut nos creatus est ; sed cùm ex vitâ naturali sit, vivificabit etiam ipse, ut vita, ea quæ vitâ indigent. Prætereà 8°. Si suî ipsius nihil est particeps, Christum autem, ut vitam, creatura participat, non est ergò ipse creatura, sed neque creatura est vita, quod est Filius. Prætereà 9°. Si aliud est vivificare, aliud verò vivificari, sicut agere et pati, et vivificat quidem Filius, creatura autem vivificatur, non igitur idem est Filius et creatura, ut neque quod agit idem est cum eo quod agitur.

20. *Et vita erat lux hominum.* Beatus Evangelista nobis etiam his verbis ostendit Deum naturâ suâ Filium existere, et bonorum Patris substantialiter hæredem. Cùm enim priùs docuerit vitam secundùm naturam existentem ipsum in omnibus à se creatis esse, eaque continere, ac vivificare, et è nihilo ad esse producere, et producta conservare, ad alias contemplationes se confert, undiquè nos ad veritatis comprehensionem potissimùm deducere statuens. Itaque in creatis rebus Verbum inerat, ut vita. Cùm autem homo inter eas animal sit rationale, mentis et scientiæ capax, ac divinæ sapientiæ particeps, necessariò nobis vir ille divinus illius quoque sapientiæ quæ in homines cadit, largitorem esse Filium clarè ostendit, ut intelligatur Deus ac Pater per Filium omnia existere in omnibus, vita quidem in iis quæ vitâ indigent, lux item et vita in iis quæ vitâ et luce opus habent. Ideòque ait : *Et vita erat lux hominum*, hoc est : omnia vivificans Deus Verbum, illa rerum omnium vita, et animal rationis compos illuminat, et iis quæ intelligentiæ sunt capacia intelligentiam affatim largitur, ut verum sit illud quod de creaturâ dicitur : *Quid enim habes quod non accepisti*[3]? A se enim creata et facta natura nihil habet; sed quodcumque habere cernitur, hoc utiquè est à Deo, qui et esse et essendi modum largitur. Rursùs autem, illud *Erat*, de vitâ dictum est, ut ubique Verbi æternitatem significet, et insanorum nugas resecet, quæ Filium nobis è nihilo educunt : quod quidem patet universæ Dei repugnare Scripturæ. Sed de æternitate Verbi cum Patre, cùm jàm antè in hoc Libro, et eo qui Thesaurus inscriptus est[a], tractaverimus, silendum putamus. Quod autem rerum propositarum sensus nobis offert, hoc utiquè perlubenter, quoad licet, examinando, cùm nobis prodesse studebimus, tùm posteris, Deo rursùs nobis januam et os ad disserendum aperiente. Quid ergò nobis iterùm responsurus est Dei hostis, lucem hominum audiens vitam existere, hoc est, semper vivens Deum Verbum? Quibus nos impetet rationibus, dùm in medium prodimus dicentes : Nisi Deus secundùm naturam sit Filius, et fructus substantiæ Patris, nisi lux nobis vera ex luce effulserit verâ, sed ipse quoque productus sit extrinsecùs, juxta vestram inscitiam, ejusdem ergò generis est cum rebus creatis, nec potest usquàm esse non creatus ? Quomodò igitur, ô vos omni stultitiâ pleni, ipse quidem illuminat, hæ autem illuminantur ab ipso? Numquid enim aliud est quod illuminat, aliud quod illuminatur? Atqui nemini obscurum istud esse potest. Si enim

[1] *Joan.* VI, 48 *et* 33. — [2] *Psalm.* CI, 28. — [3] I *Cor.* IV, 7.

[a] *Thesaurus de sanctâ et consubstantiali Trinitate,* quem Cyrillus rogante amico quodam exaravit, ità inscribitur, quia tàm ingentem in se divinarum veritatum ac principiorum thesaurum complectitur, ut argumentorum omnium in defensionem sacrosancti hujus mysterii eo usquè prolatorum veluti summam exhibeat. Præclari hujus Operis frequens est apud veteres mentio.

idem esse concedamus qualitate substantiæ et essendi modo, quid plùs est in eo quod illuminat, et quid minùs vicissìm in eo quod luce indiget? Erit enim in utroque alterum vicissìm, et lux quidem erit quod luce indiget, et lux confundetur cum eo quod illuminatur. Atqui magnam hìc vides doctrinæ confusionem. Necesse enim est ea quæ commemorata sunt, invicem distingui, et in propriâ naturâ collocari id quod aliquid suppeditat, seorsìm ab eo cui suppeditatur. Non est ergò ejusdem naturæ cum rebus creatis Filius, sed in Patris substantiâ collocabitur, lux vera de luce verâ existens. Sed non erit forsan difficile hùc, translato sermone quo anteà Filium vitam esse, et alium ab iis in quibus est ostendimus, hujus capitis claram explicationem afferre. Quem laborem ne aliis relinquere aut desidiam colere videar, rursùs ego ipse syllogismorum, quos priùs attulimus, formam, quoad potero, transmutare conabor. Ut enim illic vita secundùm naturam existens, diversus ab iis in quibus est videtur; ità hìc quoque lux hominum cùm esse dicatur, ac reverà sit, alius esse ab iis comperietur quæ luce indigent, eamque participant. Id autem ex sequentibus accuratiùs agnoscemus.

21. 1°. Si Verbum est in iis quæ dicuntur, non secùs ac lux secundùm naturam per participationem se rebus immiscet, aliud ergò est ab iis in quibus esse creditur. Quod autem secundùm naturam aliud est ab eâ quæ ipsum participat et ab eo illuminatur creaturâ, quomodò non erit supremus Deus? Prætereà 2°. Si, lux secundùm naturam cùm sit Filius, inter creaturas ut creatum Dei hostis esse ait, illuminantem ea quæ luce indigent, primùm quidem ipse in seipso intelligetur existere: deindè ipse quoque suî ipsius particeps erit et lux; siquidem existens in rebus creatis, unus quoque ex earum numero esse ipse censebitur. Sed videt eruditus corde in sapientiâ, sicut scriptum est [1], quàm sit absurdum id in animum inducere. Igitur, si per participationem in creaturis est Verbum eas illuminans, non erit ipsum quoque in iis quæ participant et illuminantur, sed aliud nimirùm ab ipsis. Quòd si ità est, non erit ergò creatum, sed ut lux secundùm naturam, et Deus in iis quæ luce indigent. Præterea 3°. Si non ex substantiâ Dei ac Patris est Filius, sed extrinsecùs, ut illi volunt, ipsum produxit, creatus ergò est ac factus. Quomodò igitur in rebus creatis est, qui eas illuminat? Quid autem eximium in naturâ divinâ comperiemus deinceps, aut quomodò Psalmista sapientissimus veluti magnum et admirabile quiddam de naturali Deo scribit: *In lumine tuo videbimus lumen* [2]? Si enim creatus cùm sit Filius, cuncta illuminat, seipsam illuminabit creatura, nihil ad hoc Deo indigens à quo facta est. Nihil ergò plùs est in Deo quàm creaturâ, nec illa minùs habet ad operandum facultatis, quàm Deus. Sed hoc absurdum. Non igitur creatus est Filius, sed Deus potiùs, atque idcircò lux secundùm naturam suam, ut Pater. Præterea 4°. Si, lux Dei ac Patris cùm sit Filius, juxta illud: *In lumine tuo videbimus lumen*; et: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam* [3], creatus est, et in ortum eductus, nihil prohibebit quominùs simili ratione res omnes creatæ lux Dei ac Patris appellentur. Si enim istud in rerum creatarum naturam cadit, erit omnibus commune potentiâ, non Filii proprium unius. Sed hoc absurdum est; soli enim Filio convenit vocari et esse lucem Dei ac Patris. Non est itaque creatus, sed lux, ut Deus de Deo illuminante per ipsum ea quæ luce indigent. Præterea 5°. Si, lux secundùm naturam cùm sit Filius, non est ex Patris substantiâ, sed extrinsecùs productus, juxta ineptum hæreticorum commentum, ejusdem ergò naturæ est cum rebus creatis, et frater, maximè cùm substantiâ divinâ exciderit. Quomodò ergò lux quidem ipse vocatur et est, de sancto verò Baptistâ dicitur: *Non erat ille lux*, quamvis lux esset potentiâ beatus Baptista, et non ipse solùm, siquidem fieri poterat ut Filius, licèt creatus, lux tamen secundùm naturam suam esset [4]? quod enim in naturâ situm est, sequitur commune esse utiquè omnibus quæ participant. Sed Joannes non erat lux; lux autem erat Filius: diversus igitur à rebus creatis, nec ejusdem naturæ cum ipsis. Præterea 6°. Si, lux secundùm naturam cùm sit Filius, creatus est atque factus, præsertim cùm non sit ex Dei ac Patris substantiâ, ut nonnulli suspicantur, rerum creatarum natura lux esse et vocari poterit. Erunt autem omnia lux potentiâ. Quod enim naturâ suâ aliquid esse potest, utiquè illud fuerit, etiamsi nondùm actu exstitit. Cùm ergò rerum creatarum naturæ commune sit esse lucem, proprium autem nullius ac singulare, quid frustrà se jactat Filius, dicens: *Ego sum lux* [5]; dicendum enim esset potiùs: *Ego sum vobiscum lux*. Cùm autem veluti proprium bonum istud uni sibi arroget, nullo consorte ascito, patet utiquè ipsum creaturis se non annumerare, sed in naturâ Patris se collocare, quæ naturâ suâ lux est. Præterea 7°. Quod lucem participat, non est propriè lux; aliud enim quoddam in ipso esse videtur. Si ergò communicabilis creaturis est Filius, ut lux, diversus erit ab iis quæ participant ipsum, et luce indigent. Igitur non est creatus, neque ut res creatæ ab alio illuminari postulat. Deus itaque, et illuminare potis. Quòd si ità est, etiam ex Patris substantiâ genitus intelligetur, siquidem unum adoramus Deum, nec alterum ab eo qui est, colimus. Præterea 8°.

[1] *Psalm.* LXXXIX, 12. — [2] *Id.* XXXV, 10. — [3] *Id.* XLII, 3. — [4] *Joan.* XII, 46. — [5] *Id.* VIII, 12.

rerum naturam diligentiùs examinantes, Deum videmus et creaturam, prætereà nihil. Quodcumque enim Deus non est naturâ suâ, hoc utiquè creatum est, et quod sub creationem cadere non potest, omninò necesse est hoc esse Deum. His ità ritè perspectis, respondeant nobis qui à substantiâ Dei ac Patris Filium removent, quomodò possit illuminare ut lux, cùm ipsa propria sit naturæ divinæ, nec alteri tribuatur. Quòd si, creatus cùm sit Filius, etiam lux esse potest, ad universas utiquè res creatas pertinebit istius prærogativæ gratia, eruntque omnia lux per naturam. Quid ergò eis opus erit participatione Filii, aut quid indè eis accedet, cùm ut sint lux secundùm suam naturam ipsæ quoque habeant, non secùs ac Filius? Sed illuminante opus habet creatura, cùm istud à se non habet : Deus igitur est per naturam Filius, atque idcircò lux, ut qui possit illuminare ea quæ luce indigent. Prætereà 9°. Lux secundùm naturam suam cùm sit Filius, aut alius est à creaturâ, nempè ratione essentiæ, aut ejusdem cum ipsâ naturæ. Si ergò ejusdem generis est ac substantiæ, frustrà, ut videtur, nobis ait : *Ego lux in mundum veni* [1]. Habet enim etiam à se creatura, quòd lux sit ; lux autem lucis particeps esse non debet, ut censeatur esse lux. Sin autem ejusdem naturæ non est, sed creatura luce indiget, cùm audierit : *Quid* enim *habes*, *quod non accepisti* [2]? necessariò igitur creatus esse non poterit Filius, sibi simul arripiens quod proprium est creaturæ bonum. Non enim creatura lux erit naturâ suâ, sed lucis potiùs indiga et particeps. Prætereà 10°. Si nihil suî ipsius est particeps, sed creatura Filium ut lucem participat, non est ergò ipse creatura, sed neque creatura lux, quod tamen est Filius. Prætereà 11°. Si aliud est illuminare, aliud illuminari, sicut agere et pati, et illuminat quidem Filius, illuminatur autem creatura, non ergò idem est Filius et creatura, ut neque id quod agit idem est cum eo quod agitur.

22. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Necessariò nobis sapientissimus Evangelista præcedentem doctrinam explicare hoc loco aggreditur. Non enim putabat auditoribus satis fore ad rectè intelligendum Dei Verbum reverà esse lucem hominum, si dumtaxat diceret : *Et vita erat lux hominum.* Probabile enim erat futuros aliquos qui temerè et inconsideratè ea quæ dicuntur caperent, aliosque docerent ac traderent lucem quidem reverà esse Dei Verbum, sed non omnibus lucis largitorem, sed quibus velit prudentiæ lucem immittere, eumque probare qui dignus sit tàm illustri dono : cæterùm aliarum creaturarum rationalium naturam aut ex propriis quodammodò seminibus prudentiæ vim accipere, aut intelligentiam ei prudentiamque à Deo ac Patre immitti, quàsi non possit istud præstare Filius. Ut ergò manifestum fieret ipsum Deum Verbum in Deo ac Patre vitam esse atque lucem, non aliquorum dumtaxat, aliorum non item, sed ineffabili quodam communicationis modo, putà cùm sit sapientia et prudentia (quod in rationis compotibus lucem appellamus), seipsum universis rebus immiscere, ut rationalia rationem accipiant, et intelligentiam habeant quæ ejus sunt capacia, nec aliter istud possunt assequi, necessariò infert *et lucem in tenebris lucere, et tenebras eam non comprehendisse.* Id enim propemodùm auditoribus studiosè inclamat : Dixi, ô boni, veritatem cumprimìs edocens, vitam esse hominum lucem, non ut quisquam ex his verbis existimet eos qui justi et probi esse videntur, aliundè vitæ Christianæ donum accipere, nimirùm illuminationem ; sed ut discatis rursùs quòd, quomodò est in omnibus rebus creatis Verbum vita, vivificans nempè ea quæ vitæ sunt capacia, ità quoque esse in iis lucem illuminantem ea quæ intelligentiæ et prudentiæ sunt capacia, id quod sunt efficiens. Omnia enim est in omnibus Pater per Filium in Spiritu. *Tenebras* autem nominat naturam lucis indigam, hoc est, [a] omninò creatam. Postquàm enim ipsum lucem nuncupavit, aliam esse ostendens indigentem et ipsius participem creaturam rationalem, in contrarium vertit vim et rationem ejus quod significatur, non abs re, meo judicio, id faciens; sed quòd apud se cogitaret rerum creatarum naturam, cùm nihil ex se prorsùs proferat, sed omne suum esse, et rectum consistendi modum habeat ab opifice, jure audire : *Quid* enim *habes, quod non accepisti*? Cùm autem præter cætera ipsam quoque divinitùs datam lucem habeat, eam utiquè cùm non habeat, accipit. Quod verò lucem ex seipso non habet, quomodò non erit contrarium? Aut quomodò tenebræ non dicentur? Probabile enim, imò necessarium argumentum est creaturam esse tenebras, Dei autem Verbum lucem, quòd *lux in tenebris lucet.* Nam si rerum creatarum natura Dei Verbum per participationem accipit, ut lucem, aut tamquàm ex luce, ipsa quidem ut tenebræ nimirùm accipit; lucet autem in ipsâ velut in tenebris lux, id est, Filius, quamvis tenebræ lucem utiquè nesciant; hoc enim significat, opinor, illud : *Tenebræ eam non comprehenderunt.* Cuncta enim Dei Verbum illustrat quæ sunt illustrationis capacia, et in universum ea illuminat quæ naturam habent illuminationis capacem. Ignoratur autem à tenebris; rationalis quippè natura quæ in terris est, homo nimirùm, coluit quandoquè creaturam præ Creatore. Non comprehenderunt lucem;

[1] *Joan.* XII, 46. — [2] I *Cor.* IV, 7. — [a] Omninò creatam, sive de nihilo productam.

non enim agnoverunt Creatorem fontem sapientiæ, intelligentiæ originem, prudentiæ radicem; lucem tamen habent Dei misericordiâ, et intelligendi vim cum ipsis quodammodò natalibus sibi insitam simul afferunt. Hìc rursùs notandum nullâ ratione Filium Dei creatum aut factum intelligi posse, sed à nobis penitùs dissitum, et supra creaturarum naturam constitutum, aliumque ab iis prorsùs esse, et substantiæ ratione semotum, non secùs nimirùm ac lux eadem non est cum tenebris, sed contraria, et diversitate naturæ planè distincta. Sed cùm hâc de re satis anteà tractaverimus, addenda sunt nobis reliqua quæ sequuntur.

23. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes : hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Multis anteà de Deo Verbo diligenter expositis, quibus patet ipsum secundùm naturam esse Dei ac Patris Filium, fidem dictis deinceps conciliat. Cùm autem per Moysen dictum sit à Deo *in ore duorum aut trium testium stare omne verbum*[1], magnæ auctoritatis sibi testem beatum Baptistam prudenter adjungit. Non enim putabat, quantàvis esset auctoritate præditus, ab iis qui in historiam nostri Salvatoris inciderent, fidem ultra Legem esse exigendam, et uni sibi credendum res mente et intelligentiâ nostrâ superiores enarranti. Itaque testatur quidem ipse beatus Evangelista, quòd *Verbum erat in principio, et Deus erat Verbum, et erat in principio apud Deum*, et quòd *omnia per ipsum facta sunt*, et quòd erat in creatis rebus, ut vita, et quòd lux hominum erat vita, ut ex his omnibus ostendat Filium esse Deum secundùm naturam; ei verò astipulatur Baptista divinus, clamans : *Parate viam Domini: rectas facite semitas Dei nostri*[2]. Hunc enim esse Deum verum nemo non utiquè fatebitur, cui dominationis dignitas secundùm naturam insit, nec alteri inesse conspiciatur propriè ac verè, siquidem *nobis est unus Deus ac Pater, unus autem Dominus Jesus Christus*, ut Paulus scribit[3]; et *licèt sint qui dicantur dii* per gratiam, et domini multi, *sive in cœlo, sive in terrâ*[4], unus tamen est cum Deo Patre verus Filius. Igitur maximæ dignationis est par illud sanctorum testium ; fides autem nullâ non ex parte inculpata dictis debetur, quæ cùm plenitudine Legis, tùm personarum claritate confirmatur. De se autem loqui beatum Evangelistam suasque laudes attingere, grave sanè fuisset, ac cæteroquin imperitum. Alioqui jure audiisset : *Tu de teipso testificaris : testimonium tuum non est verum*[5]. Idcircò iis quibus notus erat, seipsum permittit agnoscendum, et homonymiâ utitur, nec abs re, et missum esse ait ipsum à Deo. Decebat enim ostendere sanctum Baptistam non per se, nec suâ sponte ad testimonium de Salvatore nostro ferendum accessisse, sed supernis mandatis obtemperâsse, ac divinis Patris nutibus morem gessisse. Quocircà inquit : *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Observandum autem est quo pacto certâ, idoneâ et rerum naturæ accommodatâ oratione utatur. Etenim illud *Erat*, de Deo Verbo consentaneè dicitur, æternitatem ejus et antiquitatem omni principio temporis priorem ubique significans, et opinionem quòd creatus sit, ex animo prorsùs evellens. Quod enim semper est, quomodò creatum erit? De beato verò Baptistâ convenienter ait : *Fuit homo missus à Deo*, utpotè de homine creatâ naturâ prædito. Mihi autem videtur hìc Evangelista cautè admodùm dicere non simpliciter *Fuit*, sed addito, *homo*, temerariam quorumdam sententiam evertere. Jàm enim in vulgus multi sparserant, verè hominem non esse sanctum Baptistam, sed unum è sanctis Angelis cœli incolis, humano quidem corpore utentem, et missum à Deo ad prædicandum[a]. Cujus rei causam hanc commenti sunt, quòd à Deo dictum sit : *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*[6]. Sed aberrant à vero qui in hâc sunt sententiâ, dùm non advertunt nomen illud, *Angelus*, officii nomen esse potiùs quàm substantiæ, quemadmodùm nempè ad Job alius post alium Angeli accurrunt, multiplices ei ærumnas annuntiantes, et insanabilium illarum calamitatum ministerio deputati[7]. Tale quid nobis de sanctis Angelis ipse quoque sapientissimus Paulus scribit in hunc modum : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis*[8]? Igitur beatus Baptista Joannes Domini voce Angelus nuncupatus est, cùm non esset Angelus naturâ, sed missus ad nuntiandum et clamandum : *Parate viam Domini.* Cæterùm utiliter admodùm à Deo missum esse nuntium confirmavit, ostendens firmissimum ejus esse testimonium. Nec enim is qui ad prædicandum à Deo missus erat, aliud quiddam protulit, quàm quòd à mittente jussus erat. Itaque verax est testis, qui sit à Deo edoctus; hoc enim significare arbitror illud, *Missus à Deo.* Nam et Paulus sapientissimus, dùm ait se missum per Jesum Christum[9], mysterii vim non ab alio didicisse confirmat, sed per revelationem ejus à quo missus est, missioni revelationem conjungens, et

[1] *Deut.* XIX, 15. — [2] *Isai.* XL, 3 ; *Matth.* III, 3 ; *Marc.* I, 3 et *Luc.* III, 4. — [3] I *Cor.* VIII, 6. — [4] *Ibid.* 5. — [5] *Joan.* VIII, 13. — [6] *Malach.* III, 1 et *Marc.* I, 2. — [7] *Job*, I, 14-19. — [8] *Hebr.* I, 14. — [9] *Galat.* I, 1.

[a] Hæc sententia procul dubio nitebatur sententiâ ipsâ Origenis de quâ quæstio est in Notâ *a* suprà, p. 539. Lege etiam num. 24, p. 545 et Notam *a* huic num. subjacentem.

hanc illâ subindicans. Igitur quòd missus est à Deo, sequitur à Deo edoctum esse. Cæterùm veritatis cultores à mendacio longè alienos esse nemo dubitat. *Erat autem nomen homini*, inquit, *Joannes*. Innotescere debebat is qui missus erat significatione quoque nominis, fidem et auctoritatem maximam dictis afferentis. Angelus enim Gabriel, is nimirùm qui adstat ante Deum, ut ipse ait [1], cùm Zachariæ filium ex Elisabeth suscipiendum annuntiaret, addidit : *Et Joannes erit nomen ejus* [2]. Constat autem apud omnes ità nuncupatum esse ab Angelo, divinâ voluntate ac jussu. At qui tanto honore est ornatus à Deo, quomodò non omni laude et commendatione major est? Quocircà utiliter ac necessariò mentio nominis facta est. Jàm verò cùm addiderit Evangelista missum esse in testimonium à Deo sanctum Baptistam, *ut omnes crederent per ipsum*, illud rursùm dicemus, si nos adversarii his verbis urgeant : Quidni omnes ei qui divinitùs missus erat crediderunt? Aut quomodò gravatus est nonnullos ad credendum adducere, qui ad id superno decreto fuerat assumptus? Non æquum est, ô quicumque vos estis, ullam in hoc Joanni culpam adscribere, sed incredulorum perversos ac præfractos mores decet incusare. Etenim quod ad præconis scopum et supernæ missionis rationem attinet, nemini doctrina defuit, vel fides; sed cùm varia sint auditorum ingenia, et unusquisque potestatem habeat suæ voluntatis, à rectâ ratione quidam aberrârunt, fide repudiatâ. Idcircò propheticum illud de iis usurpandum est : *Qui audit, audiat, et qui est inobediens, non obediat* [3].

24. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Emphasim habet illud, *Hic*, et virtutem atque personæ claritatem significat. Is enim *qui à Deo missus est*, inquit, qui universam Judæam cùm sanctitate vitæ, tùm pietatis incredibili splendore in admirationem suî rapuit, qui sanctorum Prophetarum oraculis prænuntiatus fuit, apud Isaiam quidem : *Vox clamantis in deserto* [4]; apud beatum verò Davidem : *Lucerna Christo præparata* nuncupatus [5], *hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Et lucem quidem hìc Deum Verbum nominat, unumque esse ostendit, et ipsammet lucem propriè existere, post quam alia nulla est naturâ, illuminandi vi præditam, et minimè luce indigentem. Itaque Dei Verbum alienum est, atque, ut ità dicamus, alterius generis à creaturâ, siquidem reapsè, et verè, ac propriè lux est, creatura autem lucis particeps. Qui autem in ordine creaturarum non est, atque idcircò diversi generis esse censetur ab illis, quomodò increatus non erit? Imò verò quomodò rationes omnes deitatis in se non habebit, et Patri non erit consubstantialis? *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Cùm, relictis urbibus, in solitudinem Baptista se recepisset, et inauditis pietatis laboribus se exerceret, atque humanæ justitiæ summum fastigium attigisset, admirationi meritò cunctis erat, adeòque ut nonnulli Christum putarent ipsum esse. Quocircà Judæorum principes ob singulares ejus virtutes in eam adducti sententiam, mittunt ad eum cum mandatis certos homines, qui rogarent utrùm Christus esset [6]. Cùm ergò beatus Evangelista varios de illo rumores sparsos non ignoraret, necessariò subjungit : *Non erat ille lux*, ut errorem evelleret, simulque ostenderet quantæ sit auctoritatis is qui à Deo in testimonium missus erat. Quî enim fieri potest, ut ille non præcellat, et omni admiratione dignus videatur, qui tantâ virtute præditus justitiâque sit conspicuus, ut ipsum Christum imitetur, et ob eximiam pietatis pulchritudinem ipsa demùm lux esse putetur? *Non erat* igitur *ille lux*, inquit, sed ad testimonium de lumine perhibendum missus. Cùm autem τὸ φῶς ait, articulo addito, unam lucem esse clarè ostendit, quod sanè verum est. Etenim beatum Baptistam, aut Sanctum quemlibet, lucem quoque meritò vocari non inficias ibimus, cùm de ipsis à Salvatore nostro dictum sit : *Vos estis lux mundi* [7]; et de Joanne Baptistâ : *Paravi lucernam Christo meo* [8]; item : *Ille erat lucerna ardens et lucens; vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus* [9]; verumtamen quamvis lux Sancti, et lucerna Baptista dicantur, non ignoramus tamen eos gratiam ac donum luminis accepisse. Neque enim lux propria est lucernæ, neque Sanctis illuminatio, sed veritatis illuminatione splendentes et conspicui facti sunt, et luminaria sunt in mundo, vitæ sermonem retinentes [10]. Vita autem cujus in se dicuntur habere sermonem, quænam alia esse potest, quàm Unigenitus certè ipse, qui de se ait : *Ego sum vita* [11]? Igitur una quidem est reapsè vera lux, illuminans, non illuminata; unius autem participatione quidquid lux dicitur, lux per imitationem illius esse censebitur.

25. *Erat lux vera*. Divinus Evangelista hìc utiliter retractat quod anteà dictum est. Clarè distinguit veram lucem, hoc est, Unigenitum, ab iis quæ non sunt istiusmodi, nimirùm creaturis. Distinguit apertè id quod est naturâ, ab eo quod per gratiam : quod participatur, ab eo quod participat : quod seipsum indigentibus largitur, ab iis quibus largitio fit. Quòd si lux vera est Filius, nulla ergò præter ipsum est vera lux : neque habent ex se creaturæ, ut possint esse et vocari lux, sed nec ex suâ naturâ fructum luminis umquàm ediderint; sed, quemad-

[1] *Luc*. I, 19. — [2] *Ibid*. 13 et 63. — [3] *Ezech*. III, 27. — [4] *Isai*. XL, 3. — [5] *Psalm*. CXXXI, 17. — [6] *Joan*. I, 19. — [7] *Matth*. V, 14. — [8] *Psalm*. CXXXI, 17. — [9] *Joan*. V, 35. — [10] *Philipp*. II, 15. — [11] *Joan*. XIV, 6.

modùm sunt ex nihilo, sic, cùm non sint lux, esse incipiunt[a], accepto veri splendore luminis, et participatione divinæ naturæ ad ejus imitationem illustratâ, simulque lux dicuntur et sunt. Et Dei quidem Verbum substantialiter lux est, non participatione per gratiam, neque adventitiam illam in se habens dignitatem aut adscititiam, ut gratiam, sed naturæ immutabilis fructum immutabilem, et inconcussum bonum ex Patre ad substantiæ Patris hæredem pertinens. Creatura verò neutiquàm eo modo lux erit : ut non habens accipit, illuminatur ut tenebræ, adscitam habet gratiam, et humanitate largientis, dignitatem. Igitur illud quidem est lux vera ; hæc verò non item. Tantum ergò discriminis et intervalli cùm sit inter creaturam ac Dei Filium, quantum naturâ inter se distant, quis non eos delirare jure existimet, ac prorsùs insanire, quicumque creatum ipsum dicunt, et in creaturarum ordine universi parentem et auctorem constituunt, non animadvertentes, ut reor, quò proruptum sit impietatis audax illud facinus, dùm neque quid dicant, neque de quibus affirment nesciunt[1]. Quòd enim diligentiùs veritatem dictorum nostrorum inquirentibus, manifestum futurum sit nullatenùs Unigenitum, hoc est, lucem veram, creatum aut factum, aut in universum ejusdem naturæ cum creaturâ existere, quivis nullo negotio videre undiquè poterit, sed ex sequentibus argumentis non minùs, quæ ad ampliorem rerum propositarum explicationem collegimus.

26. 1°. Si Filius, quia splendor gloriæ Dei ac Patris existit, idcircò vera lux est, non erit ejusdem naturæ cum creaturâ, ne creatura quoque splendor esse censeatur gloriæ ac Patris, id esse potis per naturam quod est Filius. Præthereà 2°. Si omnis creatura vera lux esse potest, quam ob causam istud de solo Filio dicitur? Necesse enim est æquali prorsùs ratione de creaturis dici, eas esse veram lucem. Atqui nulli creatæ rei convenit, sed de solâ Filii substantiâ dicitur. Propriè ergò ac verè de ipso dicetur, de creaturis non item. Quomodò igitur ejusdem erit naturæ cum creaturâ, ac non potiùs creaturam unà cum Patre superabit? Præthereà 3°. Si vera lux eadem non est atque lux non vera (diversa enim est quodammodò utriusque significatio), lux autem vera nuncupatus est Filius, et istiusmodi est secundùm naturam, creatura utiquè vera lux non erit : igitur neque ejusdem naturæ inter se ea quæ tantoperè dissident. Præthereà 4°. Si non solus Unigenitus vera lux est, sed creatura vera quoque lux esse potest, quam ob causam ipse *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Nam si à se id haberet quoque creata substantia, superfluum esset ipsam illuminari per Filium. At illuminat quidem ipse ; nos autem omnes ejus participes sumus. Non ergò idem sunt quoad substantiam Filius et creatura, sicuti neque id quod participat, idem est cum eo quod participatur. Præthereà 5°. Si non inest naturâ soli Filio ut sit vera lux, sed idipsum in creaturam quoque cadit, inanis, ut reor, erit Psalmista, dicens : *Accedite ad eum, et illuminamini*[2]. Quod enim vera lux est, numquàm sanè alterius participatione lux erit, neque alterius splendore collustrabitur; sed perfectum ex se potiùs, et naturâ suâ splendorem habiturum est. Atqui videmus hominem luce indigere, cùm naturæ sit creatæ. Et verum est quod canit Psalmista, tamquàm ad Dei Verbum : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas*[3]. Non ergò vera lux nos sumus, sed illuminantis Verbi potiùs participes, et diversi naturâ à verâ luce, Filio nimirùm. Præthereà 6°. Si mens hominis lucerna nuncupata est, juxta illud Psalmistæ : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine*, quomodò vera lux erimus? Adventitia enim et aliundè accepta lucernæ lux est. Quòd si tenebras nostras illuminat solus Unigenitus, quomodò non solus ipse vera lux erit, nos autem nequaquàm? Quòd si verum est, quomodò ejusdem naturæ demùm erit cum creaturâ, qui tanto intervallo eam superat? Præthereà 7°. Si creatura vera lux esse potest non secùs ac Filius, erit nempè lux vera homo, cùm sit pars illius. Quibusnam ergò per sanctos Prophetas promittebat Deus ac Pater, dicens : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*[4]? Quid enim, quæso, veræ luci illustrante Sole opus fuit? Atqui Deus ac Pater Solem se daturum promittebat nobis, qui eo indigebamus, eoque accepto illuminati sumus. Alius igitur à nobis et à creaturâ est quoad naturalem identitatem Unigenitus, cùm sit lux vera, et naturâ suâ illuminet ea quæ luce indigent. Præthereà 8°. Si Filius solus non est lux vera, sed in creaturam idipsum cadit, in nobis etiam erit. Quænam ergò ratio sanctos Patres induxit, ut ad Deum clamarent : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam*[5]? Quid verò utilitatis sibi fore putabant, dùm eas voces identidem repeterent? Nam si nôrant indigere luce hominem, et aliundè id ei accedere oportere, quomodò verè dicet aliquis ipsum esse quoque veram lucem? Quòd si nihil ei opus erat illuminante Verbo, cur frustrà vocabant ipsum à quo nihil juvari poterant? At dici non potest Sanctorum mentem deceptam fuisse, neque rursùs ipsum Deum ac Patrem hominibus tamquàm non luce indigis mittere Filium.

[1] I *Tim.* I, 7. — [2] *Psalm.* XXXIII, 6. — [3] *Id.* XVII, 29. — [4] *Malach.* IV, 2. — [5] *Psalm.* XLII, 3.

[a] Lector facilè videt hoc phrasis membrum sic legendum esse : « Sed, quemadmodùm sunt ex nihilo, esse incipiunt, sic, cùm « non sint lux accepto, *etc.* »

Alius igitur secundùm naturam est Unigenitus à creaturà, ut qui ea quæ luce indigent, illuminat. Præterea 9°. Si creaturam luce indigere videmus, eam autem Unigenitus illuminat, non se ipsam ad lucem agit creatura. Non ergò est lux vera, sicuti Filius. Prætereà 10°. Si naturalis et vera lux non obtenebratur, vera autem lux est Unigenitus, et similiter vera lux est creatura, quam ob rem de Filio quidem Scriptura dicit : *Tenebræ eam non comprehenderunt?* de nobis autem Paulus scribit : *In quibus deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium* [1]*?* et rursùs Salvator ipse : *Donec lucem habetis, ambulate in luce, ut non vos tenebræ comprehendant* [2]. Cunctis enim patet quòd, nisi quidam nostrûm tenebris involuti essent, nihil tale Salvator dixisset. Quomodò ergò naturâ idem sunt Unigenitus et creatura, immutabilis cum mutabili, impatibilis cum tenebris obsitâ, et quæ lucem amittere potest? Adscititiam itaque lucem habent, non naturâ sibi insitam. Prætereà 11°. Si Unigenitus lux vera solus non est, sed habet id quoque creatura, utpotè ejusdem cum ipso naturæ, quo pacto nos tamquàm ad Deum ac Patrem clamamus : *In lumine tuo videbimus lumen* [3]? Si enim sumus lux vera, quomodò illuminabimur in alio? Sin autem ut alieno lumine indigentes hæc dicimus, patebit utiquè nos verè lucem non esse : igitur neque ejusdem cum Verbo naturæ, quod nos tanto per naturam intervallo superat. Prætereà 12°. Dominus noster Jesus Christus in Evangelio reperitur dicens : *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem ; erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem* [4]. At si lux vera est Unigenitus, et lux vera similiter esse potest creatura, quomodò ille quidem venit illuminaturus eam, hæc autem tenebras dilexit? Aut quomodò, si lux vera est, ad lucem non venit? Nam quæ naturâ nonnullis insunt, naturam radicitùs infixam habent ; quæ autem à voluntate proficiscuntur, non tàm firma ac stabilia sunt. Exempli gratiâ : Nemo habet à voluntate ut sit homo rationis compos ; id enim habet à naturâ : habet tamen à voluntate quòd sit pravus, aut probus, et in ejus potestate est amplecti justum, aut contrà. Si ergò creatura lux est secundùm suam naturam, id est, vera, quomodò ad lucem non venit ; aut quomodò tenebras diligit, utpotè cùm naturâ lux vera esse nequeat, sed arbitrio suo ac voluntate modò in melius, modò in pejus feratur? Aut igitur adversarii supernaturales dotes in Filio naturaliter existere audacter negent, ut, cognitâ illorum blasphemià, ab omnibus audiant : *Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam* [5] *:* aut si fatentur supernaturalia bona ei substantialiter inesse, ne conjungant ei naturali unitate creaturam, quæ istiusmodi non est, ut anteà demonstravimus. Prætereà 13°. Si non solum Dei Verbum vera lux est, sed creatura prætereà sicut ipsum , quam ob causam ait : *Ego sum lux mundi* [6]*:* aut quomodò præclarissimâ dote spoliari sinemus creaturam, si fieri potest ut simus vera lux, utpotè cùm eam habeat quoque creata substantia? Quòd si verè loquitur Unigenitus, cùm ait : *Ego sum lux mundi*, relatione igitur ad ipsum creatura nec alio modo erit lux. Quòd si ità est, non est ejusdem cum ipso naturæ. Prætereà 14°. Si non solus secundùm veritatem lux est Filius, sed hæc etiam rebus creatis convenit, quid respondebimus Petro scribenti : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum* [7]*?* Quæ enim in nobis, quæso, sunt tenebræ, aut quibus in tenebris fuimus, cùm ipsi quoque lux simus secundùm naturam? Quonam autem modo revocati sumus ad lucem, qui non sumus in tenebris? At non fallitur præco veritatis, qui dicere ausus est : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus* [8]*?* Et vocati sumus ad lumen ejus admirabile, à tenebris utiquè, non contrà. Quòd si verum est, non est itaque creatura vera lux, sed solus propriè ac verè Filius; per participationem autem cum illo res creatæ : ideòque nec ejusdem naturæ cum ipso.

27. Ad hæc 15°. Psalmista : *Signatum est*, inquit, *super nos lumen vultûs tui, Domine* [9]. At qualis, obsecro, est vultus ille Dei ac Patris, cujus super nos signatum est lumen? Nùm Dei Filius unigenitus, illa per omnia similis imago, et qui proindè ait : *Qui vidit me, vidit et Patrem* [10]*?* Signatus est in nobis qui conformes nos sibi reddidit, et per suum Spiritum illuminationem impressit veluti divinam imaginem credentibus in ipsum, ut et ipsi nuncupentur ad ejus similitudinem dii, Deique filii. Sed si creata res sit vera illa lux, quomodò signata est in nobis? *Lux* quippè *in tenebris lucet*, ut scribit Joannes. Lux enim in luce quomodò conspicua fuerit? Item 16°. Psalmista : *Lux orta est justo*, inquit [11]. Si lucem habenti, et illâ non indigo, supervacua est; sin autem ut non habenti lux oritur, lux ergò solus est Unigenitus ; lucis autem creatura est particeps, atque idcircò alterius naturæ. Prætereà 17°. Psalmista canit : *Non enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos ; sed dextera tua, et brachium*

[1] II *Cor.* IV, 4. — [2] *Joan.* XII, 35. — [3] *Psalm.* XXXV, 10. — [4] *Joan.* III, 19 *et* 20. — [5] *Psalm.* XI, 4. — [6] *Joan.* VIII, 12. — [7] I *Petr.* II, 9. — [8] II *Cor.* XIII, 3. — [9] *Psalm.* IV, 7. — [10] *Joan.* XIV, 9. — [11] *Psalm.* XCVI, 11.

tuum, et illuminatio vultûs tui [1]. Illuminationem Dei ac Patris hîc rursùs nominat revelationem quæ à Filio est per Spiritum, et singularum rerum quasi manuductionem, à quo uno servati sunt Israelitæ, et Ægyptiorum tyrannide liberati. Si ergò non solus Unigenitus est lux vera, sed dignitas eadem est in creaturis, quidni proprio lumine servati sunt Israelitæ, sed accepto alieno nec necessario lumine? Atqui manifestum est Unigenitum ut luce indigentibus illuxisse : igitur ipse unus est lux vera ; eam autem ab ipso creatura consequitur per gratiam. Quòd si ità est, quomodò ejusdem erit cum ipso naturæ? Ad hæc 18°. Psalmista : *Beatus*, inquit, *populus qui scit jubilationem ! Domine, in lumine vultûs tui ambulabunt* [2]. Quidni potiùs ipsi in suo lumine ambulabunt? Aut cur, quæso, aliundè acceptâ illuminatione, sibi vix salutem conciliant, si reapsè vera sunt ipsi lux, non secùs ac ille Dei ac Patris vultus, hoc est, Filius? Atqui nemini dubium est Verbum creaturæ illuminationem largiri, ut indigenti, hanc autem, accepto eo quod non habet, salvari. Quomodò ergò idem erunt quoad substantiam Unigenitus, et quæ per ipsum facta sunt? Præthereà 19°. Psalmista : *Exortum est in tenebris lumen rectis,* inquit [3]. Quomodò enim, quæso te, erit rectus in tenebris, cùm sit etiam ipse lux vera, quandoquidem id habet quoque rerum creatarum natura, non secùs ac Unigenitus? Quòd si lumen rectis mittitur, tamquàm eà carentibus, non multis verbis nobis opus est ; ipsa quippè rerum natura clamabit non esse idem quoad substantiam cum perfecto id quod eget, neque cum indigo id quod affatìm largitur. Item 20°. *Illuminare, illuminare, Jerusalem ; venit enim lumen tuum, et gloria Domini super te orta est* [4]. At si à se lumen habet rerum creatarum natura, atque id propriè est, quod Unigenitum esse dicimus, nimirùm lux vera, quomodò luce indigebit Jerusalem à quâ illuminetur? Cùm autem gratiæ loco illuminationem accipiat, solus ergò vera lux est Filius qui Jerusalem illuminat, eique lucem quâ caret, impertit. Quòd si verum est, quî fieri potest ut non sit diversus ab ipsâ secundùm naturam. Item 21°. *Ecce dedi te in testamentum generis, in lucem Gentium* [5]. Quomodò enim, quæso, luce indiguit rationalis ac terrena creatura, siquidem lux vera est per naturam? Ei quippè Deus ac Pater, ceu non habenti, suum dat Filium. Quo ità suscepto, ipso facto prædicat et suæ naturæ penuriam, et illuminantis Verbi locupletissimam dignitatem. Item 22°. *Et nunc, domus Jacob, venite, ambulemus in luce Domini* [6]. Quidni suâ luce hi quoque ambulant, sed eos illustrat Unigenitus, proprium essentiæ suæ bonum ipsis inserens? At quicumque suo confidunt, alienum non quæritant. Istud ergò faciunt, quasi non habentes. Ad hæc 23°. Salvator : *Ego sum lux mundi*, inquit. *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ* [7]. Istiusmodi vocem creatura audacter emittat, si est ipsa quoque vera lux ; sin autem id proferre exhorrescat, res ipsa prædicabit veram lucem esse Filium. Prætereà 24°. *Donec lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis,* inquit Dominus [8]. Certè enim lucem amissuri erant si non crederent, qui lux sunt secundùm naturam, si fieri potest ut verum lumen sit creata substantia. At quomodò istud fieri umquàm posset? Privationes enim iis rebus quæ substantialiter insunt aliquibus, omninò ex pigritiâ non contingunt, sed in iis quarum possessio voluntate acquiritur, et quæcumque ità comparatæ sunt ut adesse et abesse queant absque subjecti interitu. Exempli gratiâ : Rationalis quidem est homo naturâ, fabricator navium voluntate, corpore æger ex accidenti. Fieri autem non potest ut ille sit irrationalis, hic autem fabricandarum navium artem amittet, pigritiâ nimirùm, et morbi casum depellet iste curatione. Itaque quæ substantialiter insunt aliquibus, radicitùs infixam habent naturam. Si ergò rerum creatarum natura vera lux esse potest, quomodò lucem amittunt, qui credere recusant, aut quomodò filii sunt lucis ii qui credunt? Nam si lux ipsi quoque sunt per naturam, suî ipsorum ergò filii vocabuntur. Quænam ergo merces erit credentibus? Sunt enim suî ipsorum potiùs filii, etiam fide non susceptâ. His ergò rationibus veritate discussâ, dicemus Unigenitum solum esse veram lucem, creaturam autem luce indigam, atque idcircò alterius naturæ. Ad hæc 25°. Joannes : *Qui dicit se in luce esse,* inquit, *et fratrem suum odit, in tenebris est usquè adhuc* [9]. A proposito igitur lux est in nobis, et voluntate potiùs quam substantiâ rebus creatis inest, si qui odit fratrem, in tenebris est. Lux autem secundùm substantiam est Unigenitus; non enim arbitrariam habet illam dignitatem. Igitur neque ejusdem est naturæ cum rebus creatis, qui tanto eas intervallo superat. Prætereà 26°. *Qui fratrem suum diligit, in luce manet* [10]. Charitas creaturis ea quæ non habent conciliat, lucem nimirùm. Lux autem est Unigenitus. Alius igitur est ab iis in quibus per charitatem est.

28. *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Rectè Theologus non solùm existimat asserendum Unigenitum veram esse lucem, sed dicta sua statim declarat, magnâ voce tantùm non clamans : Lucem illam esse dico veram, quæ *illuminat omnem hominem venientem in*

[1] *Psalm.* XLIII, 4. — [2] *Id.* LXXXVIII, 16. — [3] *Id.* CXI, 4. — [4] *Isai.* LX, 1. — [5] *Id.* XLII, 6. — [6] *Id.* II, 3. — [7] *Joan.* VIII, 12. — [8] *Id.* XII, 36. — [9] I *Joan.* II, 9. — [10] *Ibid.* 10.

hunc mundum. Nonne ergò, inquit forsan aliquis divina dogmata examinare solitus, Angeli hominum mentem illuminant? Cornelius, obsecro, à quonam didicit eum qui sit baptizatus, à Deo salvari[1]? Manue verò, ille Pater Gedeonis, numquid per vocem Angeli res futuras edoctus est[2]? Zacharias item Propheta, numquid apertè clamat : *Et dixit Angelus qui loquebatur in me : Ego tibi ostendam quid sint hæc*[3]? Rursùs iisdem repetitis, numquid clarè ostendit Angelos animo suo rerum occultarum cognitionem revelare? *Ecce enim*, inquit, *Angelus qui loquebatur in me, stabat, et alius Angelus egrediebatur in occursum ejus. Et dixit ad eum : Curre, et loquere adolescentulo illi, dicens : Frugifera habitabitur Jerusalem à multitudine hominum et jumentorum in medio ejus*[4]. Quid verò? Daniel ipse, cui admirabiles visiones oblatæ sunt, nonne earum revelationem Angelorum voce accepit? Audi enim loquentem ipsum : *Et factum est*, inquit, *cùm viderem ego Daniel visionem, et quærebam intelligentiam; et stetit in conspectu meo quasi species viri, et audivi vocem inter Ubal, et vocavit, et dixit : Gabriel, fac intelligere istum visionem*[5]. Igitur illuminare possunt Angeli ; neque verò ipsi tantùm, sed et homo hominem illuminat. Quocircà discendi studiosus ille Eunuchus, cùm Salvatoris prophetias non intelligeret, Philippum compellat : *Obsecro te, de quo Propheta dicit hæc? de se, an de alio aliquo*[6]? Doctores item et magistri rerum vitæ utilium, non aliam ob causam quàm ob istam, suî copiam faciunt. Sed cur in his immoramur, cùm ad hoc probandum Salvatoris auctoritate liceat uti, qui suis Apostolis ait : *Vos estis lux mundi*[7]. Talia quidem, ut videtur, dubitando quæret aliquis ; sed à nobis vicissìm audit : Nihil, ô quisquis es, in creaturis reperitur simplex, aut compositionis expers : igitur quicumque alium erudire potest ad sapientiam, si creatus est, non est ipsamet sapientia, sed sapientiæ quâ præditus est minister ; in sapientiâ enim sapiens est sapiens, et qui prudentiam edocet, non est ipsamet prudentia, sed prudentiæ quâ præditus est minister; in prudentiâ quippè sunt prudentes : sic quicumque alios illuminare potest, non est ipsa propriè lux, sed lucis quâ præditus est, commodator, dùm aliis infundit, docendoque communicat quod accepit bonum ; proindèque dictum est etiam sanctis Apostolis : *Gratis accepistis, gratis date*[8]. Quidquid enim bonorum habebant, illud divinitùs consecuti erant. Neque verò natura hominum in universum propriis bonis gloriari potest, sed ne ipsa quidem sanctorum Angelorum natura. Nam præterquàm quod ad esse producta sunt omnia, unumquodque existendi modum habet à Deo, nec in iis quidquam substantialiter esse putabimus, quod à benignitate Creatoris non proficiscatur, et Opificis gratiæ radicitùs innitatur. Itaque cùm res creatæ compositæ sint, lux quidem inter eas nihil propriè ac simpliciter erit, aut citra compositionem, sed per participationem istud etiam cum cæteris à Deo suscipiet. Lux autem vera est quæ illuminat, non quæ illuminatur ab alio, cujusmodi est Unigenitus, qui in simplici et incompositâ naturâ esse intelligitur, cùm in Deum nulla cadere possit compositio. Atque hæc ità se quidem habent ; sed rursùm nobis forsan objiciet adversarius :

29. Si Sancti lux non sunt secundùm naturam, quam ob causam non lucis participes, sed lucem eos Salvator nuncupavit ? Aut quomodò alterius erit ab ipso naturæ creatura, si, quemadmodùm ipse lux nuncupatus est, ità etiam homines lux appellati sunt? *Vos* enim *estis lux mundi*, discipuli audierunt. Cui sic respondemus : Cur ergò, bone vir, dii Deique filii apud Scripturas divinas nuncupati sumus, juxta illud : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes*[9]? An igitur desinentes esse naturâ id quod sumus, ad divinam et ineffabilem substantiam evehemur, et Verbum Dei negantes esse verè Filium, illius loco Patri assidebimus, et gratiam quâ nos ornat, impietatis materiam faciemus? Absit! Sed in suis bonis immutabiliter manet Dei Filius ; nos autem adoptione filii sumus, et dii per gratiam, non ignorantes id quod sumus, et hoc pacto quoque Sanctos lucem esse credimus. Sed illud animadvertendum insuper existimo : Creaturæ rationis compotes, accepto lumine, illuminant communicatione doctrinarum quas ex suâ mente in aliorum mentem infundunt, quæ illuminatio doctrina jure potiùs appellanda est quàm revelatio; sed Dei Verbum *illuminat omnem hominem venientem in mundum*, non docendo sicuti Angeli, verbi gratiâ, vel homines ; sed potiùs ut Deus, creando, unicuique rei in ortum eductæ, sapientiæ sive cognitionis divinæ semen indit, et intelligentiæ radicem inserit, atque ità rationale animal efficit, naturæ illud suæ particeps reddens, et ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores ejus animo immittens, eâ ratione ac modo quo ipse novit ; nihil enim supervacaneum hîc afferendum puto. Quocircà auctor ille nostri generis Adam, non in tempore, sicuti nos, sapientiam videtur esse consecutus, sed à primo statim ortùs sui initio perfectâ intelligentiâ præditus cernitur, dùm acceptam divinitùs illuminationem illibatam in seipso conservaret, et integram naturæ suæ retineret dignita-

[1] *Act.* X, 47 *et* 48. — [2] *Judic.* XIII, 13 *et* 14. — [3] *Zach.* I, 9. — [4] *Id.* II, 3 *et* 4. — [5] *Dan.* VIII, 15 *et* 16. — [6] *Act.* VIII, 34. — [7] *Matth.* V, 14. — [8] *Id.* X, 8. — [9] *Psalm.* LXXXI, 6.

tem. Illuminat igitur, ut opifex quidem, Filius, maximè cùm sit ipse lux illa vera; creatura autem participatione cum luce, illuminatur, et idcircò lux dicitur et est, ad res supernaturales evecta, glorificantis Dei, et variis ipsam coronantis honoribus gratiâ, adeò ut quotquot hunc honorem accepimus, meritò in medium prodire, et magnâ voce gratias agentes gratulatorio carmine dicere debeamus : *Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qi propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam , qui coronat te in misericordiâ et miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum* [1]. Facit enim profectò misericordias Dominus, qui res parvas atque abjectas, si naturæ cujusque ratio spectetur, magnas atque mirabiles efficit suâ erga ipsas bonitate ; quippè qui suis nos cumulare donis voluit, ut Deus, atque idcircò deos et lucem appellavit, aliisque ejusmodi bonorum nominibus ornavit. Addit Theologus nec frustrà : *In mundo erat*, necessariam hinc nobis contemplationem inferens. Cùm enim dixerit : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, nec auditoribus admodùm pateret utrùm intelligendum esset, *hominem venientem in hunc mundum lux illuminat*, an lux vera alio quodam ex loco veniens in hunc mundum, necessariò nobis Joannes veritatem exponit, et suorum verborum vim et sensum interpretatur, illicò subjiciens de luce : *In mundo erat*, ut illud demùm, *venientem in hunc mundum*, intelligatur de homine, et de naturâ illuminatâ prædicetur, utpotè quæ ex nihilo ad esse vocatur. Locum enim veluti quemdam creaturarum animo concipimus, nimirùm aliquandò non esse, undè ad esse quodammodò prodeuntes, alium tandem locum in existentiâ capiunt. Accommodatiùs ergò atque decentiùs de naturâ hominum dici potest, primis statim temporibus illuminari, et unà cum ipso esse, vim etiam intelligendi ab eâ quæ in mundo est luce, nimirùm Unigenito, suscipere, qui ineffabili deitatis virtute cuncta replet, et est quidem cum Angelis in cœlo, in terris cum hominibus, nihilque ejus deitate vacuum est, ne ipsis quidem inferis exceptis, et ubique cuncta immeans, à nullo abest, adeò ut vehementer id sapientissimus Psalmista miratus, dicat : *Quò ibo à spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculò, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* [2]. Omnem enim locum et omnem creaturam divina manus complectitur, continens et conservans in suo esse res creatas, et vitam infundens iis quæ vitâ carent, et intelligentiæ capacibus intellectualem lucem inferens. Non est autem in loco, sicut anteà diximus, nec in eum cadit motus localis (id enim proprium est corporum); sed omnia potiùs implet, ut Deus.

30. Sed ad hæc forsan dicet aliquis : Quid ergò responsuri sumus, ô bone, si quis loquentem Christum nobis in medium afferat : *Ego lux in mundum veni* [3]. Quid verò, cùm Psalmista clamat : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* [4]? Ecce enim ipse hîc apertè ait se in mundum venisse, ut qui non esset in ipso nimirùm. Mitti autem rursùm David rogabat eum, qui nondùm aderat, ut constat ex loquendi formulâ, et ipsâ missionis ad nos significatione. Ad hæc respondemus Theologum Unigenito dignitatem Deo convenientem tribuere, dùm ait in mundo ipsum semper existere, ut vitam per naturam, ut lucem secundùm substantiam, perficientem creaturam, ut Deum, non loco circumscriptum, non spatiis definitum, non quantitate coercitum, non ab ullo, ut verbo dicam, comprehensum, neque cui ex uno loco in alium incumbat migrandi necessitas, sed qui præsens sit omnibus, nec ab ullo absit. Se autem in mundum venisse, quamvis præsens sit in eo, confirmavit ratione Incarnationis : *Visus enim est in terrâ, et cum hominibus conversatus est* [5], cum carne videlicet, manifestiorem nobis suam præsentiam hoc pacto efficiens ; et qui quondàm solo intellectu comprehendi poterat, ipsis quoque nunc corporis oculis perceptus, crassiorem, ut ità dicam, cognitionis divinæ sensum nobis intulit, dùm per miracula et prodigia nobis est agnitus. Nec aliâ ratione, ut existimo, mitti ad nos Dei Verbum mundum hunc illuminaturum Psalmista rogabat. Illud insuper animadvertendum existimo, nimirùm, quòd omni sermone mens penetrabilior est, et mentis motus linguâ acutior. Igitur, mentis subtilitate et acumine variam quidem naturæ divinæ pulchritudinem contemplamur, sed de ipsâ humano modo et nostro more loquimur, cùm illius veritatis cacumen assequi lingua non possit. Ideòque Paulus, ille mysteriorum Servatoris dispensator, sermonem petebat à Deo ad aperiendum os suum [6]. Nihil ergò naturali Unigeniti dignitati detrahet nostræ orationis inopia, sed omnia de ipso pro eo ac Deum decet, intelligentur ; quæ verò necesse est eloqui, ea humano more dicentur, cùm ab ipso propter nos, tùm à Sanctis de ipso, pro modulo naturæ nostræ.

31. Sufficerent quidem, ea quæ hactenùs dixi-

[1] *Psalm.* CII, 2-5. — [2] *Id.* CXXXVIII, 7-10. — [3] *Joan.* XII, 46. — [4] *Psalm.* XLII, 3. — [5] *Baruch*, III, 38. — [6] *Ephes.* VI, 19.

mus, ad rerum propositarum explicationem ; sed, quoniam decere arbitror ut desidiam vincat calamus divinis dogmatibus inserviens, agedùm, ipsam lectionem accuratiùs perpendamus, quomodò nimirùm convenienter intelligatur de homine illud, *Venientem in hunc mundum;* in ipso enim erat, sicut ipse quoque nobis testatus est Evangelista; neque *venientem in hunc mundum* ad lucem referimus, sed ad hominem qui illuminatur. Aiunt ergò nonnulli, ex corde suo eructantes et non ex ore Domini, sicuti scriptum est [1], antequàm corpora conderentur, in cœlo fuisse hominum animas, longo tempore in incorporeâ felicitate constitutas, et vero bono puriùs fruentes ; sed melioris sortis satietate ac deterioris cupiditate, ad præposteras cogitationes et cupiditates esse delapsas ; indignatum jure Opificem, eas quidem in mundum mittere, et corporibus implicitas, et ad ferendum onus coactas, ac velut in speluncâ quâdam vehementium cupiditatum inclusas, ipso experimento eas docere, quàm acerbum sit in pejus deflectere, et rectum nihili facere [a]. Ad adstruendum verò tàm ridiculum suum commentum, primùm omnem locum hunc Evangelistæ arripiunt : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* : deindè alia quædam ex Scripturâ divinâ, cujusmodi est illud : *Priusquàm humiliarer, ego deliqui* [2]. Nec illos suæ pudet nugacitatis, dùm aiunt : Ecce antequàm humiliaretur, id est, antequàm corpore includeretur, se deliquisse fatetur anima, atque idcircò meritò se humiliatam esse, mortis et corruptionis vinculis illigatam, quemadmodùm Paulus ipse quoque corpus nominat dicens : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* [3]? Quòd si anima peccat, inquiunt, antequàm humilietur, etiam venit in mundum, nempè cùm priùs existat; quomodò enim, quæso, peccaret id quod nondùm existit? Venit autem in mundum, sed aliquibus ex locis videlicet profecta. Istiusmodi nugas adversùs Ecclesiæ dogmata, et vanas fabulas simpliciorum auribus ingerentes, jure audient : *Væ qui prophetant de corde suo, et prorsùs non vident* [4]. Visiones autem reverà, et divinationes, ac prophetias cordis sui Spiritûs sermonibus opponentes, non sentiunt quantam in absurditatem sua consilia properent, Psalmistâ ad Deum dicente : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi? Ex tunc ira tua* [5]? Quòd autem absurdissimum sit putare animam ante corpus existere, et ob præcedentia peccata in terrena corpora ipsam demitti, ex subjunctis argumentis, quantùm in nobis est, demonstrare conabimur, scientes quod scriptum est : *Da sapienti occasionem, et sapientior erit: manifesta justo, et insuper accipiet* [6].

32. 1°. Si anima hominis ante fabricationem corporis existebat, sed in vitium delapsa, ut quidam suspicantur, pœnæ loco in corpus detrusa est, quomodò, quæso, Evangelista ipsam in hunc mundum venientem illuminari dicit? Honor enim istud est, opinor, et illustrium gratiarum accessio. Sed nemo plectitur dùm honoratur, neque punitur cùm divinorum bonorum fit particeps, sed cùm in punientis iram incurrit. Cùm autem homo veniens in hunc mundum minimè puniatur, sed contrà potiùs illuminetur, patet utiquè pœnæ loco ei non esse corporationem, qui in carne honoratur. Præthreà 2°. Si ante corpus anima mens erat pura, in felicitate degens, sed conversione in vitium delapsa est, atque idcircò innexa est carni, quomodò veniens in hunc mundum illuminatur? Necessariò enim dicendum est ipsam lucis expertem esse, antequàm veniat. Quod si ità est, quomodò pura mens erat, quæ vix tùm primùm illuminari incipit, cùm venit in mundum, idque non absque carne? Præthreà 3°. Si ante corpus anima hominis exstitit, et proindè mens pura erat bonorum cupiditati propiùs conjuncta, sed conversione in vitium terreno corpori impacta est, et in eo existens peccare non vult ampliùs, quomodò non ei fit injuria, quæ tùm maximè id facere jussa non sit, cùm ad virtutem erat expeditior, nondùm malis corporis illigata, sed intempestivè id præstare cogitur, cùm est inquinata peccato? Atqui Deus nihil intempestivè jubet, neque injuriam facit, is qui naturâ suâ nocere nequit. Opportunè igitur et justè à nobis exigit ut in hâc carne non peccemus, cùm existendi tempus istud solùm habemus, quo in hunc mundum venimus, illud priùs non esse, ceu locum quemdam relinquentes, et ex ipso quasi præexistentiæ principium mutantes. Ad hæc 4°. Libenter ab eis quærerem, quî consentaneum sit, animam quæ ante corpora peccavit, in corpus detrudi, ut experimento ipso discat cupiditatum suarum turpitudinem. Hæc enim docere non verentur. Atqui ab ipso malorum aspectu avellenda potiùs esset, quàm in ipsum turpissimarum voluptatum profundum detrudenda. Illud enim remedii genus est potiùs quàm istud. Si ergò ut corporeis voluptatibus immergatur, malorum accessionem habet, quòd in corpus detruditur, nemo laudaverit medicum, qui ægrum adjutum iri putat per ea ipsa quibus ei nocet ; sin autem ut peccandi finem faciat, quomodò in ipsum cupiditatis delapsa profundum emergere potuit, ac non potiùs ipsum morbi initium depulit, cùm nihil adhuc esset quo ad

[1] *Ezech.* XIII, 17. — [2] *Psalm.* CXVIII, 67. — [3] *Rom.* VII, 24. — [4] *Jerem.* XXIII, 16. — [5] *Psalm.* LXXV, 8. — [6] *Prov.* IX, 9.

[a] Vide suprà Notam *a*, initio col. 1, p. 497.

peccandum pertraheretur? Prætereà 5°. Si ante corpus existens anima peccavit, ut illi volunt, ideòque impacta est carni et sanguini, loco pœnæ id accipiens, quomodò non oporteat credentes in Christum, et idcircò peccati remissionem consecutos, illicò de corporibus exire, et sarcinam istam pœnæ loco impositam excutere? Quomodò enim, quæso, perfectam peccati remissionem consecuta est anima hominis, si pœnæ adhuc tenetur obnoxius? At videmus tantùm abesse ut fideles corporibus liberari velint, ut cum fidei Christi confessione carnis resurrectionem conjungant [a]. Non erit ergò pœnæ loco id quod fidei quoque confessione honoratur, et ad Salvatoris omnipotentiæ testimonium affertur, ex eo quòd sic ad vitam redierit. Præterea 6°. Si ante corpus existens anima peccavit, ut illi volunt, et idcircò innexa est carni, quam ob causam Lex graviora quidem peccata morte plecti, innocentem verò vivere permittit? Præstaret quippè permittere turpissimorum criminum reos diù in corporibus hærere, ut hoc pacto graviùs punirentur, innocentes verò corporibus exsolvi, si pœnæ loco inclusæ sunt in corporibus animæ. Sed contrà, morte quidem punitur homicida, justus autem corpore nihil patitur. Non est igitur supplicii loco inclusa corpori anima. Præterea 7°. Si ob præcedentia peccata animæ corporibus inclusæ sunt, et ad eas puniendas excogitata est corporis natura, quomodò nos juvit Salvator destructâ morte? Imò verò nonne potiùs nostrî mors miserta est, supplicium nostrum abolendo, ac iræ in nos intentatæ finem imponendo? Quocircà morti gratias agere nemo non magis consentaneum esse dixerit, quàm ei qui per resurrectionem à mortuis nobis supplicium imponit. Atqui Deo gratias agimus, quòd à morte et corruptione per Christum liberati simus. Non ergò ad supplicium datum est corpus animæ. Accedit 8°. Si ut præcedentium peccatorum pœnas luant, hominum animæ terrenis corporibus immersæ sunt, quam, quæso, gratiam habebimus Deo, resurrectionem nobis pollicenti? Renovatio enim supplicium esse videtur, et mali instauratio. Et si nemini non acerbum est longo tempore pœnâ affici, utiquè grave est excitare corpora, quæ miseris animabus pœnæ loco sint. Atqui naturæ instar singularis alicujus doni data est à Christo resurrectio, quo ad felicitatem renovatur. Non ergò ad pœnam animæ data sunt corpora. Prætereà 9°. Magnam veluti quamdam et optatissimam celebritatem nobis Propheta annuntiare videtur : *Resurgent enim mortui, et expergiscentur, qui sunt in monumentis*, inquit [1]. At si miseræ hominum animæ corporibus ad pœnam includerentur, quomodò non potiùs ista divinitùs prædicando mœstitiam nobis inferret Propheta? Aut quomodò, quæso, læta erit illa prædicatio, quæ malorum nobis perpetuitatem statuit? Dicere enim potiùs debebat, si homines ob peccata corporibus inclusos exhilarare vellet : Non resurgent mortui, sed ipsa quoque natura carnis interibit. Contrà verò lætos homines reddit, dùm resurrectionem corporum Dei voluntate futuram ait. Quomodò ergò supplicii loco futurum est corpus, ut temerè quidam asserunt, in quo et nos oblectamur, et Deus? Præterea 10°. Cùm beatum Abraham Deus benediceret, semen ejus simile fore innumerabili astrorum multitudini promisit [2]. Quòd si verum est animam, nondùm suscepto corpore, peccàsse, ideòque in terram et carnem ad supplicium esse detrusam, ignobilem damnatorum turbam à virtute abhorrentium justo Deus pollicetur, non autem semen benedictionis particeps. Atqui Deus benedicturus Abraham istud ait. Igitur corporum ortus omni reprehensione caret. Præterea 11°. Israelitarum genus in magnam et innumerabilem multitudinem propagabatur. Quod cùm sacrorum ille Antistes Moyses vehementer miraretur, eos votis prosequitur, dicens : *Et ecce estis hodiè velut astra cœli multitudine. Dominus Deus patrum vestrorum adjiciat vobis, sicut estis, milliès* [3]. At si corporibus ad pœnam includerentur animæ, idque necessitate quâdam, imprecatio reverà esset, non votum, illa Moysis oratio. Atqui res ità non est, sed facta est à Moyse benedictio. Non ergò ad pœnam corporibus immersæ sunt animæ. Præterea 12°. Malè petentibus Deus non annuit : cujus rei locuples testis nobis erit Salvatoris discipulus : *Petitis*, inquit, *et non accipitis, eo quòd malè petatis* [4]. Si ergò ad pœnam corporibus animæ mancipantur, quomodò Anna, Phanuelis filia [b], inquiet aliquis, non vehementer errabat, cùm tàm enixè filium sibi à Deo peteret [5]? Animam quippè deorsùm pelli, et in corpus detrudi poscebat. At quomodò, quæso, filium ipsi Deus beatum Samuelem tradidit, siquidem peccàsse priùs animam oportebat, ut implexa corpori mulieris votum impleret? Atqui Deus tradidit, qui nonnisi bona dare potest, cùmque id prompto animo ipsi annuerit, votum ejus ab omni calumniâ liberat. Non igitur ob admissum peccatum corporibus anima includitur, neque id ei ad pœnam datum, ut volunt nonnulli. Præterea 13°. Si corpus animæ hominis ad pœnam datum est, quid Ezechiam adegit, illum Jerosolymorum regem sapientem ac

[1] *Isai.* XXVI, 19. — [2] *Gen.* XV, 5. — [3] *Deut.* I, 10 et 11. — [4] *Jacob*, IV, 3. — [5] I *Reg.* I, 11.

[a] Ad cognoscendam veram de resurrectione mortuorum Origenis sententiam, lege Quæstionem nonam, quæ de eà tractat, Libri 2 Origenian., Tom. 4 Operum Origenis, edit. Delarue, p. 209.

[b] Hic est lapsus memoriæ, confusâ Annâ Prophetissâ, filiâ Phanuelis, cum Annâ, uxore Elcanæ et matre Samuelis.

bonum, ut non sine acerbis lacrymis corporis mortem deprecaretur, nec illo supplicio vellet exsolvi, sed annorum accessione corpus suum honorari peteret [1], cùm alioqui longè satius esset, si verum est corpore plecti animam, non mortem deprecari, sed grave et molestum ducere animam cum corpore conjungi, et ob ejus dissolutionem gratias agere potiùs quàm ob vitam? Quomodò verò singularis beneficii loco promittebat illi Deus, dicens : *Ecce addam ad dies tuos quinque et decem annos* [2], cùm illa promissio supplicii prorogatio esset, non beneficium, si verum illi docent? At verò supernum donum et gratia erat illa promissio et annorum prorogatio. Non ergò ad supplicium corpus donatur animæ. Præthereà 14°. Si ad pœnam datum est corpus animæ, quam gratiam Deus retribuit Eunucho illi, qui Jeremiam eduxit de lacu, dicens : *Et dabo animam tuam in rem inventam, et servabo te à Chaldæis* [3]? Satius enim fuisset illum mori sinere, ut hoc pacto eum honoraret, vinculis et pœnâ corporis solutum. Quam autem, quæso, Israelitis adolescentibus gratiam contulit, dùm eos à flammâ servavit et immanitate Babyloniorum [4]? Quam ob causam Danielem à crudelitate leonum eripuit [5]? At verò beneficia ista sunt, pro quibus illum etiam hymnis, et laudibus prosequimur. Non ergò ad pœnam animæ corpus est traditum, ne idem sit apud Deum præmium et pœna. Præthereà 15°. Eorum quæ quisque in vitâ patrârit, aliquandò disquisitionem fore apud Dei tribunal Paulus edocens, ait : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* [6]. Si verò pro solis corporis operibus punitur aliquis, aut pro eo ac decet honoratur, nulla autem præcedentium peccatorum mentio futura est, nec in ea quæ ante corpus gesta sunt inquiretur, quomodò ergò ante corpus fuit anima, aut quomodò depressa est ob peccatum, ut nonnulli volunt, cui tempus tantummodò illud cum carne præscribitur, ex eo quòd ea solummodò quæruntur, quæ per carnem admisit? Præthereà 16°. Si ob præterita peccata corporibus addictæ sunt animæ, quomodò Paulus nobis scribit: *Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* [7]? Si enim ad pœnam data sunt corpora miseris animabus, quomodò in odorem suavitatis ea Deo exhibebimus? Aut quo pacto gratum et acceptum erit illud, per quod damnati sumus? Aut quam virtutis rationem habiturum est, id quod pœnæ et supplicio nobis est, et cui radix est peccatum? Præthereà 17°. Corruptionem per universam hominis naturam extensam ob transgressionem in Adam Paulus ostendens, ait : *Sed regnavit mors ab Adam usquè ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt, in similitudinem prævaricationis Adæ* [8]. Quomodò igitur ait mortem etiam in eos regnare qui non peccaverunt, si ex præteritis peccatis mortale nobis corpus datum est? Ubi enim gentium, quæso, sunt illi qui non peccaverunt, si peccatorum pœna est animæ cum corpore conjunctio, et sarcinam corporis in hâc vitâ gestare, præcedentis pœna est peccati? Inepta est igitur adversariorum propositio. Præthereà 18°. Discipuli Christum interrogârunt aliquandò de cæco quodam à nativitate, his verbis : *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur* [9]? Cùm enim scriptum sit in Prophetarum libris de Deo, ipsum retribuere peccata patrum in filios [10], istud accidere homini discipuli suspicabantur. Quid ergò ad hæc Christus? *Amen, dico vobis, neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei illo* [11]. Quomodò igitur peccati expertes illos ait, quamvis in vitâ reprehensione non carerent? Nam homines cùm essent, obnoxii utiquè peccatis erant. Atqui manifestum est Domini verba intelligenda esse de tempore quod nativitatem præcessit, quo cùm nondùm essent, ità neque peccaverunt, ut vera quoque Christi sit oratio. Præthereà 19°. Beatus Propheta Isaias, causam ob quam terra facta sit, exponens : *Non frustrà*, inquit, *fecit eam, sed ut habitaretur* [12]. Habitanda autem erat, non nudis plena spiritibus, sed neque incorporeis et simplicibus animabus, sed corporibus, quæ mutuâ successione illâ uterentur. Voluntas itaque divina omnibus peccandi causa erat, ut et corporum natura existeret, et sic terra demùm non frustrà facta esse videretur. Sed hoc absurdum. Præstat igitur contrarium. Præthereà 20°. Omnium Artifex, Sapientia de seipsâ in libro Proverbiorum alicubi ait : *Ego eram cui adgaudebat* (universi nimirùm Opifex). *Quotidiè autem lætabar coram eo omni tempore, cùm lætaretur orbe perfecto, in filiis hominum* [13]. Cùm ergò, perfecto terrarum orbe, hominis fabricatione Deus valdè læletur, quomodò non erit ille dementissimus, qui peccatis corpore prioribus obnoxiam animam esse dicet, eoque nomine in corpus detrusam scelerum suorum pœnas luere? Numquid enim carceris potiùs quàm orbis opifex erit Deus, et reorum supplicio temerè triumphabit? At quomodò bonus sit, qui rebus tàm à ratione alienis oblectetur? Atqui bonus est Deus, ac proindè bonorum auctor. Non ergò ad pœnam datum est corpus animæ. Præthereà 21°. Si criminum ante nativitatem admissorum pœnas luit hominis anima dùm illigatur corpori, et corpus ei ad supplicium datum est, quam ob causam illatum est

[1] IV *Reg.* XX, 3. — [2] *Ibid.* 6. — [3] *Jerem.* XXXIX, 18. — [4] *Dan.* III, 23 *et* 24. — [5] *Id.* XIV, 39. — [6] II *Cor.* V, 10. — [7] *Rom.* XII, 1. — [8] *Id.* V, 14. — [9] *Joan.* IX, 2. — [10] *Exod.* XX, 5. — [11] *Joan.* IX, 3. — [12] *Isai.* XLV, 18. — [13] *Prov.* VIII, 30 *et* 31.

mundo impiorum diluvium, et justus Noe servatus est, atque hoc à Deo fidei suæ præmium retulit [1]? Numquid enim satius erat summæ impietatis reos diutiùs in corpore hærere, ut graviùs punirentur; bonos autem carnis vinculis exsolvi, et suæ erga Deum pietatis hanc referre mercedem, ut quamprimùm ex eis discederent? At opinor universi Opificem, justus cùm sit, quod jus et æquum est, in unumquemque decernere; atque idcircò morte corporeâ sontes punire, et contrà vitâ corporis justos exhilarare. Non ergò data sunt hominum animabus ad pœnam corpora, ne injustus Deus videatur, gratiâ impium puniendo, et contrà justum pœnâ honorando. Præthereà 22°. Si præteritorum peccatorum pœnas datura, in carnem et corpus anima descendit, quomodò Salvator Lazarum quem amabat, excitavit, et vinculis semel solutum, rursùs ad ea redire coegit [2]? Atqui ad ejus utilitatem id fecit Christus, eumque ut amicum honoravit, excitando à mortuis. Inanis ergò est adversariorum propositio. Præthereà 23°. Si, quemadmodùm illi nugatores aiunt, pœnæ loco datum est corpus animæ, idque supplicium ob præteritum ejus peccatum excogitatum est, peccatum humanorum corporum naturam invexit. Sed et per peccatum mors rursùs ingressa est in mundum [3]. Ipsum ergò peccatum armatum in sese videtur esse, posterioribus priora solvens, et satanas in seipsum propthereà divisus est: *quomodò ergò stabit regnum ejus*, juxta Salvatoris dictum [4]? Atqui hoc incredibile cogitatu est. Verum ergò contrarium. Præthereà 24°. Omnia creavit Deus in incorruptione, *et mortem* quidem *non fecit* ipse [5]; sed *invidiâ diaboli mors intravit in mundum* [6]. Sed si verum est corpus datum esse ad pœnam hominis animæ, quam ob causam, quæso, diaboli culpabimus invidiam, qui finem nobis affert humanorum malorum, et corpus delet, quod supplicii loco nobis est? Quas ob res verò Salvatori, quæso, gratias agemus, nos per resurrectionem rursùs corporibus illiganti? At verò gratias agimus, et naturam læsit invidia diaboli, corruptionem conciliando corporibus. Non ergò supplicium est corpus, sed neque veteris nostri peccati auctoramentum [a].

33. *Et mundus per ipsum factus est.* Per lucem veram, hoc est, per Unigenitum factum esse mundum, hìc Evangelista necessariò innuit. Etsi enim ipsum Verbum initio præsertim nuncupârit, omniaque per ipsum facta esse, et sine ipso creatum esse nihil asseruerit, atque ità factorem et opificem esse ostenderit, necessarium tamen erat istud ipsum rursùs quoque hìc repetere, ne hæreticis qui divinorum dogmatum pervertere solent rectam rationem, relinqueretur locus perditionis et erroris. Nam cùm dixerit de luce, quòd in mundo erat, ne quis in absurdas sententias dictum pertrahens, unam partium hujus mundi lucem illam suspicari posset, cujusmodi sol, luna, stellæ, verbi gratiâ, in mundo quidem sunt, sed tamquàm partes mundi, ac velut unius membra corporis, utiliter ac necessariò Evangelista rerum statim auctorem ac totius mundi opificem infert Unigenitum, his verbis nos rursùs confirmans, et quasi manu ducens ad certam et rectam veritatis comprehensionem. Quis enim adeò rudis ac stupidus erit ingenio, ut non planè diversum à mundo existimet eum, per quem factus esse dicitur, et partes suas creaturæ tribuat, opificem autem ratione separet, et divinam ejus naturam imaginetur esse? Aliud enim oportet esse naturâ opus à factore, ne videatur idem esse, quod facit, cum eo quod efficitur. Si enim idem esse censeatur, nullo quoad essentiæ modum intercedente discrimine, evehetur quidem id quod factum est ad facientis naturam, et in creaturarum naturam Creator descendet; neque jàm solus rerum auctor ac parens erit, sed istud ipsum quoque rebus creatis inesse potentiâ comperietur, si nulla planè ratio

[1] *Gen.* VII, 1 *et* 10. — [2] *Joan.* XI, 43 *et* 44. — [3] *Rom.* V, 12. — [4] *Matth.* XII, 26. — [5] *Sap.* I, 13. — [6] *Id.* II, 24.

[a] Tres Canones sequentes quintæ Synodi generalis (Constantinopolitani secundi) ostendunt quid sentire debeat Catholicus circa errorem non solùm Origenis, sed etiam Evagrii ac Didymi, à Cyrillo expositum et impugnatum in numeris suprà cusis 31 et 32.

Primus Canon. Si quis fabulosam animarum præexistentiam, et quæ ex illâ consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, anathema sit.

Secundus Canon. Si quis dixerit omnium rationalium productionem fuisse mentes corporis et materiæ expertes, absque ullo numero et nomine, adeò ut eorum omnium fuerit unitas identitate substantiæ, potentiæ ac virtutis, atque unione et cognitione erga Deum Verbum; satietatem autem illas cepisse divinæ contemplationis, et [a] in deterius conversas esse, pro eo ac unaquæque propensa fuerit in illud, et assumpsisse corpora subtiliora vel crassiora, nec non accepisse nomen, eo quòd, sicut nominum, ità et corporum differentiæ sunt apud supernas Virtutes; atque hinc factum esse ut alii Cherubim, alii Seraphim, alii Principatus et Potestates vel Dominationes, vel Throni et Angeli, et quotquot sunt Ordines cœlestes, effecti fuerint ac vocati, anathema sit.

Tertius Canon. *Aliàs*, Quartus. Si quis dixerit rationalia [b] refrigerata à divinâ charitate, crassis corporibus, qualia sunt nostra, illigata fuisse et homines vocata; alia verò, cùm ad summum malitiæ pertigissent, frigidis tenebrosisque illigata esse corporibus, atque tùm esse, tùm appellari dæmones sive spiritalia nequitiæ, anathema sit. (Vide Tomos 9, 10 et 11 novæ et amplissimæ Collectionis Conciliorum curâ J. Dom. MANSI. Florentiæ et Venetiis, 1759-98. 31 vol. f°.)

[a] Hunc locum ità meliùs reddit Salmon, Étude des Conciles, p. 536: « In deterius conversas, factâ secundùm uniuscujusque captum in illud mutatione. »

[b] Salmon: « Rationalia in quibus magis Dei amor refrixerit. »

illas à consubstantialitate cum ipso sejungit; atque ità demùm suî ipsius creatura creatrix erit, ac nudam Unigenito dignitatem Evangelista tribuet dicens, quòd in *mundo erat, et mundus per ipsum factus est*. Sed nôrat unum esse naturâ universi Opificem. Non ergò unum esse censebitur apud rectè credentes, opus et factor, Deus et conditor; sed illud quidem subjicietur servi in morem, naturæ suæ modum non ignorans; ei autem Filius imperabit, qui solus cum Patre potest res è nihilo ad esse vocare, et quod nondùm existit, ineffabili virtute in ortum producere. Quòd autem Deus secundùm naturam existens Filius, alius utiquè sit à creaturâ, in Libro de sanctâ Trinitate cùm jàm abundè tractaverimus, nihil superfluum hîc afferemus. Illud tamen utiliter addemus, quòd, cum ait mundum ab ipso factum esse, ad cogitandum de Patre nos adducit, et cognitionem ejus *ex quo*, unà cum eo *per quem*, nobis infert; omnia enim à Patre sunt per Filium in sancto Spiritu.

34. *Et mundus eum non cognovit.* Prudenter hîc rursùs Evangelista sancto Spiritu afflatus, quorumdam nugas antevertere conatur. Docendi autem rationem non parùm mirabere. Lucem veram nuncupavit Filium, eumque omnem hominem venientem in hunc mundum illuminare confirmavit. Addit quòd et *in mundo ipse erat, et mundus per ipsum factus est*. Sed illicò nobis adversariorum quidam objiciet: Si lux erat Verbum, et cujusvis hominis cor illuminat, ad agnitionem Dei videlicet, et scientiam hominis naturæ congruentem, et, si in hoc mundo semper erat, et mundi opifex existebat, quomodò ignoratum est, et quidem tantis temporum spatiis? Igitur non illuminabat, sed neque lux planè erat. His confestim occurrit Theologus, dicens: *Mundus eum non cognovit.* Ipse quominùs agnosceretur, inquit, in causâ non fuit; sed infirmitati suæ id mundus adscribat. Illuminat enim Filius, sed gratiam retundit creatura: oculos accepit, quibus naturalem Deum intelligeret, sed eo munere abusa, in solâ creaturarum contemplatione hæsit: ulteriùs ferri noluit, illuminationem pigritiâ obruit, neglexit gratiam, quod ne sibi contingat, vigilare Pauli discipulus admonetur[1]. Nihil ergò ad lucem [non[a]] illuminatorum improbitas. Quemadmodùm enim solis lumen cunctis oboritur, sed nihil cæcus utilitatis indè accipit, non tamen proindè consentaneum esse dixeris solis accusare splendorem, quin potiùs ad oculorum vitium id referemus; ille enim illuminat, hi lucem non capiunt; sic etiam de Unigenito statuendum arbitror, nimirùm ipsum lucem esse veram, sed deum hujus sæculi, ut loquitur Paulus, excæcâsse mentes infidelium, ne illuminatio cognitionis divinæ in ipsis fulgeat[2]. Excæcatum autem hîc dicimus hominem, non quòd planè sit luce orbatus (servatur enim in naturâ divinitùs data intelligentia), sed quòd inertiæ habitu exstinguatur ea lux, et conversione ad vitia marcescat gratiæ modus atque contabescat. Quocircà sapientissimus Psalmista, istiusmodi hominis personam agens, jure à Deo illuminari petit his verbis: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tuâ*[3]. Legem quippè in auxilium dedit, quæ divinum in nobis lumen excitet, et veteris inscitiæ caliginem, ceu lippitudinem quamdam, ex oculis cordis detergat. Ingrati ergò animi et stuporis mundus hîc postulatur, qui et suum Auctorem ignoravit, et illuminationis suæ fructum non bonum edidit, ut illud de ipso demùm jure dici possit, quod de filiis Israel propheticâ voce prædicatur: *Exspectavi ut faceret uvam, et fecit spinas*[4]. Fructus enim illuminationis istius Unigeniti certè erat agnitio, non secùs ac uva ex hominis mente nimirùm, ceu malleolo pendens, non autem illa temeritas, quæ hominum genus ad adstruendos multiplices deos pertrahit, instar aculeatæ spinæ in nobis suboritur, et animum erroribus ad mortem vulnerat.

35. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Pergit Evangelista in reddendâ ratione cur mundus non agnoverit eum à quo illuminatur, hoc est, Unigenitum, et proposito graviori peccato Israelitarum, Gentium quoque culpam confirmare nititur, et incubuisse mundo inscitiæ simul et incredulitatis morbum ostendit. Valdè autem appositè ad mentionem de Incarnatione faciendam subit, et à purissimâ illâ theologiâ irrepit demùm ad explicandam Incarnationis dispensationem, quam propter nos fecit Filius. Mirum quippè nihil est, inquit, si mundus Unigenitum non agnoverit, qui à rectâ intelligendi viâ deflexerit, et suæ dignitatis ignarus comparatus sit jumentis insipientibus, ut divinus Psalmista cecinit[5], cùm ipse quoque populus, quem sibi præ cæteris peculiarem elegit Deus, in carne præsentem abjecerit, et eum qui ad omnium salutem advenerat, excipere noluerit, quamvis fides regno cœlorum remuneraretur. Adverte verò quàm solida sint ea quæ hîc ab Evangelistâ dicuntur. Mundum accusat quòd illuminantem nullo modo cognoverit, justam ei veniam hoc pacto veluti quærens, et excusationes legitimas datæ ei gratiæ struens. De Israelitis verò, quos in peculiarem sortem sibi Deus adsciverat, scribit: *Non receperunt.* Non enim verè dicere poterat: *Non cognoverunt*, priscâ Lege prædicante, et post eam Prophetis ad veritatis comprehensionem illos erudientibus.

[1] 1 *Tim.* IV, 13. — [2] II *Cor.* IV, 4. — [3] *Psalm.* CXVIII, 18. — [4] *Isai.* V, 4. — [5] *Psalm.* XLVIII, 21.

[a] Additur negatio quam tota series exigit.

Æquum ergò fuit in eos judicii severitatem adhibere, ut nimirùm erga Gentes bonitatem. Mundus enim, sive Gentes, concursu ad vitium Dei conjunctione orbatæ, id etiam damni insuper acceperunt, quòd illuminantem non agnoverunt. Judæi verò, cognitione ejus per Legem acceptâ, et ad vitæ genus Deo gratum vocati, ultrò demùm in ejus ignorationem quem jàm agnoverant inciderunt, et ad propria veniens Dei Verbum non receperunt. Proprius enim Deo est universus orbis, in quantùm ab ipso creatus, et ex ipso, et per ipsum in ortum est vocatus ; sed Israel convenientiùs quodammodò proprius ejus vocabitur, eamque prærogativam habiturus est, cùm ob sanctos Patres ex eo populo delectos, tùm quòd principium atque primogenitus dictus sit filiorum Dei : *Filius enim primogenitus meus Israel*, inquit alicubi ad Moysen Deus [1] : quem sanè velut unum et eximium sibi rursùs tribuens, suum populum nuncupavit : *Dimitte populum meum*, inquit ad Pharaonem, Ægypti tyrannum [2]. Prætereà ex libris Mosaicis ejusce rei veritas patebit : *Quandò*, inquit, *dividebat Altissimus Gentes, quandò disseminavit filios Adam, constituit terminos Gentium secundùm numerum Angelorum Dei, et facta est pars Domini populus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel* [3]. Ad quem etiam venit, ceu in propriam sortem et ad proprium funiculum, dicens : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel* [4]. Qui cùm gratiam repudiâssent, ad Gentes se transtulit. Ità mundus quidem per pœnitentiam ac fidem illuminatur, cùm principio ipsum ignorârit ; sed Judæorum populus ad tenebras, undè eductus fuerat, revertitur ; ideòque Salvator quoque dicebat : *In judicium ego in mundum hunc veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant* [5].

36. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus.* Justum reverà judicium ac Deo dignum. Primogenitus ille Israel abjicitur. Noluit enim perstare in conjunctione cum Deo, neque Filium excepit ad propria venientem : nobilitatis largitorem reprobavit, auctorem gratiæ repulit, quem Gentes receperunt per fidem. Quarè dementiæ suæ auctoramentum Israel jure et meritò recipiet : lugebit jacturam bonorum, acerbum temeritatis suæ fructum colliget, adoptione filiorum Dei nudatus ; contrà verò fidei bonis Gentes perfruentur, luculenta obsequii sui præmia consequentur, et in ejus locum transplantabuntur. Excidentur enim ex naturali oleastro, sed frugiferæ oleæ supernaturali inserentur [6]. Et audiet quidem Israel : *Væ, gens peccatrix, populus peccatorum plenus, semen pravum, filii scelesti! dereliquistis Dominum, et ad iracundiam concitâstis Sanctum Israel* [7]. Gentes autem è Christi discipulis quidam compellabit his verbis : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes ejus annuntietis, qui vos à tenebris vocavit in lucem admirabilem* [8]. Cùm enim Filium exceperint per fidem, potestatem accipiunt, ut inter filios Dei collocentur.

37. Enimverò dat Filius ut sint potestate id quod sibi uni propriè et secundùm naturam inest, in commune quodammodò proponens, in signum benignitatis suæ in homines et erga mundum charitatis. Non enim aliter possemus corruptionem fugere, qui terreni gestamus imaginem, nisi pulchritudo imaginis cœlestis illius impressa nobis esset, ex eo quòd vocati sumus ad filiorum Dei adoptionem. Participes enim ejus facti per Spiritum, obsignati sumus in similitudinem cum ipso, et ad exemplarem formam illius imaginis conscendimus, ad quam nos quoque factos esse ait divina Scriptura [9]. Sic enim tandem veteri naturæ pulchritudine recuperatâ, et ad divinam illam reformati naturam, ea mala superabimus quæ nobis ex prævaricatione contigerunt. Igitur ad dignitatem supernaturalem ascendimus propter Christum ; verumtamen non sicut ille, nullo planè discrimine nos quoque futuri sumus Dei filii, sed ad ejus similitudinem, per gratiam nimirùm, quâ illum imitando repræsentamus. Est enim verus ille Filius, existens à Patre, sed nos ejus benignitate adoptivi, gratiæ loco id accipientes : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* [10]. Creata quippè et serva natura ad res supernaturales vocatur solo nutu ac voluntate Patris ; Filius autem, et Deus, et Dominus, non Dei ac Patris nutu, nec ejus solâ voluntate id habet quòd Deus sit, sed cùm ex ipsâ substantiâ Patris effulserit, proprium ejus bonum secundùm naturam sibi adsciscit. Rursùs hunc verum esse Filium mutuâ comparatione cognoscimus. Cùm enim id quod est naturâ, diversæ rationis sit ab eo quod est adoptione, et id quod ex imitatione, cum eo quod est veritate, nos autem filii Dei nuncupemur per adoptionem et ex imitatione, naturâ igitur et veritate est ipse, cui nos, cùm isthæc simus, mutuò opponimur, pro naturali dignitate scilicet gratiæ bonum consecuti.

38. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Qui per fidem, inquit, in Christum, vocati sunt in adoptionem filiorum Dei, propriæ quidem naturæ vilitatem exuerunt, Deique honorantis gratiâ ceu splendidâ quâdam veste conspicui, ad supernaturalem dignitatem evehuntur. Non enim

[1] *Exod.* IV, 22. — [2] *Id.* VIII, 1. — [3] *Deut.* XXXII, 8 et 9. — [4] *Matth.* XV, 24. — [5] *Joan* IX, 39. — [6] *Rom* XI, 24. — [7] *Isai.* I, 4. — [8] I *Petr.* II, 9. — [9] I *Cor.* XV, 46. — [10] *Psalm.* XXXI, 6.

ampliùs carnis filii, sed Dei potiùs adoptiva soboles nuncupantur. Adverte verò quantâ cautelâ in sermonibus suis beatus Evangelista usus sit. Cùm enim dicturus esset ex Deo natos esse fideles, ne quis eos putaret ex Dei ac Patris substantiâ reverà genitos, et per omnia similes esse Unigenito, aut etiam de illo abusivè dici : *Ex utero ante luciferum genui te*[1], atque ità demùm in creaturarum naturam ipse quoque detruderetur, licèt à Deo genitus dicatur, idcircò hanc cautionem excogitat. Cùm enim potestatem à naturali Filio datam iis esse dixerit, ut filii Dei fierent, adoptione nimirùm et gratiâ, tandem tutissimè subjicit : *Ex Deo nati sunt*, ut gratiæ quoque magnitudinem ostendat, quâ quod alienum est à Deo ac Patre, ad ejus naturale quodammodò consortium colligitur ; et quod servum est, ad Domini nobilitatem ob vehementem ejus charitatem evehitur. Sed quid majus, inquiet forsan aliquis, vel quid eximii præ Israelitis nacti sunt fideles, cùm et ipsi Israelitæ nati esse à Deo dicantur, juxta illud : *Filios genui et exaltavi; ipsi autem spreverunt me*[2]? Ad hoc respondemus primùm quidem quòd, cùm Lex umbram futurorum bonorum haberet[3], non autem ipsam rerum veram speciem, ita neque istud Israelitis verè concessum, sed typicè et figuratè descriptum in ipsis fuit, *usquè ad tempus correctionis*, sicut scriptum est[4], quo emersuri erant, qui decentiùs atque veriùs, propter inhabitantem Unigeniti spiritum, Patrem Deum appellarent; illi siquidem habebant *spiritum servitutis in timore*, *hi verò spiritum adoptionis filiorum*, in libertatem, *in quo clamamus*: *Abba*, *Pater*[5]. Igitur populus per fidem in Christum ad filiorum adoptionem evehendus, in illo, velut in umbrâ præfiguratus est, quemadmodùm nempè videmus etiam spiritalem circumcisionem in illorum carne præfigurari : in summâ, omnia nostra in illis erant typicè adumbrata. Ad hæc, dicimus Israelem typicè vocatum fuisse in adoptionem filiorum Dei per mediatorem Moysen ; ideòque in ipsum quoque *baptizati sunt*, *in nube et in mari*, ut Paulus ait[6] ; et in Legem servitutis ex idolorum cultu reparabantur, ministrato eis Legis præcepto per Angelos[7]. Qui autem in filiorum Dei adoptionem, fide in Christum, evehuntur, non in unam è creaturis aliquam, sed in ipsam sanctam Trinitatem baptizantur, mediante Verbo, quod sibi humanitatem quidem conjungit per carnem unitam, sed naturaliter Patri conjungitur, quatenùs naturâ Deus. Hoc enim pacto servi ad filiationem vocantur per veri Filii participationem, ad dignitatem ei naturaliter inexistentem vocati et quodammodò evecti. Quam ob rem filii Dei dicimur ac sumus, qui spiritalem regenerationem per fidem accepimus.

39. Sed quoniam nonnulli præcipiti quâdam audaciâ de Unigenito, juxtà et sancto Spiritu, falsa prodere non verentur, creatum et factum hunc esse dicentes, et ipsum omninò à Dei ac Patris consubstantialitate excludere[a], age rursùs, eorum intemperiei rectæ fidei doctrinam opponentes, quod nobis et lectoribus usui sit proferamus. Si enim neque Deus secundùm naturam, neque ex Deo est Spiritus ejus, eique substantialiter inexistens, sed alius ab ipso, nec à naturâ creaturarum alienus, quomodò nos qui per ipsum nati sumus, ex Deo nati dicimur? Aut enim mentiri planè Evangelistam fatebimur : aut si verax est, sicuti est profectò, Deus erit, et ex Deo secundùm naturam Spiritus : cujus participatione per fidem in Christum donati, et naturæ divinæ participes efficimur, et ex Deo nati esse dicimur, et eam ob rem dii nuncupamur, non gratiâ solùm ad supernaturalem gloriam evecti, sed quòd jàm Deum in nobis habitantem atque diversantem habeamus, juxta illud Prophetæ dictum : *Quia inhabitabo in ipsis, et inambulabo inter eos*[8]. Alioqui, respondeant, quæso, nobis, qui tantâ pleni sunt inscitiâ, quomodò templa Dei simus, juxta Paulum, inhabitantem in nobis Spiritum habentes[9], nisi Spiritus Deus sit secundùm naturam ; si enim creatura est ac opus, quam ob causam Deus nos destruit, tamquàm qui Dei templum destruamus[10], cùm corpus inquinamus, in quo Spiritus habitat, qui totam Dei ac Patris et similiter Unigeniti naturalem proprietatem in se habet? Nam quomodò verum erit quod à Salvatore dicitur : *Si quis diligit me*, *sermonem meum servabit*, *et Pater meus diliget eum*, *et ad eum veniemus*, *et mansionem apud eum faciemus*[11], cùm Spiritus sit qui habitat in nobis, et per ipsum habere nos Patrem simul et Filium credamus, quemadmodùm ipse quoque rursùs alicubi Joannes in Epistolis ait : *In hoc cognoscimus*, *quoniam in ipso manemus*, *et ipse in nobis*, *quoniam de Spiritu suo dedit nobis*[12]? Quomodò verò, quæso, Spiritus quoque Dei vocabitur, nisi ex ipso secundùm naturam sit, ac proindè Deus? Si enim creatus cùm sit, ut illi volunt, Dei tamen est spiritus, nihil obstat quominùs alias quoque creaturas spiritus Dei vocemus. Id enim in eas utiquè cadere poterit, si profectò fieri potest ut creata substantia sit spiritus Dei. Plura quidem certè hìc essent dicenda, et longiori disputatione evertenda esset hæreticorum temeritas ; sed cùm de sancto Spiritu in Libro de Trinitate jàm abundè tractaverimus, plura dicere supersedebimus.

[1] *Psalm.* CIX, 3. — [2] *Isai.* I, 2. — [3] *Hebr.* X, 1. — [4] *Id.* IX, 10. — [5] *Rom.* VIII, 15. — [6] I *Cor.* X, 2. — [7] *Galat.* III, 19. — [8] II *Cor.* VI, 16. — [9] *Rom.* VIII, 11. — [10] I *Cor.* III, 17. — [11] *Joan.* XIV, 23. — [12] I *Joan.* IV, 13.

[a] Hæc censura cadere non debet in Origenem, ut videre est suprà, Notâ *a*, pp. 531-532.

40. *Et Verbum caro factum est.* Apertè demùm his verbis Incarnationis sermonem ingreditur. Clarè enim docet Filium hominis factum et appellatum esse Unigenitum. Id enim significat, illud quod ait Verbum carnem factum esse. Idem enim est ac si diceret Verbum esse factum hominem. Quod cùm ait, nihil nobis inusitatum aut peregrinum ingerit, cùm plerumquè divina Scriptura solius carnis vocabulo totum animal significet, juxta illud quod apud Joelem scriptum est : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*[1]. Neque verò putandum est Prophetam dicere inanimatæ et soli humanæ carni divinum suppeditatum iri Spiritum ; sic enim ridicula erit illa interpretatio. Sed ex parte totum complexus, nomine *carnis* totum significat hominem, quod aliter fieri non oportebat. Quam autem ob causam, necesse est, ut videtur, explicare. Est igitur homo, rationale quidem animal, sed compositum ex animâ nimirùm et hâc fragili atque terrenâ carne. Cùm autem factus sit à Deo et in ortum eductus, non habens ex naturâ suâ ut sit incorruptibilis et immortalis (hæc enim soli Deo substantialiter insunt), obsignatus est vitæ spiritu, habitudine ad Deum id quod naturam excedit, bonum consecutus : *Insufflavit enim*, inquit, *in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem*[2]. Cùm autem ob transgressionem punitus fuerit, *Terra es, et in terram reverteris*[3], jure tunc audiens, gratiâ nudatus est, et à terrenâ carne recessit spiraculum vitæ, hoc est, spiritus ejus qui dicit : *Ego sum vita*[4], et homo in mortem ex parte solius carnis incidit, immortalitate animæ servatâ, quoniam ad solam carnem dictum est : *Terra es, et in terram reverteris.* Oportuit ergò, id quod in homine maximè corruptioni obnoxium erat, quamprimùm servari, et conjunctione cum naturali vitâ ad immortalitatem revocari. Oportuit, id quod ægrum erat, morbo liberari. Oportuit cessare tandem illud : *Terra es, et in terram reverteris*, Verbo nimirùm, omnia vivificante, ineffabili ratione corpori, quod ceciderat, unito. Decebat quippè carnem, postquàm ejus facta esset, immortalitatis ipsius fieri participem. Neque enim consentaneum esset ignem virtutis suæ naturalis qualitatem sensibilem imprimere posse materiæ, eaque propemodùm in se transmutare, in quibus est per participationem ; existimare autem Dei Verbum quod excedit omnia, utiquè non posse proprium sibi ac naturale bonum, vitam nimirùm, carni indere. Hâc igitur maximè de causâ puto sanctum Evangelistam à parte maximè corruptâ hominem denominâsse, dicendo Dei Verbum carnem factum esse, ut unà cerneretur vulnus et remedium, æger et medicus, quod in mortem prolapsum est, et qui excitavit ad vitam, quod corruptioni cessit, et qui corruptionem amovet, quod morte superatum est, et qui morte superior est, quod orbatum est vitâ, et qui vitam largitur. Non autem ait ad carnem Verbum venisse, sed carnem factum esse, ne habitudine, sicut in Prophetas aut Sanctos alios, ipsum venisse suspiceris, sed reverà carnem factum esse, id est, hominem ; hoc enim modò diximus. Quocircà etiam Deus est secundùm naturam in carne et cum carne, quippè qui propriam sibi illam habeat, et tamen ut aliud quid intelligatur ab ipsâ ; et in ipsâ atque cum ipsâ adoretur, juxta illud Isaiæ dictum : *Viri excelsi ad te transibunt, et tui erunt servi, et post te sequentur vincti manicis, et adorabunt te, et in te orabunt, quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te*[5]. Ecce Deum etiam in ipso esse aiunt, non separantes carnem à Verbo ; et rursùs alium non esse Deum præter ipsum confirmant, conjungentes Verbo gestamen ut ejus proprium, templum scilicet ex Virgine ; unus enim ex ambobus Christus est.

41. *Et habitavit in nobis.* Explicat pluribus verbis Evangelista quod dixit, ejusque sententiam clariùs exponit. Cùm enim dixerit carnem factum esse Dei Verbum, ne quis propriâ ipsum naturâ excidisse stultissimè suspicaretur, et in carnem verè transmutatum esse, atque id pati quod omninò pati non possit (ab omni quippè alteratione et conversione in aliud, ratione essentiæ, Deus longissimè abest), rectè utiquè Theologus statim infert : *Et habitavit in nobis*, ut, cùm duo necessariò intelligas, et eum qui habitat, et id in quo habitatur, in carnem ipsum non esse transmutatum existimes, sed habitare potiùs in carne, ut proprio utentem corpore, templo illo nimirùm quod ex sanctâ Virgine : *In ipso enim inhabitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ut Paulus ait[6]. Quin et in nobis habitâsse Verbum utiliter asserit, altissimum quoque nobis istud revelans mysterium. Sumus enim omnes in Christo ; et id quod commune est naturæ humanæ, in personam Christi transit. Nam et novissimus Adam idcircò nuncupatus est, quia naturæ communis participatione omnia locupletat ad felicitatem et gloriam, sicuti primus Adam corruptionem et ignominiam in omnibus attulit. In omnibus itaque Verbum habitavit per unius assumptionem, ut, uno constituto Dei Filio in virtute secundùm spiritum sanctitatis, in universam humanitatem, propter carnis affinitatem, dignitas illa redundaret, ideòque per unum ex nobis in nos quoque perveniret illud : *Ego dixi : Dii estis, et filii*

[1] *Joel*, II, 28. — [2] *Gen.* II, 7. — [3] *Id.* III, 19. — [4] *Joan.* XI, 25 *et* XIV, 6. — [5] *Isai.* XLV, 14. — [6] *Coloss.* II, 9.

Excelsi omnes[1]. Igitur in Christo quidem serva natura fit reapsè libera, ad mysticam nimirùm unitatem ejus evecta, qui fert servi formam; in nobis verò imitatione et similitudine cum illo uno, propter carnis cognationem. Alioqui enim, quam ob causam non Angelorum quidem, *sed Abrahæ semen apprehendit; undè debuit per omnia fratribus assimilari*[2], et verè homo fieri? Annon manifestum est omnibus, quòd ad servilem conditionem ipse se demisit, nihil ex hoc sibi acquirens, sed nobis seipsum largiens, ut nos ejus paupertate ditaremur[3], similitudine cum ipso ad proprium et eximium ejus bonum evecti, diique et Dei filii per fidem redderemur? Habitavit enim in nobis, qui per naturam Filius est ac Deus; ideòque in ejus Spiritu clamamus : *Abba, Pater*[4]; habitat autem Verbum in omnibus, in uno templo scilicet quod propter nos et ex nobis assumpsit, ut omnes in seipso habens, omnes in uno corpore, sicuti Paulus ait, reconciliaret Patri[5].

42. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Cùm Verbum carnem factum esse dixerit, hoc est, hominem, et fratrem servorum atque creaturarum, integram tamen ei quoque servat hoc pacto divinam dignitatem, et plenum esse Patris proprietate rursùs ostendit. Natura quippè divina in seipsâ firma et stabilis est, nec mutationem capit in aliud; sed eodem se modo semper habet, et in suis dotibus constanter manet. Itaque, licèt Evangelista Verbum carnem factum esse dicat, non tamen ipsum carnis infirmitatibus succubuisse asserit, nec pristinâ illâ suâ virtute et gloriâ excidisse, eo quòd infirmum nostrum et inglorium corpus induit. *Vidimus* enim *gloriam ejus*, inquit, omni gloriâ sublimiorem, et qualem decere Filium ex Deo Patre unigenitum nemo non fateatur. *Plenus* enim erat *gratiâ et veritate*. Si quis enim Sanctorum chorum contempletur, et uniuscujusque res gestas perpendat, mirabitur utiquè, et illorum virtutibus oblectabitur, eosque gloriâ repletos à Deo fuisse fatebitur. Unigeniti verò gloriam et gratiam, nullo modo cum cæterorum gloriâ comparandam esse Theologi docent ac sacri Testes, sed longè eminentiorem ac præstantiorem, ut qui non definitam habeat gratiæ mensuram, quasi ab altero acceptam, sed tamquàm in perfecto perfectam, ac veram, id est, non adscititiam, nec aliundè, quasi accessionis loco, suppeditatam, sed substantialiter existentem, et fructum Paternæ proprietatis naturaliter transmissum in Filium. Quòd si cui placet accuratiùs id quod dictum est examinare, consideret apud se quid Sancti ipsi, et quid Salvator noster Christus mirabiliter patrârunt, tantùmque distare comperiet, quantùm anteà diximus. Quid, quòd illi quidem ut meri famuli in domo versantur ; hic autem ut Filius domui suæ præest? Prætereà scriptum est de Unigenito : *Benedictus qui venit in nomine Domini*[6]. De Sanctis verò Deus ac Pater ait : *Et misi ad vos omnes servos meos Prophetas*[7]. Quinetiam, illi supernâ virtute donati sunt; hic autem est virtutum Dominus : *Si non facio opera Patris mei*, inquit, *nolite mihi credere ; si autem facio, et si mihi non credetis, operibus meis credite*[8]. Itaque si ex ipsis operibus Patri virtute æqualis Unigenitus esse cernitur, æquali utiquè gloriâ cum Patre meritò celebrabitur, maximè cùm æqualiter operetur. Tantùm autem, licèt sit in carne, ad fraternitatem vocatos superabit, quantùm homines naturalis Deus, et filios adoptivos superat verus. Porrò cùm apud beatum Lucam scriptum sit : *Jesus autem proficiebat sapientiâ et gratiâ*[9], observandum est hìc Evangelistam dixisse Filium plenum gratiâ habere gloriam. At quomodò proficiet id quod plenum est, aut quid ei, quæso, accedere potest ultra quod nihil est? Igitur non quà Verbum est ac Deus, dictus est proficere, sed quòd magis magisque admirationem suî præberet, ex operibus ipsis gratiâ in dies augeri spectatoribus videbatur, proficiente potiùs, ut verè dicam, admirantium habitu, quàm ipso ad gratiam, qui perfectus est, ut Deus. Atque hæc commemorâsse non erit inutile, quamvis aliquantulùm digressa sit oratio.

[1] *Psalm.* LXXXI, 6. — [2] *Hebr.* II, 16 *et* 17. — [3] II *Cor.* VIII, 9. — [4] *Rom.* VIII, 15. — [5] *Ephes.* II, 16. — [6] *Luc.* XIII, 35. — [7] *Jerem.* VII, 25. — [8] *Joan.* X, 37 *et* 38. — [9] *Luc.* II, 52.

S. PROCLI, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI,

HOMILIA I[a].

Num. 1. Prima Evangelii verba divinam Verbi naturam exponunt. — 2. Divina Christi generatio sine teste. — 3. Loquitur Joannes quæ solùm divinitùs norât. — 4. Ascendens in cœlum, generationem æternam enarrat. — 5. In terram descendens, monstrat Dei Verbum incarnatum. — 6. Quis est istud Dei Verbum incarnatum ?

1. Cæteri quidem Evangelistæ genealogiam Domini ac Dei nostri Jesu Christi, quâ carne natus est, enarrârunt; Joannes verò, Evangelistarum præstantissimus, theologiæ illa lyra, Dei Verbi divinam æternamque substantiam exposuit, [b] generationemque Filii à Patre, sæculis anteriorem, testisque expertem edisseruit, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt.* Satis habent quinque hi lapides ad munimen Ecclesiæ. *In principio erat Verbum.* Non dixit : In principio factum est Verbum; sed : *In principio erat Verbum.* Ostendit principii expertem atque æternam Filii personam, ac ejus ad Patrem relationem ; firmissimumque constituit nostræ fidei fundamentum. *Et Verbum erat apud Deum.* Ostendit substantiam individuam ; grandique Evangelista voce tonat adversùs Gentiles. *Et Deus erat Verbum.* Summam ostendit naturæ identitatem; magnaque est Judæorum plaga. *Hoc erat in principio apud Deum.* Coæternitatem ejus cum Patre declarat ; [c] gravisque est Manichæorum ruina. *Omnia per ipsum facta sunt.* Liberam absolutamque ostendit creandi potestatem ; omniumque hæreticorum obstruxit ora. Planè enim omnia per ipsum sunt facta. Cœlum, ipsius est creatura : terra, factura ejus : mare, opus. Productus fuit aer : lux, ex nihilo facta : Angeli, servi : Virtutes, ministræ : Cherubim, sedes. Pater, Deus est : Filius, Verbum ac Deus ; sed et Spiritus sanctus, Deus. Nec personarum numerus naturam infringit, vel Trinitas in partes secat substantiam. Sed est Trinitas consubstantialis in potentiâ, in deitate, in bonitate, fidem nostram fundans tuensque ac servans, Ecclesiam muniens, orbem terrarum sanctificans, diaboli vires enervans, excrucians dæmones atque macerans, Judæorum circumcisionem exstinguens, Gentilium errorem eliminans, hæreticorumque obstruens ora.

2. Divinam porrò, quâ ex Patre Filius natus est, prææternam ac sine teste generationem, Evangelista faustè nuntiavit, dicens in Evangeliis : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[1] ; et iterùm : *Facta est vox de cœlis, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*[2]. Caret itaque teste superna antiquior omnibus generatio, eo quòd solus ex solo genitus sit. Et nemo, nisi Pater, novit quemadmodùm generavit; neque alius quàm Filius, quemadmodùm ipse genitus sit[3]. Nam non erat tempus, quippè cùm ipse sæculorum conditor sit[4]. Angeli non aderant, cùm ipse sit, *qui facit Angelos suos spiritus*[5]. Cœlum non erat ; nam *verbo Domini cœli firmati sunt*[6]. Sol non erat ; ipse enim *luminare majus posuit, ut luceret in die*[7]. Non erat luna, neque stellæ ; nam *lunam et stellas ipse fundavit*[8]. Non erat terra ; ipse enim dixit : *Congregentur aquæ, et appareat arida*[9]. Miro itaque modo Evangelista æternam Verbi expressit substantiam, generationemque Filii antevertentem sæcula ac testis expertem.

3. Ecquisnam, ô beate Joannes, hæc edicere docuit? Stagnumne Genesareth? At illud dogmata non tradit. Nùm piscatio? At illa non tractat divina. Zebedæus? At vir est idiota. Patria? Sed vilis erat [d] vicus? At ibi rusticani, non cives aderant. Judæi? At erant legis prævaricatores[10]. Lex? Sed umbram habebat[11]. Moyses? Verùm *impeditioris ac tardioris linguæ* erat[12]. Davidne? At *vermis est et non homo*[13]. Quomodò igitur dixisti : *In principio erat*

[1] *Joan.* I, 18. — [2] *Matth.* III, 17. — [3] *Id.* XI, 27. — [4] *Hebr.* I, 2. — [5] *Psalm.* CIII, 4 et *Hebr.* I, 7. — [6] *Psalm.* XXXII, 6. — [7] *Gen.* I, 16. — [8] *Psalm.* VIII, 4. — [9] *Gen.* I, 9. — [10] *Rom.* II, 27.— [11] *Hebr.* X, 1.— [12] *Exod.* IV, 10. — [13] *Psalm.* XXI, 7.

[a] Homilia hæc, decerpta ex Gallandio, Tom. 9, p. 665, est S. Procli decima quinta, et inscribitur : « In sanctum Pascha, et in illud : *In principio erat Verbum.* » Porrò hunc præfert titulum, quia legunt Græci illud Evangelium ipso die Paschæ[a], ut benè Richardus colligit ex Chrysostomi Homiliâ 7 de Resurrectione, Tom. 3, dùm totâ hebdomadâ legunt Evangelia quæ vocant *matutina*, quibus continetur Dominicæ Resurrectionis historia; ideòque in hâc Homiliâ S. Proclus magis immoratur in Incarnationis, quàm Resurrectionis mysterio. Quam etiam ob causam hîc collocavimus.

[b] *Generationem Filii à Patre.* Quod hîc sæpiùs repetitur, Πατρὸς πρὸς τὸν Υἱὸν γέννησιν, durius est ad verbum : *Generatio quâ Pater ad Filium habet.*

[c] *Gravis est Manichæorum ruina.* Difficilior illatio, ut Verbi cum Patre asserta coæternitas, sit Manichæorum ruina. Quia tamen illi pluribus erroribus erant implicati, hoc quoque potuerunt laborare, ut Christum creaturam existimarent, eumque non coæternum Patri. Sanè, cùm ipse Manes se Christum jactaret, haud ità insanus erat, ut se Deo coæternum ac ab æterno existentem putaret.

[d] *Vicus.* Bethsaidam intelligit, quâ natum Joannem habet Chrysostomus, ut videre est suprà, Homiliâ 1 in Joannem, p. 563, col. 1. Facta est ex vico posteà civitas ac πόλις, sicuti eam Joannes vocat, I, 44. Sic Josephus narrat Lib. 18 Antiquit., cap. 3, quamquàm etiam majores vici urbes etiam appellarentur.

[a] Observavimus suprà, p. 597, Notâ *a*, Latinos etiam olim legere hoc Evangelium in festo Paschali solitos esse.

Verbum? Quis ad tantam te provexit celsitatem? Quis tuæ menti tales præbuit alas? Fide enim relinquens terram, supra aerem constitisti: supergressus es æthera: super mundana cœli transvolâsti culmina: transilivisti supera: Archangelorum præteristi choros: Seraphinis par effectus es: Cherubico Domini adstitisti throno. Fide volucris ac sublimis ales factus es: generationem cogitatu majorem tuæ vocis tonitruo explicâsti: incomprehensam prædicâsti substantiam: Verbum Dei principii expers æternumque docuisti; nam dixisti: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

4. Ingens gratia, dilectissimi! Tricubitalis homo mente ac cogitatibus unà in cœlum, Verbum consectatus, ascendit. Fide contuitus est è Paterno nullâ passione egredientem sinu, Deumque ex Deo genitum. Vidit Spiritum sanctum cum Patre et Filio adoratum, Trinitatem in unitate laudibus celebratam, eamdemque in tribus discretam personis, atque naturâ unitam. Atque adeò Evangelista ipsis Seraphim inventus est sublimior, quippè cùm illi, corusco fulgore concussi, facies velent suas [1], hic autem, præsidiis fretus gratiæ, divinam cùm generationem, tùm substantiam enarraverit.

5. Tùm indè rursùm, operum consecutione è cœlis in terram descendens, ait: *Verbum caro factum est.* Vidit Dei mysterium, conversionis immune ac mutationis. Vidit Verbum in terris incarnatum, et à cœlis minimè divulsum. Vidit puerperam Virginem, nihilque corruptam virginitatem. Vidit uterum cœlo latiorem. Vidit matrem sine viri commixtione, partumque dolorum expertem. Vidit..... natum ut hominem. Vidit infantem, eum qui ante sæcula perfectus erat. Vidit fasciis involutum, eum qui suo imperio solvit Lazari fascias [2]. Creaturam vidit indicantem Creatorem. Vidit speluncam, mundi factam propitiatorium. Vidit creaturam portantem Creatorem. Vidit nutrimento utentem ipsum nutricantem nutricem. Vidit materno in sinu, eum qui à Paterno numquàm sejunctus est sinu. Vidit à Magis adorari [3] eum qui laudatur ab Angelis. Vidit carne fugientem in Ægyptum [4], ipsum terram pugillo comprehendentem [5]. Vidit eum aquâ baptizari [6], qui aquarum fontes è terrâ emittit. Vidit Magistrum à discipulo proditum [7]. Eum vidit ligatum [8], qui non solvit matris virginitatem. Vidit sisti Pilato [9], eum qui è limo Pilatum finxisset. Vidit spinis coronatum [10], eum qui floribus redimisset terram. Vidit in terrâ crucifixum [11], eum qui sublimis erat in cœlis. Vidit in sepulchro mortuum [12], eum qui mortuos excitâsset è sepulchro. Vidit resurgentem [13], eum qui resurrectionem prænuntiâsset. Vidit eum descendentem ad inferos, qui ascendit in cœlos. Infernus namque evomuit, quem ignorans deglutierat.

6. At quisnam tandem est, quem vidit? Quis, inquam? Is utiquè qui *inclinavit cœlos*, nulloque strepitu *descendit* [14]: qui superas ipsas latet Virtutes: qui incarnatione ex Virgine, non nudavit Paternum sinum: qui in cœlis sine matre, Deus ex Deo, in terris ex matre Virginis Filius, amans hominum, hominum causâ factus est homo: qui impollutum hospitio suo uterum sanctificavit, ejusque sinus puros integrosque reliquit, naturæ sacravit partes, virgineos obsignavit partûs: is, quem cœlorum non capiunt spatia, quemque non arctè complexus est uterus: qui ante sæcula, sæculorum existit conditor: qui verbo mundum cum potestate perfecit, Patris ineffabile Verbum, Filius Genitori consubstantialis, æternus ille, nec principium admittens; quique tamen principium essendi acceperit. Mira sanè et admirabilia, dilectissimi, sunt ista, ut in cœlo minimè vacuata sit sedes, mundusque hîc terrenus salutem consecutus sit. Cuncta hæc complectuntur tonitrui voce loquentis, magni Evangelistæ, quinque illa verba. Quocircà pereant tandem Gentiles, tollantur Judæi, pudore suffundantur Samaritani, dispergantur Manichæi, dispereant hæretici, sanctæque Catholicæ ac Apostolicæ Ecclesiæ hostes universi. Eorum namque omnium spes in ruinam ac interitum cedit; nostra autem, in resurrectionem et vitam æternam, per Dominum nostrum Jesum Christum, cum quo Patri ac Spiritui sancto gloria, honor atque potestas in sæcula sæculorum. Amen.

EJUSDEM HOMILIA II [a].

NUM. 1. *Verbum caro factum est*, et servi formam accepit. — 2. Hæc utraque piè intellecta, nobis sunt semina salutis.

1. Assumens formam servi, *Verbum caro factum est*, et ex Virgine natum, omninò declarare satagens, quoniam verè factum sit homo; necessariò namque naturam principia, figuræ ac pas-

[1] *Isai.* VI, 2. — [2] *Joan.* XI, 44. — [3] *Matth.* II, 11. — [4] *Ibid.* 14. — [5] *Isai.* XL, 12. — [6] *Matth.* III, 16. — [7] *Joan.* XVIII, 2. — [8] *Ibid.* 12. — [9] *Ibid.* 28. — [10] *Id.* XIX, 2. — [11] *Ibid.* 23. — [12] *Ibid.* 42. — [13] *Id.* XX *et* XXI *passim.* — [14] *Psalm.* XVII, 10.

[a] Decerpitur ex Catenâ græcorum Patrum in Joannem, curâ B. Corderii. Edit. Antuerpiæ, 1630.

siones consequuntur. Undè non dicit Evangelista ipsum in hominem perfectum ingressum, sed carnem factum esse, ad ipsa naturæ primordia respiciens, et ad principium generationis recurrens [a]. Quemadmodùm enim homo, cùm naturali ordine nascitur, non statim perfectus actionibus prodit, sed in naturæ constitutione primùm caro fit, ac deindè temporis successione sensìmque ad perfectionem cùm sensuum, tùm operationum necessaria sumit incrementa; ità quoque Deus Verbum ad ipsa primordia radicemque naturæ humanæ accedens, primùm caro factum est, non in carnem commutatum; absit (manet enim divinitas, omni mutatione superior), quia, sicut mutabilitas fluxæ naturæ propria passio existit, ità immutabilitas quoque rei æternæ ac permanenti omninò propria est.

2. Affirmamus igitur, utriusque Scripturæ vocibus utendo, et carnem factum esse, et servi formam accepisse. Atque hæc utraque piè intellecta, nobis sunt semina salutis, siquidem per *Factum est*, initam unionem à primâ statim conceptione [b] Evangelista insinuat. Quemadmodùm enim unitas in duas unitates secari nequit (nam quæ in duas distracta, non jàm ampliùs unitas, sed dualitas fit); similiter id quod summâ illâ unitate unum est, jàm in duo dividi non potest. Illud autem verbum, *Accepit*, naturam nihil immutatam palàm ostendit.

AMMONIUS,

ALEXANDRINÆ ECCLESIÆ PRESBYTER ET ŒCONOMUS [c].

Num. 1. Unicum tantùm principium est. — 2. Destructio hæresis Sabellii, Novati, Pauli Samosateni atque Marcelli. — 3. Verbum subsistit et est Deus. Photini hæresis. Generatio Verbi perfecta. — 4. Pater principium *ex quo*. — 5. Error tribuentium Angelis creationem, damnantium nuptias. — 6. Verbum vita generali ratione, et peculiari per Incarnationem. — 7. Verbum lux hominum. — 8. Tenebræ sunt mundus. — 9. Jesus quomodò missus? — 10. Joannes major Prophetis. — 11. Joannes quo sensu lux sit? Creatura rationalis quomodò illuminatur? — 12. Quomodò Christus in propria venit? Causa ejus adventùs. — 13. Verbum quomodò caro factum? — 14. Verbi gloria quomodò visa? — 15. Quomodò profecerit Christus?

1. *In principio erat Verbum.* Sermo Evangelicus unicum tantùm novit principium, non duo, ut asserunt Manichæi; neque etiam primum aliquod quod agnoscat causam, et alterum cujus non sit causa, uti Plato, Basilides, Marcion, Arius atque Eunomius asseverant. Dicitur siquidem principium Pater, et principium Filius, et principium Spiritus sanctus, propter coæternitatem Trinitatis; non quòd tria existant principia (quoniam et Patrem vocamus Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum, et veneramur ut trinum causæ expertem, non ut trideum), sed propter eamdem unius divinitatis substantiam in tribus subsistentem.

2. *Et Verbum erat apud Deum.* Sabellii hæresim per hoc evertit quòd Patris ac Filii hypostases demonstret; non enim Filio paternitatem Ecclesia celebrat, uti Afer ille fabulando confinxit. Porrò unicam in Trinitate personam affirmant non solùm Sabellius, sed etiam Novatus, Paulus Samosatenus atque Marcellus.

3. *Et Deus erat Verbum.* Non erat prolatitium, sed subsistentiâ præditum; nec tantùm subsistentiâ præditum, sed etiam Deus. Photinus ait Verbum, uti et nostrum, ex Patre sine hypostasi prodiens, in carnem fuisse transmutatum. Quia verò nonnulli hæretici audientes Patrem genuisse Filium, scandalizantur, fluxum aliquem, vel humanitùs quid passum esse Patrem existimantes, qualiter crassioribus hisce corporibus accidere consueverunt; illorum errori atque vesaniæ occurrens Evangelista, in ipso statim exordio semel, iterùmque, ac tertiò Filium Verbum appellavit, quò generationem ejus ab omni passione vindicaret. Quemadmodùm enim nostrum verbum sine fluxione, integrè, sine passione à mente producitur (uti similiter noster spiritus), sic etiam Filii generatio de quâ dicitur: *Eructavit cor meum Verbum bonum* [1], id est, Deum, qui solus bonus est [2].

4. *Hoc erat in principio apud Deum.* Quoniam coæternus erat Patri, in Patris etiam naturâ existebat, habens pro loco antiquissimam Genitoris naturam. Hoc namque principium cuncta sæcula præcedit. Principium enim dicitur Pater Filii, tantùm *ex quo;* origine siquidem Pater Filio prior intelligitur,

[1] *Psalm.* XLIV, 1. — [2] *Luc.* XVIII, 19.

[a] Videtur esse in opinione S. Procli, quòd corpus Dominicum iisdem initiis coaluerit ac nostrum, quod ipsum à primâ statim conceptione animâ rationali animatur. COMBEFISIUS.

[b] Ἄκρα ἕνωσις, *summa et prima unio.*

[c] Ex Catenâ suprà dictâ græcorum Patrum in Joannem.

non tamen existentiâ esse prior cognoscitur. Ubique autem Verbum *Erat* interserit, Filium ad Patrem principio carentem referendo. Non enim dixit : Principium habuit, sed : *In principio erat.*

5. *Omnia per ipsum facta sunt.* Aliam hæresim refellit, cùm docet omnia quæ facta sunt, per Filium creata esse, non autem per Angelos sive bonos, sive malos, ut perperàm nonnulli opinati sunt, inter quos Plato, Simon, Basilides, Nicolaus, Menander, Borboriani, Saturninus, Cerinthus. Quâ occasione etiam aliqui eorum, ut Saturninus et Apostolici, nuptias et generationem induxerunt [a].

6. *In ipso vita erat.* Quæcumque Pater per Filium creavit, ex eodem vitam hauserunt. Et rursùs: Non in homine factum est Verbum, sed ipsum quodammodò per Spiritum sanctum Virginem invadens, et in visceribus ejus inhabitans, fundamentum exstitit, ipsique superstruxit unitam sibi ex Mariâ carnem animatam rationalem : quod est vita; quemadmodùm enim ipsum est vita, ità etiam unita ipsi caro, cujus qui participes sunt vivificantur, à morte ac corruptione liberati, et ad sempiternorum futuri sæculi bonorum fruitionem admissi, in quâ vera vita consistit.

7. *Et vita erat lux hominum.* Incarnatio Unigeniti prælucet hominibus facem ad veram Dei cognitionem et ad omne genus virtutum, quibus ipsa vivificatio, hoc est, bonorum omnium fruitio, acquiritur.

8. *Et lux in tenebris lucet. Tenebræ* sunt universus mundus, cum ineffabili et inaccessâ illâ luce comparatus. Cæterùm Filius illuminat mentem circa res faciendas, et semper prævalet veritas, nec umquàm à mendacio superatur. Quocircà etiam Christus ait : *Ego vici mundum* [1], id est, omnem erroneam hæresim confutavi, atque omnes passiones mihi illatas superavi (non dico naturales ac necessarias, quas sponte sustinuit, ut carnis suæ veritatem ostenderet, easque quæ naturales ac necessariæ sunt, minimè vitiosas esse commonstraret; idcircò enim istæ carni Dei Verbi acciderunt, non ut roborarentur, sed ut in ipso perimerentur); indecentes namque passiones ne quidem imaginatione sustinuit.

9. *Fuit homo missus à Deo.* Missus est Joannes tamquàm à deserto descendens in regionem habitatam, ut populis Christum prædicaret. Ipse etiam Dominus appellatus est *missus,* non quasi de loco in locum commigret (Deus enim immobilis est); sed ut qui de sinu Patris quodammodò semotus, ad nostram paupertatem sese demiserit, undè et semetipsum humiliâsse dicitur. Quandò itaque Scriptura utitur verbis ad divinam dispensationem accomodatis, siquidem dicat quoniam *semetipsum exinanivit,* dominationem ipsius ac regiam majestatem sponte suâ carnem assumpsisse significat; si verò *missum* dicat, docet ipsum non sine Patris voluntate carnem induisse. Hæc autem humano more dicimus ; una siquidem eademque Patris ac Filii voluntas est, tametsi ejusdem unius divinitatis atque substantiæ personarum differentias agnoscamus. Solum enim Filium, non autem Patrem aut Spiritum sanctum, incarnatum esse profitemur.

10. *Hic venit in testimonium.* Hoc Joannes major est cæteris Prophetis, quòd alii quidem prædicaverint illum qui exspectabatur; ipse verò, cùm vidisset eum, et propter signa, quoniam ipse est, credidisset, venit ex iis quæ audierat et viderat, testimonium perhibere.

11. *Non erat ille lux.* Tametsi quoque Joannes et Sancti lux sint, tamen non sunt illa, de quâ hîc Theologus agit, quæ est Christus, lux per naturam; Sancti namque per gratiam lucem acceperunt : quocircà de Christo dicit : *Erat lux vera.* Dominus rationales suas creaturas naturalibus instinctibus illuminat ad credendum aliquem esse Deum, colligendo nimirùm ex ipsarum pulchritudine atque ordine creaturarum, immensam ejus potentiam. *In mundo erat.* Deus erat in mundo secundùm substantiam, sed non secundùm præcognitionem [b]. Rursùs verò refellit hæresim dicentium homines et res creatas non esse Dei creaturas. *Et mundus eum non cognovit. Mundum* hîc vocat homines, sic à parte suâ mundum denominans, vel potiùs eos qui ea quæ mundi sunt sapiunt, illique affixi inhærent, qui propter suam ad res terrenas nimiam propensionem, omninò ipsum ignorârunt, quales fuerunt idololatræ, et qui suis passionibus serviebant.

12. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Dicitur in propria venisse, in quantùm jàm incarnatus, oculis intuentium conspicuus innotuit; vel quia ad proprios venit, eos scilicet qui ejus proprii videbantur, eo quòd Christus ex ipsis secundùm carnem existeret. Venit autem, non propriæ indigentiæ causâ (Deus enim nullius eget), sed suis benefaciendi studio. Sed ne sic quidem sui ob illorum utilitatem in propria venientem receperunt, quinimò repulerunt, quinetiam extra vineam ejectum occiderunt. Undè verò venit qui implet omnia, et ubique locorum præsens est? Quem locum suâ privet præsentiâ, qui omnia manu continet penitùsque penetrat? Locum quidem nullum commutavit (quomodò enim id fieret?); sed conformando

[1] *Joan.* XVI, 33.

[a] *Induxerunt*, id est, *prohibuerunt*, uti legitur apud Combefisium, edit. Paris. 1662.

[b] Apud eumdem Combefisium sic legitur : « Tamquàm Deus erat in mundo, non per essentiam, sed per providentiam. » Emendatum hoc ex nostrâ Catenâ.

se nobis id fecit. Cùm enim mundo præsens adesset, non tamen aderat, quia nobis ignotus erat. Demùm seipsum manifestavit, nostram carnem induere non dedignatus: hanc itaque manifestationem atque dignationem, *adventum* vocat. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Non jàm ampliùs opus est boum victimis, quæ Deo juxta figuram Legis gratæ erant, quandoquidem Christi sanguis modò ad justitiam sufficiat.

13. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quandò Verbum caro factum est, substantiam suam minimè permutavit; sed conspicuum per carnem redditum, tamqnàm Unigenitus Dei Patrisque Filius, gloriam sibi propriam reservavit. Quod enim inhabitat, secundùm substantiam est ab inhabitatione diversum. Non dixit autem *corpus*, ne qui asserant ipsum cœleste corpus attulisse. Neque etiam *hominem factum* ait, ne jactent alii solum hominem interiorem, nom autem exteriorem assumptum esse. Neque etiam *ex Verbo carnem factam* tradit, ne aliqui ex hoc in illud conversum spargant. Omnis autem caro etiam corpus dicitur; non verò omne corpus caro nominatur. Quocircà etiam Dominus: *Qui comedit*, inquit, *meam carnem* [1]; et alibi: *Palpate me, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* [2].

14. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Quomodò eam vidimus? Per stellam Magorum, per Angelos, per pastores, per Annam, per Simeonem, per Gabrielem, per Virginem Deiparam, per vocem Patris ipsi testimonium perhibentis, per Spiritum sanctum super ipsum descendentem, aliaque innumera signa et curationes.

15. *Plenum gratiæ et veritatis.* Si erat plenus gratiâ ac veritate, quomodò tamen profecerit plenitudo? Vel quale omninò sumpserit incrementum, cui supererat nihil? Non igitur Verbum vel Deus apud sanctum Lucam proficere perhibetur, sed propter miracula atque prodigia, iis qui ipsum cernebant, in dies magis admirandus magisque gratus accidisse significatur, proficiente nimirùm veriùs (uti potiùs dicendum est) admirantium affectione ad habitum gratiæ, quàm ipso jàm perfecto, utpotè Deo, ejus incrementum sumente.

✠ SEVERUS SOZOPOLITANUS IN PISIDIA,

PATRIARCHA ANTIOCHENUS [a].

Num. I. Æternitas Verbi declaratur, in ipsoque et in Patre substantiæ unitas, personarum verò diversitas. — 2. Verbum carnem fieri, est ipsum immutabili ratione fieri hominem, et permanere Deum. — 3. Ipsummet Verbum, existens Deus, *caro factum est.*

1. Dicens (Joannes): *In principio erat Verbum*, per illud quidem, *In principio,* evertit impietatem dicentium: Erat, quandò non erat. *In principio* enim *erat;* principio autem temporis experte ut quidquam prius concipiatur, fieri non potest. Per illud quod dicat: *Et Verbum erat apud Deum,* quomodò ab eo à quo profertur, secundùm hypostasim diversum sit, ostendit. Cùm verò ait: *Et Deus erat Verbum*, declaravit ut ipsum per se subsistat, et non, sicut nostrum verbum prolatum, in aerem resolvatur. Afferens autem Deum esse Verbum, et apud Deum esse, perspicuè commonstravit utrùmque ejusdem esse substantiæ, tametsi non ejusdem hypostasis sive personæ; quorum enim est una divinitas, eorumdem etiam substantia eadem est.

2. Cùm Gabriel dixisset: *Ave, gratiâ plena, Dominus tecum* [3], eo ipso temporis momento Verbum ineffabili ratione, quam ipsum novit, in Virginis utero carnem assumpsisse profitemur; Angelica enim annuntiatio non nudum verbi sonum, sed ipsam operis exhibitionem continebat. Incarnatum, inquam, non in carnem versum, absit (immutabilis enim Deus)! sed carnem nostræ consubstantialem atque animatam, ipsi secundùm hypostasim unitam, dicimus. Non enim caro diversam à Verbo hypostasim sortita fuit, sed ipsimet Verbo proæterno ac principio carente innixa conjunctaque constitit. Ejus namque conjunctio cum Verbo in hypostasi contigit; atque hæc, quoad homini fas est dicere, unio est hypostatica, sive secundùm hypostasim. Verbum igitur carnem fieri, est ipsum

[1] *Joan.* VI, 55. — [2] *Luc.* XXIV, 39. — [3] *Id.* I, 28.

[a] Ex Catenâ suprà dictâ græcorum Patrum in Joannem. Mera est conjectura Auctorem istius Homiliæ fuisse illum Severum, Antiochiæ Episcopum, qui fuit Synodi Chalcedonensis hostis acerrimus. Quidquid sit, nominatur iste modò *Severus*, modò *Severus Antiochenus*, modò *Severus*, *Antiochenus Episcopus*, modò *Græcus*, modò *Severianus*, modò deniquè *Servius*. Vide præsertim Fabricium, Bibl.othecâ græcâ, Tom. 9, p. 334, edit. Hamburgi, 1715.

immutabili ratione fieri hominem, ac permanere Deum. Noverat siquidem Scriptura sacrâ *carnis* nomine *hominem* appellari, quemadmodùm etiam solius *animæ* nomine intelligi, et ex parte totum animal nosci, ut cùm dicit : *Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet*[1]; et : *Benedicat omnis caro nomen sanctum tuum*[2]. Et è contrà Moyses ad filios Israel loquens, ait : *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum*[3].

3. Non particula quædam efficacitatis Verbi similisve virtus Virginem obumbravit, ex eâ fetum efformando, qualis Jeremiam, aut quempiam eorum qui ex matris utero sanctificati referuntur; verùm ipsummet Verbum, existens Deus, quodque erat in principio, *caro factum est*, non deserens quod erat, sed caro fieri sustinens, individuâ unitate genitæ carni secundùm hypostasim adunatum, ità ut ipsum quidem genealogiâ careat, in quantùm Deus; eam verò habeat, in quantùm propter nos immutabili ratione factum est homo, ex semine Abraham suum genus deducens. Undè et Virgo Deipara, ex quâ ipsum carnem assumpsit, ac homo factum est, unitum carni animâ rationali præditæ, atque hoc est : *Et habitavit in nobis*.

THEOPHILACTUS, ARCHIEPISC. ACRIDIS IN BULGARIA[a].

NUM. 1. Contra hæreticos negantes Verbi æternitatem. Cur dicitur Verbum, non Filius? — 2. Filius Patri coæternus. Confutatur hæresis Sabellii negantis trinitatem personarum, et Arii asserentis Filium Dei esse creaturam. — 3. Ille Deus Verbum numquàm separatum est à Deo Patre. — 4. Quomodò per Verbum facta sunt omnia? — 5. Prava expositio Macedonianorum circa hanc clausulam : *In ipso vita erat*. Alia nova expositio Catholica. — 6. Quid significat vox *tenebræ*? — 7. Quo sensu Joannes Baptista Angelus dicitur? — 8. Missus est, ut omnes crederent. — 9. Christus lux vera mundi. Refellitur error Photini et Pauli Samosateni. — 10. Refutatur Arii et Manichæorum hæresis. Quid significat vox *mundus*? — 11. Christus non receptus à suis, id est, vel absolutè à toto mundo, vel speciatim à Judæis. — 12. Potestas data ut fiamus filii Dei. — 13. Christiani, aliter quàm Judæi, filii Dei. — 14. Cur Verbum caro factum? — 15. Confutantur errores Nestorii, Eutychetis, Manichæorum et Armeniorum. Maria propriè Deipara. — 16. Quomodò manifestata est gloria Verbi incarnati?

1. *In principio erat Verbum*. Cùm Evangelistæ alii inferiorem nativitatem Domini, educationem et incrementum latè narràrunt, ea Joannes transcurrit quidem, uti satis à condiscipulis suis dicta; de deitate autem ejus qui propter nos homo factus est, disserit : tametsi, si diligenter consideraveris, neque illi de deitate Unigeniti dicere neglexerunt, sed ejus mentionem fecerunt, quamvis non diffusè; neque iste ità sublimitati Verbi intentus fuit, ut omninò posthaberet dispensationem ejus in carne; unus enim erat Spiritus qui movebat omnium animas. Itaque nobis de Filio disserit; etenim Pater nobis ex Veteri Lege notus erat; tametsi nec de Patre obticeat, sed et ejus meminit, de Filio loquens. Ostendit igitur sempiternitatem Unigeniti, dicendo : *In principio erat*, hoc est : A principio erat; quod enim à principio est, ejus omninò nullum tempus inventum quandò non erat. Et undè, dixerit quis, manifestum quòd *in principio* idem sit quod *à principio?* Undè? Ex ipsâ quidem communi conceptione, maximè autem ab hoc ipso Evangelistâ. Inquit enim in unâ suarum Epistolarum : *Quod erat ab initio, quod vidimus*[4]. Vides igitur quomodò ille dilectus Domini seipsum interpretetur? Etiam, inquit[b]; sed ego istud, *In principio*, sic intelligo, quemadmodùm et à Moyse dictum est : *In principio fecit Deus*[5]. Sicut enim illic istud, *In principio*, non intelligitur quasi cœlum fuerit sempiternum; sic neque hoc loco quòd sempiternus sit Unigenitus. Hæc quidem hæreticus. Nos autem ad hanc stultam instantiam nihil aliud dicimus quàm hoc : O Sophista malitiæ, quomodò quod sequitur, subticuisti? At nos etiam hoc, te nolente, dicemus. Nam illic quidem Moyses dicit : *In principio fecit Deus cœlum et terram*; hoc autem loco : *In principio erat Verbum*. Quæ igitur communio verbi *fecit*, ad verbum *erat?* Equidem siluissem, si hoc loco scriptum fuisset : *In principio fecit Deus* Filium; nunc autem inquit : *In principio erat*. Ex quo intelligo sempiternum fuisse Verbum, et non posteriùs conditum, sicut vos nugamini. Quarè autem non dixit : *In principio erat* Filius, sed : *Verbum?* Audi : Propter auditorum infirmitatem, ne, audito statim ab initio Filii nomine, cogitaremus nativitatem corporalem et ab affectionibus profi-

[1] *Psalm.* LXIV, 3. — [2] *Id.* CXLIV, 21. — [3] *Exod.* I, 5. — [4] I *Joan.* I, 1. — [5] *Gen.* I, 1.

[a] Editio Paris. 1635. E Comment. in Joannem, cap. 1. — [b] *Subaudi* hæreticus.

ciscentem; et ejus gratiâ ipsum vocavit Verbum, quò discas, quòd sicut verbum gignitur ex mente sine passione, ità et hic à Patre natus est absque ullâ affectione. Vel aliter : Ideò Verbum appellavit, quia Paterna nobis annuntiavit, quemadmodùm omne verbum mentis voluntates annuntiat. Insuper : Ut ostendat coæternum esse Patri Filium ; sicut enim dici nequit mentem aliquandò esse absque verbo, ità neque Patrem et Deum absque Filio. Dictum est autem cum articulo, *illud* Verbum [a] ; sunt enim multa etiam alia verba Dei, ut *prophetiæ* et *mandata*, secundùm quod dictum est de Angelis : *Potentes virtute, facientes verbum ejus* [1], hoc est, mandata ejus ; sed propriè Verbum subsistentia est personam constituens.

2. *Et illud Verbum erat apud Deum.* Et hoc loco manifestiùs indicat coæternum Patri Filium. Ne enim existimes quòd Pater aliquandò fuerit absque Filio, dicit : *Et illud* Verbum *erat apud Deum,* hoc est, cum Deo, in sinibus Paternis. *Apud* enim intelligere debes pro *cum,* sicut et alio loco dictum est : *Nonne fratres ejus et sorores ejus apud nos sunt* [2], hoc est, nobiscum sunt, et nobiscum conversantur? Sic et hoc loco *apud Deum* intellige, hoc est, cum Deo erat, cum Deo, in sinibus ejus. Impossibile enim est Deum absque sermone et sapientiâ et virtute esse. Idcircò quia Verbum et sapientia et virtus Patris existit Filius, credimus ipsum semper esse apud Deum, hoc est, cum Patre. Et quomodò, inquit, possibile est quòd, cùm Filius, non sit posterior Patre? Quomodò? Disce à corporali exemplo : Splendor solis nonne ab ipso sole est? Etiam omninò. Numquid ergò et posterior sole, ità ut sine eo sol intelligatur? Hoc dici non potest. Quomodò enim sol esset, splendorem non habens? Igitur multò magis hoc de Patre et Filio intelligetur. Filius enim, Patris cùm *sit splendor*, sicut et Paulus dicit [3], semper cum Patre credendus est fulgere, nec esse illo posterior.

Attende hîc et Sabellium Lyben hoc dicto confutari. Ille enim docuit quòd Pater, Filius et Spiritus una persona sint, et quòd unica illa persona apparuerit aliquandò ut Pater, interdùm ut Filius, nonnumquàm ut Spiritus sanctus. Hæc nugatur mendacis patris filius, malignoque spiritu plenus ; arguitur autem manifestè ex hoc quòd dicitur : *Et illud* Verbum *erat apud Deum.* Manifestè enim Evangelista hoc loco alium dicit esse Verbum, et alium Deum, hoc est, Patrem. Nam quia Verbum erat apud Deum, manifestum quòd duæ personæ introducantur, etiamsi una natura sit in his duobus. Quòd autem una natura sit, audi : *Et Deus erat illud Verbum.* Vides quòd et Verbum erat Deus, et ità una erat natura Patris et Filii, quia et una divinitas. Confundantur igitur et Arius et Sabellius. Arius quidem, qui creaturam dicit Filium Dei et facturam. Confutetur autem per hoc quod dicit : *In principio erat illud Verbum, et Deus erat illud Verbum.* Sabellius verò negans personarum Trinitatem, sed asserens unitatem, rejiciatur per hoc quod dicitur : *Et illud Verbum erat apud Deum.* Manifestè enim hoc loco alium esse Verbum, et alium esse Patrem declarat magnus Joannes, etiamsi non sit aliud et aliud. Alius enim et alius de personis dicitur ; non autem aliud et aliud de naturis. Et, ut exemplo manifestius faciamus, Petrus et Paulus sunt alius et alius ; sunt enim personæ duæ, sed non aliud et aliud ; una enim eorum natura est, humanitas. Sic igitur de Patre ac Filio dicendum. Alius enim sunt et alius, duæ personæ, non autem aliud et aliud ; una enim natura eorum, deitas.

3. *Illud erat in principio apud Deum.* Ille Deus Verbum numquàm separatus est à Deo Patre. Quia enim dixerat : *Deus erat Verbum,* ne quis diabolicâ illusione turbet quosdam, dicens : Ergò quia et Verbum Deus est, aliquandò insurget contra Patrem, ut Gentiles fabulantur, et segregans se ab eo, adversarius erit, productum dicit quòd, licèt Deus sit Verbum, nihilominùs cum Deo Patre est, et ab eo numquàm separatus. Non minùs facile fuerit et Arianis respondere. Surdi, audite, qui dicitis opus et facturam esse Dei Filium. Intelligite quale nomen imposuerit Evangelista Filio Dei. Verbum enim ipsum vocavit ; vos autem opus et facturam vocatis eum qui neque opus est, neque factura. Nam, cùm duplex sit verbum, aliud quidem mentale, quod habemus etiam nihil loquentes (intellige autem virtutem loquendi ; ità enim et dormiens et nihil loquens habet vim loquendi in seipso sitam, et virtutem non abjecit ; est igitur aliud internum), aliud verò enuntiativum, quod per labia proferimus, hoc est, vis eloquendi, cùm id quod intùs situm est in mente, in opus producimus ; cùm igitur duplex sit verbum, neutrum horum congruit in Filium Dei. Neque enim vel enuntiativum, vel mentale verbum est Filius Dei ; verba enim illa naturalia sunt, et qualia apud nos. Verbum autem Patris super naturam est, nec subjectum artificiis illis loquendi inferioribus. Atque ità cadit Porphyrii Gentilis sophisma. Ille enim tentans subvertere Evangelium, talibus utebatur divisionibus : Si enim, inquit, Filius Dei verbum est, vel est pronuntiativum, vel mentale ; verùm neque hoc est, neque illud : ergò neque verbum est. Solutum itaque prius est sophisma hoc, quia dicimus quòd mentale et pronuntiativum verbum est de his quæ apud nos de

[1] *Psalm.* CII, 20. — [2] *Marc.* VI, 3. — [3] *Hebr.* I, 3.

[a] *Græcè*, ὁ Λόγος.

naturalibus dicuntur; de eo autem quod supra naturam est, nihil tale. Verumtamen et hoc dicendum: Siquidem nomen verbi dignum esset Deo, et propriè de illo ac substantialiter diceretur, haberet utiquè locum Gentilis dubitatio. At neque ullum aliud proprium nomen quis invenerit dignum Deo; neque Verbum ipsum substantialiter et propriè est nomen Unigeniti, sed tantùm manifestat absque affectione natum de Patre Filium, quemadmodùm verbum de mente, et quòd Filius sit Paternæ voluntatis nuntius. Et proindè, ô miser, quid vellicas nomen? Nam cùm dicitur Pater, et Filius, et Spiritus, ad materialia laberis, et carnales fingis patres, et filios, et spiritum aerium, meridionalem fortè, vel septentrionalem, vel alium excitantem tempestatem. Cæterùm, si scire vis quale sit Verbum Dei, audi reliqua quæ sequuntur.

4. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ne existimes, inquit[a], verbum quod in aera diffunditur et dissolvitur, sed Factorem omnium, tàm mentalium quàm sensibilium. Hìc iterùm Ariani insurgunt, et dicunt quòd, sicut dicimus securi fabricari januam quasi instrumento, et alium esse fabrum, qui movet hoc organum; ità et per Filium fieri omnia, non quòd ipse sit factor, sed instrumentum, sicut illic securis, cùm tamen Deus et Pater faciat et utatur Filio. Et ità factura, aiunt, est Filius, ad hoc facta, ut per ipsum fiant omnia, sicut èt securis ad hoc fit, ut per eam omnia artificialia elaborentur. Et hæc sunt maligna Arii nugamenta. Nos autem quid illis dicemus? Simpliciter ac rectè, quòd si in hoc creavit, ut dicit, Pater Filium, ut instrumentum haberet ad completionem creaturæ, indignior fuerit Filius creaturâ. Nam, sicut securi, quæ est instrumentum, alia quæ per eam fiunt, digniora sunt (propter illa enim fit securis, non illa propter securim); ità et creatura dignior est Unigenito; propter illam enim, ut dicunt, ipse Pater creavit eum, et ità ut, si non fuisset omnia creaturus, neque Unigenitum produxisset. Quid his verbis insipientius?

5. Etiam, inquit[b]; et quomodò non dixit quòd ipsum Verbum fecerit omnia, sed usus est præpositione *per?* Quomodò? Ut ne suspiceris illum ingenitum, et absque principio esse Filium, et Deo adversarium, ejus gratiâ dixit quòd Pater per Verbum fecerit omnia. Finge enim regem quemdam qui habet filium, et conditurus est civitatem, et ei concredere illius exstructionem. Sicut igitur dicens quòd per filium regis condita sit civitas, non servum dicit filium regis, sed monstrat quòd hic filius habeat patrem, et non sit solus; sic etiam hoc loco Evangelista dicens per Filium facta omnia, manifestavit quòd Pater mediatore illo ad conditionem rerum, ut sic dicam, usus fuerit, non se minore sed æqualis potestatis, et ut valente talia perficere. Insuper, hoc tibi dixerim, quòd si te offendit præpositio *per*, et quæris invenire in Scripturâ sermonem quemdam, qui dicat quòd Verbum ipsum fecerit omnia, audi David: *Principio tu, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli*[1]. Vides quomodò non dixerit quia *per te* facti sunt cœli, et fundata est terra; sed: *Tu fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli.* Quòd autem hæc de Unigenito, et non de Patre dicit, disces etiam hoc et ab ipso quidem Apostolo, qui utitur hoc dicto in Epistolâ ad Hebræos[2]: disces quoque ex eodem Psalmo, cùm dicit: *Dominus in terram aspexit, ut audiret gemitum, et ut solveret mortificatos, et ut annuntiet in Sion nomen Domini*[3]. Numquid alium significat quàm Filium Dei? Hic enim *in terram aspexit*, sive hanc dicas quam inhabitamus, sive hanc nostram naturam quæ terræ involuta est, sive carnem, juxta illud: *Terra es*[4], quam et assumpsit, *solvitque* nos, *compeditos* peccatorum vinculis, et *filios occisorum*, Adæ scilicet et Evæ, *ut annuntiet in Sion nomen Domini.* Stans enim in templo docuit de Patre suo, quemadmodùm et ipse dicit: *Manifestavi nomen tuum hominibus*[5]. Hæc igitur cui congruunt? Patrine, an Filio? Omninò Filio; nam ipse annuntiavit nomen Patris, in Jerusalem docens. Itaque, postquàm hæc dixit David, subdit: *Et tu ab initio, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli.* Annon manifestè Filium inducit factorem, et non instrumentum? Quòd si præpositio *per*, diminutionem tibi inducere videtur, quid dices, cùm Paulus apponat hanc Patri? Dicit enim: *Fidelis Deus, per quem vocati sumus in societatem Filii sui*[6]. Nùm instrumentum hoc loco facit Patrem? Et iterùm: *Paulus Apostolus per voluntatem Dei*[7]. Et de his quidem satis: redeamus ad ea undè digressi sumus. *Omnia per ipsum facta sunt.* Moyses quidem de visibili creaturâ loquens, nihil nobis de mentalibus manifestavit; Evangelista autem uno verbo complexus omnia, inquit: *Omnia per ipsum facta sunt,* tàm visibilia quàm invisibilia. *Et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Quia dixit quòd omnia ipse fecerit, ut ne quis existimet quòd et Spiritum sanctum creaverit, apponit quòd omnia per ipsum facta sint. Et quæ omnia? *Quæ facta sunt;* perindè ac si diceret: Quòd si quid est ex naturâ conditâ, illud factum est à Verbo; Spiritus autem, quia non est illius factæ naturæ, non factus est ab eo. Itaque sine virtute Verbi nihil factum est quod factum est, id est, quod est naturæ illius creatæ ac factæ.

[1] *Psalm.* CI, 26. — [2] *Hebr.* I, 10. — [3] *Psalm.* CI, 20-22. — [4] *Gen.* III, 19. — [5] *Joan.* XVII, 6. — [6] I *Cor.* I, 9. — [7] *Ibid.* 1.

[a] *Subaudi*, Joannes. — [b] *Subaudi*, Arianus.

6. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Pneumatomachi, qui Spiritum negant Deum, hanc particulam sic legunt: *Et sine ipso factum est nihil:* deindè hoc loco facto puncto, legunt quasi ab altero principio: *Quod factum est in ipso vita erat;* et interpretantur locum juxta suam mentem, dicentes quòd hoc loco de Spiritu sancto Evangelista disserat, dicens: *Quod factum est in ipso*, hoc est, Spiritus sanctus, *vita erat.* Hæc autem dicunt Macedoniani, conantes ostendere Spiritum sanctum esse creaturam, et annumerare eum his quæ facta sunt. Nos autem non sic; sed puncto facto postquàm dixit *quod factum est*, novum principium legimus: *In ipso vita erat.* Postquàm enim dixit de Opifice, quòd omnia per ipsum facta sint, dicit posteà de ejus providentiâ, quòd non solùm condiderit, sed etiam ipse sit is qui vitam omnium creaturarum conservet; etenim *in ipso vita erat.* Non enim, inquit, suspiceris quòd expers vitæ sit Verbum hoc, sed *in ipso vita erat.* Scio autem à Sanctorum quodam [a] particulam hanc sic lectam: *Et sine ipso factum est nihil quod factum est in ipso:* deindè posito signo, cœpta quæ sequuntur: *Vita erat;* opinorque etiam hanc lectionem non malam, sed rectam habere sententiam. Sanctus enim iste orthodoxè intellexit, quia sine Verbo nihil factum est quod factum est in ipso; omnia enim quæcumque facta sunt et condita sunt in ipso Verbo, inquam, sine ipso non sunt facta. Deindè aliud initium erat: *Vita erat, et vita erat lux hominum. Vitam* Evangelista nominat Dominum, eo quòd contineat vitam omnium in se, et quòd spiritualis vitæ conciliator fuerit omnibus ratione præditis. *Lux* autem, non aliqua sensibilis, sed spiritualis, quæ ipsam animam illustret. Non dixit autem quòd Judæorum lumen dumtaxat sit, sed *omnium hominum.* Omnes enim homines, secundùm quòd mentem accepimus, et rationem ab eo quod nos creavit Verbo, dicimur illustrati ab eo. Nam ratio data nobis, secundùm quam rationales vocamur, lux est, quæ ducit nos ad ea quæ sunt facienda et quæ non sunt facienda.

7. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Lux, hoc est, Verbum Dei, in tenebris, hoc est, morte et errore lucet. Nam et ipse mortuus sic mortem superavit, ut et eos quos priùs absorpserat, coegerit ipsam evomere; et in errore Gentili fulget prædicatio. *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Mors enim eum non comprehendit, neque error; invictum enim est lumen hoc, Deus Verbum, inquam. Quidam autem *tenebras* existimârunt et carnem et vitam; Verbum enim factum in vitâ et carne hâc fulsit. *Et tenebræ*, adversaria, inquam, potestas, tentârunt quidem et persecutæ sunt lumen; sed invictum et infatigabile offenderunt. *Tenebræ* autem dicitur caro, non quòd secundùm naturam sit talis, absit; sed propter peccatum. Caro enim nihil omninò habet malum, si naturaliter moveatur; sed, si præter naturam moveatur, et peccato serviat, tenebræ fit et dicitur.

8. *Fuit homo missus à Deo: nomen ei Joannes.* Postquàm disseruit nobis de subsistentiâ Verbi Dei ante sæcula, quia et de Incarnatione Verbi dicturus est, sermonem de Præcursore interserit. Et quis alius quàm Joannes præcursor haberet sermonem de ipsius Nativitate, qui præcurrit et ante Nativitatem Domini? Dicit igitur de Præcursore Evangelista quòd *fuit homo missus à Deo*, missus, inquam, à Deo; pseudoprophetæ enim non à Deo missi erant. Cæterùm, cùm audieris quòd missus fuerit à Deo, nihil privatum vel humanum dicere putes, sed divina omnia. Et idcircò etiam *Angelus* dicitur. Angeli enim virtus est nihil proprium dicere. Item, cùm Angelum audieris, ne putes quòd naturâ sit Angelus, vel ex cœlo descenderit; sed propter opus et ministerium vocatur Angelus. Quia enim ministravit prædicationi, et prænuntius fuit Domini, ejus gratiâ dictus est Angelus. Propterea Evangelista subvertens quorumdam opinionem [b], qui suspicabantur Joannem naturâ fuisse Angelum, dicit: *Fuit homo missus à Deo.*

9. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Hic, inquit, qui missus erat à Deo, venit ut testimonium perhiberet de lumine. Deindè, ne quis existimet quòd hujus testimonio opus habuerit ad gloriam Unigenitus, quasi aliquâ ex parte inops, idcircò addidit quòd venit testificaturus de Filio Dei, non quòd illius testimonio habeat opus, sed ut omnes credant per illum. Nùm et omnes crediderunt? Minimè. Quomodò igitur inquit Evangelista: *Ut omnes credant?* Quomodò? Quantùm in illo erat: propterea testificabatur, ut omnes trahat. Quamvis autem quidam discredant, non tamen ideò ille reprehendendus. Quoniam et sol in hoc lucet, ut omnes illuminet; at si quis in caliginosâ quâdam domo se incluserit, et jubare non fruatur, quid hoc ad solem? Sic igitur et hoc loco missus quidem fuit Joannes, ut omnes credant; quamvis autem evenerit contrarium, ille in causâ non est.

10. *Non erat ille lux illa, sed ut testaretur de luce.* Quandoquidem, ut sæpè fieri solet, qui testatur, major est eo qui testimonium perhibet, ne existimes quòd Joannes testificans Christo, major illo fuerit, malam suspicionem illam interimens, inquit: *Non erat ille lux illa.* Sed dixerit quis-

[a] Catholica est illa nova lectio. — [b] Vide suprà, p. 545, Homiliæ 2 in Origenis numerum 24, et Notam *a* huic num. subjacentem, necnon p. 620, Homiliæ S. Cyrilli Alexandrini numerum 23.

piam; Igitur non erit vel Joannes, vel quispiam Sanctorum vocandus lux? Lucem utiquè rectè dixerimus unumquemque Sanctorum; sed lucem illam cum articulo neutiquàm dicemus. Undè si quis tibi dixerit : Joannes lux est? Annue. Si autem interrogavit : Numquid Joannes *lux illa* est? Dic : Non; non enim ipse propriè lux est, sed lux per participationem, habens fulgorem à verà luce. *Erat lux illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Dicturus est de Incarnatione Unigeniti, quòd venerit in propria, quòd caro factus sit; ne igitur quis suspicetur quòd non fuerit antequàm incarnaretur, ejus gratià subvehit mentem nostram in substantiam quæ ultra omne principium est, et inquit : *Erat*, etiam antequàm incarnaretur, *lux illa vera.* Et per hoc Photini et Pauli Samosateni subvertit hæresim, qui docent in suis dogmatibus Unigenitum tunc cœpisse, quandò de Marià natus est, et ante hoc non fuisse. Audi et tu, Ariane, qui negas verum Deum Filium Dei, quid dicat Evangelista : *Erat lux illa vera.* Et tu quoque, Manichæe, qui dicis quòd simus creaturæ opificis diaboli, audi quia *lux illa vera illuminat omnem hominem.* Si igitur malignus ille opifex tenebræ est, nullum utiquè illuminat; atque ità veræ lucis creaturæ sumus. Et quomodò, inquit, illuminat omnem hominem, cùm videamus tàm multos obtenebratos? Quantùm ad ipsum attinet, illuminat omnes. Dic enim, obsecro, nonne omnes rationales sunt? Nonne omnes naturà scientes bonum et malum? Nonne omnes habent virtutem ex creaturis cognoscendi Creatorem? Et ità ratio data nobis, et natura nos instruens, quæ et naturalis lex vocatur, hæc vocata est lux nobis à Deo data. Quòd si autem quidam ratione usi non sunt, hi seipsos obtenebrârunt. Nonnulli hanc dubitationem ità solvunt : *Illuminat*, inquiunt, Dominus *omnem hominem venientem in mundum*, hoc est, eos qui sunt in statu meliori, et dantes operam ut ornetur anima sua, neque illam inornatam et turpem esse sinentes.

10. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In mundo erat*, sicut Deus ubique præsens. Quin et propter providentiam et conservativam vim quà omnia conservat, dicendus est in mundo esse : atqui cur hoc, inquit, dico quòd in mundo fuerit, quoniam neque mundus ipse fuisset, nisi ille ipsum condidisset? Ubique ipsum ostendit Opificem, partìm, ut Manichæi insaniam reprimeret, qui dicit malignum opificem produxisse omnia, et Arium confutaret, qui dicit Filium Dei esse creaturam : partìm, ut omnem hominem induceret ut confiteatur Factorem, et non serviat creaturis, sed adoret Conditorem. *At mundus*, inquit, *eum non cognovit*, hoc est, promiscuus ille populus, qui mundanis addictus est negotiis. Mundus enim significat quidem et universum hoc, sicut hoc loco dictum est, quòd *mundus per ipsum factus est*; significat autem et eos qui mundana sapiunt, sicut hìc dicit quòd *mundus eum non cognovit*, hoc est, terreni homines, quoniam Sancti omnes et Prophetæ agnoverunt.

11. *In propria venit, et proprii eum non receperunt.* Hoc loco manifestissimè ingreditur sermonem de Incarnatione; et est totus sententiæ contextus is : Erat quidem absque carne lux vera in mundo, et non agnoscebatur : deindè *in propria* venit cum carne. *Propria* autem *ejus*, vel totum mundum intellige, vel Judæos, quos elegit ut funiculum hæreditatis, et ut portionem peculiumque suum. *Et proprii eum non receperunt*, vel Judæi, vel cæteri homines ab eo conditi. Igitur quemadmodùm deplorat dementiam hominum, ità et admiratur misericordiam Domini. Qui proprii ejus, inquit, erant, non omnes receperunt eum. Nullum Dominus necessitate cogit et attrahit, sed voluntatem reliquit et electionem.

12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem fieri filios Dei, his qui credunt in nomine ejus.* Sive servi sive liberi, sive pueri sive senes, sive Barbari sive Græci, *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Qui autem sunt illi? Ii qui credunt in nomine ejus, hi scilicet qui suscepto verbo lucem veram per fidem receperunt et declarârunt. Cujus gratià non dixit quòd fecerit eos filios Dei, sed quòd potestatem dederit eis filios Dei fieri? Cujus gatià? Audi : Quia non sufficit ad custodiam puritatis, baptizari; sed et multo studio opus est, ut imago adoptionis in filium Dei, figurata in baptismate, incontaminata servetur : idcircò multi quidem in baptismo gratiam receperunt adoptionis; per ignaviam autem non fuerunt filii Dei usquè ad finem. Fortassìs autem quis etiam hoc dixerit, quòd multi recipiunt eum per hoc quod solùm credunt, quales sunt qui dicuntur Catechumeni; nondùm autem facti sunt filii Dei; potestatem autem tunc habent, cùm voluerint baptizari, et hanc gratiam consequi, adoptionem, inquam, in filios. Dicet autem quis et hoc : Quamvis in baptismo adoptionis beneficium accipiamus, tamen quod perfectum est, in resurrectione accepturi sumus, et perfectissimam adoptionem tunc recepturos nos speramus, sicut et Paulus inquit quia *adoptionem filiorum accipimus*[1]. Quapropter et hìc Evangelista non dixit : *Quotquot receperunt eum*, fecit eos filios Dei, sed : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, hoc est, dedit ut in futuro sæculo gratiam illam suscipiant.

13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex volun-*

[1] *Rom.* VIII, 23.

tate carnis, *neque ex voluntate viri*, *sed ex Deo nati sunt.* Comparationem quodammodò facit divinæ et carnalis generationis, non absurdè reducens nobis in memoriam carnales partus, ut, agnitâ vilitate et humilitate carnalis generationis per comparationem, ad divinam gratiam curramus. Dicit igitur : *Qui non ex sanguinibus nati sunt*, menstruis scilicet; ex illis enim embryo nutrimentum habet et incrementum. Dicunt autem quòd et semen primùm sanguinis naturam accipiat, et deindè in carnem et aliam dispositionem transformetur. Quia autem probabile est quosdam dicturos quòd et nativitas Isaac ferè talis fuerit, quali generantur credentes in Christum (etenim Isaac non *ex sanguinibus* natus est; defecerant enim Saræ menstrua [1]), itaque, quia possibile est quosdam talia suspicari, subdit : *Neque ex voluntate carnis*, *neque ex voluntate viri.* Etenim, quamvis nativitas Isaac non fuerit *ex sanguinibus*, erat tamen *ex voluntate viri;* voluit enim utiquè vir generare sibi puerum de Sarâ [2]. *Ex voluntate* autem *carnis*, sicut ex Annâ Samuel[3]. Dixerit enim quis Isaac ex voluntate viri, Samuelem verò ex voluntate carnis, hoc est, Annæ; sitivit enim, inquit, ut possideret filium sterilis ista. Fortassìs autem ambo ex utrisque. Quòd si et aliud quid volueris discere, audi : Carnalis coitus vel fit à naturali ardore (sæpè enim quis calidioris complexionis est, et indè ad coitum est propensior); et hoc appellat *voluntatem carnis :* vel propter malam consuetudinem et intemperantiam diætæ, impetus coeundi violentior fit; et illum nominat *voluntatem viri*, quòd non sit ex naturali constitutione, sed opus sit virilis intemperantiæ. Fortassìs autem quia mulier interdùm invenitur ad coitum propensior, interdùm verò vir, per voluntatem quidem carnis, intellexit mulieris; per voluntatem autem viri, viri lasciviam significavit. [[a] Intelliges autem rectè per voluntatem carnis, concupiscentiam incendentem ad coitum carnem ; per voluntatem autem viri, congressum ac copulam concupiscentis, qui operis est principium. Posuit autem ambo, quia multi concupiscunt quidem ; at non statim à concupiscentiâ abstrahuntur, sed imperant illi, et in opus non labuntur. Cæterùm, qui vincuntur, illi primùm à carne et titillante concupiscentiâ succensi concitantur ut coitum velint. Igitur rectè adjunxit Evangelista voluntatem carnis voluntati viri, quia coitum naturâ præcedit concupiscentia, et in copulâ necessariò præcedunt utraque.] Hæc omnia dicta sunt propter eos qui multa sæpè interrogant stultè, quoniam, propriè dicendo, una ex omnibus illis sententia declaratur, ipsius, dico, quæ in carnali est generatione, vilitatis clarior manifestatio. Quid igitur plùs habemus nos, qui in Christum credimus, quàm Israelitæ in Lege ? Etenim et illi dicebantur filii Dei. Magnum sanè inter nos et illos discrimen, quoniam Lex in omnibus habebat umbram futurorum [4], neque adoptionem filiorum Dei dabat Israelitis, sed quasi in figurâ et typo ; nos autem secundùm veritatem, accepto Spiritu Dei per baptisma, *clamamus : Abba, Pater* [5]. Sicut autem illorum baptisma in umbrâ et in figurâ erat, ità et adoptionem quoque nostram præfigurabat. Proptereà, quamvis vocati fuerint filii, hoc tamen contigit eis in umbrâ, neque in veritate eamdem filiorum adoptionem habuerunt, quàm nos nunc per baptisma.

14. *Et Verbum caro factum est.* Postquàm dixit quòd nos credentes in Christum, si voluerimus, efficiamur filii Dei, subinfert nunc et causam tanti boni. Dicit enim : Vis discere quid conciliàrit nobis hanc adoptionem in filios? Quia *Verbum caro factum est.* Quandò autem audieris quòd *Verbum caro factum est*, ne opineris quòd à suâ naturâ destiterit, et in carnem versum sit (neque enim Deus fuisset, si versum et alteratum fuisset), sed manens quod erat, factum est quod non erat. Apollinarius autem Laodicenus hinc hæresim excitavit. Dogma enim ejus erat, Dominum et Deum nostrum non suscepisse perfectam hominis naturam, videlicet corpus cum animâ rationali, sed carnem solam, intellectualis et rationalis animæ expertem. Quid enim opus habebat animâ, inquit, qui habebat deitatem, quæ gubernat corpus, sicut nos habemus animam corpus nostrum dirigentem? Habebat autem ansam, ut existimabatur, ex præsenti dicto : *Et Verbum caro factum est.* Non enim, inquit, dixit : Et factum est homo, sed : *Caro ;* et ità non suscepit animam quæ habet mentem ac rationem, sed carnem absque mente et ratione. Ignorabat autem miserabilis ille, quòd Scriptura plerumquè à parte totum nominet; utpotè commemoratura totum hominem, à parte, animâ scilicet, ipsum nominat, ut : *Omnis anima quæ non circumciditur, occidatur* [6]*;* ecce enim pro eo quod est omnis homo, dicit partem, animam scilicet. Et iterùm à carne nominat totum, ut quandò dicit : *Et videbit omnis caro salutare Dei* [7] ; dicere enim volens omnem hominem, *carnis* nomine usus est. Sic et Evangelista pro eo quod est : Verbum homo factum est, dixit : *Verbum caro factum est*, à parte totum hominem nominans, ex animâ et corpore constitutum. Fortassìs autem quia caro à divinâ naturâ alienior est, volens Evangelista significare immensam Dei misericordiam, carnis meminit, ut ineffabilem ejus benignitatem obstupes-

[1] *Gen.* XVIII, 11. — [2] *Id.* XXI, 5. — [3] I *Reg.* I, 20. — [4] *Hebr.* X, 1. — [5] *Rom.* VIII, 15. — [6] *Gen.* XVII, 14. — [7] *Luc.* III, 6.

[a] Quod uncis includitur, deest in Codice Romano.

camus, quòd propter nostram salutem alienum à naturâ suâ, et omnibus modis peregrinum, carnem dico, assumpserit. Anima enim cognationem quamdam habet cum Deo, caro autem nullo modo communicat ; et idcircò opinor Evangelistam solo carnis nomine usum, non quòd anima expers sit assumptionis, sed ad majorem ostensionem mirandi et stupendi sacramenti. Nam si non assumpsisset animam humanam Verbum incarnatum, incurabiles adhuc essent animæ nostræ. Nam quod non assumpsit, non sanavit. Et quàm ridiculum, cùm anima prior ægrotàrit (illam enim, cùm crederet sermonibus serpentis, deciperetur que in paradiso, ut dominam et reginam secuta est manus, et fructum attigit [1]), si relinqueretur domina, et non assumeretur, nec curaretur ; assumeretur autem, et sanctificaretur, et curaretur caro! Verùm Apollinarius valeat. Nos autem quandò audimus quòd Verbum caro factum sit, credimus quòd totus homo factus, quandoquidem Scripturæ mos est et carnem, et animam, ut à parte, totum hominem nominare.

15. Convincitur autem et Nestorius ex hoc dicto. Dicebat enim ille quòd non Deus Verbum fuerit ille homo conceptus ex sanctissimis sanguinibus sanctæ Virginis; sed peperit quidem Virgo hominem ; iste autem homo gratiam assecutus in omni virtutum genere, habuerit Verbum Dei sibi coadunatum, quod potestatem ei dederat contra immundos spiritus ; atque ità dicebat duos filios, unum Virginis Jesum hominem, et alium Filium Dei, qui adunatus quidem fuerit homini inseparabiliter, sed per habitum, et gratiam, et charitatem, quemadmodùm et in virtutibus prædito. Hæc ille, suâ sponte ad veritatem surdus; nam, si voluisset, audivisset utiquè et beatum Joannem Evangelistam dicentem : *Verbum caro factum est.* Nonne manifestè hìc convincitur? Ipsum enim Verbum factum est homo. Non dixit quòd, invento homine virtutibus prædito, illi se adjunxerit, sed factum est ille ipse homo. Confutantur insuper et Eutyches, et Valentinus, et Manichæus hoc loco. Illi enim dixerunt quòd apparuerit homo juxta apparentiam. Audiant igitur : *Verbum caro factum est.* Non dicit quòd apparenter fuerit caro, sed quòd fuerit veritate et substantiâ, et non phantasiâ. Absurdum enim et stultum esset credere quòd, cùm Filius Dei veritas sit et dicatur, mentiatur Incarnationem. In hunc se modum mendax phantasia semper ostentat. *Et habitavit in nobis.* Quoniam suprà dixerat : *Verbum caro factum est*, ut ne quis suspicetur quòd una natura facta sit Christus, ideò subdit : *Et habitavit in nobis*, ut ostendat duas naturas, nostram scilicet, ac Verbi. Nam, sicut alterius naturæ est tabernaculum, et alterius is qui inhabitat in eo, ità et Verbum in nobis habitare dicitur, hoc est, in nostrà naturâ, et alterius est naturæ quàm sit nostra. Confundantur Armenii, qui unam colunt naturam. Discimus igitur per *Verbum caro factum est*, quòd ipsum Verbum homo factum est ; et cùm sit Filius Dei, factum est filius mulieris, quæ propriè Deipara dicitur, eo quòd genuerit Deum in carne. Per hoc autem quod dicit : *Habitavit in nobis*, discimus duas naturas credendas in Christo. Nam, etsi unus sit secundùm hypostasin, hoc est, secundùm personam ; secundùm naturas tamen duo, Deus videlicet et homo. Divina autem natura et humana non fuerunt una, etiamsi apud unum videantur, Christum dico.

16. *Et spectavimus gloriam ejus, gloriam velut Unigeniti à Patre, plenum gratià et veritate.* Postquàm dixit quòd caro factum sit, subdit nunc : *Et spectavimus gloriam ejus*, cùm videlicet esset in carne. Etenim cùm faciem Moysi ex colloquio Dei factam clariorem Israelitæ videre nequiverint [2], multò magis Apostoli nudæ deitatis Unigeniti capaces non fuissent, nisi per carnem apparuisset. Spectavimus autem gloriam, non talem qualem habebat Moyses, vel cum quâ gloriâ Cherubim et Seraphim Prophetæ apparuerunt [3], sed talem gloriam, qualem decuit esse Unigeniti à Patre, quæ illi naturaliter inest. Nam *velut*, hìc non similitudinis, sed confirmationis et determinationis inhabitatæ verbum est : sicut, cùm regem videmus cum gloriâ magnâ venientem, dicimus quòd velut rex prodeat, hoc est, quòd verè sit rex; ità etiam hoc loco intelligere debes, *velut Unigeniti*, quòd gloria quam spectavimus, reverà fuerit gloria Filii, *plena gratià et veritate. Gratià* quidem *plena*, secundùm quòd sermo ejus gratiosus erat, ut sic dicam juxta David : *Diffusa est gratia in labiis tuis* [4]; Evangelista : *Admirabantur omnes super sermonibus gratiæ qui procedebant ex ore ejus* [5]. Et omnibus sanitates conferebat, prout congruebat eis. *Veritate* autem *plena erat*, secundùm quòd ea quæ Prophetæ et Moyses ipse vel dicebant vel faciebant, figuræ erant per omnia; at quæ Christus faciebat dicebatque, plena erant veritate, cùm esset ipsamet gratia et ipsamet veritas, aliisque suppeditaret eam. Ubi autem spectàrunt gloriam illam? Quidam suspicantur quòd fortassìs in monte Thabor [6]. Fortassìs autem et hoc verum est, quòd non solùm in monte, sed etiam in omnibus quæ dicebat et faciebat [7], spectabant gloriam ejus.

[1] *Gen.* III, 6. — [2] *Exod.* XXXIV, 29 *et* 30. — [3] *Ezech.* X, 18. — [4] *Psalm.* XLIV, 3. — [5] *Matth.* VII, 28. — [6] *Id.* XVII, 2. — [7] *Luc.* II, 18.

EUTHYMIUS ZIGABONUS,

MONACHUS ORDINIS S. BASILII[a].

Num. i. De generatione Verbi et ejus consubstantialitate cum Patre. Ubi erat in principio? — 2. Omnia, sive visibilia, sive invisibilia, per ipsum facta sunt. — 3. Christus omnium vita, et lux hominum. — 4. Joannes testimonium perhibuit de luce. — 5. Christus lux vera, illuminans omnes homines. — 6. In sua venit, et à suis non est receptus. — 7. Quibusnam data est potestas filios Dei fieri? — 8. De Verbi Incarnatione. — 9. Et de manifestatione gloriæ ejus.

1. *In principio erat Verbum.* Nomen ἀρχή plura significat; hìc autem propriè significat idem quod *semper*. Huic verò ἀρχῇ conjuncta dictio ἦν, *Erat*, ipsum omninò reddit incognitum. Quò enim reduces mente tuâ illud *Erat*, quod ante omnia et ubique præcurrens, non sinit cogitationem tuam invenire terminum? Et in creaturis quidem, *Erat* præteritum tempus manifestat; in Triade verò increatâ, hoc etiam significat dictio *semper*. Et in intellectuali sanè ac sensibili creaturâ, de nullo suscipi potest, ut dictum sit: Semper erat, siquidem omnia postmodùm facta sunt; sed id soli beatæ Trinitati aptatur; nam sola ipsa infecta est, sive increata. Similiter quoque nomen λόγος, *verbum*, multa significat; nunc autem propriè significat Dei Filium. Dicitur namque *Verbum*, prout dicit Gregorius Theologus, quòd ad Patrem ità se habeat, sicut verbum ad mentem, non tantùm ob generationem quæ omni affectu caret humano, verùm etiam propter connexionem et manifestationem: *Omnia*, inquit, *quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*[1]. Poterit quoque dicere quispiam quòd etiam sit quasi definitio ad suum definitum; nam et hoc significat dictio λόγος: *Qui* enim *vidit Filium*, inquit, *vidit et Patrem*[2], hoc est, intellexit ut sit ipse Filius tamquàm brevis ac facilis finitio naturæ Patris; omne enim quod genitum est, ejus qui genuit tacens verbum est. Cùm autem dixerit Evangelista: *In principio erat Verbum*, demonstravit quòd semper erat: nec erat tempus aliquod aut sæculum quo ipsum non erat; ipse enim effector est temporum ac sæculorum. Quarè autem non dixit: *In principio erat* Filius? Ne quæ irrepat suspicio carnalis aut temporalis generationis. Ob id siquidem cùm ipsum nominâsset Verbum, atque hinc omni tempore omnique affectu generationem ipsius supernaturalem carere docuisset, abjectis quoque cæteris indecentibus circa eam suspicionibus, postmodùm in sequentibus ipsum etiam liberè Filium dicit. Volens quoque ostendere non modò ipsum semper fuisse sive æternum, sed etiam inseparabilem ac coæternum Patri, ait: *Et Verbum erat apud Deum.* Non dixit quòd erat in loco; non enim in loco continetur, qui circumscribi non potest: neque quòd in Deo, ne statim in primordiis personarum confusionem quis imaginetur, sed quòd apud Deum sive apud Patrem, ut et quod proprium est personarum appareat, quòdque inseparabiles sint Pater et Filius, et omninò manifestum est quòd etiam Spiritus Sanctus; siquidem in principio erat Trinitas, simulque erat Trinitas. *Et Deus erat Verbum.* Cùm *Verbi* nomine usus fuisset ad docendum in supernâ generatione intemporalitatem affectuumque carentiam, curat deinceps ac tollit damnum quod ad hoc nomen subrepit, putà ne quis blasphemet, putans tale Verbum esse quale nostrum est, sive internum, sive id quod proferimus; neque enim tale est, sed substantiale, ejusdem cum Patre naturæ ac dignitatis. *Hoc Verbum erat in principio apud Deum.* Cùm dixisset quòd semper erat, quòdque à Patre inseparabile, et quòd Deus erat, brevi mirandoque modo theologiam, quam de hoc exposuit, in summam redigit, compendium divinæ de eo cognitionis nobis præbens. Dicentibus autem quòd omnis filius patre posterior est, respondebimus: Cùm dicitis: *Omnis filius*, jàm id quod quæritur dissolvistis; siquidem Dei Filius non est talis qualis est omnis filius, sed verè supernaturalis. Prætereà contentiosè asserentibus eum qui ab aliquo est, necesse omninò esse ut sit posterior eo à quo est, respondendum est quòd, etsi hoc dicant, solis tamen radius cùm ab ipso sit, non est eo posterior; numquàm enim sol sine radio apparuit. Quòd si in sensibilibus ità est, quidnam dicere quispiam poterit de his quæ majora sunt, quàm ut dici possint?

2. Ex quo autem Deum ipsum esse prædicavit, dat etiam ei divinitatis insigne, dico sanè creandi

[1] *Joan.* XV, 15. — *Id.* XIV, 9.

[a] E Commentariis in quatuor Christi Evangelia, interprete Joanne Hentenio, primùm Hieronymiano, posteà Ordinis Prædicatorum. Edit. Paris. 1544. — In hoc Opere graphicè redactum est in Compendium quidquid ad Evangeliorum explanationem diffusè tractant Origenes, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus cæterique theologi græci. Cùm suprà in Commentariis Cornelii à Lapide, Maldonati atque C. Jansenii sæpenumerò usurpatum est nomen Euthymii, nobis non licuit hujusce Auctoris interpretationem prætermittere.

potentiam; *dii enim*, inquit, *qui cœlum et terram non fecerunt, pereant*[1]; id autem, ne putetur Patre minor esse : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Cùm omnia per ipsum facta esse dixisset, ne putaretur id de sensibilibus tantùm dixisse, subdidit : *Et sine ipso factum est nihil quod factum est,* hoc est, nihil eorum quæ facta sunt, sive sensibile sit, sive intelligibile. Excluditur autem Spiritus sanctus; neque enim factus est, ut inter alia comprehendatur, sed infectus aut increatus, sicut et Filius, et Pater; sola namque divina Trinitas infecta sive increata est. Cùm autem demonstraverit Filium creatorem omnis visibilis atque invisibilis creaturæ, non exclusit Patrem à creandi dignitate, sed docuit tantùm Filium esse creatorem sicut et Patrem; id enim tribus commune est, cùm sit divinitatis insigne, ut prædictum est. Ideò quoque in divinâ Scripturâ creandi potentia quandoquè de Patre dicitur, quandoquè de Filio, interdùm verò de Spiritu sancto, tamquàm videlicet Patre volente, Filio autem operante, Spiritu sancto verò cooperante; dicit siquidem : *Pater meus ad hoc usquè temporis operatur, et ego operor*[2]. Quidam verò deliri partem illam, *Per ipsum,* Filii minorationem intellexerunt, dicentes id non creationis, sed subministrationis esse significativum. Nec viderunt quòd id de Patre quoque usurpatur; ait enim Apostolus : *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus*[3]. Ne quis autem incredulus sit, ambigens quomodò hæc et similia per ipsum facta sint, dicit :

3. *In principio vita erat,* quâ non solùm hæc produxit, verùm etiam conservat, ut in esse permaneant. Nam quod de Patre dictum est, de ipso quoque dici potest : *In ipso vivimus, movemur et sumus*[4]. Cùm autem audieris quòd *in ipso vita erat,* ne compositum eum suspiceris, sed vitæ fontem; nam protinùs etiam totum ipsum vitam nominat dicens : *Et vita erat lux hominum.* Alibi quoque dicit ipse Christus : *Ego sum vita*[5]. Qui autem Spiritui sancto resistunt, ejusque naturam diminuunt, post id quod dicitur : *Sine ipso factum est nihil,* distinctionem statuunt : deindè quod sequitur simul legunt : *Quod factum est, in ipso vita erat,* ut Spiritum sanctum factum esse demonstrent; nam de ipso loqui dicunt hujusmodi verbum. Facilè autem refelluntur : primùm quia pars illa, *Quod factum est,* indisjunctè posita, omne quod factum est indicat : deindè quia etiam vita dicitur esse lux; subdit enim quòd *vita erat lux hominum;* pòst paululùm autem de Joanne loquens, ait : *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Manifestum est autem quòd Joannes non de Spiritu sancto, sed de Filio tulit testimonium, sicut in sequentibus inveniemus. *Et vita erat lux hominum.* Etiam ipse Filius erat lux hominum, utpotè mentem ipsorum illuminans, et ab errore deducens ad veritatem : quòd autem ipsum Filium lucem nominavit, ipse quoque Filius alibi dicit : *Ego sum lux mundi*[6]. Dicitur itaque et lux et vita : vita quidem, tamquàm vivificans ac continens universa; lux verò, quasi illuminans et exhilarans mentem hominum qui ipsum recipiunt. Quidam autem vitam ac lucem dicunt Evangelicam prædicationem quam hominibus adduxit, utpotè causam vitæ spiritualis ac cognitionis lucis. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Lucem quidem vocat prædicationem, propter dictam causam et propter veritatem; tenebras verò errorem, propter falsitatem. Dicit ergò : Prædicatio in errore lucet, et error eam non comprehendit. Gregorius autem Theologus dictum verbum aliter intelligit Sermone quem facit in Sancta Lumina; verùm potest hanc et illam recipere interpretationem. Cùm ergò hactenùs Evangelista de Filii divinitate disseruerit, consequenter hinc Evangelium aggreditur :

4. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Lucas autem scripsit : *Factum est verbum Dei super Joannem, Zachariæ filium in deserto*[7]. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de luce.* Lux intelligitur hoc in loco Christus, propter causam priùs redditam; perhibuit autem Joannes testimonium de divinitate ipsius, sicut in sequentibus patebit. Cùm autem Christus hujus testimonio non egeret, subjungitur etiam causa testimonii; addit enim : *Ut omnes crederent per illum.* Quemadmodùm enim carne vestitus est, ne nudâ divinitate appositâ omnes perderet, ità quoque testimonio usus est, ut Judæi cognati Joannis vocem audientes, per eam crederent faciliùs in eum de quo testificabatur, omnia siquidem ad hominum salutem disposuit. Joannes itaque testimonium perhibuit ut omnes crederent; non omnes tamen crediderunt; fides enim non est coacta, sed voluntaria. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de luce.* Adhuc missionis causam declarat; neque enim venit ut luceret; non erat siquidem ipse lux, sed ut testimonium perhiberet de luce; simul quoque ne putaret quispiam eum qui testimonium ferebat, majorem ac fide digniorem eo de quo ferebatur testimonium, ut plerumquè solet accidere. Verùm quia recens erat Joannis testimonium, ne similis quædam ori-

[1] *Jerem.* x, 11. — [2] *Joan.* v, 17. — [3] I *Cor.* I, 9. — [4] *Act.* XVII, 28. — [5] *Joan.* XIV, 6. — [6] *Id.* VIII, 12. — [7] *Luc* III, 2.

retur suspicio et de eo de quo ferebatur testimonium, ait :

5. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Semper erat, juxta suprà positum reconditiorem intellectum, siquidem tamquàm Deus semper erat; tamquàm homo verò, esse incœpit. Verùm si omnem hominem venientem in mundum illuminat, quomodò tot relicti sunt non illuminati? Sanè quod ad ipsum attinet, omnes illuminat; qui autem non illuminati manent, à propriâ hoc patiuntur voluntate; nam lucis beneficium quod ad solem attinet, super omnes simpliciter diffunditur. Quòd si qui luce frui nolunt, ipsi sibi causa sunt quòd non illuminentur. Veram quoque lucem dixit, tamquàm incomparabilem ac super omnes, et quæ propriè lux est.

6. *In mundo erat,* non tamquàm loco circumscriptus, sed tamquàm omnia replens. Cùm autem dixisset: *In mundo erat,* ne quis suspicaretur mundo contemporalem esse, quod accidit Paulo Samosatensi, addidit : *Et mundus per ipsum factus est;* manifestum est autem quòd factor ante id quod factum est, fuerit. *Et mundus eum non cognovit.* Mundum hunc dicit eos qui mundana sapiunt, qui mundo affixi sunt, qui à sensibilibus rebus abduci nequeunt, nec quidquam supra hæc intelligere possunt. Qui enim tales non sunt, ipsum, priusquàm etiam in carne advenisset, cognoverunt. Et hinc est quòd ad Apostolos dixit Christus : *Multi Prophetæ et justi desideraverunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt*[1]. Quòd si ipsum non cognovissent, non desideràssent videre, ut dictum est, vel audire. Itaque cognoverunt quidem eum, ejusque in carne mysterium; verùm id supernaturaliter; desideraverunt autem et sensibiliter videre ipsum mirabilia operantem, et audire ipsum docentem, et simpliciter in humanâ specie. Intelligitur quoque quòd indignatus Evangelista super eorum cæcitate qui ipsum ignoraverunt, dicit : *Et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit,* hoc est, qui facti sunt, factorem non cognoverunt. *In sua venit, et sui eum non receperunt.* Adhuc verbum ampliùs manifestat; nam *sua* mundus est, nempè factura ipsius : *sui* quoque sunt homines, utpotè etiam opera ipsius, et tamquàm ad ipsius imaginem formati. Venit igitur in eos sive ad eos tamquàm homo, siquidem tamquàm Deus in mundo erat. Declaratur autem et alio modo quòd ex quo Christus à Judæis secundùm carnem natus est, *sua* sunt horum conversationes; *sui* verò ipsi sunt, tamquàm ipsius cognati ejusdemque gentis; nam et ipse dixit: *Non sum missus, nisi ad oves perditas domûs Israel*[2]. *In sua* igitur venit, non ob propriam necessitatem ; Deus enim nullius eget, sed propter suorum salutem. *Sui* autem *eum non receperunt,* cùm venisset ut eis beneficia præstaret; sed more insanientium, Salvatorem tamquàm inimicum abjecerunt.

7. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomen ejus.* Quotquot receperunt eum, suscipiendo doctrinam ipsius, *dedit eis potestatem filios Dei fieri:* non statim fecit eos Dei filios, ne per ignaviam perdant gratiam; sed dedit ipsis potestatem fieri, quò diligentiores reddantur. Quid ergò? Nonne omnes potestatem habent ut filii Dei fiant? Non omnes, sed hi tantùm quibus datum est; solùm autem datum est credentibus in ipsum. Ideò quoque manifestans quibus dederit, subdit: *Credentibus in nomine ejus,* hoc est, in ipsum. Itaque ipsius quidem est dare potestatem; illorum verò, uti eâ. Aliud est autem per baptismum aliquem à Deo adoptari, et aliud per Evangelicorum præceptorum observantiam filium Dei fieri; nam illud principium est, hoc autem finis; et illud sanè Dei donum est, hoc verò studii facinus egregium. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nàti sunt.* Attenuat quidem humanam generationem tamquàm naturalem; eam verò quæ ex Deo est extollit tamquàm supernaturalem, ut cognitâ dejectione primæ, et exaltatione secundæ, intellectâ quoque beneficii magnitudine, dignè gratias agamus, et laboremus ne ipsum nostrâ ignaviâ perdamus. Cùm autem dixisset : *Non ex sanguinibus,* subjecit manifestiùs : *Neque ex voluntate carnis.* Deindè hoc etiam ampliùs interpretatur addens : *Neque ex voluntate viri;* sanguis enim et caro vir est; voluntatem verò, intelligit nunc coitûs concupiscentiam.

8. *Et Verbum caro factum est.* Ubi dixisset homines ex Deo natos esse, ait Filium etiam Dei factum esse hominem. Nam hoc indicat quod ait : *Verbum caro factum est,* ut qui illud admirabatur, magis etiam hoc miretur, utpotè excellentiori modo magis admirandum, quia et hoc illius causa est ; ad hoc siquidem Dei Filius homo factus est, ut homines filii Dei fierent. Cùm verò audieris : *Verbum caro factum est,* ne transmutationem divinæ essentiæ intelligas ; ipsa etenim immutabilis est ac impatibilis; sed quòd Verbum permanens quod erat, factum est quod non erat, sive manens Deus, factus est homo per carnis assumptionem, animatus videlicet. Tribus autem modis id quòd jàm est, fieri dicitur. Uno quidem modo, natura ejus quod est, in id quod fit transmutatur : juxta quem modum lac efficitur caseus, et lutum efficitur testa. Altero verò, quandò manente ejus quod erat substantiâ

[1] *Matth.* XIII, 17. — [2] *Id.* XV, 24.

immutatâ, aliud per accidens efficitur : juxta quem modum æs efficitur statua, et homo efficitur justus vel injustus, aliaque similia. Tertio verò modo, quandò salvâ ac immutatâ unius substantiâ, alia quoque additur substantia; et hoc modo miles efficitur armatus. Primo ergò modo non est Verbum factum caro; non enim natura mutata est : neque secundo; non enim per accidens caro facta est, sed ipsa quoque substantia : restat igitur ut quod dictum est, tertio modo intelligatur; nam more militis, carne vestitus bellum nostrum devicit. Dixit autem : *Factum est*, ut blasphemiam tolleret nugantium ac dicentium quòd caro imaginatum est Verbum. Usus enim hoc verbo : *Factum est*, confirmavit quòd verè et non phantasticè incarnatum est. Verùm ne divinæ substantiæ mutationem intelligas, dicit :

9. *Et habitavit in nobis.* Habitavit in nostrâ carne, in eâ quæ nobis propinqua est, in eâ quæ à nobis assumpta est. Quòd si aliud est is qui habitat, et aliud habitatio, Verbum secundùm substantiam et naturam aliud mansit à carne; nam secundùm conjunctionem et unionem, unum est Verbum suscipiens caroque suscepta, servatis etiam post unionem immutatis atque inconfusis duabus ineffabiliter naturis. *Et vidimus gloriam ejus*, gloriam Verbi, virtutem divinitatis, quæ per carnem tamquàm per velum illuxit. Quæ autem erat illa? Certè numquàm anteà visa variaque miracula, perlucida ac supernaturalis transformatio, et, tempore passionis, solis præter naturam obscuratio, formidabilis veli scissio, horribilis terræ motus, petrarum scissiones, monumentorum apertiones, mortuorum suscitationes, quodque omnium caput est, mirabilior quàm dici aut cogitari potest, Domini resurrectio, et post hanc quæcumque gloriosa Apostoli deinceps conspexerunt. *Gloriam tamquàm Unigeniti à Patre*, gloriam, non qualis est Sanctorum beatorum vel Angelorum, sed gloriam verè Unigeniti; nam hîc dictio ὡς, *tamquàm*, idem significat quod *verè*. *Unigeniti* autem *à Patre*, sive naturâ Filii Dei; unigenitum enim à matre nominari, declarat hunc naturâ filium Virginis; dici verò *Unigeniti à Patre*, hunc naturâ Dei Filium prædicat. *Plenum gratiâ et veritate.* Confirmans ampliùs quòd Verbum caro factum, nihil ob hoc diminutum sit, ait : *Plenum* erat *gratiâ* divinâ *et veritate; gratiâ* quidem in admirandis operibus; *veritate* autem in doctrinâ; et præthereà *gratiâ*, quia cuncta poterat; *veritate* verò, quia nihil in eo phantasticum erat.

SUPPLEMENTUM.

SUPPLEMENTUM.

IN EVANGELIUM VIGILIÆ NATIVITATIS DOMINI

GLOSSA INTERLINEARIS ANSELMI,

LAUDUNENSIS SCHOLASTICI ET CANONICI.

[a] Ut per Joseph de David monstraretur.

In illo tempore : Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph[a], antequàm conveni-

[b] A Joseph [c] Ecce illud novum : *Mulier circumdabit virum* [1], non aliundè quàm ex se gignendo. [d] De quo est qui concipitur et generatur. De potestate, non ex substantiâ, ne Spiritus dicatur incarnatus. [e] Sponsus.

rent, inventa est[b] in utero habens[c] de Spiritu sancto[d]. Joseph autem, vir[e] ejus, cùm esset

[f] Pro *traducere*, Græci habent *propalare*. [g] Ne si palàm esset, ut adultera puniretur. [h] Ne si retineret, nesciens eventum rei, quasi conscius esset peccati.

justus, et nollet eam traducere[f], voluit occultè[g] dimittere eam[h]. Hæc autem eo cogi-

[i] Ut occultè dimitteret. [k] Non delusor. [l] Non manifestâ visione, quia dubietate animi premebatur, velut somno infidelitatis. [m] Ne ulteriùs premeret dubietas quem commendabat æquitas. [n] Familiarem et notum ostendit, cujus nomen et genus dicit.

tante[i], ecce Angelus Domini[k] in somnis[l] apparuit Joseph[m], dicens : Joseph, fili David[n],

[o] Secundùm præceptum legis nominatam. [p] Et ne suspiceris quod de alio sit: *Quod enim*, etc. [q] Jàm conceptum.

noli timere accipere Mariam[o] conjugem tuam. [p] Quod enim in eà natum est[q], de Spiritu

[r] Non impones, quòd ab æterno impositum est. [s] Salvatorem. [t] Subdit causam nominis.

sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus[r] Jesum[s]. [t] Ipse enim salvum

[u] Quod solius est Dei. [v] Quos prædestinavit. [x] Quæ ex eis sunt.

faciet[u] populum suum[v] à peccatis eorum[x].

IN SUPERIUS EVANGELIUM

GLOSSA ORDINARIA WALAFRIDI STRABONIS.

Christi autem generatio.
Sine additamento *Jesu* ponit, ut eum intelligas de quo Propheta : *Unxit te Deus tuus* [2]. Jesus, quod substantialiter illi convenit, Angelo reservat,

[1] *Jerem.* XXXI, 22. — [2] *Psalm.* XLIV, 8.

ut qui pòst dicturus est conceptum de Spiritu sancto, nomen ei proprium ex salutationis officio sublimiùs declaret.

Sic erat.

Sicut dictum est, ut ex Josepho, origo Mariæ, quæ est de David, claresceret; et Christus, [[a] non] ex ejus semine, ut Deus et homo, per genealogiam homo, per hoc, de Virgine, de Spiritu sancto, Deus ostenditur. Sic, inquam, erat ut præscripta est et mox dicetur, sicut posteà signis et prodigiis manifestatur, ut totus Liber Deum et hominem natum demonstret : quod est credendum ut possit intelligi; hîc enim sensus deficit humanus, ubi non est natura, sed virtus. Qui non credit, non intelligit quòd Virgo peperit, quòd Verbum caro factum est.

Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph.

ORIGENES.

Ideò desponsata ut significaret Ecclesiam, quæ virgo est et sponsa; et ut per Joseph origo Mariæ ostenderetur; vel ut Joseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamiâ suspicionis; et ne ut adultera damnaretur; et ut virgo viri solatio sustentaretur; et ut diabolo partus occultaretur, qui nequit satis dignoscere an ex semine natus sit, an de virgine; et ne de virginibus esset excusatio infamiæ, quòd mater Christi infamata fuerit [b]. Desponsatio fiebat per aliquot dies ante assiduam cohabitationem, et interim erat uxor sub custodiâ viri [c].

Antequàm convenirent.

HIERONYMUS ET ALII.

Non quòd posteà convenerint, ut si diceremus : Antequàm pœnituerit, morte præventus est. Non quòd posteà convenerint, sed ostendit proximum tempus nuptiarum, in quo nuptiarum solennia celebrantur [d].

Inventa est in utero habens.

Invenit Joseph in utero habere; sed non de Spiritu sancto sciebat esse, cùm posteà ut dubius deliberaret dimittere eam. Apostolus autem hoc addit, ne interim subreperet suspicio lectori. Quomodò hoc factum sit, et quo ordine, vel in quâ civitate Christi conceptio sit celebrata, hoc prætermissum, à Lucâ exponitur [1].

Justus,

Per fidem, quâ credebat Christum de virgine nasciturum, et voluit se humiliare ante tantam gratiam. Quòd justus erat, hoc est testimonium castitatis Mariæ, ut qui servat innocentem, justus dicatur; sed et pius, dùm nollet propalare : ex conscientiâ castitatis justus, ex timore pius. Sciebat illam esse inculpabilem; sed undè, vel quid esset, ignorabat; et ideò mediam elegit viam effugiendi, ut neque innocentem proderet, neque rei incognitæ consentiendo, se reum faceret coram Deo. Vera virtus est, cùm nec pietas sine justitiâ, neque sine pietate justitia : quæ separatæ ab invicem dilabuntur.

Et nollet eam traducere,

Quam desponsaverat, in conjugium ducere, ne videretur quod ignorabat celare. Vel : Traducere ad pœnam [e], in quâ noverat non esse infamiam, quia sciebat se eam virginem accepisse, intactam servàsse.

Hæc autem eo cogitante.

Hîc docemur diù deliberandum esse in incertis, ne peccetur temeritate levitatis.

Ecce Angelus Domini.

Quia sic piè cogitat, consolari meretur, et consilium suum meliori consilio mutatur.

Fili David.

Recognosce quod promissum est domui David, de quâ tu es et Maria; et vide impletum in eâ.

Noli timere.

Quamvis tantum sit quantum credis, et ne timeas pro reatu, sed amplectere charitatis intuitu.

Conjugem.

Conjux erat non concubinatu, sed affectu; non conjunctione corporis, sed copulatione animorum.

Nota conjugem dici à primâ fide desponsationis. Igitur dispensationis est, si quis permittitur aliam ducere post sacramentum sponsionis, etsi numquàm debitum solvere possit [f].

Benè Joseph *vir*, et Maria *cônjux* dicitur, cùm in eo servatur affectus amoris, quod est verum conjugium, et in eâ sine coitu est fructus nuptiarum.

In eâ natum.

De eâ nasci, est in lucem produci; in eâ verò nasci, est concipi. Vel secundùm præscientiam Angeli, quam habet ex Deo, cui futurum quasi præteritum, *natum* dicitur.

De Spiritu sancto.

Spiritus sanctus dicitur Deus, et donum Dei, et charitas; et sola charitas eum incarnari fecit.

Pariet.

Ne videretur Joseph non esse necessarius ei,

[1] *Luc.* I.

[a] Verbum *non* nobis redundare videtur.

[b] Vide suprà, p. 227. in Appendice ad expositionem superioris Evangelii, Articuli 7 numerum 3, et dignosces quod ex his omnibus Origeni, vel potiùs Auctori Homiliæ 1 *in diversos*, et aliis tribuendum est.

[c] Vide, p. 214, Appendicis suprà dictæ Articulum 1.

[d] Vide hunc Articulum 1, et numerum 3 Articuli 3, p. 218.

[e] Prima hæc significatio vocis *traducere* profecta est ex græca vocis ignorantiâ.

[f] Vide, p. 214, Appendicis citatæ Articulum 1, et p. 233 numerum 2 Articuli 8.

subdit : *Pariet.* Et ità erit necessarius procurationi.

Vocabis.

Idem dicit isti quod prædixerat Mariæ, ut promissum Salvatorem jàm venisse tàm viris quàm feminis repræsentet ex voce.

Ipse enim ...

Nomen interpretatur.

IN EVANGELIUM NATIVITATIS DOMINI,

AD MISSAM IN NOCTE,

GLOSSA INTERLINEARIS ANSELMI LAUDUNENSIS.

[a] Quo crescebat Joannes, vel quo Maria in domum reversa est post tres menses, quibus cum Elisabeth mansit.

In illo tempore[a]: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus

[b] Professio. [c] Domino.

orbis. Hæc descriptio[b] prima facta est à præside Syriæ[c] Cyrino. Et ibant omnes,

[d] Ut nullus extra Ecclesiam censum Deo reddat.

ut profiterentur singuli[d] in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de

[e] Ubi conceptus est Christus. [f] Qui gerebat typum Christi. [g] *Domus panis*, quia ibi natus est qui suos reficit æterno pane.

civitate Nazareth[e], in Judæam, in civitatem David[f], quæ vocatur Bethleem[g], eo

[h] In præconium futuri.

quòd esset de domo et familiâ David[h], ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi

[i] Ubi profiterentur justus et virgo, nisi ubi Christus nascitur, id est, in pacato corde? *Propè est verbum in corde tuo et in ore tuo*[1].

uxore prægnante[i]. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

[k] Non in domo parentum, sed in viâ nascitur, quia per humanitatem, quasi in alieno nascebatur, non secundùm potestatem sed secundùm naturam. [l] BEDA. Non post quem alii, sed ante quem nullus.

Et peperit filium suum[k] primogenitum[l], et pannis eum involvit, et reclinavit eum in

[m] Ponitur in præsepio, id est : Corpus Domini super altare. BEDA. Ut sancta animalia carnis suæ frumento reficiat, qui panis est Angelorum. [n] BEDA. Loco eget, ut nos plures in cœlis habeamus mansiones.

præsepio[m], quia non erat ei locus in diversorio[n]. Et pastores erant in regione eâdem

[o] AMBROSIUS. Grex populus, nox sæculum, pastores sacerdotes, vel etiam Angeli.

vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum[o]. Et ecce Angelus

[p] Ut non solùm voce sermonis, sed etiam divinæ lucis claritate ortus veri luminis adstruatur.

Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos[p], et timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus : Nolite timere ; ecce enim evangelizo vobis gaudium

[q] BEDA. Fidelium de cunctis diversitatibus Gentium congregando, æternum gaudium nuntiatur.

magnum, quod erit omni populo[q] : quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est

[r] Homo et Deus. [s] In Bethleem, undè David natus. [t] Signum salutis fidelibus, humilitas Salvatoris, quæ est opposita superbiæ, per quam mors in mundum intravit.

Christus Dominus[r], in civitate David[s]. Et hoc vobis signum[t]: Invenietis infantem

[u] Ne parva unius Angeli videatur auctoritas.

pannis involutum, et positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo[u] multitudo

[v] Quæ Christum ducem sequitur.

militiæ cœlestis[v], laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in

[x] *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum*[2].

terrâ pax hominibus bonæ voluntatis[x].

[1] *Deut.* XXX, 14 *et Rom.* X, 8. — [2] *Psalm.* CXVIII, 165.

IN SUPERIUS EVANGELIUM

GLOSSA ORDINARIA WALAFRIDI STRABONIS.

Exiit edictum à Cæsare Augusto...

BEDA.

Augustus duodecim annis circa Nativitatem Christi in pace regnavit, ut etiam ad litteram completum videatur illud propheticum : *Conflabunt gladios suos in vomeres*, etc. [1]. Pacatissimo autem tempore voluit Christus nasci, quia pacem magnoperè quæsivit et amavit, quia pacis amatores semper invisit. Voluit etiam ut discipuli, quos ad prædicandum missurus erat, quocumquè vellent, securi transire possent, et ab imminentium seditionum fervore tremendâ Romani nominis umbrâ protegerentur.

GREGORIUS
(Homil. 8 in Evangelia).

Nascituro Domino, describitur mundus, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate, in quo nomen *Augusti* verè impletur, qui suos augere sufficiens, censoribus suæ professionis, non pecuniæ, sed fidei oblatione signare præcepit, quia dùm professio sæcularis obtenditur, spiritualis impletur. Abolito autem censu Synagogæ vetusto, novus census Ecclesiæ paratur, qui tributa non exigit, sed aufert, qui non uno numismate, sed unâ signatur fide [a].

Quietissimum et pacatissimum erat regnum, quia unâ descriptione totum mundum conclusit. Propterea census datus est, ut sciret rex numerum hominum et magnitudinem. Hîc primùm Judæa facta est stipendiaria Romanis.

Universus orbis.

BEDA ET AMBROSIUS.

Multæ gentes erant, quibus non imperabat Augustus; sed his verbis regnum Christi exprimitur, qui omnibus erat imperaturus. Quis enim posset totius orbis professionem exigere, nisi qui totius orbis habebat imperium?

Prima.

BEDA.

Jàm diversis temporibus pleræque partes terrarum leguntur descriptæ; sed hæc est prima earum quæ totum orbem concluserunt : quæ professio est mentium, quâ nullus excluditur. Vel certè tunc primùm cœpit, quandò Cyrinus à Cæsare in Syriam missus est, censor patrimoniorum futurus.

Syriæ.

Syria, in quâ Judæa est media, et quasi umbilicus est totius terræ. Census ergò primùm in medio terræ exigitur, ut indè posteà usquè ad fines terræ exigeretur et redderetur.

Cyrino.

AMBROSIUS.

Historico more scribens, ut seriem temporis designet, nomen præsidis tamquàm consulis, signi gratiâ huic Libro adscribit. Nam si consules adscribuntur tabulis emptionis, quantò magis redemptioni omnium debuit tempus adscribi! Habemus hîc omnia quæ in contractibus esse solent : Vocabulum summam potestatem gerentis, diem, locum, causam. Testes, qui etiam adhiberi solent, hos quoque nativitati suæ et generationi Christus adhibuit, qui signarent Evangelium, dicens : *Vos eritis mihi testes in Jerusalem* [2].

BEDA.

Sicut imperante Augusto et præsidente Cyrino ibant singuli in suam civitatem, ut profiterentur censum; sic modò imperante Christo, per Doctores, Ecclesiæ præsides, profiteri debemus censum justitiæ. Subeamus jugum, quod leve est : veniamus ad requiem animarum, quæ est patria nostra. Et sicut Cæsari solvebatur denarius, qui decem nummos habebat, qui etiam nomine Cæsaris titulabatur; sic offeramus Regi nostro decalogum legis, in quo vultum nostri Regis, id est, agnitionem voluntatis ejus inveniemus : quem denarium, quasi sacculo inclusum, portamus in viâ, cùm in occultâ conscientiæ meditatione servamus; proferemus autem, cùm *Regem in decore suo contuebimur* [3]; vel etiam proferimus, cùm *ea quæ in tenebris discimus, in lumine dicimus; et quod in aure audivimus, prædicamus in tectis* [4].

Nazareth.

IDEM.

Quotidiè Dominus in Nazareth concipitur, in Bethleem nascitur, cùm aliquis, flore verbi suscepto, se domum æterni panis operando efficit, quasi in alvo virginali concipitur in corde credentis per fidem, generatur per baptisma. Quotidiè Dei genitrix Ecclesia, suum comitata doctorem, de toto mundo in civitatem confessionis et laudis ascendens, censum suæ devotionis Regi æterno persolvit. Quæ, quasi alii desponsata, sed ab alio fecundatur, dùm præposito sibi Pontifici visibiliter jungitur, sed invisibili Spiritûs virtute cumulatur. Undè Joseph *auctus* interpretatur, indicans ipso nomine, quòd instantia loquentis magistri nihil

[1] *Isai.* II, 4. — [2] *Act.* I, 8. — [3] *Isai.* XXXIII, 16. — [4] *Matth.* X, 27.

[a] Hæc non pertinent tantùm ad Gregorium Papam, sed etiam ad Bedam (vide, p. 324, col. 1, ad finem num. 1) et ad Ambrosium (vide p. 319, col. 1, num. 1).

valet, nisi augmentum superni juvaminis, ut audiatur, acceperit.

Factum est autem.

Alibi concipi, alibi nasci Dominus voluit, ut insidiantis Herodis furorem faciliùs evaderet. Humilitas Christi commendatur, quia non solùm incarnari, sed etiam illo tempore nasci voluit, quo mox natus censui Cæsaris propter nostram liberationem subderetur.

Pannis eum involvit.

Vilibus induitur pannis, ut stolam immortalitatis reciperemus. Manus et pedes stringuntur, ut manus nostræ ad benè operandum, pedes in viam pacis dirigantur. Parvulus factus, ut nos perfecti simus.

Locus in diversorio.

Diversorium est domus inter duos muros, duas januas habens : figurat Ecclesiam inter paradisum et mundum.

BEDA.

In diversorio, ut in viâ nascitur, qui ait : *Ego sum via* [1], quâ ad patriam veritatis et vitæ veniamus.

Et pastores.

IDEM.

Nato summo Pastore, pastores ab insidiis noctis Gentium greges, more pecudum priùs viventes, vigilando defendunt, et in caulam Dei congregant. Quibus benè vigilantibus Angelus apparet, et eos claritas circumfulget, quia illi præ cæteris sublimia videre merentur, qui fidelibus sollicitè præsunt, super quos divina gratia largiùs coruscat.

Et ecce Angelus.

IDEM.

Et concipiendum, et conceptum, et natum Dominum cœli cives testantur, ut et mortales sufficienter imbuant, et suum Auctori servitium impendant.

Circumfulsit.

IDEM.

Id est, ex omni parte illorum fulsit, et radios sui luminis aspersit, quod in totâ Veteris Testamenti serie non invenitur. Consonat autem qui ait : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergò opera tenebrarum, et induamur arma lucis* [2].

Hodiè.

Cùm nox esset, non ait : Hâc nocte, sed : *Hodiè*, quia scilicet gaudium venerat nuntiare. Ubi tristia geruntur, noctis mentio solet fieri, ut : *Scandalum patiemini in me, in nocte istâ* [3].

Infantem pannis involutum.

IDEM.

Crebris infantia Salvatoris et Angelorum testimoniis et Evangelistarum est inculcata, ut mentibus nostris altiùs infigatur quod pro nobis sit factum : in quo humilitas notatur, quia, *cùm esset dives, pauper pro nobis factus est, ut inopiâ suâ nos ditaret* [4].

Multitudo militiæ cœlestis.

AMBROSIUS.

Benè Angelorum nominatur exercitus, qui sequebantur militiæ Ducem, qui contra malignos spiritus ad tutelam nostram Angelorum ordinat exercitus.

BEDA.

Uno Evangelizante, multitudo consonam in laudem prorumpit, ut et officium suum Deo impendat, et nos instruat, ut quotiès sacram eruditionem ex fratris ore audimus, Deo laudes corde, ore, opere reddamus. Quia verò Deus et homo nascitur, hominibus pax cum ipsis Angelis, Deo canitur gloria, qui ab Angelis pro nostrâ redemptione glorificatur.

Et in terrâ pax.

Quandò peccando eramus à Deo extranei, extraneos nos Angeli deputabant. Sed quia cognovimus Regem nostrum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Et timet Angelus adorari [a] ab humanâ naturâ, quam in suo Rege considerat.

Hominibus bonæ voluntatis.

IDEM.

Qui suscipiunt natum Christum, non his qui auditâ ejus nativitate sunt turbati, et eum persecuti : *Non est pax impiis, dicit Dominus* [5].

[1] *Joan.* XIV, 6. — [2] *Rom.* XIII, 12. — [3] *Matth.* XXVI, 31. — [4] II *Cor.* VIII, 9. — [5] *Isai.* XLVIII, 22.

[a] Adorari, *id est*, coli, scilicet, cultu duliæ, eo quòd humanam naturam supra Angelicam exaltatam videt.

IN EVANGELIUM NATIVITATIS DOMINI

AD MISSAM IN AURORA,

GLOSSA INTERLINEARIS ANSELMI LAUDUNENSIS.

[a] Credentes verbis Angeli pastores, testimonium dant vero Agno.

In illo tempore : Pastores [a] loquebantur ad invicem : Transeamus usquè Bethlehem,

[b] Non aspiciamus retrò, nec ad dexteram vel sinistram, nisi in solum Christum. [c] BEDA. Quod in principio apud Patrem factum est caro, et sic ostensum nobis quod in deitate non poterat videri. AMBROSIUS. Cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est Filius. [d] Caro. [e] Pater, et Filius, et Spiritus sanctus fecit, id est, incarnari constituit, et sic factum ostendit.

et videamus [b] hoc Verbum [c] quod factum est [d], quod fecit Dominus [e] et ostendit nobis.

[f] Hominem.

Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et [f] infantem positum in

[g] In carne. [h] Carnem. [i] Recto ordine per cognitionem nativitatis venerunt ad cognitionem Verbi. [k] Quod erat in principio.

præsepio [g]. Videntes autem [h] cognoverunt [i] de verbo [k], quod dictum erat illis de puero hoc; et omnes qui audierunt mirati sunt et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et re-

[l] Ab Angelis.

versi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant [l]

[m] In Bethleem.

et viderant [m], sicut dictum est ad illos.

IN SUPERIUS EVANGELIUM

GLOSSA ORDINARIA WALAFRIDI STRABONIS.

Pastores loquebantur.

AMBROSIUS.

Non sit vilis persona pastorum, quia quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem. A pastoribus fidem Maria colligit. A pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur : *Mirati sunt enim de his quæ dicebantur à pastoribus ad illos.*

Transeamus.

Moraliter. Sic nos abjectis carnalibus concupiscentiis, cogitatione et desiderio mentis in supernam domum vivi panis debemus transire, illum amando, qui pro nobis caro factus est, ut ad ejus visionem perveniamus.

Et venerunt festinantes.

BEDA.

Non cum desidià Christi quærenda est præsentia : ideò pastores sine morà inveniunt, qui non fictà fide currunt videre quæ audierant. Horum exemplum Pastores Ecclesiæ, imò cuncti fideles imitari debent, ut fide et virtute proficiant, et cœlesti oraculo erecti, præcedentium Patrum vitam, in quà panis vitæ semper et servatur et reficit, quasi Bethleem portas contemplando, subeant. Ibi Catholicæ Ecclesiæ pulchritudinem, quasi Mariam, et Doctorum cœtum, quasi Joseph, et humilem Mediatoris adventum, Scripturæ paginis insertum, quasi in præsepio, invenient.

Videntes autem.

Visio Dei, cognitio Dei est ; et hæc est sola vita hominum, ut cognoscant verum Patrem, et quem misit Jesum Christum esse unum Deum [1].

Mirati sunt.

Mirantur et de mysterio Incarnationis, et de tantà pastorum attestatione, qui fingere audita nescirent, sed simplici facundià vera prædicarent. Sic Dominus non rhetores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit. Sic et in Veteri Testamento

[1] Joan. XVII, 3.

suæ dispensationis nuntios pastores ordinavit. Ideò non est parvipendenda pastorum attestatio.

Maria autem.

AMBROSIUS.

Maria, non minùs ore pudica quàm corpore, secreta quæ noverat, nulli divulgat, sed tacito corde scrutans, congruum tempus, quo hæc Deus vulgari velit, reverenter exspectat, *conferens ea* quæ viderat circa se acta, et quæ legerat in Scripturis agenda. Ei dictum erat ab Angelo : *Ecce concipies in utero, et paries filium* [1]. Prædixit Isaias : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium* [2]. Videbat se, de stirpe David ortam, in Nazareth de Spiritu sancto concepisse, in Bethleem peperisse : quorum omnium testimonia in diversis Prophetis legerat. Comparat ergò verba Prophetarum factis, et in omnibus habet argumenta fidei. Si Maria à pastoribus discit, debemus à sacerdotibus discere. Si Maria ante Apostoli præceptum tacet, debemus post Apostoli præceptum magis doceri quàm docere.

Et reversi sunt.

BEDA.

Sic spirituales Pastores, modò, dormientibus aliis, contemplando cœlestia subvehuntur, modò castra fidelium lustrant, et probitatis exempla quærendo circumeunt, modò ad publicum pastoralis officii redeunt docendo, ut quod in privato gustaverunt, aliis prædicando eructent.

Sicut dictum.

IDEM.

Et in hoc glorificant, quòd non aliter inveniunt quàm dictum erat. Vel : *Sicut dictum est ad illos* ab Angelis, referunt laudes et gloriam Deo, non quòd Angeli imperàssent laudare ; sed ipsi laudando offerebant formam devotionis suæ, dùm dicunt : *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.*

IN EVANGELIUM NATIVITATIS DOMINI

AD MISSAM IN DIE,

GLOSSA INTERLINEARIS ANSELMI LAUDUNENSIS.

[a] In Patre, qui principium sine principio est, vel in principio omnium creaturarum vel temporum, id est, cùm inciperent omnes creaturæ vel tempora, jàm erat Verbum, vel quia ab ipso habent omnia principium existendi. Non in Mariâ incœpit, ut quidam volebant. Ut idem in substantiâ, etsi alius in personâ, quod quidam negabant. Nota consubstantialitatis. [b] Filius qui est principium de principio. [c] Filius. Verbum non prolatum, sed semper apud eum manens, scilicet Sapientia quâ de creandis omnia sciebat, vel de se. [d] Ut alia persona, non tamen alia substantia. [e] Ipse Filius erat Deus. Ne dicatur esse cum Deo, et non Deus.

In principio [a] erat Verbum [b], et Verbum [c] erat apud Deum [d], et Deus erat Verbum [e].

[f] Hoc idem Verbum non est novus Deus, sed erat apud Deum in principio, id est, in Patre, existens principium omnium cum Patre. [g] Ità erat unum cum Patre, ut omnium creaturarum principium suâ præiret essentiâ. [h] Id est, omnis creatura visibilis et invisibilis, omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium.

Hoc [f] erat in principio apud Deum [g]. Omnia per ipsum facta sunt [h], et sine ipso

[i] Nulla res subsistens sine ipso est facta. [j] Ex omni. [k] In tempore. [l] In spirituali factoris ratione semper vivit et vixit. [m] Hæc, id est, sapientia Dei. [n] Non aliarum rerum.

factum est nihil [i], [j] quod factum est [k]. In ipso vita [l] erat, et [m] vita erat lux hominum [n],

[o] Tamen à tenebris non cernebatur. [p] Ante incarnationem, sicut non cæcus comprehendit lucem super se lucentem. [q] Sed ut etiam tenebræ comprehenderent. [r] Præcursor humanitatis Verbi.

et lux in tenebris lucet [o], et tenebræ eam non comprehenderunt [p]. [q] Fuit homo [r]

[s] Non ab hominibus. [t] Non ab homine impositum, sed à Deo, quasi substantialiter datum. [u] Id est, *gratia*, qui totum à gratiâ habet, et gratiam prædicat. [v] Cur missus? Agens liberâ voluntate, hic missus est, hic venit in teste. [x] Cujus rei ?

missus à Deo [s], cui nomen erat [t] Joannes [u]. [v] Hic venit in testimonium, [x] ut testi-

[y] Cuicumque contradicenti. [z] Id est, Christo nato. Jàm nomen Verbi mutavit in lumen. [a] Quarè ? [b] Lumen Christum esse. [c] Testificans quia *Deum nemo vidit unquàm* [3]. [d] Magnus quidem erat iste, non tamen ex se lucens. Sunt tamen Sancti lux illuminata.

monium perhiberet [y] de lumine [z], [a] ut omnes crederent [b] per illum [c]. Non erat ille lux [d],

[1] *Luc.* I, 31. — [2] *Isai.* VII, 14. — [3] *Joan.* I, 18.

[e] Missus erat. [f] De quo ? [g] Autem. [h] Christus. [i] Quia est non vera lux, scilicet quæ non ex se, sed aliundè lucet.

sed [e] ut testimonium perhiberet [f] de lumine. Erat [g] lux [h] vera [i], quæ illumi-

[j] Non quòd omnem, sed quia nullus sine illo illuminatur. Ut etiam ipsum Joannem. [k] Id est, qui à Deo recedens et cadens in mundum, cæcatus est : alioquin non indigeret illuminari. [l] Et hæc lux. [m] Præsentiâ deitatis ; non ut pars ejus, sed ut factor omnibus creaturis infusus, regens quas fecit.

nat omnem hominem [j] venientem in hunc mundum [k]. [l] In mundo erat [m], et mundus

[n] Dilectores mundi, quia omnem sensum et intellectum divina lux excedit. [o] In humanam naturam, id est, in mundum, qui suus est. [p] Christus per carnem. [q] Id est, quicumque homines, præsertim Judæi, quos omnibus prætulit. Ejus cognati. Sui, non quòd nulli, quia aliqui ; sed rari : *Et quotquot receperunt.*

per ipsum factus est, et mundus [n] eum non cognovit. In propria [o] venit [p], et sui [q] eum

[r] Sive Gentiles, per fidem. [s] Per Spiritum sanctum non tantùm reformari, sed. [t] Adoptivos. Ut sint fratres ejus et cohæredes per gratiam, sicut et ipse Filius unigenitus per naturam, ut jàm non sit solus.

non receperunt. Quotquot autem receperunt eum [r], dedit eis potestatem [s] filios Dei fieri [t],

[u] Scilicet. [v] Deum esse et hominem. [x] Id est, jure ejus nominis, id est, *Emmanuel*, quod interpretatur : *Nobiscum Deus.* [y] Pluraliter, ut significet maris et feminæ materiam. Sunt nati de materiâ patris et matris. Hìc misera conditio apponitur.

[u] his qui credunt [v] in nomine ejus [x] : qui non ex sanguinibus [y], neque ex volun-

[z] Concupiscentiâ carnis, id est, feminæ quæ est caro Adæ, et regitur. [a] Vir dicitur spiritus qui regit. [b] Operante per baptismum. [c] Homines ex Deo, et Deus ex homine. [d] Id est, Filius Dei. [e] Homo.

tate carnis [z], neque ex voluntate viri [a], sed ex Deo [b] nati sunt [c]. Et Verbum [d] caro [e]

[f] *Habitu inventus ut homo* [1]. [g] Et per hoc sanati. Nos quos elegit. Id est, cognovimus Deum esse gloriosum. [h] Majestatem ejus per humanitatem, in quâ docuit et miracula fecit, in quâ transfiguratus est, in quâ surrexit. Vel altitudinem.

factum est, et habitavit in nobis [f] (et vidimus [g] gloriam ejus [h], gloriam quasi Unigeniti

[i] Non ut cujuslibet sancti. [j] Vidimus illum hominem. [k] Secundùm humanitatem. [l] Secundùm deitatem.

à Patre [i]), [j] plenum gratiæ [k] et veritatis [l].

IN SUPERIUS EVANGELIUM

GLOSSA ORDINARIA WALAFRIDI STRABONIS.

In principio erat Verbum.

Contra eos qui propter temporalem Christi Nativitatem dicebant Christum non semper fuisse, incipit[a] de æternitate Verbi, dicens : *In principio erat Verbum.* Verbum dicitur : Vel quod profertur et transit, ut quandò dicitur Deus, vel aliquid hujusmodi : Vel cogitatio seu conceptio mentis, quæ ex mente nata cum ipsâ mente permanet, ut quandò cogitas vel divinam substantiam : Vel aliam rem. Hàc similitudine ratio et sapientia Dei, quæ ex Deo nata omnia comprehendit, Verbum dicitur. Hoc dicitur esse *in principio* contra eos qui (quia ex tempore dicitur nasci ex Virgine) dicunt non semper fuisse *in principio*, id est, Patre, qui est principium de principio : in quo solùm notatur æternitas Verbi, quæ omnia præcedit. Sed, quia alii dicebant quòd idem Deus aliquandò est Pater, aliquandò Filius, ut alter notetur in personâ, subdit : *Et Verbum erat apud Deum*, ut alius apud alium. Sed quia iterùm alii concederent et semper alium fuisse, sed non Deum esse, subdit : *Et Deus erat Verbum.* Sed quia iterùm alii etiam Deum concederent, sed factum Deum, ut ex hominibus fiunt dii, contra eos addit : *Hoc*, id est, Verbum *erat apud Deum*, *in principio*, id est, ante omnia natus ex Deo : in quo et coomnipotens, et consubstantialis, et coæternus indicatur.

Postquàm autem dixit de naturâ Filii, de operatione ipsius supponit : *Omnia per ipsum facta sunt*, omnia, id est, quidquid est sive in substantiâ, sive in aliquâ naturali proprietate : ecce auctor bonorum. *Et sine ipso factum est nihil*, quia non ab eo est, quod non est naturaliter, sed quod est perversio naturæ, ut malum, sive idolum : ecce non est auctor malorum. Sed ne, quia ista facta sunt mutabilia, ipsa voluntas, et ratio, et sapientia

[1] *Philipp.* II, 7. — [a] *Subaudi*, Joannes.

Dei videretur esse mutabilis, addit : *Quod factum est* in tempore, et est mutabile, *erat vivens,* et permanens *in ipso*, ut arca facta in opere mutatur et perit, arca in mente artificis permanet, ità ut ex eà alia et alia fieri possit, illà priùs factà pereunte; et ità constat quòd creatura non est coæterna Creatori; sed ars, et ratio, et sapientia ex quà fit, est coæterna Deo.

Dicto quæ sit natura Verbi, quæ etiam ejus operatio, supponit quid faciat humanæ rationali creaturæ : *Et* hæc *vita*, id est, sapientia Dei in quà vivunt omnia, *erat lux,* quantùm in se est, etsi iniqui non sentiant ; *lux*, id est, illuminatio *hominum*, non pecorum, vel aliarum rerum. Et hæc quidem lux lucet, quantùm in se est, in tenebrosis, sicut sol super cæcum ; et tamen illi mali, ut cæci, non sentiunt solem : si enim comprehenderent, tenebræ non essent.

Ut autem et ipsæ tenebræ possent comprehendere, præmissus est homo in testimonium hujus lucis. Et ipsa lux, id est, Verbum, factum est caro, quasi mutatum in lac propter parvulos ; in formâ enim deitatis non posset nosci à parvulis.

Alii Evangelistæ describunt Christum natum ex tempore : Joannes affirmat eum fuisse in Patre, ut in principio. Non fuit antè Pater quàm Filius. Ecce Filius alia persona à Patre, una substantia cum Patre.

Erat.

Sum, verbum substantivum, duplicem habet significationem ; aliquandò enim temporales motus secundùm analogiam aliorum verborum declarat : aliquandò substantiam uniuscujusque rei, de quâ prædicatur, non ullo temporali motu designat; ideò *et substantivum* vocatur. Tale est quod dicitur : *In principio erat Verbum :* quasi in Patre subsistit Filiùs ; non enim pro tempore, sed per substantiam ponitur *erat.*

Quarè ponitur *erat*, substantivum verbum? Ut intelligas omnia tempora prævenisse coæternum Patri Verbum.

Verbum.

Vel quia per eum Pater mundo innotuit, vel quia ipsum dicendo, id est, generando, Deus Pater omnia creavit, Verbum dicitur.

Et Verbum erat.

Alii subitò inter homines apparuisse, Joannes dicit apud Deum semper fuisse. Alii verum hominem, Joannes Deum verum asserit, dicens : *Deus erat Verbum.* Alii hominem inter homines conversatum, Joannes apud Deum manentem dicit : *Hoc erat in principio apud Deum.* Alii dicunt miracula quæ fecit homo in mundo, Joannes per ipsum omnia facta testatur : *Omnia per ipsum facta sunt :* ecce auctor bonorum. Sine ipso factum est nihil : non est auctor malorum.

Omnia per ipsum.

AUGUSTINUS.

Non est creatura, per quem omnis creatura facta est. Malum non est factum per ipsum, nec ipsum idolum, quia nihil sunt : nullà suà naturà subsistunt. Tamen quidquid mente concipitur, dicitur esse : hoc modo peccatum potest esse.

Ea quæ sunt, per ipsum facta sunt. Illa autem sunt, quæ à naturà proprià non recedunt, id est, quæ concordant cunctipotentiæ divinitatis.

Et sine ipso.

Origenes ità distinguit : *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Ordo : *Nihil quod factum est, factum est sine ipso.*

AUGUSTINUS.

Quod factum est, erat vita in ipso.

JOANNES CHRYSOSTOMUS.

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

HILARIUS.

Sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso.

Quod factum est.

AUGUSTINUS.

Si audis mutabilem creaturam per Filium factam, non tamen credas mutabilem ejus voluntatem, quia non subitò aliquid voluit facere, sed omnia ab æterno fecit. Quod factum est in tempore, transit : quod in sapientiâ immutabili est, transire non potest. Faber enim arcam priùs facit in mente, pòst in opere. Quod in mente est, vivit cum artifice : quod fit, mutatur cum tempore.

Fuit homo missus.

Postquàm sublimi volatu ultra omnem naturam in altitudinem theologiæ ascendit, quia Verbum apud Patrem semper fuisse contemplatus est, mox ad humilitatem humanæ naturæ, et specialiter Præcursoris Verbi descendit, contra illos qui dicebant humanam naturam in primo parente ex toto perditam, et ad nihilum redactam.

Homo missus.

Homo, non Angelus, ut hæretici volunt. *Missus à Deo.* Ideò potuit dicere de Deo.

Erat lux vera.

Omnis homo dicitur illa natura in homine, quæ ad imaginem et ad similitudinem Dei facta est. Alia omnia quæ sunt in homine, inferiores partes hominis sunt, et quodammodò extra hominem sunt. In illâ, scilicet animâ, velut in quodam mundo superiori vera lux lucet, et in illum mundum venientes, et per gratiam renascentes illuminat, quia quorum vita et conversatio in cœlis est, quasi in alio mundo sunt.

Et mundus eum non cognovit.

Non quòd creatura non cognoverit, sed homo qui in mundum mente amando descendit. Priùs mundus ipsa creatura dicebatur ; omnis enim crea-

tura suum Creatorem recognoscit, homo verò minimè.

Et sui eum non receperunt.

Ab initio mundi nullum tempus erat, in quo receptores divini Verbi non essent, undè addit : *Quotquot autem receperunt.*

Filios Dei.

Mirabilis potestas, ut qui filii diaboli erant, et filii Dei et fratres Christi per eum liberati dicantur. Quo autem ordine filii Dei fiant, et quomodò hæc generatio distat à carnali, subditur : *Qui non ex sanguinibus.*

Et Verbum.

Ut autem securè credamus homines nasci ex Deo, subdit Deum nasci ex homine. Ex hâc susceptione infirmitatis sanatur nostra infirmitas, ut possimus filii Dei fieri. Et hoc est : *Et Verbum caro factum est.* Quod superius erat, inferius descendit. Quid mirum, si quod erat inferius, in id quod superius est, ascendit? Nec mirum, si homines nascuntur ex Deo, quia Deus ex homine est natus.

Plenum gratiæ.

Homo Christus plenus fuit gratiâ, quia, nullis præcedentibus meritis, ex quo conceptus est, fuit deitas in eo implens hominem illum omni plenitudine redundante in omnes Sanctos; undè et mater ejus non tantùm dicitur mater hominis, sed et mater Dei. Nec mirum, si dicitur homo etiam Deus, cùm Deus dicatur etiam homo. Hæc autem gratia dicitur et veritas, quia sic olim promissum est, et modò exhibitum, scilicet, ut Deus sit in homine, implens eum omni bono, et per eum, suos.

FINIS HUJUS TOMI.

I. INDEX RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

(PARVULA CRUCE ✠ DESIGNANTUR EA QUÆ PROPRIA SUNT HUIC EDITIONI.)

IN NATIVITATE DOMINI. 251

AD MISSAM IN NOCTE. *Ib.*

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM. *Ib.*

EJUSDEM EVANGELII EXPOSITIO

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS TRADITA. 292

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI. *Ib.*

II. PATRES ET SCRIPTORES LATINI. 319

AD MISSAM IN AURORA. 378

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM. *Ib.*

EJUSDEM EVANGELII EXPOSITIO

A PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS TRADITA. 385

I. PATRES ET SCRIPTORES GRÆCI. *Ib.*

II. PATRES ET SCRIPTORES LATINI. 388

AD MISSAM IN DIE.

EVANGELIUM SECUNDUM JOANNEM. *Ib.*

II. INDEX CHRONOLOGICUS

SS. PATRUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

QUORUM HOMILIÆ ET SERMONES IN VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI

NEC NON HOMILIÆ IN HUNC DIEM FESTUM

IN HOC TOMO CONTINENTUR.

---

[a] In ordine chronologico, Auctorum non nativitatis, sed obitûs epocham sequimur.

Anni Christi.	Series Patr. et Script. Eccles.		Pag.
		SÆCULUM VI.	
542	23	S. CÆSARII, Arelatensis Episcopi,	
		In Vigiliam Nativitatis Domini Homilia I. (Sanctam et desiderabilem...)	118
		— — — Homilia II. (Appropinquante jàm...)	120
		SÆCULUM VIII.	
735	24	VENERABILIS BEDÆ, Anglo-Saxonis Presbyteri,	
		Homilia è Libro 1 Expositionis Evangelii in Matthæum, cap. 1, desumpta. (Superiùs jàm nominatis...)	56
		— Altera Homilia. (Cùm Nativitatem Domini...)	*Ib.*
		— Alterius Homiliæ è Libro 1 Expositionis Evangelii in Lucam, cap. 2, excerptæ pars prior. (Nasciturus in carne...)	323
		— Ejusdem Homiliæ pars posterior. (Verba pastorum...)	388
		— Altera Homilia inscripta : « In galli cantu Natalis Domini, » cum hoc textu : *In illo tempore, exiit edictum*, etc. (Audivimus ex lectione...)	327
		— Altera Homilia inscripta : « In Aurorâ Nativitatis Domini, » quæque hunc præfert textum : *In illo tempore, pastores loquebantur*, etc. (Nato in Bethleem...)	390
		SÆCULUM IX.	
805	25	S. PASCHASII RADBERTI, Abbatis Corbeiensis,	
		Homilia è Libro 2 Expositionis Evangelii in Matthæum, cap. 1, excerpta. (Ubi primùm rectè quæritur...)	58
840	26	CHRISTIANI DRUTHMARI, Corbeiensis monachi,	
		Homilia desumpta ex Expositione in Matthæum. (Sponsus et sponsa...)	62
853	27	HAYMONIS, Halberstatensis Episcopi,	
		Homilia cum hoc titulo : « In Vigiliis Nativitatis Domini. » (His causis...)	65
856	28	B. RABANI MAURI, Fuldensis Abbatis et Mogunti Archiepiscopi,	
		Homilia in Vigiliam Nativitatis Domini. (Quotiescumquè...)	122
		SÆCULUM X.	
908	29	REMIGII, Monachi S. Germani Antissiodorensis,	
		Homilia inscripta : « In illud Matthæi : *Cùm esset desponsata*, etc. » (Nativitatem Domini...)	67
960	30	ATTONIS JUNIORIS, Vercellensis Episcopi,	
		Sermo inscriptus : « In Adventu Domini nostri Jesu Christi. » (Ad celebrandam Nativitatem...)	123
		SÆCULUM XI.	
1071	31	THEOPHILACTI, Archiepiscopi Acridis in Bulgariâ,	
		Homilia è Comment. in Matth., cap. 1, desumpta. (Quarè Deus...)	47
		— Altera Homilia è Comment. in Luc. cap. 2, excerpta. (Propterea fit...)	318
		— — — (Pastores illi...)	387
		— — in Joannem, cap. 1, desumpta. (Cùm Evangelistæ...)	641
Initio sæc. XII.	32	EUTHYMII ZIGABONI, Ordinis S. Basilii,	
		Homilia è Comment. in Joannem excerpta. (Nomen...)	648
		SÆCULUM XII.	
1101	33	RADULPHI ARDENTIS,	
		Homilia inscripta in Natali Domini. (In hâc sancti...)	333
1117	34	ANSELMI, Laudunensis Scholastici et Canonici,	
		Homilia ex Enarrationibus in Matthæum decerpta. (Desponsatio...)	69
1125	35	S. BRUNONIS ASTENSIS, Abbatis Montis Casini et Episc. Signiensis,	
		Homilia è Comment. in Matthæum, Part. 1, cap. 2, Sect. 6, excerpta. (Primùm autem quærendum est...)	70
		— Alterius Homiliæ è Comment. in Lucam, Part. 1, cap. 2, n. 7, desumptæ pars prior. (Quòd mundus...)	332
		— Ejusdem Homiliæ pars posterior. (*Pastores*, inquit, *loquebantur*...)	392
1134	36	VENERABILIS HILDEBERTI, primò Cenomanensis Episc., deindè Turonensis Archiepisc.,	
		Sermo in Vigiliam Nativitatis Domini. (*Dicite pusillanimis*...)	124
1140	37	HIERONYMI, primò Prioris S. Frigdiani Lucensis, deindè Episcopi Aretini,	
		Homilia inscripta : « Ad Missam in Nocte super Lucam. » (Quia Dominus...)	337

III. INDEX ALPHABETICUS

SS. PATRUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

QUORUM HOMILIÆ ET SERMONES IN VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI

NEC NON HOMILIÆ IN HUNC DIEM FESTUM

IN HOC TOMO CONTINENTUR.

C.

DELENDA.

Pag. 29, *deleatur parvula crux* ✠ *posita ante voces* S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.
— 86 *et* 354, *deleantur litteræ* S. R. E. *positæ ante vocem* CARDINALIS.
— 284, *col.* 1, *lin.* 16, *deleatur vox* legitur.

EMENDANDA,

IN TEXTU.

Pag. 4, *col.* 1, *lin.* 23, οὗτος, *lege* οὕτως.
— 4, — 2, — 24, Theophilacto, *scribe* Theophylacto, *et istud nomen scribe cum* y, *ubicumquè illud reperies in hoc Tomo.*
— 7, — 2, — 18, incertò *lege* certò.
— 8, — 2, — 2, *numerando à fine*, concurrisse, *lege* concurrere.
— 9, — 1, — 4, in operante, *lege* obumbrante.
— 11, — 2, — 30, paulatim fingendo, *lege* paulatim se fingendo.
— 49, *ad caput hujus paginæ*, IV SÆC., *lege* V SÆC.
— 50, — 1, — 8, Quod, *lege* Quòd, *et lin.* 10, quòd, *lege* quod.
— 51, *ad caput*, IV SÆC., *lege* V SÆC.
— 123, — IX SÆC., *lege* X SÆC.
— 125, — XI SÆC., *lege* XII SÆC.
— 284, — 2, — 20, quòd, *lege* quod.
— 320, — 1, — 19, redemptioni, *lege* redemptionis.

IN NOTIS.

Pag. 47, *Notâ a*, *deleatur* Caroli Morelli, *et pro* 1631, *lege* 1635.
— 83, — *b*, Art. 7 in eodem Appendice, *lege* Art. 6 in eàdem Appendice.
— 85, — *a*, Art. 5, num. 5, *lege* Art. 4, num. 4.
— 101, — *a*, Art. 2, num. 4, *lege* Art. 1, num. 6.
— — — *b*, Art. 4, *lege* Art. 3.
— — — *c*, numerum 5, Art. 2, *lege* numerum 6 Art. 1.
— — — *d*, οὐ γὰρ ἔφησε μὴ θέλων, *lege* οὐ γὰρ ἔφησε : Μὴ θέλων.
— — — *d*, *ad finem*, Art. 10, *lege* Art. 8.
— 268, — *a*, infer, intrà Sermones de Nativitate Domini, *lege* infrà, intra Sermones de Nativitate Domini (qui reperiuntur in secundo Tomo) ; *et similiter, in pari casu.*
— 269, — *b*, infer, *lege* infrà.
— 388, — *f*, 823-327, *lege* 323-327.
— 500, — *a*, num. 24, *lege* num. 25.
— 511, — *b*, Theophilactus, *lege* Theophilus.
— 557, — *b*, Homiliâ 6, *lege* Homiliâ 7.
— 591, — *b*, *lin.* 5, Epistolâ ad Trullianos, *lege* Epistolâ ad Trallianos.

MODIFICANDA,

IN TEXTU.

Pag. 224, *col.* 2, *cum numero* 3, *ubi agitur de numero prædestinatorum, conferantur Expositio nostra* (*et Nota ei subjecta*) *de hoc versu :* Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi ; multi enim sunt vocati, pauci verò electi (XX, 16 *Evangelii secundùm Matthæum, quod legitur in Dominicâ Septuagesimæ*).

IN NOTIS.

Pag. 106, *Nota a*, *legitur :* Quia S. Ephræm Syrus est, non annumerandus sanè est inter Patres græcos ; sed quia solus est è Syris, tertiam divisionem non admisimus ; ideòque, de more communi, in ordinem Patrum græcorum retulimus, ad quos aliundè proximè accedere videtur ; *lege :* Quamvis S. Ephræm Syrus sit, annumerandus sanè est inter Patres græcos, siquidem in Ecclesiâ græcâ vixit et docuit.

ADDENDA.

Pag. 345, *col.* 1, *lin.* 21-23, *dicitùr :* « Loth et Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur; Joannes verò prohibetur. » *Cum explicatione harum vocum loco suprà citato prolatâ in Notâ* b, *conferatur sequens ex Spencero tradita :* « Quòd in Apocalypsi, *inquit Spencer*, Angelus eum honorem (reverentiæ signum ab Apostolo præstitutum) à se amovet, non « indè venit quòd in eo esset quid illiciti, sed Apostolum sibi æquat Angelus, quòd ambo Christi, jàm Angelorum Capitis, mi- « nistri essent (*Coloss.* I, 16-18), et Apostolica legatio, ad hominum salutem comparata, nullâ parte Angelicâ esset inferior; non « solent autem collegæ inter se ista submissionis signa usurpare. »

ADDENDA,

IN TEXTU.

Pag. 58, 59 *et* 61, *ad caput*, PASCHASIUS, *lege* S. PASCHASIUS.
— 112, *huic titulo :* ✠ SYNESIUS, EPISCOPUS CYRENES, *adde* seu PTOLEMAIDIS.
— 285, *col.* 2, *lin.* 11, *voci* adjectos, *adde particulam* que, *et lege* abjectosque.
— 80, *addatur parvula crux* ✠ *ante voces* HUGO DE SANCTO CARO, etc.
— 122, — — RABANUS MAURUS, etc.
— 123, — — ATTO JUNIOR, etc.
— 124, — — VENERABILIS HILDEBERTUS, etc.
— 166, — — EJUSDEM SERMO II.
— 175, — — ADAMI SCOTI, etc.
— 180, — — EJUSDEM SERMO III.
— 251, — *ante vocem* MONITUM.
— 293, — — MONITUM.
— 299, — — MONITUM.
— 300, — — MONITUM.
— 323, — — MONITUM.
— 562, — — MONITUM.
— 345, — *ante voces* HUGO DE SANCTO CARO, etc.

IN NOTIS.

Pag. 292, *Notâ* a, *lin.* 2, hæc Homiliæ est finis Homilia 11, *lege* hæc Homilia est finis Homiliæ 11 in Lucam.
— 318 *et* 387, *titulo subjiciatur hæc Nota :* Editio Paris., 1635. E Comment. in Lucam, cap. 2.
— 327, *Notâ* c, *lin.* 4, *addantur vocibus* quarum est trigesima prima, *hæc verba :* cum titulo : « In galli cantu Natalis Do- « mini, » et cum hoc textu : *In illo tempore : Exiit edictum*, etc.
— 338, *Notâ* a, *post voces* num. 2, *adde :* Cum hoc titulo « In Natali Domini. »
— 345, *titulo subjiciatur Nota, eo modo :* [d] E Postillâ super Lucam, cap. 2.
— 354, *Notâ* b, in cap. Lucæ, *lege* in cap. 2 Lucæ.
— 412, *col.* 2, *lin.* 2, *numerando à fine*, *vocibus* Leontius in Commentariis, *subjiciatur hæc Nota :* [e] Hi Commentarii Leontii *inediti* permanserunt (vide Fabricium, Bibliothecâ græcâ, Tom. 7, Hamburgi, 1715).

Si qua verò sint quæ nostram diligentiam effugerint, eruntque sanè plurima, ea lectorum humanitati relinquimus.